



BIBLIOTHECA


VETERVM PATRVM.



BIBLIOTHECAE
VETERVM
PATRVM
ET AVCTORVM
ECCLESIASTICORVM
TOMI OCTO
Numeris & modis omnibus locupletati
& castigati.
Per MARGARINVM DE LA BIGNE
ex alma Sorbonæ Schola Theologum
Doctorem Parisiensem.
EDITIO TERTIA.
Ex præscripto Indicis expurgatorij Romæ vulgati
emendata, & nouo librorum similis argumenti
auctario locupletata, quos secunda ad
Lectorem epistola indicabit.
PARISIIS
M. DC. IX.
Cum priuilegio Regis.



SANCTISSIMO AC BEATISSIMO D. N. SIXTO QVINTO, SANCTÆ DEI ECCLESIÆ PONTIFICI MAXIMO; MARGARINVS DE LA BIGNE *Theologus Parisiensis; ad humillima pedum oscula.*



BEATISSIME PATER.



QVOD olim, Christo vnicè dilectus Discipulus, Electæ Dominæ scribebat; valde gauisum se, quòd inuenisset de filijs eius ambulantes in veritate: id dicere V. S. de Gallia sua (quæ ad hæc vsque tempora, fucum pietatem numquam fecerat) nunc cùm tam præclara sese offert occasio, nemo est cui dubium esse possit.

In his enim maximis Ecclesiæ tentationibus quæ extremum pietatis & religionis excidium illi minantur per hæreticorum latrocinia & hypocrisim POLYTICORVM (qui Principum ad inuicem perturbationem atque dissidium, emolumentum & lætitiam reputantes; intantum æmulantur quos sequuti sunt, & impietatis Furia suam animam cremauerunt; vt etiam discerpere ac dissecare inuicem Christi membra, Christo dilectos persuadeant; nec Barbari tantùm quantùm Christiani Christianos oppugnent) intueri singulos illius Ordines, Clerum, Nobilitatem, Plebem; præter paucos, veterum quorundam studiorum magis quàm pietatis tenaces; pro Christo ire & in carcerem & in mortem, paratos: Paganis verò deteriores eos ducere, qui (vt rescribit S. Bonifacius ad Zachariam V. S. pridem Antecessorem P. M.) Diuinis, aruspicibus, phylacterijs, & alijs quibuslibet augurijs crediderint; quandiu Paganias istas retinuerint; etiamsi ieiunent, orent, currant iugiter ad Ecclesias, largas faciant eleemosynas, corpus suum discrucient in omni afflictione: an non ista est prudentis patris, bonorum filiorum inclyta dignitatis & exultationis corona?

Quòd si quis videat, canis virtutibúsque reuerendos sacerdotes, viros Nobiles, & Consulares, plebeios & priuatos; mulieres genere nobiles, re beatas & ætate florentes; iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus, summos denique & infimos; non vt olim ad Aquilicia, verùm vt in ipso publicæ pietatis & libertatis funere; non denunciasse modò sibi Nudipedalia, sed amictas sindone super nudo nocturnis ac diurnis procedere Conuocationibus & sustineri à maritis abnoctantes; cæterùm, toto corpore iam non exhibere Gentilia, formámq; non curare, non ciros aut Cinerarios, non extructionem; sed potius dum inter innumeras Psalmi & Hymni sonant, prouocare quænam meliùs Deo suo canet: an-non deprehendet ocyus; Dei digito & Christianissimorum Principum nece, confectum momento, quod multis Ecclesiæ spiritualium thesaurorum largitionibus, nullis Concionatorum comminationibus vel adhortationibus, aut Principum Edictis, nullo temporum interuallo potuerat extorqueri: Christianam verò Religionem, quæ in alijs Prouincijs omnibus, statim ac innuere ipsi Principes, naufragium vno momento fecit; maximè in Gallia, merum esse Dei donum, nec stare ipsa pietate Regum quos illius imminutæ vel neglectæ suspectos, semel iam atque iterum nec alia vnquam de causa exturbauit profligauit? Dulcissimum illum; at, veluti si ignis fuisset, accensum & ardentem tamen; populi Paris.

zelum, cùm argumentis pluribus, tum maximè ex ardenti in impios & impietates omnes odio cùm præsensissem; & ex audiendi verbi diuini fame quæ nunquam ei eximi posse videretur, ille verò ne pati quidem eam sibi obsonari Theologorum silentio: rursus in antiquum sacrarum Concionum ludum abduci me siueram ante hoc triennium & quod excurrit; cùm, obnixè me orantibus honestissimis Librariæ Societatis Paris. Mercatoribus, NIVELLIO, SONNIO, ET PVTEANIS, sum assensus vt priorem meam Bibliothecæ veterum Patrum Editionem recenserem: eò lubentiùs, quòd legeram in Epistola, Editionis vestræ operum S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, ad sanctiss. D. N. Gregorium XIII. V. S. prædecessorem; nuncupatoria; inter potiora munimenta quibus Christus dilectam Sponsam suam militantem Ecclesiam, in hac terrena colluctatione decorauit atq; suffulsit, sanctos Doctores Orthodoxos Patres eorúmque Scripta, merito esse à nobis connumeranda: & in Gallia renunciatum esset, Apostolicum Thronum concendisse te; qui cum ad vnguem teneas omnes summi Pontificis partes quas olim magnus Gregorius præscripsit; & scias iamdudum, prauæ doctrinæ aduersari, bonis omnibus esse affabilis, malè sibi conscijs (etiam ipso visu) exhibere te terribilem: eiq; imprimis si quis sit qui ad nomen vel ordinem aut speciem pietatis deductus, peruerse agat sentiatve, cùm nemo amplius quàm ille in Ecclesia Dei noceat; eique profecto sit melius si ad mortem sub exteriori habitu illum Acta terrena constringant, quam si sacra Officia cæteris in culpa non imitabilem demonstrent.

Cùm itaque te posuerit Christus Ecclesiæ suæ, P. M. qui ita actus omnium speculari & religiosa curiositate exploras; vt, quos bonos probaueris, honorando cõfirmes; & quos vitiosos deprehenderis, arguas & emendes: quod autem ad meum huius nuncupationis institutum attinet maximè; reipsa scias quantæ molis sit quantisve constet laboribus, Patrum Scripta (vt fidem gignant, nutriant, defendant simul ac roborent, Dei beneficio nobis tradita; sed iniuria temporum, Inimico zizania in medio tritici super-seminante, alijsque varijs casibus corrupta & temerata) sic recognoscere. M. S. aut etiam typis editorum veterum exemplarium collatione, & alio quocúnque aptiori studiore formare & efferre in publicum; vt, suam & non alienam aut etiam sæpè falsam & ineptam sententiam dicant: ac proinde huiusce mei laboris Iudicem habiturus sim te Pontificem qui scias compati infirmitatibus meis; &, tentato, per omnia potentem auxiliari: Deinde & pro reuerentia S. R. E. quæ SS. Apostoll. agone consecrata, in quamlibet erroris partem à via veritatis nunquam diuertit; cuius authoritatem, Ecclesia Christi Catholica & Synodi vniuersales fideliter semper amplectentes in cunctis secutæ sunt; quam sancti & Orthodoxi venerabiles Patres & Doctores; venerati, hæretici autem falsis criminationibus & derogationum odijs insequuti sunt ita vt apud bonos & verè Christianos omnes semper audierit, *Iustitiæ sedes, fidei domus, aula pudoris*: Tum & quia decet, non latere te Patrem, pietate ac religione omni reuerendum nobis & metuendum; quónam modo Liberorum vnusquisque domi se habeat contineátve in Republica; in Gallia verò non ipsum populum modò, sed & Theologos omnes (& in his, me vermem & cinerem) labanti Ecclesiæ, Fideíque, & in S. A. reuerentiæ, ne hic apud nos prorsum concidat, modis omnibus obniti: & contra Librorum, Theologicorum imprimis vastitatem quæ ex Hæreticorum Tyrannide ferè accidit, cupere votis omnibus, vt ab A. S. serio prouideatur.

Dico deuouéoque V. S. BIBLIOTHECAM hanc veterum Patrum & adeo gratiæ vestræ thronum, vt V. Sanctitatis misericordiam & benedictionem consequar & inueniam gratiam: qua fretus; vt nunc rudem & vix inchoatam V. S. offero BIBLIOTHECAM hanc; sic aliquando ad perfectum adductam vt videat, sanctámque Dei Ecclesiam pascat & regat multos ad annos salua & incolumis V. S. Deum precor Opt. Maximum; Lutetiæ, ex alma Sorbonæ Schola, Kalend. April. 1589.

MARGARINVS DE LA BIGNE THEOLOGVS PARISIENSIS.

ORTHODOXO;

ORTHODOXO; HVIVS, VETERVM PATRVM, BIBLIOTHECÆ; LECTORI:

MARGARINVS DE LA BIGNE, EX ALMA Sorbonæ Schola, Theologus Parisiensis; gratiam in Christo, & pacem.



VM ante annos quindecim; huius veterum Patrum, Bibliothecæ prima iacerem fundamenta: non tanta molis aut momenti Opus moliri instituebam: Cùm enim, de scelere in scelus, ab hæresi ad impietatem, per Gallias nauigantibus ciuilibus bellis; à me prædicata Quadragesimalibus Concionibus in augustissimo Ciuitatis Parisiensis templo, cõmutandæ in melius & ad SS. Concily Tridentini præscriptum, Ecclesiasticæ disciplinæ capita; posse vnquam perduci ad exitum, spei parum aut nihil esset bonis omnibus; ac proinde aliam study Theologici rationem inire visum esset mihi & appellere animum ad scribendum: id cogitanti mihi, obtulit sese Michael Sonnius; antiqua fide & pietate mercator Bibliopola, Ciuis Parisiensis; vtque posteriorem Orthodoxo-graphorum Editionem relegerem, obnixè est obtestatus: ferre se id non posse, vt cùm Theologiæ fontem Sorbonam haberet Lutetia, haberet Gallia; Theologicos Libros, ad vnum propè, omnes eósque Hæresi ferè contaminatos, ab exteris emendicare cogeretur: vt eam Gallici nominis labem, cum Religionis Orthodoxæ periculo coniunctissimam elueret; si ille noster emendationis Orthodoxo-graphorum conatus cederet fœliciter; nullis sumptibus, laboribus nullis parciturum.

Itaque sumpsi Opus illud in manus: eúmque semel atque iterum oculis percurrissem, perlustrassem; deprehendi ocyùs, nullo pacto in eo retinenda quæ ab Hæreticis vel ementito sanctorum Patrum, vel suo ipsorum non tacito nomine essent conscripta. Sancti Iacobi Apostoli & fratris Domini Prot-euangelium dico; Nicodemi historiam de Christi passione; S. Vdalrici Augustensis Episcopi Notham Epistolam ad Nicolaum P. M. de Cleri cælibatu; Bertrammi Presbyteri Librum de Corp. & Sanguine Domini in Eucharistia; Græcorum Apologiam de Igne purgatorio, & aliquot similia. Porrò Authores; qualis S. Iustinus Martyr, Ruffinus, Gregorius Nyssenus, Isidorus, &c. quorum Opera seorsim habentur à Theologiæ studiosis, & iustæ magnitudinis volumina conficiunt: tum & quæ ad aliquod aliud argumentum; videlicet, Canones Apostolorum, Leonis I. Pontificis Maximi Epistolas quæ ad Conciliorum institutum pertinent: variáque fragmenta è grandiorum Authorum Operibus, non satis scio quonam consilio eruta; cuius ordinis sunt, Christi & Abgari Regis Edessenorum Epistolæ, ex Eusebij Ecclesiastica Hist. 1. Libri c. 13. Tertulliani fragmentum, ex eius Apolog. cap. 4. de Christo, à Romano Senatu, in Deorum numerum non adscripto; & Pilati Relatione ad Tyberium Imperat. de ea re, tum & huius Edictum pro Christianis; quæ omnia transcripsit Euseb. Cæsariensis, Ecclesiasticæ Hist. Libri 2. cap. 2. Historia Tripartitæ Libri 7. cap. 32. de Edessenorum (in Valentis Arriani Persequutione) constantia; & alia id genus: Ac postremò, quæ essent prorsum noua, vel; quod ad res Theologicas attineret; nullius aut minimi momenti: procul omnino esse debere ab hac Bibliotheca. His autem subductis superesse pauca, eáque leuia; imprimis si in certas ac distinctas Classes diuiderentur, vt diuidere voluisse videbatur Author posterioris illius Editionis, in Epistolas, Historias sacras, Gnomologias, Commentarios, Doctrinæ sacræ Authores, Demegorias, & Scripta Apologetica.

Proinde cœpi, varias gemmas & verè spiritales Vniones, vndique, opportunè importunè disquirere; quibus vtilem magis, sacræ Philosophiæ studiosis hanc nostram Bibliothecam efficerem. Et feci quidem, quantùm prouecta iam non parum, & non vno prælo maturata illa prior Bibliotheca huius Editio, vltra angustos illos emendationis Orthodoxo-graphorum limites progredi sinebat: nec omninu infœliciter, opinor; Dei Opt. Maximi beneficio id assequutus, vt viri boni & docti plures, vel Opus ipsum, vel studium nostrum Scriptis suis probauerint, laudauerint: pro sua id quidem, in Theologorum Parisiensium nomen, reuerentia; & in bonarum litterarum studiosos omnes, ingenij candore: Alioqui enim, in tam multis tam que grauiter, ego & typo-graphi ipsi offenderamus; vt vix sciam, misericordiam ne alicuius potuerimus consequi: nisi quòd iam nunc in Officinis omnibus Typographorum peccatur vulgò; & plerique, vix nonum in diem nedum in annum Scripta nostra premimus. Sed spero futurum vt vbi peccatum abundauit; si non superabundasse (vt ferè solet, cùm Spiritui sancto non resistimus) at saltem non defuisse gratia deprehendatur. Quod ad me attinet; perquisitis sedulo quæcumque vel nostra memoria, vel paulò ante, quacúmque etiam titulo editæ essent Theologicorum Opusculorum, à sanctis Ecclesiæ Patribus antiquioribus conscriptorum farragines; vt, si in eo scribendi genere certi quidquam constitui, Bibliothecæque illius Theologicæ fines aliqui præscribi possent ne in incertum & infinitum euagaretur hoc Libri genus; constituerem, præscriberem.

Magnus Aurelius Cassiodorus, ante multas ætates; quibus, viri illustres & probabilium dogmatum decôre fulgentes, Codices Canonis diuini declarauerant, Commentarios non vno quidem volumine est complexus (quod fecimus, huius Bibliothecæ Tom. I.) sed quia Tractatores doctissimos Studiosis indicasse ferè sufficeret, vt per Magistros antiquos ageretur quod impleri non potuisset per nouellos; &, ad tales misisse (*inquit*) competens plenitudo probetur esse doctrinæ: *duobus diuinarum Institutionum Libris, aptissimè breuitérque suis locis, tantùm indicauit (Latinos imprimis, quia Italus scriberet) diuini Canonis Librorum Expositores legendos: & tamen audeuter*; Habetis igitur in primo volumine (*ait ille, in sua Institutionum diuinarum Præfatione*) antiqui seculi Magistros præsentes sempérque paratissimos, qui vos non doceant tam linguis suis quam vestris potiùs oculis. *quo Libri argumento, posterioribus seculis in eo scribendi genere præluxisse illum, facilè*

est coniicere: &, Alcuino; vt, grande, conscriptarum ab Ecclesiæ Patribus, Homiliarum volumen componeret; commonstrasse viam.

Nostro seculo campum hunc aperuit primus, quod sciam, Vueyssenhornius typographus, Augustæ Vindelicorum; anno 1529. *nullo alio ipsius Operis authore vel Censore: & edidit Tomum vnum breuiorem quem inscripsit;* Epistolæ aliquot illustres graues & eruditæ (extra Bibliorum Canonem, licet; Apostolicæ tamen & plenæ integris fidei nostræ rationibus) ab ipso Christo, Paulo, Apostolorum discipulis & aliquot alijs Apostolicis viris editæ; &c. *idque, vt earum omnium gustum & iudicium (vt ipsemet præfatur) vno prospectu, Lectori proponeret permitteret: illum porrò adhortatus, vt siquid ad supellectilis illius plenam congeriem deesse videretur quod eius opera sarciri posset; è situ cariéque erutum, in communem studiosorum vtilitatem inferret publico, & plurimorum votis communicaret.*

Instituto non prorsus dissimili, vt nec etiam omninò eodem, MICROPRESBYTICVM *suum (veterum quorumdam videlicet, ac breuium Theologorum Opuscula) excudit alius quidam Basileæ An. D.* 1550. *Tum maiora ausus, priorem Orthodoxo-graphorum Editionem, molitus est alio quodam adhibito collectore, An. D.* 1555. *quibus & paulò post alter tomus subiectus est eorum qui aduersus hæreses scripserant, quem Hæreseologiam appellarunt.*

Liturgiarum Corpus, pro subiectæ rei maiestate; non vnius Authoris, non vnius diei Opus fuit. Liturgica primùm: toto ante priorem Orthodoxo-graphorum Editionem, anno; R. D. Cochlæus laboriosè collegit ex vetustis Ecclesiarum & Monasteriorum Moguntiæ, Misnæ, Vuormaciæ, &c. Bibliothecis; vno Libro quem excudit Moguntiæ Franciscus Behem, anno D. 1549. *titulo Speculi deuotianis antiquæ circa Missam & alium Dei cultum: eóque complexus est Amalarij Librum vnicum ex quatuor, quem varijs negotijs occupatus potuerat exscribere; cum reliquos abeo iuniore descriptos, furto amisisset Desdræ in Misnia, anno ante illam Speculi editionem vicesimo: tum & Vualaffridi Strabonis, de rebus Ecclesiasticis Libellum; &, sex aliorum Patrum quædam Opuscula: ex Micrologo verò, tantùm vnam partem excerpsit. Illum, in eo componendorum in vnum volumen Liturgicorum Opusculorum genere imitatus D. Melchior, Louaniensis Theologus, inscripsit Libellum suum;* de diuinis Officijs ac Ministerijs Ecclesiæ Catholicæ, varij vetustorum aliquot Ecclesiæ Patrum & Scriptorum ad 7. ex antiquissimis M. S. exemplaribus partim nunc primùm editi, partim à mendis repurgati per Melchiorem Hittorpium, &c. *editum Coloniæ, apud Geruuinum Calenium & Quentelij hæredes, anno Christi* 1568. *Quo in campo & argumento, strenuè laborauerunt hac eadem ætate, D. Iacobus Pamelius: tum & V. C. Dominus Ioannes à sancto Andræa, Carcassonensis Ecclesiæ Decanus; cuius in Liturgias tum præfatus est reuerendissimus D. Claudius de Xainctes, Episcopus Ebroicensis, Parisiensis Theologus.*

Perlegi illa omnia, volente Deo: at non tam accuratè (satis scio) quin animo meo inter seculi vepres varijs perturbationibus hærenti; somnus in Opere tam longo, frequenter obrepserit: nec, si non obrepsisset; tanto Operi tamen par vnquam fuissem. Illa quippe omnia, & longè plura quàm huius Bibliothecæ nouem Tomis edita sint, perlegisse me oportuit; dum quæcumque mihi venirent in manûs, varijs rerum argumentis & Librorum mole penè infinita, ad præscriptam posterioris Orthodoxo-graphorum Editionis censura amussim explorando; his in Bibliothecam admittendis, illis dimittendis, nullam extremam impono manum; denique non reperio certos fines, intra quos posset huius Bibliothecæ argumentum consistere. Quæ cùm, ea demum ratione, instituta fuerit initio, ne seorsum edita Opuscula pleraque sanctorum Patrum, ob paruitatem neglecta interciderent: quemadmodum, filij Iesse contemnebant Dauidem fratrem suum quia esset paruulus; & de illo contemptim dicebat pater, adhuc reliquus est nobis paruulus & pascit oues; *quanquam tamen non ita multò post, diuino iudicio, maior fuit fratribus suis & ipso Saule qui ab humero sursùm eminebat super vniuersum populum, occidítque Goliath, & de illo cantatum est;* Percussit Saül mille & Dauid decem millia: *magna etiam adhibenda fuit cautio, ne sanctis antiquis & Orthodoxis Patrum Ecclesiæ Traditionibus coniuncta prophanorum Hæreticorum nouitates, paulatim ac sensim initium viuendi sibi darent, illis tollerent. Cui rei quantùm mihi donauit Deus Opt. Maximus, & in me fuit, cùm prospicerem sedulo; in illas demùm delapsus sum angustias vt dubitarem quánam Christianæ Religionis ætate aut Seculo, huius Bibliothecæ Patres circumscriberem: sed tandem tamen apud me constitui, nullum Orthodoxum, vtilem, vita vel argumento in quo fuisset versatus aut alio quouis nomine suspiciendum & non grandiorem, proscribere; quacumque ille ætate, licet postrema, vixisset floruisset: neque id, abs re; à me tentatum & perfectum, velim existimes (Lector) verùm, vt hæc Bibliotheca, Theologiæ studiosis, aquarum viuentium mirabilem ac diuinam copiam suppeditaret; quibus Catholico Dei verbi intelligendi sitis; in Apostolicam verò fidem, per Episcoporum successiones & Patrum Orthodoxorum Traditiones ad nos vsque deductam, blasphemantium Centuriastarum incendia restinguerentur. Postremò ne rudis indigestáque Libri moles, & fastidio & labori esset; totum Opus ea institui methodo quæ adiumenti plurimùm ad Theologica studia possit conferre, diuinæ Philosophiæ amatoribus.*

Quòd, si pro huius argumenti totiúsque diuinæ sapientiæ dignitate, neque ita vt votis tuis responderim, præstiti; ignosce, per Christi viscera, errores meos & alienos qui in hoc Bibliotheca occurrunt, etiam post multos erubescentis: At; si aliqua ex parte id sum consequutus ita vt studia tua hoc Opere iuuari possint (Christiane Lector) primùm Deo Opt. Max. gratias mecum age (quæso) immortales, quòd inter has atrocissimas tempestates quarum minis & terroribus Gallia tota commouetur, hæc otia nobis fecerit: deinde & Librariæ Societatis Parisiensis Mercatoribus, Fidei Catholicæ studiosissimis & amantissimis, qui in tanto Opere conficiendo, neque fortunis suis neque laboribus pepercerunt. Sic te iuuet Deus Opt. Max. tuáque studia moneat ac promoueat.

Lutetiæ Parisiorum, ex alma Sorbona Schola, Kal. April.

BIBLIOPOLAE PARISIENSES LECTORI S.



Vam plærosque multis iam ab annis expetere noueramus, Bibliothecæ Patrum nouam editionem cum susciperemus, faciendum nobis censuimus, vt ad noua illi ornamenta comparanda doctorum virorum implorarcmus auxilium, qui neque eruditissimi viri Margarini Bignæi de Ecclesia bene meriti laudem obterere studerent, neque exortas post eius è vita discessum huiusmodi libros illustrandi occasiones prætermitterent. Nam quoniam ab anno M. D. LXXXIX. quo secunda editio finita est, multi sunt horum voluminum aucti libri, emendati, & scholijs aut commentarijs illustrati, adiuncto etiam in quibusdam Græco textu, atque insigni sæpius accessione locupletato, sic vt exiles antea, nullis comitum adminiculis indigeant, suoque iam quasi trunco sustinere se possint, ac mediocris voluminis mensuram implere; propterea nobis auctores fuerunt cum huius Academiæ Parisiensis, tum vicinarum Professores, vt Cyrilli Hierosolymitani Catecheses, Basilij Seleuciensis, & Macarij omitteremus homilias Græcè ac Latine nuper editas, itemque Nicolai I. Pontificis, ac Petri Damiani Epistolas, quas editiones Romanæ multo exhibent ampliores. Alij vero nonnulli separatim in lucem ita sunt emissi, vt cum alijs eiusdem argumenti libris coniuncti commodius legantur, cuiusmodi sunt Dionysij Alexandrini, Theophili, Timothei, Theodori Studitæ aliorumque Græcorum Epistolæ Canonicæ, quæ nisi fuerint in vnum volumen cum Photij Nomocanone coniectæ, nullus titulorum eius esse poterit vsus, quod nequeat Lector illas per varios Bibliothecæ tomos sparsas facile reperire: quam ob caussam breui cum textu Græco & Commentarijs Balsamonis viri quidam eruditi publici iuris illas facere decreuerunt. Id etiam in caussa fuit, vt Lactantij, Gregorij Turonensis, & Alcuini, Pauliniq; opera, Sigeberti Chronicon & Marcellini subduxerimus, ad quos libros emendandos & Notis explanandos eruditissimorum virorum scimus industriam multis ab annis incumbere. Poëtas quidem certè Christianos à Fabricio non bona fide quondam editos, à solertissimo Ecclesiasticæ antiquitatis indagatore Francisco Iureto breui synceritati suæ restituendos expectamus, ideoq; tomo octauo subtracto eum, qui nonus olim fuit, octauum numero esse voluimus. Antonij Melissa, & Maximi loci communes vtraque lingua cum Stobæo sunt editi, Gregorij vero Bætici de Trinitate liber omissus non est, sed suo relictus auctori Faustino Presbytero, quod perperam illum Bætico tribuisset atque Illiberitano præsuli Achilles Statius Lusitanus, vt prudenter nos monuit vir doctissimus Andreas Schottus societatis Iesu Theologus, cuius industriæ multas huius libri aliorumq; Bibliothecæ huius operum emendationes debemus. In homilias quoq; Cæsarij & nonnullas alias veterum lucubrationes nobis similes varias lectiones correctionesque suppeditauit eiusdem ordinis Theologus Fronto Ducæus, & ad exornandam tertiam hanc editionem duplicique auctario locupletãdam multa nobis vel nunquam edita, vel rarioribus atque inuentu difficilibus editionibus vulgata deprompsit ex celeberrima sua bibliotheca v.c. Nicolaus Faber Parisiensis I.C. Ex tomis etiã Antiquæ Lectionis ab eruditissimo viro Henrico Canisio vulgatis nonnulla selegimus veterum opuscula, quæ ad huius Bibliothecę institutum pertinere videbantur, quæ scilicet ex veterum lucubrationibus mole tenuibus, auctoritate non infimis est conflata: ea vero quæ nondum lucem aspexerant, etsi quędam habent, quæ si accurata posteriorum Ecclesiæ Conciliorum statera ponderentur, minus exacte scripta videri fortasse poterunt: non idcirco tamen istas venerandæ antiquitatis reliquias existimauimus supprimendas, quæ constantem multis in alijs dogmatibus seculorum omnium consensum vnanimem testantur: cum & apud ipsos antiquiores Patres Græcos ac Latinos plurima nonnunquam occurrant, quæ deinde cum fuissent excussa diligentius paulo aliter ab Ecclesia sunt definita. Prior ergo tomus Auctarij diuersos de officijs diuinis complectitur libros, qui à Melchiore Hittorpio magno labore ac diligentia correcti Coloniæ primum, deinde Romæ sunt excusi: quam ob caussam ex tomo sexto Bibliothecæ Vualfridum Strabonem, Bernonem, Micrologum & similes de officijs diuinis tractatus expunximus & in hunc retulimus: in posteriorem tomum eos cõiecimus auctores, qui germani videri poterant eorum, qui vel ad Scripturam explicandam vel ad hæreses confutandas, vel ad antiquam ecclesiæ doctrinam ex Liturgijs celebrioribus confirmandam cæteris Bibliothecæ tomis fuerant iam inserti: vtrumque vero auctarij tomum vel cum alijs coniunctim, vel seorsim coëmere poteris, si forte iam ex duabus præcedentibus editionibus hanc tibi Patrum Bibliothecam comparaueris; nobisque non defutura confidimus amicorum subsidia mox ad tertium eiusdem tomum in lucem edendum, qui nihilo minus insignia sacræ antiquitatis analecta complectetur: si nostris in posterum conatibus Dei præpotentis fauor, & tuæ lector optime apud ipsum preces non defuerint. Vale Lutetiæ Parisior. Kalendis Septemb. CIↃ IↃC. X.

Nos subsignati, sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis, Doctores; Gilbertus Genebrardus, Hebraicarum & Græcarum Litterarum Regius Professor & Interpres; Franciscus Feu-ardentius, Scripturæ sacræ in Conuentu Fratrum Minorum Parisiens. Prælector; & Ioannes Dadræus, Pœnitentiarius Rothomagensis, nuper verò Ecclesiæ Gallicanæ totius Syndicatu perfunctus: perlegimus diligenter, Bibliothecæ Veterum Patrum seu Scriptorum Ecclesiasticorum Tomos nouem; ab eruditiss. ex alma Sorbonæ Schola Parisiensi Theologo, D. MARGARINO DE LA BIGNE, *Cœnomanensis Ecclesiæ Decano; modis & numeris multis castigatos, locupletatos Editione secunda: in quibus nihil non pium, non Catholicum vel à S. R. E. dissentiens; plurima verò quæ ad venerandæ antiquitatis, pietatis, eruditionis, & disciplinæ commendationem, & obseruationem conferant, diligenter coaceruata; &, ne cui obesse possint verùm prosint diuinæ Philosophiæ studiosis omnibus; religiosè præmunita. Parisiis. Kalend. Aprill. 1589.*

GILBERTVS GENEBRARDVS.
FRANCISCVS FEV-ARDENTIVS.
IOANNES DADRÆVS.

CENSVRA ET APPROBATIO SACRÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, PER FACVLTATEM SACRÆ *Theologiæ Parisiensis.*

ANNO Domini millesimo quingentesimo octuagesimo nouo, die verò prima mensis Martij, Sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis, post Missam de sancto Spiritu apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio congregata est super suis agendis. In qua congregatione, audita relatione Magistrorum nostrorum Gilberti Genebrardi, Francisci Feu-ardentij, & Ioannis Dadræi, qui ex ordinatione dictæ Facultatis visitauerunt Librum inscriptum, SACRÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, NOVEM TOMI; non impedit Facultas quominus dictus Liber imprimatur. Actum anno & die prædictis.

De mandato Dominorum Decani & Magistrorum dictæ Facultatis Theologiæ Parisiensis.

LE GOVX.

NOs subsignati Doctores in sacra facultate Theologiæ Parisiensi, recensuimus præsentem Editionem *Bibliothecæ veterum Patrum*, iam olim opera & industria clarissimi viri MARGARINI DE LA BIGNE, Doctoris & socij Sorbonici magno Ecclesiæ bono collectæ ac in vnum redactæ: legimus & scholia Doctorum virorum, qui, quod vltimum supererat, nec tam cito absolui potuit, ad tutiorem operis lectionem varias notas partim necessarias, partim probabiles ac minimè spernendas quamplurimis locis inseruerunt; Tandemque collatione facta eiusdem editionis cum Romano indice, demptis aliquot Typographorum erroribus omnia & singula accuratissimè conuenire, nihilque fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ contrarium habere iudicauimus. Datum Lutetiæ apud Sorbonam, die Augusti 20. anno Domini sexcentesimo nono supra millesimum.

A. DV-VAL. M. AVBER.

CL. HENRIOT. M. GIRARD.



COMMENTARIORVM; A VETERIBVS PATRIBVS SEV SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS, IN SCRIPTVRAM SACRAM EDITORVM,

& qui huius Bibliothecæ Tomum primum conficiunt; Index.



VETERVM PATRVM, IN SCRIPTVRAM COMMENTARII, SACRÆ BIBLIOTHECÆ, TOMVS PRIMVS.

Iunilij Episcopi Africani, de partibus diuinæ Legis, Libri 2.

DE IVNILIO EX TRITEMII LIBRO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

IVNILIVS *Episcopus cuiusdam vrbis in Africa (nomen autem Ciuitatis inuenire non potui) vir certè in sacris Scripturis valdè doctus, & in secularibus disciplinis meo iudicio sufficienter instructus, sensu profundus, eloquio dulcis & ornatus, multa dicitur scripsisse Opuscula: sed ego tantum vidi Opus insigne quod scripsit ad Primasium Episcopum; quod prænotauit,* De partibus diuinæ Legis; *& incipit;* Sancto ac beatissimo Episcopo. *Claruit eo tempore quo Primasius, Anno Domini,* 440.

DE EODEM IVNILIO, PER M. D. L. B.

IVNILII *meminit magnus Aurelius Cassiodorus priore libro institutionis diuinarum lectionum, inter Scripturæ diuinæ Introductores quos sedula curiositate collegerat;* vt quibus erat similis intentio (*inquit*) in vno corpore adunati clauderentur. *Quo etiam libro; ac pene eodem loco meminit Primasij Episcopi:* nostris quoque temporibus (*inquit*) Apocalypsis, beati Episcopi Primasij Antistitis Africani studio minutè ac diligenter quinque Libris exposita est. *Et in libri eiusdem Præfatione meminit Scholæ Nisibenæ; cuius exemplo conatus sit cum beatissimo Agapito PP. vt collatis expensis, Scholæ Christianæ in vrbe Romana Doctores acciperent.*

IVNILII EPISCOPI AFRICANI, DE PARTIBVS DIVINÆ LEGIS, LIBRI 2.

Sancto ac beatissimo Episcopo Primasio, Iunilius, S.

S*CIS ipse venerabilis Pater Primasi, quia vitæ meæ & propositi conscius, sicut diuinæ Legis me studium habere non denego, ita doctorem dicere non præsumo; illud prophe-ticum metuens,* Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum? *Sed dum te inter alios reuerendissimos Coëpiscopos tuos vsque ad Constantinopolim peregrinæ prouinciæ coëgisset vtilitas; ex ciuitatis affectu in notitiam colloquiúmque peruenimus. Tu autem more illo tuo nihil ante quæsisti, quam si quis esset inter Græcos, qui diuinorum librorum studio intelligentiáque flagraret. Ad hæc ego respondi; vidisse me quendam Paulum nomine, Persam genere, qui in Syrorum Schola in Nisibi vrbe est edoctus, vbi diuina Lex per Magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis Grammatica & Rhetorica, ordine ac regulariter traditur. Tunc diu quæsitus, si quid ex eius dictis haberem; dixi quòd legissem Regulas quasdam quibus ille discipulorum animos, diuinarum Scripturarum superficie instructos, priusquàm expositionis profunda patefaceret, solebat imbuere: vt ipsarum interim causarum quæ in diuina Lege versantur, intentionem ordinémq; cognoscerent: ne sparsim & turbulentè, sed regulariter singula discerent. Hæc tu, Pater, nescio qua ratione omnibus Christianis erudiri volẽtibus, necessaria iudicasti; excusantémq; me diù, vsque ad defensionis impudentiam compulisti: vnde in duos breuissimos Libellos regularia hæc instituta collegi, addens ipsius dictionis (quantùm potui) vtilem formam; vt velut Discipulis interrogantibus & Magistro respondente, breuiter singula & perlucidè dicerentur. Et ne aliqua confusio per Antiquariorum (vt adsolet) negligentiam proueniret, Magistro, M. Græcam litteram; discipulis verò D. præposui, vt ex peregrinis characteribus, & quibus Latina scriptura nõ vtitur,*

Esai. 49.

Syrorum Schola in Nisibi.

error omnis penitus auferatur. Sunt alia illius viri præclara monimenta: Nam & beati Pauli ad Romanos Epiſtolam audiui ſubtiliùs (vt arbitror) exponentem: quam ego ex eius ore, ne memoria laberetur, excepi; ſed curarum negotiorúmque ſpinæ, ne quid agro Dominico fructificemus, impediunt. Sufficit hæc vna temeritas, quòd diuino gazophilacio ex paupertate confeſſa, duo hæc audeo minuta iactare. Sunt qui talentis onerent, vnde egentibus prorogetur: qui virtutum gemmas, aurum vitæ, argentum ſcientiæ, diuinis poſſint offerre ſacrarijs. Mihi nihil ampliùs duobus ſuppetit his Minutis; & ipſis ab alio, commodatis. Verùm enimuerò multùm mihi de Euangelico Examinatore polliceor: quia licet alij ex precioſiſſimis precioſa, ex plurimis valent plura largiri; ego tamen quia totum dedi, plus obtuli. Vale.

Luc. 21.

DE PARTIBVS DIVINÆ LEGIS, LIBER PRIMVS.

Capvt primvm.



N quot primas partes, Legis diuinæ ſcientia diuiditur? M. In duas: quarum vna ad ipſam ſuperficiẽ dictionis propriè pertinet; alia in rebus eſt, quas ipſa Scriptura nos edocet.

Quæ pertinent ad ſuperficiem Scripturarum? Cap. II.

D. Ad ipſam ſuperficiem dictionis propriè pertinentia quot ſunt? M. Quinque. D. Quæ? M. Species dictionis, authoritas, conſcriptor, modus, ordo. D. Species dictionis quot ſunt? M. Quatuor. Nam aut hiſtorica eſt, aut prophetica, aut Prouerbialis, aut ſimpliciter docens.

De Hiſtoria. Cap. III.

D. Hiſtoria quid eſt? M. Præteritarum rerum præſentiúmve narratio. D. In quibus libris diuina continetur hiſtoria? M. In ſeptemdecim Geneſ.1. Exod.1. Leuit.1. Numer.1. Deuteron.1. Ieſu Naue 1. Iudicum 1. Ruth.1. Regum ſecũdùm nos, IIII: ſecundũ Hebræos, II: Euangeliorum, quatuor: ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecũdùm Ioannem: Actuũ Apoſtolorum, 1. D. Nulli alij libri ad diuinã Hiſtoriam pertinent? M. Adiungunt plures: Paralypomenon II. Iob 1. Eſdræ II. Iudith 1. Heſter 1. Macab. II. D. Quare hi libri nõ inter Canonicas Scripturas currũt? M. Quoniam apud Hebræos quoque ſuper hac differentia recipiebantur, ſicut Hieronymus cæterique teſtantur. *Cautè lege.*

D. Nulla in his Libris alia ſpecies inuenitur? M. Incedũt cæteræ, ſed non principaliter: quia & ſi perſonæ à quibus dictæ ſunt primùm, ſecundùm cæteras ſpecies ſunt locutæ: tamen ab eo qui librum ſcripſit, vt hiſtoria ſunt relata. Sicut benedictiones Iacob Patriarchæ; ab ipſo quidem vt Propheta dictæ ſunt: ſed Moyſes, qui refert, ordine narrat hiſtorico. Et cũ ipſe Moyſes dicit, *In principio* factum cœlum & terram; prophetico quidem dicit ſpiritu, ſed ſpecie narrat hiſtorica. Similiter & prouerbialiter nonnunquã ſonat hiſtoria, vt eſt: *Ambulãtia ambulauerũt ligna, vngere ſuper ſe regem.* Aliquando ſimpliciter docet, vt eſt; *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt:* Omnia tamen, vt dixi, ſpecie contexuntur hiſtorica. D. Quid hiſtoria ſpeciebus cæteris præſtat? M. Quòd ipſi cæteræ ſubiacent: ipſa, nulli. D. Quid illi cõmune cum cæteris? M. Habet commune cum ſimplici doctrina, quòd vtráque ſuperficie, planæ videntur cùm ſint in intellectu plerunque difficiles: Nam aliæ contrà.

Iacob Patriarcha, fuit Propheta. *Gen. 1.* *Iudic. 9. d* *Deut. 6. a*

De Prophetia. Cap. IIII.

D. Quid eſt prophetia? M. Rerum latentium, præteritarum, aut præſentium, aut futurarum, ex diuina inſpiratione manifeſtatio. D. Da in præteritis prophetiam. M. *Verbo Domini cœli firmati ſunt:* Et; *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt:* Et; *In principio fecit Deus cœlũ & terram.* D. Da in præſentibus. M. Cognitionem futuri facti Gieſi, Propheta in præſenti vidit: & Ananiæ ac Sapphiræ, Petrus Apoſtolus. D. Da in futuris. M. *Ecce Virgo accipiet in vtero,* &c. Quare in definitione poſitũ eſt, *latentium?* M. Quia ſi quis iam cognita dicat, licet & futura ſint; tamen Propheta non eſt: ſicut nos, cùm Reſurrectionem prædica-

Pſal. 32. *Gen. 1.* *4. Reg. 5.* *Act. 5.* *Iſa. 7.*

A mus, Prophetæ non ſumus. Si vero cuiuſcunq; temporis latentia manifeſtat; tunc Propheta eſt, ſicut iam oſtendimus. D. Proba hoc. M. Apoſtoli teſtimonio in epiſtola ad Corinthios, qui ait: *Si conuenerit vniuerſa Eccleſia in vnum, & linguis loquantur omnes, intrent autẽ Idiotæ; nónne dicent, quia inſanitis? Si autem omnes prophetent, intrent autem Infideles, aut idiota, conuincitur ab omnibus, interrogatur ab omnibus, occulta etiam cordis eius manifeſta erunt, & tunc cadens in faciem, adorabit Deum, annuncians quòd manifeſtè Deus in vobis eſt.* Ecce Apoſtolus, Prophetiæ vim in occultorum manifeſtatione ſignauit. Sed & ſequentia in eadem Epiſtola & cæteris, multa ſunt talia. D. Quare addidimus, *Ex diuina inſpiratione?* M. Quia illi qui aut dæmonum inſtinctu, aut alijs modis latentia dicunt; licet Prophetæ dici poſſunt; tamen inter diuinarum Scripturarum non

1. Cor. 14.

B numerantur Authores. D. In quibus Libris prophetia ſuſcipitur? M. In ſeptemdecim. Pſalmorum 150. lib.1. Oſeæ lib.1. Eſaiæ lib.1. Ioel lib.1. Amos lib.1. Abdiæ lib.1. Ionæ lib.1. Micheæ lib.1. Naum lib.1. Sophoniæ lib.1. Abacuc lib.1. Ieremiæ lib.1. Ezechiel lib.1. Daniel lib.1. Aggæi lib.1. Zachariæ lib.1. Malachiæ lib.1. Cæterùm de Ioannis Apocalypſi, apud Orientales † admodum dubitatur. D. Nulla in his libris alia ſpecies inuenitur? M. Accedunt cætera; ſed non principaliter, niſi ad probationem prophetiæ: ſicut in Eſaia, Achaz, & Ezechiæ Regum velut quædam refertur hiſtoria, ſed prophetiæ intentio eſt, non geſta contexere, ſed prædictorum exitum comprobare. Ieremias cùm dicit: *Terra, terra, audi verbum Domini.* Terram, prouerbialiter,

† Citra omnem dubium liber Apocalypſis & Canonicus & Propheticus eſt. *Iſa. 7.* *Hiere. 22.* *Iſa. 58.*

C habitantes in ea homines nuncupat. Et cùm Eſaias dicit: *Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus; ſed ſolue omnem nodum iniquitatis;* &c. velut ſimpliciter docet, ſed vt prophetico ſpiritu iuſſus hæc prædicat. D. Quid Prophetiæ commune cum cæteris? M. Habet commune cum Prouerbijs quòd vtráque, ſuperficie, difficilia ſunt: ſed pleráque intellectu non ardua.

De Prouerbiis. Cap. V.

D. Quæ eſt prouerbialis ſpecies? M. Quædam figurata locutio, aliud ſonãs, aliud ſentiẽs, & in præſenti commonẽs tẽpore. D. In quibus hæc Libris accipitur? M. In duobus: Salomonis prouerbiorũ li.1. & Ieſu filij Sirach li.1. D. Nullus alius liber huic ſpeciei ſubditur? M. Adiungunt quidam, librũ qui vocatur Sapientiæ, & Cantica Cãticorum. D. Accidúntne his libris aliæ ſpecies?

D M. Sola ſimplex doctrina accidit, ſed non principaliter, niſi ad explanationem vel commendationem Prouerbiorum: vt, *Initium ſapientiæ timor Domini.* D. Quid Prouerbiis commune cum cæteris? M. Habet cum prophetia cõmune, quòd ſuperficie difficilis videtur; cùm, intellectu, plerunque non ſit. D. Quid habet prouerbialis ſpecies proprium? M. Quòd ei neq; hiſtoria, neque Prophetia miſcentur; & ſola eſt quæ ita intelligitur, vt quodammodò verborũ ſuperficies auferatur. D. Quare in hoc tantùm licitũ nobis eſt, non textum Scripturæ ipſius conſiderare ſed ſenſum; cùm in cæteris tribus, ita allegorias myſticas admittamus, vt narrationis fidẽ præſentare neceſſe ſit? M. Quia ſi voluerimus prouerbialem ſpeciem vbiq; allegoriam ſic recipere vt narrationis veritas infirmetur, locũ damus inimicis, prout voluerint, diuinos

Prou. 1 & 9.

diuinos Libros interpretandi. D. Quot modis in diuina Lege, Allegoria cognoscitur? M. Quatuor: aut secundum translationem vel metaphoram; vt est, *Iratus est Dominus, & descendit:* & similia quæ ad insinuádas causas ex humanis moribus transferútur ad Deum. Aut secundú imaginationem vel hypotyposin, vt est in Euangelio; *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Ierico;* Et rursus parabola vineæ atque agricolarum: Ordo enim eorum quæ gerebantur à Christo, velut imagine personæ & negotij alterius refertur impletus. Aut secundùm comparationem vel similitudinem, sicut dicit; *Simile est regnum cœlorũ grano sinapis,* &c. Non enim narratio sicut in superiore exemplo contexitur, sed causarum solummodò comparatur effectus. Aut secundũ prouerbialem modũ, vt est; *Bibe aquam de tuis vasis, & de cisterna tua, & de tuis puteis;* cũ velit Scriptura innuere, carnalem concupiscentiam intra licentiam coniungij refrenandam.

Ex. 4. *Luc. 10. f.* *Mat. 20. & 21.* *Luc. 13 d.* *Prou. 5. c.*

De simplici doctrina. Cap. VI.

D. Quæ est simplex doctrina? M. Qua, de fide aut de moribus in præsenti tempore simpliciter docemur. D. Quare hoc nomen accepit? M. Quia omnis quidem Scriptura aliquid docet, sed sub aliis speciebus quas supra diximus; sub quibus aliud etiam agitur. Hæc autem neque historiam texit, neque Prophetiam, neque prouerbialiter loquitur; sed tantúmodò simpliciter docet. D. Qui libri ad simplicem doctrinam pertinent? M. Canonici sexdecim; id est, Eccle. li. 1. Et epist. Pauli Apostoli ad Rom. 1. ad Corin. 2. ad Gal. 1. ad Ephes. ad Philip. 1. ad Colo. 1. ad Thessal. II. ad Timo. I. ad Titum 1. ad Phile. 1. ad Heb. 1. Beati Petri ad Gétes, 1. & beati Ioannis prima. D. Nulli alij Libri ad simplicem doctrinã pertinét? M. Adiungũt quamplurimi quinq; alias quæ Apostolorũ Canonicę nuncupantur: Id est, Iacobi 1. Petri secundam, Iudæ vnam, Ioannis duas. D. Nulla in his Libris alia species inuenitur? M. Accedũt cæteræ, sed non principaliter; nisi ad probationem doctrinæ. Nam cùm dicit Apostolus; *Et cũ venissem Troadem, in Euangelio Christi ostium mihi apertũ est:* Et vbi Petro dicitur in faciem restitisse; velut historiam videtur texere. Rursus cũ dicit: *Ecce mysteriũ vobis dico; Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* prophetæ opus aggreditur: Cùm ait; *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri;* prouerbialibus vtitur verbis: omnia tamen ad doctrinę probationem, vt diximus, inseruntur. D. Quid commune cum cæteris speciebus simplex doctrina habet? M. Habet cum historia commune, quòd vtraque superficie faciles videntur, cùm sint, inspectione aut intellectu, plerúmque difficiles.

Libri sacri ad simplicem doctrinam pertinentes. *B. Petri. Epistola ad Gentes.* *2. Cor. 2. c.* *1. Cor. 15. g* *Tit. 1. b*

De authoritate Scripturarum. Cap. VII.

D. Quomodò diuinorũ Librorum consideratur authoritas? M. Quia quidam perfectæ authoritatis sunt, quidam mediæ, quidam nullius. D. Qui sunt perfectæ authoritatis? M. Quos Canonicos in singulis speciebus absolutè enumerauimus. D. Qui mediæ? M. Quos adiungi à pluribus diximus. D. Qui nullius authoritatis sunt? M. Reliqui omnes. D. In omnibus speciebus hæ differentiæ inueniuntur? M. In historia & simplici doctrina: omnes namque in prophetia mediæ authoritatis libri, non præter Apocalypsin repeientur: neq; in prouerbiali specie omnino cessata.

Quinam libri in Scriptura Canone admittendi essent nondum erat tam explicitè quàm nunc ab Ecclesia constitutum.

De scriptoribus diuinorum Librorum. Cap. XII.

D. Scriptores diuinorum Librorum qua ratione cognoscimus? M. Tribus modis. Aut ex titulis & procemijs; vt Propheticos Libros, & Apostolorum epistolas: Aut ex titulis tantùm; vt Euangelistas: Aut ex traditione Veterum, vt Moyses creditur scripsisse quinque primos libros historiæ; cùm non dicat hoc titulus, nec ipse referat, *Dixit Dominus ad me:* sed quasi de alio, *Dixit Dominus ad Moysen.* Similiter & Iesu Naue liber; ab eo quo nuncupatur, traditur scriptus. Et primum librum Regum, Samuel scripsisse perhibetur. Sciendum præterà quòd quorũdam librorũ penitus ignorantur authores;

Ex. 11 & deinceps frequenter. *Cur Librorũ plerisq; Scripturæ Authores ignorẽtur.*

A vt est Iudicũ, & Ruth, & Regum iij. & vltimus, & cætera similia: Quod ideò credendũ est diuinitùs dispensatum, vt alij quoque diuini Libri non authorum merito, sed sancti Spiritus gratia tantum culmen authoritatis obtinuisse noscantur.

De modis Scripturarum. Cap. IX.

D. Modi diuinæ Scripturæ quot? M. Duo: Nam aut Metris Hebraicis in sua lingua conscribuntur, aut oratione simplici. D. Quæ sunt Metris conscripta? M. Vt Psalmi, & Iob historia, & Ecclesiastices, & in Prophetis quædam. D. Quæ simplici oratione cóscripta sunt? M. Reliqua omnia. D. Quare apud nos ijsdem Metris conscripta non sunt? M. Quia nulla dictio Metrum in alia lingua conseruat, si vim verborũ ordinémq; non mutet.

Sacri Libri metrici.

De ordine Scripturarum. Cap. X.

B D. Quis est ordo diuinorum Voluminum? M. Quia quædam Veteris testamenti; quædam, Noui. D. Quæ ad Nouum testamentũ pertinent? M. Euangelia (vt supra dictũ est) quatuor, Apostolicæ Epistolæ, & Actus. D. Quæ ad Vetus testamentũ pertinét? M. Reliqua omnia. D. Quæ testaméti Veteris Nouíque sunt propria? M. Veteris intentio est, Nouum figuris denunciationibúsque monstrare: Noui autem; ad æternæ beatitudinis gloriam, humanas mentes accendere.

De his quæ Scriptura sacra nos edocet. Cap. XI.

D. Quoniam satis dictũ est de his quæ ad ipsam Scripturæ superficiem propriè pertinẽt, nũc requiro quę sunt quæ ipsa Scriptura nos docet: M. Tria quædã: nam aut C de Deo loquitur, aut de præsenti sæculo, aut de futuro.

Quot significationibus Scriptura de Deo loquitur. Cap. XII.

D. Quot significationibus scriptura de Deo loquitur? M. Quatuor. Aut enim essentiam eius significat, quam Latinè & substantiam núcupamus; vt est; *Ego sum qui sum:* Aut personas; vel secundũ Græcos, subsistentias, vt est; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* Aut operationem, vt scriptũ est; *Secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitãs eũ à mortuis, & sedere faciẽs ad dexteram suam:* Aut collationẽ eius ad creaturas, vt est; *Regi autem seculorũ incorrupto, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorũ.*

Ex. 3. d *Mat. 28.* *Ephe. 1.* *Rom. 11.*

De significationibus diuinæ Essentiæ. Cap. XIII.

D D. Quot modis diuina significatur essentia? M. Duobus; principaliter & consequenter. D. Principaliter, quibus verbis? M. Octo. Dicitur enim, aut Deus; aut Dominus; aut simul, Dominus Deus; aut Adonai, aut Sabaoth, aut Heli, aut Heloi; aut, *est.* D. Nihil aliud quã Deum hæc verba significant? M. Duo tantũ, nonnunquam & de aliis abusiuè dicuntur; Deus & Dominus, teste Paulo: *Quoniam dij multi, & domini multi:* Et; *Dij estis & filij excelsi omnes.* Reliqua verò sex, nunquam nisi de Deo dicũtur. D. Quid de Deo hæc verba significãt? M. Non quid est, sed quia est: quid enim sit Deus comprehendi non potest. D. Quibus modis Deus consequẽter M. significatur. Cũ Personas, aut operationem, aut collationem eius ad creaturas Scriptura exponit. Nam & E cum nominat Patrem; licet primus auditus, generantẽ significet; consequenter tamen intelligimus Deum: similiter & quando nominat Filium vel Spiritũ sanctum. Et cùm dicit, *omnipotens:* licet operationem eius, primus sermo denũciet; consequẽter tamen intelligimus Deũ. Et cùm dicit inuisibilem; licet eum qui videri à mortalibus nequeat, principaliter sonet; & ex collatione nostra, id quod non sumus, ei qui nos fecit, adsignet; consequenter tamen intelligimus Deum.

Gal. 4. *Ioh. 10.*

De significationibus Trinitatis. Cap. XIV.

D. Quot modis Personas siue substantias diuinitatis Scriptura significat? M. Similiter duobus: Principaliter & consequenter. Principaliter, vt cùm dicitur, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Consequenter; per ea quibus significatur essentia, aut operatio, aut ad creaturas collatio. Nam & cũ dico, *Deus;* quod ad essentiam: & cum dico omnipotẽs, quod ad operationem pertinet, dico.

Et cum dico, *immutabilis*, quod ex collatione ad creatu-
ras dicitur; licet aliud primus auditus sentiat, tamen Pa-
trem & Filium & Spiritum sanctū vel simul, vel singu-
los; consequenter Deum intelligo.

Quot modis Pater significatur. *Cap.* XV.

D. Quot modis Pater significatur? M. Patris nomine
vnam personam intelligis, sed non vno modo, ad Fi-
lium enim propriè dicitur, ad creaturam communiter:
ibi naturæ veritate, hîc gratiæ bonitate. D. Hoc vno
modo Pater significatur? M. Principaliter hoc. Nam
consequenter & ex his quæ essentiam Deitatis, aut ope-
rationem, aut collationem ad creaturas quolibet mo-
do significant. Insuper & ex Filij vocabulo consequen-
ter intelligitur Pater; & sancti Spiritus nomine, ipse sci-
licet Pater cuius est Spiritus, subintelligitur. D. In ipsa B
Is. 9. Trinitate, nulli alij personæ vocabulum Patris, adscri-
bitur? M. Legitur de Filio dictum, *Pater futuri seculi*; sed
hoc secundum carnem dictum; est, & non propriè &
significatiuè: vt ostenderetur ipse causa & genitor bea-
titudinis nostræ; in quo per carnis resurrectionem, hu-
mana natura futurā vitam & sperare incipit & sumere.

Quot modis Filius significetur. *Cap.* XVI.

D. Quot modis loquitur Scriptura de Filio? M. Quin-
que. Nam velut sola nonnunquam deitas eius signifi-
catur, & consequenter intelligitur carnis adsumptio;
Ioh. 1. vt est, *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris.* Nonnunquàm
verò solus homo ab eo susceptus; & deitas consequen-
Heb. 1. ter; vt est: *Nouissimè loquutus est nobis in filio:* nonnunquàm
Phil. 2. simul vtrunque; vt est: *Hoc sentite in vobis quod & in Chri-* C
sto Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se
æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.
Nonnunquam & ad corpus videntur dicta, quæ ad dei-
tatem sunt principaliter referenda, vt est: *Filius hominis*
quidem in cælo. Rursus diuinitati nonnunquàm videntur
adscripta quæ specialiter referuntur ad carnem, vt est;
1. Co. 2. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* D.
Quare his quinque modis loquitur Scriptura de Filio?
M. Distinctè quidem ideò secundùm naturas loquitur,
vt inconfusas eorum proprietates ostendat: Commu-
niter, ideò vt asserat vnitatem. Alternat verò humana
diuinis, & diuina humanis vt vtrumque vnius Personæ
indiuisúmque monstretur. D. Quot modis solet Filij
significari Persona? M. Duobus: & ipse principaliter
quidē significatur, cùm Christus dicitur absolutè. Nam D
cùm alij Christi vocantur, alterius quidem dicuntur, vt
1. Re. 24 b est, *Christus Domini*, aut *Christus meus*: Solus autem Deus
Ps. 104 b naturaliter Dei filius Christus absolutè dicitur; Vnde &
hoc solius eius esse propriū declaratur. Consequenter
verò intelligitur Persona Filij: & ex illis tribus quibus &
Pater, & ex ipso Patris vocabulo, & ex Spiritu sancto;
quia & Spiritu dicitur Patris & Filij.

Quot modis significatur persona Spiritus sancti. *Cap.* XVII.

D. Quot modis significatur Persona Spiritus sancti? M.
Mat. 28. Principaliter, vno; vt legitur: *Ite, baptizate omnes gentes in*
nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et iterum; *Templum*
1 Cor 3. & 6. *enim estis Spiritus sancti.* Consequēter verò & gratia quam
ipse largitur; quæ & ipsa similiter sanctus Spiritus dici-
Luc 1. e tur, vt est: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Et; *Accipite Spi-*
Mat 18. e *ritum sanctum.* Similiter & ex his quibus diuina significa- E
Ioh. 20. e tur Essentia, vel operatio, vel ad creaturas collatio; sicut
& de Filio diximus: sed & Patris Filiiq; Persona Spiritū
sanctū significat consequenter; quia quidquid horū di-
camus, etiā Personā sancti Spiritus aut cooperatricem
aut Consubstantialem intelligimus consequenter.

Quid habēt cōmune vel propriū, Personæ Trinitatis. *Cap.* XVIII.

D. Quid habent propriū Personæ singulæ Trinitatis?
M. Quod Pater nunquam dicitur Filius; nec, coniun-
ctis sermonibus, Spiritus sanctus; licet diuisè & Spiritus
dici possit & sanctus. Nec Filius Pater propriè dici po-
test; aut coniunctiuè Spiritus sanctus. Nec rursus san-
cto Spiritui, Patris aut Filij nomen adscribitur. D. Quæ
sunt his Personis communia? M. Omnia quæ ad signi-
A ficationem, aut essentiæ, aut operationis, aut ad creatu-
ras collationis pertinere noscūtur: Vnde & constat Tri- *Trinitas consubstantialis.*
nitatem vnius esse substantiæ. D. Patris & Filij & Spiri-
tus sancti vocabulis, quid in his Personis significatur? M.
Tantùm, quòd sunt. Nam quid sunt (vt supra de Deo
diximus) sermo non potest explicare.

Per quot species, Diuinitatis operatio designetur. *Cap.* XIX.

D. Per quot species, diuinitatis efficientia siue opera-
tio designatur, quam Græci ἐνεργείας nuncupant? M.
Quatuor: aut creatione, aut prouidentia circa creatu-
ras, aut futurorum circa eas præparatione, aut præpara-
torum exitu vel euentu. D. Da ad operationem perti-
nentia. M. Vt cùm dicitur Bonus; ex eo maximè quòd
quæ non erant, esse fecit, ac facit: & Sapiens, eò quòd
B tam mirabiliter cūcta cernimus ab eo ordinata: & For-
tis, eò quòd potuit, quæ tam bene & sapienter voluit,
adimplere. D. In Deo; hæc, essentia sunt an voluntates?
M. Deus simplex est; nec est in eo aliud essentia quàm
volūtas: Vnde & omnia nomina operationis eius, licet *Deus natura & voluntate operatur.*
inter se definitionibus differāt; apud ipsum tamen nul-
la differentia vel diuersitas inuenitur. Itaque & essentia
vel natura facit, quia ei nihil accidēs est; & tamen etiam
volūtate quia nihil necessitate efficit, aut coactus. Non
enim, sicut ignis naturali necessitate vrit, aut apes natu-
rali necessitate fabricāt ceras, vel telas araneæ; ita etiam
Deus operatur: sed Deus ideò natura vel essentia face-
re dicitur, ne voluntas in eo quasi aliud aliquid demon-
stretur: Et ideò voluntate, quia nihil operari compelli-
C tur; sed essentialiter vult, & voluntate subsistit. D. Da
specialiter ad creationem pertinentia. M. Vt cùm dici-
tur Factor, Artifex, Creator, & similia: quamuis dica-
tur & facere; pro, disponere, vt est; *Fecit salutem in medio* *Psal. 73.*
terræ. sed tunc secundùm speciem prouidentiæ dicitur.
D. Da quæ ad prouidētiam specialiter pertinent. M. Vt
cùm dicitur Adiutor, Præscius, Omnipotēs; & similia.
D. Da ad præparationem pertinētia futurorum. M. Vt
cùm dicitur Via, & Spes refugium, & similia. D. Da ad
euentum præparatorū pertinentia. M. Vt cùm dicitur
Exultatio, Gaudium; & cætera similia. Omnia autem ad
operationem pertinentia, non in omnibus tantùm; sed
etiam in verbis, vel reuelationibus similibus cognof-
cuntur. D. His tantùm modis diuina operatio declara-
tur? M. Est alius figuratus modus, cum ex humanis ope-
D ratio diuina significatur. D. Quot modis fit? M. Duo-
bus. Cùm aut quæ ad animum nostrū pertinent, figu-
raliter dicuntur in Deo, vt est, furor & ira & pœniten-
tia: aut ea quæ ad corpus, tractantur; id est, pedes, ma-
nus, digiti. Aliquando enim & humanæ operationes
transferuntur ad Deū, vt cū dicitur; *Apprehende arma &* *Psal. 34.*
scutum: Omnia tamen hæc prædictis quatuor speciebus
operationis, pro sententiarum qualitate iungenda sunt.

Quibus modis, ex collatione ad Creaturas, Deus significatur. *Ca.* XX.

D. Quot modis ex collatione ad creaturas Deus signi-
ficatur? M. Duobus: Affirmatione & negatione. Con-
fessione quidem, cùm ea dicuntur de Deo, quæ iuxta
eundem modum nulli creaturæ conueniunt; vt est, sim-
plex, & vetustus dierum, ante omnia, & spiritus; id est,
incircūscriptus, & primus nouissimus; & similia. Hæc
E enim omnia ideò de Deo dicuntur, quia nulli creaturæ
(eius collatione) conueniunt. Per negationem autem
collatio fit, cùm, præpositione priuatiua, ea in Deo ne-
gantur quæ in creatura sunt: vt est, ingenitus, incorpo-
reus, increatus, incorruptibilis, immortalis, impassibi-
lis; & similia. D. Quid ergo? hæc verba nunquam de
creatura dicuntur? M. Dicuntur quidem, sed non se-
cundùm eandem rationem. Nam cum homo dicitur
simplex; non quia cōpositus nō est (solius enim Dei est,
esse essentiam simplicem) sed simplex homo dicitur,
quia non habet doli duplicitatē. Sic & cùm dicitur ali-
quid inuisibile, nō quia a nullo, inquantū est, videri non
potest (hoc enim solius Dei est) sed quia aliquos latet:
Similiter & cætera dicuntur. D. Quæ sunt collatiua,
quæ

quæ de Deo sic dicuntur vt de creatura dici non possint? M. Quæ in eo summa sunt & singularia; vt ingenitus, sempiternus, sine initio; & similia.

IVNILII DE PARTIBVS DIVINÆ LEGIS. LIBER II.

Quid de præsenti sæculo Scriptura significet. Cap. I.

QVONIAM satis dictum quot modis de Deo Scriptura loquatur; nunc requiro, quę de præsenti sæculo loquens Scriptura significat. M. Quædam quinque. Aut generationem eius, id est, creationem; aut gubernationem; aut accidentia naturis; aut euenientia voluntatibus, aut subsequentia voluntatis euentus.

Quot modos & differentias in operatione creaturarum Scriptura posuerit. Cap. II.

D. Quot modis generationem Seculi Scriptura significauit? M. Tribus. Aut enim sola Dei voluntate factum aliquid scribitur; vt est: *In principio fecit Deus cœlũ & terrã.* (*Genes. 1.*) Aut voluntate simul & voce; siue præceptiua, vt est, *Fiat lux*; Et, *Fiat firmamentum*; siue deliberatiua, vt est; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Aut voluntate, voce, ac definitione, vt est, *Crescite & multiplicamini & replete terram.* (*Genes. 1.*) Et iterum: *Germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundùm genus suum, & lignum, fructiferum faciens fructum, cuius semen sit in eo ad similitudinem eius in terra.* & cætera quæ post septimum diem, vsque in finem seculi per partes operatur: Ex illa enim definitione proueniũt. C D. Est in his tribus aliqua differentia? M. Est: quia ea quæ sola voluntate vel etiam voce sunt facta, nouiter facta sunt, quæ verò definitione, illis iam similia quæ facta nouiter diximus. Et rursus, illa quidẽ in sex primis diebus; hæc verò, donec seculum stabit. D. Da ordinem per sex dies factarum rerum. M. In ipso quidẽ principio conditionis facta sunt, cœlum, terra, Angeli, aër, & aqua. (*Angeli quãdo fuerint creati.*) D. Comproba Angelos, & aquas, & aërem factum. M. Facta quidem ex his Scripturæ locis ostenditur, vt est: *Qui facit Angelos suos spiritus*: (*Psal. 103*) Et; *Laudate eum omnes Angeli eius.* (*Psal. 148. a*) Et, *Aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini, quoniam ipse dixit, & facta sunt.* Et Aër in Scripturis, cœli nomine ostenditur; vt est: *Volucres cœli.* (*Psal. 8.*) cùm certum sit aues in aëre volare: Cœlum autem ostẽdimus factum. Quòd verò præcesserint ista cæteras creaturas; in Angelis, Scri- D ptura demonstrat, dum in laudibus & benedictionibus, creaturis cæteris præponuntur: & ratio id postulat, oportuit enim vt terrenas cœlestis creatura præcederet. De aquis verò ipsa Scriptura dicit, quòd *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* (*Genes. 1.*) D. Sequere ordinem generationis. M. In principio, die prima, lux facta est; secunda verò die, firmamentum; tertia, mare & terræ nascentia; quarta, luminaria cœli; quinta, natantia & volatilia; sexta, reliqua animalia & homo. M. Quæ est in ipsarum creaturarum operatione, distinctio? (*Creaturarum differentia.*) D. Quòd quædam ex nihilo facta sunt, vt cœlum, terra, & cætera quæ vsque ad completum diem primum diximus facta: quædam verò ex iam factis primo die. D. Da horũ probationes. M. Quia E quoties Scriptura, ex aliquo factas res cupit ostendere: aut palàm significat, vt est; *Producat terra*; Et, *Producant aquæ*; (*Genes. 1.*) & similia: Aut certè ex subtili significatione verborum; vt cùm dicit, *Fiat firmamentum*; vtique significat fuisse aliquid fluidum ac liquidum; id est, aquas: quæ vt solidatæ ostenderentur, firmamentum vocatum est, quod fiebat. Et rursus luminaria deriuatiua appellauit, quæ quarto die facta sunt; vt ex lumine, primo die operato, facta mõstraret. In his autem quæ primo die facta sunt; neque apertè, neque subtili verbo factum aliquid declaratur ex altero. D. Nihil ergo post primũ diem ostẽditur, ex non existentibus factum? M. Sola hominis anima: in quo & hoc ad ostendendum quia cùm alia aut ex nihilo, aut ex iam factis facta sint, solus homo ex vtroq; componitur. (*Post primum diem, aliquid creatũ ex non existentibus.*)

A D. Quas alias differẽtias creaturis adscribimus? M. Quòd ea quæ primis sex diebus facta sunt, non naturaliter, neque ex similitudine prouenerunt; Reliqua verò quæ fiunt naturaliter, ex diuina definitione nascuntur; exceptis scilicet miraculis. D. Da tertiam differentiam. M. Quòd creaturarum aliquæ; id est, rationales; propter seipsas * factæ sunt, vt Angeli & homines. Reliquæ verò non propter se, sed propter prædictos Angelos aut homines factæ noscuntur. Homo verò; principaliter, secundùm animam, propter se intelligendus est factus: Nam secundùm corpus consequenter. D. Quid autem? præter homines & Angelos, aliæ creaturæ seipsis inuicem non egebant? M. Egebant quidem; non ad vtilitatem tamen sed ad ornatum: vtiles enim sunt, non sibi sed Angelis vel hominibus pro quibus etiam factæ no- B scuntur. (** i. non propter alias creaturas: Aliquis enim non propter se, sed propter Deũ creatos esse constat homines & Angelos.*) Ornatum verò etiam inuicem præstant: quippe & cœlum inornatum sine cœlestibus luminaribus fuit; & luminaria ipsa ne superflua facta essent, videntium oculis indigebant. Et mare inornatum, donec aut locum suum reciperet, aut animalibus impleretur: Et terra incomposita, præter habitantium vel nascentium visum: Et irrationabilia animalia, sine hominis regimine, inepta: Et herbæ, absente animalium visu, superfluæ. Ita omnia egent inuicem, vel his quæ per dies sex facta sunt, vel his quæ quotidie fiunt. Sed vt iam diximus aliud esse incompositum, aliud vtile incompositum, aliquid, per se vtile alteri, declaratur. D. In ornamento ipso aliqua est differentia? M. Est. Nam aliqua in sex diebus ornata sunt: vt cœlum, Luminaribus; & terra, C herbis, & piscibus, mare. Quædam donec Mundus viuit, ornantur; vt mare nauigijs, & terra ædificijs & cæteris quæ humano construuntur ingenio; & homo ipse, scientia: Quædam verò decorem suum in futuro recipient; vt corpus incorruptionem, & mortalia immortalitatem; & cæleste regnum, habitationem Sanctorum. Notandum autem in ornamẽtis, quòd eorum quæ vel ingenio vel artibus fiunt, in hominibus causa est; reliquorum verò in Deo. D. Da quartam differentiam. M. Quòd Quædam simul & velut subitò creata emerserunt: vt ea quæ primis diebus diximus facta; id est, herbas, Luminaria, natantia, & volatilia, necnon terrena animalia & quadrupedia. Quædam verò non simul, sed velut cum quadam mora; vt mare, terra, homo: Et ipse enim paulatim factus scribitur, sicut & cætera. D. Da D quintam creaturarum differentiam. M. Quòd quædam earum, ratione cæteris præsunt; vt rationalia: quædam verò vsui habentur, vt cœlestia luminaria: quædam, naturæ necessitate obsequuntur; vt aues & quadrupedes, & similia. D. Da sextam differentiam. M. Quòd ea quæ cæteris præsunt; id est, rationalia, voluntate ac ratione mouentur: quæ verò vsu aut necessitate obsequuntur, natura mouentur. D. Ea quæ ex aliquo facta sunt, quot materias habuerunt? M. Sex: Terram, aquas, aërem, ignem, lumen, costam. (*Rerum Creatarum multiplex materia.*) D. Da in singulis origines suas. M. Ex terra; virentia, plantaria, & animalia: aquis; firmamentum, mare, natantia, ac volatilia: simul autem ex terra, aquis, igne, & aëre; omnia quæ per successiones renouantur: ex lumine, Luminaria: ex costa, Eua. D. E Ignis quomodò probatur factus, aut vnde, vel quando? (*De ignis creatione.*) M. Factum quidem & ex generali Scriptura possumus adprobare, cùm dicitur de Deo; *Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*: (*Ps. 145.*) quia vtique etiam ignis in eis est: Ex speciali professione; *Laudate Dominum de terra, dracones, abyssi, ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum*; (*Ps. 148.*) de quibus antè dixerat; *Quoniam ipse dixit, & facta sunt.* Et rursus, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; & subiunxit; *Benedicite ignis & æstus Domino.* (*Dan. 3.*) Vtrum verò ex nihilo, sicut & alia, factus sit; an ex aliquo, dubitatur. Plures enim volunt cœlestium Luminarium esse particulam; quippe enim nunc frequenter videmus homines certo modo ignem ex Solis radijs mutuari: Quòd si ita est; primo die factus est. Sed sapientiùs hoc Scriptura lumen quàm ignem (*Sitne ignis, particula cœlestium luminarium.*)

vocauit; vt ex meliore vsu nomen acciperet. D. Da se- A ptimam creaturarum differentiam. M. Quòd omnia quę ex aliquo facta sunt, vel ex quibus aliqua facta sunt, corporea sunt: Incorporea autem neq; ipsa ex aliquo, neque ex ipsis facta sunt aliqua. Hæc verò incorporea accipienda sunt, non sicut Deus incorporeus dicitur: Eius enim comparatione nihil incorporeum est; sicut nec immortale, nec inuisibile. Alius enim modus est, quo hæc verba soli diuinitati conueniunt; alius quo de
Genes. 1. creaturis loquitur, sicut Animab⁹ vel Angelis. D. Quomodò sex diebus Deus dicitur operatus esse, & septimo die requieuisse; si nec faciens aliquid laborat, vt necessaria ei requies credatur, nec aliquando cessat, Domino, in Euangelio, dicente: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor?* M. Septimo die requieuisse dicitur B
Ioh. 5. Deus, non à creando: quippe cùm quotidie ex eius dispensatione ac prouidentia omnis creatura renouetur aut constet: Sed hoc significatum est, quòd post illos sex dies, nullam Mundo incognitam substãtialem speciem aut naturam, nouam inexpertámq; creauerit. D. Quomodò Deus Mundum fecerit, possumus quærere? M. Hoc temerariè magis, quàm cautè requiritur. Nullius enim diuinæ creaturæ modum, homini licet agnoscere: Nam si sciret quis, quomodò ex nihilo aliqua facta sunt; Creatori vtique scientia ac potentia par esset.

De his quæ ad gubernationem Mundi pertinent.
Caput III.

D. Quoniam de creatione Mundi tractatum est, competenter, restat vt quæramus; gubernatio eius quot C modis significatur? M. Duobus: Aut enim generalis est, aut specialis. D. Quæ est generalis? M. Per quam ea quæ facta sunt, secundùm modum quo facta sunt
Gen. 1. permanent; quod significatur, cùm dictum est, *Vidit Deus quia bonum;* Et; *quia bona valdè, & benedixit ea.* Quod
Psal. 32. & beatus Dauid ostendit dicens; *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt, Statuit ea in æternum & in seculum seculi, præceptum posuit & non præteribit.* D. Quæ est gubernatio specialis? M. Per quam, singula; & maximè, rationabilia gubernantur à Deo, sicut præceptum
Genes. 2. in Paradiso, de Ligno. Sicut enim omnes creaturas diuina continet virtus, vt maneant; ita etiam rationales diuersis occasionibus erudit, vt proficiant.

Quot modis fiat generalis gubernatio. Caput IIII.

D. Generalis gubernatio in quot species diuiditur? D M. In duas: Aut enim successione constat, aut statu. Successione; vt homines vel iumenta cæteráque quæ morte vel corruptione pereuntia, renascentium similitudine renouantur. Statu autem; vt ea quæ his passionibus non subiacentia, mundanis motibus obsequuntur; vt cœlum, Sol, stellæ; & cætera. D. Quæ in eis alia differẽtia est? M. Quòd ea quæ renouatione soluuntur, indigent etiam quibusdam remedijs, alimentis & pluuijs; nonnunquàm & ministerijs Angelorum, cæterisque similibus. Ea verò quæ non per successionem subsistũt; sine aliqua tali meditatione diuinitùs gubernantur. Vtrum verò, & in ipsis, per Angelorum ministerium aliquid agatur, secreta & difficilis quæstio est.
Difficilis est quæstio an ministerio Angelorũ in rebus creatis aliquid agatur.

Quibus modis fiat gubernatio specialis.
Caput V.

D. Specialis gubernatio quot modis fit? M. Tribus. Aut enim à Deo fit, pro Angelis & hominibus: aut ab Angelis propter seipsos & homines: aut ab hominibus, propter se. D. A Deo pro Angelis & hominibus quomodò fit? M. Per Legislationem.

De Legislatione, & differentijs eius. Caput VI.

D. Legislatio in quot partes diuiditur? M. In duas: in naturalem discretionem, & in legem extrinsecùs positam. D. Proba naturalem discretionem, Legem dici.
Rom. 2. M. Dicit Apostolus; *Quia gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ Legis sunt faciunt; hi Legem non habentes, ipsi sibi sunt*
Gen. 4. *lex:* secundùm hanc, & Cain reus erat fratris sui occisi.

D. Extrinsecùs constituta Lex, in quot partes diuiditur? M. In duas: in opera; id est, actuum retributionem; & verba.

De Lege per opera. Caput VII.

D. In opere per quot modos? M. Per quatuor. Aut per generalem præsentẽ retributionem; vt est fructuum rerúmque prouentus: Aut per specialem præsentem Gen. 13. a
retributionem; vt est, Abraham in peregrinatione ditatus, vel Noë saluatus in diluuio: Aut per generalem Gen. 8.
visibilem pœnam; vt est, fames generalis seu siccitas: Gen. 3.
Aut per specialem; vt Cain vel Saül pœna. Hæc enim 1. Reg. 31.
omnia, ad modum Legis, Angelos atque homines erudiunt; quippe & Angelos, diaboli ruina perterruit atque firmauit: licet credendum sit alio modo Angelos, alio homines erudiri. *Angeli dæmonum ruina territi & firmati.* D. Quæ est totius Legislationis intentio, & in quo consistit? M. In discretione boni ac mali: quæ vel in doctrina; id est, fide; vel in actibus agnoscuntur. D. Quare pœnas & retributiones præsentes diximus? M. Quia ipsa sunt quæ ad vicem Legis erudiunt. Nam futura & æterna nec patientibus nec videntibus proderunt, vbi iam pœnitentiæ non erit tempus. D. Hæc gubernatio, per quos ministros in Scripturis legitur facta? M. Nonnunquam Deus per seipsum; vt Adæ præcepit ne tangeret lignum: nõnunquam per Angelos, testante Apostolo; *Quia si per Angelos locutus sermo factus est firmus:* Et rursum primogenita Gen. 2. / Hebr. 2. a
Ægypti, Angeli manu dicuntur extincta. Aut per homines, sicut Prophetas. Aut per bestias, sicut per Serpentes in eremo; atque similia, Et per hæc enim, velut quandam substantialem ac materialem Legem, à malis prohibent propter quæ ingeruntur; & ad bona propter quorum retributionem ortatur, impellunt. Exod. 12. a / Num. 21. b

De Lege per verba. Caput VIII.

D. Lex in verbis constituta, in quot partes diuiditur? M. In duas. Aut enim immutabile aliquid præcipitur, aut temporale. D. Quot sunt immutabilium genera? M. Duo: dilectio Dei & dilectio Proximi. D. Temporalia præcepta in quot partes diuidũtur? M. In duas. Aut enim diu seruata sunt, vt Circuncisio; aut paruo tempore, vt Mannæ perceptio. D. Quæ alia est Legum differentia? M. Quæ aut aliquid præcipiunt, vt, *Honora patrem tuum:* Aut aliquid vetant; vt *Non occides, non mæchaberis.* D. Da tertiam differentiam. M. Quòd alia sunt Exod. 20. b
per se vtilia; alia propter illa, necessaria. D. Quæ sunt per se vtilia? M. Dei, proximiq; dilectio. D. Quæ sunt, propter alia, necessaria? M. Vt; *Non occides:* Homicidio enim, dilectio fratris expellitur: & obseruatio Sabbati; In eius enim obseruatione, commemoratio est quietis Dei ab operatione creaturarum: In qua celebritate, Dei vt conditoris, dilectio significabatur. D. Da quartam differentiam. M. Quòd quædam præcepta velut corporalia erant; vt de animalibus mundis & immundis, ac lepra, & similibus. Quædam spiritalia; vt, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* D. Da quintam differentiam. Leuit. 19. d
M. Quòd quædam sunt Veteris Testamenti specialiter præcepta; vt de Iubileo: Quædam specialiter, Noui; vt, *Sic orabitis, Pater noster qui es in cœlis.* Quædam vtriusque E Math. 6. b
communia; vt, *Diliges Dominum Deum tuum.* D. Da sextam differentiam. M. Quòd aliqua præcepta, sicut sonant, intelliguntur; vt est, *Non mæchaberis:* Aliqua autẽ sonant Math. 5. g
sicut res est; *Cùm feceris eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextera tua.* D. Da septimam differentiam. M. Quòd Math. 6. a
aliquorum transgressio præceptorum, pœna punitur; vt est, *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* Aliquorum pœna non habetur; vt, Panem sacerdotalem comedi ab eo qui sacerdos non erat: Aliorum verò etiam laudabilis transgressio est; vt est, *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Lex enim Leuit. 24. d / Psal. 7. b
tunc iubebat, malis mala restitui. Inuenitur ergo contemptus Legis esse laudabilis. D. Da octauam differentiam. M. Quòd aliqua præcepta ad fidem pertinent, aliqua ad mores: quorum subdiuisio admodum prolixa cognoscitur.
Cum è ista lege; nam lex non iubebat primatim mala mala restitui; sed tantum

dicè, aucto-ritate publica, me hoiun trasgressio bona.

De Angelica gubernatione. Caput IX.

De Angelorum propter seipsos & homines gubernatione, quomodò fit? M. Palam quidem in Scriptura non legitur: tamen cùm in ea dicantur esse Angelorum gradus & ordines, atque discursus propter humanam vitam; vt pro Tobia & Daniele, & alijs, sine dubio significantur quòd iniuncta sibi in Mundo negotia gubernant: quibus, & sibi consulunt dùm obediunt Creatori; & hominibus, dùm eorum dispensationi prospiciunt.

De humana gubernatione per homines. Caput X.

D. Hominum propter seipsos gubernatio, quotmodis fit? M. Tribus. Aut enim pro republica, quis hominum satagit; vt rex: Aut pro domo; vt paterfamiliâs: Aut pro seipso; vt quilibet monachus vel egenus. B D. Nullis alijs creaturis conuenit gubernatio? M. Omnibus quidem conuenit; cunctis enim secundùm suam naturam, velut prudentiam quandam Creator inclusit,

Matth. 23.

sicut legitur; *Volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos*; & similia. Sed neque intentio Scripturæ est de irrationabilibus subtiliter edocere; neque in ea proficientium, est desiderium in his quærendis tempus atterere.

De accidentibus naturæ. Caput XI.

D. Quoniam de gubernatione Mundi satis dictum est; quæ sunt naturis accidentia? M. Diuinæ quidem Naturæ nihil accidit: Cùm enim sit incôprehensibilis, & semper eodem modo se habens; nô recipit accidentium diuersitatem. D. Quæ certè accidunt creaturis? C M. Stare; vt terræ, secundùm Scripturam: Moueri; vt Cœlo, & igni & aquis, cæterisq; enascentibus. Deinde tempus, locus, numerus: Omnia enim & aliquando cœperunt, & alicubi sunt, & vnum vel plura. Item accidunt, generari, corrumpi, sanitas, ægritudo, forma, positio, artium disciplinarúmque capacitas. Item crescere, nutriri, sentire, viuere, mori, inter se differre, & esse contraria. Insuper ordo, consequutio, cohærentia, hisque similia atque contraria; nec tamen singulis, vniuersa.

De accidentibus voluntatis. Caput XII.

D. Quoniam satis dictum est de accidentibus naturarum; dicendum nunc de accidentibus voluntatis: Quid

Volũtatis definitio.

est voluntas? M. Vis animi inuiolata siue spontanea, D secundùm quam diuersæ atque contrariæ cogitationes efficiuntur, & opera. Naturalis est in nobis boni maliq; communis discretio; spontaneus autem motus in his quæ iam discreta & sequenda sunt. Ipsum lex quidem erudit; gratia autem præparat, adiuuat, corroborat, coronat.

De consequentibus euentum voluntatis.
Caput XIII.

D. Quæ sunt consequentia voluntatis euentus? M. Quatuor. Quædã enim in hac vita, aut bona bonis.

Gen. 13.
Gen. 3.
Luc. 16.

& mala malis eueniunt; vt Abrahæ prosperitas, & Cain pœna. Aut contra; bona malis, & mala bonis: vt Diues qui in Euangelio vsque ad mortem fœlix describitur; è contrà Lazarus vlceribus atque egestate torquetur. Aut certè neque his, neque illis vtralibet retributio; vt pro

Gen. 50.
Exod. 18.

Ioseph vẽdito, nulla vltio fratribus irrogatur. Nec socer Moysi pro regendo populo consilium dans; licet laudetur, à Deo; aliqua mercede donatur. D. Quas huius diuersitatis dicimus causas? M. Aliquibus hîc congrua rependuntur, ne Mundus non putetur prouidentia diuina regi, sed casibus; simul vt & bonos bonorum copia consoletur, & malos similium pœna deterreat. At verò malis fœlicitas permittitur, vt boni probentur & discant ea contemnere quæ vident indignis secum esse communia: bonis autem æquè accidunt mala. Aut vtrique generi nulla hîc compensationis imago conceditur; vt alibi, & iudicium & plenam pro actibus retributionem, certissimè possimus cognoscere. D. Da quartũ modũ. M. Cum ij neque mali aliquid per se, neque boni gesserunt; bona participant aut mala, vt infantes: aut for-

A sitan neutra, vt sunt abortiui; de quorum & statu, & merito, causa subtilis, dubiusque tractatus est.

De Abortiuorum merito, dubius est tractatus.

De his quæ ad futurum seculum pertinent.
Caput XIIII.

D. Quoniam omnes regularum partes de præsenti sæculo compleuimus; quæ ad futurum credimus pertinere? M. Quatuor quidem. Aut enim acceptatio est siue vocatio, aut figura, aut prædictio, aut effectus vel exitus prædictorum.

De acceptationibus. Caput XV.

D. Quam vocamus acceptationem siue vocationem? M. Eam scilicet, qua Deus quosdam homines vel populos, specialis gratiæ beneficio sibi côciliare dignatur, plusque circa eos quàm circa cæteros homines, diuinæ B indulgẽtiæ, & quasi familiares fauores ostẽdit. D. Quos sunt acceptationes? M. Decem. D. Da ordinem acceptationum. M. Prima est beati Abrahæ; secunda, Isaac; tertia, Iacob & ex eo natorũ duodecim Patriarcharum; quarta, Tribus Iuda; quinta, totius populi in Ægypto; sexta, sancti Dauid; septima, domus ipsius Dauid, & per ipsam totius Tribus Iuda: octaua, reditus populi ex captiuitate; nona, Domini nostri Iesu Christi secundùm carnem; quam sibi vniens Dei filius ex genere Dauid, & per eum ex Abraham, atque ex Adam, omnium nostrum saluti remissionique prospexit: Decima, omnium gentium per dispensationem incarnationis ipsius Dei & Saluatoris nostri. D. Quid ergo? Iusti & Deo placentes ante Abraham homines non fuerunt? M. Fuerunt

Genes. 6.

C quidem: Quippe cum *filij Dei* appellati sint qui ex Seth fuerant progenerati; & Enoch translatus sit; & Noë pereuntis Mundi renouator effectus; & Melchisedech, summi Sacerdotis exemplum. Sed in istis non diuina acceptatio, id est, specialis illa familiaritas & fauor, ostẽditur: sed ipsorũ iustitia declaratur. Ad Abraham verò Dei frequens allocutio & quasi conuictus, ac per singula dispensatio; probationis promissa præmia, in posteros recordatio, vim mirã diuinæ acceptationis ostendunt. Similiter & circa cæteros supradictos, peculiaris quidã diuinitatis fauor, & quasi per singulos vitæ actus palàm dispẽsata gubernatio, præcipuum gratiæ declarat auxilium. D. Quare hæc ad futurum seculum dicimus

Genes. 4.

D pertinere, cum in præsenti gesta sint? M. Quia vnaquæque res, ex effectu perspicitur; & eadem est facti causa, atque facientis intentio. D. Proba harum acceptationum causas ad futura respicere. M. Gentium fides pro spe vitæ æternæ, religionem sequitur Christianam. Nam Christus ipse Dominus toto doctrinæ suæ remedio actuúmque miraculis, necnon Resurrectione atque Ascensione; futuram vitam docuit, promisit, adprobauit, indulsit. Iam cæteras acceptationes, quis pro Domino, Sacramentisque ignorat effectas? Ipsi; Abraham, Isaac, Iacob, promittitur salutem Gentibus collaturus.

Tribus Iuda, quæ prima & vltima transmigrauerit.

Propter eum, Abrahæ semen à cæteris Gentibus segregatur: & propter ipsum, Iudæ Tribus & benedictione præcellit & in captiuitatem vltima ducitur, & prima saluatur; quia ex ipsa Dominus carnem sumpsisse digna- E tus est, adeò vt ex illa Iudæi fuerint nuncupati. Ipse, Dauid domuique eius ac Tribui repromittitur, in perpetuum de eius semine regnaturus. Igitur si fides Gentium, pro vita futura, Christi incarnatio, pro fide Gentium fuit facta: omnes acceptationum series ad futurum seculum pertinere ex ipsa intentione colligitur. Hæc autem omnia, etiam noui ac Veteris Testamenti testimonijs facilè comprobantur, cùm vbique dispersa sint.

De typis. Caput XVI.

D. Quid est typus? M. Quam nos figuram dicimus, siue formam; sicut dicit Apostolus, *Omnia enim in figura contingebant illis*: & iterum; *Adam qui est forma futuri.* Nec enim abs re est, vnum aliquid multis significari vocabulis. D. Quid est ergo typus, siue figura? M. Præsentium, aut præteritarum, aut futurarum rerum ignotarum; per

1 Cor. 10.
Rom. 5.

opera (secundùm id quod opera sunt) manifestatio. D. Da præteritorũ typos. M. Vt est Cathecumenorum humilitas: Typum enim gerunt Adæ Paradiso exclusi; & ex conscientia delictorum, diuinum metuentis aspectum: propter quod, & per publicum capitibus tectis incedunt. D. Da in præsentibus. M. Vt Aaron vestis, qua duodecim Tribuum nomina lapidibus insita gestabat; ostendens, se, quodammodo pro omni populo supplicare. D. Da, de futuris. M. In his nulla est difficultas: tamen ex superfluo; vt in duobus filijs Isaac, duo Testamenta monstrata sunt. D. Quoniam & de prophetica similem pœnè definitionem diximus, quid interest? M. Quod in prophetia, verbis (secundùm hoc quod verba sunt) futura significantur: typis autem, res declarantur. Ex rebus possunt tamen hæc duo, & ita definitione misceri; vt dicamus quia prophetica est typus in verbis, secundum id quod verba sunt; & contra, typus prophetia est de rebus, inquantum res esse noscuntur.

Cathecumenorum humilitas. *Galat. 4.*

De differentijs typorum. Caput XVI.

D. Quot sunt typorum vel figurarum modi? M. Principaliter quatuor. Aut enim grata gratis significantur, aut mœsta mœstis; aut grata mœstis, aut gratis mœsta. D. Da exempla per singulos modos. M. Grata quidem gratis significantur, vt Domini secũdùm carnem resurrectio & in cœlis habitatio, formæ nostræ resurrectionis, & futuræ iustis in cœlo habitationis indicium; sicut dicit Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mœsta verò mœstis præfigurantur: vt diaboli Angelorúmque eius deiectio, & futuræ pœnæ repromissio; figura est eorum qui pro similitudine operum, pœnis similibus detruduntur: sicut & beatus Petrus eadem forma ad deterrendos vtitur peccatores, dicens de Deo: *Quia & Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis tradidit eos.* Tertius modus est, cùm mœstis grata significantur; vt Adæ transgressio, typus fuit iustitiæ Saluatoris nostri, sicut beatus Apostolus docet: *Quia sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, sic etiam per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi, Regnauit enim mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem transgressionis Adæ, qui est forma futuri*; id est, typus. In Græco enim, *typus*, specialiter legitur. Secundi ergo Adam; id est, Christi; Gratia, forma vel typus fuit transgressionis Adæ per contrarium; scilicet figurata. Quartus modus est, cùm gratis mœsta figurãtur; vt baptisma: etenim figura est mortis Domini nostri Iesu Christi, sicut dicit Apostolus; *quotquot enim baptizati estis, in morte Iesu Christi baptizati estis.* Quid enim aut baptismate gratius, vbi à peccato purgamur, & quo filij Dei efficimur; aut morte mœstius, ad quam ipse quoque qui eam fuerat sponte sumpturus, tamen mœstus accessit? D. Quæ alia typis accidunt? M. Temporum differentia. Nam quædã ante Legem sunt; vt Abel à fratre occisus Christi passionem præfigurabat: Et Noë arca, Ecclesiam; & cætera similia. Quædam verò sub Lege; vt ipsius Moysi mors, & Iesu gloria. Quædam sub gratia; vt baptizatorũ indumenta, & sacerdotum vestes, & Dominici corporis participatio, & singula alia: quæ omnia typis monstrare; non ad regularum doctrinam, sed ad expositionem textus pertinet. D. Qua ratione figuras siue typos, ad futurum seculum dicimus pertinere? M. Quia veteris Testamenti figuræ, ad Nouum, intentione respiciunt: Nouum autem, futuræ vitæ beatitudinem repromittit; & sic omnia ad futuri sæculi spem ex ipsa intentione currunt.

Colos. 3. *1. Petr. 2.* *Rom. 5 d* *Rom. 6 a* *Math. 26.* *Genes. 4.* *Genes. 7.*

De prædictionibus. Caput XVII.

D. Quoniam typorum regulam diximus; de prædictione videamus. Quid est prædictio? M. Futurarum, incertarum rerum, verbis (inquantùm verba sunt) manifestatio. D. Quæ accidunt prædictionibus? M. Principaliter tria: Quòd quædam ante Legem fuerunt, A quædam sub Lege, quædam sub gratia.

De prædictionibus ante Legem, quot modis factæ sunt?
Cap. XIX.

D. Ante Legem prædictiones quot modis factæ sunt? M. Quinque. Aut de generalitate communiter; vt est, *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:* Et rursus; *Maledicta terra in operibus tuis.* Hoc enim, per vnum, omni humano generi prædictum esse cognoscitur. Aut ex parte vel medio, vt est; *Multiplicabo dolores tuos:* Et; *In dolore paries filios:* Et; *Conuersio tua ad virum tuum, & ipse tibi dominabitur.* Hoc enim non omni humano generi, sed omnibus tantùm fœminis dictum est. Aut singulariter; vt est; *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, quia ipsa est mater omnium viuentium.* Aut pro initio veteris Testamenti; vt est, *Maledictus Canaam, B seruus erit fratribus suis.* Aut pro nouo Testamento principaliter: Nam cùm dicit; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Venite, descendamus, confundamus linguas eorum:* pluralis numerus, Trinitatis indicium est, qui nouo Testamento apertiùs prædicatur. Et cùm dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra*; passio Domini nostri Iesu Christi prædicitur, Apostolo teste in Epistola ad Hebræos; Quia conspersio sanguinis Christi plus potuit ad Dominum clamare pro nobis, quàm Abel sanguis clamauerat contra fratrem.

Math. 19. *Gen. 3 c* *Gen. 3.* *Gen. 3.* *Gen. 9.* *Gen. 1.* *Gen. 11.* *Gen. 4 b*

Quot modis sub lege prædictiones factæ sunt.
Cap. XX.

D. Sub Lege, prædictiones quot modis factæ sunt? M. Duobus. Aut pro his rebus quę sub Lege factæ sunt, C aut pro his quæ sub gratia.

Pro rebus sub Lege factis, quot sunt prædictiones.
Cap. XXI.

D. Pro rebus quæ sub Lege factæ sunt, quot prædictionum species inuenimus? M. Ferè viginti duas. Aut enim augmẽtum populi prædicitur; vt est ad Abraham, *Et erit in gentem grandem & multam.* Aut hæreditatis promissio; vt est, *Semini tuo dabo terram hanc.* Aut segregatio indignorum; vt est, *Ejice ancillam hanc & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Aut vindicta in aduersarios populi, & merces in amicos, vt est, *Benedicã benedicentibus te & maledicam maledicentibus te.* Aut liberatio populi ab inimicis; vt est, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & exiens inde cum præparatione magna*; & cætera. Aut aliquorum generationes & nomina; vt Isaac D & Samson. Aut sublimitas posterorum; vt, *Reges ex te exient.* Aut motus exitus; vt est, *Tu autem ibis ad patres tuos cum pace nutritus in senectute bona.* Aut differentia populorum; vt est, *Populus populum præcedet & maior seruiet minori.* Aut abundantia est; vt est, *Dabit tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ plenitudinẽ frumenti & vini.* Aut diuinum auxilium; vt est, *Ecce ego tecum sum custodiens in omni via.* Aut sacerdotij vel doctrinæ electio; vt est, *Diuidam eos in Iacob, & dispergã eos in Israël.* Aut fortitudo & hæreditatis immutabilitas; vt est, *Catulus leonis Iuda, ex radice filij mei ascendisti, recumbens dormisti sicut leo, & sicut catulus leonis; quis excitauit eum?* Aut propositum vitæ; vt, *Zabulon peregrinus inhabitauit, & ipse portus nautum, & sciens requiem, quia bona est*, & cætera. Aut transgressio; vt dicit, *Scio enim quia in E fine transitus mei iniquitatem agetis, & declinabitis à via quam mandaui vobis.* Aut supplicium; vt est, *Quia occurrent vobis mala in fine dierum.* Aut generalis expulsio; vt dicitur. *Quia ipsi æmulati sunt me in dijs & exacerbauerunt me in Idolis suis, & ego æmulabor eos in non gentem, in gentem insipientem tradam eos.* Aut virtutis effectum atque mercedem, vt est, *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in mõte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*; & cætera. Aut species pœnæ; vt est: *Venit Gad ad Dauid & adnũtiauit ei dicens, Elige tibi fieri aut tribus annis famem super terram, aut tres menses fugere à facie inimicorum tuorum persequentium te, aut tribus diebus fieri mortalitatem in terra tua.* Aut signa; vt est, *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus regem super hæreditatem suam*; & reliqua. Aut electio Prophetiæ; vt est,

Gen. 12. b *Gen. 21. a* *Gal. 4. a* *Gen. 12. a* *Gen. 15. c* *Gen. 17.* *Iudic. 13.* *Gen. 15.* *Gen. 25. c* *Gen. 27. d* *Gen. 28.* *Gen. 49. a* *Gen. 49. b* *Deut. 31.* *Deut. 32.* *Psal. 14.* *2. Reg. 24.*

vt est, *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* D. Da prædictiones de Gentibus pro populo. M. Vt est; *Manus eius super omnes, & manus omnium super eum:* Et; *Surgite & exite ex loco hoc quia conteret Dominus ciuitatem.* Visiones quoque Nabuchodonosor, & Pharaonis, aliorúmq; regum vel gentium per Prophetas dictæ; generales quidem causas referunt, ad populum tamen spectat intentio, pro cuius vltione singula prouenerunt.

De prædictionibus sub Lege in Christo.

Cap. XXII.

D. Quot sunt modi prædictionũ in Christo? M. Ferè viginti sex. Aut de mirabilibus eius conceptu & nomine; vt est, *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Aut de loco natiuitatis, vt est, *Et tu Bethlehem ciuitas Iuda, nullo modo minores in ciuitatibus Iuda, ex te enim prodiet dux qui reget populũ meum Israel.* Aut pro his quæ in rudimentis gessit; vt est, *Priusquam sciat Puer cognoscere malum, & eligere bonum.* Aut de iustitia eius atque iudicio; vt est, *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Aut de diuinitate eius; vt est, *Generationem eius quis enarrabit?* Aut de visitatione adsumptionis humanæ; vt est, *Quid est homo nisi quod memor es eius, aut filius hominis nisi quia visitasti eum?* Aut pro vnitate deitatis & carnis; vt est, *Puer natus est nobis:* & postmodùm addidit; *Deus fortis.* Aut de potentia eius & regno; vt est, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Aut de inimicorum confractione; vt est, *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Aut de eius doctrina; vt est, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Aut de eius doctrinæ vtilitate; vt est, *Propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam.* Aut pro miraculis; vt est, *Et deducet te mirabiliter dextera tua.* Aut de glorificatione quàm iustè à Fidelibus suscepit; vt est, *propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.* Aut de probatione prædicationis; vt est, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum!* Aut de sacerdotio; vt est, *Tu es sacerdos in æternum.* Aut de iudicio eius atque iustitia; vt est, *In splendoribus sanctorum:* Et rursus, *Iudicabit, implebit ruinas, confringet capita in terra multorum.* Aut de laboribus vitæ eius; vt est, *De Torrente in via bibet.* Aut placidum circa Patrem incarnationis mysterium Scriptura significat; vt est, *Ecce puer meus dilectus mihi, in quo coplacuit anima mea.* Aut † sancti Spiritus infusionem, quam vtique homo ab eo susceptus meruit siue in principio ipsius incarnationis, siue incremento, siue in baptismate, siue in miraculis, siue in doctrina, siue in resurrectione; vt est, *Ponam Spiritum meum super eum.* Et, *Spiritus Domini super me propterea vnxit me,* & reliqua. Aut diligentiam circa discipulos; vt est, *Non dicet, neque clamabit, neque audiet quis in plateis vocem eius.* Aut sessionem eius super iumentum; vt est, *Ne timeas filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum Asinæ.* Aut passiones vel sepulturam causásque eorum; vt dicitur, *Vidimus & non habebat speciẽ neque decorem, sed species eius inhonorabilis, inferior omnibus hominibus:* Et rursus; *Homo in plagis, & sciens ferre humilitatem, quia aduersa facies eius & dehonesta est, & ad nihilum reputatus ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus eum esse in dolore & in plaga & in ærumna, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras & infirmatus est propter peccata nostra.* Aut diuisionem vestimẽtorum eius; vt, *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Aut resurrectionem Domini; vt, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Aut vocationem Filij secundũ adsumptam humilitatem; vt est, *De Ægypto vocaui Filium meum.* Aut diuinitatis eius generationem ante principium; vt est, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Aut secundum eius aduentũ; *Ecce super nubes cæli sicut Filius hominis.* D. Omnes hæ prædictiones de solo Saluatore non intelliguntur? M. Duobus modis hæc solemus accipere. Quædam enim ita in ipsius personam prædicta sunt, vt alijs conuenire non possint: sicut legitur; *Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex femore eius donec veniat cui reposita sunt.* Quædam verò sub alterius personæ occasione dicuntur, ad Christum tamen intellectu respiciunt: *In te, & semine tuo benedicentur omnes Gentes.*

† *Caute lege, nã haud ista cum placitis Theologicis cõsonãt quæ docent Christũ nec sui incarnationem, nec gratiam aut gloriã animæ meruisse, sed gloriã dotionis sui corporis, & nominis sui exaltationẽ, S. Thom. 3 part. q. 19. art 3.*

De prædictionibus ad vocationem Gentium pertinentibus sub Lege. *Cap.* XXIII.

D. Quoniam prædictiones de Christo dictas in veteri Lege probauimus: da eas quæ de Gentium vocatione sunt positæ. M. De vocatione Gentium prædictiones fere decem & septem modis positas accipimus. Aliquando enim acceptionem earum significant, cùm dicitur: *Ego æmulabo eos in non gentem, in gentem insipientem irritabo eos.* Aliquando infirmitates, peccatorum expulsionem, meliorúmque doctrinam, cum dicitur: *Pronunciare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum.* Aliquando gratiam quam acceperant, siue adoptionis, siue miraculorum, cùm dicitur. *Filiæ regum in honore tuo adstitit regina à dextris tuis.* Aliquando etiam admonitionem, vt illud quod sequitur: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiscere populum tuum.* Aliquando glorificationem, quam Christo debemus, cùm dicitur: *Quia ipse est Dominus Deus tuus, adorabis eum.* Aliquãdo beatitudinem & virtutem quam meretur Fidelis, cùm dicitur: *Adducentur Regi virgines post eam.* Aliquando lætitiam in qua sunt, profectum suum videntes, cùm dicitur: *Adducentur cum gaudio & exultatione.* Aliquando sacerdotum & Ecclesiasticam consuetudinem, cùm dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Aliquando Ecclesiæ spiritualẽ ædificationem, cùm dicitur: *Ex gradibus eburneis, ex quibus te delectauerunt.* Aliquando Ecclesiasticam authoritatem, cùm dicitur: *Pones eos principes super omnem terram.* Aliquando plenitudinem Credentium, cùm dicitur: *Replebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat.* Aliquando tolerantium, siue tentationes, siue persecutiones, cùm dicitur: *Donec educat in victoria iudicium,* & in nomine eius Gentes sperabunt. Aliquando inimicorum destructionem, cùm dicitur: *Et inimici eius terrã lingent* Aliquando pacem qua gaudet post persecutiones Ecclesia, cùm dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia, & plenitudo pacis, donec confirmetur Luna.* Aliquando hæreticorum errores, & Heliæ præsentiam, cùm dicitur: *Ecce transmitto vobis Heliam Thesbiten, & reuocabit corda patrum in filios.* Aliquando Fidelium spem, & secundum Saluatoris aduẽtum, cùm dicitur: *Et ipse erit expectatio Gentium.* Aliquando baptismum Ioannis, cùm dicitur: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.*

De speciebus prædictionum, quæ in Gratia factæ sunt.

Cap. XXIIII.

D. Quoniam species prędictionum quæ in Lege sunt, diximus: da eas quæ in Gratia leguntur emissæ. M. Prædictionum, quæ in gratia factæ sunt, species viginti tres inueniũtur. Aut enim generatio & vita Ioannis Baptistæ prædicitur ad patrem eius Zachariam: Vt est omnis locutio illa per Angelum, & prophetia ipsius Zachariæ. Aut Saluatoris conceptus natiuitásque mirabilis; vt est prædictio quam ad sanctam Mariam Angelus dixit. Aut Magorum reuelatio: aut Iudæorum incredulitas atque conuersio, sicut dicitur: *Ecce iste positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & signum contradictionis.* Aut præmium regni cœlestis, sicut est: *Pœnitentiam agite, adpropinquauit.* & reliqua. Aut Gentium vocatio, sicut dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.* Aut Hebræorum exclusio; vt est, quod sequitur: *Filij autem regni huius excludentur in tenebras exteriores.* Aut saluatio per Apostolorum prædicationem, vt cùm dicitur: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Aut miraculorum claritas, vt dicitur: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet & maiora horum faciet.* Aut tentatio persecutióque iustorum, vt dicitur: *Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos,* &c. Aut patientia Fideliũ inter aduersa, vt cùm dicitur de Ecclesia; *Et portæ inferi non præua-*

lebant aduersus eam. Et rursus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* [*Math. 11.*] Aut contéplatio regni cœlestis & secundi aduentus, qua & in hac vita Sanctorũ animæ perfruuntur, vt est: *Veniet enim Filius hominis in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera sua, Dico autem vobis, quia sunt aliqui de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* [*Mat. 9. a*] Aut retributio bonorum seu malorum, vt cùm dicitur: *Et ibunt isti in pœnam æternam, iusti verò in vitam æternam.* [*Math. 25.*] Aut Spiritus sancti præsentia Apostolis data, vt est: *Ego rogabo Patrem meum, & alterum Paracletum mittet vobis: Vt maneat vobiscum in æternũ Spiritum veritatis.* [*Ioan. 14. b*] Aut Ecclesiastica prænunciatur authoritas, sicut dicitur: *Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris in terra erit ligatum & in cœlo.* [*Math. 16.*] Aut mors, passio ac resurrectio Saluatoris, sicut dicitur: *Ex illo cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oportet eum in Hierosolymam ire, & multa sustinere à presbyteris & principibus sacerdotum, & mori, & tertia die resurgere.* [*Luc. 9. c*] Aut generalis resurrectio, vt cùm dicit Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* [*1 Cor. 15. c*] Aut simul, Christi & nostra resurrectio, sicut dicitur: *Cùm ego exaltatus fuero, à terra, omnes traham ad me.* [*Ioan. 12.*] Aut Iudæ proditio, sicut dicit Christus: *Nonne ego vos elegi duodecim, & vnus ex vobis diabolus est?* [*Ioan. 6. g*] Aut modos tentationis & mortis aliquorum discipulorum, sicut Petro Dominus & negationem futuram prædixit, & speciem passionis dicens: *Antequam gallus cantet ter, me negabis:* [*Math. 26. c*] Et; *Cùm senex fueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis.* [*Ioan. 21. c*] Aut præsentia detentorum Christi, cùm dicit: *Surgite, eamus, ecce adpropinquauit qui me tradet.* [*Math. 26. d*] Aut dispersio Apostolorum: sicut; *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* [*Math. 26. e*] Aut pulli asinæ repertio, quem Dominus in Euangelio prædixit, à Discipulis adducendum. Aut Antichristi præsentia, cùm dicitur: *Nemo vos seducat vllo modo, quia nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui contradicit;* &c. [*2. Thess. 2. a*] Aut Heliæ præsentia, cùm dicitur: *Helias veniet primùm.* [*Math. 17. b*] Aut conscientiæ electorum; vt de Paulo: *Vas electionis mihi est iste.* [*Act. 9. c*] Aut aliqui non immutandi, sed gustaturi mortem prædicũtur, sicut Apostolus: *Ecce mysterium dico vobis, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* [*1. Cor. 15. g*] Aut futura pestis, sicut Agabi prophetia; [*Act. 11. d*] aut hæresũm contrarietas, sicut dicitur: *Istud autem agnosce, quia in vltimis diebus exurgent tempora maligna.* [*2. Tim. 4.*] Et rursus: *Quando sana doctrinæ non adquiescent, sed secundùm sua desideria quærent sibi doctores:* Aut baptismatis gratia, vt est: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* [*Math. 3. c*] Aut cõsumptio Ierusalem ac templi Iudaïci; sicut est: Et, *Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato:* Et; *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* [*Math. 24. b*] Aut Euangelij prædicatio, sicut dicitur: *Et prædicabitur Euangelium regni in omni Orbe terrarum, in testimonium omnium gentium, & sic erit finis.* Aut mala finis ipsius vnà cum ipso fine, vt cùm dicitur: *Statim post tribulationem dierum illorum Sol obcæcabitur.* [*Math. 23. b*] D. Quomodò has prædictiones, ad futurum seculum dicimus pertinere? M. Sicut de acceptionibus dicimus: quia ea quæ prædicta sunt ante Legem, intentio eorum fuit ad tempora Legis, aut gratiæ rursus quæ in Lege prædicta sunt, gratiam figurabant; & quæ in gratia, causam & præmium regni cœlestis habuerunt. [*Vtriusque Testamenti scopus.*] Ita colligitur prædictionum omnis intentio, ad futuri sæculi bona respicere.

De effectibus prædictionum. *Cap.* XXV.

D. Quoniam tres iam partes ostendimus eorum quæ ad futurum seculum diximus pertinere; hoc est, acceptationes & figuras & prædictiones: nunc quarta pars restat, vt de effectionibus disseramus. Quid sunt igitur effectus? M. Effectus sunt earum rerum quas acceptionum prospiciebat intentio, aut typorum similitudo figurabat, aut prædictionum scientia præloquebatur.

D. Quot sunt effectuum tempora? M. Tria. Aut enim Legis tempore effecta sunt quæ prædicebãtur; aut nunc sub gratia fiunt; aut seculorum futurorum tempore complenda sunt.

Quæ causa fuerit præsentis seculi faciendi.

Cap. XXVI.

D. Si omnia quæ in præsenti seculo gesta sunt, ad futurum respiciebant; quid opus erat, vt à Deo præsens seculum fieret? M. Quia decuit, vt rationales creaturæ priùs discerent; vt excitarẽtur in dubijs, ac tunc æternis postea fruerentur; & meritò data viderentur probatis, & gratiora fierent reminiscentibus transacta certamina; & plus glorificarent Donatorem qui pios in hoc seculo iuuat: & vt vincerent, & victoribus æterna præmia concederet. [*Cur mundus à Deo fuerit conditus.*]

De doctrina rationalium in hoc seculo.

Cap. XXVII.

D. Quot modis in hoc seculo, Rationalium doctrina peragitur? M. Duobus. Aut intelligentia rerum factarum, sicut dicit Apostolus; *Quia inuisibilia eius à creatura Mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* [*Rom. 1.*] Necesse est enim vt qui Mundum atque omnia in eo posita considerat, modis ordinibúsque distincta; intelligat esse Deum, qui hæc & fecerit & gubernet. Aut ex diuinis Scripturis, quæ (vt diximus) in quatuor species diuiduntur; historicam, Propheticam, Prouerbialem, & simpliciter docentem.

Quæ seruanda sint in Scripturarum intelligentia.

Cap. XXVIII.

D. Quæ sunt, quæ in intellectu diuinarum Scripturarum custodire debemus? M. Vt ea quæ dicuntur, dicenti conueniant; vt à causis pro quibus sunt dicta non discrepent; vt concordent temporibus, locis, ordini, intentioni. D. Quam dicimus diuinæ Doctrinæ intentionem? M. Quam ipse Dominus dixit; *Vt diligamus Dominum ex toto corde & ex tota anima, & proximos tanquam nos ipsos.* [*Deut. 6.*] Doctrinæ autem corruptio est & contrarium; Deum non amare vel Proximum. D. Quæ huius contrarietatis est causa? M. Causa malorum, in ipsis est qui mali sunt; quia dum libero arbitrio atque bene concesso, inordinatè vtuntur rationales creaturæ; & malitiæ, & pœnæ causa sibimet existunt. [*Liberum Arbitrium.*]

Vnde Libri Religionis Catholicæ asseruntur.

Cap. XXIX.

D. Vnde probamus libros religionis nostræ, diuina esse inspiratione conscriptos? M. Ex multis, quorum primum est, ipsius scripturę veritas; deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritásque verborum. Additur conscribentium & & prędicãtium qualitas: quòd diuina, homines; excelsa, viles; infacundi, subtilia, non nisi diuino repleti Spiritu tradidissent. Tum prædicationis virtus, quam dum prædicaretur (licet à paucis despectis) obtinuit. Accedunt his, rectificatio contrariorum, vt Sibyllarum vel Philosophorum; expulsio aduersariorum, vtilitas consequentium, exitus eorum quæ per acceptationes & figuras & prædictiones quæ prædicta sunt ad postremum, miracula iugiter facta donec Scriptura ipsa susciperetur à Gentibus. De qua hoc nunc ad proximum miraculum sufficit, quòd ab omnibus suscepta cognoscitur.

Vbi sit Fides Religionis necessaria. *Cap.* XXX.

D. Si diuinæ Scripturæ, probationibus sufficiunt; quid necessaria est religioni, Fides? M. Fides nostra super rationem quidem est; non tamen temerariè & irrationabiliter assumitur: Ea enim quæ ratio edocet, fides intelligit; Et vbi ratio defecerit, fides præcurrit. Non enim vtcunque audita credimus, sed ea quæ ratio non improbat: Verum quod consequi ad plenum non potest, fideli prudentia confitemur.

ANASTASII EPISCOPI NICENI RESPONSIO AD ORTHODOXORVM ALIQVORVM CHRISTIANORVM INTERROGATIONES *de diuersis capitibus Ecclesiasticis, Gentiano Herueto Aurelio Rhemensi Canonico interprete; ad Illustriß. Principem, Cardinalem à Lotharingia.*

DE HOC ANASTASIO VIDE QVÆ HABET GENTIANVS
Heruetus in Præfatione huius operis: quod primum Parisijs excusum est, & quæ notat Margarinus in indice Auctorum Chronologico ad finem huius 1. Tomi in 7. seculo.



Quodnam est signum, perfecti Christiani? Quæstio 1.

Responsio.

RECTA fides, & pia opera: Christianus enim, est vera domus Christi, constans ex bonis operibus & pijs dogmatibus. Vera ergo fides probatur per opera, quoniam *fides absque operibus est mortua*, sicut etiam opera absque fide. Quamobrem oportet se totis viribus, firmiter & constanter seruare mundos à sordidis operibus, ne, de nobis quoque dicatur; *Deum nosse confitentur, factis autẽ negant.* Dicit itaque Dominus; *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget ipsum, & ad ipsum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Per hoc ergo discimus; quòd per rectam fidem & bona opera ædificatur domus animæ, & sic Deus habitat in nobis. *Inhabitabo*, enim inquit, *in ipsis, & inambulabo.* Et hoc significans dicebat Apostolus; *An non agnoscitis quod Christus habitat in vobis, si non eritis reprobi?* Nescit ergo Diabolus an intus in mente tua Dominus Christus sit, an non. Quando autem te viderit irascentem, aut vociferantem, aut maledictis appetentem, aut iurantem, aut turpia verba loquentem, aut condamnantem, aut odio habentem, aut iniuriam facientem, aut ridentem, aut superbè aut arrogantet te gerentem, & mortis non recordantem, aut valdè te efferentem, aut non assiduè orantem; tunc intelligit non esse in tua anima Deum, qui te custodiat & tui curam gerat. Sic itaque de cætetò tanquam fur ingressus malignus (vtpote quòd in corde non sit diuina lucerna) diripiat ac spoliat domum tuæ animæ, & *fiunt nouissima peiora prioribus.*

Iacob. 2. Tit. 1 Iob 14. Per rectam fidem & bona opera ædificatur domus animæ & Deus habitat in nobis. Leu. 26. 2. Cor. 6. 1. Cor. 3. Quomodo sciat diabolus Dominum non esse. Quomodo sciat diabolus Dominum non esse in mente tua.

Ex Deuteronomij. Cap. 10.

C *Et nunc Israel quod signum Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo ex toto corde tuo & tota anima tua? Qui diligitis Dominum, odite malum; Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.*

Psal 96. Psal. 44. Psal. 5.

Ex Isaia.

Populus hic mihi appropinquat, & labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me. Frustrà autem me colunt, dicit Dominus, *& me de die in diem quærunt, & nosse vias meas quærunt, vt populus qui fecit iustitiam, & qui Dei iudicium non reliquit, dicit Dominus.* Et; *Quando manus ad me extenderitis, auertam oculos meos à vobis: etsi multiplicaueritis preces, non exaudiam vos, manus enim vestræ plena sunt sanguine. Lauamini mundi estote, auferte iniquitates ab animis vestris, discite benè facere, quærite iudicium, Liberate eum cui fit iniuria, ius dicite pupillo, viduæ causam defendite, & venite, & disputemus, dicit Dominus.* *

Isa. 29. Isa. 58. Es. 1.

Abominatio Domino via peruersa; ei autem sunt accepti omnes immaculati in via. Et; *In eleemosyna & fide purgantur peccata, Timore autem Domini quilibet declinat à malo.*

** Ex Salomone. Prou. 15.*

Ex Sirach.

Ne dixeris, Deus me formauit: non opus habet viro peccatore, omnem enim abominationem odio habet Dominus. Et ne dixeris, Miseratio Dei multa, propitia erit magnæ multitudini peccatorum meorum. Apud ipsum enim est misericordia & ira & super peccatores quiescet ira eius: secundùm multam Dei misericordiam,

Eccl. 5. Eccl. 16.

A *sic etiam multa est eius correptio: Virum enim iudicabit secundùm sua opera, & vnusquisque secundùm sua opera inueniet.*

Ex Constitutionum Apostolicarum, Libri 3. Cap. 18.

Qui est ergo baptizatus, sit alienus ab impietate, in operibus peccati non se exercens, Dei amicus, diaboli hostis, hæres Christi, renuncians satanæ & dæmonibus & eorum fraudibus; castus, purus, sanctus, religiosus, Dei filius, orans Patrem tanquàm filius, & dicens; *Pater noster qui es in cælis*, &c. Ne si indignè patrem suum vocet Deum, ipse ei exprobret sicut & primogenitus filius Israël aliquando audiuit, *Filius glorificat patrem & seruus Dominum suum timebit, & si Pater ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus, vbi est timor meus?* Gloria enim patrum, est sanctitas filiorum, & honor Dominorum, est timor seruorum.

Matth. 6. Luc. 11. Mal. 1.

B *Ex Gregorio Niceno ad Olympium monachum.*

Si quis ergo subit nomen Christi, & vita non ostendit quæcunque simul cum hoc nomine considerantur, is nomen ementitur. Neque enim potest fieri vt Dominus non sit iustitia, neque vt Christianus non illius nominis in se ostendat participationem. Nihil nobis prodest si simus vocati Christiani si non etiam sequamur facta. Scriptum est enim; *si Abrahæ filij essetis, opera Abrahæ faceretis.*

Christianus falsò nuncupatus. Io. 8.

Ex Chrysostomo in Psalmum. 140.

Dirigatur, inquit, *oratio mea tanquàm incensum, in conspectu tuo, & leuatio manuum.* Si manus tuæ nullam in se habent rapacitatem, rectè clamas; *Eleuatio manuũ mearum.* Circumspice ergo manus, & vide quales sunt. Et si in se nullam habeant rapacitatem, aut sordes, aut auaritiam, tunc dic confidenter; *Dirigatur oratio mea:* Sed si quid rapuisti, aut fecisti aliquid prohibitum; ne clamaueris, neque manus sustuleris donec à malo cessaris. Nam etsi Deo permittente eas potueris in altum extollere, oratio tua (vt quæ sit polluta) nullo modo ascendit in cœlum. Quinetiam tu eum audi dicentem: *Quando manus tuas ad me extenderis, auertam oculos meos à te: & si multiplicaueris preces, non te exaudiam, dicit Dominus.*

Psal 140. Isa. 1. &

Ex eodem in Euangelium secundùm Matthæum.

Discamus ergo quænam sunt quæ inquinant hominẽ, discamus & fugiamus. In Ecclesia enim apud multos videmus hanc vigere consuetudinem, vt studeant mundis ingredi vestimentis, & curam gerant vt manus & os D lauent, sed vt Deo mundam exhibeant animam, nullam habent rationem. Hæc autem dicit, non vetans lauare manus nec os; sed volens ita lauare vt conuenit: non aqua sola; sed pro aqua, virtutibus. Nam manuum quidem sordes sunt rapina, malorum facinorum perpetratio, carimque in proximum immissio: Oris autem; maledictum, turpis sermo, scurrilitas, risus, contumelia. Si ergo sis tibi conscius quòd nihil eiusmodi feceris nec dixeris, nec eiusmodi sordibus sis inquinatus, accede confidenter: Sin autem eiusmodi innumerabiles suscepisti maculas, cur frustrà laboras; aqua quidem linguam & manus abluens, noxas autem (& eas exitiosas) in eis circumferens? Dic enim mihi. Si stercus & cœnum haberes in manibus, auderésne precari? Minime: Et ta-

men hoc nullam affert noxam; illa autem exitiū & perniciem afferunt: Quomodò ergo in ijs quæ an agas nihil refert, caues ac verêris, in ijs autem quæ sunt prohibita, negligis? Oportet quidem; sed non sordibus inquinatum, neque tanto cœno fœdatum, Quid ergo, inquis, si in eo fuero deprehensus? purga teipsum. Quomodò, & quanam ratione? Lacrymare, ingemisce, da eleemosynam, confitere, reconciliare ei quem affecisti contumelia, & ab ea absterge linguam, ne Deum magis irrites. Si quis enim manus habens plenas stercore, sic supplex tuos prehensaret pedes; non solùm eum non exaudires, sed etiam pede calcatū repelleres: Quemadmodum ergo audes tu ad Deum accedere? Lingua enim, est manus peccantiū; & per eam Dei genua prehensamus. Ne eum ergo polluas, ne tibi dicat; *Si autem multiplicaueris preces, non te exaudiam: In manu enim linguæ est vita & mors.* Et; *Ex sermone tuo iustificaberis, & ex sermone tuo condemnaberis.* Et tu quidem post cōsuetudinem cùm tua vxore, non audes sic orare: post maledicta autem, conuitia, contumelias, & alia mala; priusquàm ritè fueris expurgatus, extēdis manus. Et quemadmodum, dic mihi, non horres vocare nomen illud formidabile & terribile? Nam audiuisti Paulum dicentem; *Volo ergo viros orare in omni loco, tollentes manus sanctas absque ira & disceptatione, similiter etiam mulieres.*

Prov. 18. *Mat. 12. c.* *1. Tim. 2.*

Ex eodem in Euangelium secundùm Ioannem.

Quod enim nihil prosit fides, si vita sit praua ac corrupta, dicit Dominus; *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in cœlis. Multi dicent in illa die, Domine in nomine tuo prophetauimus, & dicam eis: Nescio vos.* Quid enim prodest fides, quando Dominus nos non nouit? Quando ergo Dei non facimus volūtatem, sumus sub laqueo diaboli: Et quomodò passer, etiam si non toto teneatur corpore sed vno solo pede; est in potestate eius qui ipsum illaqueauit: ita nos quoque, etsi non omnino teneamur; sed aut ex fide, aut ex vita; sumus in potestate diaboli. Quo enim quis est superatus, eo etiam redactus fuit in seruitutem.

Matt. 7.

Ex Constitutionibus Apostolicis.

Qui enim fuerunt in peccatis, & non sunt ducti pœnitentia; non solùm non exaudientur orātes; sed etiam Deum irritabunt, suam improbitatem ei reuocantes in memoriam.

Ex Ioanne Climaco.

Qui rectam quidem se dicit habere fidem, eam autem exercet in peccato; similis est personæ quæ non habet oculos: Qui autem fidem non habet, aliqua autem bona fortè facit; est similis ei qui haurit aquam, & eam infundit in dolium perforatum.

Ex Marco Monacho.

Quidam non facientes mandata, existimant se rectè credere: Quidam autem facientes, regnum expectant tanquàm quæ debetur mercedem; ambo autem à regno excidunt.

Cautè lege, aut potius abijce ista: nam peccator fidelis rectè credit, tametsi nō fructuose, id est meritorie, & operibus nostris in gratia factis tanquā merces regnum debetur.

Ex Maximo Monacho in Capitibus Monasticis.

In his tribus Philosophatur Christianus. In mandatis, in dogmatibus, & in fide. Et mandata quidem mentem abducunt à vitiis & animi perturbationibus; Dogmata autem inducunt ad eorum quæ sunt cognitionem; Fides autem ad contemplationem diuinæ Trinitatis.

Philosophia Christiana summa.

Quinam sunt veri adoratores qui Deum adorant in spiritu & veritate? Quæstio. 11.

Ex disceptatione cuiusdam viri, vt cunque dilucidum reddam id quod dictum est. Nam cum accessisset quidam ad quiescentem & in silentio degentem quendam Anachoretam, dixit: Miror Pater, quòd tam constanter pergas esse separatus à sancta Ecclesia, & abstinere à sancta Synaxi. Ille autem dicit: Omnes Synaxes, & publicæ quæ celebrantur Liturgiæ seu Missæ & festa, ideò fiunt (ô homo) vt expurgetur homo à suis peccatis, &

Celebrantur Liturgiæ vt homo purgetur à peccatis. *2. Cor. 6. b. 4.* *2. Cor. 4. 1. b. 14 c.*

A Deus in eo habitet, vt scriptum est; *Inhabitabo in eis & inambulabo:* Et; *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Postquàm ergo homo factus fuerit templum Dei animatum, recedit Deum gestans anima ab omni desiderio Ecclesiarū & Synaxeon & festorum humanorum: intùs enim in se habet Patrem & Filium, Pontificem; & Spiritum, verum ignem: intus, verum Deo sacrificium, spiritum contritum: intus, altare & Propiciatorium peccatorum, spirituales lacrymas: intus, regnum cœlorum. *Regnum enim cœlorum intra vos est:* & de cætero tanquàm spiritualis, spiritualibus oculis spiritualia offert sacrificia: *Deus enim est spiritus; & qui ipsum adorant, eos in spiritu & veritate oportet adorare.* Omnia enim quæ videntur sunt temporalia, vt inquit Paulus, siue sacrificia, siue oblationes. Quæ autem non videntur
B sunt æterna, *quæ oculus non vidit & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt*, qui ijs non patet. Talia sunt quæ Deus nobis præparauit, & reuelauit per suum Spiritum qui habitat in nobis. Nos enim non spiritū Mundi accepimus, sed eum qui est à Deo; vt videamus ea quæ à Deo sunt nobis donata, quæ etiam loquimur. Quæ quidem qui dignus est habitus vt possideret, tanquam deificatus, Dei in ipso habitatione; is de cæterò Deum in se adorat, & Liturgiam seu Missam ei celebrat, videns templum sui corporis esse Dei altare in quo videt habitantem Trinitatis plenitudinem. Sic ergo omnium virtutum maxima est quies ac silentium, vt quæ sunt causa Dei cognitionis, conuenienter ei qui dicit;
C *Vacate & cognoscite quòd ego sum Deus.* Quamobrem ipse Dominus rursus docens modum quietis & silentij, & eius amatori indicans quisnam sit illius fructus, dicit: *Tu autem quando oras, ingredere tuum conclaue, & claude ostium tuum, & ora Patrem tuum in absconditо, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi in aperto.* Vnde etiam dicit Esaias; *Super quem aspiciam, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?*

Hæc & sequentia cautè lege: nam nō satis sana videntur, siquidem gratia Dei non abijcit desiderium ecclesiarū sacrorū cœtuum & festorum cum hæc optima sint & Deo chara, præsertim sacrum, & externum missæ sacrificium. *1. Cor. 2.*

Virtutū maxima est quies. *Psal. 45.* *Matth. 5.* *Verbum Dei quinam habeant.*

Ex Basilio in Esaiam.

Qui virtute quadam ineffabili, visione apprehendunt puram & quæ auelli non potest intelligentiam in ipsis resonantem, habent verbum Dei.

Diadochi ex Asceticis.

Nullus autem omnino venerit ad Dei timorem, nisi fuerit remotus ab omnibus de hac vita solicitudinibus.
D Quando enim mens fuerit in quiete & semota ab omni solicitudine; tunc Dei metus facessit negotium, in multo sensu eam expurgans à terrena crassitudine.

Timor Dei est eorum qui sunt remoti à curis secularibus.

Ex Chrysostomo, de gradibus ascensionum.

Ita etiam fieri potest vt in medias vrbes in tumultibus habitantes, soli simus; quando prauas ac corruptas non eloquimur cogitationes, & quiescimus. Nam qui potest quidem etiam alios corrigere, cum ijs habeat consuetudinem qui sunt accepturi medicinam, & eos reddat meliores. Qui est autem minùs laboriosus, fugiat improbos ne ab illis accipiat exitium. Non est inter pusilla & negligenda rectè facta numerādum, fugere hypocritas & dolosos, & odio habere superbos
E & arrogantes, eósque auersari & abominari, & orare in silentio.

Solus, seu Monachus esse potest qui versatur in medijs vrbibus. *Hier. 15.*

Ex eodem de Chananea.

Sciendum est quòd ad orationem non quærritur locus, sed modus. Ieremias erat in cœno, & Deum attraxit; Daniel erat in lacu leonum, & Deum sibi reddidit propitiū; Tres pueri erant in fornace, & Deum placauerunt; Iob in sterquilinio, & Deum vidit: Moses in mari, & Deus dixit illi, *Quid clamas ad me?* Latro in cruce, & aperuit Paradisum. Ergo tu quoque vbicunque fueris, ora in pura conscientia, & Deus te exaudiet. Ipsius enim *est terra & plenitudo eius*; & in omni loco est eius dominatus. Et Iudæi quidem aliquando Deum inuocabant in Ierusalem; & *notus erat in Iudæa Deus:* Nos autem in omni loco. Impleta est enim vniuersa terra

** Cautè lege nam salubriter ex Apostolica, & diuina traditione præscripta sunt precationibus sacra loca, quamuis priuatim orare in quouis loco quis fructuose possit.* *Dan. 6.* *Iob. 2.* *Luc 23.* *Psal. 75.*

terra cognitione Domini, ſicut multa aqua tegit mare. A loco ergo non vetatur oratio, ſi modò ſit modus conueniens orationi. Dicit enim Dauid, *Laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude, & placebit Deo.*

Ex Nilo ad Agathium.

Pſal. 68. 1. Tim. 2. Oratio non apta eſt omni loco. Propterea in omni loco orare iubet Apoſtolus, *extollentes manus ſanctas*, quoniam omnis locus eſt aptus orationi. Quid enim profuit Iudæis caſtus ſacrorum ſtatus, cùm profanis manibus venirent ad orationem, & purum templum inquinarent fœdis actionibus? Quomodò enim eos qui ſic precantur, etiam ſi accedant ad aquas, magno ſtudio amplectentes Propiciatorum, & ad alas Cherubim manus admouentes, Deus aduerſatur abominans tanquàm impios, dicens: *Isa. 1.* *Si extendatis manus veſtras ad me, auertam oculos meos à vobis, & ſi multiplicetis preces, non exaudiam vos, Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine:* Ita eos admittit qui corde puro inuocant, & ſanctis actionibus; & ex omni loco exaudit eorum orationem, attendens affectioni & non loco, etiamſi aliquid videatur intereſſe. *Act. 10.* Ita cum in ædibus ſuis oraret Cornelius, aduenìens ei dixit Angelus: *Orationes & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt coram Deo*, *Luc. 18.* Quid ergo Cornelio obfuit facta eius in ædibus oratio? Quid autem Phariſæo profuit ſuperbus ſuus in templum acceſſus plenúſque faſtu & arrogantia?

Nicephori Conſtantinopolitani, Ex ijs quæ ſcripſit aduerſus Iconomachos.

Soph. 2. *Apparebit Dominus ſuper ipſos*, ait Sophonias, *& perdet omnes gentium deos terræ, & adorabunt eum quilibet ex loco ſuo.*

Ex Malachia.

Mal. 1. c *Offertur nomini meo, hoſtia pura.* Nam cùm vbique illuceſcat veritas & gratia, non eſt ampliùs locus adorationi, vt circumſcribatur loco, neque vt conſiſtat ex illa veteri & vmbroſa conſtitutione: ſed quomodò per vniuerſam terram exijt ſonus verbi Euangelij: ita etiam extenſus eſt locus glorificationis & adorationis, propterea quòd in omni loco eſt eius dominatus. *Adorationis locus non eſt circūſcriptus.*

Si quis cùm peccaſſet, motus fuit pœnitentia, & rurſus ceciderit in peccatum; nunnam pœnitentiam amiſit & labores, maximè ſi ſit mortuus poſt peccatum?

Quæſt. 3.

Ezech. 18. De his dicit diuinus Ezechiel: *Dùm auerſus fuerit iuſtus à iuſtitia ſua & fecerit iniuſtitiam, ſecundùm iniquitates eius* D *quas fecit non recordabor; in delicto eius quod fecit & in peccato eius quæ peccauit in ipſis morietur.* Et rurſus: *Iuſtitia eius non liberabit ipſum in die qua auerſus fuerit ab iniquitate ſua. Vnumquemque in vijs veſtris iudicabo vos, ô domus Iſraël.* Et Dauid, *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Et Dominus, *Nemo (inquit) mittens manum ad aratrum, & auerſus retrò, eſt aptus regno cælorum.* Eorum itaque ignorantiam & ſtultum laborem inſectans etiam diuinus Apoſtolus dicit: *Adeo ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſumamini? Tam multa paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa.* Et rurſus: *Quæ eſt autem ſocietas luci ad tenebras? Quæ eſt autem conuentio Chriſti cum Belial?*

Lapſus à virtute in peccatum eſt periculoſiſſimus. *Pſal. 124. a* *Luc. 9.* *Gal. 3.* *2. Cor. 6.*

Ex Eſaia.

Iſa. 3. *Væ iniquo, mala ei euenient ſecundùm opera manuum eius.*

Ex Salomone.

Prou. 24. *Septies iuſtus cadet, & reſurget; Impij autem imbecilli erunt in malis.* Et; *Prou. 16. e* *Vir in improbitate ſibi laborat, & ad ſuum vi cogit interitum.* Et; *Qui ſeruat mandata, ſeruat ſuam animam:* Et, *Prou. 18.* *Qui ſuas vias negligit, peribit.* Et, *Quandò venerit impius in profundum malorum, contemnit, ſuperuenit ei infamia & dedecus:* Et; *Prou. 26.* *Væ qui relinquunt vias rectas, vt ambulent in vijs tenebrarū. Væ qui delectantur in malis, & lætantur in mala conuerſatione.* Et; *2. Petr. 2. d* *Sicut canis quando reuerſus fuerit ad ſuum vomitum, & exoſus fuerit ocioſus; ita inſipiens in ſuo vitio, reuerſus ad ſuum peccatum.*

Ex Sirach.

Eccl. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & rurſus tangit eum; quid ſibi profuit in ſuo lauacro? ita homo qui ieiunat in ſuis peccatis, & rurſus in eis ambulat, & ea facit; deprecationem eius quis exaudiet?* Et; A *quid profuit dùm ipſe fuit humiliatus,* & reuertatur *à iuſtitia ad peccatum? Dominus ipſum parabit ad rhomphæam.* Et; *Eccl. 26. d* ſecūdùm multam ſuam miſericordiam iudicabit virum *Eccl. 31. c* ſecundùm opera ſua. Et: *Eccl. 2. a* *Beatus qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere malum, & non fecit.* Et; *Væ cordibus timidis, & manibus diſſolutis, & peccatori qui ingreditur duabus ſemitis.*

Ex Euangelio.

Luc. 11. *Quando immundus Spiritus exierit ab homine, transit per loca arida, quærens requiem, & non inuenit: & dicit, Reuertar ad domum meam ex qua exiui; & cùm venerit, inuenit eam vacantem & ſcopis mundatam. Tunc vadit & aſſumit ſecum alios ſpiritus nequiores; & ingreſſi illic habitant, & fiunt nouiſſima illius hominis peiora prioribus.*

B *Ex Epiſtola Petri.*

2. Pet. 2. *Qui cùm effugerint inquinamenta mundi in agnitione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ijs rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora, deteriora prioribus: Melius enim fuiſſet illis non cognouiſſe viam veritatis, quàm cum cognouerint, retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Et; *Sus lota in volutabro luti.*

Ex Cyrillo Hieroſolymitano in Matthæum.

Nam qui fuerit in profectu bonorum operum, & deinde ad veterem redijt conſuetudinem; non ſolùm priuatus eſt mercede quæ propter illa datur, ſed etiam dignus grauiori cenſetur condēnatione, propterea quòd cùm guſtârit bonum Dei verbum & dignus ſit habitus C cognitione myſteriorum, omnia prodidit, breui inecatus voluptate. *Qui ad veterem peccandi redit conſuetudinem, non ſolùm priuatur mercede, ſed etiam meretur ſupplicium.*

Ex Chryſoſtomo in Ioannem.

Sciendum eſt autē quòd etſi grauiores demus pœnas pro prioribus peccatis, & deinde in eadem rurſus incidetimus; patiemur rurſus grauiora, idque meritò. Qui enim ne ſupplicio quidem factus melior, tanquam nullo ſenſu præditus ad ipſum contendit; ad maiora ducitur ſupplicia.

Eiuſdem ex commentario in Epiſtolam ad Hebræos.

Nam dic mihi: Si enim à longo morbo conualuiſſes, & rurſus te dederis cibis illis qui morbum afferunt; tùm & priorem laborem perdidiſſes, & teipſum magis læſiſſes. Nam ſi mutantur res naturales, multò magis liberum arbitrium.

D *Ex Maximo, in Capitibus quæ ad monaſticam pertinent Exercitationem.*

Non eſt ergo labor iuſti, vanus; nec reprehenſione carent mores peccatoris, cùm in vtriſque facta fuerit mutatio. Qualem enim *te inuenero*, talem *te iudicabo*, inquit Deus. Vbi enim ſunt magni Moſis tot labores? aut quò redijt contradictio quæ circumſcripſit introitum in terram promiſſionis? Vbi autem eſt etiam ingenium & ſapientia Salomonis; & quæ eſt vtilitas magnæ illius prudentiæ, & ea quæ præceſſit Dei intelligentia; cùm ex inſano amore mulierum poſtea ceciderit in inſanum cultum idolorum? Vbi eſt autem etiam Giezi conuerſio ad Eliſeum, qui propter auaritiam ad ſe attraxit lepram? Quid autem Iudæ quoq; profuit tanta Chriſti doctrina, E & tam multa quæ fecit Chriſtus miracula; cùm laqueo poſtea vitam finierit? Quamobrem non is qui rectè incipit & male proſequitur, eſt perfectus; ſed qui rectè reponit ac recondit, is eſt iuſtus apud Deum.

Iuſti, & peccata grauiter puniti. *Num. 20. b* *Deut. 32. g* *3. Reg. 11. b* *4. Reg. 5. g* *Matth. 27. a* *Perfectus eſt non qui incipit, ſed qui rectè recōdit.*

Si quis ceſſauerit à peccato, hoc ne ſufficit ad pœnitentiam?

Quæſtio 4.

Pſal. 36. e Cùm dicat diuina Scriptura, *Declina à malo, & fac bonum;* eſt euidens quòd oportet poſtquam ceſſatum ſit à peccato, oſtendere etiam fructus dignos pœnitentiæ. Dicit enim Apoſtolus: *Rom. 6. a* *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Et rurſus; *Rom. 12.* *Odio habentes malum, adhærentes autem bono.* Deinde oſtendens etiam fructus pœnitentiæ, ſubiungit: *Charitate fraternitatis vos inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe* *Pœnitentiæ fructus quinam ſint.*

gaudentes, in afflictione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ.

Luc. 3. b Hoc est: rapuisti aliena? de cætero, da etiam tua: Scortatus es? castitatem exerce & continentiam: contumelia affecisti, & verberasti? benedic deinceps ijs qui te afficiunt contumelia, & benefac ijs qui te verberant. In delicijs vitam egisti & te inebriasti? sis sobrius & bibe aquam: Vidisti impudicis oculis alienam pulchritudinem? *auerte oculos tuos ne videant vanitatē*, ne rursus ascendat *mors per fenestras tuas*, vt scriptum est. Non enim satis est ad sanitatem telum solummodò eximere, sed etiam vulneri adhibendum est medicamentum.

Psal. 118.

Ier. 9.

Ex Gregorio Theologo in nouam Dominicam.

Peccatorum morbo, cōtrarijs curantur remedijs. Odoratus, te effeminauit? fuge bonos odores: Tactu es emollitus? renuncia læuitati. Auditus aliquid perperam tibi suasit? claude ostium fraudulentis verbis & curiosis. Et paulò post: Heri versatus es in Theatris & te oblectasti spectaculis? hodie ostende te deditum contemplationi: Heri fuisti maledicus & impudens? hodie bonis verbis prosequere; sisque mitis & placidus: Heri fuisti potor vini? hodie sis potor aquæ: Heri molliter ac delicatè cubabas in lectis eburneis, & primis ac præstantissimis vngebaris vnguentis? hodie cuba humi & vigila. Pro eo qui ad risum excitat, sis cogitabundus: pro eo qui ornatur splendidè, indue te pannosa ac vili veste: Pro insolente ac glorioso, exhibe te modestum: Pro eo qui sublime collum erigit; deorsum te inclina.

Si sit senex aut imbecillus, & cum pusilli sit animi non potest esse Monachus, aut facere quæ sunt Monachi: quomodo poterit pœnitentiam agere & saluus esse?

Quæst. 5.

Matth. 11. Cùm dicat Dominus; *Iugum meū est suaue, & onus meum leue*: est perspicuum, quod qui est & senex & impotens, potest eius Legem seruare: Scriptum est enim: *Rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis; Impij autem erunt in eis imbecilli*. Et; *Omnia sunt in conspectu eorum qui intelligunt, & recta ijs qui inueniunt cognitionem*. Et; *Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide*. Neque enim nobis solam omnibus cōstituit charitatem, neque rursus vt recedamus ab omnibus quę sunt in mundo: sed constituit, vt Deum diligamus & Proximum; vt simus humiles, non mentiamur, & simus misericordes; vt oremus, toleremus afflictiones, simus mites & pacifici, vt iniuriæ acceptæ non simus memores, nec desipiamus. Dicit enim Apostolus: *Deposito mendacio, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quòd sumus alter alterius membra: Irascimini & nolite peccare? Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo: Qui furabatur, non furetur, imò verò laboret operans suis manibus quod bonum est, vt possit impertiri ei qui opus habet: Omnis sermo malus ex ore vestro non exeat, sed si quis sit bonus & vtilis ad ædificationem, vt det gratiam audientibus, & ne contristetis Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio & blasphemia tollatur à vobis cum omni vitio: Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Estote ergo imitatores Dei sicut filij dilecti: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaritia ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos, & turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio*. Et rursus: *Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona coram omnibus hominibus; si fieri potest à vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Vides quòd nihil sit constitutum quod sit graue, & quod à nobis non possit fieri. Meritò ergo dicebat Dominus; *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Matth. 11. d.

Osee, 14.

Psal. 32.

Eph. 4. c.

Eph. 5. a

Rom. 12.

Lex Christi, nil constituit quod non possit fieri.

Ex Michæa.

Mich. 6. *Annunciatum est tibi: O homo, quod est bonum quod Dominus Deus tuus quærit à te, quàm vt facias iudicium & iustitiam, & diligas misericordiam, & sis paratus ambulare cum Domino Deo tuo?*

A

Ex Zacharia.

Hæc dicit Dominus Deus omnipotens: Iustum iudicium iudicate; Et misericordiam & miseratione faciat vnusquisque erga proximum suum; Viduam & orphanū & proselytum per potentiam non opprimite; Et malitiam vnusquisque fratris sui in memoriam non reuocate in cordibus vestris, & confidite. Hi sunt sermones quos facietis: Loquimini vnusquisque veritatem ad proximum suum & iudicium iudicate pacificum, & vnusquisque malitiam proximi sui non cogitet in cordibus suis, & falsum iuramentum non diligite quoniam hæc omnia odi; dicit Dominus. Zach. 7. Quæ nam odit Dominus. Zach. 8.

Ex Sirach.

Aspicite ad antiquas generationes, & videte quis credidit Domino, & pudore fuit affectus; aut quis mansit in timore Domini & fuit derelictus; aut quis inuocauit ipsum, & despexit ipsum, propterea quòd est miserator & misericors. Eccl. 2. c

B

Ex Ioanne Chrysostomo in parabolam ficus.

Ficum habebat quispiam in sua vinea (inquit) & *venit quærens in ea fructum, & non inuenit*. Solet Scriptura vocare ficum, animam, quæ tenetur in peccatis; & vineam, Fidelium Ecclesiam. Quoniam ergo in Ecclesia multi viuentes non pro dignitate fidei, non vitis appellantur, sed ficus (vt qui ab ineunte ætate mores non mutauerint) meritò, lenis ac patiens Deus dicit Viticolæ, seu Angelo Ecclesiæ: *Ecce iam tres annos venio quærens fructum in hac ficu, & non inuenio; Exscinde eam, nam cur terram frustra occupat? Illa autē dicit; Domine dimitte eam adhuc hoc anno donec fodero circa eam & iecero fimum*; &c. Tres ergo anni in quibus venit Dominus quærens fructum; sunt tres ætates hominis, pueri, & iuuenis, & senis: Sicut etiam dicit alibi; *Si venerit Dominus in prima vigilia, & secūda, & tertia, & inuenerit sic facientem, beatus ille seruus. Dimitte eam Domine etiam hoc anno*: Hoc significat Dei lenitatem quæ in peccatores extenditur vsque ad extremam senectutem. Multi enim in ipsa senectute compuncti, & per verba diuina conuersi; stercore accepto per tentationes, probra & contumelias (per stercora enim, ea sunt intelligenda) produxerunt fructum virtutis.

Ficus est anima peccatrix

C

Luc. 12.

Ex eodem in sextum Psalmum.

O vir Dei amantissime; sit tibi Scenopegia; id est, festum tabernaculorum, id quod apparet mundi tabernaculum, quod citiùs contrahitur quàm quoduis expansum velum, quæuis sydon, & quoduis peripetasma. Quoniā ergo mundus est Scenopegia, dies festos septē in Scenopegia celebra. Quosnam septem dies? septem tuas ætates per quas ad viuendum ingrederis; Vt peruenias ad diem octauum qui non colitur, qui est futurus quando non ampliùs sacrificium aut latriæ cultus Deo offeretur pro peccatis. Sed dicis: Quid si nō peruenero ad diem septimum senectutis? sed cum possidē discēdo & faciendo; & propositi accipis mercedem propositam *ijs qui sunt vocati secundùm propositum*, vt dicit Apostolus. Primum diem, ætatem infantiæ, vt Baptismate statim illumineris; Nam primo die facta est lux: Secūdum diem, ætatem puritiæ, vt verbis cœlestibus confirmeris; Dic enim secundo factum est firmamentum: Tertium, ætatem adolescentiæ, vt castitate exsicces humorem vitiorum & animi perturbationum; Nam die tertio Deus secreuit aridam ab humida: Quartum, iuuentutis; virtutes quatuor ferens tanquā astra, effectus tanquam luminare in mundo? Quarto enim die facta sunt luminaria: Quintum, virilis & mediæ ac consistentis ætatis, quinque sensuum fræno regens animalia, ne ad peccatū prosiliant; nam die quinto facta sunt animalia: Sextum, nempe ætatem ingrauescentem, tuum qui extitit ab initio motum, ratione tanquàm homo firmum reddens ac stabilem, & fingens lutum corporis, virtutibúsque moderans ac numerosè concinnans; nam die sexto factus est homo: Septimum, ætatem senilem & canescentem, bona vitæ agendæ ratione & pietate quiescens in terra, quando tanquàm albicans arista aut vt frumentum

D

Rom. 8.

E

tum

rum maturum, sepulchrum ingredieris. De cætero expecta diem octauum quo à tabernaculo est exeundum, A & à sepulchro recedendum, & surgendum à mortuis: Dic enim octauo resurrexit Dominus. *Die octauo*, inquit, *est exeundum; Omne opus seruile non facietis in eo.* Cur autem prohibuit Deus die octauo sacrificia & latriæ cultum offerre? Non sunt de cætero sacrificia aut cultus latriæ aut oblationes pro remissione peccatorum, *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Propterea iussit offerre septem diebus Scenopegiæ, vt quandiù vitam degis, in carne tanquàm in tabernaculo offeras sacrificia & hostias, sicut scriptum est; Quandiù viuis, Domino Deo tuo offer oblationes, recordare quod mors non tardabit. Quando ex loculo & sepulchro exibimus tanquàm ex tugurio & tabernaculo, non ampliùs restat de cætero sacrificium pro peccatis, vt dicit Apostolus, B *terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis tormentum deuoraturum eos qui peccauerunt:* & qui bona quidem egerunt, egredientur ad resurrectionem vitæ; qui autem mala fecerunt, ad resurrectionem iudicij.

Leuit. 23.
Sacrificia cur prohibentur offerri die octauo.
Psal. 6.
Heb. 10.

Sitne bonum confiteri peccata viris spiritualibus.

Quæstio 6.

Cur oportet confiteri peccata.

Est bonum & valdè vtile, sed non ijs qui earum rerum sunt imperiti & rudes, ne per rationis expertem commiserationem ac dispensationem, per importunam & à scientia alienam pœnarum seu pœnitentiarum productionem; te reddat aut contẽptorem vt minimè dolentem, aut socordem & dissolutum. Si ergo inueneris hominem spiritualẽ qui possit tibi mederi; citrà pudorem & cum fide, confitere ei tanquàm Domino & non homini. C Cum de anima tua agatur, non te pudeat. Est enim pudor qui inducit peccatũ, & est pudor gloria & gratia. Ne aduersùs tuam animam lædas faciem, nec in tuam ruinam erubescas, nec te pudeat confiteri tua peccata. Dicit enim Ioannes; *Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus vt dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Sed multi ex simplicioribus, pudoris & tenebrarum faciẽtes opera; non solùm ipsi faciũt & in tenebris ambulant, sed & eis qui agunt facilè assentiuntur, eósq; probant & mali argumenti fiunt ministri, & nec ipsi veniunt ad lucem neque illos sinunt venire. De ijs ergo meritò dicebat Dominus: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui clauditis regnum cœlorũ ante homines, Vos autem non intratis, nec alios sinitis intrare: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui circuitis mare & aridã vt vnum faciatis proselytum,* D *& quando factus fuerit facitis ipsum filium gehennæ duplo magis quàm vos: Væ vobis duces cæci.* Nihil enim ita ad supplicium adducit ineuitabile, vt prohibere & procul amandare eorum salutem qui volunt esse salui, & facere multos æmulatores suorum vitiorum. Eorum enim qui obedierunt & eos imitati sunt, interitus fit accessio supplicij, ei qui docuerit. Quod autem ij cum suis peccatis, habent etiam post mortem peccatum consequens animarum quæ læduntur & pereunt ex mala eorum doctrina; audi quid dicat Apostolus: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium; aliquos autem etiã sequuntur.* Qui ergo ea non pronunciant, nec è domo efferunt, ęgrotant ob socordiam; & quod dolorem non accipiant E & Deum non timeant, ideò non exeunt in lucem enunciationis ne arguantur eorum opera: vt dicit rursus Dominus: *Omnis qui malè agit, odit lucem ne manifestentur eius opera quòd facta non sunt in Deo.* Similiter etiã diuinus Apostolus: *Ne communicetis* (inquit) *cum infrugiferis operibus tenebrarum, immò verò arguite; Nam quæ clàm ab eis fiunt, turpe est etiam dicere; quæcunque autem arguuntur, à lumine manifestantur; quidquid enim manifestatur, est lux.* Quamobrem dicit; *Expergiscere qui dormis, & resurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Qui autẽ stultè vel potiùs impiè dicunt, nihil prodesse eam quæ fit hominibus confessionẽ propterea quod sint similiter vitijs obnoxij & animi perturbationibus; solùm enim Deum posse tollere peccata: sciant qui hæc dicunt, primùm quidem quòd suæ nequitiæ &

Confitendum homini, tanquam Domino, non tanquã homini.
1. Ioh. 1.
Math. 23.
Qui peccant & ad sui imitationẽ alios prouocãt, dupliciter puniuntur.
1. Tim. 5. d.
Ioan. 3.
Eph. 5.
Cõfessio quæ homini fit, prodest.

amentiæ prætextum obtendunt; deinde dicta ipsius Domini circumscribunt, qui dicit suis ministris, *Quæcunque ligaueritis super terram, erũt ligata in cœlo.* Et rursus: *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Si quorum retinueritis, retenta sunt.* Et; *Vos estis lux mundi, & sal terræ.* Deinde ipsius quoque fratris Domini secundum carnem qui dicit; *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro vobis inuicem vt saluemini; Multùm enim valet deprecatio iusti operans:* Et Apostoli, qui dicit; *Alter alterius onera portate, & ita adimplebitis legem Christi.* His accedit quòd Baptismum quoque omnino abrogabunt & abolebunt, & omnem diuinam Sacrificij operationem; propterea quòd homines quidem sacrificant, Deus autem sanctificat. Solet enim Deus hominum operari salutem non solùm per Angelos, sed etiam per homines sanctos: & olim quidem per Prophetas, in nouissimis autem temporibus per se & per diuinos Apostolos; & deinceps vsque ad consummationem Sæculi dicit suis in hac generatione Ministris; *Qui vos excipit me excipit, & qui vos spernit me spernit.* Et si ergo sit homo qui audit confessionem; Deus est tamen qui per se conuertit, & condonat; sicut Dauid per Nathan.

Math. 17.
Ioan. 20.
Math. 5.
Iacob. 5.
Gal. 5.
Deus operatur hominum salutem per homines.
Luc. 10.
Homo audit confessionem, Deus autem conuertit, & condonat.

Quamobrem dicebat; *Dixi enunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino:* erat enim eius enunciatio ac confessio, etiam quæ per Nathan facta fuit conuersio. Vnde etiam rursus dicit; *Conuertant me qui timent te, & qui cognoscunt testimonia tua:* Et; *Castigabit me iustus in misericordia & arguet me.* Sancti enim ministri, Dei sunt cooperatores & dispẽsatores; ad eorum qui salui esse volunt, salutem. Hoc autem significans dicebat Apostolus: *Sic nos autem existimet homo tanquam ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* Et rursus; *Dei enim sumus cooperatores, Dei ædificatio estis.* Nam quidem cooperatur homini ad pœnitentiam, sicut dixit; & ministrat, & ædificat, & castigat, & arguit in ijs quæ pertinent ad salutem, congruenter ijs quæ dicit Apostolus & Propheta: Deus autem delet peccata eius qui confitetur, dicens; *Ego sum qui deleo peccata tua, & non recordabor.* Tu autem memento, vt iudicemur. *Dic tu prior peccata tua, vt iustificeris.* Scriptum est etiam in Numeris: *Et locutus est Dominus Moysi, dicens; Loqueris filijs Israël, dicens: Vir vel mulier quæ fecerit ex peccatis hominum, & despiciens despexerit, & peccauerit anima illa, enunciabit peccatum quod fecit, & reddet summam peccati.*

Psal. 140. b.
1. Cor. 3.
1. Cor. 4.
Isa. 43.
Isa. 34.
Num. 5.

Qui aperit peccata sua, ei condonabitur in confessu; & qui tegit suam impietatem, non rectè ei cedet: qui autem exponit & arguit, dirigetur. Peccatorum confessio eandem habet rationem, quam ostensio morborum corporis. Quomodò ergo morbi corporis nõ aperiuntur omnibus hominibus, neque quibuslibet; sed ijs qui eorum curandorum sunt periti: ita etiam peccatorum confessio debet fieri apud eos qui possunt curare, sicut scriptum est: *Vos qui potestis, portate*; hoc est, tollite per curationem. Necesse est ergo confiteri peccata ijs quibus credita fuit dispositio. Scriptum est enim in Euangelio quidem, quòd qui baptizabantur baptismo Ioannis, *confitebantur peccata sua.* In Actibus autem Apostolorum, quòd qui ab eis baptizabantur, *confitebantur actus suos.* Recordantes autem Dei sententiæ, qui dixit per Prophetam; Væ ijs qui sunt sapientes in seipsis, & coram se scientes: & Apostoli qui dicit; Cupio enim videre vos, vt vobis impertiar aliquid gratiæ spiritualis, vt vos confirmemini; hoc autem est, *vt simul vobiscum accipiam consolationem, per eam quæ est inter nos fidem, nempe vestrã & meam;* existimemus esse necessariũ nos dicare ijs qui sunt vnanimes, & dederunt certam probationem suæ fidei & sapientiæ: Vt vel corrigatur id quod aberrauit, vel confirmetur id quod est exactum & accuratum: & nos fugiamus priùs dictum iudicium quod pronunciatum est in eos qui sunt in seipsis sapientes. Non licet ergo, neq; est alicui conducibile, vt sibi permittat dicere aut facere ea quæ existimat bona. Nam cùm dicat Dominus, de sancto quidem Spiritu; *Non enim loquetur à seipso, sed quæcunque audierit, loquetur:* Et de seipso: *Non potest Filius aliquid*

Cõfessio peccatorum eandẽ habet rationem quam ostensio morborum corporis.
Act. 19.
Es. 4.
Rom. 1.
Ioan. 18.

Io. 5. Io. 14. 2. Cor. 3. *facere à seipso*: Et; *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui me misit Pater, ipse mihi dedit mandatum quid faciam & quid loquar*: & dicat Apostolus: *Non sumus sufficientes, ex nobis aliquid cogitare tanquam ex nobis*: quis eo veneritamentiæ, vt ex seipso audeat aliquid facere? Qui enim quod priuatim sibi placet, aliquid eligit; in diuinam incidit sententiam, Isaia 4. quæ dicit; *Væ ijs qui sunt sapientes in semetipsis, & sunt coram se sapientes.*

Ex Isidoro.

Genes. 4. Quanam de causa, Cain & Lamech cùm cædem fecerunt, non eodem modo sunt puniti? Nam ille quidem pœnas dedit, hic verò veniam est consecutus. Quoniam ille quidem cùm argueretur, negauit: hic verò etiam cùm non argueretur, est confessus. Nam etsi peccata sunt paria, nõ sunt tamen paria quæ sunt peccatum consecuta. Dicit itaque; *Dic tu prior peccata tua, vt iustificeris.* Isaia 34. Peccata confiteri non est erubescendum. Igitur maximè quidẽ demus operam vt non peccemus: Si autem peccauerimus; ne per negationem & morbi occultationem, causam nostram reddamus grauiorem. Ne dedigneris tuum confiteri peccatum, sciens quemadmodùm baptizauit Ioannes: vt qui illic erit, pudorem; pudore quo hic afficiêris, effugias; nam hæc quoq; pars est eius quæ illic futura est punitionis: & ostendas quòd re vera odisti peccatum, cùm ipsum traduxeris & de ipso triũphum egeris, vt quod sit dignum quod probro afficiatur. Imitemur nos quoque mulierem Samaritanam in nostris peccatis. Nos, hominum non pudeat. Iob. 4. Is enim quem pudet, propter salutem, hominibus sua aperire peccata; is in illo die, non coram vno aut altero, sed vniuerso Orbe terrarum vidente traducitur. Quomodò enim qui ceciderunt in puteum, non facilè ascenderint, sed opus habebũt alijs qui ipsos sursum tollant; ita etiam ijs qui venerunt in profundum peccatorum. Quamobrem funes ad eos demittamus & sustolamus: Deus enim dat auxilium. *Non enim vult mortem peccatoris,* Ezec. 33. b *sed vt ipse conuertatur & viuat.* Si à malis non liberamini, in atria ne ingrediamini sacrorum. Oues enim scabiosas & morbo laborãtes non oportet simul pasci cum sanis, sed à grege abigere donec à morbo curentur. Sumus enim membra Christi; ne efficiamur ergo *membra meretricis.* 1. Cor. 6. Non est hic locus fornicationis, sed Ecclesiæ. Si habeas membra fornicationis, ne stes in Ecclesia ne locum afficias contumelia. Eum enim qui est immundus & profanus, nefas est quidem sacros ascendere ambitus. Quamobrem si quispiam dignus est qui ascẽdat, dignus est etiam qui benedicat; est enim domus Dei, cœlo similis. Et quomodò ad nihil ex ijs quæ sunt illic dicata, fas est cuiquam ascendere; ita nec in domo Dei. Neque Distincta erant Templi Iudaici loca. enim lege Iudaïca, in templo ad omnem locum patet cuiuis aditus, sed sunt multæ ac diuersæ distinctiones: Et alius quidem, patet soli Pontifici, idq; semel in anno; alius autem, Sacerdotibus; alius autem Iudęis, alius verò Proselytis. Cogita quãta opus sit sanctitate, ei qui longè maiora accipit, quàm quæ tunc acceperunt, Sancta sanctorum. Non habes Cherubim, sed ipsorum Cherubim Dominum inhabitantem: neque vrnam & Manna, & Tabulas, & Virgã Aaron; sed Corpus & sanguinem Dominicum, & spiritum pro litera. Quò autem maioribus, magisq; venerãdis dignatus es sacramentis; eò es maiori obnoxius sanctitati, & maiori supplicio si transilias ea quæ sunt præcepta. Quod enim eũ qui peccauit, oportet segregare ob peccatũ, dicit Deus Mosi, quãdo pro Ma- Ex Constitutionibus Apostolicis. ria rogauit vt ei remitteretur; *Segregetur extra castra septem dies, & postea ingredietur.* Sic ergo nos quoque, eos qui se Qui peccauit, est segregandus: id est excõmunicãdus propter peccatum. dicunt pœnitere de peccatis, oportet, tẽpore definito segregare pro ratione peccati: deinde pœnitentes assumere; tanquã patres, filios. Qui fratris vitium dicit aut peccatum, is dicit duabus de causis; nempe vt aut ipsum corrigat, aut vt alij prosit. Sin autẽ alijs, præterquã his de Fratris peccatum aut vitiũ nõ dicendum. causis dicit, aut ipsi, aut alij: ei exprobrãs, aut de ipso detrahens dicit, & diuinam nõ effugiet derelictionem; sed vel in eundem vel in alium casum omnino incidet, & ab alijs reprehensus & probris affectus pudore afficietur.

A *Sitne melius communicare assiduè, an interiecto aliquo spacio. Quæst. 7.*

Cùm dicat Apostolus, *probet seipsum homo & sic de illo Pane edat & ex Calice illo bibat; qui enim indignè comedit & bibit, iudicium sibi comedit & bibit non dijudicans corpus Domini; Ideo inter vos multi sunt infirmi, & dormiunt multi; Si enim nosipsos iudicaremus non iudicaremur; Dum iudicamur autem, à Domino corripimur ne cum mundo condemnemur*: est euidens quòd oportet seipsum expiare & priùs expurgare ab omni contraria actione, & sic ad diuina accedere sacramenta; ne id fiat in perniciem animæ & corporis. Deus enim dicit per Mosem, ad populum Israël; *Omnis homo qui accesserit ab omni semine vestro, ad sancta quæcũque sanctificauerint filij Israël Domino; & immunditia eius in ipso est, exterminabitur anima illius à me.* B Et rursus: *Sanctificate filios Israël Domino, ab immunditijs suis, dum ipsi polluunt Tabernaculum meum quod est in ipsis.* Hinc etiam dicit Apostolus ijs qui indignè communicant, vt dictum est: *Propterea multi in vobis sunt imbecilli & inualidi, & dormiunt multi*; hoc est, ęgrotant & moriuntur. Propterea diuinus quoq; Dauid quia erat comesturus, & qui cum ipso erant, panes propositionis qui erant figura corporis Christi; Pontifex eum statuit hoc interrogare, an *mundi* essent à concubitu mulieris; & tunc dedit eis. Qui autẽ accipit, debet etiã participare. Etenim Sacerdos in Ecclesia dat particulã; & qui eam accepit, eam tenet cum omni potestate, & sic eã ori admouet manu propria. Idem est ergo virtute, seu quisque vnam acceperit particulam à Sacerdote, seu multas simul partes.

1. Cor. 11. — Expiare & expurgare oportet nos à vitijs, priusquam ad diuinum accedamus Sacramentum. — 1. Re. 21.

C *Quot modis fiant fornicationes & tentationes in hominibus. Quæst. 8.*

Quemadmodùm dicunt Patres, vitia oriuntur ex quatuor: nempe ex naturali inflammatione quæ accẽditur ex nimio potu & cibo, & ex longo somno; & aut ex animi superbia ac elatione; aut ex inuidia dæmonũ, quando nos viderint proficere secundùm Deum; fieri etiam potest vt ex virtutis debilitate & imbecillitate quispiam sustineat somnium: Fieri autẽ rursus quoque potest vt ex mala carnis consuetudine compellatur ad pollutionem & fornicationem. Duo enim sunt fluxus qui consistunt ex corpore: Vnus quidem qui sæpe polluit & inquinat; & vnus qui sanctificat; nempe semẽ & lacryma. Et quomodò *omne peccatum quod facit homo, est extra corpus;* qui autem fornicatur, tanquàm ex sua carne maligno D offert hostiam, nempe suum semen: Ita etiam quæcũque bona faciet homo, sunt extra corpus; Lacryma autem Deo offertur ex ipsa nostra essentia, sicut etiam sanguis Martyrum. Vnde oportet post pœnitentiam seruare etiam lacrymas peccatis, & nõ rursus polluere animam & corpus; est enim malum, assuefacere ipsum lauare. Quod enim sæpe lauatur & abluitur, efficitur marcidũ & inutile; & cùm de cætero, senio affectum fuerit & inueteratum, ne impleri quidem potest. Ego certè vidi viros, centum annos natos; imbecillos, & toto ferè trementes corpore, qui tamen non potuerunt abstinere à peccato corporali propter diuturnam consuetudinem: Ita omnibus malis est grauior & omniũ malorum pessima consuetudo. Et ideò suadens dicit Apostolus; E *Deponamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, tamquàm in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contẽtione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, & ne carnis curam geratis ad desideria*: Et rursus: *Non regnet ergo peccatum in mortali vestro corpore ad ei obediendum in eius desiderijs.* Sed sciendum est quòd sunt multa & diuersa apud iustum iudicem iudicia, & quas facturus est punitiones in eos qui peccant in sua corpora: Nam aliter iudicatur fidelis, & aliter infidelis. Nam, *qui nouit,* inquit, *voluntatem ipsius Domini & non fecit, vapulabit multis.* Et aliud est iudicium eius qui fornicatur in iuuentute, aliud eius qui in senectute: & aliud eius qui vxorem nõ duxit; & aliud eius qui duxit: & aliud rursus eius qui honestã habet vxorem, & aliud eius qui habitat cum mala. Et aliud est, in vnam iniquè se gerere; & aliud, in multis pollui. Aliud est iudicium magistri

Qui fornicatur: ex sua carne, maligno offert hostiam. — Lacryma Deo offertur ex nostra essẽtia, vt sanguis Martyrum. — Quod sæpe lauatur fit marcidum. — Consuetudo, peccatis omnib' grauior. — Rom. 13.

magiſtri & ſacerdotis, aliud priuati: *Potentes, enim, inquit, potenter tormenta patientur.* Aliud eſt id quod fit ex habitu A & cõſuetudine; aliud id quod fit raptim. Alia eſt dignus venia, is qui cadit & affligitur & deflet; & alia, is qui peccat, nec vlla tangitur cura ac ſolicitudine. Et rurſus; Aliter punitur is qui ſecundùm naturam vtitur natura; & aliter, acerbè & pluſquàm quodvis peccatum punietur is, qui præter naturam id agit quod Sodomitis attulit interitum; quod ne rationis quidé expertia faciunt animantia. Quod quidem diuina quoque Scriptusa dicit narrans de Sapientia. Hæc ex pereuntibus impijs Iuſtum liberauit, cùm fugiſſet deſcenſum ignis in Pentapolim; cuius peccati adhuc eſt teſtimonium, fumigans terra deſerta; & imperfectis tẽporibus, fructus ferentes, arbores. Ita etiã diuus Petrus faciens mentionem euerſionis Sodomitarum & Sodomorum; ſubiungit dicens: B *Scit Dominus, pios liberare à tentatione, iniquos verò in diẽ Iudicij reſeruare cruciandos; maximè autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.* Similiter Iudas quoque Iacobi, frater, his ſuffragatus dicens: *Sicut Sodoma & Gomorra & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeũtes poſt carnem alteram, propoſitæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes; Similiter quidem certè qui carnem quidem ſomniantes, dominationem ſpernunt, maieſtatem autem blaſpemant.* Et deinceps: *Væ illis qui in via Cain ambulauerunt; & in errore Balaam mercede effuſi ſunt; & in contradictione Core perierunt, quibus caligo tenebrarum ſeruata eſt in æternum: Nam ſi illi qui legem non didicerant, neque Prophetas legerant, propter execrandam illam operationem, conſumpti ſunt à ſulphure; quantò nos maiori digni ſumus ſupplicio, qui legem & Prophetas & Apoſtolos aſſiduè legimus, & deteriora facimus?* C *Propterea enim, etſi ea agamus, minimè nobis hic exiſtit conflagratio, quoniam nobis paratus eſt alius ignis grauior & qui nunquam extinguitur, ſicut ſcriptum eſt; Vermis eorum non morietur, neque ignis extinguetur.* Audiant qui ſunt coniugati, & in voluptatibus degunt & delicijs, & timore Dei abiecto ſuas relinqnunt vxores, & volutantur in immunditijs, etiam præter naturam; qui quidem in die iudicij nullam habebunt excuſationem. Quid enim reſpondebunt quando videbunt alios qui ſunt cum ipſis, etiam ſeruaſſe virginitatem? Rurſus autem audiant etiam Apoſtolum de ijs dicentem; *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in mentem reprobam, vt faciant ea quæ non conueniunt; & in immunditiam*, inquit, *vt contumelia afficiantur corpora eorũ in ſeipſis.* Et rurſus; *An neſcitis quòd templum Dei* D *eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templũ Dei corrũpit corrumpet eum Deus. Templum enim Dei ſanctum, quod eſtis vos.* Et rurſus: *Deus non irridetur; Quod enim ſeminat homo, hoc & metet, quoniam qui ſeminat in carnem ſuam, ex carne metet corruptionem; Qui autem ſeminat in ſpiritũ ex ſpiritu metet vitam æternam.* Et rurſus; *Ne erretis, neque fornicatores, neque adulteri, neque molles, neque qui cubant cum maſculis, neque auari, neque fures, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores, regnum Dei poſſidebũt.* Et rurſus: *Oportet enim omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque quæ per corpus geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Et rurſus: *Vniuſcuiuſque opus manifeſtum fiet, dies enim declarabit & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Væ qui ſua trahunt peccata tanquàm longo funiculo, & tanquam loro iugi iuuencæ ſuas iniquitates. Filij ſunt inſipientes & non in-* E *telligentes; ſapientes ſunt ad malè faciendum, bene autem facere non nouerunt:* Et; *Si Æthiops mutârit pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, vos quoque poteritis bene facere, cùm mala didiceritis?*

Sodomiticum peccatum admittentes fideles, grauius puniũtur quã ipſi Sodomitæ.
Marc 9.
Cõiugati qui relictis vxoribus, in voluptatibus degunt, grauiter punientur.
Rom. 1.
1. Cor. 3.
Gal. 6.
1. Cor. 6.
2. Cor. 5.
1. Cor. 3.
Ex Eſa. 5.
Ex Iere. 4.
Ierem. 13.

Ex Maximo in ſeptem eius Capitibus.

Earundem actionum diuerſa ſunt rationes.

Non eſt vna ratio eorum qui actione peccant, ſed diuerſæ: vt, aliud eſt peccare ex habitu, & aliud raptim & arrepta quæ oblara eſt occaſione: Hic enim neque ante peccatum habuit deſiderium, neque poſt peccatum; neque propter id quod factum eſt, multùm poteſt: Contra autem, ille qui peccat ex habitu. Nam primùm, & cogitatione non ceſſat peccare; & poſtquàm fecit, eſt eadem eius affectio. Homo enim peccat quatuor modis, nẽpe, citò arrepta occaſione, fraude, ignoratione, & affectione. Et tres quidem primi, facilè veniunt ad agnitionem A & pœnitẽtiam: Qui autem peccat ex affectione, & non tentatione; neque tempore venit ad pœnitentiam, & morbo laborat immedicabili. Et animæ quidem concupiſcẽdi facultas crebriùs irritata, immittit animæ, motu difficilem habitum libidinis: Animus autem continẽter turbatus, eum reddit timidum & ignauuin. Medentur autem, illi quidem, Exercitatio conſtitutis ieiunijs & vigilijs & precationibus: huic autem; benignitas & humanitas & charitas & miſericordia. Ex animæ autem ſubiectis affectionibus accipiunt dæmones occaſiones mouendi in nobis turbulentas & affectibus agitatas cogitationes: Deinde per eas, aduerſus mentem bellum gerentes, ei vim afferunt vt aſſentiatur peccato. Ea autem ſuperata, ducunt ipſam ad peccatum quod eſt ex cogitatione; eóq; perfecto, de cęterò eam ducunt captiuam, B ad actionem. Omnes ergo turhulentæ & affectibus exagitatæ cogitationes; aut irritant quæ in concupiſcendo verſatur animæ facultaté, aut conturbant vim iraſcendi, aut tenebras offundunt rationi. Ex eo autem euenit, vt mens caliget ad ſpiritualem contemplationem & præſentiam precationis.

Homines peccant quatuor modis.
Peccare ex habitu eſt grauiſſimum.
Ieiunia, vigiliæ & preces, medentur concupiſcentiæ irritatæ.
Cogitationes quod in nobis efficiunt.

Ex Ioanne Climacho.

In his tribus modis maximè generalibus, in nobis conſiſtit omne bellum dæmoniacum; nempe aut ex negligentia, aut ex ſuperbia, aut ex inuidia: relinquuntur autem apud ſpirituales, vt per vilia & abiecta quędam peccata nos ipſos valdè reprehendentes, acquiramus diuitias humilitatis quæ non poſſunt eripi.

In tribus modis conſiſtit bellum dæmoniacum.

Ex Chryſoſtomo in ſextum Pſalmum.

C Quoniam, ô Chriſtiane, Chriſtum induiſti per baptiſmum; caue ne Imperatoriam purpuram putrefacias, ne macules tunicam immaculatam, ne adulterio inquines indumentum, ne corrũpas perjurio, ne polluas blaſphemia, ne hæreticarum opinionum fœdes peruerſitate, ne Nouatiana exaſperes inhumanitate, ne Eunomiana tingas inæqualitate, ne Arriana ſubſtantiæ diuerſitate labefactes, ne ſimul geſtes Macedonianam pugnã Spiritus, & ne gentilium eam perdas impietate, nec facias eam redolere Iudaïcam auenam incredulitatis. Muni animæ tuæ arcam, nempe corpus; & rectè ſerua veſtem baptiſmatis, eam vnguentis perfunde, & in eam iace multos ſuffitus orationum. Dic Deo; *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum coram te.* Veſtem baptiſmatis continẽter coneure D deprecationibus & genu flexionibus, ne eam corrumpant vermes malarum cogitationum. Sciunt qui depoſuerunt Angeli, cuiuſmodi veſtem apud te depoſuerint. In regijs quæ ſunt apud ſuperos ſcrinijs ſcripſerũt qualis ſit tibi data veſtis. Ipſi veniũt ad eam repetẽdam a tua anima. Si non inuenerint, quid facies? Non ampliùs inuenies piſcinam, non ampliùs Sacerdotem. Illic eſt fluuius ignis, nõ eſt Iordanis. Interrogate eos qui hîc ſunt veſtium regis cuſtodes; & ab illis diſcite, quẽadmodùm eos deſcribunt qui veſtes accipiũt regias & gemmatas; quemadmodùm margaritarũ, quæ veſtibus ſunt inſertæ numerum tradunt & accipiunt. Quod ſi vnam ex margaritis cadere ac perire contigerit; cum quanto damno & afflictione reſtituitur quæ perijt? Quòd ſi propter E margaritã in quam cadit interitus, tanta adhibetur cautio; propter cœleſtem margaritam quomodò non eſt maior adhibenda? Quænam autem ſunt illius tunicæ, margaritæ? Virtutes. Audi pręclarum veſtium cuſtodem Paulum dicẽtem; *Induimini ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiarum, benignitatem, humilitatem, &c. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea:* Conturbationem dico, quæ naſcitur ex peccato. Quomodò quando ſpiritus vehementes in mare irruerint, ij conturbant omnia, & quæ eſt in profundo ſurſum mittitur arena, & qui nauigant ſunt in periculo: ita etiã in nobis eùm turbatur anima, mouetur corpus, & tumultu plena eſt nobis ſcapha, & multæ ſunt tenebræ, & loco ſuo relicto pereunt omnia, & magna eſt cõfuſio. Hoc maximè ſolet cõtingere in cupiditatibus & libidinibus; hoc etiam ac-

Veſtis baptiſmatis ſeruãda & conuenienda deprecationibus & genu flexionibus.
Pſal. 140.
Veſtem baptiſmatis repetunt Angeli.
Pſal. 6.
Anima conturbatur affectibus, non ſecus ac mare ventis.

cidit in ira & calamitatibus: Hæc enim omnia conturbant & ossa & animam; & pupillæ inuertuntur, & nec oculi quidem suo ordine aspiciunt. Sed quomodò si perturbatus fuerit auriga, insolentes & nullo ordine feruntur equi; ita si fuerit ratio perturbata, consunduntur & inuertuntur omnia, & suam viam amittunt. Et quomodò fit hæc perturbatio? Non enim sicut in mari ex ventorum emissione, ita etiam in anima ex inopinato aliquo casu; sed ex nostra accidit socordia, cùm inflammata cupiditate in nostra sit potestate, fiat ne, an non. Nisi enim tu flammã accenderis, non erit fornax, nisi materiæ præbueris alimentum; nisi pulchris vultibus contemplandis superuacaneam dederis operam, nisi in pulchritudine aliena sis curiosus, nisi ascendas ad theatra nequinæ, nisi carnem pinguefacias, nisi vino obtuas rationem. Non ergo excitatur, non accenditur fornax, non nascitur bellua teterrima, non dissecatur tanquàm à ventis immanibus, mentis puritas. Sufficient ergo hæc? inquit: Non sufficiunt, sed sunt etiam alia addenda: preces continuæ, cum sanctis consuetudo, moderatum ieiunium, tenuis victus, necessaria negotia & occupationes; ante alia omnia, metus Dei, futurum iudicium, cruciatus intolerabiles, bonorum promissiones. Per hęc omnia potes frenare rabidam cupiditatem, & sedare mare fluctibus agitatum.

Ex nostra socordia oritur vitiorum perturbatio.

Peccata sunt in nostra voluntate.

Cupiditas quomodo cõpescenda.

Quæ sunt modi derelictionis, seu in afflictionibus, seu infirmitatibus, seu in peccatis: & quemadmodum cognoscemus, quæ à Deo proficiscitur, disciplinam ac castigationem, & quæ à diabolo procedit, tentationem? *Quæstio 9.*

Ex Chrysost. in Psal. 100.

Duplex Dei derelictio.

Sunt quidem multi & diuersi modi derelictionis. Sunt autem duo scopi Dei, in quibus, quis derelinquitur: nempe aut ad conuersionem & castigationem, vt pater erga filiũ; aut ex auersione, vt rex aduersùs inimicum; cuiusmodi fuit Iudæ à Christo posteà derelictio. Derelictus autem fuit Lazarus & Paralyticus ad remissionem peccatorum: Dicit enim; *Ecce sanus factus es, noli ampliùs peccare.* Castigatus fuit Paulus propter rerũ rectè gestarum magnitudinem; *Ne nimis extollar,* inquit. Castigatus fuit Iob, vt fieret iustior, sicut Deus ei dicit; *Ne repellas meum iudicium, neque putes me aliter tibi respondisse quàm vt appareas iustus:* Tradiri sunt etiam Prophetæ in captiuitatem, ad exemplum & vtilitatem populi. Oportet autem eum qui derelinquitur, in se scrutari causam derelictionis, & ipsam corrigere; per quam aut inimici in eum obtinent dominatum, aut inimici ei insidiantur, aut ipse à minoribus & obscurioribus nihili penditur & contemnitur, aut traditur in passiones ignominiæ & afflictiones & infirmitates, & iustam Dei condemnationem. Sæpè enim aut ex superbia & gloriosa iactantia, aut ex eo quòd acceptæ iniuriæ recordemur, aut ex eo quòd nos ipsos non reprehendamus & condemnemus, aut ex præcedentibus peccatis, tradimur in passiones animales & corporales. *Si enim nos ipsos,* inquit, *iudicaremus, nõ vtique iudicaremur; Dum iudicamur autem, à Deo castigamur, ne cum mundo condẽnemur.* Sæpe enim eũ qui peccat & non ducitur pœnitentia, Deus inijcit in tentationem & afflictiones: & per tentationes venit ad agnitionem, quomodò passus est Nabuchodonosor & Manasses. *In chamo,* inquit, *& freno maxillas eorum constringes qui non approximant ad te.* Et Dei quidem castigatio & tentatio accedentes ad id quod est homini conducibile, bonam spem nunquam exscindunt ex anima, cuiusmodi erat Iob, qui dicebat Deo: *Sustinebo te donec rursus factus fuero, & statues mihi tempus, in quo facies mihi memoriam.* Et rursus; *Beatus homo quem arguit Dominus,* admonitionem autem pietatis ne recuses; Ipse enim dolere facit & rursus restituit; Percussit, & manus eius sanârunt; sexies ex necessitatibus te eripiet. Quæ autẽ à diabolo (Deo permittente) aduenit tentatio; animi ægritudine, & ira, & desperatione replet animam: In septimo autem non attinget te malum. Sed & ex propria discernendi egestate & arrogantia incidimus in calamitates & tentationes & imbecillitates;

Luc. 16. Marc. 2. Luc. 5. 1. Cor. 12. Iob 40. Rom. 1. 1. Cor. 11. Psal. 31. Iob 14. Iob 5.

Per tentationem venitur ad agnitionẽ.

Tentatio quæ à diabolo Deo permittẽte fit, qualis sit.

quod accidit ijs qui contemplãtur hybernam temporis constitutionem, & nauem educunt è portu, & in multa pericula & tentationes manifestas se inijciunt.

Ex Exodo.

Illic statuit Dominus Mosi iustificationes & iudicia; & illic eum tentauit & dixit: *Si autẽ audieris vocem Domini Dei tui, & grata coram eo feceris, & custodieris omnes iustificationes eius; omnem morbum quem induxi in Ægyptios, non inducam aduersus te; Ego enim sum Dominus qui te sano.* Exod 15.

Ex Deuteronomio.

Et recordaberis totius via qua deduxit te Deus tuus in deserto, vt te affligeret, & discernerentur quæ sunt in corde tuo, custodias ne mandata eius an non: & te afflixit, & fame cruciauit, & cognosces in corde tuo quòd quomodò si quis homo castiget filium suum, ita etiam Deus tuus te castigauit, & vt te affligeret, & vt te tentaret, & vt tibi benefaceret in tuis nouissimis. Deut. 8.

Ex libro Iudicum.

Et dimisit Dominus has gentes, vt eas non citò tolleret; & non tradidit eas in manu Iosue, vt in eis tentaret Israël an custodirent viam Domini ad ambulandum in ea quomodo custodierunt patres eorum, an non. Iudic. 2. & 3.

Ex David.

Proba me, & tenta me: Et; *Castigans castigauit me Dominus:* Et; *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Psal. 25. Psal. 118. Psal. 2.

Ex Salomone.

In paucis castigati sancti, *magnis afficientur beneficijs, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se; Tanquàm aurum in fornace probauit eos, & tanquam oblationem sacrificij accepit eos, & in tempore visitationis suæ resplendebunt.* Et: *Per hoc quod eos qui cadunt, parum arguis; & in ijs quæ peccant, in memoriam reuocans admones, vt à vitio liberati in te credant Domine.* Sap. 3.

Ex libro Iudith.

Gratias agamus Domino Deo nostro qui nos tentat, sicut & Patres nostros; Recordemini in quàm multis tentauit Abraham & Isaac & Iacob, & inflammauit corda nostra ad tentationes, quoniam ad admonitionem flagellat Deus eos qui ipsi appropinquant. Iudith 8.

Ex Sirach.

Quod tibi oblatum fuerit, accipe: & in vicissitudinibus humilitatis tuæ esto patiens; quoniam in igne probatur aurum: & homines acceptabiles, in fornace humilitatis. Crede ei & te defendet. Eccl. 2. a

Et, *vsque ad tempus retinebit patientiam, & posteà ei reddet lætitiam,* & labia multorum enarrabunt eius prudentiam, & in infirmitatibus tuis ne cæcutias, sed ora Dominũ, & ipse te sanabit. Odi delictum: & dirige manum, & ab omni peccato munda cor tuum. Eccl. 1. d

Ex Michæa.

Iram Domini sufferam, quia peccaui ei, donec causam meam ei iustificem; & faciet iudicium meum, & me examinabit sicut lux, & videbo iudicium eius. Mich. 7.

Ex Naum.

Bonus Dominus ijs qui ipsum sustinent in diebus afflictionis, & cognoscens eos qui ipsum reuerentur. Naum 1.

Ex Ieremia.

Filij, leni animo ferte (quæ à Deo ad vos venit) iram; te enim persecutus est inimicus, & citò videbis eius interitum, & super colla eorum ascendes: Bono animo estote filij, & clamate ad Deum, erit enim vestri memoria apud eum qui induxit. Sicut enim fuit vestra cogitatio vt à Deo aberraretis, decuplò conuertimini & quærite ipsum: Qui enim vobis mala induxit, inducet vobis æternam lætitiam cum vestra salute. Baru. 4. f

Ex Euangelio.

Dixit Dominus, Flebitis & lugebitis vos: Mundus autem gaudebit, vos autem tristitia afficiemini; sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Et; *trademini à parentibus, & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis, & odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum: In patientia vestra possidete animas vestras.* Ioan. 16. Luc. 21.

Vndenam videmus aliquos Fideles in corporales incidere prolapsiones; à Deo autem affici beneficijs infideles & liberari à periculis? *Quæst. 9.*

Dei iudicia sunt incõprehensibilia.

Dei iudicia sunt incomprehensibilia & inexplicabilia, & propterea non oportet Deum condemnare vsque ad illum

ad illum diem. Dicit itaque Ecclesiastes: *Est iustus qui perit in iustitia sua, & est impius qui manet in suo vitio.* Et; *Sunt iusti ad quos perueniunt tanquàm facta impiorum; Et sunt impij ad quos perueniunt tanquàm facta iustorum.* Quidam enim fortasse cernuntur habere aliqua delicta; sed in occulto, multa præclaráque rectè facta elegerūt facere & faciūt: ij apud nos quidem reputantur esse peccatores; apud Deum autem sunt iusti. Aliqui autem ex maiorum suorum precibus, vt Salomon per Dauid, digni censentur clementia ac venia; Deus enim ei dicit: *Propterea quòd non custodisti mandata & præcepta quæ mandaui tibi, disrumpens disrumpam regnum ex manu tua, & dabo ipsum seruo tuo; Sed in diebus tuis hoc non faciam, propter Dauid patrem tuum.* Alij rursus qui nūc quidem sunt mali, posteà autem verè ac sincerè acturi sunt pœnitētiam; iam nūc apud Deū reputantur vt iusti, vt Paulus. Alij autē propter pœnitentiam & conuersionem, Dei fruuntur benignitate; quæ, ijs qui non intelligunt & sunt indurati existit viaticum illius quod illic passuri sunt supplicij, vt Diues ille qui in Lazarum fuit immisericors. Dicit enim Apostolus; *Ignoras quòd Dei benignitas te adducit ad pœnitentiam? secundùm autem duritiam cordis tui & impœnitentem tuam animam, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vniquique secundū opera sua.* Et ideò diuinus Dauid rectè monet, dicens; *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniquitatem.* Et; *Peccatores peribunt:* Et; *Inimici Domini simul atque glorificati sunt & exaltati, deficientes tanquàm fumus defecerunt.* Et; *Dum exorti fuerint peccatores, tanquàm fœnum defecerunt, vt exterminentur in seculum seculi; Propterea noli timere quando diues fuerit homo peccator, & multiplicata fuerit gloria domus eius quoniam tanquàm fœnum citò arescet, & quæres locum eius, & ipsum non inueniens dices: Quomodò fuit repentè in desolationem, & defecit, periit propter suam iniquitatem tanquàm somnium relinquens alienis diuitias suas*, & vniuersæ illius miseri miseræ diuitiæ, inanisque illa animæque interitum afferens caduca ac temporalis gloria, recessit tanquàm somnium. Meritò ergo dicebat Sapiēs; *Noli æmulari gloriæ peccatoris, nescis enim quanam erit eius conuersio.* Et; *ne tibi placeant boni successus peccatorum, sed memento quòd ad Inferos vsque non iustificabuntur.* Et; *Via peccatorum est exæquata ex lapidibus, & in nouissimis eius est fossa Inferni.*

Eccl. 7. Eccl. 8. 3. Reg. 11. Luc. 16. Rom. 2. Psal. 36. Psal. 91. Psal. 36. Ps. 72. c. Ps. 48. b Prou. 3. d Eccl. 9. c Eccl. 21. b

Ex Chrysostomo in Epistolam ad Corinthios.

Quamobrem diues erat Abraham; Iacob autem egebat pane? Non erat hic quoque iustus? Cur erat ille quidem diues; hic verò mercenarius? Immò verò, cur Esaü quidem erat diues cùm esset prophanus; Iacob autem tandiù fuit in seruitute? Cur rursus Isaac toto suo tempore vixit securè, Iacob autem in laboribus & ærumnis? Et ideò dicebat; Dies vitæ meæ pauci & mali. Cur Dauid quidem cùm esset Propheta, totum tempus vitæ suæ vixit in periculis & laboribus; filius autem eius Salomon, quadraginta annos securiùs transegit quàm omnes homines, diuina pace fruens gloriáque & honore, & per omne genus deliciarum permeans? Cur nam etiam in Prophetis, alius quidem magis, alius verò minùs fuit afflictus? Omnino propterea quòd hoc vnicuique erat conducibile: Et ideò in vnoquóque oportet acclamare; *Iudicia Domini abyssus multa.*

Gen. 47. Psal. 35.

Ex eodem in Matthæum.

Ne fallamur, neque omnibus modis viam quæramus dissolutam. *Quem enim*, inquit, *diligit Dominus castigat.* Quamobrem quando rebus fruemur secundis degentes in scelere, tunc maximè doleamus. Oportet enim peccantes timere & dolere; maximè autem quando nihil graue patimur. Nam quando ex parte quidem à nobis pœnas exigit, efficit vt sit nobis leuis pro his solutio: Quando autem in vnoquóque eorum in quibus delinquimus, est lenis ac patiens; nos in iisdem perseuerantes reseruat ad maius supplicium. Si enim iis qui se rectè gerunt, necessaria est afflictio; multò magis iis qui peccant. Vide ergo quantùm Dei lenitate & pa-

Heb. 12. *Timendū est maximè peccatori quādo nil graue patitur.*

A tientia abusus Pharao, pro omnibus posteà vltimū luit supplicium: Quanta Nabuchodonosor cùm admisisset scelera, tandem exoluit vniuersum: Et Diues quoniam hic nihil graue passus est, propterea fuit miserrimus: Quoniam recessit cùm in vita præsenti se omnibus expleuisset voluptatibus; illic pro his omnibus dedit pœnas, nec ex malo vllum inuenit solatium. Et tamen sunt nonnulli adeo frigidi & amentes, vt quærant ea solùm quæ hîc sunt, & verba illa dicant ridicula; fruar interim præsentibus, & tunc cōsiderabo de iis quæ sunt incerta: Da mihi diem hodiernum, & accipe crastinum. Qui hæc dicunt; quidnam differunt ab hircis aut porcis?

Ex. 14. g Dan. 4. f Luc. 16.

Ex eodem in Actus Apostolorum.

Qui in multis offendunt, & non puniuntur; multùm debent timere & tremere: Eis enim augetur Dei lenitas ac patientia. Nam quò maioribus affecti fuerimus B beneficiis, eò grauiùs puniemur quando cernemur indigni beneficio.

Beneficiis affecti, sed vt indigni grauius puniuntur.

Quæst. x.

Cùm Deus dicat per Prophetam Aggeum; Meum est aurum & argentum, & cui voluero dabo ipsum; nunquid quicunque euasit diues, ditatus est à Deo? Dictum quidem est; *Meum est argentum & aurum:* sed illud; *Cui voluero dabo ipsum*, non est scriptum: Hoc enim fuit additum ab insipientibus & auaris hominibus. Sed nullus qui ex bellis, cædibus, furtis, periuriis, rapinis, munerúmque corruptelis & iniuriis opes collegit; potest dicere se per Deum esse ditatum, sed per peccatum maligni. Ii autem soli qui ex iustis laboribus & qui sine peccato C suscipiuntur, collegerunt, possunt cum Iob dicere; *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Porrò autem Deo temerè videntur gratias agere, qui iniustè parant diuitias.

Agg. 2. *Non omnes ditantur per Deum.* Iob. 1. Iob. 20.

Ex Iob.

Diuitiæ quæ iniustè colliguntur, euomentur.

Ex Sirach.

Qui ex anima sua colligit, aliis colligit; & in bonis eius, voluptate se explebunt alij. Et; *Bonæ sunt diuitiæ vbi non est peccatum.* Et; *Mala est mendicitas in ore impij: qui amat aurum, non iustificabitur: Multi enim in ruinam dati sunt propter aurum, & eorum interitus fuit generatus coram ipsis.*

Eccl. 31.

Ex Dauide.

Videbunt iusti & timebunt, super eum ridebunt; & dicent; D *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & corroboratus est in vanitate sua.*

Psal. 51.

Ex Gregorio Nisseno, in Pater noster.

Si enim Deus est iustitia; non habet à Deo panem, qui ex auaritia & plura habēdi desiderio, habet alimentum. Si non ex alienis tibi suppetunt facultates; Si prouentus non est ex lacrymis; Si nemo esurijt propter tuam satietatem; Si nemo ingemuit propter tuā repletionem: is est Dei panis; fructus iustitiæ, spica pacis. Si autem aliena colens prædia, & in oculis habens iniquitatem, dicis; Da panem: alius est qui hāc audit vocem, & non Deus. Nam fructum qui nascitur ex iniustitia, aduersaria producit natura; & qui colit iniustitiam, pas- E citur à benefactore iniustitiæ.

A Deo panē non habet, qui ex auaritia habet alimentum.

Ex Nilo in libro ad Anchiocum.

Et sæpè quidem qui à maioribus relictas accepit facultates, cùm eas rectè dispensauerit egentibus; stat à iudice laudatus propterea quòd benefecerit, hilati vultu expectans promissiones. Qui autem eas reliquit, ad cruciatus pulsus trahitur, quoniam ex eis nihil boni fecit egentibus; vt qui occasionem salutis, aliis, suos labores reliquerit, & ipse miser rebus suis nihil sibi profuerit. Pulchrè dicit Salomon; *Qui suas colligit diuitias cum fœnore & emolumentis, is eas colligit ei qui miseretur pauperum, vt qui sibi propter auaritiam fuerit causa suppliciorum, & aliis ob beneficentiam causa sit remunerationum.*

Damnatio eo qui parauit diuitias, à iudice laudatur & seruatur qui eas impertiit pauperibus. Prou. 28.

Ex Gregorio Theologo in Exæquatorem.

Ne misceamus nostras diuitias cum alienis lacrymis;

à quibus tanquàm à rubigine & tinea consumentur; aut vt dicam cum Scriptura, euomentur.

Ex eodem in Hexameron.

Lugendi sunt magis qui iniuriam fecerūt, quàm qui sunt iniuria affecti. Esa. 5.

Auatus quidem habet ea quæ sunt pauperis. Tu autem cùm ea acceperis, & tuarum facultatum partem feceris; te iniusto ostendisti iniquiorem, & auaro auatiorem. Lugete vos qui iniuria affecti estis, non vos ipsos, sed eos qui vos affecerunt iniuria: Non vos enim iniuria affecerunt, sed seipsos perdiderunt. Et vos pro iniuria accepta habetis regnum cœlorum, illi autem pro lucro habent gehennam. Quamobrem eos lugeamus non à vulgo sumpta lamentatione; sed ex sacris literis, qua etiam Prophetæ lamentati sunt dicentes: *Væ qui domum domui coniungitis, & agrum agro appropinquatis, vt à proximo aliquid auferatis.* Et Dominus; *Væ qui diuites estis, quoniam esurietis, quoniam recipitis mercedem vestram & consolationem.*

Isa. 5. b *Luc. 6. b*

Ex eodem de resurrectione.

Puniūtur qui pauperibus nō erogant.

Quòd si malorum res prosperæ turbant aliquos; in hoc quoq; illud considerent, quòd sicut latrones & sepulchrorum effossores, & patricidæ, & malefici, priusquàm veniant ad iudicium multis fruuntur deliciis & voluptatibus, ex alienis calamitatibus suas parantes copias, & iniustas acquirentes diuitias, latentes singulis diebus: postquàm autem subierint sententiam Iudicis, dant pœnas illorum omnium. Ita hi etiam qui emunt meretrices, & mensas apponunt Sybariticas, & supercilia contrahunt, & in foro superbè & magnificè incedunt, & pauperes discerpunt; quando Christus aduenerit cum suis Angelis, & sederit in illo tribunali, & orbem terrarum in medium adduxerit, adducti nudi & ab omni apparenti specie ac phantasia destituti, neque vllum habentes patronū ac defensōrem, deferentur absque venia in fluuios ignis.

Mat. 25.

Quidnam sit Mammona iniquitatis. Quæst. 11.

Luc. 16 *Mámona dicuntur diuitiæ, quæ ex nostro vsu repositæ sunt.*

Mammona non sunt dicendæ, sicut nonnulli existimant, diuitiæ, quæ parantur ex iniustitia, ex quo dixit Dominus esse faciendos pauperes amicos: sed eæ quæ ex vsu nostro sunt repositæ diuitiæ. Is enim cui suppeditant opes, vel ad alendū vel conseruandū eum qui perit fame, aut fœnore aut captiuitate; & non fert opem: is te vera iustè condemnabitur tanquàm iniustus & occisor. Non eas ergo diuitias quæ partæ sunt ex iniquitate, sed eas quæ suprà vsum nostrum sunt repositæ, vocauit Dominus, Mammonam iniquitatis; sicut etiam alibi increpans, dicit, *Immisericordes: Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?* Alienum dicit, copiam pecuniæ. Non enim nati sumus cum diuitiis, sed nudi; sicut scriptum est: *In mundum nihil intulimus, sed nec efferre possumus.* Alienum ergo ab omni homine est naturaliter, esse diuitem. Omnibus enim fit & aduenit extrinsecùs. Quando ergo in iniusto & in alieno; hoc est, in ijs quæ sunt supra vsum, & in ijs quæ aduenerunt extrinsecùs, non fuistis fideles: quomodò accipietis quòd verum est & vestrum; hoc est, diuinam gratiam, & bonum à Deo datum? Nam qui dicit; *Videte & cauete ab auaritia & plura habendi cupiditate; quia non in abundantia, vita cuiusquam est ex ijs quæ possidet:* Et; *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et per Prophetam; *Ego sum qui diligo iustitiā, & odi rapinas:* non iubet per diuitias quæ parantur ex iniustitia & auaritia ipsum placare. Quomodò enim hoc iuberet? Bonus enim non docet vitium, neque benefactor auaritiam, neque iustus erudit ad iniustitiam: Absit. Dicit ergo de diuitijs quæ sunt extra vsum nostrum; sicut etiam eius frater secundùm carnem Iacobus inuehitur in eos qui sunt tales, dicens: *Agite nunc diuites, flete propter calamitates vestras quæ aduenient; Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & comedet carnes vestras sicut ignis; Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Vides quòd hoc dictum sit de superfluis & nimium

1. Tim. 6. *Diues naturaliter nemo est. Diuitiæ extrinsecus adueniunt. Luc. 12. Mat. 5.*

Esa. 6.

Deus nō placatur diuitiis iniquè partis. Iac. 5.

abundantibus diuitijs; & non de ijs quæ partæ sunt ex iniustitia? *Quæ est* enim, inquit, Apostolus, *participatio iustitiæ cum iniquitate, & quæ communio luci cum tenebris? Quæ autem conuentio Christo cum Belial?* Et; *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam quæ est idolorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ. Nam & hoc scitis cognoscentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus qui est cultor simulacrorum, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et; *Radix omnium malorum est pecuniæ cupiditas.* Et; *Nouit Dominus qui sunt sui.* Et; *Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Et; *Nescitis quòd iniusti regnum Dei non possidebunt? Ne erretis; neque auari, neque raptores regnum Dei possidebunt.*

2. Cor. 6. *Coloss. 3. c* *Ephes. 5.* *1. Tim. 6.* *2. Tim. 2.* *1. Cor. 6.*

Ex Salomone.

Iusta facere, & esse verum; Deo magis placent quàm sacrificia. Et; *Sacrificia impiorum Deo sunt abominatio;* etenim ea iniquè offerunt, vt qui ex iniustis ea sacrificent ridiculo sacrificio. Et; *sicut qui filium sacrificat coram patri suo, ita qui offert sacrificium ex pecunia pauperum.*

Prou. 2. *Prou. 15.* *Eccl. 34.*

Ex Malachia.

Vos sacerdotes qui vilipēditis nomē meū, & infertis rapinas, & claudicātia, & lāguida; etsi offeratis ad sacrificia, non suscipiā ea ex manibus vestris, dicit Dominus. *Hæc dicit Dominus: Sacerdotes mei spreuerūt legem, & profanauerūt sancta mea, & inter sanctum & profanum non discreuerunt, inter immundum & mundum.*

Malach. 1. *Ezec. 22. f*

Ex Constitutionum, Apostolicarum, Libri 4. Cap. VI.

Quorumnam oblationes reijciendæ ab Episcopo.

Oportet Episcopum scire quorumnam debeat suscipere oblationes, & quorum non debeat. Ab eo enim sunt cauendi, quod ad dandum attinet, Caupones: *Non iustificabitur enim Caupo à peccato*: De ijs enim vtique dicit Isaias; *Caupones tui vinum miscent aqua.* Ei quoque fugiendi sunt fornicatores; *Non offeres* enim *Domino mercedem meretricis.* Raptores quoque, & qui aliena bona concupiscunt, & adulteri: Sunt enim eorum sacrificia, Deo abominanda: Sed & qui viduam affligunt, & qui in orphanos dominatum exercēt, & custodias implent peccatis: Qui etiam improbè vtuntur suis seruis, & plagis & fame & seruitute, magna ex parte eos vexant; sunt tibi, ô Episcope, etiam fugiendæ eorum oblationes. Recusa autem & versutos impostores, & fures, & iniustos publicanos, & eos qui decipiunt in trutinis, & dolosis vtuntur mensuris, & militem calumniatorem, & qui non est contentus suis stipendijs, sed concutit pauperes, occisorem, lictorémque, & Iudicē iniquum reorum euersorem, hominū insidiatorem, improbum operarium, ebriosum, blasphemum, fœneratorem, & omnes huiusmodi sceleratos, & cum Dei voluntate depugnantes; quoniam dicit Scriptura, omnes qui sunt eiusmodi, Deo esse abominandos. Qui enim ab ijs suscipiunt, & viduas, orphanósque non alunt, iudicio Dei erunt obnoxij: Quòd si etiam vidua quæ ab eis ausugit, oret pro ipsis, non exaudietur; quia Deus qui est cognitor cordium, cum iudicio de impijs pronunciauit, dicens: *Si steterit Moses & Samuel ante faciem meam pro ipsis, non exaudiam ipsos;* Et tu ne ores pro hoc populo, neque roges vt ij misericordiam consequantur, neque accedas ac interpelles pro ipsis, quia te non exaudiam.

Eccl. 25. *Isa. 1.* *Deut. 23.* *Ier. 15.*

Eiusdem. Libri. Cap. VII.

Neque verò hoc satis est, sed & qui fuerunt in peccatis & non egerunt pœnitentiam, non solùm non exaudientur orantes, sed etiam Deum irritant, in memoriam ei suam reuocantes prauitatem. Vitate ergo huiusmodi ministeria, tanquàm latratum canis & mercedem meretricis: vtraque enim sunt prohibita legibus. Neque enim accepit Elisæus ea quæ sibi allata fuerant ab Azaël; neque Achias, ea quæ à Hieroboam, Si autem Dei Prophetæ non acceperunt munera ab impijs, cùm ne vos quidem oporteat ô Espiscopi; fuge ô Episcope, quæ non sunt ad Dei altare admittendæ oblationes. *Recede enim, inquit, ab iniusto, & non terreberis; & tremor non appropinquabit tibi.* Dicat autem Salomon quoque

Deut. 23. *4. Reg. 8.* *3. Reg. 12.*

populo tibi subiecto; *Honora Dominum ex iustis tuis laboribus, & offer ei primitias ex tuis fructibus iustitiæ.*

Prou. 8.

Eiusdem Libri, Cap. 8.

Ex iusto ergo labore Fidelium, nutrite & induite eos qui sunt egeni: & quæ ex ijs colliguntur pecunias ordinatè, dispensantes ad commeatus pauperum, liberãtes seruos, captiuos, vinctos, probris ac contumelijs affectos, qui condemnatione propter nomen Christi à Tyrannis veniunt ad metalla & ad mortem: Dicit enim Scriptura; *Libera eos qui abducuntur ad mortem.*

Prou. 24.

Eiusdem Libri Cap. 10.

Si autem aliquando necesse fuerit vel inuitis accipere pecuniam ab impio, eam consumite in ligna & carbones; ne si ex eis acceperit vidua vel orphanus, necesse habeat emere cibum & potum secùs atque decet; æquum est enim ea igni absumi. Nam hæc quoque lex dicit; à malis vespere factum sacrificium iubens igne consumi. Qui enim ab huiusmodi hominibus accipit, qui perseuerant in malis & non agunt pœnitentiam; in precatione cum eis communicat, & Deum molestia afficit qui auersatur iniustos; & eos ædificat per indignam communicationem, & simul cum eis polluitur, non sinens eos venire ad pœnitentiam.

Leuit. 16.

Ab hominibus qui perseuerãt in malis, non accipienda oblationes.

Ex Gregorio Theologo aduersus Iulianum.

Deus enim cũ sit plenus, nullo indiget ex ijs quæ sunt humana & parua, vt lætetur ijs quæ indignè offeruntur; iniqui (etsi sit vitulus) sacrificium abhorrẽs tanquàm canem, & thus tanquàm blasphemiam; & pretium meretricis, ex sacro exterminans & excutiens: solùm autem honorans sacrificium, quod in loco mundo manus offerunt, ménsque excelsa & casta.

Sacrificium iniqui abhorret Deus.

Ex epistola Isidori ad Eusebium Episcopum; Epistola. 37.

Extruis, vt aiunt, in Pelusio Ecclesiam, ædificijs quidem & molitionibus præclaram; malam autem studijs, iniurijsque & contumelijs, pauperúmque oppressionibus & sumptibus. Quod quidem nihil est aliud quàm *ædificare Sion in sanguinibus*, & Ierusalem in iniquitatibus. Non opus habet Deus sacrificio ex alienis; sed id abominatur tanquàm canem qui sacrificatur. Cessa ergo & extruere & iniuriam facere, ne illa domus inueniatur apud Deum ad tui reprehensionem; & quæ stet quidem excelsa & sublimis, perpetuò autem & assiduè aduersus te clamet cum Ieremia: *Væ qui ædificat domum suam in altum & non cum iustitia, & cœnacula eius non in iudicio;* Apud propinquum suum gratis operatur, & mercedem eius non reddet: & ex qualibus malis est extructa, vt quæ & fraudatas mercedes exigat, & eorum qui damno sunt affecti quærat vltionem.

Qui ex pauperũ afflictionibus ædificat ecclesiam, is ædificat Sion in sanguinibus.

Mich. 3. c

Ier. 22.

Quantam bonorum suorum mensuram debet quispiam Deo offerre? Quæst. 12.

Cùm Græci, & qui lege carebant, suos filios & filias Dijs sacrificarint; quid afferre possumus ad nostram defensionem? Quando enim etiam ipsam carnem nostram Deo obtulerimus, nihil fecimus quod sit dignum donis quæ nobis est largitus.

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Quantò enim quispiam maiora acceperit beneficia, eò magis est obnoxius supplicio ingratorum, etiamsi honore nolit esse melior: Propterea etiam qui sunt diuites, magis puniuntur quàm pauperes, cùm sint mali; Quòd nec cùm sint quidem obnoxij reddendæ rationi, euaserunt mites ac mansueti. Ne dicas enim mihi; Dederunt eleemosynam. Si non vt par est, dederũt; ne sic quidem effugient supplicium: Non enim ex mensura eorum quæ dantur dijudicatur eleemosyna, sed ex animi liberalitate. Si autem qui ex parte præbent, dant pœnas, vt qui non dant vt par est, multò magis qui cogitant auaritiam; Iussit enim Christus iustitiam nostram plus abundare quàm iustitiam Scribarũ & Pharisæorum. Quamobrem etiamsi des eleemosynam, non des autem plus quàm illi, non intrabis in regnum cœlorum.

Diuites magis puniuntur quàm pauperes. Eleemosyna quomodò diiudicetur.

Mat. 5.

Pharisæorum Eleemosyna quanta esset.

Quantum autem præbebant illi eleemosynam? Decimam omniũ quæ habebant, & posteà tertiam. Quamobrem nihil aberat quin darent tertiam partem suarum facultatum: Tres enim decimæ si simul ponantur, hoc efficiunt; & post hoc, & primitias, & primogenita, & alia plurima: vt potè ea quæ dabantur pro peccatis, & quæ pro expiationibus, quæ in festis, quæ in Iubileo, quæ in æris alieni rescissionibus, & seruorum dimissionibus, & ijs qui liberati erant à fœnore. Si autem qui dabat tertiam partem, vel potiùs dimidium bonorum (illa enim cùm ijs coniuncta, sunt dimidium.) Si ergo is qui dat dimidium, nihil operatur; quantũ erit is qui ne decimam quidem præbet? Quid enim prodest, quando multas habens diuitias, tantùm præbes quantùm si quisquam ex mari dederit cyathum; & ne mulieris quidem viduæ imitaris animi magnitudinem? Quomodò autem dicis; *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam;* cùm ipse misereare non secundùm magnam, fortè autem nec secundùm paruam? Meritò dicebat Dominus, *Pauci sunt qui seruantur!*

Luc. 21. a

Psal. 50.

Luc. 13.

Quid magis conferat, offerre pecuniam Ecclesiæ, an pauperibus? Quæst. 13.

Dominus laudans eos qui sunt à dexteris, & dicens; *Venite benedicti Patris mei;* nullius alterius rei meminit quàm eleemosynæ in pauperes & hospites & nudos, & in eos qui sunt in carcere. Sed sunt etiam Ecclesiæ quibus desunt aliqua vasa necessaria, quibúsque sunt offerenda ea quæ desunt. Qui enim cum vasa non desint, offert opulentis Ecclesijs; nescit quidnam posteà fiat ijs quæ illic congerũtur. Multæ enim Ecclesiæ cum inexplebiliter congessissent, & ea posteà non rectè administrassent; vel per negligentiam neglectui habita perierunt, vel à furibus & barbaris ablata sunt.

Mat. 25.

Ecclesiæ offerenda vasa quæ desunt.

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Non pro eo quidem quòd Ecclesias non ornârit, nemo vnquàm fuit accusatus: pro eo autem quòd pauperum non sit misertus, gehennæ & ignis inextinguibilis minæ sunt intentatæ, & cruciatus cum dæmonibus. Domum ergo ornans, ne despicias fratrem qui affligitur: Is enim est magis propriè templum, quàm illud. Et hæc quidem vasa pretiosa ac splendida quæ reconduntur, poterunt accipere & reges infideles, & tyranni, & prædones: Quæ autem feceris fratri esurienti, & hospiti qui est nudus, ne diabolus quidem possit eripere; sed sita erunt in thesauro quem nemo poterit surripere.

Propter Eleemosynam non factã, minatur Deus gehennã. Eleemosynam ne diabolus quidem potest capere. Pauperũ curã gerẽdã maximè sanctorũ.

Ex eodem, in Epistolam ad Philipenses.

Non est enim paruum sed magnum bonum, conari pro viribus curam gerere sanctorum. Facit enim vt simus participes bonarum illarum mercedum quæ sunt illis repositæ, dicit enim Apostolus; *Communicant nobiscum in corporalibus, communicamus cum ipsis in spiritualibus:* si cum animi alacritate & fide sanctis seruiamus, mercedum illarum partem habebimus. Propterea dicit Christus; *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt vos suscipiant in cœlestia tabernacula.* Sancti autem sunt omnes, qui fidem rectam habent cum vita. Nam etiamsi signa non faciant, etiamsi dæmones non eijciant; sunt sancti. Ioannes enim qui est *maior inter natos mulierum* non videtur vllum fecisse signum.

Luc. 16.

Sancti qui nam sunt.

Mat. 11. b

Ioh. 10 g

Ex magno Basilio in Asceticis.

Potest enim Deus etiam absque nobis alere suos famulos; sed dedit nobis locum oblationis, & argumentum salutis. Excepisti sanctum? excepisti Christum. Honorasti eum qui fuit honoratus à Christo? honor ascendit ad Dominum. Accipe sanctos socios in hoc seculo, vt ipsi in illo seculo accipiant te socium. *Facite,* enim, inquit, *vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt vos suscipiant in æterna tabernacula.* Eorum enim egestas & mendicitas, est tibi occasio verarum diuitiarum, ô diues. Per eos enim inuenisti Christi nutritor & Christi

Pauperes sunt diuitibus argumentũ salutis. Paupertas est occasio verarũ diuitiarũ.

cooperator, nutriens milites Christi, & Christum qui dicit; *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* A

Mat. 24.

Ex Clementis Alexandrini Stromatibus.

Eleemosynæ sunt faciendæ cum iudicio.

Eccl. 12.

Eleemosynas oportet facere, inquit, Verbū sed cum iudicio, & dignis. Quomodò enim seminat agricola, non absolutè in terram, sed in terram bonam: ita est seminanda beneficentia in pios homines & spirituales, vt eorum fructū per preces assequaris. Scriptum est enim à Sirach; Benefac pio, & inuenies remunerationem, & si non apud eum, at certè apud Altissimum.

Si quis habeat vxorem & filios & diuitias, & rerum secularium curam gerat; quomodò potestis Deo placere, & seruare Dei præcepta? Quæst. 14.

Si non in vnaquaque generatione Deo placuissent viri huiusmodi, qui in mundo (inquam) erant in diuitijs, & matrimonijs, & potestate, copijsque & delitijs, aliquid fortassè haberent quo se defenderent, qui in suis peccatis tales afferunt prætextūs. B Nunc autem videmus in diuinis Scripturis, omnes ferè qui Deo erant grati, Deo placuisse in mūdo & diuitijs & liberis. Dico autem Abraham, & Iob, & Dauid, & similes. Bonæ enim sunt diuitiæ, non autem sunt peccatum. Audiant ergo Apostolum de his ad Timotheum scribentem & dicentem; *Diuitibus in hoc seculo præcipe non altum sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum; bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, & communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonū in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Et rursus alibi, *Hoc autem dico, fratres, tempus de cætero breue est, vt qui habent vxores, sint tanquàm non habētes; & qui flent tanquàm non flētes; & qui gaudent tanquā non gaudētes; & qui emunt, tanquàm non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtentes: Præterit enim figura mundi huius.* C

Diuitis in hoc seculo, possunt esse salui.

1. Tim. 6.

1. Cor. 7.

Ex magno Basilio in Asceticis.

Duo vitæ genera, coniugium & virginitas.

A coniugatis etiam Deus exiget rationem temperantiæ & sanctificationis.

Gen. 18. & Mat. 19.

Propterea enim Deus benignus & clemens curam gerens nostræ salutis, in duo vitæ genera diuitres hominum, nempe in Coniugium Virginitatem, vt qui non potest ferre præmium Virginitatis veniat ad cohabitationem mulieris: illud sciens, quòd exigetur ratio temperantiæ & sanctificationis etiam à sanctis qui degunt in coniugijs & alendis liberis: cuiusmodi erat in veteri quidem Testamento Abraham, qui Dei iussu vnicum filium sacrificans citra commiserationem, valdè est gloriatus; D & sui tabernaculi portas habebat apertas paratus ad excipiendos qui veniebant hospites. Non audierant; *Vende quæ habes & da pauperibus*; & his maiora fecerunt Abraham & Iacob & Samuël & Dauid, & alij plurimi: In nouo autem Testamento, Petrus & reliqui Apostoli. Exigentur enim à quolibet, fructus suæ dilectionis in Deum & in proximum, & declinationis ab his mandatis & ab omnibus in quibus se iniquè gessit. Dicit enim Dominus; *Qui diligit patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus* Et; *Qui non odit patrem suū, & matrem suam, & filios, & præterea suam animam, non potest esse meus discipulus.* An non tibi videtur proposita esse Euangelia ijs etiam qui iuncti sunt vxoribus; Ecce tibi declaratum est, quòd à nobis omnibus hominibus exigetur E obedientia Euangelij, tam Monachis quàm coniugatis. Sufficiet enim ei qui est iunctus matrimonio, ad veniam peccati, quod liceat ei vti libidine & cōsuetudine cum muliere. Reliqua autem mandata ex æquo omnibus constituta, non sunt extra periculum ijs qui illa transgrediuntur: Christus enim Patris mandata annuncians, differebat cum ijs qui sunt in mūdo. Quòd sicubi contigisset eum seorsum interrogatum respondere, suis discipulis testificatur, dicens se omnibus dicere. Ne ergo labaris tu qui elegisti coniunctionem cum muliere, tanquàm qui possis mundum liberè amplecti. Pluribus enim tibi laboribus custodia opus est ad assequendam salutem, vt qui in medio laqueorum & potentiæ virtutum quæ à Deo defecerunt, habitare elegeris; & in conspectu habeas irritamenta peccatorum, & ad ipsam

Luc. 14.

Obedientia Euāgelij exigitur ab omnibus.

Laborandū magis Coniugato quàm Monacho.

cupiditatem noctu & interdiu omnes tuos sensus excitas. Scias ergo quòd Aduersarij non effugies palæstram, nec ad eius pertinges victoriam, absque multis documentis Angelicis quæ tibi sunt proposita ad custodiam.

Cùm dicat Apostolus, quòd mundi potestates sunt à Deo ordinatæ; An omnis Princeps & Rex & Episcopus à Deo præficiatur? Quæstio. 15.

Cùm Deus dicat in Lege; *Dabo vobis Principes secundū corda vestra:* est euidēs quòd ex principibus & Regibus, alij quidem à Deo præficiuntur tanquàm digni eo honore; alij autem rursus cūm sint indigni, Dei permissione aut voluntate præficiuntur populo digno eorum indignitate. De ea re audi aliquas narrationes. Quando Phocas tyrannus factus fuit Imperator, & per Bonosum lictorem eas cœpit facere sanguinis effusiones; quidam monachus in ciuitate Constantinopolitana vir sanctus & qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo disceptabat dicens in simplicitate: Domine cur eum fecisti imperatorem? Deinde cùm permultis diebus hoc dixisset, vox ad eum venit à Deo dicens; Quoniam non inueni peiorem. Fuit etiam quædam alia ciuitas in Thebaide iniqua, & quę multa faciebat scelerata & execranda; in qua vir quidam perniciosissimus ex populo, per falsam quandam compunctionem repentè recedēs tonsus fuit, & monasticum induit habitum; minimè tamen cessauit à sceleratis actionibus. Accidit ergo vt decederet Episcopus ciuitatis, cuidam autem viro apparuit quidam Angelus, dicens: Vade, & fac vt ciuitas Episcopum eligat eum peregrinum qui illic habitat. Abiens ergo fecit quòd iussus fuerat. Ille autem electus ex populo cœpit apud se esse elatus, & sibi valdè placere. Accedens autem Angelus Domini ei dicit; Cur superbis & magnificè tibi places, ô infelix? re vera non tanquàm dignus sacerdotio factus es Episcopus; sed quia hæc ciuitas tali digna erat Episcopo. Quamobrem quando videris indignum aliquem & sceleratum Regem, aut principem ac magistratum, & Episcopum, ne mireris, neque Dei accuses prouidentiam: sed disce & crede quòd propter nostras iniquitates tradimur eiusmodi Tyrannis, & ne sic quidem à malis abstinemus.

Ier. 3.

Ex Regibus alij præficiuntur tanquam digni, alij indigni præficiuntur Deo permittente.

Phocas Imperator, quo nō potuit inueniri peior.

Propter nostras iniquitates tradimur malis Regibus & malis Episcopis.

Osee. 8.

Ex Osee.

Regnauerunt & non per me; magistratum gesserunt, & non norunt me, dicit Dominus.

Ex Esaia.

Esa. 3.

Et constituam adolescentes eorum Principes, & illusores eis dominabuntur, dicit Dominus.

Ex eodem.

Ier. 7. & 14.

Hæc dicit Dominus huic populo; Dilexerunt mouere pedes, & non pepercerunt: & Deus non cōplacuit in eis. Nunc recordabitur iniquitatum eorum. Et dixit mihi Dominus: Ne preceris pro hoc populo in bonum, quoniam si ieiunauerint, non exaudiam preces eorum; Et si obtulerint holocausta & sacrificia, non complacebo in eis; quoniam in gladio & fame & morte ego consummabo, & tradam eos in necessitates omnibus regnis terræ, per Manassem filium Ezechiæ Regis Iuda, de omnibus quæ fecit in Ierusalem.

Ex Isidoro in Epistolis: Theodosio monacho, Epistola. 39.

Sciendum est quòd propter peccatū vnius, sæpè flagellatur regio & ciuitas, vt dicit Ecclesiastes, quod vnus peccans perdet multam bonitatem, quod etiam cognouimus factum fuisse in Dauide. Quando enim propter res secundas superbus & arrogās euaserit Princeps; in eius ægritudine & cōdemnatione euadit populus deterior, non iniustè castigatus, sed vnoquoque recipiente mercedem suæ actionis, & à diuina excidente clementia, propter latam in Principem sententiam.

Propter peccatum vnius, sæpè flagellatur regio.

In bono peccans multa bona perdet.

Eccl. 9. d

2. Re. 24. e

Ex constitutionum Apostolicarum Libri Cap. 8.

Neque enim Rex impius est vtique Rex, sed tyrannus. * Neque Episcopus ignorātia aut mala mente oppressus, est ampliùs Episcopus, sed falso nomine ita appellatur; non à Deo præfectus, sed ab hominibus, vt

Rex impius est tyrannus.

** Cautè legē ista ex apocrypho libro accepta, nam Episcopus malus, aut imperitus verus Episcopus est, tametsi & dignitate & nomine indignus.*

Iere. 27. & 28.

Ananias & Semeas in Israël, & Sedechias & Achias falsi Prophetæ in Babylone.

Ex Chrysostomo.

Rom. 13. Potestas est semper à Deo sed non semper singuli principes.

Non est, inquit, *potestas nisi a Deo*: Quid dicis? Quomodo ergo Princeps electus à Deo? Non hoc, inquit, non à nobis nūc agitur de singulis principibus, sed de re ipsa. Esse enim principes ac magistratus; & alios quidē regere, alios verò regi; & nec omnia temerè ac confusè ferri, populis tanquàm fluctibus huc & illuc circū actis; dico esse opus Dei sapiētiæ. Propterea non dixit; *Non est enim Princeps nisi a Deo ordinatus*. Ita etiam quando dicit, quidam sapiens: A Domino coniungitur viro mulier; hoc dicit, quòd Dominus fecit matrimonium, non quòd ipse coniungit vnumquémque simul viuentem cum muliere: Videmus enim multos in malo & illegitimo matrimonio habentes mutuam vitæ consuetudinem.

Matrimoniū quomodò sit à Deo.

Neque hoc esse Dei reputauerimus; sed, quòd *ab initio masculum & fœminam facit eos & dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

Gen 1. Mat. 19.

An quæcunque mala faciunt nobis gentes: ea faciunt iussu Dei? Quæst. 16.

Deus suos peccā es tradit aduersarijs; non ad interitum, sed ad castigationem. Baruch. 4.

Benignus quidem & iustus iudex Deus, nobis peccantibus nos sæpè tradit aduersarijs, non ad interitum, sed ad castigationem ac disciplinam, vt per Ieremiam dicit Israëli: *Confidite populi, in monimentum Israël venundati estis gentibus, non ad interitū; sed propterea quòd vos Deum ad iram prouocastis, traditi estis aduersarijs, Irritauistis enim Deū qui vos fecit.* Inimici autē & iniqui & impij, propriè seruientes iniquitati, faciunt nobis grauia & Deo minimè grata; pro quibus omnibus æternū referēt supplicium. Traditus enim est Israël, vt dictū est, aduersarijs; vt ipse parcè & benignè castigaretur: Assyrij autē illos tractatūt acerbè & inclemēter. Audi quid dicat Deus per Zachariam Israël de Assyrijs, *Æmulatus sum Ierusalem & Sion Zelo magno, & ego irascor ira magna aduersus eos qui vos inuadunt, propterea quod ego quidem parum iratus sum, ipsi verò vos simul inuaserunt ad malum.* Similiter autem etiam per Esaiam: *Iratus sum*, inquit, *in populum meum filia Chaldæorum: Polluerunt hæreditatem meam, ego autem dedi ipsos in manum, tuam tu autem non dedisti eis misericordiam: senioris grauasti iugum vehementer, & dixisti, In æternum ego tibi imperabo: Non cogitauisti hæc in corde tuo, neque meminisli nouissimorum: Nunc autem veniet repentè super te interitus, & non cognosces: Fossa, & cades in ipsam: & veniet super te exitium, & non poteris esse munda.* Hic ergo dicimus quòd qui belligerantur & nos iniuria afficiunt, vltimum subibunt supplicium. Nos autem debemus scire, quòd propter peccata nostra sæpè tradimur, vt dictum est, in manus iniquorum inimicorum, iusto Dei iudicio. Dicit enim rursus Esaias de Israël: *Quis dedit in direptionem Iacob: & Israël, iis qui ipsum spoliârunt? Annon Deus cui ipsi peccarunt, & noluerunt ambulare in viis eius, neque audire legem eius, & induxit in ipsos iram furoris sui, & inualuit aduersus eos bellum; & veluti circum circa fugientes, non cognouerunt vnus quisque ipsum neque intellexerunt?* Et rursus: *An non potest manus Domini seruare: aut vnusquisq; grauauit aurem suam vt non exaudiret? Sed peccata nostra separāt inter nos & Deū, Et propter peccata nostra auertit faciem suam à nobis ne misereatur; Manus enim nostræ sunt pollutæ sanguine, & digiti nostri in peccatis; Labia autem nostra locuta sunt iniquitatem, & lingua nostra meditata est iniustitiam: Nemo loquitur iusta, nec est iustum iudicium.* Similiter Ezechiel quoque dicit in persona Dei: *Ego tradam vos in gladium, & omnes cadetis in cæde, quoniam vocaui vos, & non me audistis, Locutus sum, & aurem non præbuistis, & fecistis malum coram me; & quæ nolebam, elegistis.* Et rursus: *Et cognoscent omnes gentes quod propter peccata vestra in captiuitatem abducti estis domus Israël: Propterea quòd me spreuerunt, auerti quoque faciem meam ab eis, & tradidi eos in manus inimicorum suorum, & ceciderunt omnes in gladio; Secundùm immunditias eorum feci ipsis.* Nihil ergo ex ijs quæ aspera & grauia accidunt, iniustè in peccantes aduenit, sed omnia iusto Dei iudicio; & iniquitates, nobis mala conciliant: *Insignum* enim, inquit, *iniustis adueniunt*; A Domino enim sunt iusta omnia. Et; *Si nostra*, inquit, *iniustitia, Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniustus Deus qui iram infert? Secundum hominem dico; Absit*: est enim in nostra potestate & libero nostro arbitrio salus nostra & interitus, vt scriptum est; *Deus ab initio fecit hominem & dimisit eum in manu consilij sui*: Et, *ante hominem est vita & mors, & quod ei visum fuerit dabitur ei.* Quamobrem sapiens monet, *Ne mortem æmulemini in errore vitæ vestræ; neque attrahatis exitium in operibus manuum vestrarum; quia Deus mortem non fecit, neque delectatur in perditione viuorum*; ostendens nostram euersionem sponte à nobis eligi. Dicit rursus: *Impij, manibus & verbis eum accersierunt.* Huius rei testis est, vt theologicè dicam, qui erat Lucifer propter splendorem dictus, & factus tenebræ propter elationem: Cuius causam magnus quoq; admirās Esaias, dicit miserabiliter; *Quomodo cecidit è cælo Lucifer, qui manè oriebatur, contritus autem fuit in terram qui vulnerabat in omnes gentes.* Deinde inuehens in liberam & spontaneam eius auersionem & amentiam, subiungit: *Tu autem dixisti in corde tuo: In cælum ascendam, super astra cæli ponam sedem meam, sedebo supra montes excelsos qui sunt ad Boream, Ascendam supra nubes, ero similis Altissimo.* Similiter ostendens etiam iustum Dei de eo iudicium, subiungit: *Nunc autem ad Inferos descendes & in fundamenta terræ.* Vides quemadmodùm iniquitatem locutus est in altum; & cùm se pronunciasset Apostatam & desertorem, cecidit iusto Dei iudicio? Meritò ergo dicebat Sapiens: *Labia insipientis ducunt eum ad mala; Os autem eius audax, mortem inuocat.* Sic ergo Adam & Eua, eius fraude & consilio seducti, cùm eo morbo laborassent quòd Deo vellent esse æquales, & mandatum Dei essent transgressi; ceciderunt ex Paradiso, & facti sunt hæredes mortis. Vnde iustus Iudex, Euæ quidem dicit: *Multiplicans multiplicabo dolores & gemitus tuos; In doloribus paries filios tuos, & ad virū tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur.* Adæ autem: *Quoniam audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno è quo iussi tibi ne comederes, maledicta terra in operibus tuis; in doloribus eam coles omnibus diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos producet tibi; Et comedes ex herba agri; in sudore vultus tui comedes panem, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, Quoniam terra es, & in cinerem reuerteris.* Similiter etiam dixit Cain propter cædem fratris: *Cur hoc fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Et nunc tu execratus à terra quæ aperuit os suum vt exciperet sanguinem fratris tui ex manu tua; operare terram, & non adijciet tibi dare virtutem suam; Gemens & tremens eris super terram.* Cæterùm de ijs quoque qui inundatione sunt obruti propter suas iniquitates, dicit ad Noë: *Tempus omnis hominis venit coram me, quoniam impleta est terra ab ipsius iniquitate; Et ecce ego corrumpo ipsos & terram.* Ita etiam de Sodomitis qui fuerunt combusti propter eorum peccata & nefaria scelera, dicit Abrahamo: *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est apud me, & peccata eorum magna valdè.* Et deinceps: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, ignem & sulphur à Domino ex cælo, & euertit has ciuitates & omnem regionem finitimam & omnes qui habitabant in ciuitatibus.* Ita etiam qui graui corde erat Pharao, obrutus fuit cum vniuerso exercitu: & quicunque tentârunt & ad iram prouocauerunt Dominum in studijs suis, exosi fuerunt & abominabiles; & sunt exterminati propter suas iniquitates, à Dei iudicio qui *reddit vnicuique secundū opera sua.* Et ideo Legem ferēs dicebat: *Si quis accuset proximum suum quòd ei aliquam fecerit contritionem: oculus pro oculo, Dens pro dente, prout accusauerit hominem ita dabitur ei.* Vnde etiam Propheta: *Quomodo fecisti* (inquit) *ita erit tibi, Retributio tua retribuetur in caput tuum.* Dicit etiam Liber Iudicū: *Persecutus est Adonibezec, & amputauit ei summitates manuū & pedū: Dixit autem Adonibezec: Septuaginta Reges amputatis manuū ac pedū summitatibus, colligebant quæ erant sub mensa mea: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Meritò ergo dicebat sapiens; *Per quæ quis peccat, per illa etiam punitur.*

Zach. 8. — Esa. 47. — Esa. 42. — Esa. 54. — Ezec. 24. — Rom. 3. — Eccl. 15. — Sap. 1. — Esa. 14. — Isa. 14. — Gen. 2. — Gen. 4. — Gen. 6. — Gen. 19. — Ex 14. f — Ps. 61. d — Deu. 19. — Iud. 1. — Sap 11.

Ex Exodo.

Exod. 22. *Dixit Dominus Moysi: Omnem viduam & orphanum non affligetis; Sin autem malitia eos affligetis, & clamantes ad me fuerint vociferati; audiens audiam vocem eorum, & ira excandescam, & vos occidam gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri orphani.*

Ex Iob,

Iob. 21. *In diem perditionis alleuatur improbus; in diem iræ suæ, odio habebitur.*

Prou. 16.

Ex Salomone.

Omnia opera Domini eum iustitia; reseruatur autem impius in diem malum.

Ex Sirach.

Eccl. 39. *Qui facit mala, in ipsis inuoluetur, & non cognoscet vnde veniant ad eum.* Et; *Iustitia extollit gentem; tribus autem, diminuunt peccata.* Et; *Sunt spiritus qui creati sunt ad vindictam, & in ira eorum firmarunt flagella sua; In tempore consummationis effundunt virtutem, iram eius qui fecit ipsos, & laborabunt; Ignis & grãdo & fames & mors, hæc omnia creata sunt ad vindictam: Dentes ferarum & Scorpij, & Vipera, & gladius vlciscens impios ad interitum. Mors enim & maliillatio, fames & contritio & flagellum, aduersus impios creata sunt hæc omnia, & propter ipsos factum fuit Diluuium.*

Eccl. 40. b

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Afflictio non immeritò datur hominis. Si enim cùm sint bella & tot minæ & tentationes, peccamus; quinam essemus si securè viueremus? Et si velis, considera Primũ hominem. Si enim cùm breue tẽpus, fortè autem ne vnũ quidem totum diem vixisset in Paradiso, & deliciis se dedisset, eò venit sceleris vt etiam se Deo fore æqualem visione apprehenderet; & deceptorem, existimaret benefactorem; & vnum mandatum non obseruarit: si quæ secuta est, vitam egisset sine vlla afflictione; quid non fecisset?

Ex Isidoro in Epistolis: Calliopio Presbitero; Epistola. 73.

Deus cur ne suis quidem parcat Ecclesijs & intemeratis Sacramentis.

Re. 4. Miraris ô dilecte, quemadmodùm Deus non parcit suis Templis ac Basilicis, quando terræ immittit timorem: Sed habes in Scripturis accuratã eius rei declarationem. Si enim Arcæ sanctæ non pepercit, sed eam dedit alienigenis cùm eius Sacerdotibus qui deliquerant, & multa sanctitudine; & Cherubin gloriæ, & vestes, & Prophetiam, & Chrisma, & Legion declarationem dedit conculcanda & polluenda gentibus: ne sanctis quidem parcit Ecclesijs & intemeratis Sacramentis; vt cùm ne suis quidem sanctis parcat, delinquentes inclinet ad metum & sanctificationem, sæuiorem propter ea quæ agunt expectantes cruciatum.
Zach. 11. *Vlulate enim*, inquit, *omnes quia cecidit cedrus.* Forribus cadentibus, erudiantur ac castigentur quæ sunt imbecilliora:
Pro. 21, b *Cadentibus* enim *impijs*, inquit Salomon, *iusti terrentur.*

Vtrum omnes qui præcipitantur, aut demerguntur, aut obruuntur; ex diuinis minis & iussu hoc patiuntur, an ex Maligni operatione. Quæst. 17.

Rom. 11. Quòd, sicut diuina dicit scriptura, Dei quidem iudicia sunt imperscrutabilia, & *viæ eius inuestigabiles*, est perspicuum.
Iob. 1. Cæterùm nec omnes qui violenta morte obeunt, hoc patiuntur propter peccatum: Filij enim Iob, licet essent iusti, à domo sunt obruti: & hoc nos docet Christus dicens quòd non magis erant peccatores quàm ij qui habitabant in Ierusalem, *duodecim illi viri super quos cecidit turris Siloe*: neque rursus illi *quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificijs.*

Luc. 13. *Occulta Dei iudicia in morte violenta quæ bonis accidit.*

Quamobrem hinc discimus quod iusti sæpè moriuntur morte violenta, obscuris & occultis Dei iudicijs, quæ fiunt tribus modis. Nam nonnullos quidem sanctos sæpè permittit Deus, vel à feris interimi, vel à terræ motu, vel ab aquis aut præcipitiis, vt cæteri, terreantur dicentes; Si hic cùm esset vir talis, hoc passus est, quid passuri sumus nos peccatores?
1. Pe. 4. d *& si iustus vix est saluus, impius & peccator vbi parebit?* Alij autem rursus parua fortè habent delicta, quæ cùm sint per illam plagam eis condonata, perfecti deinde apud Deum inueniuntur.

Peccata leuia sæpè condonantur ijs qui sunt affecti morte violenta, vt apud Deum inueniantur perfecti.

A Aliqui autem alij, vt potentes, peccatis populi susceptis, sæpè traduntur renationibus & morti grauissimæ pro eorum susceptione, & sibi & populo maiorem inde efficientes salutem. Etenim Christus *propter peccata nostra fuit vulneratus*, & pro nobis mortem suscepit. Hoc ergo scientes, ne miremur videntes Isaiam qui serra dissecatur, Ioannem qui capite truncatur, Stephanum qui lapidibus obruitur, & Petrum qui in Crucem agitur; & multos alios qui incidunt in grauia pericula & crudelia mortis genera.

Pro populi peccatis sæpè moriuntur viri potentes.

Malis viris tribus modis fiunt mortes violentæ.

Similiter autem in malis quoque viris, tribus modis fiunt mortes violentæ: vt illis in graues cruciatus incidentibus cæteri reddantur temperantes ac moderati; aut illi quoque morientes inueniant illic partem quietis & relaxamenti: Illic enim plurimam inueniunt salutem, qui
B morte acerba separantur à corpore. Hoc autem significans dicebat Christus de quibusdam ciuitatibus quæ non recipiebant eius prædicationem: *Terræ Sodomorum & Gomorrhæorum erit tolerabilius in die Iudicij, quam illi ciuitati.* Mat. 10. Aut rursus ex ira diuina & Dei minis, vt in Pharaone euenit & in diluuio. Nam alij quidem hîc puniũtur, & solummodò; vt Lazarus: Alij autem, & hîc ex parte & rursus illic, ex parte, vt qui conflagrârunt Sodomis, Alij autem illic solũ; vt diues qui negligebat Lazarum. Ne dicas ergo nec curiosè scruteris, cùm videris aliquem præcipitatum, aut suffocatum; Cur sic fit mortuus! Nunquid venit hora eius, aut mortuus est ante tempus? Sed scias etiam quòd ex prudentiæ iudiciiq́ue egestate & arrogantia, sæpè incidimus in tentationes & calamitates & mortem.
C Quod quidem ijs vsuuenit qui cernentes hibernam aëris mutationem; & ex portu nauem educunt, & seipsos in alia inijciunt pericula; vt qui liberum habeant arbitrium; Deo non volente, sed nec Diabolo; hæc & quæ sunt huiusmodi sua facientes potestate & auctoritate.

Liberũ Arbitrium.

Nam cùm dicat Christus; *Vestri autem capitis capilli omnes sunt numerati*; est perspicuum quòd non solũ in homines, sed nec in bruta & porcos potestatem habet Satanas, vt testatur Euangelium. Luc 12. In huiusmodi ergo genere mortis; mors quidem (vt dictum est) aliquando euenit Dei minis in ijs qui peccant nullam agentes pœnitentiam; vt in diluuio & Sodomis Mat. 8. scriptum est enim; *Mali sunt in morte inhonesta & indecora:* Et; *Mors peccatorum mala:* Et; *Prætereunte procella aboletur impius, & iustus emergit ei venatione manuũ, pro eo autem tra-*
D *ditur impius.* Psal. 33. Aliquando autem ex permissione; vt in filijs Iob: aliquando autem ex sola Dei scientia; cùm neque ei placeat, neque eam prohibeat: Dicit enim; *An non duo passeres asse veneunt, & vnus ex ijs non cadet in terram, absque Patre meo qui est in cælis?* Hæc autem dicebat, ostendens quòd eo ignorante non fiunt; non tamen operante in omnibus. Mich. 10. Fortè autem sæpè etiam Dei consilio quidam morte violenta moriuntur; ad suam, vt dixi salutem. Nam cùm Deum rogasset Mauricius Imperator, vt in hoc mundo pœnas lueret pro suis peccatis; vidit in somnis quendam illustrem Regem iubentem cum tradi Phocæ militi: quod etiam accidit.

Mauricius mortuus est morte violenta ad suam salutem.

Erat etiam quidam alius Anachoreta, clarus signis & prodigijs, habens quendam discipulum secum in solitudine.
E Contigit autem vt quodam die eius Discipulus veniret in quandam ciuitatem quæ habebat Principem sceleratum & impium, & inueniret eum mortuũ efferri cum magna turba & honore & vnguentis & suffitibus: Cùm autem rediisset in Desertum, inuenit suum præceptorem ab hiæna deuoratum.

De quodam Anachoreta.

Cœpit itaque angi animo, & propemodum, iudicio cum Deo contendere & dicere; Vbi est, ô Domine, iustum tuum iudicium? Quomodò sceleratus iste princeps qui te sæpè ad iram prouocauit, mortuus est adeò gloriosè; Hic autem sanctus qui tibi multùm seruijt, à fera captus mortem obijt? Cùm, his ergo & huiusmodi verbis ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei Angelus Domini & dixit: Ille princeps cùm esset omninò sceleratus, habuit vnum opus bonum; & per honorem illum quem assecutus est dum efferretur,

efferretur, accepit mercedem huius vnius boni, & illùc abijt absolutè ac perfectè condemnatus: Tuus autem præceptor, cùm omnia fecisset quæ Deo erant grata; habebat ipse quoque, vt homo, paruum aliquod delictum; & per hanc mortem, hoc amisit, & abijt illùc planè purgatus & expiatus. Quamobrem non est condemnationis sententia in eos pronūciãda qui in mortem violentam inciderunt; nec dicendum, quòd propter peccata eam mortē passi sunt: Nemo enim potest apertè scire quo iudicio Deus hæc administret. Nam etiam iustis viris sæpè accidit, vt eiusmodi morerentur, cùm obscura & incerta esset eius occasio. Dicit enim

Eccle. 3.

Ecclesiastes: *Est iustus qui perit in iustitia sua, & est impius qui manet in suo vitio, & est iustus cui occurret aliquis casus tanquàm iusto.* Et Dauid dicit:

Psal. 78.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam; Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem tanquàm pomorum custodiam, posuerunt morticinia seruorum escas volucribus cœli, carnes sanctorum tuum bestiis terræ, Effuderunt sanguinem eorum tanquàm aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

Multis iustis prodest viuere pauco tempore.

Sed & multis ex iustis prodest quòd viuant pauco tempore, vt olim dixit Salomon:

Sap. 4.

Qui fuit Deo gratus, fuit dilectus, & viuens inter peccatores fuit translatus; raptus fuit ne vitium mutaret eius intellectum, aut dolus deciperet eius animam; Nam fascinatio improbitatis obscurat bona, & effrenata concupiscentiæ instabilitas mentem simplicem labefactat. Perfectus in modico impleuit multa tempora, erat enim Domino grata eius anima, propterea festinauit ex medio improbitatis.

Et boni & mali incidūt in infirmitates.

Gen. 21.

Quinetiam cùm infirmitatibus corporalibus & assiduis cōfigantur peccatores, & viri iusti sæpè in eas incidant, Deo permittente & volente in eiusmodi malis & perpessionibus ostendere nobis probationem fidei & patientiæ iustorum; quòd cùm res asperas & laboriosas grato animo acceperint, & mortem crudelem sustinuerint; nulla in re sunt mutati à Dei dilectione sicut Isaac qui in senectute priuatus hac luce temporali, non recessit à charitate in Deum: & Iob rursus traditus magnis tentationibus, mansit immobilis. Præterea Apostolus quoque cùm in carne sua perpetuam haberet infirmitatem, non cessauit agere Deo gratias. Quam quidem infirmitatem significans, dicit:

2. Cor. 12.

Et propter excellentem reuelationum magnitudinem, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ vt me colaphizet, ne extollar; Propter quod ter rogaui Dominum, vt discederet à me, & dixit mihi; Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Et rursus de eadem infirmitate dicit ad Galatas:

Gal. 4.

Et tentationem quæ est in carne mea non spreuistis neque respuistis, sed sicut Angelum Dei accepistis me sicut Iesum Christum. Quoniam ergo (vt ostensum est) etiam viris sanctis accidunt quidam casus, & corporales imbecillitates, & graues mortes; non possumus temerè & absolutè condemnare tanquàm peccatores eos quibus illa accidunt; ne si de rebus huiusmodi non vere pronunciemus, fiamus similes amicis Iob, qui cum vidissent vlcus terribile, & examen vermium (quatenùs Deus permisit vt à diabolo talem susciperet tentationem) condemnabant eum tanquàm peccatorem: & horribilis exitij futuri erant hæredes, vt qui locuti essent præter veritatem, nisi statim Iobi preces eis propitium Deum effecissent. Qui autem interficit, Dei quidem permissione tollit de medio hominem qui in ipsum incidit: Is autem rursus lege Dei de medio tollitur à magistratibus, vt qui sceleratam actionem concupierit & impleuerit.

Ex Nemesio Episcopo Emisseno, in Sermone de Prouidentia, Capite. 45.

De Iustis qui insontes, in mortes acerbas incidunt.

Quomodò ergò, inquit, viri sancti in acerbas mortes incidunt & in cædes, cùm sint insontes? Nam si iniustè; cur non cædem prohibuit iusta prouidentia? Sin autem iustè; nulli culpæ sunt affines qui cædem fecerunt. Ad hæc dicemus, quòd qui occidit, quidem iniustè occidit: & qui occiditur, aut iniustè occiditur, aut vtiliter. Iustè quidem nonnunquàm, propter facta scelera, nobis autem ignota. Vtiliter autem, cùm

præueniat prouidentia, ab eo admittenda maleficia; & quòd bonum sit, vt eò vsque se sistat vita. Qui autem occîdit, iniustè occidit; Occîdit enim voluntariè propter lucrum & latrocinium. Nam actio quidem est in nostra potestate, non autem perpessio; vt, occîdi. Mors autem nulla est mala, nisi quæ accidit propter peccatum, vt patet ex morte sanctorum virorum:

Nulla mors est mala, nisi quæ accidit propter peccatum.

Psal. 33.

Preciosa enim, inquit, est mors sanctorum eius. Peccator autem; &, si in lecto; &, si repentè citra dolorem moriatur; vt qui malas exequias (nempè peccatum) inferat: *Mors enim, (inquit) peccatorum mala.* Qui autem occîdit, malè occîdit: Nam in ijs quidem qui iustè occiduntur; is, in Lictorum locum se retulit; In ijs autem qui viriliter, in locum parricidarū & execrabilium hominum.

Ex Chrysostomo in ægrotum.

Nō est iustus sine aliquo peccato: sine aliquo bono.

Non est iustus qui non habeat aliquod peccatum; & non est peccator qui non habeat aliquod bonum. Si ergo videris iustum aliquem ægrotantem, aut qui in aliquam inciderit tentationem; ne turberis, sed cogita apud te, & dic: Hic iustus malum aliquod fecit omnino paruum, vt homo; & hic illud recipit, ne illic puniatur. Propterea Abraham; quoniam accidebat, vt & Lazarus haberet peccata, & diues aliquid boni; dicit: *Recepisti bona tua, & Lazarus similiter mala.*

Ex eodem, in Ioannem.

Luc. 15.

Res secundæ sunt malis viaticum maioris supplicij.

Et cur inquit, non omnes sic puniuntur? Videmus enim multos ex malis corpulentos, bonæque habitudinis, alacrésque, & exultantes, & quibus res sunt valdè secundæ. Sed quòd ij nihil hîc passi sint, hoc est viaticum maioris illic futuri supplicij: Et hoc significans dicebat Apostolus, *Iudicati autem à Deo castigamur, ne cum Mundo condemnemur.*

1. Co. 11.

Quid sit fortuna; & an liceat Christianis confiteri Fortunam. Quæstio. 18.

Deus omnia administrat, non Fortuna, nec Fatum.

Fortuna quidem dicta est apud Græcos, Mundi administratio absque prouidentia: Christianus autem confitetur Deum omnia administrare, & eorum curam gerere. Quòd si ipse quoque confessus fuerit Fortunam, excidit à Christianorum dogmate & sententia, vt Græci qui vana sentiunt. Illi enim quæcunque hominibus accidunt, & stultè adscribunt Fortunæ & Astris: Sicut etiam Pharisæi, Genesim (nempe tempus ortùs) & Fatum stolidè opinantur. Et de ijs quidem qui colunt Fortunam quæ dicitur, dicit diuina Scriptura arguens eorum amentiam & impietatem;

Esa. 64.

Qui parant dæmoni mensam, & Fortunæ miscent poculum. De Astrologis autem:

Esa. 47.

Stent; inquit, & seruent se Astrologi. Et deinceps: *Ecce omnes tanquam stipula ab igne comburentur, & non eripient animam suam ex flamma.* Similiter autem Dominus quoque triumphum agens de eorum insipientia, dicit: *Vbi autem sunt Astrologi tui? annuncient quæ tibi ventura sunt.*

Ex Gregorio Niceno, de Fato.

Aduersus Astrologos & Genethliacos.

Si exactè (inquit) & accuratè sumpta fuerit hora ortûs, eius qui est conceptus; dicunt stellæ per cōsequentiam, totam vitam eius qui natus est, tempus, studia & instituta, morum proprietates, casus & pericula, matrimonia, & filiorum procreationes, & quos assequetur honores, aut contrà, liberorum orbitates, & morbos, & ignominias, & vitæ breuitatem, & mala quæ accidunt ex paupertate. Ego autem ad ea quæ dicta erant, arridens; dixi ei: Nos latuerat, eos qui à Galeno & Hippocrate & cæteris huiusmodi originem duxerūt, Fata esse opinari.

Medici negāt fatum.

Nam illi quoque iubentes valere motum astrorum, ex subiecto per coniecturam futurum prædicunt; quomodò oculi concaui, & tempora quæ conciderunt, & frons durus adhærens pelli, mortem significant.

Signa mortis.

Dixi multis quorum corpora erant admodùm valetudinaria, & mox expectabantur esse moritura, ex arte medendi in diuersum esse retexta quæ huiusmodi fatum cogitauerat; vt de Pædotriba Herodico narrārunt scripta Platonis, quòd per gymnasticam quidem experientiam, cùm esset mor-

Herodici longæuitas.

bus lethalis, se ad perfectam quidem & absolutam non potuit reducere sanitatem: semper autem præsentem mortem aliqua excogitata ratione differens, non vitæ securitatem, sed sibi mortis parabat productionem. Quò factum est vt duraret longa morte vsque ad senectutem; hac, non moriendi, sapienter inuenta ratione. Non ergo firmum ac stabile nobis fuerit fatum, neque comprehendi potuerit; siquidem inuenitur ars aliqua quæ eius excludit necessitatem. Quid verò quæ in bello accidunt calamitates, & terræ motus, & ruinæ vrbium, & quæ simul cum viris fiunt onerariarū nauium naufragia, inundationes & conflagrationes, & terræ hiatus, & quæcunque sunt huiusmodi genera interitus? Quomodò conseruabunt ea rationem prædictionis? Quàm multas quæ acciderunt calamitates, & prioribus seculis, & nostris ostendit vita! Quod temporibus Noë fuit diluuium, & Sodomorum conflagrationem, aut Ægyptium exercitum qui submersus fuit in mari rubro; aut quæ postea factæ sunt cædes alienigenarum, & illas innumerabilium virorum occisiones, aut Israëlitici populi in breui tempore spontaneam mortem quæ in multis millibus fuit diuinitùs, aut centum & octoginta quinque millia quæ vno temporis momento cæsa sunt, & eorum quæ deinceps secuta sunt malorum, historias quæ acciderunt in Medicis & Græcis calamitatibus, in naualibus & pedestribus prælijs, & omnia quorum memoria posteris est magistra. Et si hæc omnia prætermittamus; ad eorum quæ dicuntur sufficerint testimonium, quæ nostra vidit & recensuit vita. Quis non nouit magnam Bithyniam? Quis nescit latam & amplam Thraciæ regionem; quomodò alteram quidem bellum, alteram verò terræ motus cum igne momento temporis, euertit funditùs? Quàm multi illic pueri, quot infantes, quot iuuenes, & quot grandæui, liberique & serui, domini & subiecti, diuites & pauperes, valentes & ægroti, omnes vno temporis momento perierunt; vniuersum, ignis æquè est depopulatus; & omnibus, domus fuere sepulchra. Vbi sunt astrorum illorum connexiones, quæ vitæ differentiam definiunt hominibus? Nam omnibus illis vna astrorum coniunctio effecit mœstos & calamitosos ortus; & cancer qui erat horoscopus, omnibus fati sortem iniecit? Atqui ætatum & dignitatum inumerabiles differentiæ, testantur omnes non simul in ortu conuenisse. Si ergo ortûs tempus est vnicuique diuersum, eadem autem calamitas ex causa ortûs nullam accepit mutationem; annon per hoc arguitur prædictionem esse infirmam & instabilem, & minimè consistere?

Gen. 7. Gen. 19. Exod. 15. 4. Reg. 19. Isa. 37. 2. Par. 32. Bithynia terræ motu & igne funditus euersa.

Ex Salomone. Ex Ieremia.

Væ quia ex corde suo loquuntur, & non ex ore Domini. Et; *non mittebam eis Prophetas, & ipsi currebant.* Et; *locutus sum eis, & ipsi prophetabant, dicit Dominus.*

Ier. 23. d

Ex Ezechiele.

Hæc dicit Dominus: Qui à me fuerit alienatus, & venerit ad Pseudoprophetam vt eum interroget in me; Ego Dominus respondebo ei in ipso, & obfirmabo vultum meum aduersus illum hominem, & ponam eum in signum & deletionem, & tollam eum de medio mundi, & accipiet iniustitiam suam secundum iniquitatem interrogationis.

Ezech. 14.

Ex eodem.

Et, *Væ ijs qui prophetant ex corde suo, & quod est vniuersum non vident.*

Ex Salomone.

Non est homo qui liberam habeat potestatem in spiritu, & cognoscat quid sit futurum, & vidi ego omnia opera Dei, non poterit homo inuenire opus quod factum sit sub Sole. Quantumcunque laborauerit homo vt quærat, & non inueniet. Et quæcunque dixerit sapiens vt agnoscat, non poterit inuenire. Et; sicut ossa in vtero prægnantis, ita cognoscentur opera Dei.

Eccles. 8. Eccl. 11. b

Ex Constitutionum Apostolicarum. Libri 8. Cap. 10.

Neque quicunque prophetat, est pius; nec quicunque eijcit dæmones, est sanctus. Nam & Balaam vates Prophetauit cùm esset impius; & Saül, & Caiphas. Multa autem dicit etiam diabolus & eius dæmones; & non proptereà sunt participes, vel scintillæ pietatis. Perspicuum est ergo quòd impij etiamsi prophetant, per Prophetiam suam non reuelant pietatem; neque qui dæmones eijciunt, ex eorū recessu sanctificabuntur, sed etiam vltimum subibunt supplicium. Etenim Balaam cùm Israëlem corrupisset in Beelphegor, luit pœnas. Saül & Caiphas sibi mortem consciuerunt? Et filij Sceuæ, aggredientes expellere dæmones; ab ipsis sauciati, fugerunt indecorè.

Non quicunque eijcit dæmones, est sanctus. Num. 23. 1. Re. 10. b Ioh. 12. g Num. 31 1. Re. 10. b Caiphas mortem sibi consciuit. Act. 19. c

Ex Theodoreto de dubijs Scripturæ.

Deo permittente operantur dæmones. Ita etiam Pharaonis venefici; id quod virga, & fluuio, & ranis factum fuerat, fecerunt, Deo concedente propter principis amentiam. Nam eos quidem iussit plagas à Deo illatas immittere; sed ab eis illatas non poterant soluere; Nam quæ Deus concessit, illa solùm faciebant. Hoc ergo hîc quoque declarauit dicens: *Si surrexerit in te Propheta, aut somnians somnium, & dederit signum aut prodigium & venerit signum aut prodigium quod tibi dixit, & dicat; Eamus & seruiamus Dijs alijs quos tu non nosti; non audietis Prophetam illum, aut eum qui somniat illud somnium, quoniam Dominus Deus vester tentat vos, an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde & mente vestra.* Deo enim concedente, Pseudopropheta facit prodigia. Docemur autem, non adhibere mentem signis: Nam qui hæc facit, facit contrariū pietati. Iussit autem Prophetam quoque occidi, & populum à mala doctrina liberari: *Delebitis*, enim, inquit, *ex vobis ipsis.*

Dæmones operantur Deo permittente. Exod. 8. Deut. 13. Signis & prodigijs mēs non est adhibenda. Deut. 13.

Ex Psalmis & ex Ieremia.

Nolite confidere in homine; maledictus est enim qui spem ponit in homine. Sed ægrotat puer, & tu quæris incantatorem, & curiosos characteres imponis collo infantium: Et si te somniū conterruerit, curris ad coniectorem somniorum; & si aliquid perdideris, vadis ad Varem; & si timeas inimicū, prouides vt ex hominibus habeas vnum qui te defendat: & omnia in vnaquaque re qua tibi est opus conuinceris, verbo tantùm nominare Deum, *refugium* tuum; re vera autem attrahere rerum vanarum auxilium.

Psal. 145. Ier. 17. Characteres non imponēdi collis Infantium. Psal. 30. a

Cur non præsciunt homines diem mortis suæ: & an morientes sentiant bona aut mala sibi successura.

Quæstio. 19.

Si hoc præscirent, multa fierent absurda. Vnusquisque enim habens inimicum, & sciens quod appropinquat dies mortis suæ, iret & eum morte afficeret reputans quòd siue à Deo siue ab homine esset sibi moriendum, lubenter moreretur, inimico suo priùs interfecto. Rursus qui præsciret (pone exempli gratia) quòd centum annos sit victurus, nullam curam haberet virtutis aut iustitiæ; sed totam suam vitam in peccatis, voluptatibus, & luxurijs; impenderet; & sæpe, paucis diebus ante mortem suam, inciperet agere pœnitentiam. Et quænam erit deinde homini gratia, quòd totum tempus vitæ suæ seruierit satanæ; paucos autem dies, Deo, necessariò seruierit?

Cur mortem suam homines non præsciant.

Quod autem quilibet moriens accipiat quendam sensum & certam spem futurorum pro ijs quæ gessit; dicit magnus ille Dionysius de Sacerdotibus qui dormierūt, quòd quando venerint ad finem huius vitæ, vident euidentiùs viam ad suam incorruptionem, vt quæ iam sit vicinior; & hymnis celebrant laudes diuinæ operationis, & diuina implentur voluptate, non ampliùs timentes ne conuertātur ad deteriora; sed benè scientes quòd bona acquisita, stabiliter habebunt & in æternum. Qui autem sunt repleti sordibus & maculis, si sint alicui sacro initiati mysterio, ipsi autem (eo, à mente sua perniciosè eiecto) ad exitiales transfugerunt libidines; quandò veniunt ad finem huius vitæ, non ampliùs æquè videbuntur eis despicabiles leges diuinorum eloquiorum: suorum autem vitiorum pereuntes cupiditates, alijs intuentes oculis, & sacram vitam à qua stultè exciderunt beantes; miserabiliter & non lubenter ab hac vita

Moriens quilibet accipit quēdam sensum & certā spem futurorum pro ijs quæ hic gessit. Sacro alicui mysterio initiati.

vita abrumpūtur, ad nullam bonam ſpem deducti propter vitam peſſimam. Cùm autem nihil horum fit in dormitione, ſacrorum certaminum implentur lætitia, & cum magna voluptate aſcendunt ad viam ſacræ regenerationis.

Ex Gregorio Theologo in Oratione ad Cęſarium fratrem ſuum.

Anima à corpore liberata lubenter pergit ad Dominum.

Credo ijs quæ dicunt Sapientes; quòd omnis anima bona & religioſa, poſtquàm liberata, fuerit à corpore cui eſt alligata; hinc liberata, ſtatim verſans in ſenſu & contemplatione boni quod eam manet, tanquàm repurgato eo quod offundebat tenebras, aut neſcio quid dicere oporteat; mirabili quadam voluptate afficitur & exultat; & lubenter pergit ad ſuum Dominum, vt quæ tanquàm ex tetro aliquo carcere, ex hac vita effugerit, & quibus conſtricta erat, compedes excuſſerit; & etiam veluti viſione fruitur repoſita illi beatitudine.

Ex Chryſoſtomo in Matthæum.

Neſcitis quemadmodū in nouiſſimo die anima verſatur peccata? quemadmodùm ab immo cor mouet? Vnde etiam multos licet audire narrantes terribiles viſiones: quarum nec aſpectum quidem ferentes de cæterò, ij qui excedunt; & ipſum lectum cum multo impetu concutiunt iacentes, & terribiliter aſpiciunt eos qui ſunt præſentes; ſe intrò trudente anima, & ſic dubitante erumpere ex corpore, & non ferente aſpectum Angelorum qui veniunt. Si enim pertimeſcimus, videntes homines terribiles, quantò magis Angelos, minas intentantes, & poteſtates: noſtra anima exeunte, & tracta ex corpore; multaq; fruſtrà & temerè lamentante.

A morientibus viditur boni & mali Angeli.

Quænam peccata condonantur poſt mortem, per Liturgias, Miſſæ ſacrificia, preceſque & eleemoſynas quæ fiunt pro ijs qui dormierunt? Quæſt. 20.

De his quoque rurſus dicit magnus Dionyſius; quòd ſi ſint leuia delicta eius qui deceſſit, is accipit aliquam vtilitatem ex ijs quę pro ipſo peraguntur: Sin autem ſint grauia, Deus eum excludit. Cæterùm oportet nos curam gerere noſtrarum animarum, & non ſperare eſſe conceſſam, poſt mortem, oblationem.

Oblatio pro mortuis.

Ex Conſtitutionibus Apoſtolicis: Libri 8. Cap. 42.

Preces pro defunctis.

Peragatur dies tertius mortuorum in Pſalmis & orationibus, propter eum qui tertia die reſurrexit. Item nonus in commemorationem ſuperſtitum atque defunctorum: etiam quadrageſimus ſecundùm veterem formam (Moſem enim hoc modo populus luxit) nec non Anniuerſarius pro memoria ipſius: detúrque de facultatibus illius in commemorationem ipſius.

Eleemoſynæ pro defunctis. Ezech. 7.

Eiuſdem Libri Capite 43.

Hæc autem de pijs dicimus; nam impios etſi omnes mundi facultates dares pauperibus, nihil iuuabis. Nam cui viuo infenſus erat Deus certè idem mortuo eſt iratus: non eſt enim iniuſtitia apud eum. *Iuſtus* enim eſt *Dominus & iuſtitias dilexit.* Et; *ecce homo, & opus eius.*

Ex Ezechiele.

Iuſtitia iuſti ſuper ipſum erit; & iniquitas iniqui ſuper ipſum erit: Vnumquemque ſecundùm viam veſtram iudicabo, domus Iſraël; dicit Dominus.

Ex Epiphanio in Prouerbia.

Preces pro defunctis.

Proſunt autem preces quoq; pro pijs defunctis. Nam etſi magna crimina non amputent; proſunt tamen, propterea quòd cùm ſimus homines, ſæpè labamur voluntariè & inuoluntariè. Alioquì non eſt pœnitentia poſt mortem: Non enim Lazarus illinc abijt ad diuitem; neque diues ad Lazarum. Obſignata ſunt enim promptuaria, & impletum fuit tempus, & peractū eſt certamen, & datæ ſunt coronæ; & qui ſuperati in corpore, eiecti ſunt è vita & omnia perfecta ſunt & abſoluta, poſtquàm hinc exceſſerimus.

Pœnitentia non eſt poſt mortem.

Duo Paradiſi.

Quòd Paradiſos intelligimus in terra & in cœlis? Quæſt. 21.

Paradiſus terreſtris fuit veri.

Ex Dionyſio

Sicut ſcriptura duas dicit Ieruſalem, nempè cœleſtem & terrenam; ita etiam duos Paradiſos: vnum ſpiritualem, & alterum cœleſtem, ex quo egrediuntur ſuper terram aquæ Nili & Euphratis, in quo erat Adam & Eua, & ſerpens & arbores. Nam ſi ſerpentem & arbores, & aquas acciperemus allegoricè omninò etiam acciperemus Adam & Euam, & euerteremus, vel potiùs abrogaremus ſacram ſcripturam. Quomodò Adam erat medius inter corruptionem & incorruptionem, ita etiam erat, & eſt Paradiſus. Sin autem dicis Paradiſum non eſſe partem mundi, neque eum cum alijs factum eſſe, neque Deum in eo quod ſcriptum eſt de illo intellexiſſe; ſed de loco ſupramundano: quomodò in eum introduxit, terreſtrem & è terra fictum hominem? Quomodò autem illic etiam finxit è terra omnes beſtias agri, & volucres cœli, vbi etiam hominem formauit & mulierem; & eas adduxit ad ipſum, vt videret quidnam ea vocaret? Vbi etiam erat Lignum mortiferum, & deceptor ille ſerpens? Quilibet ergo reputet quòd non in cœlo, ſed in terra ſit plantatus: Eſt enim locus orientis, & regio electa.

Alexādrino, aduerſus Origenem.

Gen. 2.

Ex Theodoreto de dubijs ſcripturæ.

Nonnulli quidem, id animæ quod non cadit ſub aſpectum, Dei vocarunt imaginem; ſed non rectè dixerunt. Si enim eſſet Imago Dei id animæ quod non eſt aſpectabile; Dei Imagines magis vocarentur Angeli & omnes Naturæ incorporeæ, vt quæ ſint omninò liberæ à corporibus, & mixtum non habeant, id quod eſt ſpectabile. Nonnulli autem ob ſummā ſtultitiam, cùm ſcripturam audiuit dicentem: *Aperi oculos tuos & vide, & inclina aurem tuam & audi:* Et, *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis ei:* Et *Os Domini loquutum eſt ea:* Et; *In manu eius ſunt omnes fines terræ;* & quæ ſunt huiuſmodi: malè audientes & intelligentes, exiſtimant Deum eſſe humana forma præditum, nec intellexerunt (vt qui eſſent nimium inſipientes) quòd cum hominibus per homines loquens Deus, auditorum imbecillitati ſermonem accommodat: & quoniam videmus per oculos, videndi facultatem oculos nominat; & audiendi facultatem, aures; & iuſſum, os. Sed oportebat eum non ſolùm audire hæc verba, ſed etiam ea quæ docent, Deum non poſſe circumſcribi. *Quò enim,* inquit, *ibo à facie tua; & quò à facie tua fugiam? Si deſcendero in Infernum vides:* Et *Nunquid cælum & terram ego impleo? dicit Dominus:* Et *Deus eſt ſpiritus, & eos qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Si autem Deus eſt ſpiritus; eſt ergo ſimplex & incompoſitus, figuræque expers; & ſimilia. Scimus ergo hominem factum eſſe ad Dei imaginem, propter principatum: Deus enim dicit; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem.* Et ſubiungit; *Et imperant piſcibus Maris, & volucribus cœli, & iumentis, & toti terræ.* Quomodò enim ipſe dominatum obtinet in vniuerſa; ita etiam dedit homini poteſtatem in animantia expertia rationis. Licet quidem etiam alia inuenire quæ aliquo modo referunt & imitantur archetypum. Nam homo quoque fabricatur ad imitationem Dei creatoris, & domos & vrbes; cœlique & ſolis & ſtellarum effigies, hominumque & animantium & brutorum imagines ac ſimulachra: Sed mentis, & creationis eſt immenſa differentia. Nam Deus quidem fabricatur, & ex ijs quæ non ſunt, & ex ijs quæ ſunt, abſque labore; neque opus habet tempore, & materia, & conſideratione ad id quòd fit, conſeruandum. Sed ſic quoque homo fabricans, vtcumque imitatur Creatorem; tanquàm imago, exemplar. Imago enim habet exemplaris ſimilitudinem; ſed habet quidem ſpeciem partium, non habet autem operationes: caret enim anima, per quam mouetur corpus. Ita rurſus homo quoque regnat & iudicat ad Dei imitationem; Sed Deus quidem iudicans non eget teſtibus & accuſatoribus: Sic enim & condemnauit Cain, cùm fuiſſet ipſe inſpector odij & ſceleris; homo autem iudicans, opus habet teſtibus & accuſatoribus, ignorat enim ea quæ facta ſunt. Sic homo eſt appellatus Deus, & Dei imago: *Ego enim, dixi* (inquit) *Dij eſtis & filij excelſi:* Et, *homo non tegit caput, cùm ſit imago & gloria Dei.* Sed Deus quidem, eſt Deus natura;

Cautè lege: ferme patres omnes docent hominem factū ad Dei imaginē propter intellectum & voluntatē, quæ inaſpectabilia. Vide Bellarminū libro de Gratia primi hominis cap. 2.

Pſal. 44. Gen. 8. Iſa. 35. Pſal. 94.

Deus non eſt humana forma preditus.

Pſal. 138. Iere. 23.

Io. 4.

Homo factus eſt ad Dei imaginē propter principatū. Gen. 1.

Homo fabricatur ad Dei imitationem.

Homo regnat & iudicat ad Dei imitationem.

Homo appellatur Deus & Dei imago.

Pſal. 81. 1 Cor. 11. Dei eſt proprium quòd nō poſſit circumſcribi.

homo autem, eſt Deus gratia. Ita etiam Dei quidem eſt propriũ quòd non poſſit circumſcribi; imitatur autem eum quodammodò etiam mens humana, in momento enim temporis obit vniuerſam terram, & cœleſtia & & ſubterranea; verùm non eſſentia, ſed ſola mentis viſione ac phantaſia: Deus autem, & ſapientia & virtute habet quòd non poſſit circunſcribi. Inueneris autem aliam quoq; accuratiorem & exactiorem imitationem in anima hominis: Habet enim ipſa quoque in ſe, rationem & vitam. Et mẽs quidem gignit rationem ſeu Verbum: Simul autem cum verbo exit ſpiritus qui non gignitur quidem ſicut verbum; ſed verbum quidem ſemper comitatur, & cum genito ſimul procedit. Sed hæc adſunt homini tanquam in imagine: Quamobrem verbum & ſpiritus in eo nullam habent hypoſtaſim, nec conſiſtunt; In ſancta autem Triade tres intelligimus hypoſtaſes, & inconfuſè vnitas, & per ſe conſiſtentes. Nam genitum quidem eſt ante ſecula ex Patre Deus Verbum, & eſt inſeparabilis ab eo qui genuit: & ſpiritus ex Patre quidem procedit, intelligitur autem in propria hypoſtaſi: *Omnia* enim inquit, *operatur vnus & idem Spiritus, diuidens propria vnicuique ſicut vult.* Quamobrem ad Dei quidem imaginem eſt intelligentia, & liberum arbitrium, & principatus ac imperium: Ad ſimilitudinem autem eſt, virtutis (quoad eius fieri poteſt) aſſimilatio.

Anima hominis ad Dei imitationem habet rationẽ & verbum. Verbũ & ſpiritus, in homine nullam habent hypoſtaſim. Tres hypoſtaſes in Trinitate. 1. Cor. 12.

De reddendo, & curioſè non ſcrutando eo qui accipit, etiam ſi idem ſæpe accedat petens. Quæſt. 22.

In magna Antiochia erat diuerſum miniſterium: vni autem eorum præerat vir quidem Chriſti amans. Solebat autem perpetuò præbere egentibus ea quibus opus habebat vnuſquiſque. Emebat ergo ea quibus opus habebant; inter quæ etiam ex lineis veſtibus quæ ex Ægypto veniebant, poſſidebat; & ijs qui opus habebant indumentis, ex eis dabat, conuenienter voci Domini quæ dicit; *Nudus eram, & me induiſtis.* Facta ergo (vt dictum eſt) veſtium diſtributione, venit quidam frater & accepit veſtimentum lineum; non ſolùm ſemel, ſed & bis & ter. Vir autem ille Chriſti amans, cùm cognouiſſet eum ſecundò & tertiò veniſſe; meditatus eſt vt ei diceret cur etiam quartò veniret. Motus ergo, vt qui pro cæteris pauperibus verba faceret, dicit ei: Ecce ter & quater à me accepiſti, & nihil à me audiſti; Ne ergo de cæterò hoc feceris, quandoquidem alij quoque egentes ſimiliter opus habent. Poſtquam ergo receſſit mendicus pudore affectus; ſequenti nocte vidit eum, præfectus miniſterio, ſtantem in loco qui appellatur Cherubim: eſt autem locus admodùm venerandus, in quo loco dicunt qui ſciunt, ſtare imaginem terribiliſſimam quæ habet expreſſam Seruatoris effigiem. Cùm autem illic ſtaret cogitabundus, videt ex ea imagine ſeruatorem egreſſum dicere: Quid es triſtis? Eo autem tacente, dicit ei: Omnino triſtis es propter quatuor veſtes quas accepit mendicus. Eo autem rurſus ſimiliter tacente, aperuit ei tunicam quam geſtabat, & ei oſtendit etiam illas quæ intus erant, ſimul numerans & dicens; Ecce vna, duæ, tres, quatuor; ne ergo crucieris: Crede enim, quòd ea quæ tu dediſti mendico, ea meum fuerunt indumentum. Cùm ergo veſtes agnouiſſet, procumbit ad eius pedes, dicens: Ignoſce Domine meæ puſillanimitati, quòd hæc tanquam homo reputarem. E ſomno autem experrectus; Deo egit gratias, qui de hoc eum reddidit certiorem: Et ab hoc tempore, in ſimplicitate & lætitia dedit omnibus petentibus: Omnes autem qui audierunt, Deum glorificarunt. Hæc autem à me dicta ſunt, ne ad benè faciendum ſimus pigri: Eſt enim verax qui dicit; *Qui miſeretur pauperis, Deo fœneratur:* Et rurſus ipſe Dominus; *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Cui laus eſt & potentia in ſecula ſeculorum; Amen.

Matth. 25. Cherubim locus in Eccleſia Antiochiæ. Prou. 19. Matt. 5.

Quánam virtute ſæpe Prophetant, & miracula faciunt qui contraria & cogitant & agunt. Quæſt. 23.

Signa & miracula & futurorum prædictiones ſæpe fiunt propter vſum aliquem aut diſpenſationem; ſicut
A in Balaam & Phytoniſſa. Et rurſus Apoſtolici cùm inueniſſent Infidelem quempiam, in nomine Domini, dæmonia eijcientem, & eum prohibuiſſent, dixerunt domino: Ille verò dixit eis; *Nolite eos prohibere, nam qui non eſt,* inquit, *contra vos, eſt pro vobis.* Quando ergo videris & per hæreticos & per incredulos, diuino aliquo iudicio fieri aliquod ſignum; ne obſtupeſcas, aut à recta fide dimouearis: ſæpe enim eius etiam qui accedit fides ea eſt quæ ſignum facit; non eius qui fecit, dignitas. Ioannes quidem certè qui *fuit maior omnibus inter natos mulierum, nullum ſignum feciſſe cernitur:* Iudas autem omnino fecit. Nam ipſe quoque erat cum alijs qui miſſi ſunt ad mortuos ſuſcitandos, & leproſos mundandos. Quamobrem ne magnum quid exiſtimes ſi videris aliquem indignum aut a recta fide alienum, ſignum
B facere. Non oportet autem, aut virum orthodoxum ex ſignis aut prophetam dijudicare quòd ſit ſanctus, ſed ex eo quòd vitam rectè inſtituit. Multi enim ſæpe non ſolùm orthodoxi peccatores, ſed etiam hæretici & infideles effecerunt ſigna & prophetarunt, cùm diuina quadam diſpenſatione (vt diximus) eis eſſet conceſſum: vt in Balaam & Saule & in Nabuchodonozor & Caipha licet inuenire, Spiritum ſanctum in eis eſſe operatum propter cauſas rationi conſentaneas; licet ipſi eſſent indigni & profani. Quoniam ergo, vt oſtenſum eſt, à peccatoribus & incredulis ſæpè fiunt ſigna & Prophetiæ per quandam diſpenſationem; non oportet de cæterò ex rebus eiuſmodi, dijudicare quempiam num
C ſit ſanctus; ſed *ex eorum fructibus*, vt dicit Dominus, *cognoſcetis eos.* Fructus autem veri & ſpiritalis viri oſtendit etiam Apoſtolus dicens: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, fides, manſuetudo, continentia.* Aduerſus ea non eſt lex. Si ergo eos fructus habet homo; ſiue facit ſigna, ſiue non facit, perſpicuum eſt eum eſſe ſanctum & Dei amicum. Nam quicunque eſt verus Dei ſeruus, non eſt extra gratiam ſpiritus. Aut enim accipit verbum ſapientiæ, aut verbum cognitionis, aut fidem, aut donum curationum, aut aliquid ex ijs quæ dicta ſunt ab Apoſtolo in ijs quæ dicit de donis ſancti Spiritus. Abſque ijs autem fructibus, qui facit ſigna aut Prophetias; eſt vnus ex ijs qui dicunt in illa die: *Domine, Domine; nonne in tuo nomine virtutes multas fecimus & prophetauimus?* Il-
D le verò hoc audiens dicit, *Amen dico tibi, nunquam te noui, diſcede a me qui operaris iniquitatem.* Et hæc quidem dicta ſunt de Orthodoxis peccatoribus ſigna facientibus: Hæreticus autem ſigna faciens aut prophetans, eſt perſpicuum quòd illuditur à dæmonibus; & exiſtimat, Deum, hæc in ipſo operari. Futurorum autem, aut arcanorum nihil præſciunt dæmones, ſed ſolus Dominus qui nouit omnia priuſquàm fiant. Quomodò etiam dicit per Prophetam; *Non eſt qui annunciet futura, præter me.* Dæmones autem illa dicunt hominibus quæ vident & audiunt; & ex quibuſdam ſignis cõiectantes, res multas ſignificant. Viatorum quidem ſignificant aduentum, eos videntes in via ambulare & eſſe venturos, præuenientes eorum aduentum: Hominum autem ad-
E uerſus ſuos inimicos ſeorſum deliberantium conſultationes & ſermones, auſculantes, & quibus volunt ea annunciantes, & quæ ſunt his ſimilia; ex eo quod vident & audiunt hominibus ſignificant: fructuum autem terræ fertilitatem & ſterilitatem, ventorúmque motus & imbres, & pluuiæ retentionem, ſiccitateſque & hiemis grauitatem, & quæ ſunt his ſimilia; ex quibuſdam indicijs coniectantes, prædicunt ſicut & homines: Rurſus hominum quoque beneuolentiam & conſilia, ex quibuſdam ſignis videntes, in homines; aut etiam ex aliquibus verbis comprehendentes. Non ſolùm autem hæc inueniunt quæ dicant immundi dæmones, ſed etiam mẽtem hominũ. Sunt enim, quædam ſigna à Dei prouidentia humano corpori inſita, maximè in eius oculis, quæ eius mortem aperte ſignificant, & ante

Num. 23. 1. Re. 28. Mat. 9. f Luc 7. f Miracula facientes non omnes ſunt ſancti. Ioannes Baptiſta nulla fecit miracula. Iudas fecit miracula. Num. 23. 1. Re. 10. b Dan. 2. Ioh. 11. d Sanctus cognoſcitur ex fructibus non ex miraculis. Matth. 7. Gal. 5. Hæreticus ſigna faciens, illuditur à dæmonibus. Dæmones futura nõ præſciunt. Iſa. 41. & 44. a Dæmones quæ ta futura, & quomodo prædicunt.

Dæmones quãdo prædicunt mortem hominis.

& ante longum tempus & breui tempore; vt dicunt qui scientiam medicinæ subtiliter & accuratè didicerunt. Iam autem quidam etiam affirmant, ex Sarracenis eos qui magnam habent experientiam, hanc habere præscientiam qua quidem ex quodam signo euidenter cognóscunt eum qui est moriturus in bello. Sic etiam dæmones eorum mortem prænunciant, eóque magis quò sunt perspicaciores proprietatum materialium. Nam vt qui sunt spiritus subtiles & incorporei, perscrutantur & sciunt suprà omnem medicinæ scientiam, facultates & operationes abundantiámque & defectum vitalis virtutis corporis per substantiam sanguinis; & hinc per coniecturã, non autem perfectè & accuratè, coniectant mortem hominis. Hoc ipsum dici potest & de diuinatoribus & de phytonissis: Cementes enim dæmones quis sit furatus & vbi sint quæ furto sunt ablata; ea etiam possunt dicere: vt sæpè, qui viderunt magnam vim imbriũ fuisse in regione Indica; prædicũt aliquibus, in Ægypto futurũ magnum Nili ascensum: si quispiam autem eos roget quot cubitorum aut digitorum futurus sit ascensus, hæsitant, & conuincuntur quòd nihil sciant. Rursus autem videntur, per eis parentes pseudoprophetas homines; & ex eis signa, & corporis ægritudinum curationem efficere ad sui & aliorum deceptionem, & viuos etiam aloqui in visione ac phantasia. Ingrediens enim dæmon, mortuum corpus hominis; etiam hunc ipsum mortuum ostendit surgere per vanas preces Plani hominis, & tanquàm ex persona mortui loquitur malignus cum homine qui ab ipso decipitur, de ijs quæ vult & de ijs de quibus ab ipso interrogatur, ei annuntians quæ in occulto facta & dicta sunt ab hominibus; vt qui ea exactè sciat eò quòd ipse latenter adesset dum ea ab ipsis fierent, eaque aspiceret & audiret. Sed Deus nos liberauit ab hac deceptione. Fui enim, & aspexi Hæreticum Cyzici, quæ est ciuitas Macedonianorũ qui dicũtur Pneumatomachi; qui Oleam arborem ex loco in quo stabat, in alium locum precationis prætextu transtulit, adumbraturam fenestram inanis eorum Auditorij. Et cùm quidam iniquus fœnerator vexaret mulierem viduam propter æs alienum mariti, & ab ea exigeret non quod debebat, sed longè ampliùs: Hoc cùm resciuisset prædictus Episcopus Hæreticus, eius marito nondum sepulto cum adhuc efferretur, detinuit lectum in quo iacebat, & effecit vt loqueretur mortuus & diceret quantùm deberet maritus suo creditori. Hoc autem Hæretico mortuo, in eius quoque monumento effecta sunt diuersa spectra & signa: propterea ergo non oportet quemlibet qui signa facit, tanquàm Sanctum admittere; sed examinare, conuenienter ei qui dicit: *Nolite omni spiritui credere, probate spiritus num ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum* & dixit Apostolus, *Tales* enim (inquit) *Pseudoapostoli, operarij dolosi, transfigurati in Apostolos Domini; Neque mirum, Ipse enim Satanas transfiguratur in Angelum lucis.* Non est ergo magnum si eius quoque ministri iustitiæ, quorum finis secundùm opera eorum. Antichristus enim veniẽs, nei permissione faciet, opem ferentibus dæmonibus, plurima signa & prodigia mendacij, ad interitum quidem infidelium, probationem verò Fidelium. Quid verò est nouum & alienum, si opem ferente dæmone, visionum signa faciet diuersa; cùm iam etiam sciamus, quosdam quoque alios Magos & præstigiatores varia fecisse prodigia adminiculo dæmonum? ex quibus sunt Iamnes & Mambres qui Moysis tempore virgas suas in Serpentes, & aquam in sanguinem mutantes, ranarum multitudinem ex aquis produxerunt, adeò vt eis repleta esset terra Ægypti? Rursus autem Simon qui fuit Magus tempore Apostolorum, quàm multa phatanstica fecit signa? Statuas enim faciebat ambulare, & in igne volutatus non vrebatur, in aëre volabat, & ex lapidibus panes faciebat. Serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum conuertebatur,

Medici ex signis præsciũt mortem.

Hoc de furatorum non nisi arte dæmonis, nec scire certo potest.

Dæmones vident non quis est furatus.

Dæmon ingrediens mortuum corpus hominis, quid agat.

Hæretici Macedoniani miracula.

In Hæretici mortui monumento effecta signa & miracula.

1. Cor 11.

Antichristus multa faciet miracula.

Magi & præstigiatores multa faciũt miracula.

Simõ Magus multa fecit admiranda.

fores clausas aperiebat, vincla ferrea soluebat, in conuiuijs exhibebat spectra formarum omnis generis; vasa quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquàm quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, ijs qui portabant non visis; efficiebat vt multæ vmbræ eum præcederent quas dicebat esse animas mortuorum. Multos autem tentantes eum dicere præstigiatorem, cùm eos esset allocutus, & deinde conuiuij prætextu bouem sacrificasset, & eos conuiuio excepisset; varijs morbis & dæmonibus eos subiecit; Et à Cæsare aliquando quæsitus & territus, aufugit, sua forma alij imposita. Similiter Iulianus quoque & Apollonius & Apuleius tempore Domitiani Imperatoris, diuersas effecerunt visiones; quarum vna operatio fertur huiusmodi in narrationibus de viris antiquioribus. Cùm morbo pestilentiali Roma aliquando laboraret, & passim omnes interirent; hos Magos hortatus est Imperator & eius proceres, vt pereunti ciuitati opem ferrent. Dixit autem Apuleius, Ego pestilentialem perniciem quæ in tertia parte ciuitatis est peruagata, intra quindecim dies sedabo: Deinde Apollonius, Ego quoque quæ in alia tertia parte ciuitatis est grassata, intra decem dies sedabo. Repondens autem qui apud eos erat summus, & per hanc vanitatem propiùs ad diabolum accedebat Iulianus, dixit: Intra quindecim dies tota perit ciuitas, vestrum non expectans auxilium; quæ autem ad me pertinet alia pars ciuitatis, abhinc iam cesset vexari ab interitu pestilẽtiali; Atque ita cessauit vexari. Deinde cùm eum rogasset Imperator vt aliarum quoque duarum partium ciuitatis compesceret pestem; protinùs eas a morbo liberauit. Apollonij autem in hodiernum vsque diem in nonnullis locis peraguntur Sacra; alia quidem ad auertandas bestias quadrupedes & volucres quæ possunt homines lædere; alia autem ad sistendos fluxus fluminum quæ cursu feruntur inordinato; alia autem ad auertenda, alia quæ sunt ad perniciem & interitum hominum comparata. Non solum autem in vita eius, hæc per ipsum fecerunt dæmones; sed etiam post eius mortem ad eius monimentum manentes, quædam fecerunt signa in eius nomine, ad eos decipiendos quos dæmon facilè seducit & furtim pellicit ad res huiusmodi. Quid verò dixerimus de magicis Manetonis operibus, qui in hac deceptione Magica tantus extitit, vt sæpè rideret Apollonium Tyanæum, vt qui non accuratè tenuerit hanc experientiam artificiosam. Oportebat enim (aiebat) eum, sicuti ego, verbo solo facere quæ volebat; & non quibusdam sacris permittere ea quæ ab ipso dicebantur & fiebant.

A Iuliano Mago pestis repressa.

Apuleius Magus.

Apollonij Tyanæi sacra.

Manethon Magus irridebat Appolonium.

Ex Sapientia.

Quis enim homo cognoscet Dei consilium, aut quis cogitabit quid velit Deus? Incertæ enim & instabiles sunt nostræ cogitationes, & vix conijcimus quæ sunt supra terram, & quæ sunt in manibus inuenimus cum labore; Quæ autem sunt in cælis, quis inuestigabit? Consilium autem tuum, ô Deus, quis cognouit nisi tu dederis sapientiam? *Sap. 9.*

Ex Apostolo.

O profunditas diuinarum & sapientiæ & cognitionis Dei; quam imperscrutabilia sunt eius iudicia, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim nouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? *Rom. 11.*

Ex Cyrillo, de adoratione in spiritu.

Contra diuinationem maximè, Auguria.

Ad eam mentis leuitatem delapsi enim sunt nonnulli apud græcos, vt existimẽt rerum nostrarũ cognitionem sitam esse non solũ in dæmonibus & Vatibus, sed etiam in volucribus per aërem volantibus. Curiosè itaque obseruant earum volatum tam ad Ortum quàm ad Occasum & ad dexteram & ad sinistram; Et si crocitans cernatur cornix, aurem arrigentes, tanquàm verissimum aliquid expectant & reuertuntur lætantes; nequaquam autem erubescunt miseri, tam venerandæ Pro-

pheticę virtutem dedicare & adscribere passeribus. Praeclarum est autem quod ab eis dictum est; Per ipsas enim dij indicant & significant. Nos autem, deos non esse dicimus Angelos qui defecerunt, à quibus sunt apud vos boni futurorum cognitores: Non est ergo dæmonibus adscribenda futurorum cognitio: Nos autem eam Deo potiùs tribuemus tanquàm eximiam; & de cæterò fraudes erunt & imposturæ quæ per aues fiunt, diuinationes mentis infirmæ & instabilis. Quæ autem eis habetur, fidem ipsa quoque Scriptura conuincit, dicens: *Non erit in Israël diuinans diuinationem, neque augur, nec veneficus, nec incantator, neque prodigiorum inspector, nec ventri-loquus, neque qui mortuos interroget.* Sed nescio quomodò quidam in hoc falluntur, illud dicentes, quòd Dominum Sabaoth nominant, ægros incantantes; tanquàm non sit turpe institutum ijs qui id studium ponunt. Videntur autem quidpiam frigidum & imbecillum referre ad fraudem & deceptionem rationum & dæmoniorum, quæ cum eis conuenerunt; & eorum quæ ab ipsis fiunt prodigiorum effectionis, ministris, dant gloriam quæ Deo sola est conuenientissima; & adulantes & adulationem recipientes: Deo enim aduersaria, & gloriæ auidissima est omnis caterua dæmonum. Oportet ergo non ab illorum improbis ac peruersis abduci consilijs, sed aufugere ab eiusmodi malis medicis & prodigiorum effectoribus. Tu autem si tibi dolet aliqua pars corporis, verè credis quòd Dominus Sabaoth & huiusmodi appellationes quas Deo qui est, secundùm naturam diuina attribuit Scriptura, tuum malũ tibi soluent; tu, pro te precans, enuncia dictiones: Melius est enim Deo gloriam tribuere quàm immundis dæmonibus. Memento & eius qui dicit: *Infirmatur quis in vobis? accersat presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes ipsum oleo in nomine Domini; & oratio fidei seruabit laborantem, & suscitabit eum Dominus; & si peccata fecerit, remittentur.*

Deut. 18 — *Incantatores, Deũ Sabaoth nominantes, nõ admittendi.* — *Dæmones gloriæ auidissimi.* — *Ægroti Deũ Sabaoth, potius ipsi inuocent, quàm Incantatores adiuuant.* — *Iac. 5.*

Ex Diadoco, De perfectione spirituali; Cap. 100.

Si ergo, non vt oportet, egerimus pœnitentiam, & de omnibus peccatis nostris confessi fuerimus; obscurum quendam timorem in tempore excessus nostri in nobis inueniemus: Oportet autem Deum amantes, otare, vt extra omnem metum tunc inueniamur. Nam qui tunc inuenitur in metu, tunc est perspicuum quòd abibit ad tartareos principes. Si verò in dilectione Dei intenta fuerit exultans anima in tempore resolutionis supra omnes tenebrosas actiones; ad Angelos pacis festinat & fertur cum gaudio. Quamobrem in aduentu quoque Domini cum Sanctis omnibus qui è vita cum tali excesserint confidentia, rapietur. Qui autem vel breui tempore extimescunt tempore mortis, relinquentur in omnium aliorum multudine, vt qui iudicio iustitiæ & examinationi sint obnoxij: vt per ignem probati iudicij, sibi debitas hæreditatis partes recipiant conuenienter eorum actionibus: *Vniuscuiusque enim opus quale sit, ignis probabit.*

Habetur huius Bibliotecæ. Tom. 5. — *Metus in morte non peracta pœnitentia Lætitia in morte eiusmodi.* — *Ignis probati Iudicij, pro purgatorio.* — *1. Cor. 3.*

Ex sancto Nilo ad Agathium.

Verè terribile est mortis mysterium, quando eorum qui animam repetunt terribilis præsentia, cum contineat horrescentem ad exitum, terroresque & figura terribiles, quando etiam dæmones peccatum exprobrantes, ipsam quoque ad se trahunt in iniucunda & aspectu tristia loca; vt etiam ante tormentum sufficiat timor ad cruciatum, quando conscientia conuersa ad scelera quæ sunt admissa, contremiscit expectans dignum pro peccatis supplicium. Tunc enim iacet corpus sudore madefactum, ostendens signa interni laboris, & obscuræ perturbationis præbẽs aperta quæ videntur indicia. Hic quomodò, qui amara gustant medicamenta, propter amaritudinem vultũ contrahunt; anima, ad eam quam ex visis illic molestijs habuit affectionem oculis imprimente characterem, & ex figura eius quod apparet, suum occultum aperiente dolorem.

Dæmones in morte terrent animam, peccata exprobrantes.

Ex Dionysio, de ijs qui sanctè dormierunt.

A Ego autem rectè noui diuina sequens eloquia, quòd datam sibi sortem habebit vnusquisque. Aduersus ipsum enim conclusit Deus (inquit Dominus) *& referet vnusquisque per corpus prout ea sunt quæ gessit siue bona siue mala.* Quòd autem iustorum quoque preces etiam in hac vita nec solùm post mortem, in eos tantùm operantur qui sacris digni sunt precibus; diuinorum eloquiorum sacræ nos docent Traditiones. Quid enim Sauli profuit Samuel? Quid populo Hebræo profuerunt Propheticæ preces? Diuinus itaque Pontifex, est (vt sacra dicunt Eloquia) enunciator Dei iustificationum; est enim Angelus seu nuncius Domini Dei omnipotentis. Didicit quidem certè ab eloquijs à Deo datis, quòd ijs qui sanctè vixerunt, lucidissima & diuina vita redditur pro meritis à iustissima & diuina libra; per bonitatem

B despiciente Dei elementia & benignitate maculas, quæ illis ab humana infirmitate inustæ sunt: quãdoquidem (vt diuina dicunt Eloquia) *Nullus est mundus à sorde.* Hæc quidem nouit Pontifex esse promissa à veris eloquijs: Petit autem vt hæc fiant, & ijs qui sanctè vixerunt sacræ reddantur retributiones. Neque enim Pontifex enunciator & interpres diuinæ iustificationis, ea poterit quæ non sunt Deo iucundissima & charissima & diuina, ab eo dari promissa, petere: Quamobrem hæc non sunt promissa Profanis qui dormierunt. Non solùm quòd à Vatis seu interpretis ordine recederet, & quòd insolenter & arroganter esset ausurus aliquid ex ijs quæ pertinent ad principem, non motus à principe sacri mysterij: sed etiam quòd san-

C ctum votum non assequetur à iusto eloquio, ipse quoque, vt est consentaneum, audiens; *Petitis & non accipitis, quoniam malè petitis.*

2. Cor. 5. — *Preces iustorum quibus prosint.* — *Diuinorum eloquiorũ sacræ Traditiones.* — *1. Reg. 19.* — *Iustis redditur pro meritis, vita æterna.* — *Iob. 15.* — *Sacræ Retributiones.*

Verè ne an allegoricè tantùm sit Paradisus. Quæst. 24.
Ex Epiphanio in Ancorato.

Si non est Paradisus in terra, & non sunt vera quæ scripta sunt in Genesi, sed dicta per allegoriam, nihil erit verum eorum quæ sequuntur: Sunt enim omnia dicta per allegoriam. *In principio* enim, inquit, *fecit Deus cælũ & terram*, & omnia. Nec sunt allegoricè dicta, sed videntur. Et cùm hominem, qui est re vera, Deus fecisset, posuit eum in Paradiso, isque comedit ex ligno. Paradisus autem, inquit, est *in Edem ad Orientem; Fons autem ascendebat ex Edem.* Non dixit autem, *descendit*; ne existimare-

D mus, Edem esse in cœlo. Nam si fuisset in cœlo, fuisset ei dicendum quòd descendit ex alto. Sed, *fluuius* (inquit) *egreditur ex Edem, & diuiditur in quatuor initia: Vni nomen est Physon*, qui apud Indos quidem & Æthiopes appellatur Ganges; apud Græcos autem vocatur Indus, & ambit vniuersam terrã Euilat paruamque & magnam Æthiopiam partes Euilæorum; Euilæos enim dicit intimos Indos: Transit autem magnam Æthiopiam, & cadit ad Austrum & Occasum intra Gades in magnũ Oceanum qui circuit totam terram. Secundus autem Geon qui & Nilus, descendens in Æthiopiam; & transit paruam Æthiopiam, Anubitimque ac Phanemmam & Exomitim; & alluens partes Thebaïdis & Ægypti,

E in hoc Mare labitur. Si quis autem non credit, audiat Ieremiam dicentem: *Quid nobis cum terra Ægypti, vt bibamus aquam Geon turbatam?* Tertius autem est Tygris, qui labitur ex aduerso Assyriorum, & diuidit partes Orientis, & terram subiens oritur ab Armenia per medium Cardiensum & Armeniorum, & rursus emanat, & diuiditur in terra Assyriorum. Quartus autem Euphrates similiter quoque terram subiens, ascendit ab Armenia alluens Persidem. Si non est ergo Paradisus sensilis in terra; omninò neque est fons, neque fluuius, neque quatuor initia, neque ficus, neque lignum. Si non est lignum, non est Eua quæ ex eo comedit: Si non est Eua, neque Adam: Si non est Adam, non sunt homines, sed fabula est veritas; & sunt omnia dicta allegoricè, vt est sententia insani Origenis.

Paradisus est verè non autem allegoricè tantum. — *Gen. 1.* — *Gen. 2.* — *Paradisi quinam sunt fluuij & quas regiones præterfluunt.* — *Ierem. 2.* — *Origenes insanus.*

Ex Nemesio

Ex Nemeſio Epiſcopo, de natura hominis, Cap. 1.

Homo creatus in cõfinio naturæ mortalis, & immortalis.

Hominem ſcimus ab initio neque planè factum eſſe mortalem, neque immortalem, ſed in confinio vtriuſq; naturæ, vt ſi corporeas quidem ſecutus eſſet perturbationes, incideret etiam in corporales; Sin autem prætuliſſet bona animi, immortalitate dignus haberetur. Si enim ab initio Deus eum feciſſet mortalem, non eum morte cõdemnaſſet ſi peccaſſet: Mortalem enim nemo condemnat mortalitate. Sin autem rurſus immortalem; neque opus habuiſſet corporali alimento, neque tam facilè Deum pœnituiſſet; nec genitum immortalem, ſtatim feciſſet mortalem. Neque enim hoc feciſſe cernitur in Angelis qui peccarunt, ſed conuenienter ei quam ab initio habuerunt naturæ, permanſerunt immortales peccatorum ſuorum alio accepto ſupplicio, non morte. Melius eſt ergo hoc modo intelligere propoſitum: aut quòd conditus quidem eſt mortalis, pro- B ficiendo autem perfectus poſſet fieri immortalis (hoc eſt, poteſtate immortalis) & quoniam ei non cõferebat, vt ante ſui perfectionem, ſuam cognoſceret naturam; prohibuit ne guſtaret lignum cognitionis. Erant enim; imò verò nunc quoque ſunt in plantis maximę virtutes, tunc autem (vtpote in initio mundi creationis) cùm eſſent ſynceræ, potentiſſimam habebant operationem: Erat ergo alicuius quoque fructus guſtatio, afferens cognitionem ſuæ naturæ. Nolebat autem Deus eum ſuam cognoſcere naturam ante perfectionem, ne ſi cognouiſſet ſe multis egere, ea curaſſet quæ ad vſum corporis pertinent, relinquens curam animæ; & propter hanc cauſam prohibuit ne eſſet particeps fructûs cognitionis. Cùm autem non obediſſet, & ſeipſum cognouiſſet; C à perfectione quidem excidit, eorum autem quæ ad corporis vſum pertinent, fuit egenus & ſtatim exquiſiuit tegumentum: dicit enim Scriptura; *Cognouit quod eſſet nudus*. Priùs autem eum fecit in ecſtaſi & ſui ignoratione. Cùm ergo excidiſſet à perfectione, ſimiliter etiã excidit ab immortalitate quam poſteà erat accepturus gratia eius qui ipſum creauit. Poſtquàm autem excidit, carnium quoque vſus eſt ei conceſſus: Priùs enim iuſſit eum eſſe contentum iis ſolis quæ naſcuntur è terra, ea enim erant in Paradiſo; deſperata autem perfectione propter fructûs eſum, deinceps eſt ei conceſſum vt fruetur. Nam opus quidem fuit homini, cibo & potu propter exinanitiones & diſperſiones; exinanitur enim animal per labores, & manifeſtos & non manifeſtos. Neceſſe eſt ergo vt vel exinanitis æqualia rurſus referantur, D vel diſſoluatur animal propter ingredientium defectum. Cùm ſint autem ſicca & humida & ſpiritus, quæ exinaniuntur; neceſſe eſt vt ſicco & humido alimento egeat animal & ſpiritu. Eſt autem nobis alimentum & potus, per elementa ex quibus ſumus compoſiti. Vnumquodque enim alitur eo quod eſt proprium & ſimile, curatur autem contrario. Quoniam autem non ſolùm propter decoram, ſed etiam propter optimam ſentiendi facultatem, quæ maximè eſt in tactu, omnia animãtia ſuperat homo; nobis non oppoſuit neque craſſam pellem neq; pilos ſicut animantibus. Senſu autem, neceſſariò opus habuimus & propter aëris inæqualitatem, & propter damna ac nocumẽta quæ afferunt animalia. Propter intemperiem autem & qualitatum mutationẽ, & ſenſum E datum corpori; opus habuimus medicis & curatione: Nam ſi nobis non adeſſet ſenſus, nõ doleremus; neque curatione opus haberemus, non dolentes; & interiiſſemus quidem in mali ignoratione non medentes ægritudini. Nam olim nihil his opus habebat, neque vlla ex feris auſa eſſet lædere hominẽ: ſed ei omnia ſeruiebant eràntque ſubiecta & obnoxia quandiù ſuis imperabat animi perturbationibus, & quæ ei inerat maieſtati rationis. Non imperans autem ſuis animi perturbationibus, ſed ab eis ſuperatus; iure quoque fuit ſuperatus à rationis expertibus animantibus: Nam ſimul cum peccato, ingreſſa eſt etiam quæ ab eis affertur noxa. Quòd autem hoc ſit verum, nos docent qui vitam egerunt optimam, & ob id ab eis minimè ſunt læſi; vt Daniel à Leonibus, & Paulus à Vipera. Quis ergo pro dignitate A admiratus fuerit dignitatem huiuius animalis quod in ſe colligat mortalia cum immortalibus, & cõiungit ratione prædita cum rationis expertibus, quod in ſua natura fert imaginem vniuerſæ creaturæ? Quamobrem dictus eſt μικρὸς κόσμος; id eſt, paruus mundus: Tanto autem honore curáque & prouidentia à Deo dignus eſt habitus, vt propter eum ſint præſentia & futura; Deúſq, homo factus ſit vt Dei ſit filius, ſit rex cęlorum; factus ad Dei imaginem & ſimilitudinem, ſimul degat cum Chriſto, præſideat vniuerſo principatui & poteſtati. Quis autẽ poteſt effari dotes quibus exuperat? Nam maria traiicit, cœli ingreditur contemplationem, aſtrorum conſiderat motus, interualla & menſuras. Fruitur terra & mari, feras & cete deſpicit, in vniuerſa ſcientia B & arte rectè ſe gerit, extra fines per literas cum quibus vult loquitur familiariter, à corpore nihil ventus prædicit futura. Omnibus imperat, omnibus dominatur, omnibus fruitur, ab omnibus tanquàm à ſatellitibus ſtipatur. Angelorum præſidio cuſtoditur, cum Deo loquitur dæmonibus imperat, rerum quæ ſunt ſcrutatur naturam, Deum curioſè ſcrutatur, Dei eſt domus & templum, & hæres eius hæreditatis.

Plantarum, initio mundi, maxima erãt virtutes.

Adamo cur prohibitũ ne guſtaret lignũ cognitionis.

Geneſ. 3.
Geneſ. 2.

Cibo & potu opus hominis.

Senſibus ſuperat homo omnia animalia, maximè autem tactu.

Beſtiæ homini non parent propter peccatum.

Daniel cur non læſus à Leonibus, & Paulus à Vipera.
Dan 6 &
Act. 28.

Hominis excellentia.

1. Cor. 3

Quomodo ſit intelligendum; Cùm vidiſſent filij Dei filias hominum; *Gen. 6. Quæſt. 25.*

Enos Deus fuit cognominatus.

Diuinus Enos, qui à Seth gẽitus; *ſperauit*, inquit, *inuocare nomen Domini*; hoc eſt, dici Deus apud alterũ. Quoniam enim erat omni virtute ornatus; ipſum, Deum nominabant quîdam (vtique ex probis) ſummo honore eum C coronare ſtatuentes. Admirantes enim (vt dixi) iuſtitiæ quæ ei inerat magnitudinem, Deum protinus eum nominabant viri; virtuti exiſtimantes maximè conuenire cognomen. Huius ego qui Deus cognominabatur, *filij*, cùm vidiſſent *hominũ filias*, hoc eſt, eorum qui orti erant ex Cain; eas ſibi acceperunt in vxores, quod prius erat prohibitum. Symmachus autem pro, *filij Dei*, reddit, *filij Deorum & potentum*. Scimus autẽ quòd quædam Exemplaria habent apertè, *Cùm autem vidiſſent Angeli Dei filias hominum*: Deinde conferunt & conuertunt nonnulli, carnalis libidinis crimina in Angelos qui lapſi ſunt. Quomodò autem non affine fuerit ſtultitiæ, dicere, carnalia amare ſpiritus qui ſunt carne ſuperiores & eminentiores? Quemnam ad hæc motum habentes natura- D lem; aut quanam lege carnis eos irritante? Melius eſt ergo vt legamus, *Dum vidiſſent filij Dei, filias hominum*; & dedecore non afficiamus naturam Angelorum.

Geneſ 6

Gen 1.

Si omnia quæ facit Deus, ſunt valde bona; quomodò dicit poſteà, de mundis & immundis animalibus? Quæſt. 26.

Leuit 16.
Luc. 11.
Rom. 14.

Deos quidem fecit omnia valde bona: ab hominum autem auaritia & intemperantia, aſſumpta ad id quod non ſunt nata, non ſunt bona. Iam enim cùm multi ex poſterioribus hominibus indiſcriminatim comedere aggrederentur, & eis quod lædit auxiſſent cupiditatem: neceſſariò induxit Dei prouidentia, mundorum & immundorum diſcrimen: Nonnulla enim ex animantibus E terreſtribus & aquatilibus, quæ copioſius habent virus, omnino prohibuit. Sunt ergo omnia ſuo tẽpore bona, & ad aliquem vſum homini vtilia; adeò vt ex venenatis ſerpentibus conficiatur ad curandum medicamenta. Dicit enim Sirach; *Omnia Dei opera ſunt bona, & omnẽ vſum ſuo tempore ſuppeditant, neque licet dicere hoc illo eſt prius. Omnia enim probabuntur in tempore*: Et; *Dominus ex terra creauit medicamenta, & vir prudens non offendetur eis.*

Munda animãlia cur ſeparata ab immundis.

Eccl 39. d

Eccl. 38. a

Ex Baſilio in regulis.

Cur à carnibus nonnullis abſtineamus.

Ab egregijs autem continentibus, ad præclaram eorum quæſtionem, Cur nos quoque omnia non comedimus; illud dicatur, quòd noſtra quoque excrementa abhorremus. Nam quod ad dignitatem quidem attinet, carnes nobis ſunt olera agri: quod attinet autem ad ea

quæ conferunt, discernenda separamus. Ita etiam in carnibus discernimus noxium ab vtili: Nam olus quoque est cicuta, quomodò vulturis caro est caro. Sed neque qui sapit, comederit hyosciamum, neque attigerit nisi magna vrgeat necessitas: Sic qui comederit, non iniquè se gessit.

Cur Deus iusserit Abraham vt sacrificaret iuuencam triennem, & capram trimam, & arietem triennem, & turturem, & columbam. *Quæst.* 27.

Genes. 15. a

Hæc erant enigmata eorum quæ generi eius erant euentura; Hac enim de causa iussit. Post sacrificia itaq; subiunxit; *Cognoscens cognosces quòd inquilinũ erit semen tuum in terra aliena*; & infert, *Quarta autem generatione huc reuertentur.* propterea iussit sacrificari tria ex quadrupedibus, & vnumquodque triennie; ad ostendendas tres generationes quibus inquilini fuerunt in Ægypto. Turtur autem B significauit illam generationẽ quæ fuit auulsa & egressa ea Ægypto: fixit autẽ tabernacula in deserto; hæc enim auis delectatur solitudine. Columba autem aliam significabat generationem, quæ terrã accipiebat promissam: est enim animal mansuetum, & lubenter versans in ædibus. Vnde hæc quidem non diuisit, vt quæ innuerent seruiturem: Quadrupedia autem diuisit, quoniam significabant afflictionem quam passi sunt in Ægypto. Quę autem aduentabant aues ad bifariàm sectas partes, & aquas à sacrificijs abigebat Abraham; tacitè præsignificabant cruentam mentem Ægyptiorum quam effecit Deus irritam; quæ Abrahamo fecerat, confirmans promissa. Aues abegit Abraham; Sic memoria Abrahami puniit Ægyptios. Quòd autem circa Solis occasum visus sit clibanus fumans, & ignis lampades: significabat C quidem & quòd suscepta essent sacrificia; Præsignificabat autem & qui in fine prædicti temporis fumus erat, Dei aduentum: Per ignem enim apparuit & Moysi, & post hæc vniuerso populo.

Abrahami memoria puniit Ægyptios.

Quare iussit eum circuncidi. *Quæst.* 28.

Circuncisio à Deo præcepta, vt separentur Hebræi ab alienigenis.

Cùm de incolatu priùs dixisset, pietati quandam excogitat custodiam ne cum impijs commixti corrumperent sui generis nobilitatem. Vnde cùm in deserto versati essent quadraginta annos, superuacaneã existimârũt Circuncisionem; vt qui essent separati à gentibus, & per se vitam agerent. Quando autem deducti sunt in terram promissam, tunc rursus Deus imperauit Iesu, vt omnes circunciderct, & sic terræ traderet dominium; erant enim alienigenis futuri propinqui: Quamobrem, ne- D cessariò opus habebant signaculo quod eos separaret ab alienigenis. Quod si Iudæi sibi placent & gloriantur de Circuncisione, discant quòd non solùm Abraham fuit circuncisus, sed etiam Ismaël semiseruus, vernæque dominati & serui empti, & Idumæi, & qui nati sunt ex Cethura. Didiscerunt autem ab Ismaëlitis & Ægyptijs, circuncidi. Non iustos ergo facit Circuncisio: Isti enim omnes à Scriptura accusantur tanquàm impij; sed fides & virtus, quæ ornârunt & honestârunt Abrahamum.

Circuncisio non facit iustos, sed fides & virtus.

Ex sancto Epiphanio in Panarijs.

Circuncisio data est propter incolatum.

Circuncisio quidem data est propter incolatum: Incolatus autem fuit definitus propter Abrahami dubitationem. Cùm enim iustus Deo dixisset in dubitatione; *In quo cognoscam quòd futurus sum hæres terræ?* Hæc inquit ipsi E Deus, *sume iuuencam triennem*, & quæ sequuntur. Et circa occasum Solis cùm vidit lampades ignis & clibanum, subiungit per increpationem Deus, dicens: *Inquilinum erit semen tuum in terra aliena quadraginta annos.*

Exod. 8.

Quomodo sit intelligendum; Ego indurabo cor Pharaonis. *Quæst.* 29.

Lenitas Dei, alios indurat, alios mollit.

Deo ergo facilè post inobediẽtiam, ei omnino afferre interitum; sed ineffabili vsus lenitate, ei mediocrem intulit castigationem; ea autem reddebat cor eius durum & resistens. Quomodò enim Sol caloris operatione ceram quidem mollit, lutum autem indurat; ita etiam Dei lenitate, alij quidem homines molliuntur, alij verò indurantur. Quoniam verò non omnes credunt vitæ futuræ; quosdam quidem malos Deus hîc castigat, pios A verò honorat: Ea de causa Apostolus quidem quosdam nominauit vasa iræ, quosdam autem vasa misericordiæ; quoniam per illos quidem manifestum est Deum iustè punire, per hos autẽ Athletarum virtutis curam gerere cisq; prouidere. Quomodò enim medici eos qui morbo laborant incurabili, secant multis præsentibus, medicinæ modum docentes, discipulos: Ita etiam Deus Pharaonem, propter inobedientiam & cordis duritiem subiecit omne genus tormentis, ad reliquorum castigationem. Dicit enim Parœmiastes, *Dum malus flagellatur, insipiens fit callidior.* Callidus autem cùm viderit malum valde puniri, ipse eruditur: Insipientes autem prætereuntes damno afficiuntur, & cadentibus impijs terrore afficiuntur iusti. Nemo autem existimet Pharaonem à Deo eò esse deductum vt non sentiret quæ gerebantur; B Sed dilatio flagellorũ, est nonnunquàm causa vt callum contrahat animus. Quando enim ei infligebat plagas, promittebat dimittere populum: Quandò autem ei remittebat tormenta, indurabatur. Dicit enim: *Videns autem Pharao quòd esset refrigeratio, aggrauabat cor suum, & non audiuit quæ Deus fuit locutus.*

Vasa iræ & vasa misericordiæ quæ sint.

Pharao punitur ad caterorum castigationem.

Dilatio pœnæ facit vt callũ contrahat animus.

Exod 8.

Ex Chrisostomo, Ad Stagyrium.

Quomodò enim in reis & sceleratis, multos quidem in carcerem mittit iudex, vt etiam illic è vita excedant. Quando autem aliquos, propter multos vult admonere; vno aut duobus ea illis, acceptis & in tribunali collocatis, omnibus circunsistentibus, eos iubet abduci ad supplicium capitis; Neque omnibus ei opus est ad terrorem reliquorum malorum: Ita etiam Deo non omni- C bus opus est sceleratis quando nos vult admonere & castigare; sed nonnullos ea eis accipiens quos nouit non posse corrigi, ostendit in eos suam potentiam & iram, ex eo multa rectè gerens. Nam & malos sic hortatur ad mutandum si volunt suam improbitatem; & bonos reddit promptiores & animo alacriores.

Quomodo Iob execratur diem in quo natus est.
Quæst. 30.

Iob 3. a

Gratia est præcipuum, rectè se gerere in Deum & proximum.

Cùm esset Iob iustus, in quem nulla cadebat reprehensio; quæ erant gratiæ rectè gessit ante gratiam. Quod autem est gratiæ eximium; est, id quòd rectè gerit charitas in Deum & proximum. Cùm ergo non solùm sui curam gereret, sed etiam caueret ac prouideret ne proximi, eo decertante & in laboribus se fortiter gerente, D offenderentur qui eius nouerant pietatem, & quæ non fas erat dicerent aut cogitarent, & propter ipsum peccato essent obnoxij: aut enim Deum esse iniustum existimabant, aut iusti vitam sincerè non suscipientes, non tantùm accipiebant vtilitatis quantùm dãni; sicut etiam eius amici paulò post eum condemnârunt, dicentes: *Parum es flagellatus si peccatorũ tuorum habeatur ratio:* & prius; *Num vitium tuum est multum, innumerabilia autem sunt peccata tua?* Hoc cùm præsciuisset iustus tanquàm Dei Propheta, lamentabatur. Quod autem hoc sit verum; attende quòd neque propter facultatum suarum ablationem neque propter filiorum interemptionem, neque propter corporis plagam & afflictionem tale quid est elocutus; sed accepit omnia cum gratiarũ actione. Quando E autem ad eum accesserunt amici, & eum procul videntes non cognouerunt, & exclamantes voce magna fleuerunt, vnusquisque vestem suam rumpentes, & terram osculati ei assederunt dies septem & noctes septem, & nemo eorũ est locutus, videbãt enim plagam esse valde grauem: *tunc*, inquit, *Iob aperuit os suũ, & diem suum est execratus.* Mentis itaque eorum in alteram partem propensionem & læsionem suspectam habens iustus lamentabatur. Solent enim iusti, aliorum, tanquam suas deflere calamitates. Quomodò etiam Ieremias propter populi iniquitatem, & Templi euersionem execratus est simul suum natalem, & diem in quo natus prodijt in lucem. Si hic autem non ferebat labores & afflictiones quæ ex aliorum constabant iniquitate; non multò magis, patientissimus Iob, iure ægrè ferebat quòd propter eum quidem

Iob 22. b

Iob 2. a

Iusti aliorum calamitates deflent tanquam suas.

Ierem. 20.

quidem supplantabatur, & propterea eum tædebat viuere, vt qui alijs inuentus esset causa peccati? quid verò, & quæ videtur execratio? *Dies ille*, inquit, *non veniat in numerum mensium, neque requirat eum Dominus; supernè obscurentur astra illius noctis:* Execratur autem rem quæ non consistit, sed diem & noctem præteritam. Quomodò enim fieri potest vt quæ fuerunt & præterierunt, rursus fiant; vt dies ille, & nox illa reuertatur? De astris autem tacitè significat nouorum seculorum in melius futuram mutationem in consummatione; Sicut dixit Dauid: *In initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli; Ipsi peribunt, tu autem permanebis.* Et Apostolus: *Esca ventri & venter escis; Deus autem & eas & hunc abolebit:* quæ in melius futura est mutationem, nominantes interitum & abolitionem. Etenim in die cōsummationis, *Sol & Luna obscurabuntur*, vt dicit Propheta, *& stellæ abscondent lucem suam.* Nam quòd non ex desperatione ex pusillanimitate, illa loqueretur, audi eum dicentem Deo: *Expectabo te donec rursus factus fuero, & dabis mihi tempus in quo meminero tui.* Et rursus: *Scio ego quòd iustus apparebo; Quis enim est qui mecum sit litigaturus in iudicio?* Non ergo tanquàm angeretur, aut animum despondere; sed tanquàm aliorum damnum habens suspectum, hæc dicebat quæ nec in peccatum quidē sunt ei omnino reputata: Dicit enim; *In ijs omnibus quæ ei acciderunt ne in labijs quidem suis peccauit Iob contrà Deum & non dedit Deo insipientiam.* Eius autem amici hæc non intelligentes, & eum condemnantes; à Deo immissam iram erant attracturi, nisi citò iustus Deum eis reddidisset placatum & propitium, & hoc eis remisisset peccatum: Dicit enim eis Deus; *Nisi enim propter seruum meum Iob vos perdidissem, nō enim locuti estis verum aduersus seruum meum Iob.*

Iob 3. Psal. 101. 1. Cor. 6. Zach. 11. d. Iob 14. Iob 13. Iob 42.

Ex Cyrillo Alexandrino, in Commentario in Iob de tempore eius plagæ.

Quot annos vixerit, Iob.

Ex temporibus vitæ iusti Iob quæ dicit Scriptura; nempe quòd post plagam vixerit centum septuaginta annos, omnes autem annos vixerit ducentos quadraginta octo; licet exactè coniectare quòd ipse septem annos egerit in tentatione, septuaginta annos natus in initio tentationis, adeò vt tādem simul fuerint octoginta quinque anni quos Deus ei duplicauit, præter alia bona quæ ei dedit; in duplum quoque ei vita reddita, vel potiùs præbita. Non enim qui omnia in duplum ei dedit Dominus, vitam eis meliorem mutilam mancámque fecisset. Dicit enim: Dominus benedixit extrema Iob quā priora, & dedit ei duplicata quæ priùs erant. Vt ergo conueniat omnis numerus annorum: auferamus septem, ex octoginta quinque, tentationis; ita vt illi remaneant 78. quibus adiecti 170. qui fuerunt post tentationem; efficiunt omnes annos vitæ eius ducentos quadraginta octo. Cogitemus ergo Dei benignitatem qui etiam duplicauit septem annos tentationis, quos noluit connumerare in tempore vitæ eius, quoniam in annos vitæ non computauit tempus plagæ, quodammodò enim, ne tempus quidem illud vixit in hac vita. Quamobrem in meliorem hanc vitam ipsum computauit Deus.

Quomodò steterit diabolus coram Deo cum Angelis.

Quæst. 31.

Iob 1. Diabolus stare dicitur corā Deo quādo fugitur impo-sito ei ministerio.

Non stetit in cœlis, non erat enim dignus: Sed quoniā omnia implet Deus, & est vbique, stetit adhuc super terram in suo ordine & ministerio, in quo fuit collocatus vt Deo ministraret & eius. Nam in quibusdam rebus quæ ad castigandum & humiliandum, à Deo nobis inferuntur ex eius ira; collocatus est diabolus ad parēdum iussui Domini cum malis suis Angelis, vt diuinæ ostendunt Scripturæ. *Emisit enim*, inquit, *in ipsos iram furoris sui furorē & iram, emissionem per Angelos malos:* Et; *Spiritus Domini recessit à Saüle, & suffocabat eum spiritus malus à Domino:* Et Apostolus; *Quos tradidi satanæ vt discant non blasphemare.* Dictam ergo diaboli stationem coram Domino, accipere oportet pro ministerio in quo collocatus fuit à Domino, ad Deo ministrandum. Sicut etiam de eo dicit

Psal 77. 1 Reg. 6. & 18. 1 Cor. 5.

A Elias; *Viuit Dominus, cui adsto coram ipso hodie;* statum appellans, ministerium quo ministrabat Domino. Quod autem etiam Dei ministri dicuntur homines qui propter peccata nostra bellum gerunt; audi quid dicat Ezechiel de Nabuchodonosor: *Hæc dicit Dominus; Ecce ego dedi Nabuchodonosor Regi Babylonis terram Ægypti, & capiet eius multitudinem; & spoliabit spolia eius, & pascet pascua eius, & erit merces potentiæ eius pro ministerio quo functus est aduersus Tyrum; Dedi ei terram Ægypti pro ijs quæ fecit mihi.* Rursus verba quæ à Dei persona dicta sunt diabolo; non propriè intelliguntur verba quæ locutus est Dominus aduersario, aut quæ ipse locutus est Domino: sed res ipsæ quas Deus concedit diabolo agere aduersus homines, accipiuntur pro verbis & vocibus.

3. Reg. 17. Ezech. 29. d. Verba Dei accipiuntur pro rebus ipsis quas facit vel permittit Deus.

B *Ex Maximo Confessore, de dubijs.*

Si Rex Babylonis allegoricè accipitur pro diabolo, quomodò Deus per Ieremiam Prophetam, eum appellat seruum, dicens: *Ego dedi omnem terram Nabuchodonosor Regi Babylonis seruo meo, & bestias agri dedi vt seruirent ipsi?* diabolus, & est Dei inimicus, & vltor. Inimicus quidem tanquàm odio habens, videtur quodammodò exitiosam in nos habere charitatem, modis voluntariarum animi affectionum, per voluptatem persuadens nostro libero arbitrio, externis bonis præferre temporalia; per quæ suffurans totum nostri animi desiderium, nos omnino abducit à Dei charitate, volūtariè, faciens, hostes nostri Creatoris. Vltor autē est ac vindex, quando aperto suo in nos odio, vt qui propter peccatum ei iam C sumus obnoxij, à nobis pœnas exigit. Nihil est enim æquè gratum diabolo, atque homo qui punitur. Quod cùm ei fuerit permissum, densas & sibi inuicem succedentes inuoluntariorum malorum excogitans inflictiones; instar procellæ crudeliter in nostra inuehitur, Dei permissu accepta potestate: non diuinum quidem iussum volens adimplere, sed sui in nos odij cupiens alere affectionem, vt grauium calamitatum magno pondere propter victoriam à spe diuina lapsus animus, suas frangat vires pro admonitione, impietatis causam sibi procreans, grauia mala quæ sibi infligūtur. Deus enim cùm sit bonus, & nolit voluptatem quæ mentem abstrahit à Dei charitate, perfectè extendere semen nostri vitij, concedit diabolo vt labores & cruciatus nobis inferat. Tanquàm ergo qui ex permissione peccatores puniat; D diabolus Dei vocatus est seruus. Æquum enim est vt à diabolo puniātur qui malas volūtariorum peccatorum suggestiones lubenter susceperunt. Sic ergo voluptatem quidem seminat dæmon per voluntarias animi affectiones; dolorem autem inducit per inuoluntarias. Bestiæ autem quas dat Deus Regi Babylonis; sunt dæmones. Vnusquisque enim, prout est illi intrinsecus innatum, ministerio suo fungitur ad hanc vel illam inducendam tentationem. Alius enim aliud efficit vitium; & alius alio planè est nequior & sceleratior, & ad vitiū aptior. Absq; diuina autē permissione, in nullo possunt dæmones esse administri malorū principi diabolo; Sed sicut nouit Deus, cùm sua benignitate & bona prudentia concedit diabolo, per suos administros, propter pecca-E ta nostra diuersos inferre cruciatus. Idque apertè ostendit Scriptura dicens de Iob, diabolum non potuisse omninò ad Iob accedere absque diuina concessione.

Diabolus quomodò Dei seruus. Ierem 25. Exitiosa demonum in nos charitas. Diabolo nihil gratius quam homo qui punitur. Diabolus in nobis & voluptatem seminat & dolorem. Dæmones non sunt administri malorum absque Dei permissione.

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Per hoc autem quòd dixit Dominus; *Sed libera nos à malo, Quoniam eorum est regnum & potentia & gloria;* nobis in memoriam reuocat quis nobis dominetur, & quòd sit omnibus potentior, & quòd nullum oporteat præter ipsum formidare; conuenienter ei qui dicit, *Fili honora Dominum, & valebis viribus; Præter ipsum alium ne timeas.* Nam ille quoq; qui in nos bellum gerit, est ei subiectus; etiam si videatur esse contrarius, Deo interim concedente. Nam ipse quoque est ex seruis, iisque valdè vilibus & abiectis, & qui offenderunt: Neque ausus est vllum aggredi ex conseruis, nisi priùs à superis accepta potestate, & sicut in Iob. Et quid dico conseruos? Ne

Matth 5. Prou 7. Diabolus nil potest nisi Deo permittente.

potcos quidem auſus eſt inuadere, donec fuit ei permiſſum, ſicut nec Iobi armenta & greges.

Math. 8.d
Iob 1.e

Quomodo cùm Deus permiſiſſet Balaamo vt proficiſceretur ad Balac; eum prohibet per Angelum? Quæſt. 32.

Num. 22.

Cùm Balac rex Moabitarum accerſiuiſſet Balaam, vt cùm veniſſet, execraretur Iſrael: ijs qui ad ipſum venerant dixit quæ Deus ei fuerat locutus: nempe; *Non profiſciseris, neque execraberis.* Non perſuaſus autem Balac, perrexit accerſere, ratus ſe donorum promiſſione Balaam corrupturum; & futurum vt illius inſtituto & ſcopo Deus annueret. Tunc ergo Balaam; cùm oporteret, eos qui redierant, amendare, vtpotè quòd Deus ei ſemel vetaſſet & interdixiſſet; rurſus ex eo ſciſcitabatur: Indignatus ergo Deus non ampliùs ei reſpondet ſicut priùs, ſed dicit; *Surge & eos ſequere:* Quod ſæpè ſolet etiam fieri à medicis, qui nonnunquàm quidem iubent abſtinere à cibis noxijs, cùm autem ad eos propenſi ſunt ægroti & quodammodò vim afferunt medico, vt eis permittat ſumere, tunc medicus (vt qui ſemel non ſit auditus) iraſcens permittit; ſcit enim eos nolle corrigi. Hoc autem faciebat Deus, ſimul quidem & (vt ita dicam) iraſcens, & ſimul volens oſtendere, quod etiam ſi abierit, non poteſt quod vult facere & populum execrari. Et quam vim, inquit, habebat, Vatis execratio, cui Deus prohibuerat ne execraretur? Nullam quidem vim habebat; falſa enim tenebatur opinione. Sed quoniam populus continenter iniquè agens, ſuſtinebat plagas à Deo immiſſas; ad illorum imbecillitatem hæc diſpẽſauit. Nam ne à Deo caſtigati, exiſtimarent ſe per Vatis execrationem incidiſſe in calamitates; non ſiuit Vatem vti execrationibus, iniquorum amputans occaſionem. Sed ille quidem verum Deum non ſciſcitabatur; ei autem reſpondit non qui ab ipſo vocabatur, ſed qui ab ipſo ignorabatur. Nam ſæpè quidẽ venit Deus etiam ad impios, non propter ipſos ſed propter ſanctos; ſicut ad Laban propter Iacobum, & ad Pharaonem propter Ioſephum, & ad Nabuchodonoſor propter Danielem, & ad hunc ipſum propter Iſraëlem. Miſit itaque paulò poſt ad Balaam, Angelum cum romphæa, ſubindicans futurum, vt paulò poſt & ipſe & Balac interimeretur. Iſte enim fuit author ſcelerati illius conſilij, per quod ceciderunt vno die 24. millia, quando fuerunt initiati Beelphegor; cùm mulieres Madianitæ apparuiſſent in caſtris, & eos pellexiſſent ad libidinem, ipſius conſilio. Dicit enim: *Et Balaam filium Beor occiderunt in bello Madian cum vulneratis, & adduxerunt ſpolia, & iratus eſt Moyſes dicens: Cur viuas cepiſtis omnes fœminas? Ipſæ enim filijs Iſrael fuerunt ſcandalum ſecundum verbum Balaam vt deficerent & deſpicerent verbum Dei propter Beelphegor, & fuit hæc plaga.*

Deus permittit quandoque mala, vt medicus cui non paret ægrotus.
Deus venit etiam ad impios propter ſanctos.
Gene. 31.d
Gen. 41.e.
Num. 31.

Quomodo ſeruatur iuſtitia dum filij puniuntur pro patribus? Quæſt. 33.

Tanquàm qui filios amarent, & curarent vt filiorum magnam haberent multitudinem, minis terret, & dicit: *Reddens peccata patrum in filios, ad tertiam & quartam generationem ijs qui me oderunt, & faciens miſericordiam in mille millia ijs qui me diligunt & cuſtodiunt mandata mea.* Quòd autem ſit impium, nudum attendere præceptum; ipſe Deus docet Legem ferens contrariam: *Non morientur,* inquit, *patres pro filijs, neque filij pro patribus, ſed vnuſquiſque in ſuo peccato morietur:* Et dicit per Ezechielem; *Quæ vobis eſt hæc parabola dicentium, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt? Quoniam omnes animæ meæ ſunt; anima quæ peccauit, ipſa morietur.*

Exod. 20.
Deut. 24.
Ezech. 18.

Ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, Lib. 2. Cap. 14.

Pro peccato filium ſuo punitur quilibet.
Gene. 7.
Gen. 19 d
Ioſ. 6.d
Act. 1.c
Act. 8.e

Vnuſquiſque pro ſeipſo reſpondebit, & non perdet Deus ſimul iuſtũ cum iniuſto; Nam apud ipſum quod ſine peccato eſt non punitur. Neque enim Noe, diluuio obruit, neque Lot combuſſit, neque Raab ſimul perdidit. Si quis autem velit ſcire ea etiam quæ in nobis facta ſunt; Iudas nobiſcum accepit ſortem miniſterij quam nos; & Simon Magus accepit ſignaculum quod eſt in Domino: Sed vterque eorum effectus miſerus; ille quidem fuit ſtrangulatus, hic verò præter naturam volans fuit contritus. Et in arca erant Noe & eius filij; ſed inuentus malus ſolus Cham ex filijs, fuit punitus. Quòd ſi patres non puniuntur pro filijs, neque filij pro patribus; eſt perſpicuum quòd neque vxores pro maritis, neque ſerui pro dominis neque cognati pro cognatis, neque amici, neque iuſti pro iniuſtis; ſed ab vno quoque de ſuo facto exigetur ratio. Neque enim Noe pro mundo dedit pœnas, Neque Lot fuit exuſtus pro Sodomis, Neque Raab fuit occiſa pro Iericunthinis, Neque Iſraël fuit ſubmerſus pro Ægyptijs; neque enim condemnat ſimul cohabitatio, ſed mentis conſenſus. Non ergo morietur alius pro alio, ſed *ſuorum peccatorum catenis, conſtringitur vnuſquiſque.* Et, *ecce homo & eius opus coram ipſo, & iuſtitia eius ſuper ipſum erit; Secundum viam veſtram iudicabo vos, domus Iſrael; dicit Dominus.*

Simonis Magi præcipitium.
Exod. 14.e
Prou. 5 d
Ezech. 7.

Quomodo eſt intelligendum illud; Non dedit vobis Dominus Deus cor ad ſciendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum vſque ad hunc diem. *Quæſt. 34.*

Deut. 29.

Sicut illud, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ;* Et, *indurauit Deus cor Pharaonis;* Et, *Decepiſti nos Domine à via tua, indurasti corda noſtra;* Et, *Decepiſti nos Domine & decepti ſumus;* & quæ huiuſmodi: in quibus exactus & accuratus ſenſus non oſtendit quòd à Deo aliquid abſurdi ingeneretur humanæ naturæ; ſed reprehendit liberum arbitrium, quod hominum quidem (& Dei dono) datum eſt naturæ, per conſilij autem egeſtatem effectum eſt nobis facultas propenſionis ad contrarium. Tale eſt illud; *Diſtractionem malam dedit Deus hominibus;* propterea quòd bonum Dei donum (nempe voluntarius liberi arbitrij motus) aberranti hominum electioni factus eſt inſtrumentum ad peccatum & diſtractionem animæ; vt quæ à ſublimibus & præclaris, diſtracta ſit ad patibiles motus animæ. His ſimile eſt illud quoque quod dictum eſt ab Eſaia & Ioanne Euangeliſta: *Occæcauit eorum oculos, & obdurauit cor eorum:* Et illud Apoſtoli; *Deus huius ſæculi occæcauit ſenſus infidelium.* Nam homines qui Deo non crediderunt, ij occæcantur ne intelligentes deſpiciant. *Seruus enim,* inquit, *qui cognouit, & non fecit, vapulabit multis; Qui autem non cognouit, fecit autem, vapulabit paucis.* Parcens ergo Deus occæcat mentes infidelium, & tanquam bonus: Et hoc dicit; *Si non credideritis, non intelligetis.* Quamobrem dicit Dauid: *Non cognouerunt, neque intellexerũt, in tenebris ambulant.* Cæterum humanis ſermonibus ſæpè vtitur Scriptura, vt qui ſint notiores: ſolent enim quidam dicere diſcipulis & miniſtris, eos reprehendentes; *Occæcauit Deus cor tuum:* Hoc modo quoque loquendi hîc vſa, per verba conſueta arguit eorum amentiam.

Rom. 1.
Exod. 14.
Iſa 63. d
Ierem. 20 b
Liberi arbitrij propenſio ad malum.
Iſa. 6.
2. Cor. 4.
Luc. 12.
Iſa. 8.
Ioan. 12.
Pſal. 72.
Indurare cor & excæcare quid ſignificat.

Quãnnam ob cauſam propter paruum delictum iuſſus fuit Moyſes procul videre terram, prohibitus eſt autem ne populum introduceret. Quæſt. 35.

Per hoc nos docet Deus, quòd ab ijs qui ſunt in virtute perfecti, Deus exigit perfectionem; & in alios homines qui magna admittunt ſcelera, lenis & clemens, ſanctis non dat hanc veniam. Hoc etiam dixit quidam Sapiens; *Nam minimo quidem concedenda eſt miſericordia, Potentes autem potenter examinabuntur.* Et Dominus: *Nam cui* (inquit) *parum fuerit datum, parum ab eo exigetur; cui autem multum, multum quoque exigetur ab eo.*

A perfectis, Deus perfectionẽ exigit, non ab alijs.
Sap. 6.
Liber Sapientiæ author quidam Sapiens.
Luc. 12. f

Ex Baſilio in Aſceticis.

Exod. 33.
Num. 20.

Cùm videro Moſem illum Dei ſeruũ; illum (inquam) magnum, qui tali & tanto à Deo dignatus eſt honore, & ab eo ſæpe hoc accepit teſtimonium vt audierit; *Noui te præter omnes, & inueniſti gratiam coram me:* Illum cùm videro ad aquam contradictionis, nullam aliam ob cauſam quam quòd ſolum dixerit populo murmurãti propter aquæ penuriam; *Num in hac petra educam aquam?* propter hoc ſolum intentas ſibi accepiſſe minas, non intraturum

turum in terram promissionis, quę erat summa factarum Iudæis, promissionum: Cùm ergo videro eum rogantem & non impetrantem: Cùm videro nullam propter tot rectè & præclarè gesta, veniam assecutum ob illud breue verbum: re vera *video* quidem, *Dei* (vt dicit Apostolus) *seueritatem*: re vera autem illud verum esse credo; *Si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi apparebit?* Et quid hæc dico? Quando illā terribilem audiero Dei sententiam quam pronunciat in eum qui vnum transgressus est peccatum in ignorantia, non possum non meritò timere iræ magnitudinem. Scriptum est enim: *Et anima si peccauerit, & fecerit ex omnibus mandatis Domini quæ oportet facere, & non cognouit; deliqueritque & acceperit peccatum; offeret arietem immaculatum ex omnibus, precium pecuniæ ad Sacerdotem; & expiabit Sacerdos pro ipso de ignorantia quam ignorauit & ipse nesciebat & peccauit coram Domino.* Si ergo de ijs quæ per ignorationem facta sunt, erat adeò inexorabile iudiciū: & pro expiatione ita necessarium erat sacrificium, vt etiam Iob offerret pro suis filijs; quid dixerimus de ijs quæ fiunt à scientibus?

Rom. 11. 1. Petr. 4. Leuit. 4. Pro peccato per ignorantiam, offerrebatur sacrificium. Iob 1.

Cur Deus non prohibuit Iephte sacrificare filiam; vt Abraham, filium? Quæst. 36.

Quoniam si esset imitatus Abrahæ pietatem, fideliter etiam accepisset sacrificiū, etiam si malè vouisset. Nam si habuisset filiam sicut ille filium, potuisset recipere mercedem pietatis: Sed neque Deus hoc petit, neque sceleratum accepit sacrificium. Quid enim hoc voto potuerit esse magis impium? Fieri enim poterat, vt obuius esset ei canis primus, & equus, & asinus, & Camelus, & quæcunque verisimile erat eum possidere cùm esset dominus tantæ multitudinis. Propterea neque pater erat dignus beneficio Abrahæ post illam incredulitatem & de voto pœnitentiam & vestium dilacerationem & lamentationem: neque filia, Isaaci vita, post impium luctum & duorum mensium eiulatum; vt quæ iudicârit hoc sacrificium esse quáuis calamitate grauius. Hoc autem permisit Deus, eos qui tunc erant & qui posteà futuri erant erudiens, tutò quidem Deo vouere, & vt conuenit; citrà moram autem, & cum fide & gaudio implere promissum. Vicit autē Iephte, non propter votum, sed propter iustum Dei iudicium: nō enim propter votum malè factum oportebat delere Israëlem.

Votū Iephte, impium. Votū semper est Deo vouēdum cum fide, & cum gaudio implendū.

Quomodo est intelligendum de Pythonissa. Quæst. 37.

Quidam dicunt, verè quidem excitatum esse Samuelem: Quidam autem hoc euertētes, dicunt aliquem populi deceptorem dæmonem ostendisse Samuelis figurā, & dixisse quæ sæpè audierat dicentem Samuelem; ignorasse autem tempus mortis Saülis. Ego autem, primum quidem existimo iniquum ac nefarium: Non credam enim Necromantiam ne quamlibet quidem agere animam, nedum Prophetę & tanti Prophetæ. Est enim perspicuum quòd in quodam alio loco degunt animæ expectantes resurrectionem corporum: est ergo valdè impium credere, Phytonissam, tantam habere virtutem. Secundum autem, est ignorationis magis quàm impietatis. Illam enim impiam conantes euertere orationem, existimauerunt falsam fuisse prædictionem, & ideò eam attribuerunt dæmonibus magistris mendacij. Sed audiant librum qui inscribitur Paralipomenon, qui dicit: *Et mortuus est Saül in iniquitatibus, quibus iniquè egit cōtra Dominum secundum verbum Domini propterea quòd non seruauit ipsum & quòd Saül interrogauit in Phytonissa, vt exquireret; Et respondit ei Samuel Propheta, & non exquisiuit Dominum, & occidit ipsum.* Hinc est ergo perspicuum quòd Deus tributa, cui voluit Samuelis forma, protulit sententiam, cùm hoc non potuerit facere Phytonissa; sed Deus etiam per aduersarios, sententiam tulerit. Nam audiuimus ipsum dicentem; *Etiam si abieris ad Pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei.* Etenim per impium quoque Vatem Balaam benedixit populo, & futura prædixit; non scelerato loquēte spiritu, sed spiritu Dei operante.

1. Reg. 28. Impiū est dicere Samuelē à Phytonissa fuisse suscitatum. 2 Paral. 11. 1. Reg. 28.

A Quoniam verò existimauerunt quidam falsam fuisse prædictionem, necesse est de ea breuiter disserere. Priùs autem dixit Scriptor: *In diebus illis congregant alienigenæ castra sua vt exeant ad bellum aduersus Ierusalem; & exeunt, & castramentantur in Somam: Et vidit Saül castra alienigenarum, & congregat Saül omnem virum Israël, & castramentatur in Gelboe: Et vidit Saül castra alienigenarum & obstupuit cor eius valde: Et interrogauit Saül per Dominum, & non respondit ei Dominus in somnijs manifestis, & Prophetis.* Manifesta autem appellauit, quæ significantur per Ephod. *Et dixit Saül pueris suis; Quærite mihi mulierem Phytonissam.* Est ergo perspicuum quòd cùm Hebræi & alienigenæ castrametati essent, quæsiuit Saül Phytonissam; *vidit* enim *castra alienigenarum & timuit valdè.* Cùm autem accessisset ad Phytonissam, & alicundè accepisset responsum, statim concidit cùm neque noctu comedisset, quando relictis B castris accessit sciscitaturus Phytonissam, neq; illo toto die: Cænauit autem rogatus à muliere; & cùm pernoctasset in itinere, venit ad exercitum. Dicit enim: *& illa tulit coram Saüle & coram pueris eius, & comederunt, & surgentes abierunt illa nocte;* Deinde orta luce commissum est prælium. Fuit ergo vera prædictio quæ dixit: *Cras, te & Ionathan filium tuum tecum, & castra Israël dabit Dominus in manus alienigenarum.* Eorum autem nihil prædixit Samuel cùm adhuc esset superstes, sed regno solùm priuatum iri; Ionathæ autem nullam fecit mētionem: Hic autem & Ionathæ & Saülis prædixit exitium, & populi stragem, & alienigenarum victoriam. Vera ergo fuit prædictio, erat enim diuina; neque, vt opinor, facta fuit à Samuele. Nam illa quidem dixit figuram quam conspe- C xit; Saül autem ex figura coniecit esse Samuelem. Historia autem id quod visum est, nominauit Samuelem; propterea quòd ille eum quæsierit & crediderit. Quomodò enim qui ab Abraham visi sunt, Angelos; & illorum Dominum viros nominauit, quoniam (vt eos tales esse arbitratus Patriarcha, apposuit mensam) & qui non erant Dij, Deos nominauit: Ita etiam hic quoque, qui visus fuit in figura Samuelis (siue Angelum siue Spectrum ostendens figuram Samuelis) nominauit Samuelem, vt accepta sententia generis mortis suæ, fideliter è vita excederet. Gen. 19.

Ex Cyrillo, De adoratione in spiritu.

Nugæ ergo sunt & planè insania, re vera putare Prophetæ animam execrandæ mulierculæ Incantationibus D fuisse attractam. Audiui autem, quòd verbis quibusdam arcanis dæmonia pellicientes & aquam incantantes, spectra & vmbras & tanquàm in speculis formas quidam aspiciunt; figuras vtique eorum qui dicūtur referri. Is quidem certè qui vexant & cælestia solent afficere, reuelat etiam per eos per quos minimè oportet nonnunquàm ea quæ dicuntur; vt est verisimile, in mentem humanam sanctis insonantibus Angelis.

Insaniā est putare Samuelis animam à Phytonissa fuisse attractam. Hydromantia.

Quid erat Ephod, per quod Sacerdos Deum interrogabat? Quæst. 38.

Ipsum quidem nomen, interpretatum; manifestatiōnem significat aut solutionem. Eius autem forma erat, vnius palmi textura, instar pectoralis, ex filo aureo, & varia arte confecta. Et in medio quidem habebat tan- E quam auream stellam; ex vtraque autem eius parte duos Smaragdos quibus erant inscriptæ duodecim Tribus Israël: In medio autem duorum Smaragdorum, Adamantem. Quando ergo Sacerdos Deum erat sciscitaturus de aliquo capite; alligabat ipsum in Superhumerali in medio pectoris: & imponebat subter manus suas, & inueniebatur expansa in palmis suis tanquàm pyxidula. Et aspiciens ad Ephod, Deum sciscitabatur: Satim autem fulgurabat Adamas; & lucem eiaculantes emittebat radios. Si autem Deo non placebat, manebat lapis in suo ordine: Si autem erat populum gladio traditurus, fiebat sanguinolentus: Sin autem mortiferum quid erat euenturum, fiebat niger.

Ephod qualis erat forma.

Ex Chrysostomo, de indumento Sacerdotis.

Induebatur autem olim summus Pontifex intrans

Sancta ſanctorum quæ à veſte talari; hoc eſt à capite deſcendebat vſque ad pedes; & Superhumerali, quod erat alterum indumentum deſcendens vſque ad fœmora; & Tibialibus, & quæ ab eis dicitur fimbria; & rurſus malis punicis & cornibus, & tintinabulis. In capite autem geſtabat Tiaram ſeu mittam. In humeris autem duos Smaragdos; in quibus videlicet hinc ſex Tribus & illinc ſex. In pectore autem Rationale, quòd exſculptos habebat duodecim lapides. Et licet videre alias quidem figuras, alios verò ſenſus. Non enim Deus omninò quieſcit in hyacintho & purpura; ſed in corporeis ſenſibus deſcribit imaginem. Nam ſi verè quieſcebat in glorioſis illis veſtibus, cur ante Aaronem non induit Moyſen? Sed erat quidem Moyſes illa veſte nudatus, ipſe induens Sacerdotes. Moyſes enim non fuit aqua lotus, ſed lauit; Non fuit vnctus oleo, ſed vnxit; Non geſtauit veſtem Sacerdotalem, ſed Sacerdotes induit: vt diſcas quòd ei qui eſt ſecundùm Deum perfectus, ei ornamentum ſufficit virtutis. In figura itaque Sacerdotis virtutes effingit & exprimit: ſupernè quidem in capite, nomen Dei, in pectore autem ratio; & infernè, flores & fructus, virtutum tecta facta. Lapis Sardius qui eſt appellatus Babylonius, eſt quidem igneus & ſanguineus; naſcitur autem in terra Babylonis apud Aſſyrios: eſt autem perſpicuus, & vim habet medendi: Eo vtuntur medici ad tumores, & quæ ferro fiunt vulnera, ſi illinatur. Topazius eſt quidem rubeus pluſquàm lapis carbunculus; naſcitur Pazi, quæ eſt vrbs Indiæ: Tritus autem in medico mortario, colore quidem rubrum non emittit ſuccum, ſed lacteum; implet autem multos crateres (nempe quos vult is qui terit) & neque pondere minuitur, neque circunferentia. Conducit autem quòd ex eo emittitur, ad vitia oculorum & hydromanias ſi bibatur; & ijs qui ex vnda marina, furore corripiuntur. Smaragdus eſt quidem, viridis; In Indiæ autem montibus, fodientes Barbari eum ſecant: Eius autem virtus eſt ad hoc, vt tanquàm in ſpeculo vultus aſpiciatur. Carbunculus eſt, forma quidem admodùm puniceus; naſcitur autem Carthagine vrbe Libyæ quæ dicitur Africa: Dicunt autem eam inueniri nō interdiù ſed noctu; nam procul ſcintillans inſtar lampadis aut carbonis, deinde ceſſat: Eum autem eſſe agnoſcētes qui quærunt, ad eius ſplendorem abeunt & inueniunt. Dum autem geſtatur, qualibuſcunque tectus ſit veſtibus, ſplendor eius extra amictum apparet. Sapphirus autē purpureſcit quidem, naſcitur autem in India & Æthiopia; Tritus autem medetur tuberculis, ſi cum lacte illinatur locis vlceratis: & lex quæ Moyſi data eſt in monte, apparuiſſe dicitur in Sapphiro. Iaſpis autem eſt Smaragdo ſimilis; inuenitur autem in Oſtio fluuij Thermodontis & Paramathamtij in Cypro: Confert autem ad morbū comitialem. Hyacinthus eſt quidem ſubrutilus; inuenitur autem in interiore Scythiæ barbaria. Scythiam autem ſoliti ſunt vocare veteres, omnem regionem Borealem, vbi ſunt Gotthi & Dani. Illic ergo intrinſecus in magnæ Scythiæ ſolitudine eſt barathrum ſeu foſſa profundiſſima, & ad quam non patet aditus hominibus, & rupibus hinc & illinc circundata adeò vt quiſpiam supernè ex ſummis montibus tanquàm ex mœnibus diſpiciens non poſſit foſſæ fundum aſpicere, ſed ex profunditate ſit veluti quoddam tenebroſum Chaos; In qua ſunt qui à propinquis mittuntur Regibus condemnati & coacti. Cùm autem agnos ſacrificauerint & excoriauerint, deſuper eos iaciunt ex rupibus in Chaos foſſæ. In illis autem carnibus conglutinantur lapides; Aquilæ autem supernè in rupibus habitantes, deſcendunt ad odorem carnium, & ſurſum ferunt agnos habentes lapides. Inter comedendum autem carnes, lapides manent in vertice montis: Illi autem cùm aſpexerint quò ab Aquilis ſublatæ ſunt carnes, illuc eunt & ſic ferunt lapides. Habent autem hanc efficaciam: Nam ſi iaciantur ſuper carbones ignis; ipſi quidem non læduntur, carbones autem non extinguunt. Nec hoc ſolùm; ſed etiam ſi quis capiat lapidem,

[*Veſtes Sacerdotales quid ſignificarent.*]

[*Perfecto viro ſufficit virtus abſque ornamento.*]

[*Gemmarum Hiſtoria.*]

[*Scythia.*]

A & inuoluat in aliquo linteo & ponat ſuper carbones; ipſe quidem qui tenet, ab ignis calore in manu vritur linteum autem omninò manet illæſum. Dicitur etiam parientibus mulieribus cōducere ad facilè pariendum. Achates autem eſt ſubcæruli coloris; Inuenitur autem is quoque in illis Scythiæ regionibus: Si teratur autem ſuper frontem, auertit dolorem morſus ſcorpionum & viperarum. Amethyſtis quidem eſt in profundo, flāmæ ſimilis; inuenitur autem in montibus Lybiæ in littore Maris. Chryſolythus eſt auro quidem ſimilis, inuenitur autem in rupe Phreatide in margine Achemenidis Babylonis. Babylonem enim & illū rupis puteum appellant Achemenidem. Si teratur autem, medetur ijs qui ſtomachi & ventris dolore laborant. Berillium eſt qui-
B dem glauci coloris; naſcitur autem in ſummitatibus montis qui dicitur Taurus. Onychinus eſt quidem fuluus; inuenitur autem is quoque in eodem monte.

Ex Theodoreto in illud Exodi; Nomen meum non indicaui eis. *Exod. 6.*

Docet eum quanto honore eum affecerit, & quanta fuerit ſua in eum beneuolētia. Quòd enim nomen non indicauit Patriarchis, hoc Moyſi indicauit: Ei enim dixit; *Ego ſum qui ſum.* Hoc autem apud eos quidem nominatur ineffabile; eſt enim eis interdictum id lingua proferre: Scribitur autem per quatuor elementa. Vnde etiam id dicitur & tetragrammaton. Hoc autem in Lamina aurea inſcriptum erat; Imponebatur autem fronti
C Pontificis, tænia è capite ligatum.

[*Tetragrāmaton Dei nomen.*]

Quomodò eſt intelligendum illud; Locutus eſt Salomon de lignis à Cedro vſque hyſſopum quæ eſt in pariete. *Quæſt. 39.*

[*3. Re. 4.*]

Herbarum & arborum naturas ac virtutes, atque adeò omnia quoque animātia; naturali Philoſophia tractaſſe eis & diſſeruiſſe dixit. Hinc eſt verò ſimillimum, eos qui libros conſcripſerunt Medicinæ, plurima decerpſiſſe, calidorúmque & frigidorum ſuccorum & humidorum ordinem compoſuiſſe; & hæc herba, illa herba quánam menſura ſit frigidior aut calidior; & huius animalis hæc particula cui morbo afferat remediū, vtpotè fel hyænæ, aut adeps leonis, aut ſanguis tauri, aut carnes viperæ. De his enim ſcripſerunt docti medici, accepta occaſione ab ijs quæ primò ſcripſit Salomon. Quod autem de his
D omnibus naturaliter diſſeruerit, audi eum dicentem in Sapientia: *In manu Dei, & nos, & noſtri ſermones; & ipſe mihi dedit eorum quæ ſunt cognitionem, Vt ſcirem mundi conſtitutionem, elementorum operationes, initium & finem & medium temporum, annorum circulos, & ſtellarum ſitus, animalium naturas, & ferarum iram, & ſpirituum violentiam, hominum diſputationes, plantarum differentias, & radicum virtutes, & quæcunque ſunt occulta & aperta noui, Nam omnium artifex me docuit ſapientiam.*

[*Naturalem Philoſophiā ante Græcos intellexit Salomon.*]

[*Medici plurima ſumpſerunt ex Salomone.*]

[*Sap. 7.*]

Ex tertio Regum.

Et multiplicata eſt ſapientia Salomonis valde ſupra prudentiam omnium hominum, & ſuper omnes prudentes Ægypti, ſapientiamq́; exercuit ſuper omnes homines, & locutus eſt ter mille Parabolas, & erant eius Cantica quinquies mille, & locutus eſt de li-
E *gnis à Cedro quæ eſt in Libano vſque ad hyſſopum quæ egreditur ex muro, & locutus eſt de pecoribus & volucribus, & de reptilibus & piſcibus, & de omnibus quæ ſunt ſuper terram.*

[*3. Reg. 4.*]

Ex Hippolyto, In Canticum Canticorum.

Et vbi eſt vniuerſa eius cognitio? Vbi autem hæc myſteria? & vbi libri? extant enim ſola Prouerbia, & Sapientia, & Eccleſiaſtes, & Canticum Canticorum. Quid ergo? falſum ne dicit Scriptura? Abſit. Sed fuit quidem magna, eorum quæ ſcripſit, materia, vt oſtēdit dicendo; *Canticum Canticorum*: Significat enim quòd id quod continebant ter mille Odæ ſeu Cantica, in vno narrauit. In diebus autem Ezechiæ, alij quidem libri fuerunt electi, alij verò neglecti: Vnde dicit Scriptura; *Hæc ſunt Prouerbia Salomonis diſcreta, quæ ſcripſerūt amici Ezechiæ Regis.* Vnde autem ſelegerunt, niſi ex libris qui inerant in ter mille Prouerbijs & quinquies mille Odis ſeu Canticis Canticorum?

[*Canticum Canticorum, eſt ſumma quinque millium Canticorum Salomonis.*]

[*Prouerbia Salomonis vnde ſint ſumpta.*]

corum? Ex ipsis sapientes amici Ezechiæ elegerunt ea quæ pertinebant ad ædificationem Ecclesiæ.

Ex Eusebio Pamphili de prisca historia.

Ezechias sustulit ex Prouerbiis Salomonis quæ pertinebant ad curationem morborum.

Libros autem Salomonis, qui scripti erant de Prouerbijs, & Odis; in quibus tractabatur de natura plantarum & omni genere animalium, & de curatione omnium morborũ; de medio sustulit Ezechias, propterea quòd morborum medelas inde acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationes.

Quid sit; Sapientia ædificauit sibi domum, &c.

Quæst. 40.

Prou. 9. Ioh. 1. Esa. 11. Psal. 43.

Christus Dei & Patris sapientia & virtus, ædificauit sibi domum, nempè carnem; nam *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* & fundauit colũnas septem, nempe sancti Spiritus septenarium, vt dicit Esaias, *Et quiescet super eum Spiritus Dei.* Immolauit autem suas hostias, nempe Prophetas qui suo tempore perimebantur ab incredulis pro veritate, & clamabant; *Propter te morte afficimur, tota die reputati, sumus tanquã oues occisionis. Miscuit vinum suum,* vt qui suam diuinitatem carni vniuerit tanquàm vinum merum, Seruator; Rursus autem inconfusè genitus fuit Deus & homo. *Et parauit mensam* suam, nempe Trinitatis quæ annũciabatur, cognitionem. Et ijs qui mentis erant egeni dixit; nempe ijs qui nõdum possidebant virtutem sancti Spiritus: *Venite, comedite panem, & bibite vinum quod miscui vobis.* Diuinam suam carnem & sanctum Sanguinem dedit nobis comedendum & bibendum in remissionem peccatorum.

Caro & sanguis Christi comeditur & bibitur in remissionẽ peccatorum. Prou. 30.

Quomodò intelligatur illud; Hirundini tres filiæ; &c.

Quæst. 41.

Hirundini tres erant filiæ; id est Peccato tres erant filię dilectæ; nempe fornicatio, inuidia, idololatria: Hæ autem tres, ipsum non impleuerunt. Non enim semper impletur per has actiones, hominem morte afficiens, peccatum. Quarta autem nunquàm contẽta est dicere; *Sufficit;* nempè quæ est in omnibus improba cupiditas. Nam quomodò vnum quidem est corpus, habet autem multa membra: Ita etiam peccatum cùm sit vnum, multas & varias habet cupiditates. Hoc volens docere exemplis, subiungit: Infernus & amor mulieris, & terra quæ non impletur aqua, & aqua & ignis, nunquam dixerint, sufficit. Nam quomodò infernus non cessat suscipere animas hominum, ita nec amor peccati cessabit animas hominum constuprare & corrumpere.

Cupiditas nunquàm expletur.

Quomodo intelligatur; Oculum qui irridet Patrem; &c. *Quæst.* 42.

Prou. 30.

Oculum qui irridet Patrem, & contumelia afficit senectutem matris; id est, eum qui blasphemijs & maledictis incessit Deum Patrem, & nihili facit Christum Dei sapientiam; eruent eum corui ex conuallibus: nempe immundi & maligni spiritus, perspicacem insipientiæ oculum. *Et exedent eum pulli aquilarum;* id est, conculcabitur à pedibus sanctorum.

Deum Patrẽ irridens, & Dei sapientiam, quomodo puniatur.

Prou. 30.

Quomodò intelligatur; Tria sunt mihi impossibilia intelligere, & quartum non cognosco; &c.

Quæst. 43.

Viam aquilæ volantis in cælo; id est Christi Ascensionem: *& viam serpentis super petram;* nempe vestigium peccati in corpore Christi: *& semitas nauis per mare gradientis;* nempe Ecclesiæ, vt quæ in hac vita tanquàm in mari, spe in Christum per Crucem gubernetur: *Et vias viri in iuuentute;* nempe eius qui natus est ex Spiritu sancto & Virgine. *Ecce enim vir,* inquit, *Oriens nomen ipsi.*

Zach. 6. Prou. 30. Ecclesia conuersio similis adulteræ.

Quomodò intelligatur; Talis est via adulteræ; &c.

Quæstio 44.

Talis est via adulteræ quæ quando aliquid fecerit læta, dicit se nihil mali fecisse: Talis est conuersio Ecclesiæ Christo credentis, quæ fornicata in idolis, eis renuncians & diabolo; cùm peccata abluerit & acceperit remissionem, dicit se nihil mali fecisse.

Quomodò intelligatur; Per tria mouetur terra; &c.

Quæst. 45.

Per tria mouetur terra; per Patrem & Filium & Spiritum sanctum; & quartum non potest ferre, nempe vltimum aduentum seruatoris. *Per seruum cùm regnauerit:* id est, Si seruus regnauerit; nempe Israël qui fuit seruus in Ægypto, & insipiens repletus fuerit cibis, vt qui terram in promptu acceperit, & comederit, & impletus recalcitrauerit. *Et ancilla si eiecerit suam Dominam;* nempe Domini interfectrix Synagoga, quæ Christi carnem cruci affixit extra portam. Et mulier odiosa, si nacta sit bonũ virum; nempe Ecclesia ex gentibus congregata.

Quomodò intelligatur illud; quatuor sunt in terra; &c. *& multa alia in eodem Capite. Quæst.* 46.

Quatuor sunt minima super terram; ea autem sunt sapientiora sapientibus. Formicæ quibus non sunt vires, parant æstate alimentũ; hoc est, gentes per fidem in Christum, parant sibi vitam æternam per bona opera. Et Echini, gens non valida, fecerũt in petris domos suas: Gentes in spirituali Christi petra ædificatæ sunt, quæ facta est in caput anguli. Stellio nitens manibus, & cùm sit captu facilis, habitat in munitis palatijs Regum, Latro in manuum extensione, Iesu Christi Cruce nitens, habitat in Paradiso; trium Regum munito palatio, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Regem locusta nõ habet, & vno iussu ordinatè proficiscitur ad militiam:* Regem non habebant gentes, in eas enim regnum obtinebat peccatũ; nunc autem cùm Deo crediderunt, cœlestem militant militiam. *Tria sunt quæ benè gradiuntur, & quartum quod pulchrè transit;* nempe Angeli in cœlis, sancti super terram, animæ iustorum sub terra; & quartũ, Deus Verbum carne suscepta pulchrè transijt in vterum Virginis Adamum refingens: Transit in mundo factus præco veritatis: Transijt in inferno, solutis à vinculis vinctorum animis. Volens in cœlum transijt, cœli portas aperuit, omnibus factus primitiæ Resurrectionis & Assumptionis. *Catulus leonis fortior pecoribus;* Christus, qui à Iacob, est in Iuda Prophetatus. *Gallus excelso animo deambulans inter fœminas,* est Paulus in Ecclesijs prompto & alacri animo prædicans verbum Dei. *Hircus Dux gregis,* est Christus qui fuit occisus pro peccatis mundi: *Et Rex concionans in gentibus:* Christus regnans super gentes, concionatur & prædicat per Prophetas & Apostolos verbum veritatis.

Prou. 30. Gẽtes in Christum credentes sunt similes formicis.

Latro in Cruce similis stellioni.

Christus catulus leonis. Gallus inter Gallinas.

Quomodo est intelligendum illud; Non est bonum in homine, nisi qui biberit & comederit, & acceperit animæ suæ bonum in labore.

Quæstio. 47.

Non carnaliter comedere & bibere iubet Ecclesiastes, sed spiritualiter. Nam qui dixit in Prouerbijs; *Ne decipiamini in saturitate ventris;* Et, *Melius est ire in domum luctus quàm in domum potus;* Et, *Cor sapiens in domum luctus, & cor insipiens in domo lætitiæ:* quomodò ad ea quæ dixit, euertenda; iubet lætari & ventri indulgere? Comedit autem & bibit quispiam spiritualiter operans mandata Dei, cibum manentem in vitam æternam; *Meus est enim* (inquit) *cibus, vt faciam voluntatem Patris.*

Eccl. 2. Eccle. 7. Commedere & bibere spiritualiter, est operari mandata. Io. 4.

Quantæ magnitudinis erat templum Salomonis.

Quæst. 48.

Longitudo quidem erat, LX. cubitorum, altitudo autem, XX. Conuersum autem erat non ad Orientem; ne precantes adorarent Solem Orientem, sed Solis Dominum. Nemo autem miretur, si cùm dixerit Scriptura fuisse longitudinem XL. cubitorum; ego dixerim, sexaginta: nam paulò post aliorum viginti meminit, dicens Sancta sanctorũ quę Daber quoq; nominat. Longitudo ergo Templi erat quidem quadraginta cubitorum; Sancta autem Sanctorũ erãt aliorũ viginti. Iosephus autem dicit Templum fuisse duarũ contignationum, & totam altitudinem fuisse centum cubitorum. Ita enim significauit etiam liber Paralipomenon, dicens: *Et cœpit Salomon ædificare templũ Dei; Longitudo cubitorum sexaginta erat prima dimensio, & latitudo cubitorum viginti & latitudo centum viginti; & deaurauit ipsum, ab Oriente, auro puro.*

Templum Salomonis non erat conuersum ad Orientem. 2. Par. 4.

Vndenam habuerunt Samaritani hanc appellationem.

Quæst. 49.

Ex proposita historia hoc probabiliter possumus disce-

3. Reg. 16. Somorō mons Samaria à monte Somor.

re. *Acquisiuit enim, inquit, Iambre Rex montem Samoron à Semer Domino suo duobus talentis argenti, & ædificauit ipsum, & appellauit nomen eius Samorum.* A Semer ergo nominatus fuit mons Somorum, à monte autem vrbs Samaria. Samaria autē est quæ nūc appellatur Sebastea; hîc enim erat sedes regia decem Tribuum. In captiuitatē autem abductis decem Tribubus, & deserta vrbe, ex regionibus Orientalibus in illas ciuitates, ad locum custodiendum trāsmigrare fecerunt Assyriorum quatuor gentes; nempe Cutthiæos, Catthiæos, & Sepharuæos, & Anagogauæos. Isti autem & ex Samaria, & ex custodia nominati sunt Samaritani, qui lingua Chaldæorum interpretantur custodes.

Samaria nūc Sebastea vel Sebaste dicitur.

Ex Epiphanio ad Diodorum.

Somoron quidem mons fuit appellatus, & loca finitima, à Semer vno filio Chananæorum, priusquàm ad illam terram ascenderet Abraham. Cùm autem venissent custodes, appellati sunt Samaritani; id est, custodes. Erant autem custodes, nō solùm terræ, sed etiam Legis. Seruabant enim Pentateuchum solum, quem acceperunt per Esdram Sacerdotem, vt ex eo discerneretur semen Abrahæ; sed Legē non seruabant perfectè. Quamobrem dicit Scriptura; *Manserunt facientes Legem Dei, & adorantes idola.* Lege autem iubente non adorari idola; Quomodò adhuc implebitur? Res autem sic se habet. Cùm autem cognouissent Sacerdotes quatuor gētium, quòd venisset Esdras abominans idola secundū Legem Dei festinantes absconderunt idola in monte Curizim in quadam spelunca, & auerterunt cor Samaritanorum vt orarent ad montem; qui ab Oriente quidem, ad Occasum; & qui ab Occidente, ad Orientem; & qui à Septētrione, ad Meridiem, & qui à Meridie, ad Septentrionem; ad montes precantes, orant vt impleantur quę Scriptura dicit; *Manserunt facientes Legem Dei, & adorantes sua idola.* Nam & si ipsi ignorant sita illic esse idola, fieri tamen non potest vt falsum dicat Scriptura.

Samaritani custodes & terræ & Legis.

4. Reg. 17.

Garizin.

4. Reg. 17.

Quomodò Deus qui per Legem iussit Israëli offerre sacrificia, dicit per Ieremiam; Non locutus sum ad Patres vestros de sacrificijs, neque de holocaustis mandaui eis.

Hier. 6.

Quæst. 50.

Hoc etiam per Esaiam subindicat, dicens; *Sanguinem Taurorum & Hircorum nolo, quis enim hæc requisiuit è manibus vestris?* Vnde dicit Dauid; *Sacrificium & oblationem noluisti, & pro peccato non requisiuisti.* Hinc est ergo perspicuū, non præire sacrificiorum exactionem, neque de holocaustis esse voluntatem Dei qui Legem tulit; sed eum, se demittere ad illorum imbecillitatem. Quando enim Vitulum fecerunt, & Dijs qui non erant sacrificare aggrediebantur; tunc post Legem, datum quoque est præceptum de sacrificijs, vt qui semel ad ea quæ non erant suam exercuerant meditationem, eam verè transferrent ad eum qui est re vera Deus. Quandò autem per signa plurima & prodigia, procedenti tempore, eius habuerunt etiam non sinceram cognitionem; tunc per Prophetas reprimit oblationes brutorum animalium, & dicit: *Non accipiam ex domo tua vitulos, neque ex gregibus tuis Hircos, nec comedam carnes Taurorum, aut sanguinem Hircorum bibam:* Et; *Num annis quadraginta sacrificium obtulistis mihi in deserto, domus Israël? Misericordiam enim volo, & non sacrificium:* Et; *Ecce obedientia est supra sacrificium:* Et; *Sacrificium laudis glorificabit me.* Quamobrem dicit: *Laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo ipsum in laude, & placebit Deo super Vitulum nouellum: Sacrificium* enim *Deo est Spiritus contritus.* Hoc est ergo quod *locutus sum ad Patres vestros de sacrificijs:* hoc est; Non eis delectabar, sed ad eorum imbecillitatem me demittebam. Vnde rursus dicit per Ezechielem; *Dedi eis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in eis, & polluam ipsos in eorum dogmatibus:* Hoc est; non sunt præcepta digna, mea lenitate & clementia neque conuenientia bono iugo quod eis volebam imponere; dura autem, & non Legis latoris consuetudini

Esa. 1.

Sacrificia cur Deus Iudæis statuerit.

Psal. 49.

Amos 5.

Mat. 9.
1. Reg. 15.
Psal. 49.
Psal. 68.
Psal. 50.

Ezec. 20.

Præcepta Testamenti veteris cur non bona.

sed eorum quibus ferebantur Leges, insolentiæ necessaria & conuenientia. An non est enim durum fugere mortuum, quod quidem omnes futuri sumus? aut mulierem quæ peperit, inter immunda censeri malis diebus, quæ fuit instrumentum operis Dei Opificis; aut domum soluere in qua fuit aliqua cicatrix in parietibus aut trabibus? Non enim dicet quispiam peccasse parietes aut trabes, sed duro freno voluit per hæc domare duri cordis populum Iudæorum.

Mulieris, mædibus, pro, tus bus menstruorum.

Ex Constitutionibus Apostolicis. Lib. 6. Cap. 21.

Lex est Decalogus, quàm antequam populus vitulum (hoc est, Apim Ægyptium) faceret; Deus eis tulit voce quæ audiretur. Et ideò lex dicitur, proptereà quòd secundùm naturam iustè facit iudicium; est enim bona, & minimè afferens necessitatem. Vnde dicit; *Si feceris mihi altare:* Non dixit, Fac: Sed, si feceris; Nec necessitatem imposuit, sed potestati permisit, vt quæ sit libera. Non enim eget Deus sacrificijs, vt qui sit minimè indigens: sed vt qui sciat, iam priùs piū Abelem & Noe & Abraham & qui deinceps sunt secuti, non iussos sed naturali Lege motos ex seipsis Deo obtulisse sacrificium, quod grati est animi; nunc quoque permittit Hebræis, non imperans sed si velint concedens; &, si rectâ mente obtulerint grata & accepta habens eorū sacrificia. Et ideò dicit; *Si cupis sacrificare,* non mihi egenti sacrificio: Nullius enim egeo, *Meus est enim Orbis terræ, & plenitudo eius.* Quando autem horum fuerunt immemores, & vitulum pro Deo inuocarunt, & ei adscripserunt causam exitus ex Ægypto, dicentes; *Hi sunt Dij tui Israël qui te eduxerunt ex Ægypto;* & negarunt Deum qui per Mosem eos visitauit in afflictione: tunc iratus Deus (vt in quem fuissent ingrati) eos vinxit vinculis insolubilibus, onerum oppressione, & catenæ duritiæ: Nec dixit ampliùs, Si feceris; sed, *Fac altare,* & assiduè sacrifica, es enim immemor & ingratus. Propter cordis ergo eorum duritiem, eos adstrinxit & ad ciborum & ad animalium differentiam, facta distinctione mundorum & immundorum, etiam si mundum esset omne animal; vt sacrificādo, feriando, se expiando, & quæ sunt huiusmodi obseruando, Deus eis veniret in mentem qui hæc eis præcepit, nec eius obliuiscerentur.

Apis Ægyptius.

Lex bona est non affert necessitatem.
Exod. 20.

Ante Legem Veteres sacrificârunt.

Psal. 23.

Exod. 32.

Ex. 20 & 27.

Ciborum & animalium differentia, propter cordis Iudæorū duritiem, introducta.

Ex Theodoreto, de Dei cultu.

Populum enim Israëliticum qui plurimum tempus in Ægypto contriuerat, & indigenarum prauos mores acceperat, & idolis & dæmonibus sacrificare ab eis didicerat, ludereque & choros ducere, & musicis oblectari organis, & ad prauum eorum habitum peruenerat, volens Deus liberare, sacrificare quidem concessit, at non ijs qui falsò nominabantur Ægyptiorum Dijs, sed ipsi soli offerre Deos Ægyptiorum. In Deorum enim numerum olim referebant Ægyptij, & bouem & Ouem, & Capram & Columbam, & Turturem, & quędā alia ex ijs quæ non sunt esculenta, sed & quæ etiam appellantur immunda. Ne ergo ægrè ferrent, vt quibus, illis Dijs omninò esset interdictum qui videntur; Dijs quidem sacrificare prohibuit, ipsi autem vt sacrificarent ea quæ ab ipsis nuper adorabantur, Lege sanxit: Ex terrestribus quidem, Bouem & Capram & Ouem, ex Volucribus autem Turturem & Columbam sacrificare quidem concedens; propter eorum imbecillitatem; iubens autem sacrificare ea quæ ab ipsis colebantur, vt ex eo quod sacrificarent discerent non nominare nec existimare Deos ea quæ sacrificabantur. Propter eos quoque iussit non vesci suillis carnibus, quoniam ijs solis vescuntur Ægyptij; ab alijs, tanquàm Dijs abstinentes. Cum enim immunda existimare ea, Lege sanxisset; iussit vesci ijs quæ pro Dijs colebantur, vt viderentur contemptibilia quæ ab ipsis comederentur. Non ergo sacrificijs, aut organorum sonis indigens Deus iussit sacrificare & organa pulsare; sed ad imbecillitatem eorum, veteres curans affectus, hæc Lege sanxit.

Deos Ægyptiorum iussit Deus sibi sacrificari.

Carnibus Suillis tantum vescebantur Ægyptij.

Quot

Quot & cuiusmodi sunt quæ in spiritu fecerunt Elias & Elisæus. *Quæst.* 51.

Eliæ miracula. — 3.Re.17.a. — *Ibid.* a. — 3.Re.19.d. — 3.Re.17.d. — 4.Re.1.b — 4.Re.2.b — *Helisæi miracula.* — 4.Re.2.a — *Ibid.* d — 4.Re.3.e — 4.Re.4.b

Elias quidem septem fecit opera, quæ sunt hæc. Primum, trium annorum induxit siccitatem. Secundum, breui tempore auxit farinam, & Elisæi maximam fecit gratiam. Tertium excitauit filium viduæ. Quartum, ignem deduxit è cœlo, & igne combussit quinquagenarios & eos qui erant cum ipsis. Quintum diuisit Iordanem. Elisæus autem quatuordecim. Primum; diuisit Iordanem. Secundum, medicatus est aquas steriles & lethales. Tertium, pueros insolentes & maledicos per duos Vrsos occidit, XLII. Quartum, In aquæ penuria fluuium induxit, eo etiam simul parta victoria aduersus Moabitas. Quintum, olei per parum auxit plurimum. Sextum, effecit vt mulier sterilis pareret Filium. Septimum, suscitauit mortuum. Octauum, mortalem decoctionem reddidit salubrem, postquàm aluit in fame centum viros viginti panibus & paucis leguminibus, adeò vt superesset. Nonum, Naaman Syrum à lepra liberauit. Decimum, ministro suo Giezi lepram Naaman intulit. Vndecimum, effecit vt ferrum ex aqua enataret. Duodecimum, effecit; vt hostes cæcitate laborarent nec viderent. Tertiumdecimum, effecit vt esset magna frumenti & ordei abundantia fugatis hostibus, prædicta etiam morte eius qui non credidit. Quartumdecimum, proiectum mortuum suo corpore excitauit. Impletum est & quod prędixerat, fore vt multi interirent ab Azaël & quæ de eo dixerat.

B

4.Re.5. — 4.Re.6.a — 4.Re.7. — 4.Re.13.d — 4.Re.8.d

Quænam sit statua quæ visa fuit à Nabuchodonosor. *Quæst.* 52.

C

Statua visa à Nabuchodonosor.

Christus significatur per lapidē, abscissum sine manibus.

Statua illa erat figura regnorū totius mundi. In ijs autem regnis tunc regnarūt Babylonij, vt qui essent aureū caput Statuæ: Deinde Persæ, tanquàm argentū; Deinde Græci ab Alexādro, tanquàm æs: Post eos Romani, tanquàm ferrū; proptereà quòd essent ipsi fortes ac validi: Deinde digiti pedum, vt ostendantur futuræ Democratiæ diuisę in decem digitos statuę, in quibus erat ferrum testæ mixtum. Posteà scissus fuit Lapis sine manibus, & percussit statuam. Ferro enim cum testa mixto, cùm id processisset ad summos vsque digitos, & essent homines inter se non consentientes; quid aliud est expectandum quàm Christus veniens è cœlo, vt mundi regna transferat, & excitet regnum cœleste, ęternum, regnum scilicet sanctorum quod non interibit?

Ex Hyppolyto in Danielem.

D

Christus significatur per lapidem quo contritus statuam.

Cùm enim tibiæ ferreæ quæ nunc dominatum obtinent, ad vestigia pedum & digitos processerint, congruenter terribilis bestiæ ostensioni, sicut est significatum prioribus temporibus, è cœlis veniet Lapis qui (percussa statua & contrita) transferet omnia regna, & dabit regnum sanctis Altissimi. Hic est qui factus est mons magnus & impleuit terram: De quo dictum est; Contemplabat in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli veniens tanquàm Filius hominis, & vsque ad Antiquum dierum peruenit; & ei datus est principatus & honor & regnum; & omnes populi, Tribus, & linguæ seruient ipsi; potestas æterna quæ non transibit, & regnum eius non interibit.

Dan 7.

Ex Dialogo Origenis cum Megethio Marcionista.

E

Dan. 7.

Megethius. Daniel, inquit, dicit: *Lapis excisus est ex monte sine manibus, & percussit statuam, & fecit eam tanquàm puluerem, & efflata est à vento:* Ostenditur ergo Christum nondum venisse; nam si venisset, non esset aliud regnum in terra, vt ostendit Daniel. Ex eo autem quòd constant omnia regna, est perspicuum nondum venisse Christum qui prædicatur per Legem & Prophetas. *Origenes.* Vt videtur, nudas dicis esse Scripturas, nec eiusmodi vt eadant sub intelligentiā: Prophetæ enim & Euangelium, duos Christi aduentus apertè indicant; Vnum in humilitate, primum; & posteà secundum, gloriosum. Et de primo quidem sic dicit Esaias: *Vidimus eum, & non habebat pulchritudinem, neque formam, sed forma eius erat indecora, deficiens præter filios hominum:* Et; *Ecce Filius meus quem elegi,*

Christi, duo sunt aduentus in Scripturis.

Esa. 53.

Esa. 42.

dilectus qui placuit animæ meæ, Non dicet, neque clamabit, neque

A

audiet quispiam vocem eius in plateis, Calamum contritum non confringet, & linum fumigans non extinguet: Et Zacharias: *Lætare valde filia Sion, prædica filia Ierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinum;* vt ostensum est in Euangelio, quòd insidens asino ingressus est Ierusalem. Nouit autem Paulus quoque secundum eúmque gloriosum, dicens: *In iussu Dei, in voce Archangeli descendet Dominus è cœlo:* Sicut etiam dicit Daniel videns tanquàm Filium hominis per nubes venientem. Dicit etiam in Euangelio: *Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet vsque ad Occasum, ita erit aduentus Filij hominis.* Ostensum est ergo fuisse quidem primum eius aduentum in humilitate; secundum autem in gloria. Quamobrem de secundo eius aduentu, hoc dixit Daniel: *Tunc enim omne regnum & potentia dissoluetur, & regnabit Dominus solus in secula.* Vos autem valde decipimini non intelligentes Scripturas neque virtutem Dei; sed omnia confundentes, & res & tempora. Eos enim qui piè volunt Scripturas intelligere, oportet exactè & accuratè dijudicare tempora & personas & scopum eius qui loquitur.

Zac.9. — Mat. 21. — 1.Cor. 4. — Dan 7. — Mat 24. — Dan. 7.

B

Scripturam volens intelligere diiudicet tempora personas & scopum.

Ex Dionysio Areopagita.

Est enim à ratione alienum & absurdum, instituti ac scopi vim non attendere, sed dictiones: éstque hoc proprium non eorum qui diuina volunt intelligere, sed eorum qui nudos admittunt sonos, & eos vsque ad aures suscipiunt extrinsecus non transeuntes; neque volunt scire quid ea dictio significet & quomodò eam oporteat declarare per alias quę ęqualem vim habent, & sunt significantiores dictiones: affecti sunt autem erga elementa & lineas quæ non possunt intelligi, syllabásque & dictiones ignotas; non transeuntes ad intelligentem eorum animæ facultatem, sed foris resonant in eorum labris & auribus.

Ex magni Basilij Dialogico.

Oportet enim ex auditoribus, eos qui erudiuntur in diuinis Scripturis, examinare ea quę docentur à Doctoribus: & ea quidem admittere quæ consonant sacris Scripturis; quæ sunt autem aliena reijcere, & eos qui in eiusmodi permanent documentis vehementer auersari: *Væ* enim, inquit, *homini per quem scandalum venit.*

Quæ consonant Scripturis, sunt admittenda.

Mat 26.

Quænam sunt septem Infusoria quæ vidit Zacharias? *Quæst.* 53.

D

Zach 4.

Et conuertit me Angelus qui loquebatur mihi, & dixit ad me; Quid tu vides? Et dixi; Vidi, & ecce candelabrū aureum totum, & lucernula super ipsum, & septem lucernæ, & septē infusoria, & duæ oliuæ super illud: Et dixit mihi Angelus, Hoc est verbum Domini. Quod est ergo candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrū? Quoniam materiæ expertem lucem gestauit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quoniam post partum mansit virgo: Dicit enim; *Hæc porta erit clausa, & nemo intrabit per eam, sed Dominus Deus solus intrabit & sedebit quoniam ipse est Dux; & egredietur, & claudet portam post se.* Quòd autem vterus sit porta, testatur Iob dicens: *Cur non conclusisti portas vteri matris meæ?* Quid est autem lucernula? Deus verbum incarnatum. Dicit enim Esaias; *Propter Sion non tacebo, & per Ierusalem non transibo, donec egressa fuerit tanquàm lumen iustitia mea, salutare autem meum tanquam lucerna ardebit.* Quænam sunt autem septem lucernæ? Septem Leges singulares: Dicit enim, *Lucerna pedibus meis Lex tua;* & lucerna mandatum Legis & lux. Quod autē septem sunt Leges, audi: Prima lex est ea quæ est à natura insita, de qua dicit Apostolus; *Quando gentes quæ Legē non habent, natura quæ sunt Legis faciunt, ea Legē non habentes sibi ipsis sunt Lex.* Secunda est quæ est per visum. Quem enim Deum Lex prædicat, eum visus probat per res creatas. Nam ex rerum creatarum magnitudine, pulchritudine, & conuenienti proportione, earum genitor consideratur & cernitur. Deinde, quod fuit ex Ligno mandati. Dicit enim Apostolus: *Lex quidem sancta & mandatum bonum, & iustum, & bonum.* Quarta autem quæ tempore Noe fuit in nube.

Maria Virgo, est Candelabrum aureum & porta clausa.

Iob 3. — Esa.62.

E

Psal 118.

Leges sunt septem.

Rom.2. — Rom. 7.

Gen. 9 b *Gen. 17. b* Quinta, quæ tempore Abrahæ fuit per Circūciſionem. Sexta, Lex litteræ. Septima, Lex gratiæ. Quòd autem gratia Legem habeat; dicit Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic implebitis Legem Chriſti.* Dicit autem Eſaias: *Ex Sion exibit Lex, & verbum Domini ex Ieruſalem, & iudicabit inter multas gentes.* Quænā ſunt ſeptem Infuſoria? Septem dona Spiritus, vt dicit Eſaias: *Egredietur virga è radice Ieſſe, & flos è radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & virtutis, Spiritus cognitionis & pietatis, Spiritus timoris Dei implebit ipſum.* Quęnam ſunt duæ oliuæ? Duo Teſtamenta. Quomodò enim olea habet folium ſemper vireſcens; ita etiam duo Teſtamenta, habent perpetua & nunquam ceſſantia de Chriſto teſtimonia.

Gratia habet Legem. *Gal. 6.* *Eſa. 2.* *Eſa. 11.*

Quænam ſit differentia Legis & Mandati, Ex Euſebio. Quæſt. 54.

Lex quid ſit. Lex quidē dicitur, quæ eſt vniuerſè; Mandata autē, quę ſunt ſigillatim: vt illud, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis*; & quæ ſunt iis conſequentia. Teſtimonium autem, quod cum aliqua teſtificatione auditoribus præcipit Legiſlator, vt dicebat Moyſes: *Teſtor vobis hodie cœlum & terram.* Iudicia autem, quæ ſcripſit cùm iudicaſſet & iuſtificaſſet; vt in eo qui terribile nomen blaſphemauerat, Moyſes refert ad Deum, vt qui ſibi non permiſiſſet iudicium. Illo autem, eius iuſſu, obruto lapidibus, hoc fuit decretum & iudicium aduerſus alios blaſphemos. Iuſtificationes autem ſunt hæc pręcepta; *Si poſſederis*, inquit, *ſeruū Hebræum, ſex annos ſeruiet*; &c. Hæc enim ſunt ſummæ iuſtitiæ; furti & cædis & adulterij prohibitio, honor parentum, iuſiurandi obſeruatio, & ſimilia quæ obſeruantur etiam ab ijs qui carent Lege.

Mandatum quid ſit. *Teſtimoniū.* *Deut. 33.* *Iudicia quæ ſint.* *Leuit. 24 b* *Iuſtificationes quænam ſint.* *Exod. 21.*

Quinam in Scriptura, alia habentes nomina, ea mutarunt, & quamobrem. Quæſt. 55.

Sanctorum mutata nomina. Nominum mutationes inuenimus in Sanctis. Nam Euam quidem primùm Viraginem vocauit Adam; *quoniam*, inquit, *ſumpta fuit ex viro ſuo*: Poſt tranſgreſſionem autem mutato nomine, eam vocauit Vitam; *Quoniam ipſa eſt mater omnium viuentium.* Quādo autem cognouit eam, vocauit eam Euam. Abram priùs vocabatur; mutato autem à Deo nomine, poſteà vocatus eſt Abraham, quoniam futurus erat pater multarum gentium. Sara appellabatur; mutato autem nomine, eam Deus vocauit Sarram, quoniam paritura erat Iſaac: Iacob vocabatur, Mutato autem nomine, cum luctans Dominus poſteà vocauit Iſraël; *quoniam*, inquit, *cum Deo fuiſti fortis; & cum hominibus eris potens.* Eſaü appellabatur: vocatus eſt autem poſteà etiā Edom ab æqualibus; quod eſt, ruffus. Ioſeph appellabatur: Pharao autem admiratus qui in eo erat, ſpiritum; vocauit eum Ægyptiacè Pſontomphanec. Iobab vocabatur: Poſt plagam autem vocabatur Iob, propter charitatem quam habebat in Deum & eius tolerantiam. Nauſes vocabatur filius Naue: Moyſes autem quando eum miſit ad terram ſpeculandam, mutato nomine eum vocauit Ieſum; quod eſt, ſalus populi. Daniel vocabatur: Nabuchodonozor autem vocauit eum Baltaſar, conuenienter nomini Dei ſui, quoniam in eo vidit Spiritum ſanctum. Vocabantur Ananias, Azarias Miſaël: Aſphanez autem Eunuchus Nabuchodonozor, vocauit eos Sidrac Miſac & Abdenago, propter eorum virtutē. Petrus Apoſtolus vocabatur Simon; Dominus autem ei dicit; *Tu vocaberis Cephas*; quod interpretatur, Petrus, quoniam erat dicturus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Iacobus & Ioannes vocabantur filij Zebedæi. Dominus autem vocauit eos *Boanerges; quod eſt, filij tonitrui*; quoniam tanquàm tonitru, erant magna voce prædicaturi Euangelium Domini. Saulus vocabatur quamdiu perſequebatur Eccleſiam Chriſti; Factus autem Apoſtolus cùm veniſſet Paphum vrbem Cypri, mutato nomine vocauit eum Paulum Scriptura.

Gen. 2. *Gen. 17. b* *Ibid. c* *Gen. 18.* *Gen. 25 d* *Gen. 41.* *Iob & Ioſue mutata nomina.* *Num. 13.* *Dan. 4.* *Ioan. 1.* *Matth. 16.* *Marc. 13.* *Act. 13 b*

Quomodò eſt intelligendum illud; Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicetur. *Quæſtio 56.*

Pſal. 9.

A

Ex Iſidoro.

Benedicere, eſt laudare. Benedicitur, hoc in loco, idem eſt quod laudatur & encomijs honoratur ab alijs qui ei adulantur & eius vitium palpant & demulcent, & ne permittunt quidem vt per ſilentium, morbi ſui ſenſum accipiat: Et ideò is inuenitur immedicabilis. Nam proptereà quòd ne ſenſum quidem habet ſuæ ægritudinis, non admittit medelam. Eſt autem hoc omnium grauiſſimum, quando laudatur vitium, & ne vitium quidem cenſetur. Quamobrem oportet, illud quidem ſi fieri poteſt, corrigere: Sin minus, non aſſentari, neque vitium palpare ac demulcere, ſed ſilentio afferre ei ſenſum ſui ſceleris. Sin autem hoc nolit, eum fugere & auerſari; ne ſi riſus eius ſceleris ſocius fuerit, in ſupplicijs quoque inueniatur ſocius.

Morbus non curatur niſi ſentiatur. *Vitium laudari, & non eſſe vitiū cenſeri eſt grauiſſimum.*

B Quomodò enim qui ad virtutem inducit, coronatur etiamſi nihil perfecerit; nam quod ſuū eſt impleuit: ita etiam qui ad vitium hortatur & incitat, punitur etiamſi nihil potuerit; Nam is quoque fecit quod in ſe fuit.

Coronatur qui ad virtutem inducit, punitur qui ad vitium.

Ex Conſtitutionibus Apoſtolicis; Libri 6. Cap. 18.

Neque enim oportet ſimul currere cum fure, neque cum adultero partem ponere: Nam Dauid quoque dicit: *Domine odientes te odio habui, & propter inimicos tuos tabeſcebam, Perfecto odio odēriā illos, inimici facti ſunt mihi.* Ioſaphat quoque exprobrat Deus per Eſaiam, propter amicitiam & ſocietatem quam inierat cum Achab dicens: *Si peccatori amicitia iungeris, & ei qui à Domino odio habetur, fers auxilium: proptereà in te repentè orta eſt ira Domini, niſi quòd inuentum eſt cor tuum perfectum apud Deum, & ſermones boni inuenti* C *ſunt in te, proptereà tibi pepercit Dominus.*

Pſal. 38. *2. Par. 19. a*

Quomodò intelligendum illud; Cogitatio hominis confitebitur tibi. *Quæſt. 57.*

Feſtum quidem, eſt eorum qui lætantur, confeſſio autem eorum qui examinantur: & eſt hoc quidem, triſtitiæ, illud verò, gaudij. Hoc ergo dicit; in iudicio perpenſa & examinata, leniter tranſiens & imperfecta boni cogitatio, plus valet quàm improba & perfecta cogitatio. Nam de illa quidem habetur quæſtio & examinatio, hæc verò feſtum conciliat & lætitiam.

Cogitatio boni, imperfecta, melior eſt quàm improba & rata.

Ex Baſilio in Eſaiam.

Diligenter nobis attendamus ne impium aliquem hominem verbo vel facto iuſtificemus, per eius in nos gratiam inducti ad ei aſſentiendum. *Væ* enim, inquit, *ijs* D *qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, qui ponunt amarum dulce, & dulce amarum.*

Impius nec verbo nec facto iuſtificandus. *Eſa. 5.*

Ex Chryſoſtomo in Saülem.

Non ſolùm æmulari vitium, ſed etiam eos laudare qui viuunt in vitio, grauius affert ſupplicium quàm eorum qui viuunt in nequitia. Nam laudare peccatores, ad rationem ſupplicij eſt longè maius quàm peccare; & meritò: Corruptæ enim mentis & animi incurabilis eſt hæc ſententia. Nam qui laudat vitium, eum qui vitio laborat priuat medicina quæ habetur ex pœnitentia. Quamobrem meritò, hoc illo eſſe grauius, ſtatuit Paulus: *Proptereà* (inquit) *non ſolùm qui mala agunt, ſed etiam qui eos laudant*, eiuſdem aut etiam grauioris quàm illi, erunt ſupplicij E participes.

Incurabilis animi ſententia eſt, Peccatorē laudare.

Quomodò eſt intelligendum illud; Si quis viderit fratrem ſuum peccantem peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei vitam ijs qui non peccant ad mortem. *Quæſt. 58.*

1. Io. 5.

Non ad mortem quidem peccatum dicit id quod fit in ignorātia; ad mortem autem, quod fit in cognitione. Vnde ſubiungit: *Non de illo dico vt roges.* In ſuo enim eſt arbitrio ſeipſum conuertere aut non conuertere. An rurſus peccatum ad mortē eſt quod ad Deum tranſit, & non ad hominem qui eſt eiuſdem naturæ; de quo ſcriptum eſt: *Si peccauerit vir in virū, orabitur pro eo ad Dominum; Si peccauerit in Dominum, quis orabit pro eo?* In Deum ergo blaſphemiam & impietatem propriè dicit, quam lex Moſaïca morte condemnat; non pœna pecuniaria, aut aliquo alio ſupplicio: Quamobrem hoc videtur dicere de Hæte-

Peccatum ad mortem, quodnam ſit. *Peccatum in Deum quodnam ſit.*

de Hæreticis, non de gentibus aut Iudæis: Nam illi non collocabũtur in numero Fratrũ. Cæterùm in cognitione quoque maximum peccatum; vt cædes, adulterium, insanus amor masculorum, & quæ sunt his similia, dicuntur mors animæ.

Hæresis est, Peccatum illud ad mortem pro quo non est orandum.

Rom. 8.

Ex Chrysostomo, Quomodò sit intelligendum; Quos præsciuit & prædestinauit: *Et;* Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: *Et;* Non currentis, sed miserentis est Dei; *Multi enim dicunt, Quem vult Deus seruat aut perdit.*

Quæst. 59.

Cor hominis disponet viã suam, sed Domini est disponere gressus eius. Prou. 16 b.

Liberum Arbitrium. Eccl. 15. Sap 1. Deut. 11.

Conuenit hic dicere illud Prouerbiale eloquium Salomonis; *Homo perdit vias suas, in corde autem suo in Deum tanquàm autorem, id confert:* Homo enim habet liberum arbitrium suæ salutis aut exitij. Scriptum est enim; *Deus ab initio fecit hominem, & dimisit eum in manu consilij sui:* Et; *ante hominem vita & mors, & quod voluerit dabitur ei.* Et; *Ne æmulemini mortem in errore vitæ vestræ, neque attrahite exitium in operibus manuum vestrarum, quia Deus mortem non fecit neque delectatur in interitu viuorũ.* Quamobrem dicit Legislator; *Ecce do coram vobis hodie benedictiones & maledictiones: Benedictiones, vt audiatis mandata Dei vestri; & maledictiones, si non audieritis mandata Domini Dei vestri: Testor vobis hodie cælum & terram, quod vitam & mortem dedi ante faciem vestram, eligite vitã vt viuatis vos & semen vestrum.* Liberam itaque vitæ nostræ electionem, Iob quoque significans dicebat: *Iustum exaudiet Dominus.* & dixit; *Conuertentur ab iniustitia si audierint & seruierint, & cõfecerint in bonis dies suos, & annos suos in decore; Impios autem non seruat, propterea quod ipsi nolunt scire Dominum.* Vides quomodò nos simus autores nostri interitus, & non Deus? Cùm ergo dixisset Apostolus; *Quos præsciuit & prædestinauit;* soluit quod quæritur: vtpotè, Præsciuit Deus fore vt nõ pœniteret Pharaonem, & indurauit cor eius dilatione & lenitate quæ eum ad tantum deduxit contemptum & audaciam vt etiam aquis fuerit obrutus. Similiter præsciuit Ieremiæ rectitudinem, & prędestinauit eum existere vas electionis: Si ergo quem vult Deus, seruat; quem autem vult, perdit: neque qui seruatur, dignus est mercede; neque qui perit, supplicio: & frustrà scriptum est; *Tu reddes vnicuique secundum opera:* Et; *vnusquisq. accipiet mercedem secundum suum laborem.* Porrò autem dictum quoque est; *Deus vult omnes homines saluos esse, & ad agnitionem veritatis venire.* Id autem rursus; *Non volentis, neque currentis;* dicit propter Esaü, de quo etiã hoc bene dictum est. *Non volentis* Esaü patris accipere benedictionem; & *currentis*, iussu patris sui in campum ad venandam venationem vt cùm comedisset, ei benediceret: sed Iacob, *cuius Deus est misertus*, proptereà quòd ipse esset nõ fictus & bonus, non autem Esaü, hanc benedictionẽ est assecutus proptereà quod esset fornicator & profanus. Quòd si etiam in nobis hoc quispiam acceperit; ab eo quod decet, minimè oberrabit. *Et enim non volentis* solùm virtutẽ; *neque currentis* & contendentis est, se rectè gerere; *sed & miserentis* & adiuuantis *Dei. Non potestis* enim, inquit, *sine me quidquam facere.* Proptereà dicit Apostolus: *cum timore & tremore salutem vestram operamini, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro beneplacito:* Et Ecclesiastes; *Non velocibus est cursus, neque bellum potentibus:* Et Dauid; *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam:* Et; *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam; &c.*

Iob. 12. a Iob. 36. b

Nostri interitus autores nobis sumus.

Rom. 9.

Ier. 1.

Psal. 61. d 1. Cor. 3. b 1. Tim. 2. Rom. 9.

C

D

Sine Dei auxilio nihil recte geri potest. Io. 15. Phil. 2. Eccl. 9.

E

Psal. 126.

A

Quomodò est intelligendum illud; Si cuius opus arserit, detrimentum accipiet, ipse autem saluus erit quasi per ignem; *Quæst. 60.*

1. Cor. 3.

Hoc est; non feret ignis violentiam; sed quomodò si quis arma habens aurea transeat fluuium ignis, permanet clarior & limpidior: Sin autem transeat fœnum habens comburetur. Ita est etiam in operibus: Et ideò dicebat; *Damnum patietur.* Ecce vna pœna: *Ipse autem saluus erit, sed sic quasi per ignem.* Quod autem dicit; est eiusmodi. Non ipse quoque peribit vt opera, in nihilum rediens;

Aliena & præpostera interpretatio.

sed manebit in igne. Rem ergo vocat salutem, nempe perpetuam in igne permansionem. Proptereà dicit *tanquam per ignem.* Etenim nobis quoque mos est dicere; In igne seruari; de ijs quæ non facilè vruntur & rediguntur in cinerem.

Quomodò est intelligendum illud; Pacificans per sanguinem Crucis suæ, siue quæ sunt in terra, siue quæ sunt in cœlis.

Quæst. 61.

Quæ sunt quidem supra terram, meritò: plena enim erant inimicitiarũ; &, in multa & aduersus multos erant diuisa: Quæ sunt autem in cœlis, quomodò pacificauit? An illic quoq; erat bellum & pugna? Et quomodò precamur dicentes; *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Disiuncta erat terra à cœlo & belligerabantur Angeli aduersus homines, videntes Dominum suum probris & cõtumelia affici. *Instaurare*, inquit, *volens*, seu in summam redigere *omnia quæ sunt in cælis, & quæ in terra.* Quomodo? Hominem illuc traduxit, in altum sustulit eum qui erat ipsis Angelis inimicus & exosus: Hoc est pax profunda. Angeli rursus apparebant in terra, quandoquidem homines quoque apparebant in cœlo. Vis scire quo odio nos prosequebantur Angeli, & quẽadmodum nos auersabantur? Mittebantur ad infligendas pœnas Sodomitis in valle luctus: Sed nunc non sic. In terris hymnos canebant, & eos ad nos deduxit, & nos illuc reduxit. Proptereà gratias agimus dicentes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.* Priùs pro numero gentium erant Angeli, Nunc autẽ non pro numero Gentium, sed pro numero Fidelium. Nam vnusquisque Fidelis habet Angelum suum custodem; & vt scriptum est, *Castra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberauit eos.* Nam etiam ab initio quilibet vir probus habebat Angelum sicut dicit Iacob, *Angelus qui me liberat à iuuentute mea.*

Christus pacificauit quæ sunt in cœlis. Matth. 26.

Ephes. 1.

Pacificatio hominũ cum Angelis.

Gen. 19.

Luc. 2.

Fidelis quilibet habet suũ Angelum.

Ex Basilio in Psalmum 33.

Cuiliber credenti in Dominum, assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala nostra opera effugauerimus. Nam sicut apes fugat fumus, & columbas abigit malus odor; ita etiam vitæ nostræ custodem Angelum amouet & abducit, lacrymabile fœtidúmque peccatum: *Ne des* enim inquit, *in commotionem pedem tuum, & non dormitabit qui te custodit Angelus.*

Vide Sixtum lib. 5. Biblioth. annot. 116. & S. Thom. 1. par. qu. 113. art. 6.

Psal. 120.

Ex Epiphanio in Panarijs; Quòd vnicuique Genti traditus sit Angelus.

Vnicuique genti præesse Angelum dicit Scriptura. Nam qui cũ Daniele loquebatur Angelus; & Persarum dixit Principem, & Principem Græcorum, & Michaëlem Principem Iudæorum. Porrò autem Moyses quoque dicit; *Statuit terminos secundum numerum Angelorum Dei.* Vnde etiam dicit Ioannes in Apocalypsi, *Solue quatuor Angelos qui stant in Euphrate & retinentur, vt permittant gentibus bellum vsq; ad tempus Dei longanimitatis, donec imperet vt per ipsos fiat vltio Sanctorum suorum.* Detinentur enim qui ordinati sunt Angeli, à Spiritu, vt qui non habeant tempus incursionis, proptereà quòd iustitia eos nondum soluerit vt soluerentur reliquæ gentes, propter iniuriam in Sanctos. Ij enim soluũtur & inuadunt terram, vt dicit Ioannes & Prophetæ: Moti autem Angeli mouent gentes ad appetitum vlciscendi.

Vnicuiq; gẽti præest Angelus.

Deut. 32.

Apoc. 9.

Angeli moti mouent gentes ad appetitum vlciscendi.

Ex Cyrillo de adoratione in Spiritu.

Scimus sanctos Angelos à Deo esse ordinatos ad opem ferendam Credentibus, & vt sint veluti duces populi.

Angeli sunt à Deo ordinati vt opem ferant Credentibus.

Ex Theodoreto, de Dei cultu.

Quoniam autem memini dæmonum, operæpretium esse existimo ea ostẽdere quæ de ijs sentimus: Eos enim & eorum Principem satanam diuina appellant eloquia. Significat autem nomen sermone Hebræo, Apostatam; id est, qui defecit. Vocat autem eum quoque diabolum, vt qui apud homines Deum calumnietur, & ipsis hominibus inter se immittat litem & contentionem. Eos, nos dicimus ab initio à Deo creatos esse nõ malos, sed mentis auersione à melioribus ad deteriora esse prolapsos, & ijs non contentos quæ præbuerat Creator, maiora

Satan significat Apostatã.

Diabolus cur dicatur.

Dæmones ab initio creati non mali.

quidem appetijsse, superbiæ autem & arrogātiæ vitium suscepisse, excidisse verò & esse priuatos honore qui eis fuerat datus ab initio. Deinde aduersus homines, vt qui diuina essent honorati imagine, rabie esse percitos & aduersus eos bellum suscepisse. Creatorem autem, Angelorum quidem præsidio custodijsse hominum genus, ne (vi vtens & tyrannide) dum sub aspectum non cadit ex occulto inuadens, securè eos perderet quos propter inuidiam odio habebat, aduersus eum autem certamen & pugnam non prohibuisse, vt optimos & præstantissimos lucta ostenderet, magnique & fortis animi, virtutis essent exemplaria. Quamobrem cum Angelorum præsidio illius violētam prohibuisset irruptionem, rationis & cogitationū concessit certamen, vt victores pronunciaret corona dignos, non ipsum quidem adsciscens tanquàm aduersarium, sed ad id quod oportuit vtens eius scelere & nequitia, tanquàm Viperis ad propulsandos morbos.

Angelorum præsidio Deus mouet homines.

Homini certamen aduersus dæmonem à Deo est concessum.

Ex Nicephoro Archiepiscopo Constantinopolitano aduersus Ichonomachos.

Scimus autem & credimus nostras in Deum glorificationes per sanctos efferri Angelos si quidem verum est illud, *Angeli eorum perpetuò intuentur faciem Patris mei qui est in cælis*: Quid agentes, aut quid operantes, nisi quòd nostras petitiones ad aures Domini Sabaoth omninò addocentes, eum reddunt propitium propter ea quæ gessimus?

Angeli nostras preces Deo offerunt. Matth. 18.

Quomodò est intelligendum illud: Scientia inflat, charitas autem ædificat? *Quæst. 62.*

De Idolothytis autem (inquit) *scimus quod omnes habemus scientiam*: Multi enim apud Corinthios tunc cùm dixissent quòd *non quæ intrans in os, coinquinant hominem, sed quæ exeunt*; & quod Idola sunt ligna & lapides & dæmones qui nocere non possunt nec prodesse; hac perfectissima cognitione vsi sunt immoderatè, & in aliorū & in suum damnum. Ad idola enim ingrediebantur, & mensarum quæ illic fuerunt erant participes; & hinc magnum afferebant exitium. Nam qui idolorum metu adhuc tenebantur, neque sciebant ea despicere; illatum cœnarum erant participes, quoniam hoc facere videbant perfectiores; & hinc maximè lædebantur. Et ideò dicit: *Scientia*, ipsa scilicet perfectio, *inflat; charitas autem ædificat*. Quod quidem declarans dicebat: *Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab ipso*. Quamobrem non prohibeo perfectam habere cognitionem, sed eam non habere cum charitate & ad ædificationem.

1. Cor. 8. Scientia nocet nisi sit cum charitate.

1. Cor. 8.

Cur dicit Apostolus, Mulieri docere non permitto? *Quæst. 63.*

1. Tim. 2.

Propterea quòd semel malè docuit Adamum: Nam ante inobedientiam, in eodem honore erat mulier quo vir. Etenim quibus verbis vsus est Deus in viri formatione, ijs vsus est etiam in creatione mulieris. Quomodò enim dixit in illo, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; & non dixit, Fiat homo: Ita etiam in hac non dixit, Fiat mulier, sed hic quoque dixit, *Faciamus homini adiutorem similem ipsi*. Post peccatū autem; *Ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur*. Feci, inquit, te honore æqualem, & non rectè vsa es virtute; transi ad subiectionem: Non tulisti libertatem, suscipe seruitutem: Nescиuisti imperare, sis ergo ex ijs qui parent imperio; virum agnosce Dominum, & ipse tibi dominabitur: *Ad virum suum cōuersio tua*, hoc est, refugiū tuum, portus tuus, tutela tua. Propterea ergo dicit; *Mulieri docere non permitto*, neque authoritatem in virum exercere; Etenim semel docuit & vsa est authoritate, & euertit omnia: *sed esse in silentio*. Dicit autem causam: *Adam enim* (inquit) *non est deceptus, mulier autem decepta fuit in trāsgressione*; proptereà eam deiecit à sede doctrinæ. Qui enim nescit docere, discat: Si autem nolit discere; & se, & eos qui discunt perdit, quod tunc quoque accidit in muliere. Et ideò dicit; *Mulier in silentio discat in omni subiectione*: Eius enim inobedientia & arrogantia toti mundo intulit exitium & naufragium. Dicit enim Sapiens: *A muliere initium peccati, & propter eam morimur omnes*. Dicit autem Autor Prouerbiorum: *Multos sauciatos deiecit, & innumerabiles sunt quos occidit*. Et ideò adhortatur dicens: *Noli attendere mali mulieri, mel enim distillat à labris mulieris fornicatricis quæ ad tempus mollit guttur suum, posteà autem inuenies felle amarius, & magis acutum quàm gladius anceps*: Et; *Mulier venatur animas* virorum venerabilium, *est quæ electa & prodiga, in domo non quiescunt eius pedes, Aliquando enim foris vagatur, aliquando verò in plateis in omni angulo insidiatur, & via inferni domus eius deducens ad penetralia mortis, & nescit pudorem; Sedet enim in foribus domus suæ, super sellam palam in plateis accersens prætereuntes*: Et; *Infernus, & amor mulieris, & Tartarus, & terra non repleta aqua, & ignis, nequaquam dixerint, Sufficit*. Et, *Talis est via adulteræ quæ quando fecerit, abluta dicit se nihil fecisse turpe*: Et, *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere linguace & pugnace*: Et; *Quomodò vermis in ligno, ita virum perdit mulier maligna*: Et; *Quomodò stillæ eijciunt hominem in die hiberno è domo sua ita mulier maledica à domo sua*: Et; *Quomodò inauris aurea in ore porci, ita malignæ mulieri pulchritudo*: Et Ecclesiastes; *Inuenio* (inquit) *mulierem morte amariorem, quæ est venatio & sagena cordis, vincula in manibus eius, & bonus ante faciem Dei perimetur ab ea; qui autem peccat, comprehendetur ab ea*: Et; *Hominem vnum ex mille inueni, bonam autem mulierem in his omnibus non inueni*. Similiter etiam Sirach admonet, dicens: *Ne dederis mulieri vt ascendat super vires tuas*: Et; *Melior est*, enim, *viri iniquitas quàm mulier benefaciens*: Et; *Omnis iniquitas mala est ad omnem iniquitatem mulieris*: Et; *Non est*, inquit, *caput supra caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris: Habitare cum leone & dracone est melius quàm habitare cum muliere, iniquitas enim mulieris obducit caligine eius aspectum, & obscurat eius faciem. Sicut vallum & sicut ascensus arenosus in pedibus senis, ita mulier linguax viro quieto*. Et, *Iugum boum quod labascit, est mala mulier; qui eam tenet, sicut qui apprehendit scorpium*: Et; *Ne procideris ad pulchritudinem mulieris, & mulierem ne concupiueris, & ne des aquæ transitum nec linguaci mulieri dicendi libertatem aduersus te; si non ambulet secundum manus suas, abscinde eam à te*: Et; *Ira magna mulier ebriosa; & non conteget suam turpitudinem, & sicut sitiens viator os aperiet, & ex omni aqua propinqua bibet; ex aduerso cuiusuis valli sedebit, & contra telum aperiet pharetram*. Et; *Fornicatio mulieris in elatione oculorum, & in superciliis eius agnoscetur*: Et; *si sint tibi filiæ, attende corpori earum, & ne exhilaraueris ad ipsas faciem tuam*: Et; *super filiam instabilem adhibe custodiam, ne si inuenerit remissionem, seipsa vtatur, & te faciat ludibrium inimicis, & fabulam in ciuitate, & te dedecore afficiat in multitudine multorum*: Et; *Mulier mala, portio mala, & dabitur viro peccatori*. Iure ergo ei dixit Deus post transgressionē; *Multiplicans multiplicabo dolores tuos & eiulatum tuum*: Magnum enim dolorem & gemitum & angustiam nobis conciliauit. Vnde dicit; *In doloribus paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur*. Et proptereà legē statuit Apostolus dicens: *Mulieres sitis subditæ viris vestris tanquā Domino, quoniam caput mulieris est vir, sicut etiam Christus est caput Ecclesiæ; & sicut Ecclesia Christo subijcitur, ita etiam mulieres suis viris in omnibus*. Et; *Volo vos scire quòd omnis viri caput est Christus, caput autem mulieris vir*: Et; *Nam vir quidem non debet aperire caput, cùm sit imago & gloria Dei, mulier autem est gloria viri; Non est enim vir ex muliere sed mulier ex viro, etenim non creatus fuit vir propter mulierem sed mulier propter virum*: Et; *Mulieres vestræ in Ecclesijs taceant, non enim permissum est eis loqui sed subijci, sicut etiam dicit lex; Si quid autem velint discere, domi suos viros interrogent, turpe est enim mulieribus in Ecclesia loqui*: Et; *Mulier in silentio discat in omni subiectione, Mulieri autem docere non permitto, neque authoritatem exercere in virum, sed esse in silentio*: Et; *Vidua eligatur non minor sexaginta annis, quæ fuit vxor vnius viri in operibus bonis habens testimonium, Si filios aluit, si hospites excepit, si sanctorum pedes lauit, si afflictis succurrit, si omne bonum opus est secuta, & vt quæ verè vidua est & deserta sperauit in Deum, & perseuerat in precibus & orationibus noctu & diu; quæ autem viuit in delicijs, viuens est mortua*: Et; *Iuniores autem viduas volo nubere, filios procreare; Cùm enim luxuriata fuerint* in

Genes. 2. Mulier non rectè vsa honore, effecta est subiecta.

1. Tim. 2.

Mulieris inobedientia toti mundo attulit exitium.

Eccles. 25.

Prou. 5. Prou. 7. Prou. 9. Prou. 30. e Prou. 21. Prou. 19. Prou. 19. Prou. 11. e Eccl. 7. d Eccl. 9. a Eccl. 25. Vulgata editio legit breuius. Eccl. 41. c Eccl. 25. a Eccl. 25. e Eccl. 26. Eccl. 25. Eccl. 26. Eccl. 7. e Eccl. 26. Eccl. 16. Gen. 3. Ephes. 5. 1. Cor. 14. 1. Cor. 11. 1. Cor. 14. 1. Tim. 5.

in Christo, volunt nubere, habentes damnationem quoniam primam fidem irritam fecerunt; Simul autem & otiosæ discunt circuire domos, non solùm autem otiosæ sed & nugaces & curiosæ loquentes quæ non oportet: Et; *Mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs cupiditatibus semper discentes; & nunquàm ad agnitionem venire valentes.*

2. Tim. 3.

Ex Chrysostomo, de Herodiade.

Nulla ergo fera potest comparari cum muliere mala & verbosa. Quid enim est leone terribilius inquadrupedibus? aut quid Dracone sæuius in reptilibus? Sed nihil sunt ad malam mulierem. Quòd autem Leo & Draco, in malo, mulieri sunt inferiores; testatur Sapiens, dicens: *Habitare cum Leone & Dracone potiùs elige quam cum mala muliere.* Leones enim Daniëlem reueriti sunt in lacu; Nabuthem autem interfecit Iezabel. Cœtus in ventre conseruauit Ionam; Dalila autem Samsonem tradidit alienigenis. Dracones & Aspides & Cerastæ, Ioannem in Solitudine formidarunt; Herodias autem ipsi caput amputauit in prandio. Corui, Eliam aluerũt in Solitudine: Iezabel autem ipsum post pluuiæ beneficium persecuta est vt occideret, & timore perterritus fugit in Solitudinem iter quadraginta dierum, & fatigatus petijt vt moreretur, dicens; *Domine Deus satis sit, Nunc autem suscipe animam meam à me, quoniã non sum melior quàm patres mei.* Hei mihi! Propheta timuit mulierem qui totius Orbis terræ pluuiam gestabat in lingua! qui ignem è cœlo, verbo fecerat descendere; & oratione, mortuum excitauerat; timuit mulierem! Nulla enim malitia confertur cum mala muliere. Fert mihi testimonium Sapiens quoque dicens: *Non est caput super caput serpentis; & non est malitia super malitiã mulieris.* O malum Diaboli, & arma accutissima! Per mulierem enim ab initio euertit Adamum in Paradiso: Per mulierem, Ioseph inclusit in carcere. Per mulierẽ furore concitauit Dauid ad dolo factam cædem Vriæ: Per mulierem, sapientissimum Solomonem conuertit ad transgressionem: Per mulierem excæcauit Samsonem: Per mulierem persecutus est Eliam: Per mulierem, Christi Præcursori amputauit caput: Per mulierem omnes occîdit, omnes iugulat, omnes vituperat, omnes probris afficit. Mulier enim impudens nulli parcit, non reueretur Prophetam, nihili facit Sacerdotem, Cano non habet honorem. O malum malorum pessimum mulier mala! Et si sit quidem pauper; est diues, malitia: Sin abundat diuitijs quæ adiumentum ferant eius malitiæ; est duplex malũ, est animal intolerabile, lex est immedicabilis, ferum & immansuetum animal. Ego enim vidi etiam Aspides blanditijs cicurari, & leones; & tigres, & pardos, si demulceantur, mitescere: Mala autem mulier, & contumelia affecta insanit, & adulatione effertur? &, si habeat maritum Principem, noctû & interdiù suis dolis eum irritans, ad cædem faciendam incitat, vt Herodias Herodem; Et, si habet pauperem maritum, ad iram & cædem eum excitat. Et si sit vidua, ipsa per se omnes probris & contumelijs afficit: Nam Dei metu non refrenat linguam; non ad futurum aspicit iudicium, Deum non respicit, Amicitiæ nescit seruare vinculum. Pro nihilo est mulieri ad mortem tradere suum maritum: Iustum enim virum Iob, vxor sua tradebat ad mortem, dicens *Dic verbum aliquod ad Dominum, & morere.* O malum animi propositum! O mentem impiam! Non mota est miseratione, videns sui mariti viscera ex ebullientibus pustulis tanquàm à carbonibus exuri, & totas carnes suas inuolui vermibus! Non inflexa fuit ad misericordiam, cum videns perpetuò ingemiscere & angi, & ex illis perpetuò producere vlcera! Non emollita fuit ad commiserationem, cernens eum qui aliquando fuerat indutus purpura, modò nudum iacere & putrescere in sterquilinio! Non meminit amicitiæ & consuetudinis quæ sibi cum illo intercesserat, & quanta propter ipsum fuerit eius magnificentia & gloria! Sed; *dic*, (inquit) *Domino verbum aliquod & morere.* O gratia mulieris! O medicamentum dolores afferens & ęgritudines! O amicitiam Coniugis! Non enim ei sufficiebat dolor qui erat ad tempus, sed per maledictum, ei æternum conciliabat cruciatum! Vis videre adhuc aliam mulierem huius malitiæ coniugem? Vide mihi Dalilam, quomodo maritum suum totonderit, & vinctũ tradiderit alienigenis membrum suum, sui thori consortem, quem fouebat, cui blandiebatur, quem deosculabatur, quem simulabat se plus quàm seipsam diligere; quem heri diligebat, hodie decipiebat, quem heri diligens fouebat, hodiè decipiens sepeliebat. At non erat pulcher! & quis eo pulchrior qui in capite gestabat septem crines, portãs imaginem gratiæ septemplicis? At non erat fortis! Et quis eo fortior, qui fortem leonem in via solus confecit, & vna Asini maxilla mille strauit alienigenas? Erat autem adeò sanctus, vt cùm ipse aliquando sitiuisset precatus sit in aquæ penuria, & ex maxilla (quam manu tenebat mortuam) aqua emanarit, & ex ea hauserit. Et eum tam pulchrum, tam fortem, tam sanctum, eius vxor tanquàm hostem vinctum tradidit alienigenis, quem occæcatum habebant ludibrio! Et cui nec leones, nec alienigenæ poterant resistere; eum sua vxor prostrauit! Vnde autem hoc potuit? Ex mariti bonitate. Nam cùm vitium suarum arcanum, dolo, noctũ ab eo surripuisset tanquam nudum iugulauit. Propterea Propheta tibi præcipit dicens: *A thori consorte caue, ne apud eam aliquid deponas.* Quænam verò bellua (dic quæso) aduersùs suum masculum hæc vnquam est machinata? Quænam Dracæna vult suum perire coniugem? Quænam autem Leæna suum coniugem tradit occidendum? Re vera, *non est malitia supra malitiam mulieris.* Qui ergo habet malam mulierem, sciat se iam recipere mercedem suæ iniquitatis: Dicit enim Sapiens; *Mulier mala dabitur viro peccatori.*

Mulier mala, peior quauis fera.

Eccl. 25.

Contra mulieres improbas.

3. Reg. 19.

Eccl. 25.

Mulier mala, arma Diaboli.

Mulier mala est malorũ pessimum.

Iob. 2.

Fortes superat blandiens mulier.

Eccl. 25.

Viro datur pœna iniqua mulier.

Ex eodem in illud; Omnis qui aspexerit mulierem; *&c.*

Omnis qui aspexerit (inquit) *mulierem ad concupiscendum eam, iam eam adulterauit in corde suo.* Terribile re vera est præceptum, & magna opus est sobrietate. Nam quid est mulier? Laqueus ornatus, & decipiens viros in voluptatibus. Læto quidem vultu & erecto collo, & oculis annuens, & lingua modulans & voce polluens & verbis incantans, & pedibus ludens, figura & corporis habitu placens, & factis occidens: *Multos enim*, inquit, *vulneratos deiecit, & sunt innumerabiles quos interfecit.* Et ideò dicit, *In pulchritudine mulieris, multi sunt decepti: & ex ea, amicitia tanquàm ignis accenditur.* Quid est mulier? In terra naufragium, fons sceleris, thesaurus cædium, lethalis occursus, lapsus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, iuuenum pernicies, sceptrum Inferorum, præceps desiderium. Quid mulier? Sanctorum calumnia, quies Serpentis, Diaboli solatium, ægritudo inconsolabilis, fornax succensa, eorum qui seruantur scandalum, vitium immedicabile, diurnæ nugæ, prodigerum hospitium, officina dæmonum. Quid mulier malum amatorium medicamentum, impudens fera, inexpugnabilis impetus ac appetitio, os effrenatũ, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, magistra delictorum, scelerata oblectatio, cupiditas insatiabilis, simul dormiens intemperantia, simul expergiscens sollicitudo, vestita vipera, quæ sua sponte eligitur pugna diurnum damnum, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, adulterorum receptaculum, arma diaboli, rabiès quæ concupiscitur, mors totius Mundi. Meritò dicebat Sapiens *Parua est omnis malitia ad malitiam mulieris.* Si velis autem aufugere à tali fera, audi Autorem Prouerbiorum dicentem *Oculi tui rectè aspiciant, supercilia autem tua iusta annuant, & ne te vincat desiderium pulchritudinis, neque tuis capiaris oculis, neque abripiaris ab eius cilijs; Mulier enim venatur venerandorum hominum animas; Nunc ergo fili mi audi me, & attende verbis oris mei: Ne inclinetur ad os eius cor tuum, neque erres in semitis via eius, multos enim sauciatos deiecit & sunt innumerabiles quos occidit; neque desin*

Math. 5.

Mulier est laqueus ornatus.

Mulieris aliquot elogia.

Prou. 4.

Prou. 7.

xeris in eam tuum oculum, sed resilias neque tardes. Quandò ergo videris mulierem formosam, nitentem, habentem lætos oculos, genis splendentem, & in vultu immensam ferentem elegantiam, mentem tuam accendentem & augentem libidinem; cogita esse mulierem id quod habetur in admiratione, & esse cinerem id quod accendit, & cessabit animus tuus rabie eteri. Tege pellem eius vultus cogitatione; & tunc videbis quàm sit vilis & abiecta eius species. Nihil enim aliud inuenies quàm ossa & neruos & venas & terrum odorem. Cogita autem rursus senescentem, alteratam, morientem, vniuersum florem illi defluentem; cogita quid mireris, & pudore affectus ducêris pœnitentia.

Cogitando quid sit mulier, reprimitur libido.

Ephes. 5.

Quomòdo dicit Apostolus aliquando quidem; Ne sitis insipientes *aliquando verò;* Ne sitis prudentes apud vosmetipsos.

Quæst. 64.

Vnumquodque præceptum habet suum terminum. Es enim quod est, *Ne sitis insipientes;* subiungit, *sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*: Es autem quod est, *Ne sis sapiens apud temetipsum;* subiungitur, *Time autem Dominum, & declina ab omni malo.* Quamobrem, Insipiens quidem est qui non intelligit voluntatem Dei: Sapiens autem est apud semetipsum, qui suo sensu vtitur, & non ex fide in verbis Dei ingreditur, & non totum suum sensum captiuat ad ei obediendum.

Rom. 12.

Sapiens apud semetipsum quis sit.

Dicente Apostolo; Sicut in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes viuificabuntur: *Cur in Adam omnes morientes, paternum luimus supplicium; in Christo autem viuificatus pater meus, & à suo delicto purgatus, non me impertijt puritate?*

1. Cor. 15.

Quæstio. 65.

Est existimandum quomodò primus noster Parens ad nos transmisit pœnas sibi illatas propter transgressionem, quando audijt; *Terra es, & in terram reuerteris*, & ex eo in quem non cadebat interitus, factus est interitui obnoxius, & subiectus fuit vinculis mortis. Postquam autem (lapsus) procreauit liberos; qui ex eo nati sumus, tanquã ex eo qui erat interitui obnoxius, & interitui obnoxij, facti sumus hæredes execrationis & maledictionis Adami. Planè enim non puniti sumus, vt qui cum illo non obedierimus diuino illi mandato; sed quòd (vt dixi) effectus mortalis, in suum semen transmisit peccatum: Nam ex mortali, nati sumus mortales. Dominus autem noster Iesus Christus appellatus secũdus Adam, vt principium nostri generis; nos reformauit ad incorruptionem; & in ipso est soluta vis veteris maledictionis. Vnde dicit, *per hominem mors;* propterea quòd interitui obnoxius factus est homo; scilicet Protoplastus. Vnusquisq; autem Pater noster, etiamsi per Spiritum sanctũ fuerit sanctificatus & acceperit remissionem suorũ peccatorum; donũ ad nos non transmittit; vnus enim est qui omnes sanctificat ad incorruptionem Dominus noster; & ad omnes ex æquo, per ipsum & ab ipso venit Donum. Aliud autem est remissio peccati; & aliud, à morte redemptio. Et vnusquisque quidem suorum delictorum lucratur remissionem in Christo, per sanctum Spiritum; communiter autem omnes liberamur ab antiquo interitu & condemnatione: *Regnauit enim mors vsque ad Moysem.* Nam vsque ad Legem, dominatum obtinuit mortis condemnatio.

Gen. 3.

Adam in suum genus trãsmisit peccatum.

Rom. 5.

Peccati remissio & redemptio à morte, differunt.

Rom. 5.

Ex Synodi Carthaginiensis. Cap. 110

Similiter placuit, vt quicunque paruos recens natos infantes qui ex vtero matris baptizantur, neget in remissionem peccatorum baptizari, neque ex primi Parentis Adam peccato quidquam trahere quod debeat lauacro regenerationis purgari; vnde est consequens quòd in his forma Baptismatis (in remissioné peccatorum) non vera sed ficta intelligitur, sit anathema. Neq; enim aliter intelligere oportet quod ab Apostolo dictum est, *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines peruasit, in quo omnes peccauerunt*, nisi quomodò Catholica Ecclesia, quæ
A vbique est diffusa & semper est simplex, intellexit. Per hanc enim fidei regulam, infantes quoque qui nullum ex se peccatum committere potuerunt, vere in peccatorum remissionem baptizantur; vt per regenerationem in eis verò mendetur, quod ab antiqua origine contraxerunt.

Ro. 5.

Catholica Ecclesia vbique diffusa & simplex.

Ex quæstionibus aduersus Arianos, Quarè non sunt plura nec numero pauciora Euangelia.

Quæst. 65.

Quoniam Mundi in quo sumus sunt quatuor regiones & quatuor spiritus vniuersè & in genere; Ecclesiæ autem columna & firmamentum est Euangelium, & spiritus vitæ; ipsa meritò habet quatuor columnas vndique spirantes incorruptioné, & homines instar ignis suscitantes. Ex quibus est manifestum quòd Verbum
B opifex omnium, qui sedet super Cherubim & continet omnia hominibus manifestus dedit nobis quadriforme Euangelium, sed quòd vno spiritu continetur; sicut dicit Dauid petens eius Aduentum; *Qui sedes super Cherubim, manifestare.* Cherubim enim habent quatuor facies, & eorum facies sunt imagines operationis Filij Dei. Nam *primum*, inquit, *animal erat simile Leoni*, exprimens eius agilitatem & principatum & regnum; *Secundum autem simile vitulo*, ordinem significans sacrificantem & sacerdotalem; *Tertium autem habens faciem hominis*, apertissimè describens eius aduentũ secundùm hominem; *Quartum autem simile aquilæ volanti*, aptè significans dotium sancti Spiritùs aduolans ad Ecclesiam: Euangelia ergo his quoque consonant. Nam Euangelium quidem
C secundùm Ioannem, narrat eius principalem & gloriosam à Patre generationem, dicens; *In principio erat verbum.* Euangelium autem secundùm Lucam, vt quod characteris esset sacerdotalis; incœpit à Zacharia sacerdote Deo suffitum offerente. Iam enim saginatus parabatur vitulus sacrificandus pro Iunioris filij inuentione. Euangelium autem secundum Matthæum, prædicat eius generationem secundũ hominem, dicens: *Liber generationis Iesu Christi filij Abraham.* Euangelium verò secundùm Marcum, duxit initium à spiritu Prophetico qui ex alto accẽdit ad homines, dicens; *Initium Euãgelij, vt scriptum est in Isaia Propheta.* Porrò autem ipsum quoque Dei Verbum, cum ijs quidem qui erant ante Moysen, per suam diuinitatem versabatur & gloriam: Iis
D autem qui erant in Lege, ordinem tribuit Sacerdotalem. Posteà autem homo factus, donum sancti Spiritus emisit in omnem terram, nos regens suis alis. Qualis ergo fuit Filij Dei operatio, talis etiam fuit forma animalium; & qualis forma animalium, talis est etiam character Euangelij. Nam quadrìformia animalia, quadriforme est Euangelium & Domini operatio. Et proptereà homini data sunt vniuersè & in genere, quatuor Testamenta: vnum quidem Diluuij datum est Noë sub Arca; secundum autem Abrahamo sub signo Circuncisionis; tertiũ verò Legis, sub Moyse; Quartũ, Euangelij per Dominũ nostrũ Iesum Christum. Cum hæc autem ita habeant, stolidi sunt omnes indocti, & prætereà nimis audaces qui abrogant & abolent formam
E Euangelij, & plura vel pauciora inferũt Euãgelia quàm quæ dicta sunt: alij quidem vt plura videantur inuenisse quàm habeat veritas; alij autem vt abrogent & aboleant Christi dispensationem.

Euangelia sunt tantum quatuor.

Psal. 79.

Io. 1.

Vitulus saginatus, id est Christus occisus.

Testamenta quatuor data homini.

Cur Circuncisum fuit Christi præputium.

Quæstio. 66.

Dicant nobis qui curiosè scrutãtur incerta & obscura, & quæ non sunt mandata litteris, & sunt silentio prætetita; quamobrem in alto patibulo sacrificatur Christus, & non sub tecto? An planè vt naturam purgaret aëris? & quomodò impollutus eius sanguis cum aqua in tempore passionis purgauit terram in eam distillans; ita circumcisum præputium defossum, eam sanctificauit? Omninò autem & quibus nouit rationibus, qui voluntariè fuit circuncisus seruauit id quod fuit

Christus cur in alto patibulo sacrificatus.

Sãguis Christi distilans purgauit terram.

Christi præputium seruatum.

fuit circuncisum, vt ipse quoque cum in eo non esset mãcus ac defectus, resurgeretet plenus & toto corpore minimè obnoxius interitui: Nam nos quoque in resurrectione nostrum corpus plenum recipiemus.

Luc. 13. *Quinam erant quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis. Quæst. 67.*

Galilæi; qui etiam secuti sunt decreta Iudæ Galilæi, cuius Lucas quoque meminit in Actibus Apostolorum. Act. 3. Erat autem Iudæ decretum, vt ostendit Iosephus in vltimis Libris de Antiquitate Iudaïca magnam habens speciem; prætextum scilicet pietatis. Dicebat autem, ne ore quidem oportere aliquem dicere Dominũ, neque per honorem, neque per beneuolẽtiam. Quamobrem multi ex ijs, ne Cæsarem dicerent Dominum, grauissima tormenta subiêrunt: Qui etiam docebant, Deo nihil oportere offerre præter constituta à Lege Mosis sacrificia. Vnde etiam prohibebant fieri sacrificia quæ à Senatu populi fiebant, vel potiùs tradebantur pro salute Imperatoris & populi Romani. Verisimile ergo est propter hæc indignãtem Pilatum aduersus Galilæos, iussisse eos interfici in sacrificijs quæ videbantur ex Lege offerre; adeò vt sanguis offerentium misceretur sacrificijs quæ offerebantur.

Iudæ Galilæi quænam essēt decreta.

Quomodò omnis blasphemia remittetur, non remittetur autem blasphemia in Spiritum. Quæst. 68.

Mat. 12. *Multa* enim, inquit, *aduersu me dixistis*; nempe quòd sum seductor, & Dei hostis: De his, à vobis non exigo pœnas. Esto enim (inquit) in me delinquitis propter carnem quam indui; cur etiam peccatis in spiritum? Neque enim potestis dicere vos eum ignorare; propterea & hîc & illic puniemini. Quæcunque ergo, inquit, in me blasphemastis ante passionem, vobis remitto; quinctiam ipsius quoque Crucis audax admissum scelus: Quæ autem in spiritum sanctum peccastis, nisi pœnitentiam egeritis, propter ea & hîc & illic puniemini. Nam ex hominibus alij quidem & hîc & illic puniuntur, vt Sodomitæ: Et hi quoque ipsi; Nam & hic dederunt pœnas quando grauissima illa passi sunt eorum capta ciuitate; & grauissima illic patientur supplicia: Alij autem illic tantùm; vt ille diues: Alij autem hîc solùm; vt qui fornicatus fuit apud Corinthios. Alij autem nec hic nec illic; vt quidam Prophetæ & Apostoli.

Peccatum in Spiritum sanctum quidnã sit.

Puniuntur quidam hic tantum, quidam & hic & illic.

Ex Basilio in Asceticis.

Ille blasphemat in Spiritum sanctum, qui operationes & fructus Spiritus sancti tribuit aduersario, quod multis ex nobis accidit; vt qui virum quidem bonum qui se in pericula conijcit, sæpè appellemus inanis gloriæ cupidum: eum autem qui bonum ostendit zelum; iracundum, & multa eiusmodi falsis inducti suspicionibus ementimur.

Blasphemare in Spiritũ sanctum qui dicatur.

Io. 16. *Quomodò cùm dixisset Dominus*; Nisi abiero, Paracletus, non veniet; *dat iam spiritum Apostolis per Insufflationem? Quæst. 69.*

Per insufflationem quidem dat eis potestatem & gratiam spiritalem ad remittenda peccata, subiungit enim; Io. 20. *Si aliquorum remiseritis peccata remittentur eis; si aliquorum retinueritis, retenta sunt*: Per aduentum autem Spiritus in Pentecoste, præbuit eis gratiam baptismatis & signorum operationem: Et ideò dicit; *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto, & accipietis virtutem aduenientis in vos Spiritus sancti.* Act. 1. Nam ante passionem, Apostoli non faciebant à Spiritu sancto curationes; sed data à Domino potestate & iussu: *Nondum enim erat* (inquit) *datus Spiritus sanctus, quoniam Iesus nõdum erat glorificatus*; Glorificatus enim fuit, suscitatus à mortuis.

Potestas remittendi peccata data est Apostolis per insufflationẽ.

Ex Eusebio ad Marinum.

Spiritus quidem sanctus qui fuit insufflatus à Domino, Apostolis; vim habebat soluendi & condonandi omnia peccata: Quòd autem fuerat eis promissum, baptizandos esse Spiritu sancto, & futuros participes virtutis operationum; vim habebat operandi miracula quæ per ipsos erant efficiẽnda, & resistendi & fortiter ferendi quæ insurrectura aduersus eos erant. Nam ante hanc virtutem, nolebat eos prædicare gentibus; sed manere & expectare vt, ex alto, eius essent participes. Hanc autem gratiam Apostolus quoque separans ab alijs operationibus sancti Spiritus, docebat, dicens; *Alij autem operationes virtutum*: Et dicit Propheta; *Dominus dabit verbum, Euangelizantibus, virtute multa.* Cuius virtutis, cùm nondũ essent participes, eum negârunt omnes tempore Passionis: At postquàm eius fuerunt participes, omnes martyrio & eius confessione claruerunt. Hominem enim renouans Deus, & quam perdidit gratiam acceptam Dei, per insufflationem, eam rursus reddens, eam insufflauit in faciem Apostolorum, dicens; *Accipite Spiritum sanctum.* Io. 20.

Potestas remittendi peccata data est per insufflationem.

1. Cor. 12. Psal. 67.

Quis est Iudex iniquitatis? Quæst. 70.

Dicit Dauid; *Dominus iudex iustus & fortis & patiens*: Et; *Neque ab ortu neque ab occasu, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est. Iudex quidam erat in quadam ciuitate*: In quãnam ciuitate? In Ecclesia Dei: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Hæc ciuitas imitatur cœlestem ciuitatem, de qua dicit Apostolus, *Sed accessistis ad montem Sion & ciuitatem Dei viuentis, ad cœlestem Ierusalem. Iudex quidam erat, neque Deum timens, neque hominem reuerens*: Deus enim neque Deum habet quem timeat, neque hominem quem reuereatur, *Non est enim apud eum acceptio personarum. Erat autem quædam vidua in illa ciuitate*: Omnis enim anima Ecclesiastica, quæ aliquando maritum habebat diabolum, eúmque abiecerat & Dominũ amplexa fuerat; est vidua: & rogat die ac nocte iudicem, dicens; *Defende me ab aduersario meo.* Quis autem est aduersus quem semper interpellamus? Dicat Petrus: *Filioli vigilate quoniam aduersarius vester diabolus, tanquàm Leo rugiens obambulat quærens aliquem deuorare; Cui resistite stabiles & solidi in fide.* Quid autem dixit Iudex? *Etsi Deum non timeo, neque hominem reuereor, surgam tamen & vindicabo illam ne veniens me sugillet: Et subiungit Dominus, dicens; Audis quid dicit iudex iniquitatis*, & non iustitiæ? Iudex est iniustorum, *Iusto enim non est lex posita.*

Luc. 18. 4. Psal. 7. Psal. 74. Luc. 18. 4. Psal. 86. Heb. 12. Luc. 18. 4. Ro. 2. b. 1. Pet. 5. 1. Tim. 1. b.

Quomodo est intelligendum; Qui habet vestem, vendat illam & emat gladium. *Quæstio. 71.*

Iudæorum in ipsum inuasionem volens Dominus significare Apostolis, eam ostendit per ænigma gladij: Luc. 22. Nam cùm dixisset, *emat gladium*; subiunxit: *Oportet quæ scripta sunt de me, perfici; Cum iniquis reputatus est.* Neque ergo omninò silentio præterijt, ne perturbarentur repentina inuasione: neque rursus plenè significauit, ne aliquis timor eos inuaderet. Mat. 15. Cùm autem dixissent Discipuli; *Domine, ecce duo hic gladij*; & non intelligerent quod dictum fuerat, ipse dicit; *Sufficit.* Atqui non sufficiebat: Nam si eos quidem volebat vti humano auxilio; ne si centum quidem fuissent gladij, suffecissent: Sin minùs, duo quoque erant superflui. Sed tamen non aperuit ænigma: Sæpè enim cernitur hoc facere, vt cũ non intellexerint quod dictum fuerat, hoc prætercurrat & dimittat; euentui rerum quæ posteà fiunt, permittens intelligentiam eorum quæ dicta sunt; vt quandò dixit, *Soluite templum hoc.*

Christus sæpè prætermittit quæ nõ intelligunt Discipuli, ea relinquens euẽtui. Matt. 26.

Quomodò, qui amat animam suam, perdet ipsam. *Quæst. 72.*

Qui suam amat animam, est is qui sua mala & improba implet desideria: qui autem odit, est is qui non ei cedit iubenti quæ nocent. Luc. 9. Qui autem vult eam seruare, est is qui secùs quàm oportet vult eius salutem; nempe desiderans effugere ex periculis: is, eam perdet. Eius ergo quæ in periculis, amissionem nominauit salutem: *Is enim* (inquit) *inueniet eam in vitam æternam.*

Quid est; Si oculus dexter, vel manus tua te scandalizet, exscinde eam abs te?

Luc. 19. Mat. 5. Mat. 9.

Quæstio. 73.

Non de membris corporis hoc dixit Christus: absit; sed de amicis & cognatis: Sumus enim inter nos alter alterius membra. Si ergo, inquit, habes amicum aut cognatum, qui est tibi æque necessarius ac dexter oculus vel manus, conuenienter ei quod dictum est à Iobo; *Oculus eram cæcorum, pes autem claudorum*; Vides autem, te ab eo lædi in tua anima: exscinde ipsum à te; *nulla est enim societas lucis cum tenebris.* Maximè autem si sit in eis simulatio & dolus, oportet ab eis fugere & cauere tanquàm à Serpente: Dicit enim Dominus; *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt Lupi rapaces; à fructibus eorum cognoscetis eos:* & Ioannes; *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint, Multi Pseudoprophetæ exierunt in Mundum:* Et Paulus; *Tales enim sunt Pseudoapostoli, operarij dolosi qui transfigurantur in Apostolos Christi; & non mirum, ipse enim Satanas transfiguratur in Angelum lucis; non est ergo magnum si etiam eius ministri transfigurantur tanquàm ministri iustitia, quorum finis erit secundùm opera ipsorum:* Solomon quoque admonet, dicens; *Fili, ne decipiant te viri impij, Pedes enim eorum currunt ad vitium, & sunt veloces ad fundendum sanguinem:* Et; *ne possideas malorum virorũ probra neque æmuleris vias eorum, non enim dormient nisi malum fecerint.* Et; *cor peruersum fabricatur mala; in omni tempore, qui est eiusmodi, efficit tumultus.* Propterea repentè venit interitus, diruptio & contritio immedicabilis, quoniam lætatur omnibus quæ odit Deus; conteritur autem propter immunditiam animæ. Et, qui annuit oculo cum dolo, congregat viris dolores. Et; vir iniquus tentat amicos, & abducit eos in vias non bonas; obfirmans autem oculos suos, cogitat peruersa, & labiis suis definit omnia mala: Et; est fornax sceleris & fossa profunda os iniqui, qui autem odio habetur à Domino, incidet in eam: Et; Si inimicus tuus te rogat magna voce, ne ei credas, Sunt enim septem improbitates in anima eius. *Fide digniora sunt vulnera amici quàm voluntaria oscula inimici:* Et; *Sanctus spiritus fugiet dolum, & recedet à cogitationibus insipientibus.* Similiter etiam Sirach præcipit, dicens: *Conserua te & caue à malo, & attende valde, & obserua quòd cum ruina tua ambulas, & agnosce quòd in medio laqueorum ingrederis, & super propugnaculum ciuitatum ambulas:* Et; *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne citò credideris ei. est enim amicus in tempore suo, & non permanebit in tempore afflictionis suæ; & est amicus qui traducitur ad odium, & pugnam opprobrij tui reuelabit; & est amicus socius mensæ, & non permanebit in die afflictionis; & si humiliatus fuerit aduersus te, etiam à facie tua absconditur:* &, Ne homini stulto te subijcias, & ne assurrexeris à facie insolentis & contumeliosi, ne ori tuo struat insidias: Et, *Ab inimicis tuis attende:* &; *Filio, & vxori, & fratri ne des potestatem aduersus te in vita tua:* Et; *ne des alteri pecunias tuas, ne pœnitentia ductus pro eis roges, melius est enim vt filij tui te rogent quàm vt tu aspicias ad manus filiorum tuorum:* Et; *Attende à viro malo, mala enim fabricatur, ne fortè des reprehensionem in seculum:* Et; *Ne credas inimico tuo in æternum, nam quomodò æs rubigine obducitur, ita etiam eius improbitas; & si ambulauerit, ambulabit quoque incuruatus.*

Iob. 29. Mat. 7. 1. Io. 4. 2. Cor. 11. Prou. 2. b Prou. 4. a Prou. 4. c Prou. 16. d Prou. 7. Prou. 25. a Ecclef. 6. a Ecclef. 6. b Eccle. 33. 0

Ex Limonario.

Interrogauit quidam Pater alium magnum & admirabilem Patrem, dicens: Si scandalizet me frater; vis imponam ei pœnitentiam? Ille autem dixit: Impone ei pœnitentiam, & te ab eo exscinde, ne te ad maius detrimentum adducat: Vnde dicit Apostolus; *Omnia probantes, quod bonum est tenete:* & audi magnum Arsenium dicentem; Cum omnibus habe charitatem, ab omnibus autem abstine.

1. Thes. 5.

Ex Constitutionibus Apostolicis; Libri 2. cap. 17.

Peccatum enim quod non redarguitur, fit deterius, & in alios dispergitur. Nam *paruum* quoque *fermentum* fermentat massam consperstionis; & fur vnus, in totam gentem infert abominationem; & *muscæ mortuæ putrefaciunt compositionem condimenti olei:* Et; *Rege exaudiente iniquum sermonem, omnes eius ministri sunt iniqui.* Ita etiam ouis scabiosa alijs tradit morbum, non separata ab ouibus sanis; & homo pestifer multis est cauendus; & canis quem tenet rabies, est periculosum cuiuis quod attigerit. Si ergo hominem quoque iniquum ab Ecclesia non separauerimus, facimus domum Dei *speluncam latronum*, Vnde dicit Salomon; *Eijce pestiferum ex concilio, & simul cum eo exibit contentio, Nam quando sedet in concilio omnes probro afficit.* Dauid itaque dicit: *Non proponebam ante oculos meos facientes rem iniquam, facientes præuaricationes odio habui, non adhæsit cor meum prauitati, Declinante à me maligno non cognoscebam, Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat, Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam, aut loquẽs iniqua sed eum prosequebar.* Quamobrem Helisæus quoque, cùm ministro suo Giezi (post furtum & mendacium) lepram immisisset; eum omninò eiecit à facie sua: Nulla *est* enim *societas luci cum tenebris,*

1. Cor. 5. b Eccl. 10. a Prou. 29. b

Homo iniquus est ab Ecclesia separandus.

Psal. 100.

4 Reg. 5. g

Ex Basilio in Asceticis.

Mores ergo insidiosi & fallaces & dolosi; & nco sunt odiosi, & hominibus inimici: & si quis insidias aut mendacium struit non ad suam vtilitatem aut ad amici beneficium aut (vt in summa dicam) bono aliquo consilio; sed alij damnum & noxam machinans; sicut erat diaboli fraus aduersus hominem, & Cain aduersus Abelem, & Iezabel aduersus Nabuthen, & falsum Iudæorum testimonium aduersus Christum. Atque de malo quidem & scelerato dolo & de mendacio; multa licet videre exempla, & per scripturas & per ea quæ semper geruntur. De iustis autem insidijs & dolo, qui non malè sed iustè & sapienter celat & abscondit & artificiosam præ se fert speciem, & contraria faciens insidiosis & fallacibus hominibus, suam & aliorũ vtilitatem tanquàm scopum sibi proponens, abscondit & machinatur; primum quidem exemplum sit Moyses, quoniam iussu Dei apud regem præ se tulit quòd *viam trium dierum* abducturus esset populum ad Deum colendum, quanquàm eius esset propositum omninò Israëliticum populum liberare & traducere ex Ægypto in Iudæam. Tale est & quod fecit, qui ad vngendum Dauid in regem missus est à Deo præ se ferens quod esset sacrificaturus, ne Saul cognosceret quòd regem pro se constituisset, & ne in periculũ veniret Samuel. Porrò autem Ionatham quoque, cùm vellet seruare Dauidem in insidijs Saulis; *propterea*, inquit, *non venis ad mensam Regis vt solebat, quia abijt in patriam suam Bethleem.* Saulem autem fugiẽs Dauid dicebat Abimelech Sacerdoti, quòd mittebatur à Saule ad rem aliquam seriam; per dolum salutem sibi parans non damnum aliorum. Et quando venit ad regem Achis, simulauit se insanire, quod non erat verum; id præ se ferens ad effugiendam mortem ab alienigenis. Iam verò ad sumendam quoque iustam de inimicis vltionem sæpè doli sunt probati, cuiusmodi fuit de Aod qui interfecit Eglon, & Azaël qui occidit Sisara; & Iudith qui interemit Holofernem ad salutem populi Israëlitici. Sic etiam cum dolo accessit Paulus ad Iudæos, & factus est tanquam Iudæus vt Iudæos lucri faceret: *Quamobrem* (inquit) *cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Propter hos ergo dolos & mẽdacia, non sunt sancti appellandi mendaces nec dolosi; sed sapientes quidem ad bonum, sinceri autem ad malum. Cauendum est autem, si quando opus fuerit eiusmodi mendacio aduersus hominum maliciam, ne sermoni addamus etiam iusiurandum: *Non* enim *assumes nomen Dei tui in vanum:* & falsum iuramentũ ne diligatis & ne ad mundi negotia attrahas nomen Dei, quando propter malorum contentionem, aut propter pericula nobis & amicis imminentia, aut propter aliquod negotium necesse est, omnino vti falso sermone: Sed sit tibi nomen Dei venerandum, ab ijs separatum; in veritate solùm appellatum, & in necessitate & rebus magnis.

Mores Insidiosi, & Deo sunt exosi & hominibus inimica.

Exod. 3. 1. Reg. 16. 1. Reg. 20. 1. Reg. 27. Iud. 3. Iud. 4. 2. Cor. 12.

Propter bonos dolos non sunt appellandi mendaces nec dolosi. Iusiurandum nullo mendacio est addendum. Bonum & malum diiudicatur scopo & instituto.

Ex Theodoreto in Osee.

Legitimum & illegitimum scopo & lege discernitur.

Sciendum est quòd scopo ac instituto dijudicatur bonum & malum : Hoc enim est separatum ab adulterio matrimonium, etiam si coitus nullũ habeat discrimen, scopo autem ac Lege ostenditur differentia; & hoc quidem iudicatur legitimum, illud verò illegitimũ & præter leges. Quomodò etiam in homicidio : Interficit enim homicida, interficit & Iudex; Sed hic quidem iustè ac legitimè. Ille verò iniquè & præter legem : Et factum quidem est idem, differt autem scopo. Et vt hoc apertiùs discamus ex scriptura, sic consideremus. Occidit Cain sed motus inuidia & dolo vsus; Occidit & Phinees, sed zelo ductus, & causam tutatus pietatis ac religionis : Et factum quidem est idem, scopus autem cõtrarius & pugnans ex diametro. Suffuratus est Iacob benedictionem; Suffuratus & Achaz in Israël : Sed ille quidem fuit laudatus, hic verò obrutus lapidibus. Ieiunauit Elias : Ieiunauerunt & qui Naburhem obruerunt lapidibus : Sed ille quidem causa pietatis, illi verò propter calumniam & cædem. Misertus est Agagi Saül iniquè & contra leges, & fuit regno priuatus; eundem occidit Samuel, & Dei legem adimpleuit.

Homicidium quod lege fit, est legitimum. — Gen. 4. — Num. 25. — Gen. 27. — Ios. 7. — 3. Reg. 11. — 1. Reg. 15. — 1. Re. 15. b — 1. Re. 15. g

Quomodo est intelligendum illud; Si duo simul consenserint super terram. *Quæst.* 74.

Matth. 18.

Ipse locus hoc indicat, nam verba facit de eo qui arguit & arguitur. Nam si is qui arguitur, fuerit compunctus & conuenerit cum scopo & instituto arguentis; de omni peccato cuius petierint remissionem, dabitur eis à Deo. Sed si non conuenerit qui arguitur, cum eo qui arguit; non datur ei remissio sed vinculũ congruenter ei quod infertur : *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.*

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Matth. 18. — Mat. 18.

Si, inquit, *peccauerit in te frater tuus, vade & argue ipsum inter te & ipsum solum, Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; Sin autem te non audierit, accipe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum; Sin autem eos quoque non audierit, dic Ecclesiæ; Quòd si Ecclesiam quoque non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus : Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: Si enim duo ex vobis cõsenserint super terrã, de omni re quam petierint fiet eis à Patre meo qui est in cælis.* Non ergo dixit de præsidibus Ecclesiæ illud, *quæcunque ligaueritis, erunt ligata;* sed de eo qui prouocauit eum, qui peccauit ad reconciliationem, quem enim ligauerit non obediẽtem, insolubilia manent ei vincula; & qui eum ligat, & ea qui est hîc cruciatus, & eo qui illic est futurus. Iure ego dicebat Apostolus; *Sol ne occidat super iracundiam vestram.*

Cautè lege, nam omnia verba Christi de præsidibus Ecclesiæ interpretantur.

Cùm dicat Dominus sanctis suis; Quæcunque ligaueritis, erunt ligata; *Si quis ad iram concitauerit virum sanctum, & is miserit morbum vel dæmonem vel mortem, vel aliquod aliud supplicium in domum eius; an potest homo, cùm alium sanctum rogauerit, viri sancti effugere sententiam? Quæst.* 75.

Mat. 18. — Ephes. 4.

Responsum Athanasij.

Si est sanctus qui immisit supplicium, est perspicuum quòd Dei voluntate hoc fit, & ligatus est homo ille non solùm in terra sed etiam in cœlo, conuenienter ei quod dicit Dominus; sed neque sancti sunt inter se aduersi, vt qui nouerint vinculum charitatis spiritus; & quoniam non exaudiet Dominus Sanctum, etiam si roget vt dissoluat alterius Sancti preces aut maledictionem. *Quis* enim (inquit) *criminabitur aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat; quis est qui condemnat?* Etenim cùm Elias ligasset cœlum annos quatuor & sex menses, nullus Sanctus id potuit soluere nisi Elias : etiam si tunc haberet Deus septem millia sanctorum qui non curuauerant genu ante Baal. Et cùm Paulus fornicatorem Corinthium tradidisset satanæ ad interitum carnis, nemo eum potuit soluere à vinculo præter Paulum qui eum ligauerat : Neque enim solet Deus euertere decreta suorum famulorum, sed potiùs pœnas sumit de ijs qui in ipsos delinquunt. Audi quid dicit Deus Regi Abimelech propter vxorem Abrahæ : *Redde vxorem homini quoniam est Propheta, & orabit pro te & viues; sin minus autem reddideris, scias futurum vt moriaris & tua omnia : Et orauit Abraham & sanauit Deus Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius, & pariebant; Deus enim concluserat omnem matricem in domo Abimelech, propter Sarram vxorem Abrahæ.* Vides quòd Deus vlciscens suum famulum, sterilitatem & mortem intulisset nisi confestim Sanctus, precibus, iram suam soluisset; vt qui etiam omnino ligasset? Sic etiam qui Iob exacerbauerant & condemnârant tres eius amici, futuri erant terribilis interitus hæredes, nisi eum soluisset iustus qui vtiq; eum ligarat : Dathan autem & Abiron stantes ex aduerso Moysis, deuorati sunt viui in terram : Similiter & Corithæ viri 250. cùm ab Aarone defecissent, comsumpti sunt à diuino igne; & Maria quæ probris & maledictis Moysem affecerat, illicò facta est leprosa. Ieremias autem maledicto appetitus à populo Israëlitico, execratur ac maledicit dicens: *Exaudi Domine vocem iustificationis meæ.* (Neque enim loquitur enunciatiuè) *si redduntur pro bonis mala, quoniam simul locuti sunt verba aduersus animam meam; memento mei qui steti aduersus faciem tuam vt loquerer pro eis bona, & vt auerteres iram tuam ab eis; Propterea da eos in famem & gladiũ, & ne relinquas inultas eorum iniquitates, & peccata eorum à facie tua ne deleas, quoniam inierunt rationem ad me comprehendendum, & laqueum absconderunt aduersum me : Et tunc dixit Dominus ad me; Ecce induco super ipsos mala, vt quilibet audiente ea, tinniant ambæ aures eius.* Saul autem persequens & affligens Dauidem ei dicentem; *Cur persequeris animam meam vt accipias eam? Iudicet Dominus inter me & te, & me defendas à manu tua;* mortem sibi consciscens excessit è vita. Vnde dicebat psallens Dauid; *Gladius eius ingrediatur cor eius* : Et, *in factis manuum suarum comprehensus est peccator.* Ita etiam Achitophel, aduersus ipsum, consilium capiens, & Absalonem ad eum interimendum instruens : ille quidem laqueo vitam finijt; hic verò ense vitam abrupit. Dignum itaque eis epitaphium inscribens Salomon, de Achitophele quidem dicit : *Qui autem accenderit vitium, peribit ab ipso;* Et, *Qui aduersus faciem amici sui parat rete, is ipsum circundabit pedibus suis.* De Absalone autem; *Oculum irridentem patrem effodient eum corui ex conuallibus, & exedent eum pulli aquilarum* : Et; *Maledicentis patri extinguetur lucerna; pupillæ autem oculorum eius videbunt tenebras, Etenim in sinum omnia redeunt iniquis, A Domino enim omnia iusta.* Irridentibus autem pueris Helisæum, cùm is in verbo Domini eos esset execratus, egressi sunt ex sylua duo vrsi, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos. Meritò ergo dictum est; *Mors & vita in manu linguæ eius.* Similiter autem eius quoque magister Elias, quinquagenarios præfectos, cum ijs qui cum ipsis erant, igne cœlesti exussit. Quid verò admirabiles illi Petrus & Paulus; num ille quidem mortem attulit Ananiæ & Sapphiræ, hic autem Elymam magum execratus orbauit oculis, qui etiam protinus circumiens quærebat qui eum ducerent? Vides quemadmodùm Deus suos honorans famulos, exaudit eorum preces & execrationem : Facit enim eorũ voluntatem & exaudit eorum orationem. Et ideò admonet Sapiens, dicẽs: *Ne des locũ homini*; nempe iusto; *vt te execretur, Eius enim te execrantis in amaritudine animæ suæ, preces exaudiet Dominus: Oculi enim Domini sunt super iustos, & aures eius ad preces eorum.* Quamobrem & qui oderunt, & qui condemnant iustum; delinquũt in Deum & ipsum contemnunt. Dicit enim Deus ad Samuël de Israële qui erat duræ ceruicis; *Non te spreuerunt, sed me* : & Apostolus, *Qui vos spernit.* Et, *Qui vos odit, me odit* : Vnde dicebat Apostolus; *Sic autem peccantes in fratres & verberantes eorum cõscientiam, in Christum peccatis.* Sic ergo Sancti, bonis quidem hominibus & pijs sunt luminaria & salutares, vt Dominus dicit ad eos; *Vos estis lux mundi, & sal terræ*; Sceleratis au-

A sancto ligatus ab alio sancto solui non potest. — Rom. 8. — 3. Reg. 17. — 1. Cor. 5. — Gen. 20. — Iob. 4. 2. — Num. 16. — Num. 12. — Hie. 18. d — Hier. 19. a — 1. Re. 24. e — 1. Re. 31. b — Psal. 36. — Psal. 9. — 2. Reg. 17. — *Absalom adhuc palpitans interfectus est ab Armigeris Ioab.* — 2. Re. 18. — Eccle. 17. — Prou. 30. — 4. Reg. 2. — Prou. 18. — 4. Reg. 1. — Act. 5. — Act. 13. — Eccl. 4. — Psal. 33. — 1. Reg. 8. — Luc. 10. — 1. Cor. 8. — Matth. 5. — *Sancti sanos illuminant, insanos obducunt umbras*

tem & iniquis, exitioſi & cõciliantes ſupplicium. Quomodò enim ſol, ſanos quidem oculos illuminat, imbecillos autem obſcurat & facit caligare; ita etiam Sancti: Idque ſignificans dicebat Apoſtolus Chriſti; *Bonus odor ſumus Deo in ijs qui ſeruantur, & rurſus in ijs qui pereunt; alijs quidem odor vitæ ad vitam, alijs autem odor mortis ad mortem.* Ita etiam per ſeruatoris aduentum occæcati quidem ſunt plurimi ex Iudæis, gentes autẽ aſpexerunt. Quamobrem dicit Dominus, *Ad iudicium ego veni in hunc mundum vt non videntes videant, & videntes cæci fiant: Poſitus eſt* autem & *ad ruinam* quidem incredulis; *ad reſurrectionem* autem credentibus; & alijs quidem eſt *lapis offenſionis & petra ſcandali*, alijs autem *lapis angularis* & petra quæ laudatur. Quinetiam eius quoque crux ijs quidem *qui pereunt* eſt ſtultitia; *ijs* autem *qui ſalui fiunt eſt virtus Dei: & Iudæis quidem, ſcandalum, Græcis autem, ſtultitia;* nobis verò ſalus.

2. Cor. 2. — Luc. 2. — Ioh. 9. — 1. Pet. 2. — Act. 4. — Eph. 2. — 1. Cor. 1.

Ex Exodo.

Exod. 16.

Murmurabat autem omnis congregatio filiorum Iſraël aduerſus Moyſem & Aaron in deſerto, & dixit eis Moyſes: Quinam eſtis vos, quòd murmuratis contra nos? Non enim contra nos eſt murmuratio veſtra, ſed aduerſus Deum. Et rurſus: *Et dixit eis Moyſes, Cur me maledictis inſectamini, & tentatis Dominum?* Cùm Dominus rurſus dicat; *Si quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.*

Io. 20.

Si peccarit homo homini, & poſteà ductus pœnitentia ab ipſo acceperit condonationem; an à Deo quoque eſt condonatum? Quæſt. 76.

Io. 20.

Illud: *Si quorum remiſeritis peccata, remittentur eis;* propriè dictum eſt ad eos qui ſunt ſancti, & non ad eos qui ſunt ſolùm homines: Vnde nec eis dixit; *Si remiſeritis, remittentur eis;* Sed, *ſi remiſeritis hominibus delicta eorum, remittet etiam vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Et hinc eſt perſpicuum, quòd qui condonauit quidem maxima eſt lucratus; cui autem eſt condonatum, Deo quoque eſt ſubiectus vt agat pœnitentiam; ſimul orante & eo qui eſt offenſus, & eo qui condonauit. Nam ſi (inquit) *Vir peccarit in virum, etiam pro eo orabit ad Dominum.* Atqui etiam ſi ſit, Sanctus is qui condonat; niſi is qui peccauit, apud Deum & purè & ſincerè pœnitentiam egerit, non ei remittetur: Etenim cùm Maria diuinum Moyſem maledicto appetiuiſſet, & à Deo reprehenſa & lepra affecta eſſet; Moyſes quidem ei condonauit & pro ea rogauit, Deus autem non priùs ei condonauit quàm ſeparata fuit extra caſtra ſeptem dies; & tunc fuit curata, & ei eſt condonatum, vt quæ purè & ſincerè apud Deum pœnitentiam egiſſet; ſimul ſcilicet cũ ea orante & fratre & vniuerſo populo. Propterea dicit ſcriptura; *Populus nõ mouit caſtra donec mundata fuit Maria.* Populus autem cùm in ipſum quidem peccaſſet, condonauit quidem & pro eo rogauit. Cùm autem non ſincerè apud Deum egiſſent pœnitentiam, fuerunt omnino perempti & exterminati. Niſi ergo, vt par eſt, apud Deum pœnitentiam egerit, ei non remittetur ſicut eſt oſtenſum: Pone enim mihi aliquem admiſiſſe adulterium in vxorem proximi, & ab ipſo accepiſſe remiſſionem; num eſt etiã ei à Deo condonatum niſi pœnitentiam egerit? Nequaquam. Ego quidem certè noui quendam virum ſpiritualem, qui & ſermone & vita multos iuuabat, cui quidem cùm diaboli inſtinctu multi inuidiſſent, & maledictis affeciſſent, multos ab eo abſciderunt, & priuarunt vtilitate quam ex ipſo capiebant: Porrò autem cùm poſteà intellexiſſent fraudem diaboli, & apud eum ducti eſſent pœnitentia, & ab ipſo accepiſſent condonationem; alij quidem correpti ſunt à dæmone, alij autem inciderunt in diuerſas tẽtationes & pericula pro iudicijs quæ multos offendunt. Meritò ergo dicebat Apoſtolus; Qui vos conturbat portabit iudicium, quicunque fuerit. Et propterea de ijs quidem; *qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis qui credunt in me, expedit ei vt mola aſinaria ſuſpendatur à collo eius, & demergatur in mare:* Et; *Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* De ijs autem qui ſcandalizantur & maledicto afficiuntur; *Beati* (inquit) *eſtis quando vos oderint homines, & ſegregauerint, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquàm malum propter filium hominis; Gaudete in illa die & exultate, Ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælo, Similiter enim faciebant patres Prophetis; Væ autem vobis quando vos benedixerint omnes homines, Similiter enim faciebant Pſeudoprophetis patres eorum.* Deo itaque condonante, ſæpè in nos inſurgunt qui aliquando fuerũt amici; aut etiam nobis ſubiecti, nos maledictis inceſſentes & iniuria afficientes; Quæ ſi leni & patienti animo toleremus, magna bona à Deo accipiemus. Vnde etiam Dauid, dum eum contumelia afficeret Semeï dicebat ijs qui volebant eum vlciſci: *Sinite eum me execrari, vt Dominus videat in humilitate mea, & reddet mihi bona pro eius execratione:* Et rurſus Pſallens dicebat; *Deus laudem meam ne ſilueris quoniam os peccatoris & os doloſi in me aperta ſunt, Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me & oppugnauerunt me gratis; Pro eo vt me diligerent, me calumniabantur; ego autem orabam; Quid dicam? Execrabuntur ipſi, & tu benedices Domine; Qui inſurgunt in me, erubeſcant ſeruus autẽ tuus lætabitur:* Et, *Qui benedicunt iuſtũ hæreditabũt terram, qui autẽ execrãtur ipſum exterminabũtur,* quamobrem dicit Deus iuſto Abraham: *Qui te benedixit, eſt benedictus, & qui tibi maledixit, eſt maledictus.* Dicit autẽ alijs quoque Apoſtolis. *Quando ingrediemini in domum, dicite, Pax ſit huic Domui; Et ſi ſit quidem illic filius pacis, pax veſtra requieſcet ſuper ipſum. Si autem non ſit dignus, pax veſtra ad vos reuertetur.* Si ergo pax ad illos reuertitur propterea quòd non inuenerit ſe dignum, multò magis ſi iniuſtus eam emiſerit, vt potè quòd non ſit dignus eam accipere ille ad quem eſt miſſa. Quicunque temerè probris & maledictis afficit aliquem, ſeipſum execratur: & ſicut dicit Salomon; *Quomodò aues volant & paſſeres, ita inanis execratio ad nullum accedet.* Permittente ergo Deo, vt dictum eſt, excitantur imprudentes aduerſus prudẽtes, & impij aduerſus pios, & iniuſti aduerſus iuſtos; eos ſpernentes & iniuria afficientes: Dicit enim, iuſtus Iob; *Iuſti irridentur & traduntur in manus impiorum, & vir iuſtus & nulli affinis reprehẽſioni, factus eſt in ſubſannationem; In tempore enim conſtituto paratus fuerat vt caderet, & ædes eius diriperentur ab iniquis:* Et Salomon: *Videbunt iuſtum, & nihili facient eum; Ipſos autem irridebit Dominus, & erunt poſteà in ruinam probroſam, & in contumeliam inter mortuos ſeculi, & tunc ſtabit iuſtus in multa confidentia ex aduerſo eorum qui ipſum afflixerunt & aſpernabantur labores eius, & videntes turbabuntur timore vehementi, & ſtupebunt propter inopinatam eius ſalutem, & inter ſe dicent; Hic eſt quem habuimus aliquando in deriſum & in parabolam exprobrationis; Inſipientes eius vitam exiſtimabamus inſaniam, & deceſſum eius inglorium: quomodo reputatus fuit in filijs Dei & inter ſanctos eſt ſors eius; Igitur aberrauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumẽ non illuxit nobis:* Et; *iuſti in æternum viuent, & in Domino eſt merces eorum.* Et; *Qui iniuſtum, iuſtum iudicat, iuſtũ autem, iniuſtum; eſt immundus & abominandus apud Deum:* Et; *viri ſanguinũ participes oderunt iuſtum:* Et; *ſanctus, eſt immundus apud ſceleratos:* Et Sirach; *Abominatio peccatori, eſt pietas & Dei cultus.* Quamobrem Eſaias dicit ſanctis: *Nolite timere exprobrationem hominum & eorum, contemptu ne vincamini.*

Num. 12. — Num. 12. d — Exod. 32. — Gal. 5. — Matth. 18. — Mat. 5. — 2. Reg. 16 — Pſal. 18. — Gen. 2. — Matth. 11. — Prou. 26. — Iob. 12. — Sap. 5. — Sap. 5. c — Prou. 17. c

Peccato remiſſo reſtat agenda pœnitentia.

Multi ſunt puniti poſt datam eis veniam.

Peccato à Deo remiſſo, multis modis puniuntur peccatores.

Ex Gregorio Theologo, in magnum Athanaſium.

Traduntur enim, ſæpè, iuſti in manus impiorum non vt illi honorentur, ſed vt ipſi probentur. Et mali quidem ſunt in morte infami & turpi, vt Iob ait; Irridentur tamen pij in præſentia, quamdiu abſconſa fuerit Dei benignitas, & magna penuria eorum quæ poſteà vtriſque ſunt repoſita, quo tempore & ſermo & actio & cogitatio iuſtis Dei lancibus trutinabitur, quandò ſurrexerit ad iudicandam terram, conſilium & facta congregans, & aperiens ea quæ apud eum obſignata ſeruantur.

Iuſti traduntur in manus impiorũ, vt probentur.

Ex Baſilio, in Regularibus.

Non eſſe vlciſcendum. — Rom. 12. — Heb. 10.

Non eſt bonum, ſeipſum vlciſci; ſed melius eſt, id ad Deum remittere qui pœnam irrogat ijs qui faciunt iniuriam.

iuriam. *Propterea, non vos vlciscentes* (inquit) *sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vindictam & ego retribuam,* A *dicit Dominus:* Christi enim tolerantia, diaboli deiecit audaciam. Non fuit iratus ijs qui illum afficiebant contumelijs, sed tradidit ei qui iustè iudicat; hoc est, accepit iudicium, quòd ad humanã attinet figuram. Propterea enim & Moyses & Dauid; ille quidem fratrem & sororem, hic verò, Semei ferebant, contumelijs & maledictis eos afficientes: sciebat enim, Deum esse Dominum vltionum. Cùm ergo Deus sit lenis & patiens, tu quoque sis patiens & lenis: Cùm autem Christus ferat; oportet etiam sufferre, Christi ministrum; & faciet omninò vindictam in tempore, & consummabit prauitatem peccatorum, & diriget iustum.

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Miserendum est eius qui nos afficit iniuria.

At te iniuria & contumelia affecit, & tibi detraxit pro- B ximus! Eius ergo miserere, & lacrymare, & luge: non enim tu es qui Deum offendisti, sed ille. Cogita quod Christus in crucem agendus, pro se quidem gaudebat, flebat autem pro ijs qui ipsum cruci affigebant. At apud multos te est calumniatus, probrisque & maledictis insectatus! Et quid tum, cùm id sciat Deus qui pœnas est sumpturus, sed non de illis qui audierũt! Nam seipsum statuit materiam & argumẽtum supplicij; vt non solùm de suis proprijs, sed etiam de ijs quę ad te pertinent conuincatur & Deo reddat rationem. Dicit enim Deus:

Luc. 6.

Nolite iudicare, & nõ iudicabimini, In quo enim iudicio iudicaritis, iudicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, metietur vobis:

Matt. 12.

Et, *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij; Nam ex verbis tuis iustificaberis, &*

Rom. 2.

ex verbis tuis condemnaberis: Et Apostolus; *Quamobrem in-* C *excusabilis es ô homo quisquis iudicas.* Quòd si hoc tibi non

Matt. 10.

sufficit; cogita quòd Dominus quoque tuus, à satana & sceleratis hominibus calumnijs est appetitus: Quamobrem dicebat; *Si patremfamilias vocarũt Beelzebub, quantò magis eius domesticos; Nolite ergo eos timere.* Neque verò sceleratus ille dæmon, solùm eum est criminatus, sed etiam fides ei fuit habita. Non autem leuia aliqua, sed vel maxima in eum probra & crimina contorsit: Dixit enim eum esse dæmoniacum, & impostorem, & Dei hostem, & Samaritanum, & natum ex fornicatione.

Cùm Christus dicat; Non, quæ intrant per os, coinquinant hominem: *cur statuerunt Patres ne vesceremur carnibus in sanctis Ieiunijs?*

Quæst. 77. D

Nimius esus & potus coinquinant hominem.

Iob. 40.

Non de cibis hoc dixit Dominus. Nam sciuit quidem quòd nimius esus & potus coinquinant hominem, in ipso excitantes affectiones carnis ad libidinem: Etenim *virtus* satanæ, vt Iob dicit, *est in vmbilico ventris.* Sed quoniam Pharisæi damnârunt Apostolos, vt qui illotis manibus comederent; ad ea respondens Dominus dicit: *Non quidquid per os intrat, coinquinat hominem:* vtpotè sordes manuum quas vos obseruatis, *sed,* peccata *quæ exeunt ex homine, illa coinquinant hominem.* Vnde subiungit, *Illotis*

1. Cor. 10.

autem manibus comedere non coinquinat hominem. Cæterùm *etiam si omnia nobis licent* comedere, *non tamen expedit, omnia,* vt dicit Apostolus, Dicit enim: *Omnia mihi licent,* nempe, & comedere & bibere, *Sed ego in nullius potestatem redigar;* hoc est, non debent mihi dominari cibi & eo- E rum desiderium. Multi enim non hoc attendentes, sed illud aspicientes quod licet hominibus comedere & bibere & ventrem implere, cùm Deus nobis dederit & quæ capiuntur ex terra & quæ ex mari, ad fruendum cibis; à saturitate & voluptate non parum & non leuiter læduntur. De quibus dicit Deus, *Ventri esca, & venter*

1. Cor. 6.

In ieiunio duplex est scopus pietatis.

Abstinentia à carnibus quonam prosit.

escis, Deus autem & eum & eas abolebit. In omni ergo ieiunio, & humi-dormitione, & quę asperè & duriter agitur vita, duo sunt scopi pietatis: Alter quidem, vt cùm ab ijs quæ sunt in hoc mundo iucunda abstinuerit; pro ijs, fruatur bonis futuris: Alter autem, vt cùm humile & deiectum fuerit corpus, humilis quoque sit anima & cogitatio; humili autem effecta anima, facilè cùm cordis

compunctione Deum roget homo, & accipiat condo- A nationem. Si quis autem à carnibus quidem abstinet, alijs autẽ cibis & potibus corpus alit & adipe repletum reddit, tn nihil prodest ieiunium. Sciendum est autem quòd nõ oportet ieiunare octo Hebdomadas in magna quadragesima, vt Ariani qui exuperant numerum quadraginta dierum, quem nobis dedit Dominus, eò quòd addant vnam Hebdomadam, non audientes Moysem dicentem, *Et custodies verbum quod mando tibi,* Ad id nihil addes neque ab eo auferes: Neque Prouerbiorum scriptorem qui dicit, *Non addas verbis eius ne te arguat, & fis mendax:* Neque Baptistam qui dicit,

Quadraginta dierum ieiunium tradidit Christus.

Prou. 30.

Luc. 3.

Gal. 1.

Gen. 2.

Traditiones sunt exactè obseruandæ.

Nolite facere præter id quod est vobis constitutum: Neque Apostolum qui sic habet; *Si ergo aut Angelus è cælo vobis Euangelizet præter id quod Euangelizauimus, sit Anathema.* Sic enim etiã ab initio factum est cùm dixit Deus Ada- B mo; Hoc fac, & hoc ne feceris: Ille vtique, vt qui plus se existimaret inuenturum, non obedijt, & quod habebat perdidit. Non oportet ergo fingere, *Laborẽ ad præceptum:* sed ordinatè procedere in ijs quæ sunt tradita. Si enim sunt ieiunandæ octo Hebdomadæ, non debet ampliùs nominari Quadragesima, sed Quadragesima septima, quæ quidem Quadragesima impletur ad festum Palmarum. Magnam enim Hebdomadam ieiunamus propter Christi Passionem & Pascha, & non propter Quadragesimam: Est enim (vt dictũ est) Hæreticorum hoc dogma non Orthodoxorum. Sicut etiam nonnulli rursus ieiunant Quadragesimam in Sabbato & Dominica, conuenienter dogmati eorum qui dicuntur Eustathiani, qui aliquãdo apparuerunt in Paphlagonia. Sabbatum enim C & dies Dominicus sunt dies sancti & festi, neque licet in eis ieiunare: Nam illud quidem fuit benedictum proptereà quòd Deus cessauit à suis operibus; Hic autem est sanctificatus propter Dei resurrectionem.

Quadragesima completur in festo Palmarum.

Contrà lege, non fuit hæc de eitu Græcanico. Vide Tom. 1. Annalium Eccles. anno Christi 57. cap. 202.

Eustathiani hæretici sunt.

Ex Constitutionibus Apostolicis; Libri 5.

Capit. 12.

Dies festorum Domini custodite. Et primùm quidem Natalem; post quem, Epiphaniam: Deinde Quadragesimam, quæ continet memoriam vitæ à Domino actæ & institutę, & legislatæ. Perficiatur autem ipsum Ieiunium ante ieiunium Paschæ incipiens quidem à die secundo, desinens autem ad Parasceuem. Quos cùm ieiunaueritis, incipite ieiunare sanctam hebdomadam Paschæ pro Iudæis pereuntibus.

Sancta Paschæ hebdomada ieiunanda præsidens per[…] contitiones.

Eiusdem Libri Cap. 14. D

Sic enim præcepit Dominus nobis ieiunare hos sex dies propter Iudæorum iniquitatem, iubens eos lugere propter eorum interitum; Etenim ipse quoque est eis illacrymatus. In diebus autem Paschæ ieiunare incipientes à secundo vsque ad Sabbatum, vtentes solo pane & oleribus & aqua: Sunt enim dies luctus, & non dies festi. Ipsum autem Sabbatum ieiunare oportet, non quòd in eo fuerit cessatio operis, sed quod in eo ieiunare oportet cùm Opifex in eo esset sub terra. Nam in ipso suo festo Dominum comprehenderunt, vt impleretur illud; *Posuit signa sua in medio Festi sui: & non cognouerunt.*

Sabbatum Sanctũ ieiunandum.

Eiusdem Libri. Cap. 17.

Porrò autem Parasceuem & totum Sabbatum ieiu- E nate; si fieri possit nihil gustantes vsque ad nocturnum galli cantum. Si quis autem non possit duos dies simul coniungere, obseruet saltem Sabbatum. De se enim dicit Dominus; *Quando sublatus fuerit in illis diebus ieiunabunt:* In his autem, à nobis fuit sublatus ab iniquis Iudæis, & cruci fuit affixus.

Capit. 18.

Quamobrem vobis quoq; suademus vt eos ieiunetis, sicut & nos ieiunauimus. In reliquis autem diebus ante Parasceuem, ad vesperã comedat vnusquisque, aut quomodò potuerit aliquis, à secundo die vsque ad galli cantum soluentes ieiunium. Illucescente autem vno Sabbatorum, qui est dies Dominicus, à vespera vsque ad galli cantum vigilantes & orantes, & Legem legentes &

Prophetas & Psalmos vsque ad galli cantum. Et cùm à vestro luctu cessaueritis, rogate Deum vt conuertatur Israël, & vt ipse accipiat locum pœnitentiæ & remissionem peccatorum, propterea quòd Iudex aliegena cùm lauisset manus, dixit; *Innocens ego sum à sanguine Iusti huius Vos videritis; Israël autem exclamauit, Sanguis eius super nos & super filios nostros, Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Cùm autē Dominus surrexerit, offerte vestrum sacrificium, de quo vobis per nos constituit dicens; *Hoc facite in mei recordationem*; & cæterò desinite ieiunare, lætantes & diem festū agētes, quoniam arra nostræ resurrectionis Iesus-Christus suscitatus est à mortuis: Et hæc est vobis lex æterna vsque ad consummationem donec ascenderit Dominus Et rursus, à primò Dominico computatis diebus quadraginta, festum agite Assumptionis Domini.

A

Mat. 16.

Sacrificium Christianorum.

Christus suscitatus, est arra nostræ resurrectionis.

Ascensionis dies festus.

Cap. 19.

B

Dies Paschæ, est primus dies Dominicus.

Et post decem dies Assumptionis, qui est dies quinquagesimus à primo Dominico, fit nobis magnum Festum: In eo enim, hora tertia misit ad nos Dominus donum Spiritùs sancti. Et postquàm egeritis diem festum Pentecostes, festum agite vnam hebdomadem, & post illam ieiunate. Aequum est enim & lætari propter donum à Deo missum, & ieiunare post remissionem. Nam & Moyses & Elias ieiunârunt quadraginta dies; & Daniel tres Hebdomadas panem desideriorum non comedit, & caro & vinum non est ingressum in os eius. Post hoc autem ieiunium, omnem diem quartum & Parasceuem iubemus vobis ieiunare; & quòd ex vestro ieiunio reliquum est, suppeditare pauperibus, omni quidem Sabbato præter vnum, & omni die Dominico conuētus peragentes lætari: Erit enim peccato obnoxius qui diem Dominicum ieiunat, vt qui sit dies Resurrectionis, aut Pencostes; aut qui (vt semel dicam) die festo Domini, est tristis: Oportet lætari in ipsis, & non lugere.

Magnum Festum die Pentecostes.

C

Sabbato & die Dominico erat Synaxis.

Ex constitutionum Apostolicarum, Libri 7. Capit. 24.

Ieiunia hypocritarum.

Vestra autem ieiunia non sint cùm hypocritis; Ieiunant enim & secundo, & quinto, & Sabbato. Vos autem ieiunate quinque dies, aut die quarto, & Parasceue; quoniam quarto die aduersus Dominum à Iudæis meditatum est iudicium: In Parasceue autem passus est. Sabbatum autem & diem Dominicum festum agite; quoniam illud quidem est monimentum Creationis, hic vero resurrectionis. Vnum Sabbatum nobis est obseruandum (vt dictum est) in toto anno; nempe Sabbatum Dominicæ sepulturę, quo quidem oportet ieiunare non autem Festum agere.

Cautè legē; nam sunt hæc de ritu græcanico. Vide To. 1. Annalium Eccles. anno. Christi 57. cap. 202.

D

Ex Exodo.

Exod. 23.

Festa tribus anni temporibus.

Et dixit Dominus Moysi, Loquere filijs Israël, dicens: Tria anni tempora mihi custodite. Festum Azymorum in primo Mense, à decimo quarto autem die, septem diebus comedetis Azyma in lactucis agrestibus panem afflictionis: In eo enim egressi estis ex Aegypto. Et numerate vobis à septima hebdomada, septem totos dies quinquaginta, & vocate eum inclytum & sanctum diem. Et secundo Mense, cùm medius est annus, dies Placationis & festi Scenopegiæ, inclytus & sanctus erit vobis, & humiliabitis animas vestras. Omnis autē anima quæ non humiliabitur delebitur de populo suo. Dies autem septem adducite holocausta, in tabernaculis habitent, vt videant generationes vestræ, quod in tabernaculis habitare feci filios Israël dum ego eos educerem è terra Aegypti: Ego Dominus Deus vester. Et vt hîc videtur, apud nos quoque meritò custodiuntur tria Festa, quæ præfigurabant festa illa, & nequaquam suscipientia accessionem numeri ternarij.

E

Ex Constitutionum Apostolicarum Libri 8. Cap. 33. Constitutio Petri & Pauli.

Cautè legēs nam sunt hæc de ritu græcanico. Vide Tom. 1. Annalium Eccles. anno Christi 57. cap. 202.

Ego Petrus & Paulus constituimus vt serui operentur quinque dies, Sabbato autem & die Dominico ocientur in Ecclesia propter doctrinam pietatis. Sabbatum enim dicimus habere rationem Creationis; diem autem Dominicum, resurrectionis. & ea quæ sequitur ocientur quoniam illa quidem est Passionis, hæc verò Resurrectionis, & op⁹ est vt doceatur quis est qui passus est & resurrexit, quis est qui excessit, & quis suscitauit. In assumptione ocientur propter finem dispensationis Christi. Pentecoste ocientur propter aduentum sancti Spiritus. In Natali ocientur, propterea quòd in eo natus est Dei Verbum ex sancta Virgine. In Epiphania ocientur, propterea quòd in eo facta sit ostensio Christi diuinitatis, cùm testimonium ei præbuit Spiritus in baptismate, & Paracletus in specie columbæ indicauit adstātibus eum cui datum est testimoniū. Diebus Apostolorum ocietur; Fuerunt enim vestri ductores ad Christum, & Spiritu sancto nos dignati sunt.

Ascensionis dies festus.

Pentecostes dies festus.

Epiphaniæ dies festus.

Dies Apostolorum sunt festi.

Eiusdem Libri Cap. 34.

Preces autem peragite, manè, & hora tertia, & sexta, & nona, & vesperè, & in galli cantu. Manè quidem, agētes gratias quòd nos Dominus illuminauit abducta nocte & abducto die; Tertia autē, quoniam in ea Pilati sententiā accepit Dominus; Sexta autem, quoniā in ea fuit crucifixus; Nona autem, quoniam omnia mota sunt Domino crucifixo, horrentia audaciam impiorum Iudæorum, nō ferentia Domini contumeliam; Vesperè autem, quoniam diurnorum laborū requiem dedit nobis noctem. In gallorum autem cantu, propterea quòd ea hora anūcietur diei aduentus ad operandum opera lucis. Si fieri non potest vt ad Ecclesiam procedamus propter eos qui sunt malę fidei, domi fiat Synaxis ne ingrediatur pius in Ecclesiam impiorum, Non enim locus hominem sanctificat, sed homo locum. Si ergo impij locum teneant, est fugiendum propterea quòd sit ab eis profanatus: quomodò enim diuini Sacerdotes sanctificant, ita execrandi, polluunt.

Horarum canonicarū institutio & mysteria.

Sinaxis domi fiat si accedi non possit ad Ecclesiam.

Homo sanctificat locum non locus hominem.

Sextæ Synodi Canon. 85.

Salutaris Passionis dies, in ieiunio & oratione & compunctione cordis peragentes, oportet Fideles soluere ieiunium circa medium noctis post magnum Sabbatum diuinis Euangelistis Matthæo & Luca; illo quidem per aduerbium: *Vespere Sabbati*, hoc autem per *Valde diluculo*, indicante nobis breuitatem noctis.

Diebus passionis quando sit soluendum ieiunium.

Leuit. 23.

Ex Leuitico.

Et locutus est Dominus Moysi dicens: In primo Mense, die 14. Mensis circa medium Vespertinorum, Pascha Domino.

Ex Basilio in Regularibus.

Vide ne te decipiat inimicus peccato primi parētis, & te citò eiiciat ex Paradiso deliciarū. Nam qui furto Adamum à vita abstraxit, sperauit autē se etiā Iesum supplantaturū; multò magis non verebitur hoc sciens, tibi quoq; miscere primā malorum causam & potens venenum. Ingluuies ergo Adamum morti tradidit, & in mundum induxit consummationem. Noë autem irridetur, & Cham fuit maledictus. Esaü excidit à primogenitura, & cum Chananeis contrahit matrimonium. Lot fit coniux suarum filiarum, suus gener & socer, pater, maritus, & auus vtrinque, probro & dedecore afficiens Leges naturæ. Ea etiam fecit Israëlem idolorum cultorem, & effecit vt eorum membra caderent in Deserto. Ipsa quoque effecit vt quidam (ad probandum impiorum facinus) à fera deuoraretur, & quem non potuit Hieroboam Rex cum omnibus copiis regijs vlcisci, escam ventris fraude capiens, mortem accepit miserabilem.

Gula quot malorum fuerit causa.

Gen. 3.

Gen. 9.

Gen. 27.

Gen. 19.

Exod. 32.

3 Reg. 13.

Ieiunium in Paradiso, Lege fuit constitutum.

Gen. 3. 4.

Gen. 2.

Ex eodem, in Sermone de ieiunio.

Ieiunium in Paradiso, Lege fuit constitutum. Primum mandatum accepit Adam; *de ligno cognoscendi bonū & malum ne comedatis.* Illud autem *ne comedatis*; Lex est lata de ieiunio & continentia. Si à ligno ieiunasset Eua non opus habuissemus eo, quod nunc est, ieiunio.

Ex Chrysostomo in Interpretatione in Matthæum.

Etenim Adamum ex Paradiso exegit ventris intemperantia, ipsumque effecit Diluuium; & Sodomorum deiecit fulmina. Nam etsi eis etiam crimini datur libido & fornicatio, vtriusque tamen supplicii radix hinc est exorta: quòd quidem Ezechiël quoque tacitè signifi-

Fornicationis radix est gula

Ezech. 16.

[Ezech. 16.] cans, dicebat; *Sed hæc est iniquitas Sodomorum, quòd in panis abundantia & vini copia deliciabantur.* Ita etiam Iudæi ab ebrietate & delicijs impegerunt in impietatem. Propterea Christus ieiunat quadraginta dies, nobis ostendens medicamenta salutis. [Matth. 4.]

Quomodò est intelligendum illud; Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est patri-familias qui expromit ex thesauro suo noua & vetera. [Matth. 13.]

Chrysostomus. *Quæst.* 78.

Scribam dicit, eum qui per laboriosam diuinarum Scripturarum lectionem, sibi recondit thesaurum veteris & noui Testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis. Quamobrem quicunque sunt imperiti diuinarum Scripturarum, non possunt esse patres-familiàs, vt qui neque à se habeant, neque ab alijs accipiant, sed [B] seipsos decipiant pereuntes fame ignorationis. Nam quomodò fieri non potest vt terra non irrigata, etiam si millies in eam deijciantur semina, spicas ferat, ita etiam fieri non potest vt animus diuinis Scripturis non irrigatus, etiã si quispiam mille verba effundat, vllum fructum ostendat. Magnum est ergo malum ignorare Scripturas, & sicut bruta animantia circumferri, Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione Scripturarum. Hinc germinauit magna pestis hæresum: Hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio dæmonis. Quomodò enim qui hac luce sunt priuati, rectà non possunt ingredi: Ita etiam qui diuinis sunt priuati Scripturis, & ad earum radios nõ aspiciunt, sæpè offendunt & coguntur assiduè peccare; vt qui tenebras difficulter probent & examinent. Propterea exhortans Paulus dicebat Timotheo: *Attende lectioni, adhortationi, doctrinæ. Noli negligere quæ in te est gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij, Hæc meditare vt profectus tuus sit manifestus in omnibus, Attende tibi & doctrinæ:* Et, *Mali autem homines & præstigiatores proficient in peius, errantes & in errorem inducti. Tu autem mane in ijs quæ didicisti & quæ tibi sunt credita, sciens à quo didisceris & quod ab infantia sacras Literas noueris quæ te possunt seruare ad salutem quæ est in Christo Iesu, Omnis enim Scriptura à Deo inspirata, est vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad disciplinam quæ est in iustitia, vt perfectus ac integer sit homo Dei, ad omne opus bonum paratus.* Et Moyses Legem ferens dicebat: *Et erunt verba hæc quæ mando tibi hodie, in corde tuo & in anima tua, & proferes ea anima tuæ, magis autem filijs tuis, & inter eos dices sedens in domo, & ambulans in via, & cubans in lecto, & surgens.* Dominus autem præcipiens dicebat: *Scrutamini Scripturas, quoniam in eis vitam æternam habetis, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quamobrem dicit Dauid: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum:* Vnde rogat dicens: *Fac me intelligentem & scrutabor Legem tuam, & custodiam eam in toto corde meo, & in iustificationibus tuis meditabor, Non obliuiscar sermonis tui* Et; *admirabilia testimonia tua, propterea scrutata est anima mea:* Et; *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua super mel ori meo:* Et, *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & suauia super mel & fauum.* Præcepit autem eius quoque filius Salomon, sapientissimus ille, dicens: *Fili, si quæsieris sapientiam tanquam argentum, & tanquam thesaurum exquisieris eam; tunc intelliges timorem Domini, & agnitionem Domini inuenies quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius cognitio & intelligentia:* Et; *si fueris sapiens, tibi eris sapiens & propinquis; Sin autem euaseris malus, solus hauries mala:* Et; *vidi quod sapientia plus est quàm insipientia, sicut lux plus est quàm tenebræ.* Et; *Sapientis oculi sunt in capite eius, & insipientes in tenebris ambulant:* Et; *Sapientia hominis illuminabit vultum eius:* Et; *dixi ergo, Sapientia bona est supra potentiam:* Et; *In maliguam animam non intrabit sapientia neque habitabit in corpore obnoxio peccatis, sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum, & recedet à cogitationibus insipientibus.* Et; *Qui sapientiam & disciplinam aspernatur, est infelix, & vana est spes eius, & labores inutiles, & inutilis finis eius,* Et execrandus est ortus eius. Et; *Honorate sapientiam, vt in æternum regnetis, Quoniam omnium etiam Dominus dilexit eam, est enim mysta Dei scientiæ,* [A] *& inuentrix operum eius, quid autem est sapientia ditius, quæ omnia operatur:* Et; *Si quis diligit iustitiam, labores eius sunt virtutes; Sapientiam enim & prudentiam docet & fortitudinem, quibus nihil est hominibus in vita vtilius, Si quis autem etiam diligit magnam rerum experientiam, nouit prisca, & futura exquirit; Scit strophas verborum, & solutiones ænigmatum, signa & prodigia prænoscit, & euentus temporum.* Similiter autem Sirach quoque dicit: *Deus creauit sapientiam, & suppeditabit eam ijs qui ipsum diligunt,* Et; *si concupisti sapientiam, serua mandata & Deus tibi suppeditabit eam.* Et; *Fili, à iuuentute tua elige disciplinam, & amplius inuenies sapientiam, Tanquàm autem qui arat & qui seminat accede ad eam, & expecta bonos eius fructus, nam in operatione eius parum laborabis & citò comedes genimina eius, quàm valdè est aspera indoctis & non manet in ipsa excors; Sapientia enim secundùm eius nomen, & non est multis manifesta; Audi ergo fili, & excipe meam sententiam, & ne recuses consilium meum, & emitte pedes tuos in compedes eius, & in eius torquem collum tuum, suppone humerum & porta eam, &c.* Atque hæc quidem de vera sapiẽtia & eius alumnis: De falsi autem nominis Sapientia & de eius doctoribus dicit Apostolus; *Sapientia mundi huius, stultitia est apud Deum, Scriptum est enim, Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum;* Et rursus, *Dominus cognoscit cogitationes quod vanæ sunt:* Et; *Perdam sapientiam Sapientum, & intelligentiam intelligentium abolebo; Vbi Sapiens, vbi Scriba, vbi Inquisitor seculi huius? Annon infatuauit Deus Sapientiam mundi huius, quoniam in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam, Deum.* Et; *Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fraudem secundum traditionem hominum,* [C] *secundum elementa mundi.* Similiter autem de ijs quoque dicit Salomon; *Stulti quidem sunt natura quibus adest Dei ignoratio, & ex bonis quæ cernuntur non potuerunt nosse eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt artificem, sed vel ignem, vel spiritum, vel celerem aërem, aut astrorum orbem, aut aquam violentam, aut cœli luminaria, Mundi administratores existimârunt & deos. Etenim ipsi vsque errant quærentes & volentes inuenire, in operibus enim manuum suarum versantes scrutantur. Miseræ autem & in mortuis sunt spes eorum, & cinis est cor ipsorum, & terra vilior est spes eorum, & luto abiectior est vita eorum quoniam ignorârunt eum qui creauit ipsos.*

[Margin notes, left column: Anima Scripturis sacris non irrigata, est similis terræ quæ aqua nõ irrigatur. — Ex ignoratione, Scripturarũ quot oriantur mala. — 1. Tim 4 d — 2. Tim. 3. — Deut 6. — Ioan 5. — Psal. 118. — Ibid. — Psal. 118. — Prou 2. — Prou 9. — Eccl. 2. — Ecl 8. a — Eccl. 9. d — Sap. 1. — Sap 6 d — Sap. 8 a]

[Margin notes, right column: Sap. 7 & 8. — Eccl. 1 d — Eccl. 6. b — 1. Cor. 3 d — 1. Cor. 1. — Coloss 2. — Sap 13. a]

Ex Theologo, in Oratione de grandine.

Quæst. 79.

[D] Sapientia prima est despicere Sapientiam quæ sita est in oratione, & in strophis dictionum, & in non sinceris & superuacaneis oppositionibus: Mihi autem adsit potiùs *verba quinque loqui in Ecclesia cum intelligentia, quàm decies mille verba in lingua,* & voce non significante. Ego hanc laudo sapientiam, ego hanc amplectori per quam ignobiles gloria sunt affecti, & in qua sunt in honore Prælati qui in nullo sunt pretio cum qua vniuersum Orbem terræ Euangelij vinculis irretierunt, consummato & conciso verbo victa quæ abolebatur sapientia. Non enim qui in verbis est sapiens, is est mihi sapiens: Neque qui linguam quidem habet volubilem, animam autem ineruditam non secus atque sepulchra quæ extrinsecùs quidem sunt pulchra intus autem sunt plena putridis cadaueribus, & plurimum tegunt fœtorem; sed [E] qui pauca quidem loquitur de virtute, multa autem ijs quæ operatur ostendit, & per vitam efficit vt fides habeatur verbis. Mihi enim est præstantior formæ pulchritudo quæ cernitur; quàm quæ sermone depingitur, & quæ tenetur manibus, quàm quæ fingunt somnia, & sapientia non quæ verbis respondet, sed quæ per facta probatur: *Intelligentia enim bona est omnibus facientibus eam;* Non autem prædicantibus.

[Margin notes: Sapientia primo- rum. — 1. Cor. 14 d. — Sapiens est qui pauca de virtute loquitur, sed multa præclara facit opera. — Psal 110. — Palam edet multa non verbis tenuior.]

Ex eodem in Inuectiuas in Iulianum.

Tuum ne est Græco sermone vaidic mihi? Quid verò? annon sunt literæ Phœnicum; vt autem dicunt nonnulli, Ægyptiorum, aut qui in ijs sunt sapientiores, Hebræorum qui credunt Legem à Deo fuisse datam in Tabulis ab eo descriptis? Tuum est vti lingua Attica?

Numerare autem & digitis supputare, mensuræ quæ & trutinæ? annon Eubœorum? siquidem Eubœus erat Palamedes rerum multarum inuentor, & ideò inuidiosus! Tua ne Poëmata? Quid verò? annon potiùs illius Vetulæ, quæ cùm à quodam (vt fertur) in humero esset pulsata, vehementi eius impetui insultans & indignans, versum est effata; Hic verò cùm valde placuisset Adolescenti, & diligentiùs eum esset dimensus, hanc tuam admirabilem poësim est fabricatus! Hoc ipsum autem mysterijs initiari, & sacris vti Threicijs; annon à Thracibus? Et hoc tibi ipsum persuadeat vocabulum. Sacrificare autem, annon à Chaldæis, aut Cyprijs? Astronomia autem, annon Babyloniorum? Geometria autem, annon Ægyptiorum? Magia autem, non Persarum? Per somnia autem diuinationem, quorumnam esse audis quam Telmisensium? Augurandi autem peritiam, quorumnam aliorum esse dicis quam Phrygum qui primi curiosè scrutati sunt auium volatus & motus? Et ne sim nimis prolixus dicendo, vnde sunt singula? Annon vnum ex singulis; quæ omnia cum conuenissent, constitit vnum mysterium Superstitionis & impiæ religionis? Quid ergo? admittemus ne vt cùm omnes recesserint ad primos Inuentores; nihil nostrum habeamus præter vitium, & hanc de Deo nouitatem? Vis enim dicendi bonis quidem est armatura virtutis, improbis autem, est stimulus vitij.

Poëma inuentum à vetula quadam.

Artes omnes & Sacrificia, non Græcorũ sed Barbarorum sunt inuenta.

Ars dicendi bonis & armatura virtutis, malis stimulus vitij.

Ex Basilio, in initium Prouerbiorum.

Non oportet se ad quaslibet conferre Disciplinas; sed vtilissimam nosse disciplinam non parum facit ad salutem: Nonnulli enim vel Geometriæ vacantes quam inuenerunt Ægyptij, aut Astrologiæ quæ in honore fuit apud Chaldæos, aut (vt semel dicam) in figura & vmbra & rerum in aëre sublimium speculatione versantes, diuinorum eloquiorum eruditionem despexerunt. Sed & poëtica & Rhetorica, & Sophismatum inuentio multos occupatos tenuerunt, quorum materia est mendacium. Neque enim poëtica consistere potest absque Fabula, Neque Rhetorica absque arte dicendi, Neque Sophistica absq; Paralogismis. Quoniam ergo multi propter studium quòd in ijs ponunt, neglexerunt Dei cognitionem in rebus vanis scrutandis consenescentes; Necessaria est disciplinę agnitio, & ad vtilem eligendam disciplinam, & ad effugiendam inutilem & noxiam Sophisticam.

Disciplinam tur nosse sit vtile.

Poësis consistere nõ potest absque fabula.

Ex Constitutionibus Apostolicis, 1. Libri. Capit. 6.

Ab ethnicis libris omnibus abstine. Quid enim tibi rei est cum libris alienis aut legibus aut Pseudoprophetis, qui etiam leuiores euertunt à fide? Quid enim tibi deest in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas te cõferas? Nam siue velis persequi historias, habes libros regum; Siue Sophisticam & Poëticam, habes Prophetas, Iob, & Prouerbiorum Scriptorem, in quibus maiorem inuenies subtilitatem solertiam & acumen quàm cuiusuis Poësis & Sophisticæ, quoniam Domini qui solus est sapiens, sunt effata: Siue desideres Cantica, habes Psalmos, Siue antiquitatem, habes Genesim, Siue legitima præcepta, habes gloriosam Domini Dei Legem: Ab omnibus ergo alienis & diabolicis fortiter abstine.

A gentilium libris abstinẽdum.

Scriptura sacra sufficit pro omnibus scripturis gentilium.

Ex Eusebio, de prisca Historia.

Quoniam Græci quoque se sapientiam habere profitentur, heretici autem existimant se habere disciplinam; propterea docet Salomon veram sapientiam & disciplinam, ne propter sapientiæ nominis conuenientiam (homonymiam, inquam) incidat quispiam in Sophismata Græcorum & Hæresum. Nam Græci quidem, *Sapientes se esse dicentes sunt infatuati*. Hæretici autem putantes se esse eruditos, auersi sunt: Diuinis autem auditis eloquijs, *Sapiens erit sapientior*.

Rom. 1.

Prou. 1. 4.

Nam cùm Dei Leges audierit, & eas custodierit, & disciplinam Domini non despexerit, nec ab ea quidem dissoluetur: *Filius enim eruditus laudabitur*, Sapiens autem & eruditus, citò etiam suscipiet Dei cognitionem. Nam quoniam ex Græcis alij quidem Deum corpus esse dixerunt, alij autem eum etiam simulachris assimularunt; Hæretici autem ipsi quoque de eo perperàm senserunt: propterea veram de Deo cognitionem, & itidem eius prouidentiam exponit Salomon, dicens: *In omni loco, oculi Domini considerant malos & bonos*. Cæterùm de moribus quoque maiorem curam gessit, & alia quidem plurima suadens & præcipiens; Præcipuè autem de disciplinis, nempè quòd animum magis affligunt & conterunt quàm iuuant, dicens; *Ne festina in ore tuo, & cor tuum ne properet efferre sermonem à facie Dei, quoniam Deus est in cœlo sursum & in terra deorsum; Propterea sint verba tua pauca, Sunt enim multa verba multiplicantia vanitatem*: Ea, nimium studium & discendi desiderium est noxium vt docet dicens; *Ne sis nimium iustus*.

Eccl. 30.

Dei veram cognitionem docet Salomon.

Prou. 15.

Eccl. 5.

Etenim *iustus qui perit in iustitia sua*, significat etiam quonam modo ex abundantia aggressus esse sapiens vel potiùs Sophistam agere; impingit in impietatem & nos seducit vt attendamus ne in idipsum incidamus, dicens, *Ne sis sapiens in rebus superfluis, ne si quando declinaueris fit impius*. Dicit etiam de lubricitate erga mulieres: *Inueni amarius supra mortem, impudentem mulierem quæ est captio & sagena cordis*. Porrò autem ostendit etiam humanam naturam non posse consequi accuratam & exactam vniuersorum comprehensionem, dicens: *Vidi vniuersa Dei opera, quòd homo ea non poterit inuenire*: Et, *Vanissimum opus eorum quæ sunt sub Sole, Quæcunque laborauerit homo vt quærat non inueniet*.

Eccl. 7.

Iustitia & Sapientia nimia inducit impietatem.

Eccl. 7. Ibid.d.

Comprehendere nemo potest omnia.

Eccl. 8.

Ex Maximo in Regularibus capitibus.

Pulchra est cognitio, natura, sicut & sanitas & diuitiæ, sed contraria, pluribus quàm hæc profuerunt: Malis enim non rectè cedit cognitio, & etiam si sit bona, vt dictum est, natura. Similiter autem neque sanitas, neque diuitiæ, neque lætitia, neque gloria, Neque enim ijs vtiliter vtitur: vnde dicit; *Insipienti non conferunt diuitiæ*: Eis ergo eueniunt contraria.

Malè vtentibus scientia & quæ bona dicuntur malè cadunt.

Prou. 17.

Ex Isidoro in Epistolis: Timotheo Lectori, Epistola. 322.

Quomodò non est tutum vt cum viro pugnace ingrediatur is qui caret ædibus, ita non est facile cum indocto mouere verba doctrinæ: nam ille omnibus vtetur viribus in solitudine, si quidquam non ei gratum dictum aut factum fuerit; hic autem, nisi omnia dicantur ad eius imperitiam, declinat totius Orbis terræ & sermones Philosophicos & ex virtute actiones; Solet enim magna ex parte audax esse & virilis ignoratio.

Cum indocto, de doctrina non est loquendum.

Ignorantia est audax.

Quomodo est intelligendum illud; Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei, *Quæst. 79.*

Mat. 19. b.

Ex Chrysostomo.

Non membrorum dicit abscissionem; absit, sed malorum cogitationum, ablationem. Nam qui membrum quidem abscindit, est obnoxius execrationi, sicut dicit Paulus: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant*. Is enim ea audet quæ sunt homicidarum, & dat maledicendi materiam & occasionem ijs qui calumniantur Dei creationem, & ora aperit Manichæorũ; & eadem admittit scelera, quæ qui apud Gentes mẽbrorum extrema execant. Membra enim excindere, fuit ab initio opus dæmoniacæ operationis & insidiarũ satanæ, vt Dei opus calumniarentur, vt hoc animal mutilaretur, vt non libero arbitrio sed membrorum naturæ totum tribuentes, de cæterò securè peccarent miseri, vt qui reddendæ rationi non essent obnoxij. Hoc autem Lege sanxit diabolus vt & Fatum introduceret, & nobis à Deo datam libertatem tolleret, & naturalia esse mala persuaderet, & eorum præterea naturam corrumperet & mentem. Talia sunt diaboli venena. Propterea oro vos vt hoc scelus fugiatis; Nam postquàm membra exciderint, neque cupiditatis, neque mens est ex eo minor, sed etiam fit grauior & molestior. Tu ergo Deo age gratias, etiam

Gal. 5.

Membra qui amputat, & cæde est reus, & de Dei creatura detrahit.

Membrorum amputatio, est Demoniacæ operationis.

Membris abscissis, grauior manet cupiditas.

etiam sit grauior & molestior. Tu ergo Deo age gratias, quòd cum mercede & coronis tu illa sustines, quę absq; coronis ij qui sunt castrati ex hominibus.

Ex Epiphanio, in ijs quæ scripsit aduersus Valesios qui seipsos castrabant.

Qui se castrant, nec sunt viri nec fœminæ.

Qui autem ad hoc opus quod est in promptu, sunt audaces, hi se ab omnibus resciderunt & abalienarunt: Neque enim sunt amplius viri propter id quod est ablatum; neq; fœminæ propter id quod est præter naturam. Præuenit autem cognomen, coronam quoque huius certaminis & præmium; Neutri enim esse apparebunt isti ex tribus Ordinibus Eunuchorum qui dicti sunt à Domino. *Sunt* enim (inquit) *Eunuchi qui sic nati sunt ex Vtero matris*: In illos verò non confertur culpa suæ castrationis, neque vllam accipiunt mercedem propterea quòd sic nati sunt: Neque rursus habent peccatum, vt qui non possint agere quæ sunt virorum, priuati ijs instrumentis quę Deus dedit ad procreandos liberos: Sed neque mercedem habent castrationis, regnū cœlorum, propterea quòd certamini non sunt initiati. Quod si etiam sint initiati concupiscētijs, cùm non possint agere quæ non sunt agenda, & non agant, mercedem non habent: Non enim non agunt propterea quòd nolint, sed propterea quod non possint. Atque est hæc quidem prima ratio & institutio castrationis quam dixit Dominus.

Eunuchi nati.

Matth. 19.

Eunuchi castrati ab hominibus.

Et sunt, inquit, *Eunuchi qui castrati sunt ab hominibus.* Nempe qui castrati sunt ab hominibus ad vsum Regū aut Principum: Volentes enim quidam ex Barbaris Reges aut Principes, propter zelotypiam aut suarum vxorum suspicionem, pueros adhuc valde teneros castrant, vt cùm ad virilem ætatem peruenerint, eorum fidei suas cōmittant vxores. Et hæc in Mundo huius rei (nempe castrationis) fuit causa. Vnde arbitror fortè appellari Eunuchos ἀπὸ τοῦ εὐνοεῖν; ex eò quòd bonæ mentis aut beneuoli esse possint ablatis membris, & cōmissione corporum non affricari, vt quibus adempta sunt instrumenta. *Et sunt*, inquit, *Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei*: Ij autem sunt præclari Apostoli, & qui deinceps fuerunt virgines & Monachi; Ioannes quidem & Iacobus filij Zebedæi, qui manserunt in virginitate & neque ab hominibus sunt castrati neque coniuncti matrimonio, sed aduersus carnem mirabilis peracto certamine, huius castrationis gloriam & coronam retulerunt. Post ipsos autem quotquot millia in mundo monasticam vitam agentia & virginitatem exercentia eandem acceperunt mercedem, qui quidē cum mulierum corporibus non sunt commixti, sed in perfectissimo certamine decertārunt, sicut Elias & Daniel in veteri Testamento, & alij multi. Sed sciendum est quòd nefarium pessimæ castrationis opus qui patiuntur aut faciunt miseri, neque vllam habent mercedem aut gratiam propterea quòd ab eo vsu abstineant: Vnum autem & idem ambo subibunt iudicium, ille quidem, vt qui se ipsum mutilārit & iniuria affecerit; hic autem, vt qui corrūpat proximum: Dei enim operi & suæ animæ, se ostenderunt insidiati. Maiori autem tenebitur libidine & cupiditate is qui est eiusmodi, & præterea euertetur & natura & mente. Etenim apud sapientem is reputatur non abstinere à cupiditate & libidine, sed eā non posse implere. Dicit enim? *Cupiditas Eunuchi deuirginans adolescentulam, est sicut bona effusa in ore clauso, aut escæ appositæ in sepulchro, aut oblatis idolo, Neque enim comedit, neque odoratur, Sic Eunuchus amplectens Virginem & suspirans.* Salomon autem reprimens eorum turpitudinem, dicit, *Beatus Eunuchus qui non operatur in manu scelus, neque cogitat mala aduersus Dominum.* Iniqua ergo & dæmoniaca est eiusdem operatio & lex, & Lege Dei reijcienda & ei aduersa: Legem enim ferens dicebat Dominus: *Non intrabit, qui est tractis testiculis, aut qui est excisus, in Ecclesiam, ad tertiam aut quartam generationem*: Et, dans præceptum de sacrificijs dicit, *Eunuchi contusi sunt testiculis, aut qui est excisus, ad altare non adducetur Domino, quoniam ei inest macula, & non admittetur.*

Eunuchi qui se castrārūt propter regnum Dei, sunt Virgines.

Maior est libido castratis quam cuiquam non est exsectus.

Eccl. 30.

Sap. 3.

Deut. 23.

Leuit. 22.

Ex Theologo.

Eos qui sunt viri inter mulieres, & mulieres inter viros, qui cùm more naturali non possunt libidinari, lingua scortantur.

Castrati sunt viri inter mulieres, & mulieres inter viros.

Ex Isidori Epistolis: Nilo Diacono, Epistolarum. Libri 3. Epistola 66.

Venantur enim & alliciunt per fucum & ornatus elegantiam, viri quidem, mulieres, mulieres autem & Androgini, viros.

Ex sancto Basilio, In Epistola ad Simplician.

Excitasti nobis lacertas & rubetas verna animantia, sed tamen immunda. Quòd si etiam opus est testibus, non stabunt serui, neque genus Eunuchorum infame & perniciosum: hoc (inquam) hoc genus nō fœmineum, sed effœminatum, in mulieres infamens inuidum, mala mercede conductum, mutabile, incommunicabile, omnia accipiens, insatiabile, cœnam deplorans, iracundum insano auri amore laborans, sæuum, fœmininum, ventri seruiens. Et quid opus est aliud dicere? Cùm ipso ortu, ad ferrum, damnatum. Quomodò enim potest mens eorum esse recta, quorum contorti sunt pedes? Isti ergo sine mercede quidem sunt moderati & temperātes per ferrum, sine fructu autem insaniunt propter suam turpitudinem. Non stabunt isti testes iudicij, sed oculis iustorum & aspectus virorum.

Eunuchorum infame genus.

Ex eodem, De Virginitate.

Qui ergo ex vtero matris Eunuchus est, natura temperans, nullum potest proprium suum opus ostendere in virginitatis pulchritudine, vt qui quadam naturę dote non autem affectione ad virginitatem, abhorreant nuptias, Vt qui est etiam castratus ab hominibus, volens exercere virginitatem, non præclarum ac perfectum exercet opus virginitatis, sed eximiū opus castrationis. Qui autem per continentiam & exercitationem exercet bonum virginitatis, proprijs & non alienis factis in regno gloriatur. Qui autem non intelligentes illud; *Et sunt Eunuchi qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum*, seipsos nefariè mutilarunt, ipso facto eminùs accusant intemperantiam. Qui enim carnalis amoris arma abiecerunt, ne (si adsint) operentur, apertè ostendunt quòd coitum quidem appetunt, sed cùm seipsos exanimauerint, non eò quòd velint sed eò quod non possint, sunt virgines. Nam aduersus eorum intemperantiam eminùs clamant tentati, quod post exsectionem fiunt intemperantiores & magis seruiunt voluptati: sed cùm nefariè abiciderunt materiā operationis, incontinenter liberè feruntur ad coniunctiones. Qui quidem etiam si miseris vinum non attulerint, iudicantur tamen tanquā qui attulerint: non enim factum, sed voluntatem lex iudicat. Non ergo conuenit vt isti indiscriminatim simul congregentur cū virginibus, quoniam intemperantia ab omnibus aduersus ipsum initetur & corrumpitur: Nam etsi est Eunuchus; est tamen vir, natura. Quomodò enim bos producens cornua, si ea illi abscissa fuerint; non ablatione cornuum factus est equus, sed est adhuc bos; ita etiam masculus abscissis omnibus partibus genitalibus, earum ablatione non factus est mulier, sed est adhuc masculus (etsi non habeat genitalia) & mancipatus cupiditati ac libidini: vnde vehementi tractus furore & incitatus ad coniunctionem, etiam si non corruperit illa parte in qua molestus est miseræ; ipse tamē tanquàm qui ea corrupta impleuerit libidinē, ita visione est affectus. Illam autem ad peccatum acriùs irritans, totam quidem mētem corrumpit, corpus autem veluti quodam œstro percitum stimulat ad actū corruptionis: Quamobrem sæpè etiam dentibus (vt audiuimus) vtuntur, feruentem in carne coitùs rabiem morsibus celeratè ostendentes. Non ergo ob temperantiam laudare oportet eos qui genitalia membra sibi amputant: Neque enim equos laudamus vt qui cornu nō petant, sed laudabimus si non ita petant calcibus: Boues autem si non petant cornibus, laudabimus ob mansuetudinem. Non enim in eo quod non potest aliquis, sed in eo quod cùm potest, potestate

Eunuchus ex vtero matris.

Castratus hominibus nō exercet opus castitatis sed castrationis.

Matt. 18.

Vere Eunuchi sunt virgines.

Lex, non factum sed voluntatem iudicat.

Eunuchus est vir, natura.

Castratorum quanta sit libido.

Laudatur qui eo quod potest non vtitur ad intemperantiam.

non vtitur ad iniustitiā, habetur in admiratione. Quòd si existimant genitalium exsectionem conferre ad hoc vt non peccet anima; excindant etiam oculos, & linguam, & manus, & pedes, & aures obturent, vt nullum eorum sit instrumentum peccati, vt suspicantur. Sed hæc quidem dicta sunt de ijs quibus simul cum testibus exsecta sunt tota membra genitalia. Eis autem qui solos testes sibi execuerunt, accidit vt acriori atque adeò intolerabili œstro libidinis incitentur ad coitum; neque solùm vt libidinis œstro incitentur, sed etiam (vt eis videtur) citra periculum corrumpant eas in quas inciderint. Dicunt enim quòd infernè exsectis testibus qui sunt ministri seminis à lumbo & renibus, post exsectionem madent & intumescūt superiores meatus: feruente autem in renibus libidine tanquàm œstro quodam vir incitatur ad deiectionē seminis, æstuans autem, semen non valens effundere, eo quidem armatur quod sibi seruauit ad concubitum & actum nefarium. Testiculorum autem castratione veluti esca quadam effecta, stultę mulieri in eius fraudem coït intemperantiùs. Nam qui est vir secundùm naturam, cùm testes semen supernè acceperint, & ad sationē inde transmiserint; deinceps eiecto semine, difflata ac dissipata cupiditate flaccescit: Ille autem cùm non habeat vndè quod eum titillat, exinaniat; vix remittit tentiginem, donec eam rabie percitam & furentem dissoluerit.

Castrati quibus sunt execti soli testes, citra periculū luxuriantur.

Quomodò sit intelligendum illud; Videte ne scandalizetis vnum ex his pusillis.

Ex Basilio, In regularibus. Quæst. 80.

Matth. 18. Scandalizat quidem quispiam alium, vel verbo vel facto alium ad scelus inducens: vt Serpens, Euam; & Eua, Adamum: aut prohibens facere voluntatem Dei, vt Petrus cùm dixit Domino; *Propitius esto tibi Domine, non erit hoc tibi*; Et audijt, *Vade retro satana, non sapis quæ Dei sunt sed quæ sunt hominum*: aut ædificans eius qui est infirmus sensum, in ijs quæ sunt prohibita, vt dicit Apostolus: *Si quis viderit te qui habes scientiam, in idolio recumbentem, non conscientia ipsius; cùm sit infirmus, ædificabitur ad vescendum idolothytis?* Quibus subiungit: *Quamobrem si cibus scandalizat fratrem meum, non comedam carnem in æternum, ne scandalizem fratrem meum.* Fit autem scandalum pluribus de causis. Aut enim est scandalum ex eo qui scandalizat; aut accidit vt fiat scandalum ex eo qui scandalizatur. Et in his rursus diuersis modis: Nam aliquando quidem per malitiam; Aliquando verò per imperitiam, aut huius aut illius. Nonnunquàm autē in recta tractatione verbi, eorum qui scandalizantur est malitia manifestior: Similiter quoque in rebus. Aut enim aliquo faciente Dei mandatum, aut in ijs quę sunt in potestate, posita; si quis vtatur ad iniustitiam, scandalizatur. Quando ergo offenduntur homines & scandalizantur, vt Pharisæi in verbo Domini de ijs respondentis quando accedentes discipuli dixerunt ei: *Scis quod Pharisæi audientes sermonem fuerunt scandalizati? quibus dixit, Omnis plantatio quam non plantauerit Pater meus cœlestis eradicabitur.* Quando autem ob ea quæsita quæ sunt in nostra potestate offenditur aut scandalizatur aliquis, tunc oportet reminisci verborum quæ Dominus dixit Petro: *Annon liberi sunt filij? Ne autem eos scandalizem, vade ad mare & iace rete, &c.* Et eorum quæ dixit Apostolus; *Bonum est non comedere carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur.*

Scandalizare aliquem, quis dicatur. *Mat. 16.* *1. Cor. 8.* *Scandalum, aliud datum aliud acceptū.* *Mat. 15. b.* *Mat. 17. d.* *1 Cor. 8.*

Matth 5. *Quomodò intelligatur*; Si quis te angariauerit vnum miliare, vade cum eo alia duo: *Quæst.* 81.

Dicente Apostolo, *Omnia probantes quod bonum est tenete, Ab omni specie mali abstinete*: Et; *Cogitationes, destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus cognitionem Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intelligentiam ad obedientiam Christi*: Est perspicuum quòd si quid nobis iubeatur quod concurrat aut conferatur cum mandato Dei, tanquàm Dei voluntatem studiosè & diligenter id oportet suscipere, implentes id quod dictum est; *Se inuicem sustinentes in charitate Christi.* Si quid autem ab aliquo iussum fuerit contrarium mandato Domini, au. ipsum corrumpens aut inquinans; tunc tempus est dicendi, *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*; recordantes Domini dicentis, Alienum autem non sequuntur sed ab eo fugiunt, quoniam non nôrunt vocem alienorum.

1. Thess. 5. *2. Cor. 10. b* *Eph. 4. 4.* *Act. 5 e.* *Ioh. 10. a.*

Quomodò est intelligendum illud? Nolite esse soliciti quid comedatis aut quid bibatis, aut quid induamini. *Quæst.* 82. *Matth. 6.*

Ipsum mandatum, docet, in seipso non confidere sed in Deo. Nam cùm prohibuisset Dominus solicitudinē, adiungit promissionem dicens: *Scit enim Pater vester quibus opus habeatis, priusquàm vos ab eo petatis.* Talis erat Apostolus dicens: *Responsum mortis habuimus, ne simus confidentes in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos.* Tali proposito & instituto fert opem, in Dei præcepta ardens studium & insatiabile desiderium: quo qui tenetur, ei ne vacat quidem erigere animum ad ea quæ sunt vsui corpori.

Non in se cōfidendum, sed in Deo. *Matth. 6.* *2. Cor. 1.*

Quomodò est intelligendum illud; Nolite iudicare & non iudicabimini? *Quæst.* 83. *Matth. 7.*

Cùm Dominus aliquando quidem dicat; *Nolite iudicare & non iudicabimini*; aliquando autem, *Iustum iudicium iudicare*: non prohibemur omnino iudicare, sed erudimur nosse differentiam iudicij. Quamobrem si est quidem aliquid incertum & non manifestum, non oportet iudicare fratrem, sicut dicit Apostolus; *De talibus ne iudiceris ante tempus donec venerit Dominus, & illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Dei autem defendere iudicia, est necessitas ineuitabilis, ne Dei irā simul acquiras; Dicit enim, *Peccatorem coram omnibus argue*: Nisi quis eadem faciens quæ is qui accusatur, non possit liberè Fratrem iudicare, Dicit enim Dominus, *Eijce primùm trabem ex oculo tuo, & tunc aspicies eijcere festucam ex oculo Fratris tui.*

Io. 7. *Non est iudicandum de occultis.* *1. Tim. 5.* *Matth. 7.* *Luc. 6.*

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Multi ex insipientibus secularibus hoc solent præcipuè facere aduersus Monachos. Quando viderint aliquem ex Monachis habere aliquid superuacaneum, ei Legem obijciunt Dominicam, cùm ipsi innumerabilia vsurpent & possideant. Et si viderint eum sumere alimentum paulò latiùs & copiosiùs, sunt acres eorum accusatores, cùm ipsi quotidie inebriētur & crapulentur: nescientes quòd cùm proprijs peccatis maiorem ignem hinc sibi cōgregent, etiam se priuant omni defensione: Vnde subiungit Dominus dicens? *Quid vides festucam in oculo Fratris tui, in tuo autem oculo trabem non animaduertis?*

Monachorū maligna & iniqua reprehensio à secularibus. *Matth. 7.* *Matth. 25.*

Quod est Talentum quod malo seruo ablaturus est Dominus, & ei daturus qui rectè fuerit operatus? Quæst. 84.

Existimo Talentorum parabolam dictam esse de omni dono Dei; vt singuli, quam gratiam à Deo habere didicerint, eam multiplicent ad operationem & vtilitatem plurimorum: nemo enim est qui non sit particeps Dei gratiæ. Quamobrem qui qualemcumque Dei gratiam possederit ad solum suum vsum, & non etiam alijs benefecerit, condemnabitur, vt qui Talentum abscon derit.

Talentum, Dei gratiam significat. *Gratia Dei alicui data, ad aliorum vsum cōferenda est.*

Ex Basilio, de sancto Spiritu.

Nam *in splendoribus sanctorum multæ sunt Mansiones apud Patrem*, hoc est, differentiæ dignitatum: Nam *vt stella à stella differt in gloria, ita etiam resurrectio mortuorum.* Qui sunt ergo obsignati sancto Spiritu in diem redemptionis, & quas acceperunt, sancti Spiritus primitias integras & nulli reprehensioni affines conseruauerunt, audient, *Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, in multis te constituam.* Similiter & qui sanctum Spiritum studiorum suorum improbitate & nequitia contristarunt, & non sunt operati, etiam dato quod acceperunt priuabuntur, ad alios translata gratia: aut, vt sunt verba alterius Euangelistæ: *diuidentur,* hoc

Ps. 109. *Ioh. 14.* *Variæ Mansiones Regno cælestis quæ sint.* *1. Cor. 15.* *Matth. 25.* *Gratiam datam qui non exercent, ea priuantur.* *Luc. 19.*

hoc est, omnino abalienabuntur à sancto Spiritu. Nam nunc quidem est non commistus cum indignis, A videtur tamen quodammodò adesse ijs qui semel sunt obsignati, & ex conuersione suam expectant salutem, nunc autem exscindetur omnino ab anima quæ eis profanauit gratiam.

Math. 24.

Quomodo est intelligendum; Orate ne fuga vestra fiat hyeme aut Sabbato? *Quæst.* 5.

Psal. 73. *In hyeme esse quid sit.* *In Sabbato esse quid sit.*

Notandum est quòd Deus non fecit hyemen: scriptum est enim, *Aestatem & ver tu formasti.* In hyeme autem sumus, quando carnis perturbationes nobis dominantur: Et in Sabbato, quando vitam nostram tradimus otio: Dicit itaque, *Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem.*

Quomodò est intelligendum, illud, Duo erunt in agro? *Quæst.* 86.

B

Ex sancto Ephraim, de Iudicio.

Math. 24.

Audiuisti quòd lectum est; *Duo erunt in agro:* vnus assumitur & alter dimittitur, & duæ molentes in pistrino, vna assumitur & altera dimittitur, & duo super tectum, & quæ deinceps sequuntur. Et qui *sunt* quidem *super tectum*, sunt iudices qui sunt in alto, & Duces & Reges & Principes: Est enim iustus iudex, est & iniustus. Sunt autem duces populi, Ecclesiæ ministri, Et iustus quidem assumitur ex igne, iniustus autem in igne dimittitur. Qui autem sunt in agro, in hoc mundo scilicet, sunt rustici & idiotæ: Et sunt quidem paucissimi qui sunt clari genere & diuitijs, plurimi verò inglorij & ignobiles. Et ex ijs, alij sunt quidē iusti, alij verò iniusti, & iusti quidem assumuntur, iniusti verò dimittuntur in C igne. Quæ molunt autem, sunt multitudo mulierum, Inter quas sunt etiam animæ quibus obtigit iugum seruile, & vt vitam peragant in imbecillitate: Sunt enim mulieres iustæ, & sunt iniustæ. Sunt imbecilli iusti, vt Iob & Lazarus; & sunt iniusti, vt Cain, & Giezi: Sunt & serui iusti, & sunt iniusti. Vnde dicit, *Duo erunt in lecto infirmitatis*, subindicās quòd iusti assumuntur, & iniusti dimittuntur. Quomodò autem iusti assumuntur, dicat

1. Th. 4. d.

Paulus: *Qui viuunt, cum Domino rapientur in aerem, & semper erunt cum Domino.* Quomodò autem dimittuntur iniusti?

Math. 24.

Congregabunt Angeli, electos quidem *ex quatuor ventis, impios autem exurent igne inextinguibili.* Ne ergo existimes in lignis futurum ignem inextinguibilem puni-

Mar. 9. e.

tionis, neque lictores aliquos qui accendant, vt nugæ D multorum existimant, sed aspice ad Sodoma & vide fornacem absque lignis? cogita lapsum vxoris Lot, & mirare minas ignis: Simul enim erat Lot & vxor, & duæ filiæ; Et neque Lot fuit combustus cum suis filiabus, neque eius vxor effugit minas ignis, sed iustitia vnūquemque suæ sorti tradidit. Sic etiam in iudicio, iusti quidam assumuntur, sicut Lot; iniusti autem dimittuntur, sicut eius vxor.

Gen. 19. e. *Iustitia tradit vnūquemque suæ sorti.*

Quomodò Latro ante resurrectionem ingressus est Paradisum? *Quæst.* 87.

Luc. 23. *1. Cor. 15.*

Qui corporum negant resurrectionem, obijciunt illud, *Hodie mecum eris in Paradiso;* dicentes quòd sine corporibus, animæ recipiunt remunerationes. Ingressus est enim (inquiunt) Latro in Paradisum non cum corpore. E An verò quando oportebat quidem certare, plus sudoris accepit corpus; quando autem tempus est coronarum sola coronatur anima? Non audis Paulum dicentem, *Oportet nos sisti ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque quæ gessit per corpus;* Et, *Oportet mortale hoc induere immortalitatem.* De eo ergo quod futurum est absque vlla contradictione, dixit Dominus latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, sicut etiam dicit alibi, *Qui non credit, iam iudicatus est.* At qui nondum est resurrectio neque punitio, quomodò ergo iam est iudicatus: peccato, omnino. Et rursus: *Qui credit in Filium*, trāsijt à morte ad vitam. Non dixit, *Transibit;* sed, *transijt* de ijs quæ sine contradictione euentura sunt, tanquàm factis, dicit: Ita etiam prædixit latroni quod omninò erat futurum. Etenim Iudæi quando viderint aliquem deploratum, dicunt eum iam esse mortuum, & esse cadauer; licet eum videant adhuc spirantem: & quomodò ille non habet spem salutis, & mortuus est medicis, ita etiam latro quoniam non amplius expectabat reditum ad interitum, ingressus est Paradisum sententia; non, experientia. Ita etiam Adam audiuit, *Quo autem die comederitis ex ligno morte moriemini.* Quid igitur? comedit, & mortuus nequaquam, vixit enim annos nongētos & triginta post illum diem Quomodo ergo dixit Deus, *Ipso die moriemini*, Sententia non experientia, ita mihi intellige & de latrone, propterea quod nondum est tempus operum remunerationis. Dicit enim Apostolus de iustis: *Et iusti testimonium assecuti per fidem, non acceperunt promissionem cum Deus pro nobis melius prospexisset, ne sine nobis consumantur.*

Caute lege hanc 87. quæstionem; nam abrupte Auctor videtur in illum errorem, Animas ante vniuersalem corporum resurrectionem, non admitti ad beatitudinem, nisi forsan de plenissima & consummata totius humani suppositi remuneratione & gloria corporum loquatur. *Ioh. 3. c*

Ioh. 3. d.

Imo statim vt moritur iustus eodem die videt clarè Dei essentiam.

Gen. 3.

Hebr. 11. g

B

Ex Theologo, in oratione de fratre Cæsario.

Paulò post autem cùm & ei cognatam carunculam receperit, cúmque quæ illic sunt simul erit Philosophata, eo modo quo scit qui eam colligauit & dissoluit Deus, cùm ea est cohæres eius quæ illic est gloriæ & quomodò eius molestiarum & malorum fuit particeps propter coniunctionem, ita etiam impertit suis voluptatibus totam in se consumens, & cum ea effecta vnus spiritus, & mens, & Deus, mortali & eo quod fuit ab ea deuorato.

Caro, animæ coniungenda in Resurrectione, à terra quæ dederat & cui fuerat credita. *Esa. 66.* *Apoc 21.*

Quod in tres ordines & status diuidentur qui seruantur: Quæst. 88.

Ex Irenæo lib. 5. aduersus hæreses.

Isa. 66 g.

Dicit enim Esaias: *Quomodo cælum nouum & terra noua, quæ ego facio, manent coram me, dicit Dominus, ita stabit semen* C *vestrum & nomen vestrum.* Et Ioannes dicit in Apoc. *Vidi cælum nouum & terram nouam, & ciuitatem sanctam Ierusalem nouam vidi descendentem è cælo à Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo; Et audiui vocem magnam dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cùm eis, & delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit amplius quoniam priora abierunt: Et vidi ciuitatem magnam Ierusalem habentem gloriam à Deo, & fundamenta parietum eius lapide pretioso ornata, & platea aurum purum sicut vitrum pellucidum, & templum non vidi in ea, quoniam Dominus templum eius est, & non ingredietur in ea omne commune, & omnis qui facit abominationem & mendacium, præter quam qui scripti sunt in libro vitæ: Et ciuitas non habet opus Sole nec Luna, vt appareant ei, quia gloria Dei illuminabit ea, & nox non* D *erit illic amplius, Dominus enim illucescet super eos, & regnabunt in seculum seculi.*

Apo. 21. a.

Tunc enim qui digni quidem fuerint habiti vt in cælo versentur, illuc procedent, alij autem fruentur delicijs Paradisi, alij verò tenebūt sanctam terram & splendorem ciuitatis, cum omnibus quæ in ea suppeditantur à Deo: Vbique videbitur seruator sicut digni erunt qui eum videbunt. Esse autem hanc differentiam habitationis, quòd alij quidem *centesimum* fructum ferant, & alij *sexagesimum, & alij tricesimum.* Quorum alij quidem assumentur in cælos, alij verò versabuntur in Paradiso, alij autem habitabunt ciuitatem.

Apoc 21. a *Eorū qui salui sunt diuersæ sunt habitationes.*

Ioan. 14.

Et ideò dixisse Dominum: *In ædibus Patris mei mansio-* E *nes multæ sunt:* Dei enim sunt omnia, qui præbet habitationem omnibus conuenientem.

Quomodò est intelligenda triduana Domini sepultura & resurrectio: Quæst. 89.

Ex Seuero Antiocheno.

Exod. 10.

Vnumquemque diem solemus nominare à vespere, & cùm præcedenti nocte in vnū coniungere. Sic enim etiam in Exodo, Pascha & festum azimorum constituens Moyses dixit; *Incipiens à quarto decimo primi Mensis, à vespera comedite Azyma;* Et principium diei deinceps sequentis numerauit à præcedenti vespera. Sabbati quoque otium ita tradidit vt præcedenti nocte & die qui deinceps sequitur, otium agerēt: Hic autem ostendunt Iudæi, in hodiernum vsque diem id seruantes, &

Leuit. 23 f.

Dies Dominicus incipit à vespera.

non eam quæ sequitur Sabbatum sed quæ Sabbatum præcedit noctem, otio & quiete honorantes. Porro autem nos quoque in die dominico noctem præcedentem honoramus, vt quæ vni diei coniungatur, & non nocti quæ deinceps sequitur. Vnamquamque enim noctem & diem dicere poteris vnum corpus; & quod feceris vna ex viginti quatuor horis, dici potest te id fecisse toto die. Vt quando quispiam peregrè longè profectus, reuersus fuerit in suam patriam & ciuitatem, vel secũdo, vel tertio hebdomadæ vel hora, dicunt omnes, iste venit secundo vel tertio diè, & totũ diè qui est vnus cũ noctè quæ præcessit, attribuunt eius aduentui. Oportet ergo nos considerare illud tempus triduanæ sepulturæ & descensus ad inferos Dei verbi incarnati, ex quo re vera fuit in corde terræ: Fuit autem postquàm expirauit, cùm descendisset (vt dicit Apostolus) *in inferiores partes terræ*. Ab expiratione ergo sunt numerandi tres dies & noctes, quæ dicuntur, νύχθη μέρα; id est, trium dierum & noctium spatia. Fuit autem expiratio hora nona Parasceues cùm restarẽt tres horæ diei. Quoniam ergo Parasceue coniungitur cum nocte præcedente consuetudini traditæ in scriptura, totum diem & noctem Parasceues computamus Dominum egisse in corde terræ. Restat ergo vt post solis occasum initium acciperet Sabbatum, & eius nox qua otium & quietem honorant Iudæi. Totam hanc ergo cum die deinceps coniuncto, in subterraneis locis egit Christus. Cùm ergo transisset Sabbatum, & occasu solis esset finitum, cœpit deinde nox Dominicæ: Nocti autem rursus, & qui deinceps sequitur dies, eadem scripturæ consuetudine consequenter connumeratur, & inuenitur Dominus in tertio noctis & diei spatio surrexisse à mortuis. Nam qui initium spatij noctis & diei egit in corde terræ, reputabitur illic egisse spatium noctis & diei, Nam à parte totum cognoscitur. Propterea Parasceuem quidem ex vltima parte spatij noctis & diei egit Dominus in subterraneis; diem autem Dominicum ex parte prima, totum autem Sabbatum, per totum viginti quatuor horarum spatium perficiens, compleuit festum Iudaicum.

Nox & dies, est vnum corpus.

Sepultura triduanæ Christi tempus, quando numerandum.

Ephes. 4.

Matth. 5.

Conueniantne quatuor Euangelistæ de Christi resurrectione, an non? Quæst. 90.

Cùm sint quatuor tempora, & totidem aduentus quibus venerunt mulieres ad monumentum, rem ita administrauit spiritus sanctus, vt scripserit vnusquisq; Euangelista vnum tempus. Et Matthæus quidem retulit, eas *vespere sabbati* venisse ad monimentũ; & Angelum vnum descendisse de cœlo, & deuoluisse lapidem: Ioannes autem conscripsit, Mariam Magdalenam in tenebris ante auroram venisse solam, & vidisse duos Angelos in sepulchro: Lucas autem, alias in ipso matutino: Marcus autem, alias oriente Sole aliquibus simul mixtis & ijs quæ iam accesserant; & illas quidem vidisse duos viros eis adstantes, has autem vidisse à dextera sedentem quendam adolescentem; omnes autem, indutos vestibus albis, adeò vt possit aliquis per quendam temporum ordinem, quæ apud vnumquemque scripta sunt intelligens, vnam facere harmoniam & vnum corpus totius historiæ, perinde ac si vnus totum scripserit & non multi. Si enim vnius mulieris aduentum qui vno fuisset tempore, illi innuissent; & eosdem Angelos apparuisse dixissent: aut cùm vnam & eandem dixissent fuisse apparitionem seu visionem, dixissent eam fuisse in diuersis temporibus, non facta ab vnoquoque mentione vnius temporis, iure argueretur eorum oratio dissensionis. Si autem & tempora diuersa, & personæ, & eorum quę apparuerunt visiones non sunt eædem; cùm voluisset Deus, quod ab alio dictum non fuerat, alium narrare Euangelistam; quomodò non est iam pura tota narratio, & nulli affinis reprehensioni? Quoniam autem multarum Mariarum fit mentio in Euangelijs, debemus scire tres esse Marias; quas omnes, Ioãnes simul enumerauit, dicens: *Stabant autem ad crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalena.*

Quatuor sunt tempora aduentus mulierum ad Christi monumentum.

Mariæ sunt tres quarum meminit Ioannes.

Maria Deipara.

A Mariam enim, Iacobi & Ioseph matrem ab alijs Euangelistis, nominatam, didiscimus esse Deiparam. Quomodò enim (vt tegeretur dispensatio, & diuinus obumbraretur partus, & non, fænis, manifestaretur Iudæis) scriptum est, Ioseph fuisse appellatum tanquàm maritum Virginis, & patrem Iesu: Ita quia Ioseph & Iacobus erant filij Ioseph fabri, ex vxore quæ priùs decesserat, mater eorum appellabatur Deipara. Hac ratione Dominum quoque blasphemantes Iudæi dicebant: *Non hic est filius fabri, & eius mater dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph & Simon & Iudas?* Et ideò Ioannes quidem etiam ad crucem, stantem, vt qui liberè & cum confidentia Theologicè loqueretur, matrem Iesu appellauit: Cæteri autem Euangelistæ qui magna ex parte occupati fuerãt in dispensatione; per dispensationem, B eam appellarunt matrem Iacobi & Ioseph. Inueniri autem potest, etiam ab Euangelistis eam nominari ex vno solo ex filijs Ioseph; nempe Mariam Iacobi, & Mariam Ioseph. Marcus autem dixit eam esse matrem Iacobi parui & Ioseph, quoniam erat alius Iacobus Alphæi ex duodecim.

Ex Epiphanio in Panarijs.

Ioseph erat frater Cleophæ. Ambo enim erant geniti à Iacobo cui cognomen erat Panther. Habuit autem Ioseph vxorem Salomon ex tribu Iuda, ex qua nati sunt filij sex; quatuor quidem masculi, duæ verò fœminæ. Erat autem primogenitus Iacobus cognomine Iustus, deinde qui vocabatur Ioseph, deinde Symeon, post quem Iudas, deinde Martha & Maria. Maria autem C cùm accepisset maritum Cleopham, appellabatur tanquam soror Deiparæ. Vnde dicit Ioannes; *Stabant ad crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ.* *Io. 19.*

Ex Eusebio ad Marinum.

Tres ergo omnes inuenimus Marias in passione Christi cum alijs mulieribus. Primam quidem, Deiparam; Secundam autem sororem eius Mariam Cleophæ; & tertiam, Magdalenam. Quidam autem dicunt duas ex eis esse Magdalenas. Vnam quidem quæ venit vespere Sabbati apud Mathæum, alteram verò quæ apud Ioannem manè venit ad monumentum; hanc autem esse & quam significat Marcus, *à qua Christus eiecit septem dæmonia.* Tanquàm enim alia quoque esset, non hæc Magdalena; obseruauit hoc Marcus dicens: *Cùm surrexisset* D *autem manè vna Sabbatorum, apparuit primùm Mariæ Magdalenæ ex qua eiecerat septem dæmonia;* & hanc esse quæ audiuit, *Noli me tãgere*; sed non eam quæ est apud Matthæum; Nam etsi maximè ea quoque orta esset ex Magdalene, non tamen similia de ea recenset scriptura. Quòd si vnam & eandem Magdalenam dixerit aliquis, ita etiam vera fuerint sacra Euangelia & nulla ratione discrepantia cùm inducunt eandem Mariam Magdalenam non tangentem priùs Dominum quando flebat & non credebat; & eum, tangentem, quando ab ipso iussa est gaudere cum alia Maria: Quandoquidem tanquàm Deum ipsum adorauit vltimò, & non tãquàm hominem sicut priùs quando flebat & non credebat. De eo autem quod dubitatur quomodò apud Matthæum quidem in E Galilæa visus est Dominus in monte, apud Ioannem autem iuxta mare Tiberiadis; dicemus eum non solùm semel & bis, sed etiam sæpiùs esse visum. Quamobrem non erraueris si dixeris quartam esse visionem quæ est apud Matthæum, quam non iuxta Mare Galileæ neque astantibus discipulis; sed in monte, vndecim factã fuisse scripsit Matthæus dicẽs: *Vndecim autẽ discipuli profecti sunt in montem vbi statuit eis Iesus, & vidissent eum cum adorauerunt;* Et posteà non erraueris si dixeris simul congregatis vndecim discipulis, & septuaginta, simul esse visum. Apostolus autem adhuc etiam his pluribus Dominum refert esse visum post resurrectionem, dicens cum fuisse excitatum tertio die secundùm scripturas, & visum esse simul quingentis fratribus. Vides quoties & quàm multis

Mariæ tres in passione Christi.

Mariæ Magdalenæ, sint-ne duæ.

Mar. 15.

Io. 20.

Matth. 8.

Io. 21.

Luc. 24.

1. Cor 15.

Act. 1.

multis visus sit post Resurrectionem, sicuti etiam ijs qui latebant Hierosolymis propter metum Iudæorum, & ante omnes viros Simoni Petro, & ex mulieribus Magdalenæ: Vnde etiam dicit Lucas; *Per quadraginta dies visus & cum eis versans tradebat disciplinam regni.*

Cuiusnam typum & figuram habet Ecclesia Catholica? Quæst. 81. Ex Maximo Monacho.

Ecclesia Dei, est figura Mundi intelligibilis & Mundi sensibilis. Sanctæ Synaxis Mysteriorum interpretatio.

Dei Ecclesia est typos & figura, & Mundi qui cadit sub intelligentiam, & Mundi sensilis, & hominis. Et Mundi quidem qui cadit sub intelligentiam symbolum est, Sacrarium, sensilis verò Mundi, templum. Hominis autem imago est; sacrarium quidem animæ, templum verò corporis. Sanctæ autem quæ in ea peragitur Synaxis, primus quidem Sacerdotis introitus significat primum Christi aduentum. Quæ post eam autem fiunt lectiones, significant diuinam voluntatem in qua oportet omnes erudiri, & ex ea vitam agere & conuersari: Sanctum autem Euangelium est symbolum consummationis seculi, perfectæque veteris erroris deletionis. Pontificis autem à sede descensus & eiectio Cathecumenorum, significat secundum Christi à cœlis aduentum, & peccatorum separationem à sanctis, & iustam pro vniuscuiusque meritis remunerationem. Portarum autem occlusio, & sanctorum mysteriorum ingressus, & diuina salutatio, & symboli fidei alta voce prolatio; significat transitum rerum sensilium, & manifestationem rerum quæ cadunt sub intelligentiam, & nouam diuini nostri mysterij successiunem, & omnium in omnes (nempe in seipsos & in Deum) futuram concordiam, consensionem, & charitatem, & (vt ita dicam) identitatem, & propter modos quibus seruati sumus gratiarum actionem. Ter Sancti autem prolatio, ostendit incessabilem Angelorum sanctificantem glorificationem, & futuram in futuro seculo cœlestium & terrestrium in vnum conuersationem, & vitæ agendæ institutionem, & glorificationis consonantiam. Beata autem Dei & Spiritûs inuocatio, & quæ fit ad Sanctos, & eorum quæ deinceps sequûtur acclamatio, & sanctorum Mysteriorum participatio; ostendit eam quæ in omnibus & super omnia futura est, Sanctorum adoptionem & coniunctionem.

Catechumenorum ecclesia Missa quid significet.

Ex Isidoro in Epistolis: Dorotheo Comiti; Epistola. 122. & 123.

Pacem sacerdos ex alto cathedræ effatur Ecclesiæ, imitans Dominũ cathedræ qui assumitur, pacem suam emittentem & dantem. Quod autem respondet populus, *Et spiritu tuo:* significat; Pacem quidem nobis præbuisti Domine, eam quæ est inter nos concordiam & consensionem; da autem nobis pacem, nempe indiuiduam tecum vnionem, vt tuo spiritu pacem agentes, quem nobis tradidisti in initio creationis, simus inseparabiliter à tua charitate. Munda autem Sindon quę explicatur in diuino ministerio, est ministerium Iosephi Arimathæi. Quomodò enim ille Domini corpus inuolutum Sindone ad sepulchrum transmisit: Sic nos in Sindone, propositionis Panem sanctificantes, citra vllam dubitationem Christi corpus inuenimus.

Ioh. 19.

Ex eodem: Hermino Comiti; Epistola 136.

Ioh. 13.

Linteum autem cum quo ministrant in Sanctis, Diaconi; reuocat in memoriã, Christi humilitatem, qui lauit & tersit pedes Discipulorum. Episcopi autem Superhumerale quod est laneum nõ lineum, significat pellem ouis quam errantem cùm quæsiuisset Dominus, sustulit in humeros. Episcopus enim, cùm sit in figura Christi, illius munus implet & ostendit omnibus per figuram se esse imitatorem magni Pastoris, & propensum ad ferendas omnium imbecillitates.

Luc. 15.

Ex sancto Basilio, de Spiritu sancto.

Dogmatum & prædicationum quæ in Ecclesia sunt

A custodita; hæc quidem ex scriptis mandata doctrina habemus; illa verò, ex traditione Apostolorum nobis tradita in mysterio suscepimus, quæ vtraque habent easdem vires ad pietatem. His autem nemo contradicet, qui rituum Ecclesiasticorum vel minimam habuerit experientiam. Si enim non scriptas consuetudines, tanquàm non magnam potestatem habentes, recusare voluerimus; in rebus principalibus ipsum Euangelium (imprudentes) damno afficiemus, vel potiùs id quod prædicatum est ad nudum nomen redigemus. Nam vt eius quod primum est & maximè commune, primùm mentionem faciam; signo Crucis, eos qui in nomine Domini sperauerint, signari, quis per litteras docuit? Ad Orientem verti inter orandum, quæ nos scriptura docuit? Verba Ecclesiæ quæ dicuntur in ostensione Eu-

Dogmata scripta & tradita eandem vim habent ad pietatem.

Crucis signari ex traditione est.

B charistiæ, & calicis benedictione; quis ex Sanctis, nobis scriptum reliquit? Non enim ijs vtique contenti sumus quorum Apostolus vel Euangelium meminit, sed & præfamur, & alia subiungimus, vt quæ magnam vim habeant ad mysterium; & ex scripta doctrina id accipientes. Aquam baptismatis benedicimus, & Oleum vnctionis, & eum etiam qui baptizatur; At quibusnam Scripturis, & an non ex tacita & mystica traditione? Quid verò? ipsum Olei vsum, quænam scriptis mandata oratio docuit? Vt ter autem immergatur homo, vnde? Quin & alia quoque quæ circa baptismum fiunt; renunciare Satanæ, & Angelis eius, ex quanã sunt Scriptura? Annon ex hac non publicata & arcana doctrina, quam in minimè curioso & nequaquã plusquàm oportet inuestigante silentio Patres custodierunt; rectè illi

Baptismi ceremoniæ in Traditione sunt.

C edocti, quæ sunt in ministerijs præclara ac veneranda silentio seruarunt? Quam autem ne suspicari quidem licet ijs qui non sunt mysterijs initiati; quomodo consentaneum eorum doctrinam in scriptis triumphare? Aliud est ergo dogma, & aliud prædicatio; Dogmata enim tacentur, prædicationes publicantur. Est autem etiam silentij species, obscuritas qua vtitur Scriptura; quæ reddit dogmatum sciẽtiam contemplatu difficilem, ad eorum vtilitatem qui in ea incidunt. Et ideò omnes quidẽ, inter orandum Orientem aspicimus; Pauci autem scimus quod antiquam patriam inquirimus, Paradisum quem Deus plantauit in Edem in Oriente. Et preces quidem stantes peragunt in vna Sabbati, rationem autem non omnes scimus: Non solùm enim vt qui cum

Dogma & Prædicatio differunt.

Scripturæ obscuritas, est species silentij.

Cur Orientẽ aspicimus inter Orandum.

Cur stantes oremus die Dominico.

D Christo consurreximus & quæ supra sunt quærere debeamus, in die Resurrectionis gratiæ nobis datæ, per statum in oratione nos ipsos commonefacimus, sed quòd videatur esse etiam quodammodò seculi quod expectatur, imago: Et ideò cum sit dierum principium, non prima à Moyse sed vna nominata est. *Factum est*, inquit, *vespere, & factum est manè dies vnus*, tanquam eodem sæpè circulariter vertẽte. Vna est ergo & eadem Octaua illa quæ vna Vera & vera est Octaua; cuius etiam Psalmographus in quibusdã Psalmorum inscriptionibus meminit, per id ostendens, eum scilicet qui post hoc tempus futurus est, statum diem qui nunquàm desinit & est sine vespere, nec est qui ei succedat, perpetuum illud & senij expers æuum: Necessariò ergo orationes quæ in illo

E fiunt, stantes peragere alũnos suos docet Ecclesia. Porrò autem omnis quoque Pentecoste, id est quinquagesimus dies; est Resurrectionis quæ in seculo expectatur monimentum. Vnus enim ille & primus dies septies septuplicatus, septem sacræ Pentecostes efficit hebdomadas. A primo enim incipiens, in eundem desinit per similes qui in medio reuoluuntur. Porro autem in vnaquaque genu-flexione & assurrectione; reipsa ostendimus quod & propter peccatum in terram delapsi sumus & per eius qui nos creauit, clementiam, in cœlum reuocati sumus. Deficiet me dies non scripta Ecclesiæ narrantem mysteria: Mitto alia. Ipsam autem Fidei confessionem; credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ex quibusnam literis habemus? Si enim enim ex baptismatis traditione pro pietatis consequentia, vt

Pentecoste, est monimentum futuræ Resurrectionis.

Non scripta Ecclesiæ Mysteria.

Confessio fidei ex traditione.

baptizati simus ita & credete debemus, & similem baptismati confessionem deponimus; nobis ex eadem consequẽtia concedant, similem quoque fidei gloriam reddere. Sin autem modum glorificationis non scriptum recusant, dent nobis & fidei confessionis, & reliquorum quę enumerauimus, scriptas demonstrationes. Deinde cùm tot sint quæ scripta non sunt, & tantam vim habeant ad pietatis mysterium; vnam nobis dictionem quæ ad nos venit Patribus non concedant, quam nos ex non quæsita & affectata consuetudine in non peruersis Ecclesijs mãsisse inuenimus, quæ non paruam habet rationem nec paruam affert vtilitatem ad mysterij potentiam? Ad hoc quidem certè quòd reste caret & est non scripta quæ Filio cum Patre sit glorificatio, illud dicimus quòd si nihil aliud est nõ sciptum, ne hoc quidem admittatur. Sin autem plurima ex mysticis, sine scriptis apud nos versantur; cum multis alijs hoc quoque admittamus. Porrò autem Apostolicum quoque esse arbitror, non scriptis stare traditionibus: *Laudo enim vos, inquit, quod omnium meorum meministis, & sicut tradidi vobis traditiones tenetis, quas accepistis siue per sermonem siue per epistolam.*

Glorificatio Patris & Filij & spiritus sancti.

1. Thes. 2.

Ex Theologo, de Spiritu sancto.

Cur de Filio & Spiritu sancto vetus Testamentum loquitur obscurius.

Apertè prædicauit Patrem, vetus Testamentum; obscuriùs autem, Nouum manifestauit: Filius verò subindicauit diuinitatem Spiritus. Non erat enim tutum, cùm Patris diuinitatem nondum confessi essent; Filium apertè prædicari: neque nondum admissa diuinitate Filij, sanctum Spiritum (vt aliquid dicam audaciùs) ingeri; ne tanquàm nutrimento quod vires superat, onerati, & luci Solis oculis adhuc infirmioribus applicati, venirent in periculum etiam de ipsis viribus: quæ particulatim autem fiunt accessionibus, & (vt dixit Dauid) ascensionibus, & à gloria in gloriam progressibus & profectibus; illucescit lumen Triadis splendidioribus.

Ex eodem, ad Eubulum; Quomodo Filius & Verbum genitus est ex Patre. Quæst. 92.

Verbum Dei manifestauit Orbi terrarum mysterium absconditum.

Quomodò enim sermo noster profert in lucem non manifestum animi nostri consilium; ita etiam Filius & Verbum Dei in Patre ante secula abscõsum mysterium manifestauit Orbi terrarum. Et quomodò Verbum procedens; nec eum qui dicit priuat ac nudat, & eum qui audit implet (venit enim ad audientem, non recedens à dicente) Ita etiam Dei Verbum, cùm sit in Patre, venit ad nos carne; neque à Patre separatus, propter naturam; & nobis vnitus propter gratiam, vt qui sit Deus natura, Verbum autem appellatione. Quomodò enim Ioannes cùm esset homo natura, appellatus est *vox clamantis*: Ita etiam Filius cùm sit Deus propter naturæ impartibilitatem, *in principio erat Verbum*, sed non verbum non consistens. Nam alia quidem verba sunt Dei iussa & iustificationes: vnigenitus autem Dei Filius, est Verbum non syllabis & dictionibus enunciatũ, sed Verbum verbum vitam largiens. Dicit enim, *Si quis audierit sermonem meum, habet vitam æternam.*

Mat. 3. Ioh. 1. Deus Verbũ, est Verbum hypostaticum seu consistens. Io. 14.

Ex Theologo, ad Euagrium monachum.

Quomodò autem & sermo qui profertur, est quidem indiuiduus ab anima quæ protulit, & nihilominus consistit in animis audientium, & ab illa non separatus, in his inuenitur; vnionem autem magis efficit quàm diuisionem ipsorum & nostrorum animorum: Ita etiam mihi cogita Filium à Patre nunquam separatum; & eius quoque rursus similiter sanctum Spiritum, sicut in mẽte cogitationem. Quando enim inter mentem & cogitationem & animam non potest cogitari diuisio & sectio; ita nec inter sanctũ Spiritum, Filium, & Patrem cogitari vnquam potest vlla sectio aut diuisio, propterea quòd rerum diuinarum & quæ cadunt sub intelligentiam natura est indiuidua: aut etiam quomodò inter Orbem & radium Solis inueniri non potest diuisio, sed radius quidem coniunctus est orbi, & orbis tanquam quidam oculus vbique emittit radios; Ita etiam velut quidam radij Patris ad nos missi sunt, & lucidus Iesus & sanctus Spiritus. Quomodò enim radij lucis habentes secundum naturam, indiuiduam inter se habitudinem; neque separantur à luce, neque inter se abscinduntur, & lucis gratiam ad nos vsque emittunt: Ita etiam Filius & Spiritus sanctus (geminus Patris radius) & ad nos traijcit lumen veritatis, & Patri simul est vnitus. Quomodò autem etiam in aliquo fonte aquarum, nectaream aquam abundè emittente, accidit vt plenum aliquod fluentum quod cohiberi non potest, in duos secetur fluuios, cùm vnam ex vno fontis oculo ab initio habuerit fluxionem, fluuiorum autem bifariam fluentium formis figuratus, & tamen ex diuisione nihil lædatur in substantia: Nam fluuiorum quidem, situ diuisum est fluentum; habet autem vnam & eandẽ saporis qualitatem. Nam etsi vnusquisque ex priùs dictis fluuijs videatur procul esse disiunctus, & à longe abesse à fonte; attamen principium matris habet vnitatem quod attinet ad fontis perpetuitatem. Similiter ergo Pater quoque fons vitæ æternæ, cùm ad nos miserit bifluam Filij & sancti Spiritus, quæ intelligentia percipitur gratiam, ipse nihil passus est læsus in substantia: Neque enim vllam sustinuit diminutionem propter illorum ad nos aduentum; & ad nos vsque accesserunt, & nihilominus manserunt à Patre inseparabiles. Est enim, vt diximus, indiuidua natura eorum quæ sunt præstantiora.

Filius nunquam separatur à Patre. In Trinitate nulla est diuisio.

Filius & Spiritus sanctus sunt velut quidam radij ad nos, à Patre missi.

De Domini Epiphania seu apparitione: Quæst. 93.

Ex Apostolicarum Constitutionum, Libris.

Nam natus quidem est Dominus noster Iesus Christus ex sancta Virgine Maria in Bethleem 25. Mensis Decembris, qui est secundùm Ægyptios mensis Choac, hora septima diei; quod est viij. Calendas Ianuarij. Baptizatus est autem tricesimo eius ætatis anno, à Ioanne, xj. Mensis Tobet qui est sextus Ianuarij, hora x. noctis, in fluuio Iordane. Mansit autem nobiscum in mundo prædicans Euangelium regni cœlorũ, & curans omnem omnem morbum & ægritudinem in populo, donec fuit natus annos xxxij. & Menses tres. In tricesimo tertio suo anno fuit Cruci affixus; Pharmeoth (id est, Mensis) Martij die quinto, hora vj. diei, & quartadecima Lunæ: Resurrexit autem in triduo; Pharhuthe (id est, Aprilis) die primo, hora sexta noctis. Et visus est ab omnibus discipulis, & manifestauit gloriam suam per dies quadraginta, docens nos prædicare in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum. Assumptus est autem rursus; Pachon (id est Maij) die tertio, hora nona diei.

Christi natiuitatis, Baptismi, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis dies & hora.

Ex Eusebio, in Chronicis.

Nam postquàm sunt impleti 5500. anni à mundi creatione, aduenit Dominus noster, & natus secundum carnem ex sancta virgine Maria; & incipiente tricesimo eius anno (sicut dicit Lucas) Mensis Ianuarij die sexto, tertio die hebdomadæ, post 29. annos suæ apparitionis, tinctus fuit à Ioanne: & cum præter hos, alios tres fecisset miracula; anno 5532. à creatione mundi propter nostram salutem actus fuit in crucem. Nam cùm comedisset vmbraticum Pascha cum Discipulis, & instituisset Authenticum quinto die hebdomadæ, qui erat Lunæ quartus decimus, Mensis autem Martij, 22. Indictionis quintus decimus; eadem nocte quæ fert ad 23. eiusdem Mensis fuit traditus; & cùm fuisset eodem die crucifixus, surrexit 25. die Dominico.

Christus quoto mũdi anno incarnatus.

Authenticum Pascha, id est, Eucharistiæ Sacramẽtum instituit Christus.

Ex eodem, in ijsdem.

His autem sic dictis, est maximè necessarium notare etiam annum creationis mundi, in quo suscepit supramundanam in mundo incarnationem ex sancta virgine Maria D. noster Iesus Christus. Erat ergo tunc 5500. annus (vt habet Scriptura in sacris Literis) annorum qui numerantur ab Adamo: In eo enim fuit & Annunciatio Virginis, & castissimus ex ea partus. Erat autem annus Solis quidem 13. Lunæ verò 10. Dies autem erat hebdomadis, Annũciationis quidem 2. Natiuitatis autem, sextus. Ita autem diuinus quoque eius baptismus fuit anno

a annunciationis dies.

anno 5530. Annus autem erat, Solis quidem 14. Lunæ autem iu. Dies autem hebdumadis tertius. Rursus autem salutaris eius Passio fuit anno 5533. Annus autem Solis quidem erat quintus, Lunæ autem 14. Cùm ergo breuiter sit ostẽsus 5500. annus ab Adamo, generationis secundum carnem Domini nostri; consentaneum existimo pauca addere de differẽtia annorum & mensium, cùm ex eorum ignoratione existat magnus error. Dicam autem de insignioribus eorum differentijs quę diuiduntur trifariam. Aut enim per differentias gentium quæ eadem habent tempora & ex eodem incipiunt initio, differunt autem in nominibus; aut quæ nomine & re dissident, aut quæ nomine quidem cõueniunt, in initijs autem annorum in duobus aut tribus diebus, aut plurimùm septem, priùs incipiunt annum aut Mensem; aut quæ mensium quidem eadem habent initia, Anni autem alia. Romani ergo & Græci, Mensium quidem eadem habent initia, in nominibus autem solum differũt. Nam qui apud Romanos quidem (exempli causa) vocatur Aprilis, à Græcis nominatur Xanticus, & vterque idem habet initium: Nam primus Xautici, est etiam primus Aprilis. Anni autem initium, Græci quidem sumunt à Septembri; Romani autem a Ianuario: Et sic Romani & Græci habent quidem eadem Mensium initia, non eadem autem initia anni. Rursus autem Græci & Alexandrini & Ægyptij eadem quidem habent anni initia; hoc est, in eodem mense Thoth incipiunt annum, sed non in ijsdem diebus. Sed Græci quidem, anni & Indictionis Mensem habent primum eum qui est apud Romanos September: Alexandrini autem tribus diebus ante primum Mensis Septembris; hoc est 29. Augusti Mensis. Differunt autem etiam in mensibus, quòd Alexandrini dant circiter 30. dies vnicuique Mensi, adeò vt sint, 300. dierum qui sunt apud eos duodecim menses: Qui quidem sunt 360. complentur autem 23. eiusdem. Et faciũt alium Mensem ex quinta parte diei ex reliquis quinque diebus, nempe 24. & 25. & 26. & 27. & 28. Quod si occurrerit τετραετηρικος; hoc est, bissextus; fiunt apud eos, sex eiusmodi quæ dicuntur Epactæ, in quatuor annis sex dies Veteres autem Ægyptij ponẽtes annum, solùm 360. dierum, & non 364. dierum, neque 365. vt Romani & Græci & Alexandrini in annis 1460. ipsi quoque cum Alexandrinis & Græcis annum incipiunt. Et post 4. annos, vno ante die; hoc est 28. mensis Augusti; & sic post quatuor annos vnum diem præcipientes, vt dictos 1460. annos restituãt. Nam quater 365. fiunt 1460. Annus autem & Menses (secundùm Iudæos seu iuxta legem diuinam) & nomine & re differunt à Græcis & Romanis & Ægyptijs. Nam menses agit Lunares per 29. dies; & completis 12. in 348. diebus, efficit in 3. mensem qui dicitur intercalaris collectis diebus 35. ter & decima. Anni autem nouam Lunam, Mensis qui apud eos dicitur Nysan, nẽpe 25. Martij semper habet, qui est dies primò creatus; in quo cùm hanc Vniuersitatem ex nihilo adhoc vt esset deduxisset Deus, & in eo (volente Patre & cooperante sancto Spiritu) inhabitasset in sancta sua Matre & Virgine; eodem anno factus est homo, & in eodem etiam surrexit ex sepulchro: Hic ergo nobis quoque in sancta Dei Ecclesia sit anni principium. In quo etiam inuenientes sanctum Pascha incidens in Dominicum post quartum decimũ Lunæ huius mensis, non Iudaicè, sed Apostolicè peragimus per naturalem & à Deo traditam methodum. Omnes ergo qui non dicunt anno 5534. fuisse primũ Dominicum Pascha, neque quæ fuit tunc apud Hebræos 14. Luna, & occurrit in magna Parasceue salutaris Passionis, cõseruant, ostendant Dominicum diem Resurrectionis fuisse 25. Martij. Quod quidem si non ostendatur, inde ostẽduntur falsæ quæ apud ipsos inueniuntur supputationes.

Annorum & Mensium differentia apud diuersas nationes.

Aprilis & Xanticus, idem est Mensis.

Locus est mutilus & corruptus, qui ita est Græcè τῶ ϰαὶ τοῦ αὐτοῦ ἡμέρ. τος. sed corruptè, neque scio quomodo sit restituendus.

Vel hic locus est corruptus, vel alia erat supputatio Iudæorum, quã quæ est in sacris literis.

Ex Hesychio in Christi Natalem.

Nam in 42. anno imperij Augusti, mensis Decembris, 25. die sexto, hora tertia diei natus est Dominus noster Iesus Christus secundùm carnem, ex Maria Virgine; A anno secundùm Antiochenos a creatione mundi vsque ad natalem Christi & crucifixionem 5000. Nam ab Adam vsque ad Phalec filium Heber anni ter mille; & à Phalec vsque ad 32. annum regni Augusti, anni 1967. & deinde cõuersatus est Seruator cũ hominibus annos 33. adeò vt sint ad Adam vsque ad Natalem Christi annorum 5000. plena. Phalec enim ex Prophetia Moysis dicitur dimidium temporis Christi apparitionis. Quomodo enim cùm hominem sextu die finxisset Deus, is deinceps cecidit in peccatum; ita etiam quinto die millenario venit in terram, & seruauit eam: Hoc enim ostendit etiam diuina Scriptura dicens, *dies Domini sicut mille anni*; quos quidem & Clemens & Theophilus & Timotheus Dei amantissimi Chronographi exposuerunt, consentientes quòd in quinto millenario annorum B apparuit Dominus conuenienter numero formationis Adam, & seruauit genus hominum. Alij autem dicunt venisse Dominum anno 5500. Sed non multi in hoc conueniunt. In 5000. autem anno omnes accurati scriptores conueniunt apparuisse Christum. Nam & si de eo nonnulli dissentiunt, vox tamen Prophetica est vera, quæ magis docet apparuisse Dominum anno 5000.

Præter ea quæ habemus in nostro exemplari, hæc quæ sequuntur inuenimus in exemplari bibliothecæ Reginæ matris Regis. Et primum intitulo; Quodnam sit signum perfecti Christiani.

Quæst. 1. Ex Chrysostomo.

Illa membra diripit ac spoliat, in quibus coït virtus C animæ; non ferendum & immensum pondus injciens, caliginem & tenebras immittens intelligentibus hominis sensibus. Quod quidem sæpe videmus euenire & à vino, & à febre, & à magno frigore, & alijs morbis qui accidunt extrinsecus. Quomodò etiam in diaboli petitione aduersus Iobum, audiuimus præceptum Domini Neque enim sic tanquam cum hac crassa & materiata carne commiscetur immũdus spiritus, & eam quodammodò induit: hoc enim potest sola sancta Trinitas quæ omnia peruadit & continet ac circuit, vt quæ propriè sit incorporea. Non enim Angelorum & Principatuum, & ipsius etiam animæ naturas, à corporibus omnino nudas existimamus.

D *Ex Gregorio Niceno, ex Oratione quam scripsit in* Pater noster.

Nam bonus Deus non habet bonam naturam vt sit pater malæ electionis & instituti; neque vt eius qui est in vita profanatus, qui est sanctus; neque vt eius qui mutatur, qui est immutabilis; neque vt eius qui à peccato est morte affectus, is qui verè est vita; neque vt eius qui in ignominiæ affectibus ac perturbationibus se indecorè gerit, qui est purus & immaculatus, neque vt eius qui per auaritiam alijs facit iniuriam, qui est largus ac beneficus; neque omnino eorũ qui in aliquo malo inueniuntur, qui bonus cernitur in omnibus. Nam si quispiam se videns adhuc egere purgatione, & suam malam agnoscens conscientiam; plenus maculis & sceleratis ardoribus, E priusquàm à tot & talibus fuerit malis expurgatus, se ad Dei asciscit cognationem; & dixit, *Pater*, iusto iniustus, & mundo immundus; ea verba planè fuerint contumelia & maledictũ; siquidem suę prauitatis & nequitiæ Patrem Deum nominat. Nam vox Patris significat causam eius qui ex ipso habuit vt consisteret. Qui est ergo in sua prauus conscientia, si Patrem suum dicit esse Deum; nihil aliud quàm eum accusabit quòd ipse sit princeps & author suorum malorum. Sed *luci cum tenebris nulla est societas*, inquit Apostolus, sed luci cum luce est familiaritas & coniunctio; & iustitiæ cum iustitia; & honestati cum honestate; bonitati cum bonitate; & cum eo in quod non cadit interitus, id quod est alienum ab interitu: Quæ autẽ sunt contraria, habent omnino cognationem cum ijs quæ sunt eiusdẽ generis. *Neque* enim

Dæmon quomodò habeat hominem.

Tria hic canto accipienda, nam haud satis cum vera theologia docenti concordant.

Primum, solam trinitatem cũ corpore cõmisceri.

Illabitur enim Deus & intimè rebus omnibus adest per essentiam præsentiam, & potentiam sed absque vlla commixtione.

Secundum, solam Trinitatem esse incorpoream.

Tertium, Angelos propriè non esse incorporeos.

Vtrumque asserere iam hoc tempore temerarium censent Theologi.

Vide S. Thom 1. part. quæst. 51. art 1. eiusque interpretes.

Nisi forte Anastasius corporeitatem metaphoricè accipiat pro compositione ex actu & potentia.

Vide Asiatinum Martinengum in glossa magna pag 201. & seqq.

potest arbor bona malos fructus facere. Si quis ergo cùm sit *gravi corde* vt dicit Scriptura, *& quærat mendacium;* audeat proferre verba precationis, sciat is quòd non cœlestem sed terrestrem patrem vocet. Similiter & qui est semper mendax & pater mendacii quod in vnoquoque consistit; Ille est peccatum & pater peccati. Propterea qui affectibus & animi perturbationibus sunt obnoxii, vocantur *filij iræ*, & qui à vita defecit, nominatur *filius perditionis.* Vis mali characteris nosce proprietates? Inuidia, odium calumnia, superbia, auaritia, exardescens cupiditas, quæ ex insano gloriæ amore procreatur ægritudo; hæc & quæ sunt huiusmodi, ea sunt quibus imprimitur forma aduersarii. Cuius ergo animus est in huiusmodi sordibus volutatus, si Patrem vocet; quisnam eum audiet? Is scilicet qui est, cognatione coniunctus cum eo qui vocauit: Is autem est non qui est cœlestis, sed qui terrestris. Nam cuius fert signa necessitudinis, ille omnino vendicabit propriam cognationem. Mali ergo viri precatio aut pœnitentia, quandiu fuerit in nequitia & prauitate, est diaboli inuocatio: Eius autem qui discessit à vitio, & viuit in puritate & sinceritate; bonum Patrem, vox appellabit.

Cautè lege: videtur enim hyperbolicè ita loqui, quod peccatori oratio nō prosit ad meritum.

Ex Chrysostomo in Matthæum.

Deum qui dicit patrem quanam profitetur

Nam qui Deum dixit Patrem; & peccatorum remissionem, & supplicij ablationem, & iustitiam, & sanctificationem, & redemptionem, & filiorum adoptionem & in eum qui est eiusdem generis fraternitatem, & Spiritùs suppeditationem confessus est per hanc solam dictionem. Non potest enim Deum vocare patrem qui illa omnia bona non sit assecutus, & factus sit filius Dei: Nam *quicunque* (inquit) *spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Qui ergo Deum Patrem vocauit æquum est vt ostendat eam vitæ agendæ rationem, vt hac generis nobilitate non videatur indignus: *Nemo* enim (inquit) *potest duobus Dominis seruire, Deo & Mammonæ.* Ne ergo philosopheris in iis quæ sunt superflua; Deus enim pronunciauit per ea quæ dixit, fieri non posse vt hæc & illa contingat seruitus. Ne dicas ergo posse fieri: Nam Mammona quidem iubet rapere; Deus autem facultates suas distribuere. Ille quidem esse temperantem & castum, hic verò scortari: Ille quidem lautè & delicatè viuere ac inebriari, hic verò ieiunare & esse continentem: Ille quidem turpia dicere & obscœna; hic verò psallere & hymnos canere: Et hic quidem bona mundi despicere, ille verò præsentibus rebus esse affixum. Ille quidem admirari marmora, parietes, & tecta. Hic autē, ea quidem contemnere; honorare autem philosophiā. Quomodò fieri potest vt hæc propriè conueniant? Dominus autem hic, *Mammona* appellauit, non propter suam naturam, sed propter miseriam & afflictionem eorum qui ipsi subijciuntur: Sic enim ventrem quoque Apostolus vocauit Deum nō propter Domini autoritatē, sed propter miseriam eorum qui ipsi seruiunt.

Rom. 8

Luc. 16.

Seruitutis Dei & Mammona anthitesis.

Phil. 3. d

Ex Cyrillo Hierosolimitano, ad Olympium Monachum.

Si ergo nomen Christi suscipiat, non ea autem ostendat quæ simul cum hoc nomine considerantur; vita, nomen ementitur. Non potest enim fieri vt Domini non sit iustitia, & puritas & veritas, & ab omni malo abalienatio; neque verè est Christianus, qui non illorum quoque nominum in se ostendit participationem.

Christianus quis sit verè.

Ex sancto Basilio, in Asceticis seu Regulis Monasticis.

Si credimus Domino dicenti, *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati:* & rursus, *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere:* scimus quòd non solùm est socius, sed etiam seruus, & suum Dominum & patrem illum adscribit cuius facit opera. Testatur id Apostolus dicens; *An nescitis quod cui vos exhibetis seruos ad obedientiam, serui estis qui obeditis; siue peccati ad mortem, siue obedientia ad iustitiam?* Neque oportet fidem esse mortuam *quoniam,* inquit, *sicut corpus absque spiritu est mortuum, ita etiam Fides absque operibus est mortua.* Et rursus: *Tu credis quod Deus est? benefacis; & dæmones credunt & contremiscunt.*

Io. 8.

Ro. 6.

Iac. 2.

A Dominus quoque dicit; *Quid mihi dicitis, Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Oportet enim nos, in quos ipse dominatum obtinet, eum etiam opere confiteri dominum, non regnante & regnum in nos obtinente peccato, ne de nobis dicatur; *Dilexerunt eum in ore suo, & corde mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Audiuimus autem Apostolum quoque dicentem: *Ne erretis; neque fornicatores, neque idolorum cultores, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores. nec maledici, nec raptores regnum Dei possidebunt.* Et rursus: *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus* (qui est cultor Idolorum) *non habet hæreditatem in regno Christi Dei; Nemo vos decipiat verbis inanibus; Propter hæc venit ira in filios incredulitatis; Ne sitis ergo eorum socij.* Si ergo in his simus, nos qui dicimus nos credere, & expectamus regnum Dei; non inuenimur esse B socij & participes Regis, sed eius inimicorum. Nam si Christum didiscimus, veritatem didiscimus. Si autem veritatem cognoscimus, viuemus etiam in veritate operum, Neque *partem* nostram *ponet cum incredulis* dicens cùm venerit; *Nunquam cognoui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem:* neq; nobis proderit si dicamus; *Domine Domine;* Nam quod attinet ad solam fidem, etiam dæmones credunt.

Luc. 4.

Psal. 77.

1. Cor. 6.

Ephes. 5.

Mat. 7.

Ex Quæst. 2. Quinam veri adoratores qui Deum adorant in spiritu & veritate?

Ex Lausiaca, Traditio.

Fuit quidam Valens, genere quidem Palestinus, mente autem Corinthius, nempe spiritu inflatus: Apostolus enim dicit scribens ad Corinthios; *Et vos inflati estis:* Iste ergo Valenss inani tumore inflatus despiciebat ipsa C Christi sacramenta. Nam dæmon superbiæ & insolentiæ, seipsum transfigurauit in Seruatorem: Valens autem, eum visum adorauit; & mente captus venit in Ecclesiam; & vniuersa Fraternitate congregata dixit: Ego communione opus non habeo, nam Christum vidi hodie. Tunc scelestum ligantes, & in ferrea vincula conficientes sancti Patres, anno vno curârunt precibus, & vita ab actione remota, inanem de se persuasionem ei ademerunt.

1. Cor. 5.

Sacramenta despicere, Valenti persuadet demon.

Solitarius secessus ademit Monacho superbam de se opinionem.

Ex Isidoro; ex Capitibus monasticæ Exercitationis: Thaumasio, Epistola. 402.

. Mediocrem de me opinionem mihi indidit solitarius secessus. Nam qui in medijs versatur tumultibus, & vult nosse cœlestia; non animaduertit quòd id quod D seminatur *in spinis,* ab illis suffocatur; & qui non fuerit in otio remotus à negotijs, Deum nosse non potest.

Ex sancto Cyrillo, aduersus Iulianum, Libro. 10.

Nos cultum implentes spiritualem & qui cadit sub intelligentiam, iussi sumus offerre in odorem suauitatis omne genus virtutis, fidem, spem, charitatem, iustitiam continentiam, perpetuas glorificationes. Nam hoc materiæ expers sacrificium, Deum decet qui est expers materiæ & purus; & honestatis & cadentis sub intelligentiam donaria, sunt modi veræ quæ rectè agitur vitæ. Nam in summa, Christianus est amicus quietis & silentij. Sapiens autem est vir qui non ante perfectam pœnitētiam, abstinet à memoria suorum peccatorum quæ est in dolore, & à iusta quæ de ijs sumitur pœna in igne E æterno. Qui peccatis quidem tenetur & exacerbationibus, & audet se impudenter extendere ad diuinarum rerum cognitionem, aut etiam materiæ experti insultat orationi; sic accipiat pœnam illam Apostolicam, nempe quod non sit ipsi extra periculum, nudo & detecto precari capite: Nam *debet,* inquit, eiusmodi anima *habere Potestatem in capite propter adstantes Angelos,* amicta pudore & humilitate. Quomodò enim oculorum morbo laborantem non iuuabit firmus & stabilis meridies, & lux perpetua, & intensa Solis contemplatio; ita nec mentem immūdam & quæ agitatur ab animi perturbationibus, omnino iuabit terribilis & excellentis quæ est in spiritu orationis expressio; sed potiùs contrà, Deū in se ad iram excitabit; Nihil est enim magis egenum quàm

Sacrificium expers materia decet Deum.

Immo etiam materiale illud externum Eucharistia sacrificium, præ cæteris est Deo acceptum.

Christianus est amicus quietis & silentij.

Perfecta pœnitentia.

quam mens quæ extra Deum de Deo philosophatur.

A *Ex Quæstione 3. Si quis cùm peccasset pœnitentiam egerit, & rursus ceciderit in peccatum, num nam pœnitentiam amisit & labores; & maximè si sit mortuus post peccatum.*

Ex Cyrillo Hierosolymitano in Catechesi.

Satanas est acerbior in eũ qui post pœnitentiam reuertitur ad peccatum.

Fuge ergo mala opera: Nam si in ea incideris, postquàm satanam abrenunciâris & Christo nomen dederis, acerbiorem tyrannum experiêris; vt qui olim tui tanquàm sui curam gereret, & ab acerba relaxaret seruitute, nunc autem sit in te valdè exacerbatus; & Christo priuaberis, & illum experiêris. Non audisti quemadmodùm Lot olim quidem fuit seruatus cum filiabus, vxor autem eius facta est statua salis, propter reditum mali liberi arbitrij & sceleratæ electionis? *Luc. 9.g* Attende ergo tibi ipsi, & ne retrò auertaris cùm *manum* admoueris *ad aratrum*, rediens ad improbam actionem. B

Ex Maximo, in Capitibus monastica Exercitationis.

Si cùm aliquantisper animi perturbationum causas exciderimus, in spiritualibus contemplationibus immorati fuerimus, non semper autem in eis versemur hoc ipsum opus habentes; facilè rursus conuertemur ad vitia carnis, nullũ alium fructum inde percipientes quàm perfectam mentis obscurationem, & ad ea quę sunt materiata declinationem, & in vitijs carnis volutationem instar porcorum qui in cœno volutantur. Nam cùm paululùm cura & diligentia fuerint purgati, & scientiam assecuti; affecti posteà negligentes, assimilati sunt Saüli *1.Re. 16.a* qui regno dignatus (cùm se, non vt par fuit, gessisset) terribiliter ex eo posteà fuit eiectus. C

Ex Quæstione 4. Si quis cessauerit à peccato, hoc ne sufficit ad pœnitentiam?

Ex Basilio, in dictum, Attende tibi ipsi.

Attende tibi ipsi vt pro ratione ac proportione peccati, à medicina accipias auxilium. Magnum & graue est peccatum? multa tibi confessione est opus, amoris lacrymis, intensis vigilijs, assiduo ieiunio. Leue & tolerabile est delictum? exæquetur etiam pœnitentia, tantùm attende tibi ipsi vt cognoscas animæ ægritudinem. Multi enim propter minimam negligentiam & quòd sibi non attẽdant cùm grauibus morbis laborant iisque immedicabilibus, ne hoc ipsum quidem nôrunt quòd ægrotent.

Ex Quæst. 5. Si sit senex aut imbecillus, & cùm pusilli sit animi non possit esse monachus aut facere quæ sunt monachi; quomodo poterit pœnitentiam agere & saluus esse? D

Psal. 36. *Ex Maximo, in Capitibus monastica Exercitationis.*

Declina, inquit, *à malo & fac bonum*: hoc est; belligerare aduersus hostes; scilicet vitia, & animi perturbationes; deinde esto sobrius, ne augeantur. Et rursus belligerare vt acquiras virtutes, & deinde esto sobrius vt eas custodias; & hoc fuerit operari & custodire. Non enim ab actionibus abstinentia iustificat, sed mandatorum obseruatio cum additione conuenienter ei qui dicit; *Et adijciam super omnem laudationem tuam.* Vnde etiam dicit Ieremias; Quemadmodum fuit cogitatio vestra ad aberrandum à Deo, decupla te ad quærendum eum. Dicit etiam Sapiens: *Fili peccasti? ne adijcias amplius, & pro prioribus tuis ora; tanquàm à facie Serpentis fuge à peccato.* E Tale est & illud, *Iniquitatem meam ego annunciabo, & solicitus ero de peccato meo.*

Mandatorũ obseruatio cũ additione iustificat. Psal. 70. Eccl. 21. Psal 37.d

Ex Esaia.

Esa. 55.c *Quærite Dominum & in inueniendo eum inuocate: quando autem appropinquauit nobis; relinquat impius vias suas, & vir iniquus consilia sua, & conuertimini ad Dominum, & misericordiam consequemini.* Dixit Dominus; *Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis; Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* *Mat. 7.*

Ex Maximo, in Capitibus monastica Exercitationis.

Quæ secundũ Deum fiunt, sunt vel ex Mãdato, vel ex oblatione voluntaria.

Ex ijs quæ à nobis secundùm Deum fiunt, alia quidem fiunt ex mandato, Alia non ex mandato sed (vt dixerit quispiam) oblatione voluntaria: & ex mandato quidem est, Deum diligere & proximũ & inimicos, adulterium non admittere, &c. quæ quidem transgredientes, iudicamur: Non ex mandato autem; esse virginem, Cœlibatus, & nihil possidere, & secessus, & similia: Hęc enim doni habent rationem, vt si aliqua mandata ex imbecillitate non possimus exequi, per bona nostra dona placemus Dominum. Quæ autem rectè geruntur à Secularibus, sunt delicta monachorum; & quæ rectè geruntur à Monachis, sunt delicta Seculatium. Vt: quæ rectè geruntur à Secularibus, sunt diuitiæ, gloria, & potentia, & delitiæ, & caro rectè curata, & liberi, & similia; ad quæ cum peruenerit, moritur Monachus. Quę autem à Monacho rectè geruntur; sunt, nihil possidere, ignobilitas, impotentia, continentia, afflictio, & similia; ad quæ cùm venerit is qui diligit mundum, præter propositum valde prolabitur, & sępè venit in periculum ne ijs vtatur ad laqueum, atque adeò quidã etiam vsi sunt. Omnia autem Domini eloquia hæc quatuor continent; mandata, dogmata seu decreta, minas, promissa: & propter hæc sustinemus omnem vitæ austeritatẽ; vtpotè ieiunia, vigilias; humi dormitiones, labores, ministeria, cõtumelias, probra & dedecora, tormẽta mortis, & similia; Nam *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* *Psal 16.*

Rectè facta Monachorum, sunt delicta Secularium.

Sacræ Scripturæ summa.

Ex Isidoro.

Nam etsi nihil possidere, & Virginitatem Christus nobis cõstituit; ea tamen posuit in nostra potestate, dicens; *Si vis perfectus esse, vende quæ habes & da pauperibus, & qui pergit, pergat.* Sed hæc omnino vult à nobis peragi. Vnde dicit; *Stude ingredi per angustam portam*: Et; *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Pharisæorum*; & cætera.

Virginitas & paupertas, sunt in nostra potestate. Mat. 7.

Ex Quæstione 6. Sit ne bonum confiteri peccata viris spiritualibus.

Ex Iob.

Si cogitauerit homo corde conuerti ad Dominum, annunciauerit autem homini suum vitium, iniquitatem autem suam ostenderit precatus Dominum, erunt ei accepta, ingredietur mũdo vultu cum enunciatione, reddet autem hominibus iustitiam: Deinde tunc ipse sibi renunciabit, dicens; Qualia confecimus, & Deus me non examinauit de ijs quæ peccaui. Et si cùm peccassem, voluntariè celaui peccatum meum; non enim sum reueritus populi multitudinem, ne coram eis enunciarem. *Iob. 31.d*

Ex Dionysio Areopagita, De ijs qui sanctè dormierunt.

Dico ergo sacras Scripturas sequens, quòd omnino sunt vtiles in hac vita Sanctorum preces hoc modo. Si quis donum desiderans, & ad eius participationem religiosè affectus, tanquam suam agnoscens exiguitatem, quempiam sanctorum adeat, rogetque vt sibi adiutor & precator accedat; ex eo omnino capiet, quę omnes expetat, vtilitatem. Assequetur enim ea quæ petit diuinissima dona, ipsum suscipiente diuina bonitate, piáque ac religiosa sui agnitione, & in sanctos reuerentia, & petitarum sacrarum petitionum laudabili desiderio, conuenientique & diuino habitu. Est enim hoc quoque diuinis iudicijs constitutũ, vt diuina dona, ijs qui digni sunt vt sint participes, decẽtissimo donentur ordine per eos qui digni sunt impertiri. Hunc si quis pulchrè constitutum aspernetur ordinem, & ad miseram elatus de se persuasionem, se idoneum existimet vt cum Deo habeat consuetudinem, & sanctos despiciat: quinetiam si Deo indignas & non sanctas postularit petitiones, & intensum diuinorum non habeat desiderium & sibi conueniens; propter seipsum excidet à stulta petitione.

Sanctorum preces in hac vita quomodò vtiles.

Ex Maximo, de Dubijs.

Scio validas & efficaces esse iusti preces, quando is qui iusti opus habet oratione, orationis efficit opera, & validas reddit iusti preces per pulchram suam conuersionem; Nihil enim iuuant iusti preces, illo versante in delictis. Nam ille quoque magnus Samuel aliquando lugebat delinquentem Saülem; sed non valuit Deum placare, cùm luctus non haberet adiutricem conuenientem delinquentis correctionem. Quamobrem à luctu

inutili Deus cessare faciens suum famulum, dicit ei; *Quousque luges Saülem & ego repuli eum ne regnet super Israëlem?* Et rursus Ieremias non exauditur precans pro Iudæis, vt qui ad viam orationis confirmandam, non haberet illorum ab errore conuersionem: quamobrem illum quoque abducens Deus ab inani precatione, dicit; *Et tu ne ores pro hoc populo, & ne roges vt ipsi misericordiã consequantur, quoniam non exaudiam eos.* Est enim magnæ insipientiæ per preces sanctorum quærere salutẽ, cum qui sua affectione, perniciosis delectatur; & illos, ea sibi petere condonari quibus gloriãtur, proposito suo ijs reipsa maculati.

1 Reg. 16. — *Ier. 7.*

Ex Chrysostomo, in Pentecosten.

2. Reg. 12. Tunc de cæterò ad Dauid abijt Nathan Propheta. Propheta ad Prophetam proficiscitur: quomodò ergo seipsum non curat Dauid, cùm sit Propheta? Planè sicut Medici, cùm ægrotãt, egent alijs medicis; Morbus enim corrumpit artem: Ita etiam hic quoque.

Ex eodem, in Commentario in Epistolam ad Ephesios.

Ephes. 5. *Omnia autem* (inquit) *quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* Nam quomodò vulnus quamdiù delitescit & supernè tegitur, currit per profundum nullã accipiens curationem; Ita etiam peccatum, quamdiù quidem occultatur veluti in tenebris, intrepidè & cum magna securitate committitur: Postquàm autem fuerit manifestum, is qui ipsum fecit, fit lumen. Nam quando fuerit admonitus, quando pœnitentiam egerit, quãdo remissionem fuerit assecutus; non tunc curasti eius vulnus, non infertilitatem euocasti ad fructum. Eiusmodi dona largiuntur amicis, vt eorum animas ab ira Dei extrahamus, & à profundo peccati. Liga ergo eum donec Deum placãrit: Ne dimittas eum solutũ, ne ira Dei magis ligetur; Nam nisi tu eum ligàris, infracta manent vincula. Neque hoc existimes esse crudelitatis aut humanitatis; sed summæ clementiæ, & optimæ curationis & medicinæ. Sed satis (inquit) dederunt pœnas! Quantò, dic mihi, tempore? Anno vno, vel duobus aut tribus? Sed non hoc quæro, nempe temporis longitudinem; sed animæ correctionem: hoc ergo ostende; an sint compuncti, an sint mutati, & an factum sit vniuersum: Quamdiù hoc non factum fuerit, tempus nihil prodest. Non enim an sæpè alligatum fuerit vulnus quærimus, sed an profuerit ligamentum; siquidem vel in paruo tempore profuit, etiam post decem annos addatur. Ita fit lucrum eius qui est ligatus, solutionis; si & nostri ipsorum & aliorum curam geramus, & non aspiciamus ad hominum gloriam & dedecus; sed supplicium quod illic est & probrum cogitantes, & antè, (ne Deum irritemus) imponamus vehementer pœnitentiæ medicamenta, & ad puram citò veniamus sanitatem.

Pœnitentiæ nõ et indicatur tẽpus, sed animæ correctio.

Ex Salomone.

Eccles. 4. *Custodi pedem tuum dum vadis in domum Domini.*

Ex Esaia.

Esa. 58. *Appropinquare Deo desiderant tanquàm populus qui fecit iustitiam & iudicium Dei sui non dereliquit.*

Ex Osee.

Osee 12. *Misericordiam & iudicium custodi, & appropinqua ad Deum tuum perpetuò.*

Ex Leuitico.

Leuit. 15. *Facite vt filij Israël caueant ab immunditijs suis; & non moriantur propter immunditiam suam, dum ipsi polluunt tabernaculum meum quod est in ipsis.*

Ex Cyrillo, in illud; Anima omnis carnis.

Leuit. 17. *Homo* (inquit) *ex filijs Israël; aut, vt semel dicam, homo:* Duplicat autem, vt ostendat tam eum qui est ex Circumcisione quàm eum qui est ex præputio, debere custodire hoc mandatum. Qui (inquit) *venabitur venationem bestiæ aut volucris quam comedit, eius effundet sanguinem & teget ipsum terra; omnis caro quæ sanguinem eius comedit, exterminabitur.* Venationem ergo si quispiam venatus fuerit; hoc est, si peccantem deprehenderit: Eum enim, spiritualiter, dices esse venationem; Bestiam quidem intelligens qui in foro versatur, & qui materiæ sit immersus & beluinus; volucrem autẽ, eum qui se abduxit à negotijs terrenis. Si ergo peccantem alicubi deprehenderit; effundit quidem sanguinem, nempe peccatum quod admisit: Effundit autem ipsum per confessionem; & teget ipsum terra: eorum enim qui confitentur, terra tegit peccata, vt quæ infernè maneant & sepeliantur pœnitentia. Hæc enim Legislator qui hoc fecit, addit; *Anima enim omnis carnis, sanguis eius est:* præcipiens vt abstineamus ab iniuria facienda in omnes, & non proponamus & publicemus peccata præter fratrum sententiam, sed mandemus terræ; hoc est, silentio: deprehensi scilicet sanguinis tegentes peccatum taciturnitate & venia. Nam qui vescitur sanguine & anima, meritò reputabitur is qui proximi traduxit peccatũ; Mors enim animæ, est peccatum. Debemus autem nos, alter alterum commiserari, vt qui simus ipsi quoque in aliquibus delictis; Solus enim est Deus qui in quem non cadit peccatum.

Peccata sepeliuntur pœnitentia [illegible] sanguis, terra tegitur. *Imò tollitur, & penitus deletur culpa.* *Peccata non sunt traducenda sed silentio tegenda & venia.*

Ex Ioan. Climacho.

Vulnera quæ ducuntur in triumphum, non proficient in peius sed curabuntur. Nihil enim tantam vim aduersus nos dat dæmonibus & cogitationibus quàm si ea nõ enunciata pascantur in corde. Anima autem quæ meditatur confessionẽ; tanquàm à fræno, ab ipsa retinetur ne peccet: Nam quæ non enunciantur, tanquàm in tenebris, securè de cæterò fiunt. Ne fallaris ô fili, & obedi Domino non motus spiritu insolentiæ; nec tanquàm ex alia vtique persona, tua peccata magistro enuncia: nam absque pudore non potes liberari à pudore. Aperi, aperi medico tuum vulnus. Ne erubescas dicere; meum est vulnus ô Pater, mea est plaga; à mea negligentia, & non ab alio profecta. Nullus eius est causa, non homo, non spiritus, non corpus, non aliquid aliud nisi mea incuria. Sis & moribus & figura & cogitatione tanquàm reus, terram intuens; & (si fieri potest) ipsos etiam Medici pedes, tanquàm Christi lacrymis rigans. Solent enim sæpè dæmones nobis suggerere, aut vt non confiteamur aut vt tanquàm ex alia persona hoc faciamus, aut vt pro nostro peccato alios accusemus tanquàm autores. Proptereà enim Ioannes quoque ante baptisma, ab eis qui veniebant, ante baptismum exigebat pœnitentiam ipse non eo indigens, sed eorum procurans salutem. Ne perturbemur etiam si post confessionem bello appetamur. Melius est enim luctari cum inquinamentis, quàm cum vana de se persuasione.

Peccata, tanquàm vulnera, sunt per confessionem reuelanda. *Confessionis meditatio animam reuocat à peccato.* *Pudore liberamur à pudore.*

Ex Quæstione 7. Sit ne melius communicare assiduè, an interiecto aliquo spatio.

Ex Chrysostomo, in Epistolam ad Ephesios.

Video multos corpus Christi participare leuiter ac temerè, & consuetudine magis ac Lege, quàm pura cogitatione & mente, sequentes eos qui participant. Si aduenerit tempus Quadragesimæ & Paschatis, qualiscunque fuerit, fit particeps sacramentorũ. Sed non oportet Festa obseruare, sed conscientiam mundare, & tunc sanctam & venerandam carnem sumere. Cogitemus enim quòd qui erant veteris sacrificij participes, magna vtebãtur parsimonia & abstinẽtia; & se priùs expiabant, & omni ex parte emundabant. Tu autem accedens ad hostiã quam ipsi reuerentur Angeli, periodis temporum rem definis ac circumscribis, & execrandis manibus & labris sumis Christi corpus & sanguinẽ? Et Regem quidem nolueris deosculari ore tuo malè olente; Regem autem cœli osculari malè olente anima, Ea res planè est contumelia. Ergo si non es dignus participatione, nec prece quidem dignus es & statione: audis enim præconem dicentem; Qui non estis in pœnitentia, accedite. Quicunque autem participant, non sunt in pœnitentia.

Conscientia est munda ada ante Communionem. *Pœnitentes non communicabant.*

Ex eodem, in Epistolam ad Hebræos.

Multi, huius hostiæ semel in anno sunt participes; alij autem bis, alij verò sæpè: Ad omnes, ergo nos verba facimus non ad eos qui sedent in deserto. Illi enim semel in anno sunt participes, sæpè autem etiam post duos annos. Quid ergo quinam erunt nobis accepti? iîne qui semel, an ij qui sæpè, an ij qui rarò? Neque ij qui semel, neque

Communicandum ne semel in anno an sæpius.

neque ij qui sæpè, neque ij qui rarò; sed ij qui sunt cum munda conscientia, ij qui sunt cum vita in quam non cadit reprehensio. Qui tales sunt, semper accedant: qui non tales, ne semel quidem. Quamobrem? quoniam iudicium sibi sumunt & condemnationem & supplicium. Nec mireris: Quomodò enim nutrimentum quod suaptè natura alit, si inciderit in eum qui cibum fastidit, omnia perdit & corrumpit, & fit occasio morbi; Ita etiam spirituali fruetis Mensa sanctorum sacramentorum, & rursus os tuum fers in cœnum. Vnguento te vngis, & rursus imples tetro odore! Cùm post annum demum sis particeps Communionis, quadraginta dies tibi putas sufficere ad emundanda peccata totius temporis; Et cùm rursus septimus dies transierit, te rursum dedis prioribus! Dic mihi; si sanus fueris quadraginta dies, conualescens ex longo morbo; & rursus te dederis cibis qui morbos procreant; annon in priorē perdidisti laborem, & te magis læsisti? Si enim mutantur naturalia; multò magis quæ sunt voluntaria. Quadraginta dies tribuis sanitati animæ, fortè autē nec quadraginta quidem; & speras fore vt Deum places? Iocaris hæc dicens! Proptereà ergo Diaconus quoque acclamat, dicens; Sancta sanctis; hoc est, Si quis non est sanctus, non accedat. Non dicit solùm, mundus à peccatis; sed, sanctus.

Corpus Christi indignè sumptū quomodò noceat.
Quadragesima nō sufficit ad mundāda peccata.
Sancta sanctis, cur acclamet Diaconus.

Ex sancto Basilio, in Epistola ad Cæsarium Patricium.

Necesse autem habere aliquem (si non adsit Sacerdos) Communionē propria manu sumere, minimè esse graue, est superuacaneum ostendere, potestate, quòd longa consuetudo etiam per res ipsas probetur. Omnes enim qui sunt in desertis monachi, vbi non est sacerdos, illic habentes Communionem, ex seipsis eam sumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto vnusquisque ex laïcis qui illic degunt, maxima ex parte habet Communionem domi suæ. Nam cùm Sacerdos semel cōfecerit hostiam & dederit, eam accipiens & communicans, tanquàm a Sacerdote sumptā participare se debet credere. Etenim in Ecclesia Sacerdos tradit particulam, & cum omni potestate ac libertate eam tenet qui accipit, & sic sua manu ad os eam adducit. Idem est ergo virtute, siue quispiam vnam particulam acceperit à Sacerdote, siue multas simul. Mens nostra, est natura semper mobilis, neque vnquam desinit cogitare, &c.

Communionē licuatne laico sua manu sumere.
Monachi in desertis manu sumebāt Cōmunionem.
Hostia particula vna & multæ, idem sunt.

Ex hoc Capite obseruandum est, non publicè tantùm, idque à Monachis, & in Ecclesia vt licet conijcere, sed à Laicis etiam domi vulgò asseruari solitam fuisse semel confectam Hostiam, Sancti Basilij ætate.

Ex Quæstione 8. Quot modis fiant fornicationes & tentationes in hominibus.

Ex sancto Basilio in primum Psalm.

Optandum quidem est malum non attigisse: Secunda autem est (vt aiunt) nauigatio, statim post experientiam, tanquàm venenosi serpentis ictum fugere, sicut à Salomone scriptum est de mala muliere; *Oculum tuum in eam ne defixeris, sed resilias, nec diu immoreris.* Nunc autem scio quosdam in iuuētute, ad vitia carnis prolapsos, propter mali consuetudinem in peccatis permansisse vsque ad mortem. Quomodò enim porci qui in cœno volutantur, lutum sibi semper affingunt; ita etiam isti, quæ ex voluptate oritur turpitudinem sibi semper imprimunt. Atque beatū quidem est malum non cogitare: Siue autem per obreptionem, animo, ab inimico acceperis consilia impietatis, ne malo insedens, & qui in peccatis sedulò versatur, moru difficilem habitum animi ne indideris. Inueteratum enim animæ vitium, & confirmata mali meditatio, res est medicatu difficilis, aut potiùs immedicabilis; in naturam vt plurimùm omninò mutata consuetudine.

Secunda est nauigatio, à malo resilire. Eccl. 9.
Consuetudo peccandi permanet vsque ad mortem.
Malum inueteratū est curatu difficile.
Consuetudo peccandi mutatur in naturam.

Ex Isidoro in epistolis: Eudæmoni Scolastico: Epistolarum, Libri 2. Epistola 86.

Nam in delictis non quæritur sola species peccati, sed & animus peccātis, & autoritas, & occasio & modus, & radix, & post pecatū an sit lætatus, an dolore affectus, an

In peccatis quænam sint consideranda.

nullum sensit dolorē, an perseuerauit, an eum pœnituit, A an fortuitò factum sit, an dolo, an ex præmeditatione, an ex habitu; per quæ hæc procedit quæstio, & occasionis examinatur differētia, & vitæ actæ status. Non enim qui ante Legem & qui nō post Legem & gratiam idem peccatum admisit, idem luet suppliciū; sed ille quidem mitius, hic verò grauius, alius autem maximum & implacabile. Hæc omnia manifestè enunciata sunt in Scripturis.

Qui peccat post gratiam grauius punietur.

Ex Theodoreto de Arte curandi.

Non par est enim, ira & animi excandescentia percitum percussisse proximum & neci dedisse, cùm neque de eo priùs consultasset, neque proptereà in eum irruisset; & ex insidijs & consilio capto, scientem & prudentem, mortem captasse. Nam illud quidem est iræ intemperantis, hoc autem extremæ malitiæ; & illud quidem non totum, hoc verò totum est propositi. Ita etiam in li- B bidine non omnes similiter incidunt in peccata; sed alij quidem pulchra corpora non curiosè quærentes, tentantur tamen vbi ea repentè viderint, & seruiunt animi perturbationi; à principatu, recedente ratione: Alij autem vitam esse statuunt, eo spectaculo oculos pascere. Et alij quidem nec cibo nec potu securè fruuntur; vincuntur tamen luctantes, quoniam luctari nolunt ex arte & scientia. Alij autem oppiparè & delicatè viuunt, & excogitāt omne genus deliciarum, & omne genus commentis alias irritant appetitiones; quinetiam dum extinguntur, ægrè ferunt. Cum ergo delinquentium tanta sit differentia, non oportet omnibus similiter succensere; sed eos quidem qui sceleratā vitam apertè amplectuntur, abhominari & abhorrere, alijs autem & consulere, C eósque admonere, & manum eis præbere, & diligenter curare, & sanitatis medicamenta eis exhibere: illos autem si suprà modum insaniant, bestiarum more viuentes; & adhuc superstites lugebimus, & mortuis Sardanapali epigramma inscribemus. Illius enim tumulo erat inscriptum.

Peccantium magna est differentia, & ideo non sunt ex æquo puniendi.

Hæc habeo quæ edi, & quæ exsatiata libido
Sumpsit; opes, & quæ quondam me cuncta beabant,
Non sunt: Sum cinis & fueras cui regia Nini.

Sardanapali epitaphium.

Sed & hoc quoque falsum scripserunt qui scripserunt: Non enim habet mortuus quæ edit & bibit, sed illa abierunt in fœtidum interitum. Habet autem solum iniquæ vitæ fætorem, qui assiduè animam conficit dolore & mærore, malorum sibi consciam, & recordantem eo- D rum quæ gessit iniquè.

Mortuus non habet quæ edit & bibit.

Ex sancto Athanasio, in quæstionibus.

Casti sunt aliqui à Deo protecti; aut cùm sint frigidæ temperaturæ; aut exercitatione sibi vim afferentes, & neminem condamnantes; aut superbiam, aut auaritiam habentes, & despecti à satana; vtpotè quòd arrogantia & auaritia sufficiat suprà omnia vitia ad eos reddendos obnoxios æterno supplicio. Septem sunt modi peccati; primus, Amentia, vt Dathan; 2. Deceptio, vt Eua; 3. Repentina obreptio, vt Petrus Apostolus; 4. Obliuio, vt Moyses qui non sanctificauit Deum super Petram; 5. Tyrannis, vt Darius qui tradidit Danielem; 6. Incredulitas, vt vxor Lot; 7. Contemptus, vt Giezi Elisæum; 8. Mala affectio, vt Pharisæi qui celabant resurrectio- E nem Domini.

Castitatis multiplex causa.
Peccati, modi septem.

Ex Iosepho, de Machabæis.

Quærimus ergo an ratiocinatio imperet animi perturbationi. Dijudicemus autē quidnam sit ratiocinatio & animi perturbatio, & quot sunt species animi perturbationum, & an in eas omnes dominatum obtineat. Et ratiocinatio quidem; mens est, cum recta ratione vitam sapientiæ præferens. Sapientia autem est cognitio rerum diuinarum & humanarum, & causarum earum; Ipsa autem est disciplina Legis per quā diuina honestè ac præclarè, & humana conducibiliter discimus: Sapientiæ autē hæ sunt quatuor virtutes; Prudētia, Iustitia, Tēperantia, magni & excelsi animi virtus. Omnium autem facilè princeps est Prudentia, ex qua animi perturbationibus dominatur ratiocinatio. Quæ autem animi perturba-

Ratiocinatio quid sit.
Sapientia quid sit.
Sapiētiæ quatuor sunt virtutes.
Prudentia, virtutū princeps est.

tiones maximè continent, duo sunt; voluptas & labor: Eorum autem vtrumque innatum est in anima, de voluptate autem & laboribus bonis magna est consequētia. Ante voluptatem quidem est desiderium; post voluptatem autem gaudium: Et ante laborem quidem seu dolorem est metus; post laborem autem, tristitia. Ira autem est affectio communis voluptati & labori. In voluptate autem est etiam maligna affectio, omnium affectionum maximè varia & multiplex. In anima quidem, arrogantia, & maledicentia, & auaritia, & gloriæ cupiditas contentio & inuidia. In corpore autem, ingluuies, liguritio, & solum apud se vesci. Sicut ergo duæ sunt plantæ animæ & corporis, & voluptas & labor; ita etiam earum plantarum multæ sunt propagines: Quarum vnāquamque, expurgans omniū agricola ratiocinatio, amputans, complicans, & irrigans, & omnibus modis curans morū & affectionum materiam mitigat. Nam ratiocinatio dux quidem est virtutū, imperatrix autem affectionum & animi perturbationum. Temperantia autem est dominatio in cupiditates. Atque ex cupiditatibus quidem aliæ sunt animæ; aliæ verò corporis; & in ambas dominatum obtinere cernitur ratiocinatio. Vndénam enim moti ad prohibita alimenta, auersamur quę ex eis oriuntur voluptates? An non quia ratiocinatio dominari potest appetitionibus? Ego quidem certè existimo. Nam propter temperantem ratiocinationē & cogitationem, sustinent harum appetitionum affectiones, omnes corporis motiones. Sic enim temperans quoq; Ioseph laudatur, quòd cùm esset iuuenis & florens ætate ac vigens ad coïtum, ratione fregit œstrū harum animi perturbationū. Non solùm autem cernitur ratiocinatio superare impulsionem ad libidinem, sed etiam omnem cupiditatem. Lex quidem certè dicit; *Non concupisces vxorem proximi tui, neque quæ sunt proximi tui, vllo modo.* Si quis solus vescatur, & sit moribus lurco, helluo, & ebriosus; eruditur: Est scilicet ratiocinatio domina affectuum & animi perturbationum. Rursus autem violentioribus quoque animi perturbationibus dominari cernitur ratiocinatio, auaritiæ, vanæ gloriæ, arrogantiæ & inuidiæ: Omnia enim hæc maligna vitia, mens moderata & temperans cogit repellere, sicut & iram; ei enim dominatur. Moyses quidem certè nihil fecit iracundè aduersus Dathan & Abiron, sed ratione moderatus est animum: Potest enim, vt dixi, mens moderata & temperans se fortiter gerere aduersus affectiones ac perturbationes; & ex ijs alias quidem transferre, alias autem frangere. Nam cur Iacob arguit Simeon & Leui, propterea quòd Sychimitas penitus interfecerunt dicens; *Maledicta est ira eorum?* Nam quando Deus hominem condidit, mores ei inseuit, & in omnibus sacram ducem mentem per sensus collocauit, & ei Legem dedit, secundùm quam Rex vitam instituens, regnū habeat temperans, iustum, & fortè. Quomodò ergo (dixerit quispiam) si affectionum & perturbationum domina est ratiocinatio, non dominatur obliuioni & ignorantiæ? Dicitur autem hoc valde ridiculè. Non enim vt in suas affectiones dominatum obtineat ratiocinatio, est ei à natura ingeneratum; sed vt in affectiones corporis: vt, cupiditatem non potest quispiam exscindere; sed, ne seruiat cupiditati, præbere potest ratiocinatio. Iram non potest quispiam exscindere nostræ animæ, sed fieri potest vt ratio opem ferat iræ. Malignitatem nostram non potest quispiam exscindere; sed, ne malignitate inflectatur potest ratio dare auxilium: Non enim affectuum & perturbationum est ratio eradicatrix, sed aduersaria. Potest enim mens temperans vincere affectionū & perturbationum necessitates, & œstrorum extinguere ardores, & corporum exuperantes prosternere dolores, & repellere omnes affectuum dominationes. Sed dixerit fortasse quispiam; non omnes, superant affectus & perturbationes! quoniam nec omnes prudentem habent ratiocinationem; sed qui ex toto corde curam gerunt prouidentiæ, ij soli possunt superare carnis affectiones.

Anima & corporis perturbationes. — *Ratiocinatio, est agricola & dux virtutum.* — *Temperantia quid sit.* — *Castitas Ioseph.* — *Deut. 5.* — *Ratiocinatio dominatur animi perturbationibus.* — *Num. 16.* — *Gen. 49.* — *Ratiocinatio cur non dominatur obliuioni & ignorantia.* — *Ratio non eradicat affectus, sed eis aduersatur.*

Ex Sereno Monacho.

A Quando diuturna exercitatione & meditatione, ad spiritalium bonorum habitum peruenerit quispiam, & didiscerit quamnam materiam suæ memoriæ debeat præparare; tunc poterit hostis insidias facilè propulsare. Non oportet ergo nostri cordis elationem, aut humanæ naturæ, aut eius creatori Deo adscribere, sed nostri liberi arbitrij socordiæ ac negligentiæ.

Libero arbitrio est adscribenda superbia.

Ex eodem.

Non est mirandum si spiritus spiritui adiungatur insensiliter, & sub aspectum non cadens suggerat quæ animum delectant & voluptate afficiunt; est enim inter hos spiritus & homines in intelligētibus & ratiocinantibus similitudo & cognatio: & eadem datur definitio de anima hominis, & de intelligenti illorum essentia; vnde B possunt inter se coniungi propter ratiocinationem: Vt autem inter se sic vniantur vt sit alterum alterius capax in essentia, nequaquam potest fieri. Hæc enim, sola, potest Ternaria diuinitas, quæ sola est incorporea & simplex natura. Non vno autem modo sustinent qui vexantur & aguntur à dæmonibus. Quidam autem sæpè cognoscunt & versant animo: Non est autem existimandum dæmones ita in homines agere, vt extrinsecùs penetrantes in substantiam seu essentiam ipsius animæ, & ei vniti & quodammodò eam induti, sermones & verba per os emittant; Nullo enim modo hoc possunt: Neque etiam hoc agunt per animæ detrimentum, sed per imbecillitatem corporis; nam id solùm quo dammodò induunt.

Spiritus spiritui quomodò adiungatur. — *Spiritus non est essentia & alterius spiritus capax.* — *Ternaria diuinitas impropriè dictū pro Trinitate. Caute lege, forsan loquitur de incorporeitate, quæ omnē excludit potentiam.* — *Dæmones nō penetrant in substantiam animæ.*

Ex Maximo, ad Pyrrhum.

C Virtutes quidem sunt in nobis naturales, & ex æquo in omnibus hominibus: Est autem inæqualitas ex eo quòd non ex æquo operentur omnes, quæ sunt naturæ. Vnde ex æquo omnes (ad quod nati sumus) operaremur naturalia, nisi ostenderetur in omnibus sicut in naturis ita etiam in virtute, id quod est magis & id quod est minus. Si autem non est virtus natura, sed ex creatione; quomodò labore & exercitatione virtutes acquirimus? Sed exercitatio, & qui eam sequuntur labores, excogitati sunt à studiosis virtutis ad discernendam solam deceptionem quæ per sensum infunditur in animam, non ad recens extrinsecùs inducendas virtutes: In nobis enim sunt insitæ à creatione, vt dictum est. Vnde etiam D cùm primùm perfectè discreta fuerit deceptio; simul etiam virtutis qui est secundùm naturam splendorem ostendit anima. Si enim qui non est imprudens, prudens omnino; & qui non est impudicus, pudicus; & qui non est iniustus, vtique iustus solet apparere vel sola ablatione eorum quæ sunt præter naturam; quomodò etiam rubiginis amotione, naturalis ferri nitor & splendor. Aduersatur autem prudentiæ quidem malitia & ignorantia: Iustitiæ autem, plura habendi cupiditas, seu auaritia & negligentia: qua quis minus quam par sit habere nihil facit: Temperantiæ autem, fornicatio seu immunditia, & stupiditas; Animi autem fortitudini, audacia & timiditas. Et neq; simul cum carne, ab initio fuit creata voluptas & dolor; neq; cum anima, obliuio & ignorantia; neque cum mente, formari & transformari formis E eorum quæ facta sunt: Trāsgressio enim inuenit eorum generationem. Qui ergo à carne exemit voluptatem & dolorem, agendi effecit virtutem: Qui autem ab anima sustulit obliuionem & ignorantiam, pulchrè naturalem confecit contēplationem. Qui autem mentem à multis liberauit typis ac figuris, Theologicam acquisiuit mystagogiam quæ illuminatur sola luce diuinitatis, quæ verè est & secundùm naturam, & perfectam sibi ipsi restituit naturam: Carnis enim & animæ & mentis, hæ sunt primæ & magis vniuersæ affectiones.

In virtute vnde est inæqualitas. — *Exercitatio cur excogitati.*

Ex Esaia.

Nunc gemam, & consolabor meipsum, propterea quòd impleti sunt lumbi mei consolatione, & dolores me ceperunt tanquàm mulierem — *Esa. 21.*

mulierem quæ peperit. Iniquè feci vt non audirem, studui vt non aspicerem. Cor meum errat, iniquitas me obruit; Anima mea stat Esa. 54. c *in timore.* Et, *quando facta fuerit ira animi mei, inquit Deus, rursus medebor; & paruo tempore dereliqui te, & cum misericordia magna miserebor tui: In ira paruum auerti faciem meam à te, & in misericordia æterna miserebor tui, dicit Dominus qui te liberat:* Esa. 57. d Et, *non in æternum vindicabo vos, dicit Dominus, neque perpetuò irascar vobis, Spiritus enim Domini exibit à me, omnē flatum ego feci: Propter peccatum ei paruum fui molestus, & auerti faciem meam ab eo, & mœrore affectus est, & ambulauit tristis in vijs suis, & vidi vias eius, & medicatus sum ipsum, & dedi ei consolationem veram.*

Ex Iacobo Apostolo.

Iac. 1. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam probatus factus accipiet coronā vitæ, quam promisit Dominus ijs qui ipsum diligunt.*

Ex Petro Apostolo.

1. Pet. 2. *Hoc enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè: quæ est enim gloria si peccantes & collaphizati sufferetis?* Et; 1. Pet. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati; quoniam quod est gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit: Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur aut maleficus, aut aliorum appetitor; si autem vt Christianus, non erubescat.*

Ex Paulo Apostolo.

1. Cor. 4. *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc:* Et, Ro. 5. *Non solùm autem, sed & gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autē non pudore afficit.* Et, Heb. 12. b *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum decertantes, &* Prou. 3. b Iob. 5. c Apoc. 3. c *obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens; Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque defatigeris dum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filiū quem recipit: si disciplinam sustinetis, tanquam filijs vobis offertur; quis est enim filius quem non castigat pater?* Et deinde: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; posteà autem fructum pacificum exercitatis per eam reddit iustitiæ.*

Ex Basilio in principium Prouerbiorum; Quòd disciplinæ laborem, sequitur vtilitas.

Disciplinam nosse non est cuiusuis ingenij. Hanc ergo nosse disciplinam, non est cuiuslibet ingenij. Quamobrem multi, eorum quæ fiunt labore defessi, euentus vtilitatem non expectant ob inscitiam, sed studij & diligentiæ non ferentes austeritatem, in inscitiæ infirmitatibus remanent. Propterà admiratione dignæ sunt iustorum voces, dicentium; Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* disciplinam enim non recusant, sed iram. Huic simile est & illud; Hier. 10. *Castiga nos Domine, sed in iudicio non ira:* Et illud; *Disciplina Domini aperit aures meas;* Ipsa enim disciplina est multis pecunijs pretiosior. Quamobrem dicit Salomon, Prou. 8. b *Accipite disciplinam & non pecuniam.* Mich. 7. b Et; *in tempore circumstantiæ, aut corporis laborantis, aut afflictionis domesticorum, non accipias malam de Deo cogitationem, sed in magna tolerantia accipias eius plagas, castigatus ob peccata quæ admisit:* Psal. 118. 2. Cor. 6. Et; *Iram Domini non sustinebo, quoniam peccaui ipsi.* Et; *Bonum mihi quoniam humiliasti me.* qualis erat Paulus dicens; *Castigati non morte affecti.*

Ex eodem in Regulis monasticis fusius disputatis.

Spes in Deū per multos labores docetur. Ita etiam veteres spem in Deum per multos labores docebantur. Laboribus enim afflictus Ioseph, tredecim annis hoc facere didicit, calumnijs, vinculis, post præclara illa & magna Dei promissa ei facta in somnis; sed posteà præter spem fit Dominus Ægypti. Dauid autem non solùm promissis sed etiam regiū accepta vnctione, in periculo versabatur; fugiebat, abscondebatur, ad alienigenas aufugiebat expulsus inuidia eius qui tūc regnabat; sed posteà, & eius qui ipsum persequebatur vidit ruinam, & accepit regnum. Multæ enim sunt quæ iustis eueniunt tentationes & spei exercitationes, cùm tanto tempore non impleantur, sed cuncta etiam contraria accidunt. Quid enim consentaneū erat existimare, Ioseph, qui erat venundatus, venturum ad adorationem quam pollicebantur somnia? A Quid verò Dauid qui vnctus erat vt Rex, affligebatur autem tanquam captiuus, exulabat tanquàm sceleratus; quid cogitare poterat de vnctione? Sed non desperabat promissa bonorū, propter mala quæ accidebant: Propterea manebant pij ac religiosi, cùm nihil amplius haberēt quàm spem in Deum. Quid verò dixeris de Abrahamo, qui iussus in sacrificiū offerre suum filium de quo datum fuerat responsum; Gen. 21. *In Isaac tibi vocabitur semen*, quomodò non dubitauit, aut dixit: O Domine, Isaac offeram, & quomodò implebitur promissum? sed nihil tale cogitauit aut dixit: Quamobrem ei quoq; *reputatum fuit ad iustitiam.* Re vera enim, præter spem in Deum, spes omnis est vana & inanis. *Spes omnis, præter spem in Deum, est vana.* Siue quispiam sperat in diuitijs; Psal. 33. *diuites eguerunt & esurierunt, qui autem Dominū exquisierunt non minuentur omni bono.* Hier. 17. a Siue *quis confidit in homine, & firmauit carnes brachij sui in* B *ipsum, & à Domino recessit cor eius:* Et; Psal. 117. *Benedictus homo qui confidit in Domino, & erit Dominus spes eius.* Psal. 32. Et; *Bonum est confidere in Domino quàm sperare in principibus. Non seruatur* autem neque *Rex per multam virtutem, & gigas non seruabitur in multitudine virium suarum, fallax equus ad salutem in multitudine autem virtutis non seruabitur, ecce oculi Domini super timentes eum & in eis qui sperant in misericordia eius, ad liberandum animas eorum & alendum eos in fame.*

Ex Maximo, in Capitibus.

Spes ponenda in solum Deum. Omnis quidem homo est diligendus ex animo; in Deo autem solùm est spes ponenda, & totis viribus est colendus. Quandiù enim nos ipse conseruat, & amici omnes nos obseruant, & inimici omnes aduersus nos nihil possunt: Postquàm autem ipse nos dereliquit, & amici omnes C nos auersantur, & inimici omnes sunt aduersùs nos, potentes. Et quando ex inopinato in te ingruerit tentatio, ne confer culpam in eum per quem id factum est, sed quære propter quid, & inuenies correctioné. Nam *Dæmones vel per se nos tentant vel per eos qui Deum non metuunt.* siue per ipsum, siue per alium facit; habuit Dei iudiciorum absinthium: & vel per se nos tentant dæmones, aut eos qui Dominum non metuunt in nos armant. Et per se quidem quando separati sumus ab hominibus; sicut Dominum in Solitudine: per homines autem, quando versamur cum hominibus; quomodo etiam Dominum per Pharisæos. Sed nos in Christi Dei nostri figuram aspicientes, vtrinque eos propulsabimus. *In Christi figuram aspicientes, & dæmones & homines aduersarios nostros fugamus.*

Ex Ioanne Climacho.

Domestici sunt instrumenta Dæmonum & sunt maximè inter inimicos. Ne mireris videns amicos tuos te habere odio; dæmo- D num enim instrumenta sunt domestici, & sunt maximè inter inimicos.

Ex Chrysostomo, in Epist. 1. ad Corinthios.

Nihil prodest si apud omnes in bona simus existimatione, Deum autem offendamus; & nullū est periculum si nos auersantur omnes & oderint, Deus autem nos admittat & diligat. Nam quæ verè est gratia; & quæ verè est pax, à Deo est: Instabile autem est genus hominum. Neque amici solùm & fratres, sed & patres mutant sæpè parua de causa, cū quem genuerunt & aluerūt, tanquam hostem expulerunt; & filij, patres eiecerunt. Considera autem; Dauid gratiā habuit apud Deū, Absalon gratiam habuit apud homines: quisnam fuerit vtriúsque finis, & quis in meliori fuerit existimatione, scitis. Abrabam gra- E tiam habuit apud Deum, Pharao autem apud homines; gratificantes enim & homines, vxorem iusti ei tradiderunt: quis autem fuerit clarior, cuiuis est perspicuum. Et quid dico de iustis? Israelitæ gratiam habebant apud Deum, odio autem habebātur ab hominibus Ægyptijs; sed tamē eos qui odio habebant superârunt, vicerunt & prostrauerūt. Hoc ergo sit omnibus studium; seu seruus sit quispiam seu liber, oret vt apud Deum gratiam inueniat, & sic hominibus erit gratus & acceptus. *Gratia apud Deum est quærenda.*

Et ex eodem in Psalmum.

Multi ergo bella habent in ædibus: & ille quidem bello appetitur ab vxore, hic verò obsidetur à filio, alius à fratre, & alius donatur à seruo & vnusquisque angitur & afflictatur, & pugnat, & bellum gerit, & bello vexatur; & nemo subducta ratione apud se cogitat quod

(A) niſi peccata ſeminaſſet, non in domo ſua ſpinæ & tribuli ſuccreuiſſent; niſi peccatorũ ſcintillas occultaſſet, domus non conflagraret. Quòd enim peccatorum fructus ſunt mala propria, & domeſticos lictores Deus aduerſus peccatorem eligit; teſtis eſt Deus & teſtis eſt Scriptura. Vxor tecum hellum gerit, ingreſſo tanquam fera occurrit, linguam tanquàm gladium acuit? Res quidem valdè moleſta ac difficilis, quòd auxiliatrix aduerſaria facta eſt; teipſum tamen examina, nunquid in iuuentute in mulierem noui quid attentaris, & quod mulieri à te inflictum eſt vulnus curetur per mulierem; & aliud vlcus propria vxor (Chirurgi officio fungens) medicetur; & quamuis quæ ſecat ignoret, nouit tamen Deus medicus. Deus enim ipſa tanquàm ferro aduerſus te vſus eſt: & quemadmodùm ferrum neſcit quod agat, futuram autem per ferrum medelam nouit medicus; ita (B) etiam licet ignoret vxor quæ ferit, & maritus qui feritur, cauſam ictus; Deus tamen ſicut medicus, nouit quid conferat. Quod tamen mulier mala ſit peccatorum purgatio, teſtis eſt ſacra Scriptura dicens; *Mulier mala viro peccatori dabitur:* Et dabitur tanquam antidotum amarum quod peccatorum malos humores conſumat. Quod autem etiam obſideri à filijs, ſit peccatorum ſupplicium, teſtis eſt Dauid, qui propter nefarium coniugium, à filio ſuo Abſalon, bello impetitur. Quod autem etiam fratres aduerſus fratres propter peccata hellum geſſerunt, teſtis eſt liber Iudicum: Quando enim in Viatoris concubinam, qui Tribus erant Benjamin, ſunt fornicati, illa autem immenſam non paſſa contumeliam eſt mortua; vndecim Tribus aduerſus vnam hellum geſſerunt, & hi & illi à Deo ſunt exterminati, ſicut (C) ſcriptum eſt, *Exterminati omnes qui fornicantur à te:* Fratres ergo aduerſus fratres propter peccata, hella geſſerunt. Si ergo à fratribus oppugnaris, ne aduerſus illos ingemiſcas; ſed apud te ipſum rationem ineas, & inquiras propter quænam peccata fratres tui ſint hoſtes. Non quòd omnes propter peccata à fratribus oppugnentur: Ioſeph enim oppugnabatur à fratribus, & non omninò propter peccata; & Iobo vxor inſidiabatur, & non omnino propter peccata; & non omnino propter peccata, hoſtes habemus domeſticos. Sæpè autem etiam amici, propter peccata conuertuntur in inimicos; & qui olim amabant, oderunt & auerſantur; Deo tale odium immittente propter eas quas nouit rationes: Ita enim ſcriptum eſt de Ægyptijs; *Conuertit cor eorum vt odirent populum* (D) *eius.* Non datum autem eſſet à Deo odiũ, niſi priùs malè amaſſent: Quibus enim amicitia comparabat exitium; ijs odium, erat occaſio virtutis. Et quid dico de malis domeſticis, quando ipſum quoque noſtrum corpus, quod eſt nobis, omnibus familiarius & charius, nos peccantes ſæpè oppugnat vlciſcens per febres morbos & dolores; & corpus ſeruum dominũ animam propter peccatum ſæpè flagellat. Teſtis eſt Chriſtus qui dixit ei quem ſanauerat; *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare ne quid deterius tibi contingat.* Et nunc nobis peccantibus, Deus aduerſus nos excitat hoſtes: Sed dum hello appetimur, ne aduerſus eos hellum geramus; ſed magis nobiſcum ineamus rationem, & ſi quid peccauimus, corrigamus, & videbimus inimicos noſtros; ante ocu- (E) los, cadentes. Proptereà enim nobis datum eſt præceptum, ne vlciſcamur inimicos, quoniam propter peccata Deus eos in nos ſæpè excitat; neque quidquàm proficimus aduerſus eos, belligerantes, quos Deus in nos excitauit. Vis videre ruinam eorum qui te oppugnant? Te tuorum peccatorum pœniteat, & corruent inimici.

Peccatorum fructus, ſunt mala propria.

2. Reg. 16. — *Iud. 19.* — *Iud. 21.* — *Pſal. 72.* — *Iob. 2.* — *Pſal. 104.*

Corpus noſtrum ſæpè nos oppugnat — *Io. 5.*

Cur Deus prohibuit vltionem inimicorum.

Ex eodem, de Gradibus.

Proptereà tentationes & afflictiones & corpus mortale, & multi rerum caſus, & affectiones, & morbi, vt frena innumerabilia circumponuntur animę quæ facilè extollitur in ſuperbiam. Noli ergo perturbari dum tentaris, ſed tanquàm medicamenta ſuſcipe calamitatem, & poteris conſequi maiorem remiſſionem.

Tentatio nos vertit tanquàm frenũ.

Ex eodem, Ad Stagyrium.

(A) Si videas autem aliquos vetiantes in ijs quæ ad hujus ſæculi vitam pertinent, & degentes in otio; ne mireris: Hoc enim dixit Chriſtus; *flebitis & lugebitis vos, Mundus autem gaudebit.* Porrò autem in prioribus quoque generationibus, Babylonij qui ne Deum quidem nouerant, diuitijs abundabant, potentéſque erant & in honore: Iudæi autem erant in captiuitate, ſeruitute, & extremis malis. Et Lazarus quidem qui cœlis erat dignus, iacebat ſcatens vlceribus quæ lingebant linguæ canum, cum fame perpetuò depugnans; Diues autem erat in honore, & ſanitate, & otio, & diuitijs: Sed tamen ille neque à fame, neque ab vlceribus quidquam eſt læſus; neque hic, à rebus ſecundis quidquam lucri fecit. Proptereà dicit ſapiens; *Fili, ſi accedas ad ſeruiendum Domino, para ani-* (B) *mam tuam ad tentationem; Dirige cor tuum, & ſis fortis, & ne feſtines in tempore obductionis, quoniam in igne probatur aurum, & homines accepti in fornace humiliationis.* Vnde dicit Dauid; *Proba me Domine, & tenta me.* Qui enim aurum inijcit in fornacem, ſcit quouſq; oporteat ipſum accendi, & quando deſinere. Non eſt ergo apud Deum vna ſpecies exercitationis, neque ijſdem indigent & ſi ſint in ijſdem. Multi enim ægrotantes ijſdem morbis, non ijſdem opus habuere medicamentis; ſed hi quidem alijs, alijs verò illi. Proptereà & varij & diuerſi ſunt modi flagellorum; & alius quidem domatur longo morbo probatus, alius autem grauiſſima preſſus inopia, alius quòd ei vis afferatur iniuria, alius quòd ab omnibus abijciatur maledictiſque & calumnijs appetatur in ijs quorum ſibi nihil eſt conſcius, & malæ exiſtimationis pon- (C) dus ſuſtineat; alius, quòd videat crebras & dẽſas mortes filiorum, & eorum qui proximè ad ſe attinent.

Ioh. 16. — *Luc. 16. 20.* — *Eccl. 2.* — *Pſal. 25.*

De tentationum & flagellorum diuerſa ſunt ſpecies.

Ex Athanaſio, in Interrogationibus.

Fidelium infantes ſæpè moriuntur ad caſtigationem parentum: Dicit enim Deus per Ieremiam, ad duro corde Iſraëlem; *Fruſtrà percuſſi filios veſtros, diſciplinam non ſuſcepiſtis, gladius deuorauit Prophetas veſtros tanquàm Leo exterminans, Et non timuiſtis.* Et idem Propheta de ijſdem ait; *Flagellaſti eos Domine, & non laborauerunt, conſummaſti eos, & noluerunt ſuſcipere diſciplinam, Indurauerunt vultus ſuos ſupra petram, & noluerunt conuerti.* Duo ergo bona in eo, Deo procurante: vnum quidem, vt cùm mundi exceſſerint, illic ſalutem conſequantur; Fortaſſe enim quia ſceleratam vitam erant acturi, conſultò eos Deus præ- (D) ripuit: Secundum autem, vt eorum parentes effecti modeſtiores, quæ liberis in teſtamento dandæ erant pecunias, de cæterò pauperibus diſtribuant pro ſua ſalute. Et illi quidem decedentes, nullo ſunt detrimento affecti; & iſti, ſi volunt, maximam acceperunt vtilitatem effecti modeſtiores.

Hier. 2. — *Hier. 5.*

Deus rapiens infantes, duo bona procurat.

Ex Maximo, in Capitibus.

Qui in hac vita à diuina prouidentia exercentur ad pietatem, probantur per tres tentationes; nempè ad perditionem rerum neceſſariarum, vel per fœlicitatem in ſanitate & prole, vel per amiſſionem pecuniæ, glorię, & ſimilium. Et primis quidem dicit Dominus; *Si quis non renunciat omnibus facultatibus, non poteſt eſſe meus Diſcipulus:* Secundis autem & tertijs; *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

Tres Dei tentationes exercentes ad pietatem. — *Luc. 14.* — *Luc. 21.*

(E) *Ex Diadocho, ex Capitibus Aſceticis ſeu monaſticis.*

Cap. 87.

Quæ diſciplina fit renunciatio, fert quidem animæ magnam triſtitiã, & humiliationem, & deſperationem moderatam, vt eius pars glorię cupida & elata (vt decet) veniat ad humilitatem. Statim autem inducit metum Dei, & lacrymam cõfeſſionis, & multi ſilentij magnum deſiderium. Quæ fit autem per auerſionem à Deo, concedit vt impleatur anima deſperatione ſimul & incredulitate & ira & arrogantia.

Renunciatio duplex.

Ex Euſebio Pamphili, ad Guarinum.

Nathan enim, per ab eo dictam ad Dauid Parabolam, docet quòd in magna tentatione Dauidi accidit peccatum. Oſtendit autem oratio quod non præſente alio,

neque

2.Reg.7.

neque coram vniuerso populo redarguit: *Ingressus* enim, inquit, *ad ipsum*. Dauid autem non solùm suis suum enunciat delictum sed etiam posteris hominibus, vt qui inscripserit dictum fuisse Psalmum quando ingressus est Bethsabee cùm venisset ad eum Nathan Propheta.

Superbè prolatum verbũ, causam dedit vt Dauid caderet in peccatum.

Ps 30.

Psal. 126.

Existimo autem eum huic maligno Spiritui fuisse derelictum propter vnam illam vocem quam dixit: *Ego dixi in successu meo, non mouebor in æternum*, Tam elati enim fuisse animi vt eiusmodi proferret verbum, quòd nunquàm moueretur, maneret autẽ in suo successu immutabilis & impatibilis, erat nimis superbum & insolens, & non simile isti: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Sed sanctus quidem Apostolus cùm hæc sciret, non ausus est dicere;

1.Cor. 9.d

1.Cor.10.c

1.Cor. 1.

2.Cor.10.d

Non mouebor in æternum, sed cogitabat, dicens: *ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar*, & admonet dicens:

B

Nemo glorietur in hominibus, qui autem gloriatur, in Domino glorietur Et; *Qui videtur stare, videat ne cadat, non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat:* Et rursus prophetia; *Ne gloriemini, & ne loquamini alta nimis, neque exeant magnifica verba ex ore vestro.* Sed Salomon quoque dicit; *Ne glorieris in crastinum; nescis enim quod pariat dies sequens.* Dauid autem cùm res secũdæ euenissent à Domino, & ad magnam prouectus esset virtutem, ausus est dicere; *Non mouebor in æternum*; quamobrem statim relinquitur à Domino qui bona ei suppeditabat, & ei coniungitur spiritus malus: Vnde dicit; *Ego autem dixi in successu meo, non mouebor in æternum, auertisti autem vultum tuum, & factus sum conturbatus*; docens quòd cũ priùs dixisset; *Non mouebor in æternum*; posteà auertente Deo faciem suam propter vocem magnificam, confitetur se esse conturbatum. Deinde ex his accepta vtilitate, non sibi ampliùs sed Deo ascribit, dicens: *Domine in in voluntate tua præstitisti pulchritudini meæ virtutem:* Quando enim auertisti faciem tuam & sui conturbatus, tunc cognoui quòd & olim tua voluntate, & ex tua gratia & dono, fuit in mea anima pulchritudo. Quamobrem dicit; *In altum sublatus humiliatus sum & defatigatus.* Sed bonum tibi quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas & cognoui quod iustitia veritas, & iudicia tua, & humiliasti me.

Prou.27.

Psal 30.

Ps. 87. d

Ex sancto Basilio, in Asceticis.

Lapsus piorum, sæpe cedunt ad eorum vtilitatem.

Mat. 26.c

Piorum detrimenta sæpè fiunt Dei cõsilio & dispensatione ad vtilitatem; Deo, vni concedente aliquando labi ad medendum quam acceperat elationem; vt quod à Petro dictum est, & in eo factum.

Ex Quæstione, Vndènam videmus, aliquos Fideles, in corporales incidere prolapsiones, à Deo autem affici beneficiis & liberari à periculis

Ex Olympiodoro.

Rom.10.

Iustitia propria dicitur, qua quis est apud se iustus.

De eis docet Apostolus, dicens: *Ignorantes enim Dei iustitiam, & propriam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti:* Iustum ergo hìc dicit, non eum qui iustè quod iustum est persequitur, sed eum qui est apud se iustus, qui perit aut etiam eiicitur ex iustitia. Impius autem non perit ex pietate neque ab ea eiicitur, sed manet in vitio suo, hoc est, punitur per vitium.

Ex Quæstione 10. Cùm Deus dicat per Prophetam Aggeum, Meum est aurum & argentum, & cui voluero dabo ipsum; *nunquid quicunque euasit diues, ditatus est à Deo?*

Ex Isaia.

Esa. 61.

Ego sum qui diligo iustitiam, & odi rapinas ex iniquitate & dabo laborem eorum iustè, dicit Dominus.

Ex Basilio, Ad diuites.

Dupliciter puniuntur qui male partas diuitias relinquunt.

Vide ne cùm infinitis laboribus diuitias collegeris, peccatorum materias alijs compares, deinde inueniaris duplici affectus supplicio, nempe & propter ea quæ fecisti iniustè, & propter facultatem quam dedisti alijs.

Ex Chrisostomo, in Epistolam ad Corinthios.

Auaritia est fermentum vitij.

Quamobrem festum dicit agere non in fermento veteri, neque in fermento vitij & probitatis. Auaritia

enim est fermentum vetus vitij & improbitatis, & quorcunque fuerit ingressa, reddit immundum.

A

Etiam si pauca lucrifeceris ex iniquitate; tanquàm parum fermenti totam massam fermentat, quæ domum tuam fermentauit & polluit. Propterea sæpè pauca quædam malè illata, multa rectè condita eiecerunt & dissiparunt. Quid verò (inquis) quod sunt multi auari qui hæc non patiantur? Maximè verò patientur, & si non statim passi sint: Sin autem nunc effugerint, tunc magis time, quoniam reseruantur ad maius supplicium. Etiam si ipsi effugerint, hæredes tamen eorum non effugient. Et quomodò est, inquis hoc iustum? Et valde quidem est iustum: Nam qui scelere acquisitæ successit hæreditati, etsi ipse non rapuit, habet tamen quod raptum est: Ille colligauit, at tu tenes: Ille fecit iniuriam, sed tu frueris: Peccata *thesaurizauit & iram in die iræ*, Et tu peccatorum & iræ hæres & de us omnino pœna à te exigetur. Hæc autem sciunt quoque Leges externæ; eos enim dimittentes qui surripuerunt & sustulerunt, iubent ab illis repetere omnia apud quos ea inuenerint. Si nosti quidem eos qui sunt affecti iniuria, redde; & fac quod fecit Zacchæus cum magna accessione: Sin autem ignoras, distribue omnia egentibus; & tu quidem habebis mercedem, Ille autem supplicium.

Puniuntur & auari & eorum hæredes.

Ro. 2. a

Fure relicto, res conducuntur ab eo apud quem inueniuntur.

Luc. 19. a

Ex eodem, ex Epistola ad Corinthios.

Vndénam, inquit, ditescunt diuites? dictum est enim *Diuitiæ & paupertas à Domino.* Dicamus ergo iis qui hæc nobis obiiciunt: Omnes diuitiæ & omnis paupertas à Deo? Et quis hoc dixerit? Videmus enim cogi diuitias,

Eccl. 11. b

C

& ex rapinã, & ex sepulchri effossione, & ex præstigijs, & ex alijs huiusmodi causis: & qui eas habent, ne dignos quidem esse qui viuant! Quid ergo? dic mihi? has diuitias dicimus esse à Deo? Absit: sed vnde? ex peccato: Nam & meretrix ditescit, contumelia & probro affecto corpore, & formosus iuuenis sæpè scortans fuit ditatus. Sunt ergo diuitiæ quidẽ ex Deo, cuiusmodi erant Abrahami & Isaac & Iacob & Iob: Quamobrem dicebat, *Si bona accepimus è manu Domini, mala cur non feremus?* Et quæ posteà facta est multiplicatio diuitiarũ, eius est donum. Paupertas est autem rursus à Deo qualem consulebat ei qui tunc erat diues, dicens: *Si vis perfectum esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et discipulis rursus Leges statuens: *Nolite possidere aurum, neque argentum.*

Diuitiæ sæpè non sunt à Deo sed à peccato.

Iob 2.10.

Paupertas quænam à Deo.

Luc. 16.

Mat 16. 1

Matt.10.

D

Vis etiam videre eos qui non à Deo facti sunt diuites? Vide eum qui tempore Lazari fuit Diues, Achab, Giezi, & qui sunt eiusmodi. Nam isti iustè quidem possidẽtes, vt qui à Deo acceperunt, in Dei præcepta consumunt: Hi verò, etiam possidendo, Deum offendunt, & in impendendo, idem faciunt, in meretrices, consumentes, & in parasitos, aut insodientes, in pauperes autem, nihil impendentes: Quorum enim, vt dixi, facta est ad Dei molestiam collectio, eorum etiam facta est distributio. Disce etiam paupertatem à Deo non factam. Quando enim adolescens cùm sit prodigus, in meretrices consumet diuitias, aut in præstigiatores, aut in quædam huiusmodi desideria, & pauper factus fuerit, an non est manifestum, quòd hoc non à Deo factum sit, sed ex sua

Diuites qui non sunt ab à Deo.

E

profusione? Rursus si quis factus sit pauper, ex otio aut amentia, annon est perspicuum quòd ipse sit causa suæ paupertatis? Noli ergo dicere, Deus dat omnes diuitias, & omnem paupertatem.

Ex Palladio, in vitam Chrysostomi.

Mali, ut denturà Deo res secundæ.

Sic autem sunt vndique malorum hominum inconcussæ prosperitates, Deo in eos suam ostẽdente lenitatem & patientiam; vt & sancti, à facie eorum qui affligunt, exclament ad consolationem nostram qui nunc patimur. Et primus quidem Iob dicit *Habent meas quidem carnes, dolores; cur autem viuunt impij & consenescunt in diuitijs, Satio autem succedit eis ex animo? Filij eorũ in oculis, Domus eorum plena sunt, timor nusquam, flagellum Domini non est super eos, vacca eorum non abortiit, conseruata est autẽ ab astis prægnans & non cecidit, manent autem oues tanquam æterna, Et lu autem*

Iob 21 a.

eorum ludunt accipientes Psalterium & citharam, oblectantur in voce Psalmi, consecerunt in bonis viam suam, in requie autem Inferni dormierunt, dicunt autem: Domino Discede à me vias tuas scire nolo. Secundus autem Dauid dicit: *Quàm bonus est Deus Israël rectis corde! Mei autem penè moti sunt pedes, propemodùm effusi sunt gressus mei, quoniam zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Et rursus: *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera est iniquitatis, quorum filij sicut nouellæ oliuarum plantatæ in iuuentute sua, Filiæ eorum compositæ, ornatæ sicut similitudo templi, Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in hoc, Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, Non est ruina maceriæ, neque clamor in plateis eorum.* Tertius autem Abacuc dicit. *Quoúsque Domine clamabo iniuria affectus, & non exaudies? vociferabor, & non seruabis? Cur mihi ostendisti labores & vexationes, aspicere ad miseriam & impietatem? Ex aduerso mei fuit iudicium, & iudex accepit: Propterea dissipata est lex, & non perducitur ad finem iudicium, quoniam impius potentia opprimit iustum.* Quartus Hieremias dicit: Sed iudicia loquar ad te Domine: Quid est quòd via impiorum rectè succedit, res secundæ sunt omnibus qui transgrediuntur transgressionem, Plantasti eos & radices egerunt, & fecerunt fructum prope os suum & procul à renibus suis! Quintus Malachias aduersus eos qui Dei prouidentiam reprehendunt, & sanctos vocant miseros; dicit ex persona Domini: *Ingrauastis super me sermones vestros, dicit Dominus, & dixistis; In quo de te obtrectauimus? Dixistis, vanus est qui seruit Domino Deo: Quid nobis emolumenti quòd præcepta eius custodiuimus, quod ambulauimus supplices ante faciem Dei omnipotentis? & nunc nos, beatos pronunciamus alienos, & ædificantur omnes qui faciunt iniquitatem & Deo restiterunt & salui facti sunt: hoc perperam dixerunt qui non timent Dominum vnusquisque ad proximum suum.* Et rursus: *Qui irritatis Deum in sermonibus vestris & dixistis: In quo irritauimus ipsum? Dum dicitis, omnis qui facit mala bonus est coram Domino, & in eis ipse sibi complacuit, & vbi est Deus iustitiæ?* Dicit autem diuinus quoque Apostolus: Mali homines & præstigiatores proficient in peius, errare facientes & errantes. Noli ergo eos beatos dicere propter res quas hîc habent secundas, sed defle potiùs propter futurū supplicium, neque iustos, miseros esse statuas propter paupertatem qua hîc laborant, sed potiùs beatos propter futuras diuitias.

Psal. 70. Psal. 143. Abac. 1. Hier 12. Malac. 3. 2. Tim. 3. c

Ex Quæstione 12. Quantam bonorum suorum mensuram debet quispiam Deo offerre.

Ex Sirach.

Eccl. 34 c

Qui sacrificat ex iniustis, sacrificium est maculatum, & tanquam qui sacrificat filium coram patre suo is qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum.

Ex sancto Basilio, in late fusis Regulis monasticis.

Neque enim ex iniustis lucris beneficia egeno facta, sunt Deo accepta; neque qui ab iniustis abstinet, si ex suis nulli impertiat. Et de iis quidem qui iniuriam faciunt, & Deo dona offerre agrediuntur, scriptum est; *Sacrificia iniquorum Deo sunt abominatio:* De iis autem qui non miserentur; *Is qui obturat aures suas vt non exaudiat pauperem, ipse quoque inuocabit, & non erit exaudiens.* Propterea consulit prouerbiū, honorate Dominum ex propriis iustis laboribus, & primitias ei offerre ex propriis actibus iustitię. Nam si ex rapina & iustitia Deo es oblaturus, melius est ea non habere possessionem, neque ex ea offerre: rursus si possidens ex iustis laboribus, non offers Deo oblationes ex quibus alantur pauperes, rapina tibi reputabitur, sicut dicit Deus per Prophetam; *Rapina & Decimæ vobiscum sunt, & erit rapina in domibus vestris.* Oportet ergo misericordiam & iudicium commiscentes, nos acquirere quidem cum iudicio, impendere autem in misericordiam sicut scriptum est; *Misericordiam & iudicium custodi, & appropinqua Domino Deo tuo perpetuo, Misericordiam enim & iudicium diligit Deus.* Hic de cæterò examinet quispiam seipsum, consideret suos prouentus dіues ex quibus Deo dona est oblaturus; num pauperem potentia oppressit, nū imbeciliori vim attulit, num

Eleemosyna ex lucris iniustis non sunt Deo grata. Prou. 15. Prou. 21. Prou 3. Esa. 3. Osee. 12.

A B C D E

cum qui est sibi subiectus fraudauit & damno affecit. Noli enim vim afferre quod sis potétior; neq; fraudem ac damnum afferas, quoniam potes, sed pro tuis viribus ostende iustitiam: In eo enim quòd cùm possis transgredi, non transgrediaris; ostendis; in Deum obedientiam & metum. Sin autē quę à pauperibus abstuleris das pauperibus, meliùs esset, vt dictum est, si neque raperes, neque dares. Quid tuas polluis diuitias, tibi inducens iniustitiam, offerre aggrediens id in quo es aliûs miserturus pauperis? Illius miserere quem iniuria afficis in eum tua vtere benignitate, ei gratificare, & implebis misericordiam cum iudicio: Neque enim societatem habebit Deus cum auaritia & plura habendi cupiditate. Non enim tanquam qui non possit alere pauperes, eos nobis reliquit; sed iustam & benignam à nobis requirens oblationem ad diem Iudicii. Non fit enim eleemosyna ex iniquitate, neque ex execratione benedictio, neque ex lachrymis beneficium: Dicit enim Deus: *Quæ oderam faciebatis, & lacrymis tegebatis altare meum.* Non accepta habet Deus dona tua, si fratrem tuum molestia afficias: Quamobrem dicit; *si offeras donum tuum ad altare & recorderis quòd frater tuus habet aliquid contra te, dimitte donum tuum ante altare & vade primùm & reconciliare fratri tuo, & tunc offer donum tuum.* Memento etiam Zachæi, qui cùm adiecisset quadruplum si quendam circumuenerat, pecuniarum quæ restabant dimidium distribuit pauperibus: Sciebat enim quòd Deus non habet accepta quæ parata sunt ex iniquitate, nisi soluta fuerint detrimenta quæ allata sunt iis qui iniuria fuerunt affecti. Atque hæc quidē ad eos qui ex iniquitate faciunt eleemosynas. Ad eum autem qui cauet iniuriam facere; negligit autem benefacere, dicimus: *Arbor infertilis excinditur & in ignem mittitur.* Neque ea arbor vnquam placebit cœlesti Agricolæ qui dicit; *Veni quærens fructum in ficu & non inueni,* & iubet eam excindi, ne locum teneat inaniter. Diuitiæ enim aliis quidem dantur à Deo, causa dispensationis, vt Abraham, & Iob, & similibus: deterioribus autem, vt sint prouocatio ad hoc vt euadant meliores. Nam qui postquàm à Deo tam præclarè fuerit exceptus, permanet in iniquitate, citra vllam controuersiam se reddit obnoxium condemnationi.

Mal. 2. c. Matth. 5. Luc. 19. a. Eleemosyna ex malè partis non sunt Deo grata. Matth. 7. Matth. 21 b Diuitiæ cur à Deo dentur.

Ex Eodem, in Euangelium secundum Lucam.

Auaritiæ genus est grauissimum, ne de iis quidem quę pereunt, impertiri egenis. Quînam? inquit; iniustè teneo quæ mea sunt? Quænam, dic quæso, tua? Vndenam ea accepisti? Quid in hoc sæculum intulisti? Quis est ergo auarus? Is qui sorte non est contentus? Quis est autē fraudator & prædo? Is qui aufert ea quæ sunt vniuscuiúsque? Tu autem non es auarus, non es fraudator ac prædo, qui quæ accepisti ad dispensandum, ea tibi vendicas? An is quidem qui indutum veste exuit, expilator nominabitur, qui autem nudum non induit cùm possit hoc facere, meretur aliter appellari? Esurientis est, panis quem tu tenes: nudi, est vestis, quam tu custodis: In penu est, eius qui caret calceis, calceus qui apud te putrescit, egentis est pecunia quam infodisti: quamobrem eos iniuria afficis, quibuscúmque potes largiri.

Auaritia est non impertiri egenis. Prædo est qui quæ potest nō erogat in pauperes.

Ex eodem, Ad diuites.

Malo consilio, viuens quidem fruar voluptatibus, inquit, mortuus autem faciam quæ sunt mandata: Dicet etiam tibi Abraham: *Accepisti bona in vita tua,* &c. Morti agendæ sunt gratiæ, non tibi, nam si esses immortalis, non meminisses mandatorum. *Ne erretis, Deus non irridetur* Ad altare non sustollitur mortuum; Viuentem offer hostiam tuam, qui ex eo quòd superabundat offert, non est acceptus. Cur autem quæ post omnem vitam superabundârunt, ea offers Benefactori? non audes reliquiis mensæ viros claros excipere; quomodò ergo audes Deum placare ex reliquiis?

Mandata sunt facienda ante mortem. Luc. 16. Gal. 6. b. Hostia viua offertur. Ex reliquiis non placatur Deus.

Ex Chrysostomo, In Epistolam ad Romanos.

Atque melius quidem est, & quod magnam præbet fiduciam, viuētem, remedium afferre paupertati: quòd si nolis

Eleemosyna danda est saltem à moriente.

si nobis illud, hoc fac vel mortuus. Non est quidem hoc magnæ in Christum charitatis, & tamen est charitatis.

Ex eodem, ad Ephesios.

Eleemosyna nō est, sed necessitas, morientem præbere.

Hoc non est quidem eleemosyna seu misericordia, morientem, & cùm non sis ampliùs dominus, tunc præbere, Non enim de cætero das ex tuis, sed ex ipsa necessitate: Morti, gratiæ, non tibi: Hoc non est dilectionis, sed impetitiæ. Cæterùm, sic quoque fiat i vel tunc solutiutum vitium inhumanitatis.

Ex eodem, in Euangelium secundùm Ioannem.

Eleemosyna nō est quæ fit ex iniquitate.

Eleemosynis, inquit, & fide expurgantur peccata. Eleemosynam autem dicit, non quæ est ex iniquitate, hoc enim non est eleemosyna, sed crudelitas & inhumanitas: quid enim iuuat exuere alterum, & alterum induere? Nam & si omnia quæ sunt ab vtrisque, dederimus, nullum inde redit lucrum. Idque ostendit Zacchæus qui dixit tunc Deum placari, cùm ablatorum dederit quadruplum. Nos autem rapientes innumerabilia, cum pauca dederimus, existimamus Deum facere propitium, quanquàm ipsum magis irritamus. Dic enim mihi; si asinum mortuum & fœtentem ex triuio attactum ferres ad altare, annon omnes te tanquàm abominandum obruerent lapidibus? Quid si probâro quòd idquod ex rapina est sacrificium, est eo magis execrandum, quamnam habebimus excusationem? Nam Deo quidem aliquid esse consecratum ac reconditum ex rapina, annon peiùs quàm asinus mortuus? Et tu quidem verbis dum rogas vt obliuiscatur eorum quæ facis rapiens, efficis certè vt perpetuò meminerit, altari impones sacrificiū. Nunc autem non hoc solum est peccatum, sed hoc quoque est grauius quòd sanctorum polluis animas. Illi enim perpetuo Christum serunt, & audes illuc mittere ex huiusmodi immunditia! Nequaquam (inquit) non sunt eædem pecuniæ, sed aliæ! Ea sunt ludibrium & nugæ. An nescis quòd etiam si in magnam diuitiarum multitudinem, iniquitatis aliquid inciderit, id omnia inquinat & polluit: Et quomodò si in fontem purum quispiam fimum iniecerit, eum totum reddit immundum: Ita si in diuitias ingressa sit iniquitas, anima efflârit tetrum qui illic est odorem? Nam, non misereri, melius est quam sic misereri, Nam & meliùs esset si Cain omnino non obtulisset. Si autem qui minus obtulit, Deum irritauit, quomodò non irritat, is qui dat aliena. Sed sunt inquit, mea! Non sunt tua post rapinam, sed illius cui rapinam, sed illius cui rapuisti, & ipse est eorum Dominus, etiam si ea effundas millies. Ego, inquit edixi tibi ne raperes, & tu ex eis me honoras? Tibi ergo dicet: *Existimasti inique quòd ero tibi similis: Arguam te & te conuincam quod non ero tui similis, Arguam te & statuam contra faciem tuam peccata tua.*

Luc. 19.

Sacrificium ex rapina peius olet quā asinus mortuus.

Iniquitas, multas ingressa diuitias, omnes polluit.

Genes. 4.

Non offerre, melius quàm male parta offerre.

Psal. 49.

Ex eodem, in Matthæum.

Misereri oportet eius quem iniuria affecisti, non autem alterius.

Si qui nil iniustè fecerunt, puniuntur, quòd non distribuerunt multò magis qui bona aliorum rapiunt. Ne ergo hoc dixeris, quòd alius affectus est iniuria, & alterius es misertus, hoc enim est graue & non ferendum. Oportet enim eundē esse qui iniuria afficitur, & cuius miserearis. Nunc autem alios vulnerans, curas eum quem non vulnerasti, cùm oporteret illos curare, imò verò non vulnerare. Benignus est & clemens, non qui percutit & curat sed qui medetur iis qui sunt percussi ab aliis. Non enim potest fieri vt eadem misericordiæ mensura cures malum inflictum ab auaritia.

Misericordia maior esse debet mensura quā iniuria.

Nam si obolo aliquem fraudaris, non obolo tibi rursus opus est ad eleemosynam, vt tollas vulnus quod factum est auaritia, sed Talento. Propter furtum, fur deprehensus soluit quadruplum. Raptor autem, est fure deterior. Quod si illum propter ea quæ furatus est, oportet dare quadruplum, raptorē multò magis oportet dare quadruplum, si sic etiam possit expiare iniustitiam; Eleemosynæ enim, ne tunc quidem fructum accipiet. Proptereà Zachæus; *Et,* inquit, *quem fraudaui reddam quadruplum, & dimidium bonorum meorum dabo pauperibus.*

Luc. 19.

A Si autem in Lege dare oportet quadruplum, multò magis in gratia, quamobrem etiā si centuplum dederis, nondum dedisti totum. Si autem faciens, malo vix affers remedium, quando ordinem inuerteris & integras quidem facultates rapueris, pauca autem præbeas & ne illis quidem qui sunt affecti iniuria sed alijs pro illis: quamnam habebis excusationem, quamnam veniam, quamnam spem salutis? Vis scire quantum malum facias sic miserens? Audi Scripturam dicentem; *Sicut qui occidit filium coram patre suo, sic qui offert sacrificium ex pecunijs pauperum.*

Eccl. 34.

Ex Apostolo.

Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: Vnusquisque prout statuit in corde suo, nō ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem B *diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, Vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

2. Cor. 9.

Ex Quæstione 35. Quid magis conferat offerre pecuniam Ecclesiæ an pauperibus?

Ex Chrysostomo, in Herodiadem.

Sanctos, Deus quandoque per homines, quandoque per se alit.

Potest quidem Deus omnes sanctos qui sunt in mundo, per se alere, sed dationem retinet, vt corda (sua sponte ad dandum propensa) in tempore hospitalitatis discernat ex fructibus. Quando autem non fuerint aliqui qui eos debeant excipere, aut per aues nutrit, vt Eliā in monte, aut per Prophetam, vt Danielem in lacu; aut per animal marinum, vt Ionam in mari, aut ipse per se C cibū pluit, vt patribus in Deserto; nā cùm non essent qui deberent eos excipere, è cœlo pluit Manna, & ex petra aquam fecit emanare, & ex aëre coturnicem ad eos detulit. Cùm autem fuerint in mūdo sancti versantes cum hominibus, retinet manum suam, & videns eos affligi, dimittit, vt det gratiam per eam quæ in eos exercetur beneficentiam.

3. Re. 17. a

Dan. 14. f

Ion. 2. d.

Exod. 16.

Exod. 17.

Num. 11. d

Ex Theodoreto, de dubijs Scripturæ.

Hostia pro peccato cur comederetur in templo.

Nam cùm aliquādo vidisset Moyses hircum pro peccato oblatum extra Dei templum, succensuit Eleazaro & Ithamar dicens: Cur non comeditis quæ offeruntur pro peccato, in loco sancto, quoniam sunt sancta sanctorum? Ideò vobis dedit Deus ea comedenda, vt auferat, peccatum Synagogæ & pro eo *ipsum placetis.* Hoc D autem per Osee Prophetam significans Dominus, dicit: *Peccata populi mei comedunt.* Quapropter dicit etiam Apostolus: *Impertiunt nobis corporalia, eis autem impertimus spiritualia.* Hinc ergo docemur quòd vescentes iis quæ offeruntur à populo, & pro eis preces non diligenter offerentes Deo pœnas dabimus.

Leu. 10. d.

Osee 4.

Rom. 15.

Sacerdotes oblatis vescentes, & nō precantes vt par est puniuntur à Deo.

Ex Constitutionibus, Apostolicis. Libri 4. Capit. 5. & 3.

Etenim verè est beatus qui potest sibi ipsi opem ferre; & non affligit aut orphanum aut viduam aut hospitem. Nam ipse quoque Dominus dicit esse beatiorem illum qui dat quàm qui accipit. Væ iis qui habent & accipiunt in hypocrisi, aut qui possunt sibi ipsis opem ferre & volunt ab alijs accipere: Vterque enim reddet rationem E Domino Deo in die iudicij. Nam qui accipit propter ætatem, aut orbitatem, aut senium, aut debilitatem, aut offensam valetudinem, aut filiorum quos alit multitudinem, is non solùm non reprehendetur, sed etiam laudabitur. Altare enim Dei reputatus, à Deo honorabitur, qui gnauiter pro iis qui sibi dant assiduè precatur, non in ocio sumens, sed eius quod sibi datur, pro viribus dans mercedem per orationem: Is ergo, vt dictum est, à Deo beabitur: qui autem habet, & per simulationem ocium agens accipit; condemnabitur.

Act. 20. g.

Eleemosynam accipiens per simulationem maledicitur.

Ex Quæstione 24. Si quis habeat vxorem & liberos & diuitias, & rerum sæcularium curam gerat, quomodò potest is Deo placere, & seruare Dei præcepta?

Ex Ioan. Climacho.

Laici quomodò assequantur regnum Dei. Audiui aliquos in mundo ignauos ac negligentes mihi dicentes: Cùm vitam agamus cum coniuge, & simus obnoxij publicis solicitudinibus, quomodò possumus persequi vitam monasticam? Quibus respõdimus: Quæcunque bona potestis facere, facite: Neminem contumelia afficite, nemini suffuremini, nemini dicite mendacium, nemini insultate, nullum occidite, à fornicatione abstinete, à Synaxi ne separemini, eorum qui egent miseremini, neminem offendite, alienæ Parti ne
Luc. 3. e. appropinquate; & *contenti estote vxorum vestrarum stipendijs:* Si sic feceritis, non procul estis à regno cœlorum.

Ex Constitutionibus, Apostolicis, Libri 7. Cap. 1.

Deut. 30. Cùm Moyses legislator dixerit Israëliticis, *Ecce dedi ante faciem vestram, viam vitæ & viam mortis;* & inferat: *Elige vitam vt viuas;* Et Propheta Elias dicat populo; *Quousq; claudicabitis ambobus vestris poplitibus? si Deus est Baal, ambu-*
3. Reg. 18. Matth. 6. *late post ipsum:* Meritò ergo dicebat Dominus: *Nemo potest duobus Dominis seruire, Aut enim vnum odio habebit & alterum diliget, aut alterum amplectetur & alterum despiciet.*
Duæ sunt viuendi viæ. Necessariò ergo nos quoque Doctorem nostrum, Christum sequentes, dicimus duas esse vias; vnam vitæ, & alteram mortis.

Cap. 2.

Prima est ergo via vitæ, & ea est quam lex edicit, dili-
Deuter. 6. Matth. 7. gere, *Dominum Deum ex tota anima & ex tota mente, & proximum sicut seipsum:* Et; *Quidquid non vis tibi fieri, hoc tu quoque alij ne feceris, benedicite eis qui te execrantur, ora pro eis qui*
Matth. 5 f. Psal. 7. *tibi insultant, dilige inimicos tuos, quænam enim* (inquit) *est gratia si diligatis eos qui vos diligunt? Nam & publicani hoc faciunt: Abstine à carnalibus & mundanis desiderijs: Si quis tibi dederit colaphum in maxillam, verte & aliam: Si retribui,* in-
Matth. 5. quit, *retribuentibus mihi mala: Si quis te angariauerit vnum*
Sancti sunt præferendi in dandis eleemosynis. *miliare, vade cum eo duo, & ei qui vult tecum iudicio contendere & tunicam accipere da ei pallium, & ab eo qui tua tollit ne repetas, da ei qui à te petit, Ab eo qui vult à te mutuò accipere ne*
Deut. 23. *auertaris.* Atque omnibus quidem, æquum est dare ex proprijs laboribus; præferendi autem sunt sancti.

Cap. 3.

Deut 23. e. *Non occides, non mœchaberis, Puero vitium non offeres, exe-*
Iosu. 7. d *crandus est, enim* (inquit) *qui dormit cum masculo, concubitu*
4. Reg. 8. *fœminæ: Non fornicaberis; Non erit* enim, inquit, *qui fornicetur in Israël;* Non furaberis: Nam Achaz cum furatus esset in Iericho, obrutus lapidibus excessit è vita, & Giezi cùm esset furatus & mentitus, fuit hæres lepræ
Ioan. 12. Naamam; Iudas suffurans bona pauperum, tradidit Do-
Act. 1. minum & pœnitentia motus se suffocauit; Ananias &
Act. 5. Saphira cùm sua suffurati essent & spiritum Domini tentassent, statim Petri Coapostoli nostri sententia, morte sunt affecti.

Cap. 4.

Deut. 18. Non eris magus, non veneficus: Veneficus enim (inquit) non erit in vita superstes. Non occides fœtum venefico: Quidquid enim à Deo efformatam accepit animam, iniustè occisum vindicabitur. Non concupisces
Matth. 5. res proximi tui, Non peierabis; dictum est enim, *non iurandum esse omninò.* Non calumniaberis; quoniam *qui calumniatur pauperem, irritat eum qui ipsum fecit.*

Cap. 5.

Prou. 14. & 22. Non detrahes: *Ne diligas,* enim, inquit, *detrahere, ne*
Prou 6. *extollaris. Accepta iniuria ne sis memor; Viæ enim eorum qui recordantur accepta iniuriæ, sunt ad mortem.* Ne sis linguax;
Psal 139. quoniam *vir linguax non dirigetur super terram, & laqueus viro sunt sua labra.* Non erit sermo tuus vanus: *de omni*
Matth. 12. *enim sermone reddes rationem, & ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Non mentieris; *perdes,* enim
Psal. 5. inquit, *eos qui loquuntur mendacium.* Non eris auarus: *Væ enim,* inquit, *ei qui propter malam plura habendi cupiditatem fraudat proximum.*

Cap. 6.

Esa. 45. Deut. 10. & 16. Non eris hypocrita, ne *pars ponatur tua cũ hypocritis.* Ne sis superbus: *Deus* enim *superbis resistit. Non accipies personam in iudicio,* quoniam Dei est iudicium. Non odio habebis fratrem tuum; *Arguendo,* enim, inquit, *argues fratrem*
A *tuum, & non suscipies propter ipsum, peccatum.* Fuge ab omni Leuit. 19.
malo, & non timebis. Ne sis iracundus, neque furiosus, neque inuidus aut audax; ne patiaris ea quæ Cain, & quæ Saül, & quæ Ioab: quoniam Cain quidem occidit Gen. 4 b
fratrem suum, quoniam is inuentus fuit prælatus à Deo: 1. Reg 18. e
Saül autem persecutus est Dauid qui vicerat Goliath, æ- 2. Reg. 3. f
mulatione percitus propter laudem mulierum choros 2. Reg. 20. e
ducentium: Ioab autem occidit duos duces exercitus, Abner & Amasiam.

Editio Constitutionum Apostolicarũ, Turrianus, habet, pro Amasa, Absalonẽ ducem Iuda.

Cap. 7.

Non eris incantator, aut filium tuum igni purgans. Non eris augur, nec auspex, neque disces malas disciplinas; nam hæc omnia lex prohibuit. Ne sis turpiloquus, nec impudicos iaciens oculos, nec ebriosus; ex
B his enim oriuntur fornicatio & adulteriũ. Ne sis amans pecuniæ, ne pro Deo seruias Mammonæ. Ne sis superbo & elato animo vt Pharisæus; *quoniã omnis qui se exaltat* Luc. 18.
humiliabitur; Et, *quod est altum inter homines, est apud Deum* Luc. 16.
abominatio.

Cap. 8. & 9.

Ne sis duro corde & animosus, quoniam id deducit ad blasphemiam, sed lenis & patiens & multus in prudentia, nam *mites possidebunt terram.* Ne sis audax, quo- Matth. 5.
niam vir audax incidet in mala. Ne imperes seruo aut ancillæ tuæ in amaritudine animæ tuæ: ne aliquando in te ingemiscant, & erit tibi ira à Deo, Ne des, enim, inquit, locum homini vt te execretur; eo, te, execrante, *in amaritudine animæ exaudiet eum qui fecit ipsum.* Fratres & Eccl. 4. a
C cognatos tuos ne despicias; *Ne despexeris* enim, inquit, *necessarios tui seminis.* Non accedes ad preces tuas in die afflictionis tuæ priusquàm resolueris amaritudinem tuam. Quæ tibi accidunt fer æquo animo, & casus absq; molestia, sciens quòd merces tibi dabitur apud Deum sicut Iob & Lazaro.

Cap. 10.

Verbum Dei quod tibi loquitur, glorificabis, memi- Iob 42. e
neris autem eius die ac nocte: honorabis autem ipsum, Luc. 10.
vt quod tibi conciliet vt bene tibi sit. Vbi enim est de Deo doctrina, illic adest Deus. Exquires in dies faciem sanctorum, vt acquiescas in sermonibus eorum.

Vbi est Dei doctrina, illic est Deus.

Cap. 11.

Non geres cum eis inimicitias; recordatus, Dathan
D & Abiron. Hæc est via vitæ; Via autem mortis cernitur Num. 16.
in malis actionibus: In ea enim est Dei ignoratio, propter quàm fiunt cædes, fornicationes, & cætera.

Ex Quæstione 15. Cùm dicat Apostolus quòd mundi potestates sunt à Deo ordinatæ; An omnis Princeps & Rex & Episcopus à Deo perficiatur. Rom. 13.

Ex libro Regum, Quòd peccatum Regis redeat ad populum.

Et locutus est Dominus in manu seruorũ suorum Prophetarum, 4. Reg. 21.
dicens: Propterea quòd fecit Manasses Rex Iuda malas has abominationes, hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego fero mala super Ierusalem & Iuda, vt cuiusuis audientis tinniant aures, &
E *dabo eos in manus inimicorum suorum, & erunt in rapinam & prædam omnibus inimicis suis propterea quòd fecit malum in oculis meis, & sanguinem innoxium effudit Manasses nimis donec impleret Hierusalem.*

Ex Olympiodoro, In Iob.

Dominus enim, inquit, *omnes intuetur, & gentem & homi-* Iob 34.
nem simul; Et, *dat Regem hypocritam, ob populi improbitatem.* Hoc autem ipse quoque Deus significat per Prophetam Osee 13.
Osee; Israëli, dicens: *Et dedi tibi Regem in ira eum animo meo.* Sæpè enim concedit vt qui specie videtur bonus, Rex renuncietur, vt per ipsum omnes subiecti affligantur propter eorum improbitatem & malignitatem.

Rex malus à Deo datur ad affligendum populum. Malos principes cur Deus nasci permittat.

Ex Gregorio Niceno, De ijs qui rapiuntur ante tempus.

Quomodò artifex, ferro duro ac resistente, & quòd non

non facilè emollitur igne, nec affingitur ad faciendum aliquod vas vitæ necessarium, pro malleo aut incude vtetur, vt frequentibus in ipsum ictibus exerceatur, & molle affectum effingatur ad aliquid quod sit vtile: Ita etiã eos qui ex libero suo arbitrio malitia sunt insignes, dimittit meliori scopo & instituto, Sicut permisit nasci Pharaonem & Nabuchodonosor, vt illorum plaga castigaretur Israël.

Ex Theodoreto, De Prouidentia.

Deus, malis non dat principatum, sed subiectorum malitia eos attrahit.

Si autem videns aliquos Magistratus ac principes, ius donis vendentes, offendis in prouidentia, ego tuæ cogitationis modum discutio, & dico non Deus ijs credidit principatum, sed eorum qui sunt subiecti, improbitas, eorum attraxit imperium. Nam cùm ex alijs qui rectè decertassent nullam vellent attrahere vtilitatẽ, sed ipsa morum improbitate illorum doctrinam affecissent iniuria, se ipsos priuauerunt Dei cura, deinde diuina nudati administratione, eos duces sunt assecuti: Alij enim aduersus alios colliduntur. *Dabo* enim, inquit, *principes secundum cor ipsorum*, vt experti peiora meliorum recordentur, & bonæ & honestæ illorum institutiones & disciplinæ eis veniant in mentem. Inuenimus autem Deum propter insignem hominum improbitatem sæpè relaxate habenas, & concedere vt genus hominum feratur vt velit. Et hoc ipsum nos docens per Zachariam, dicebat Israëli: *Edixi. Non pascam vos, quod moritur moriatur, & quod perit pereat, & de cætero comedat vnusquisque carnem proximi sui.*

Iere. 3.

Zach. 11.

Ex eodem, de arte curandi.

Tyrãnos tanquàm lictores concedit Deus ad castigandũ populum.

Quomodò enim ciuitates nutriunt Lictores, vt homicidas & sepulchrorum effossores & qui alia eiusmodi scelera admittunt, per eos puniant, non laudantes quidem sed valde etiam odio habentes eorum instituta, ferentes tamen propter vsum eorum ministerij: Ita etiam mundi Administrator concedit vt sint Tyrãni tanquàm quidam lictores, vt per eos, pœnas sumat de impijs & sceleratis. Postea autem eos quoque exactissimo tradit supplicio, quoniam non tanquàm Deo ministrantes, sed suæ improbitati seruientes grauia illa & intoleranda fecerunt. Sic Israëlem, cùm peccâsset, Assyriorum tradidit crudelitati: Postquàm autem isti ne agnouerunt quidem fructum supplicij, vel potiùs scopum & institutum; tunc eorum quoque fracta potentia, coëgit eos seruire alijs vt docent etiam Prophetæ. A quibus Plato (vt arbitror) suffuratus occasionem, dicit eos qui sunt incurabiles, castigari ad aliorum vtilitatem. Et dicit per Dauid; *Ex non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non attendit mihi, & amandaui eos secundum desideria cordis sui.*

Isa. 14. f

Psal. 80.

Ex Quæstione 18. An omnia mala quæ nobis faciunt gentes, Dei iussu faciunt?

Ex Leuitico.

Leu. 26.

Dixit Dominus Moysi. Si in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis, & ea faciatis, dabo pluuiam vestram in tempore suo, & terra dabit germina sua, & ligna agrorum reddent fructum suum, & comprehendet vobis messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum ad satietatem, & cum securitate habitabitis in terra vestra, & dormietis & non erit qui exterreat, & perdam malas bestias e terra vestra, & bellum non trãsibit per terram vestram, & persequemini inimicos vestros & cadent coram vobis in timore, & persequentur ex vobis, quinque centum, & centum ex vobis, persequentur decem millia, & cadent inimici vestri gladio: Respiciam vos, & benedicam, & augebo, & multiplicabo vos & statuam Testamentum meum vobiscum, & comedetis vetera veterum, & non abhorrebit anima vestra vos, & ambulabo in vobis, & ero vester Deus & vos eritis mihi populus: Ego Dominus Deus vester. Sin autem mihi non obedieritis, neque feceritis præcepta mea, sed non credideritis eis, & iudicia mea aspernata fuerit anima vestra vt vos non faciatis omnia mandata mea, & ego sic faciam vobis, & imponam super vos egestatem & scabiem & morbum regium qui laborare faciet oculos vestros & eliquabit animam vestram, & seretis frustrà semina vestra, & comedent aduersarij vestri, & statuam faciem meam contra vos, & persequentur vos qui vos oderunt: Et si ne sic quidem mihi obedieritis, addam etiam vos castigare plagis in septuplum propter peccata vestra, & conteram insolentiam superbiæ vestræ, & ponam cælum vobis tanquàm ferreum, & terram vobis tanquam æneam, & erit in tempore robur vestrum, & non dabit terra semen suum. Et si posteà ambuletis obliqui, & nolitis mihi obedire, addam vobis plagas septem secundùm peccata vestra, & immittam in vos feras bestias terræ & comedent vos & consumẽt pecora vestra, & faciam vos paucos numero. Et si propter hæc non castigemini, sed sed ambuletis ad me obloqui; proficiscar & ego vobiscum in animo obliquo, & percutiam vos quoque septies pro peccatis vestris, & inducam in vos gladium vlciscentem causam Testamenti, & confugietis ad ciuitates vestras, & immittam ad vos mortem, & comedetis carnes filiorum & filiarum vestrarum, & trademini in manus inimicorum vestrorum, & populabor ciuitates vestras, & non odorabor odorem sacrificiorũ vestrorum, & desertam reddam terram vestram, & de ea mirabuntur inimici vestri, & dispergam vos in gentes & vos consumet inuadens gladius.

Ex Ezechiele.

Ezech. 9.

Hæc dicit Dominus. Terra si peccauerit mihi vt cadat in delictum extendam manum meam & emittam in ipsam quatuor vltiones meas malas, gladium & famem & bestias malas & mortem, & puniam eam, & erit in deletionem. Et si sint tres viri isti in tempore eius, Noe & Iob & Daniel; Viuo ego, dicit Adonai Dominus; Si filij eorum & filiæ seruabuntur: Sed vel ipsi soli seruabuntur, terra autem erit in interitum. Et hæc dicit Dominus: Finem loquar super gentem aut super regnum vt tollam eos & perdam, & conuertetur gens illa à malis suis, & pœnitebit me malorum quæ locutus sum vt facerem eis, & finem loquar in gentem & regnum vt reædificetur & plantetur. Et si faciant mala aduersus me, vt non exaudiant vocem meam, & me pœnitebit bonorum quæ locutus sum vt facerem eis: Et dixit Dominus ad me: Vidisti, fili hominis, quæ faciunt Seniores domus Israel, sic vnusquisque in cubiculo suo secretò: Quoniam dixerunt, dereliquit Dominus, non perspicit Dominus terram? Non parum est domui Israël quòd fecerit iniquitates quas sic fecerunt, quòd impleuerunt terram iniquitate, & conuersi sunt vt me ad iram prouocarent tanquàm subsannantes? Et ego faciam eis cum ira: Non parcet oculus meus, neque miserebor, & flebunt in auribus meis cum voce magna, non exaudiam eos. Et clamauit in aures meas voce magna, dicens; Appropinquat vltio ciuitatis. Et ecce viri, & habebat vnusquisque vasa exterminationis in manu sua: & ecce sex viri veniebant à via portæ quæ aspicit ad Boream, & vniuscuiusque securis in manu sua, & vnus vir in medio eorum indutus veste talari, & Zona Saphiri super lumbos suos, & ingressi sunt & steterunt propè altare æneum, & gloria Dei Israel ascendit à Cherubim quæ est super eos in limine domus, & vocauit virum indutum veste talari & dixit ei Dominus: Transi per mediam Ierusalẽ, & da signum supra frontes virorum qui gemunt & anguntur propter omnes iniquitates quæ fiunt in medio eius. Et dixit eis me audiente; Vadite cum ipso in ciuitatem, & percutite, & non parcite oculis vestris, & non misereamini; Seniorem & iuuenem & virginem & infantes & mulieres occidite ad deletionem; Ad omnes autem super quos est signum ne appropinquetis, & a Sanctis meis incipite: Et inceperunt a viris senioribus qui erant in domo Dei, & dixit eis; Polluite domum, & implete vias mortuis, & percutite. Et factum est dum ipse percuteret, cado in faciem meam, & clamaui, & dixi: Heu mihi, Adonai Domine? Tu deles reliquias Israelis dum effundis iram tuam super Ierusalem? Et dixit mihi: Iniustitia domus Israel & Iuda est valde magna, quoniam impleta est terra multis populis, & ciuitas iniustitia & immunditia, quoniam dixerunt. Dereliquit Dominus terram, non respicit Dominus. Non parcet oculus meus, neque miserebor. Vias eorum dedi in ipsorum capita.

Ex Osee.

Bellum super filios iniquitatis venit ad castigandum eos; & congregabuntur ad se multi populi ad castigandos ipsos in iniustitijs suis

Ex sancto Basilio; Quòd non est Deus autor malorum.

A

Iusto Dei iudicio fiunt quæcunque grauia nobis accidunt.

Cædes autem, & ciuitatum expugnationes, & in seruitutem abductiones, & miserabilia eorum qui capti sunt spectacula, & (vt semel dicam) quæcunq; ab hostibus grauia accidunt; dico iusto fieri Dei iudicio, iis qui digni sunt castigatione, per hostes, supplicia inferentis. Vellésne non exusta esse Sodoma post impia illa facinora? Non euersam esse Ierusalem neque desertum esse Templum post horrendam illam aduersus Dominū Iudæorum amentiam? Hæc quomodò æquum erat aliter fieri, & non per manus Romanorum, quibus tradiderunt Dominum nostrum, vitæ suæ inimici Iudæi;

Ex eodem, In latè fusis regulis.

Castigantur Mundi partes aliquæ, ad cæterarū vtilitatem.

Sic etiam Mundus administratur iis quæ particulatim fiunt remissionibus & afflictionibus: & si quos vnquam perniciosum occupat supplicium, hoc in parte fit & non in toto genere, ad vtilitatem aliorum: non secùs atque à Medicis pars amputatur ad vtilitatem aliarum partium corporis. Ita diluuio sunt obrutæ Gigantum generationes: Ita periit genus Sodomitarum cùm summis abundasset vitijs, & populus Ægyptiorum, & gens Chananæorum: illud quidem igne exustum, hic verò aquis submersus, Chananæi verò traditi hostibus vt de medio tollerentur. Aliæ verò gentes innumerabiles quæ iisdem laborant vitijs, permanent impunitæ: & quę patiuntur quidem partibus, ad reliquas partes corrigendas patientibus; alijs autem non punitis, thezaurizatur *ignis & ira in die iræ & reuelationis Dei.* Tunc enim, exusti non ad vtilitatem & pœnitentiam, sed ad vitij liquefactionem, sicut auro & argento commixtas alienas materias discernit ignis examinans.

B

Gen. 7. d.
Gen. 19. c.
Exo. 14. 7.
Exo. 14. 3.
Rom. 2. a.

C

Ex Theologo; in Oratione de Grandine.

Ira Dei venit pro ratione peccatorū sed temperata clementia.

Et ira venit pro ratione peccatorum, quæ appellatur *Calix in manu Domini*, & poculum ruinæ quod ebibitur; etiam si omnibus de merita pœna aliquid subducit; iræque merum clementia temperat inclinatum quidem ab aspetitate ad lenitatem ac remissionem ijs qui metu erudiuntur & ex longa afflictione cōcipiunt & parturiunt conuersionem, & pariunt spiritum perfectæ salutis: asseruans tamen fæcem; nempe iræ extremitatem, vt totam effundat in eos qui non curantur ex benignitate & clementia, immò verò indurantur, vt duro corde Pharao & acerbus operum exactor, reseruatus ad ostendendam Dei in impios potentiam.

Psa. 74. b.
Exod. 14.

D

Ex Chrysostomo, de Gradibus.

Gene. 3.

Nam quoniam honoribus non vsi sunt vt oportuit, Deus eos emendat contrarijs, hoc semper faciens. Ita etiam Adamum; quoniam Paradisi habitatione non vsus est ad id quod conferebat; eum eiectione correxit: & mulierem quæ honoris æqualitate euaserat deterior, seruitute & subiectione reddidit meliorem: Ita etiam Iudæos qui libertate & securitate effecti erant peiores & resilierant, corrigit contrariis.

Sap. 11.

Ex Theodoreto, in Prophetas.

Gene. 6 a

Pondere & mensura omnia regit & administrat Dominus. Nam cùm ijs qui viuebant tempore Noë vitæ terminum, centum & viginti annis definiisset; postquàm vidit peccatum crescere & inundare, non expectauit præscriptum terminum, sed eum conscidit & breuiorem reddidit, & centesimo anno omnibus induxit Diluuium. Ita etiam Abrahamo, inquilinum futurum eius semen prædixit, & docet causam: *Nondum enim*, inquit, *completæ sunt iniquitates Amorrhæorum* huc vsque: Nondum, inquit, ea admiserunt peccata quæ mereantur vt penitus intereant, quamobrem, non patiar vt nunc vobis omninò occidendos tradam sed iniquitatis expecto mensuram. Sub mensuram enim cadunt nostra quæ in tempore fiunt peccata, vsque ad aliquam quantitatem; & tunc infligit pœnas iustus iudex noster Deus.

E

Gen. 15.
Ad certam vsque quantitatem crescunt peccata nostra.

Ex Quæstione 17. Vtrùm omnes qui præcipitantur, aut demerguntur, aut obruuntur; ex diuinis minis & iussu hoc patiuntur, an ex Maligni operatione.

Ex Sancto Basilio; quòd Deus non est autor malorum.

Malum, vnde dictum sit.
Mala pœna cur inferantur.

Atque quod propriè quidem malum est; nempe peccatum, quod quidem maximè dignum est mali appellatione, ex libero nostro arbitrio dictum est, cum in nostra potestate sit situm, vel à vitio abstinere vel esse malos. Ex cæteris autem, alia quidem obijciuntur tanquàm certamina, ad ostendēdam animi magnitudinem; sicut Iobo, & priuatio liberorum, & omnium diuitiarum in in vno momento temporis ablatio, & per vlcus inflicta plaga: Alia autem tanquàm medicina peccatorum; sicut Dauidi, domûs probrum, luenti pœnas nefariæ libidinis. Et rursus animaduertimus aliquod aliud genus terribilium quæ à iusto Dei iudicio inferuntur, ad reddendos modestiores eos qui sunt procliues ad peccatum; vt Dathan & Abiron à terra sunt absorpti, cùm baratra & hiatus eis se aperuissent: Hi enim, punitionis modo non euaserunt meliores (quomodò enim qui descenderunt ad Inferos?) sed exemplo, cæteros effecerunt modestiores. Sic demersus fuit Pharao cum exercitu: Sic eiecti sunt qui priùs habitabant Palestinam.

Iob. 1.
2. Re. 12.
Num. 16.
Exod. 14.
Deuter. 7.

Ex Chrysostomo, Ad Stagirium.

Calamitates sæpè, prosunt & ijs quibus accidunt & alijs.

Et cur, inquit, multi vsque ad mortem ab ineunte ætate inciderunt in multas calamitates? Vt imprimis quidem, ipsi; Deinde, vt etiam alij lucrum faciant ex malis quæ ipsis accidunt: Si autem non fit in omnibus, nondum est tempus iudicij. Quid ergo (inquit) quòd priusquàm veniant ad discretorem bonorum aut malorum, puniuntur; vt qui sint magnarum rerum sibi conscij? Sic quidem non vna est causa, sed multæ & diuersæ. Nam & ex Parentum intemperantia, & ex eorū qui ipsos aluerunt negligentia, & ex aëris inæqualitate & intemperie, & ex multis alijs eiusmodi euentis hoc fieri potuerit. Ad hæc accedit, quòd multos eorum Deus nouit malos futuros: Deinde his supplicijs, veluti quibusdam pedicis, eos retinet.

Ex eodem, in Epistolam ad Thimotheum.

Peccatores, cur hic puniantur aliqui, sed non omnes.

Si nullus malus puniretur, nemo existimaret Deum præesse rebus humanis. Si omnes punirentur, nemo expectaret futuram resurrectionem, cùm hîc omnes reciperent. Propterea punit & non punit. Propterea hic iusti quidem affliguntur, quòd inquilini, quòd hospites, quòd sunt in aliena terra, & probationis causa hæc sustinent, vt Iob: Peccatores autem si quando quid tale sustinent, luunt pœnas peccatorum. Nam & ex bonis, sunt qui mala habent opera, & hîc ea recipiunt ne illic puniantur.

Ex Theologo, de amore in Pauperes.

Malis affligi, nonnunquam est à Deo.

An autem à Deo sit, malis affligi aut ægrotare, nondum est manifestum donec perturbationem & ordinis egestatem tanquàm fluentum aliquòd à se affert materia. Et quis scit an ille quidem puniatur propter vitium, hic verò tanquàm laudatus efferatur? Sed cōtra ille quidem extollitur propter scelus, hic autem probatur propter virtutem. Ille quidem altiùs sublatus vt ruat grauiùs, dum ei permittitur priùs omne suum vitium tanquàm aliquem morbū expellere & propalare vt puniatur iustiùs; hîc autem afflictus præter opinionem, vt tanquàm aurum in fornace probatum, si quid vitij habeat, id eluat. A sorde enim mundus nullus est penitus.

Basilij dogma ex Regulis Monasticis.

Ægritudines non omnes, à natura.

Non omnes ægritudines sunt naturæ, ad quas videmus nonnunquam esse vtilem Medicinæ artem: Sæpè enim peccatorum flagella sunt, ægritudines quæ inferuntur ad conuersionem; *quem enim diligit Dominus castigat: Et propterea inter vos sunt multi infirmi & ægroti, & dormiunt multi; nam si nos ipsos iudicaremus non iudicaremur, iudicati*

Heb. 12.
1. Cor. 11.

dicati

dicati autem à Domino castigamur ne cum Mundo condemnemur. A Eos ergo, quiescentes & medicorum studia mittentes, oportet ferre quæ inferuntur, congruenter ei qui dicit; *Iram Domini sustinebo quoniam peccaui ei*, & ostendere correctionem per fructus dignos pœnitentiæ, & meminisse Domini dicentis; *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare ne quid deterius contingat.* Fiunt autem aliquando & ex maligni postulatione; tanquàm magnum Antagonistam ad certamen ei immittente benigno & clementi Domino, & deprimente eius iactantiam per summam seruorum suorum tolerantiam. Aut ijs qui labores ferre nequeūt, à Deo producuntur qui possunt ad mortem vsque constanter ferre graues dolores; vt Lazarus qui cùm tot & tantis scateret vlceribus, nusquàm scribitur neque à diuite aliquid petijsse, neque præsentia ægrè tulisse; quamobrem assecutus est requiem in sinu Abrahæ, vt qui receperit mala in vita sua. Inuenimus etiam aliam causam ægritudinum euenire Sanctis, vt Apostolo. Ne enim videretur excedere terminum humanæ naturæ, & ne quis existimaret eum habere aliquid supra humanam constitutionem (vt Licaones, coronas & tauros ei offerentes) ad ostendendam humanam naturam, frequenter conflictabatur cum ægritudine. Quod ergo ex arte medendi eis lucrum extitit & non potius periculum, dum à recta ratione sustolluntur ad curam corporis? Ijs autem qui ex mala vitæ ratione sibi contraxerunt ægritudinem, tanquàm typo & adumbratione aliqua vtendum est corporis curatione ad curam animæ. Nam omninò fugere Artis medendi vtilitatem, est contentiosum; & in manibus medicorum spem habere suæ sanitatis, est beluinum: Sed quomodò vtimur quidem agricultura, fructus autem à Deo petimus; & gubernatori quidem clauum committimus, Deum autem oramus vt è mari seruemur: Ita etiam Medicum introducentes cùm ratio concedit, à spe in Deum non desistimus.

Mich. 7. b — Luc. 16. — Medicus quomodo adhibendus in morbis. — Peccata sunt causæ calamitatum.

Ex Maximo, In Capitibus.

Sapiens quidem, diuinorum iudiciorum reputans esse medicinam, grato animo fert quæ per ea ipsi accidunt calamitates, considerans earum nullam aliam esse causam quàm sua peccata: Insipiens autem, Dei sapientissimam ignorans prouidentiam, cùm peccans est castigatus, aut Deum aut homines cogitat esse causas suorum malorum. Non potest enim fieri vt qui peccauit, futurum effugiat iudicium absque voluntarijs hic laboribus, aut inuoluntarijs quæ inferuntur calamitatibus.

Ex Quæst. 18. Quid sit Fortuna, & an liceat Christiano confiteri Fortunam.

Ex Theologo, de amore in pauperes.

B Hic quidem alij de Fortuna & Casu dogma constituerunt, ijs planè temerè & fortuitò fictis & cogitatis. Alij autem de quadam astrorum potentia rationis experte & indissolubili, nostra (vt voluerint) contexentium, imò verò ipsi contexturæ ac seriei necessitatem afferentium, & de quarumdam stellarum errantium & inerrantium congressibus, & de motu obtinente dominatum in Vniuersitatem.

Dogma de Fortuna & Casu, temerè est excogitatum.

Alij autem quicquid vnusquisque visione apprehenderit, in miserum genus humanum inuexerunt quicquid C est ipsius Prouidentiæ ad quod non patet aditus, & quod assequi non potest contemplatio, dispertiti in diuersas ac differentes opiniones & appellationes.

Sed infatuatum est, inquit, *insipiens cor eorum; Dicentes enim se Sapientes, stulti facti sunt, & mutarunt gloriam Dei incorruptibilis:* fabulis & vmbris, quæ vniuersitatem peruadit; Prouidentiam, contumelia afficientes. Nos autem neque ipsi hæc prodigia afferimus, si nobis qui sumus rationis participes & rationem colimus, Verbum & ratio vlli curæ est: Neque eos admittimus qui se aliquid esse putant, etiam si in absurdis orationibus & dogmatibus linguam habeant volubilem, & nouitate delectentur.

Rom. 1.



S. P. N. ANASTASII, COGNOMENTO SINAITÆ, PATRIARCHÆ ANTIOCHENI OPVSCVLA.

De eodem S. Anastasio, & eius Libris, per M. D. L. B.



ANCTI Patris & Martyris Anastasij Sinaita Patriarcha Antiocheni, vitam & Virtutes cùm accuratè perscripserit primùm Euagrius, Ecclesiastica Historia Libri 4. Cap. 39. & 40. & Lib. 5. Capit. 5. Deinde verò illum sequutus Nicephorus Ecclesiastica Hist. Libri 18. Capit. 26. & 44. Licebit quidem ex ipsis fontibus haurire: tria hæc tamen digna pracateris mihi visa qua obseruentur, non pratermittam. Primùm quidem quòd Imperatori Iustiniano cùm in Monothelitarũ spinas & tribulos impegisset velletque Catholica fidei dogmata in seruitutem redigere, per denunciationem apertè contradixit. Iustino autem eius successori, exactam pro suscepto Episcopatu pecuniam planè denegauit, maluitque sacras pecunias profundere, quam vt ab Imperatore (quem, quia illis inhiaret, communem pestem appellabat) auferrentur: Porrò hac eius sunt Scripta qua illi enumerant.

Ad primæ & secundæ Syriæ Monasteriorum, Interrogationes, Responsa.
Ad Antiochenos συνταχθήσεσι, siue de Coordinatione aut disciplina, Liber non editus.
ὁδηγὸς, seu, viæ Dux.
Ecclesiæ Dogmatum finitiones, siue vt Interpres nominauit, de rectis fidei Catholicæ dogmatibus.
In 6. Psalmum, Liber editus in ingressu Ieiuniorum.
Ad Antiochenos in ingressu suo scripta Oratio.
Altera item ad Antiochenos Pacificatoria, quam post liminio reuersus anno exilij 23. composuit.

QVibus ne dubitaueris adijcere quos hic tibi exhibemus ô Lector, Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron, Libros vndecim: Quos licet alteri Anastasio Patriarcha Antiocheno fortè adscribat Xystus Senensis, sua Bibliotheca Libro 4. Esse tamen huiusce nostri S. Anastasij, qui quod in monte Sinai philosophatus sensum carnis domuerit, Sinaita cognomen adeptus est, fidem abundè facit Glycas, Annalium parte 1. qua nunquam illum nisi planè diuinum hominem appellat, citat vero multos admodum ex hisce Libris locos. Qualis ille est, cæli naturam continere in se diuinitatis inaspectabilem quandam naturam; ex initio 1. Libri; Lucem illam nascentis mundi triduanam, Trinitatis increata lucem nobis repræsentare; ex initio Libri 4. Spiritualem generationem, piscium fœtura quodam modo exprimi, ex Libro 5. Sic tu etiam non minus pro comperto habe non alterius quàm huiusce Anastasij Sinaita esse Libros de diuinis dogmatibus, quos tamẽ cùm edidit interpres, Anastasio simpliciter inscripserit & tacito Sinaita nomine quod non solent veteres; vt neque Andreas Thessalonicensis Actione 7. Concilij Ferrariensis: Adde quod se in exilio desidentem (hoc autem eius successori alteri Anastasio non cõuenit) illos scripsisse testatur ad calcem Libri 3. Vt & sparsim locis alijs citat aitque à se conscripta qua sequuntur.

De Constructione Hominis Lib. 2.
Contra Iudæos; Lib. 2.
Christi Passionum Contemplationem mysticam.
Præterea, hîc babes fragmentum ex eius Sermone de sancta Communione.
Encomium Ægypti.
Aduersus eos qui in diuinis dicunt 3 Essentias; Quæstionem.
Eiusdem Orationem de Resurrectione, frequens citat Glycas in Annalibus.

POrro alius fuit à Sinaita, Anastasius Persa martyr Monachum professus Hierosolymis in monasterio sancti Anastasij, anno Heraclij 10. passus in Perside in custodia Bethsaloes, 6. lapide à Discartha, anno Heraclij 17. de cuius imagine & miraculis quæ ad illam facta sunt, habes Relationem Euthymij Diaconi, Act. 4. Synodi Nicena 2. Sed de S. Anastasio Sinaita Patriarcha Antiocheno plura & certiora te docebunt Annales Ecclesiastici, Tom. 7. anno Christi 561. Cap. 1. & anno 563. Cap. 9. & seq. Anno 572. Cap. 17. & seq. & Tom. 8. anno 599. Cap. 11. & 15. ex magnis auctoribus & monumentis deprompta.

S. P. N. ANASTASII SINAITÆ, PATRIARCHÆ ANTIOCHENI, ANAGOGICARVM CONTEMPLATIONVM IN DIVINI Opificij Hexaemeron, ad Theophilum, Liber 1.



ITVLVS *horum S. Patris Anastasij Commentariorum, in Editione priore sic habebat*; In spiritualem Anagogen 6. dierum Creationis: *sic vero in hac posteriore commutauimus, idque vt opinor non malè S. Anastasij*, &c. Anagogicarum Contemplationũ in diuini Opificij Hexaëmeron, ad Theophilum. *Hic enim idẽ S. Pater horum Commentariorũ* 1. *Libro*: Literarum quidẽ, *inquit*, minimè dissoluentes, verùm à benignissimo & sanctissimo Spiritu, sensum mysticè absconsum intra literam, inquirentes; primùm hoc consideramus in corporibus, &c. *Et aliquantò post, eodem Libro*; Nos autem, *inquit*, eas quas diximus Anagogicas facientes, contemplationes, literam non dissoluimus: Absit; &c. *Initio Libri* 3. Memento ô Lector, *inquit*, me dixisse quod non dissoluentes literam transimus ad non scriptos sensus Anagogicos, &c. *Quo loco fortè etiam nimius est in eo vt ostendat constare non posse literalem Opificij diuini Historiam. Et statim initio Libr.* 4. Æquum esse existimo valdéque amplectendum & vtile, per vniuersam nostram 6. dierum expositionem admonere Auditores quod non dissoluentes Dei operum quæ est ex littera historiam, spiritualiter corporales creaturas exponimus per Allegoriam, neque euertentes Patrum Expositiones, sed audientes orbis terræ luminare Paulum dicentem quòd vetus Scriptura & Lex est vmbra veritatis rerum Christi & Ecclesiæ, &c.

SACRA

Esa. 12.



SACRA, Dei vox, per Prophetam Esaiam iubet vniuersæ humanæ naturæ, vt viuam aquam hauriat ex patriis fontibus; est enim fons perennis diuinæ sapientiæ, & minimè iniustus. *Omne datū bonum & omne donum perfectum est descendens* à liberali ac munifico *Patre luminum* ad quem minimè patet aditus; & qui dicit; *Si cui deest sapientia, petat à Deo qui absolutè dat omnibus & nemini exprobrat.* Paria enim sunt, & eamque est reuera amare sapientiam, & sapientem eius Datorem. Te ergo, ô valde desiderabilis fili mi, & caput omnium mihi amabilissimū; laudans ob concinnum & propensum in res diuinas studium, & mentem philosophiæ verbi deditam, tanquam animatam tui corporis figuram, excepi inanimem chartam tuæ scripturæ, quæ petit vt detur solutio eorū de quibus dubitatur à multis in Hexaëmero; id est, in Creatione sex dierum. Quamobrem eo fretus qui dicit; *Petite & accipietis* quoniam *omnis qui petit accipit*, & qui quærit inuenit, & vt oportet pulsanti aperietur: in eo spem eorum quæ dicturus sum collocans, post illos qui antea laborârunt, vestigijs eorum insistens qui circa horam vndecimam æquè celeriter munus peragunt & in metendo & rursus in vindemiando, demisso oculo & humili diligentia & imperitia tanquàm spicas legens, & culmos colligens, instar formicæ relicta grana relego: & tanquàm canis micas colligens, lauti & opipari patrum epuli ac conuiuij; aufero quæ excidunt: Et tanquàm apis quæ mel conficit, ex illorum pratis si quid est odoriferum surripio, & in hoc vase reponens ijs quibus fas est bona appetere & eorum esse particeps, propter te fruenda offero. Nam si poëticè postulante tempore licet dicere. *Canto ijs qui sapiunt*: Et, *Aures obstruite & vos vestras ritè profani.* In meis enim auribus valdè resonat qui à cœtu amandat furfuraceas orationes & terrestres, & quæ sensus afferūt humi serpentes. Nam & qui veneranda, animæq; sordes abstergentia peragunt mysteria; quando ex arcanis veluti thalamis in publicum omnium conspectum, sunt, ea palam & inter se cohærenter expositiuri, congruenter diuinis consecrationibus arcanorum Dei Sacramentorum, vniuerso simul mixto populo nunquam eam faciunt ostensionem, priusquàm qui Liturgiæ, id est qui publico præest sacrorum muneri, post superiorem & quæ est citra vllum medium, Dei chori ordinationem, tanquàm voce præstans quidam præco, stans extra sacratissimas portas iussione maxima secreuerit ab Adytis ad quæ non licet accedere, eos quibus non licet ijs frui ac percipere; timens illum sordidis vestibus indutum in Euangelio, qui longissimè fuit expulsus à nuptiali conuiuio, quoniam non præparauerat vestem cōuenientem diuino illi epulo. Ad hoc autē opus nos componendū venimus, non spem ponentes in facundia, suauibúsque fabulis & nugis, atticeque dicendi Græcorum, nec armati Iambis trucibus & inutilibus: Christum enim habemus vitæ ducem; qui Græcam *sapientiam* dicit esse *stultitiam & crucis exinanitionem.* Loquimur enim de diuina Scriptura quę exposita quidem fuit per quandā vocis tenuitatem & linguæ tarditatem, à paucis autem est confirmata & ornata, iisque agrestibus, aratoribúsq;, & piscatoribus, & sutoribus & illiteratis: pudoréque affecit sapientes, eósque ostendit stultos & inutiles. Quamobrem in præsentia, à nobis non dicetur de figuris & interuallis nec de circumactionibus & motibus & regressibus in suos locos, nec de posituris & alterationibus, nec de motibus in orbe, nec de Antipodibus & de partibus, Cœli, & Saturni motibus, nec de Cœli motu & gradibus, nec de Lunæ ortu & defectu, neque rursus de Astris & singularibus quæ in eis considerantur Stellis. Non de ortu aquarum & inundationibus; Ex quibus eos quoque qui in locis fiunt terræ motus visione apprehenderunt qui se in mathematica & hac cōiecturali arte exercuerūt, aqua tanquam ab exitiosa lue liberauit Ecclesiam, verum quod

Iac. 1.

Paria sunt amare sapientiam, & sapientem eius datorem.

Matth. 7. Luc. 11. Io. 16.

Arcanorum Sacramētorū ostensio in Liturgia.

Matth. 22.

1. Cor. 5.

ἀποδοσεως, forte, ἀποφασεων.

Anathematis à liberauit nos Verbum

A in terris versatum est verbum. Nam quid lucri ceperit Ecclesia si didicerit vniuersam motionem Solis & Lunæ & cœli & terræ & ventorum & stellarum, præterquam solam peremnem & falsam opinionem? Discens autem & audiens quòd ab ipso Deo vniuersorum effectore effecta sunt duo Opificia, Vnum quidem quo produceretur homo & (vt semel dicam) res omnis creata; Alterum autem quo bene esset & homo & vniuersa res creata; cum ipse carnem suscepit, liberatis omnibus ab interitu, cùm vt benè essent acceperunt: & quod tanquàm propheta diuinus Moses, præuidit etiam productionem & opificium creaturæ ad hoc vt bene sit & scribens quemadmodum ad hoc vt esset deducta extiterit, in ipsa etiam Scriptura inseruit eius reformationem per Christum ad hoc vt benè sit, sed stylo quodam prophetico, obscuróque & allegorico. Omnia enim

B quæ sunt in cœlis & in terra, Deus priùs construxit in sapientia ad eius figuram & priorem descriptionem. Et quod statim à prima voce & effectione, eius fundamenta & structuram & apparitionem & illuminationē præmeditabatur & priùs describebat, & per primùm cælum & secundū, & quæ sunt in ipsis luminaria, nec hoc solùm sed etiam per ipsum Solem & Lunam, & Terrā & Aquas & plantas & pecora & volucres, & pisces; & vt semel dicam, per omnem creaturam cæli & terræ, Christum qui in ipsis & per ipsam loquitur, prædicat & magnificè commendat. Hæc discens Ecclesia exultat & lætatur, gestit & illuminatur, & aduersus infideles valēs ac robusta redditur, vel potius armatur; eos cōuincens, dedecore afficiens, vincens, exiliens & tripudians: si-

C quidem vniuersa quæ cernitur & intelligentia percipitur, creatura, ad eius imaginē & sponsi sui Christi priùs constructa fuit & præfigurata. Hoc est enim mysterium quod ante secula & à generationibus priùs definijt Deus, & prædestinauit. Vnde etiam dicitur Deus *omnia in caput redegisse* & *instaurasse in Christo.* Qui est in caput redegisse & instaurasse, quàm ea quæ rationibus in ipso priùs erant figurata & adumbrata; te ipsa, factis in ipso esse impleta? *Omnia* enim, inquit, *per ipsum, & in ipso Christo facta sunt tam quæ in cœlis quam quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus & Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt:* Dei autem Apostolus dicēs omnia & visibilia & inuisibilia in Christo esse creata, apertè ostēdit & docet quòd

D ipsa etiam inuisibilis creatura priùs figurata & facta fuit in Christo & Ecclesia. Sed de cœlestibus quidē; quēadmodū & Christum & Ecclesiam describunt ac præfigurant, non possumus apertè dicere, quemadmodū intelligatur quidem Angelus is qui est; *magni consilij Angelus*, & rursus quemadmodum Archangelus, qui est princeps Angelorū ipsos etiam mittit tanquàm administratorios spiritus qui & adsistunt: & quemadmodum nominatur Principium, qui est in Principio Deus Verbum, *princeps pacis & pater futuri sæculi.* Magnus est enim eius principatus, *& pacis eius non est terminus.* Aut quemadmodū intelligamus ipsam potestatem, qui Deus est habens potestatem, fortis & potens. Est enim eius potestas, vt dicit Daniel: Et potestas æterna quæ non præteribit: *Data est enim*

E *ei potestas in cælo & in terra.* Porrò autem homonymū quoque ipsum intelliges Thronum; vt pote quòd Pater super ipsū quiescat tāquàm vnigenitū & germanū filiū, & simul etiā nos faciat quiescere, cōgruenter ei quod scriptum est; *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & faciā vos quiescere.* Quòd si etiam vis nosse eum habere sex alas, audi eum qui ipsi dicit, *In tegmine alarum tuarum proteges me, extendens alas suas eos suscepit.* Quemadmodū autē *lux vera illuminans omnem hominem venientem in Mundum*, meritò omnia aspiciens, vocatus est πολυοφθάλμος id est, multos habens oculos. Per homonymiam autem appellatus est etiam Dominus, qui in dominantes obtinet principatum: *Dominus* enim est *fortis & potens, Dominus potens in bello*; Et *Dominus virtutum*; Et, *Dominus altissimus.* Quoniam autem interpretatur

Dei Astronomia nullius vsus.

Duo, Dei opificia.

Omnis creatura fuit constructa ad imaginē Ecclesiæ & eius Sponsi.

Ephes. 1.

Magni consilij Angelus.

Coloss. 1.

Mar. 28.

Matth. 11.

Psal. 35.

Io. 1.

Dominus dictus est Verbum per homonymiam.

Psalm. 23.

Psal. 45.

Psal. 46.

Deus vocatur Cherubim & Seraphim. Cherubim, multitudo cognitionis: Deus autem est Dominus cognitionum; ipse enim cognoscit omnia antequàm fiant, &, *Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius*: meritò vocatur etiam Cherubim, qui ipsa condidit Cherubim. A Sicut etiam rursus Seraphim, quod interpretatur ignis ardens & comburens: *Deus enim noster, ignis comburens* est *Luc. 12.* Christus: Et ideo, *Veni*, inquit, *ignem mittere in terram*. Sed hoc quidem tanquam per epitomen nunc dictum sit quemadmodùm referuntur in Christum, & facta sint eum priùs describentia ac præfigurantia. Quòd autem ea quoque sint Ecclesiæ exéplaria, & ipsam priùs significent & figurent; ab hac dubitatione te rursus liberat ipse diuinus Apostolus in Epistola ad Hebræos, dicens de Tabernaculo testimonij, & de omnibus in eo constructis, quòd ea facta sint in figuram Ecclesiæ, dicens: *Hebr. 9.* *Non in manu facta ingressus est Christus verorum exemplaria, sed in ipsum cælum*. Dicens autem, *exemplaria*, ostendit citra B *Quæ sunt in Ecclesia sunt imitamenta ordinum cælestium.* vllam dubitationem, quæcunque sunt in Ecclesia, esse imitamenta ordinum cælestium. Si ergo inuisibilia, & quæ sunt præstantissima, sunt comparata ad imaginem & figuram Ecclesiæ, ne de cætero ampliùs dubitaueris, & ne fidem non habueris, quòd & vniuersa terrestria quæ scripta sunt in Lege Mosaïca, vmbram habuerunt *Hebr. 10.* *& figuram futurorum in nobis bonorum*, vt docet Paulus. Sic est enim intelligendum quod dicit Christus, quòd *iota* *Matth. 5.* *vnum & apex vnus*: per quæ significatur signum Crucis; *nõ præteribit à Lege donec omnia fiant*, de ipso scilicet dictum est & Ecclesia. Cuius enim (quæso) esset imago, Tabernaculum testimonij, & Agnus paschalis, & sanguis, & aspersio, & sacrificia, & ignis, & quæcunque fiunt per C *Christi & Ecclesiæ mysterium annunciatur per scripturam Mosaïcam.* legalem Dei cultũ; nisi Christi & Ecclesiæ? Vnde etiam qui diuinis sensibus ornauit Ecclesiam celeberrimus Cyrillus in commentarijs Hexaemeri in Genesim, dixit per hanc Mosaïcam Scripturam annunciari mysterium Christi & Ecclesiæ. A quo deductus, & à quo accepta occasione, Ammonius probatissimus interpres Ecclesiæ Alexandrinæ, in Opere quod composuit paternarum sententiarum Hexaemeri, dixit plurimos vim attulisse sensui Scripturæ à Deo inspiratæ, qui contéderunt eam *Ammonij sententia in Hexaemeron.* non esse factam à Deo in figurã Ecclesiæ, sed soli litteræ seruierunt. Hanc enim esse causam nonnullorum Expositorum, ab alijs, dissensionis, dixit idem Ammonius. Si enim omnis creatura facta est propter hominem; Adam & Euam Paulus ad Ecclesiam refert dicens, *sacramentum* *Ephes. 5.* *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*, sine dubio D *Omnis creatura facta propter hominem, refertur ad Christum & Ecclesiam.* omnis quę propter hominem & propter eius coniugem facta est creatura, refertur ad Christum & Ecclesiam. Atque quod hoc quidem argumentum nostras vires superet, neque nos negamus neque vllus qui sapit. Sed quoniam hinc magna est in Ecclesia gloriatio, & quanis Scriptura maiora hinc accipit arma aduersus pietatis inimicos qui eam circundederunt, ea de causa inuocat *Num. 22. f* Christo datore luminis per suam coniugem Ecclesiam, Balaamicæ asinæ, postulante tempore, os aperuit; & qui multis indignis, ne dicam omnibus, præclara sua dona largitur, ausus sum immensum hoc ingredi pelagus, post Christum vtens adiutoribus sanctis qui ante nos exposuerunt Patribus. Nam etsi Mosaïcam posuimus, ante Scripturam Euangelicam, ad Expositionem; E non tamen figuram veritati, neq; vmbram rebus, neque præteritum præposuimus pręsenti, ad doctrinam: sed vt apertè ostendamus quòd hæc prisca & antiquiora præfigurant nostra mystica & recens exorta, & adumbrant veritatẽ donec ipsa venit, & totum corpus sanctæ Scripturæ reddidit expers vmbræ. Quòd si etiam aliquid nouum & minùs consuetum nostra dicat oratio, rogamus & obsecramus tam præsentes quàm futuros filios sanctæ Ecclesiæ, ne inimico & inuido malignóque animo; sed fraterno audiant quę dicuntur. Nunquam enim *Scientia perfecta est solius Dei.* aberrans, & perfecta rerum cognitio, est solius Dei; siquidem etiã *spiritualis ex parte cognoscit, & ex parte loquitur*, & qui est secundùm cor Dei, Dauid precatur, dicens. *Psal. 118.* *Aperi oculos meos vt intelligam mirabilia Legis tuæ.*

LIBER PRIMVS.

» *In principio fecit Deus cælum & terram. Terra autem*
» *erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum*
» *& Spiritus Dei ferebatur super aquam.*



VOT & quales fuerint sententiæ eorum qui multis ante sæculis ea quæ sunt hic subiecta exposuerũt, neque nobis facile est dicere, nec auditori expeditum audire. Nam de illo; *In principio fecit*; dubitãrunt nonnulli, vtrùm ipsum Principium habeat aliquod antiquiùs principium ex quo depédeat; an sit sine principio. Et si habet quidem, non potest vocari principium. *De principio, magna est dubitatio ἀρχῆς.* Sin autem nõ habet; principio scilicet caret & tempore. Quodnam enim iam potest esse tempus & principium ei quod caret principio? Nam principium non habet aliquid se prius, vt sit in materia & forma: Materia enim *Elementum, habet principiũ materiam & formam.* est prior forma. Similiter & elementum cùm sit compositum & constet ex materia & forma, habet principium, materiam & formam. Est autem, inquiunt, materia, omnium principium cùm sit res incorporea, expers qualitatis, & quæ sola explicatur ratione, non cadit autem sub sensum. Ipsa ergo, inquit, à figura qualem impressã, quæ forma est, corporatur. Et primùm quidem fit elementum, aut æther, aut ignis, aut aër, aut terra. Deinde complexis his elementis, fit compositum aut animatum *Materia & forma sunt magis elementares, quàm elementa.* aut inanimum. Et materia quidem & forma, inquiunt, ad principij formam magis accedit quàm elementa. Elementa autem ad principij formã magis accedunt quàm alia corpora. Nos autem dicimus: Principium omnia *Deus est principiũ superãs omnia principia.* principia superans, primum quidem est Deus; Post Deum autem, naturalium corporum principia sunt elementa. Sed externorum philosophorum quidam sunt diuisi: Et alijs quidem visum est ignem esse principium, propter vim per se & facile mobilem, & quod consumat omnia quæ apprehenderit. Alijs autem, aërem; propterea quòd vitæ causa sit ex respiratione. Alijs autem aquam, propter genitalem naturam. Aliquibus au*De principijs magna cõtrouersia inter Philosophos.*tem ex ijs, terram; propterea quòd plurima animantia gignantur ex terra, & in eam resoluantur. Plato autem Deum & materiam dixit esse principia: illum quidem, vt Deum & Patrem; hanc autem, vt quæ suscipiat opificium & formam, dixit vt matrem, declinans à veritate & totum Deo minimè tribuens. Alij rursus logicè magis considerantes quàm naturaliter; dixerunt terram esse principium Vniuersitatis, vt quæ sit centrum Orbis cælestis: Nam centrum est Orbe seu circulo antiquius. Alij autem apertè pronunciauerunt mundum non esse ortum; & consequenter dixerunt simul esse, Vniuersum. Sunt autem etiam qui dixerunt ipsum esse fortè & casu; & vt accidit, partem eius primam ortam esse. Alij autem in quatuor elementa, & quintum corpus æthereum, vniuersum mundum diuidentes, & quatuor elementa ab æthere administrari existimantes (ætheris autem res pulcherrima, est cælum) id primum ortum esse dicunt. Nos autem diuini Mosis Leges & decreta sequentes; *in principio cælũ & terram* simul facta esse dicimus. Et si quis vult videre principium omnium mandatorum, hæc existinet. Sed & omnium quæ percipiuntur intelligentia, principium est omnia principia superans Deus qui fecit omnia; & non ex ea quæ prius fuit materia, sed ex nihilo produxit & ea quæ cadunt sub intelligentiam & elementa. Diuinus autem & sublimis Basilius, soluens quæ de Principio infertur obiectionem; dixit sensili mundo esse vetustiorem intelligentium virtutum constitutionem. Rursus autem ad id quod subiungitur: *Fecit Deus cælum & terram*; dubitarunt nonnulli qui sunt diuersæ à nobis sententiæ; Cur non coniunxit Scriptor, Aquarum & tenebrarum creationem. Prętereà de Spiritu quoque qui superferebatur; cùm aquæ quidem videantur; esse ante cælum & terram, essent autem tenebræ in abyssi superficie, maximè cum essent etiam tenebræ hic aquis circum-

circumscriptę; quomodò dicitur super eas ferri Spiritus sanctus illuminans; & quomodò simul erat cum tenebris A Dei Spiritus qui est autor dandi luminis? Ad hanc ergo obiectionem responderunt quidam Expositores; quòd cùm dixisset Scriptor cœli & terræ creationem; per extrema simul comprehendit cunctas quæ intercedebant creaturas. Sed & hinc alia quoque processit dubitatio: Quomodò enim, inquit, post cœlum & terram videtur Deus fecisse lucem? Quomodò autem ne nominat quidem omninò ignis creationem? Quo in loco cùm dixisset sapientissimus Gregorius, lucem esse naturam ignis alius contrà dubitauit. Et quam ob causam non appellauit ignem ipsa Scriptura? Qui fit autem quòd neque vrit, neque calefacit, si sit ignis natura? Si enim per duas voces, cœlum inquam, & terram; cõprehendit quatuor Elemēta, inuenietur lux quintum Elementum. Sin autem non coniunxit; propter quamnam causam, B in cœlo quidem & terra comprehendit Deus ignem, tanquàm in luce; in tenebris autem non dicta est creatio, neque in abysso, neque aqua, neque in spiritu? In quibus cùm armaretur magnus Basilius aduersus Manichæos, & diceret illas tenebras esse increatas & nõ consistere; nec sub mensuram, inquit, cadunt, neque definiuntur; sed cùm fecisset Deus terræ latitudinem, & super eam inclinasset & extendisset cœlum tanquàm tabernaculum, secessit lux, terreno mundo à cœlo adumbrato. Tenebræ ergo nihil sunt aliud nisi vmbra corporis. Præterea quæsierunt nonnulli vtrùm lucem illam quæ secessit & ostensa est ab vmbra cœli; dicere oportet, esse in tempore an absque tempore. Et si in tempore; cuiusmodi est hoc tempus quod fuit ante sex dies? C Sin autem sine tempore; est perspicuum quòd est etiam sine principio. Si est autem sine principio; est etiam omninò eiusmodi vt non possit circumscribi. Si autem non potest circumscribi; quomodò circumscribitur pulsa ab vmbra cœlesti? Coniungunt autem etiam præcedentibus aliam quoque quæstionem Interpretes. Si enim, inquiunt, profundum aquarum abyssi erat super faciem vniuersæ terræ; non oportebat eam omninò appellari terram, sed mare; Et cur humectum terræ terminum super quam locatum est & situm, terram nominamus, non mare, non habita ratione subiecti; quomodo & fluuios, & lacus, & fontes, ex superficie earum quæ in ipsis sunt aquarum, conuenientibus etiam earum appellationibus ex diuina Scriptura didiscimus. Oportebat enim D illam à Deo factam, statim ab initio tanquam condemnatam, & abysso tanquàm inferis traditam, tertio die exurgere, dicendo; *Congregetur aqua tanquàm in congregationem vnam, & cernatur arida.* Deficiet me tempus, si velim in medium proferre sacrorum omnium assectarum dubitationes & quæstiones de sex diebus. Etenim de abysso quæ dicitur, & de aqua quæ nominatur; alij quidem intellexerunt vtrasque aquas, vnam esse & similem naturam. Alij autem dixerunt, hæc non vnum significare. Differentia enim, inquit, eorum quæ vehuntur, significat discrimen vehiculorum. Nam scriptum quidem est tenebras impendēre, Spiritum autem suprà ferri. *Et tenebræ,* inquit, *super abyssum.* Et deinde; *Spiritus Dei ferebatur super aquam.* Maximè cùm post hæc Propheta sæpè fecisset mentionem aquarum, ipsas quidem nominat aquas & maria, & congregationes, & fontes, & fluuios; Abyssi autem nequaquàm meminit. Non prætermisit autem in profunda & diuinitùs data sua sapientia interrogare quomodò scriptus est Spiritus Dei solùm in reliqua creatione; & curnam dicitur is quidem superferri, non insidēre? Aduersus eos etiam qui dixerunt sanctum illum esse Spiritum qui ferebatur supra aquas, à nonnullis est dubitatum: Vbinam sit creatio aëris qui est vnus ex quatuor Elementis? Si enim dederimus, inquiunt eum quidem esse sanctissimum illum & increatum Dei Spiritum; ignis autem omninò non profertur nec appellatio nec creatio, quomodò nec abyssi; inuenietur diuina Scriptura vnius solius elemen-

Per cœli & terræ creationem, comprehendũtur cæteræ quæ intercedunt creaturæ.

Sitne lux natura ignis.

Tenebræ sunt increatæ, nec consistunt, nec sunt aliud nisi vmbra corporis.

Sit ne lux ostēsa ab vmbra cœli in tēpore, an absq. tempore.

Abyssi & aquæ, sitne eadem natura.

Spiritus qui ferebatur super aquas, sitne Spiritus sanctus, an aër.

Terræ tantũ creationis, nõ etiam cæterorum elemẽtorum fit mẽtio in Genesi.

ti (nempe terræ) nos docere creationem, non autem quatuor: Lux enim cum ijs non connumeratur, vt dicunt ij qui sunt earum rerum periti. Oportebat autem; rursus inquiunt ipsi, si creaturæ quæ cadit sub aspectum Deus inducit opificiũ, eum simul cum terra constituere cœlum quod videtur, non autem id quod non videtur. Sed vtramque primogenitam gemellámque natam creaturam & quæ ne sub aspectum quidē caderet, occuluit, eam supernè & infernè quodam veluti chrystallino & celeriter fluente aquarum amiciens vestimento. Quod quidem rursus nobis aliam non leuem parit dubitationem; nempè quòd alia contecta sint superna (arcente intermedio veluti operculo) ne & inferna intueri possint superna; neque rursus superna aspiciant inferna. Adhuc enim primo & splendidissimo cœlo, tanquàm quodam diuino proposito & resplendente speculo, & eius quòd superuehitur diuinos fulgores aduerso splendore repellente, ad hoc vt ea quæ sunt infrà illuminet, obruta & demersa terra non poterat (vtique intelligentibus oculis) aspicere ad diuinum supernè radium qui ad ipsam vsque permeabat. Sed quoniam earum quas subiecimus dubitationum exitum non inuenimus, & in ijs planè perplexi sumus & omninò hæsitamus, freti ore sancti Spiritus; Pauli, inquam, lingua quæ dicit; quod quæcumque sunt in Lege, priùs scripta sunt in figuram Christi & ipsius Ecclesiæ; accepta, si verè dicere oportet, occasione ex Papia viro clarissimo Hierapolitano qui dixit in Episthethio, Clemente, & Pantheno Alexandrino Sacerdote, & Ammonio sapientissimo, interpretibus; veterum & primorum conuentione, qui totum Hexaemeron intellexerunt de Christo & Ecclesia, post verè sensilem secundùm litteram creationem, citra vllam dubitationem sensum speculantes Ecclesiæ; pro qua vniuersus est nostri certaminis scopus, ad hoc opus descendimus. Cæterùm litteram quidem minimè dissoluentes, verùm ab optimo & benignissimo sancto Spiritu sensum mysticè absconsum intra litteram, inquirentes; primùm hoc consideramus in corporibus. Quamobrem linguas hinc non mittant Philosophorum Physici, audientes Verbum, *Fecit Deus cœlum & terram:* neque dicant Deum fecisse cœli ortum à terra, tanquàm ab aliquo centro: quoniam centrum, inquiunt, est principium vniuersæ Sphæræ. Non enim vt contingit in hominibus qui non possunt neque circulum dirigere, neque torquem circumagere, neque punctos circuli ex æquo componere, neque lineam inflectere & rotæ similem efficere, nisi centrum medium priùs fuerit infixum; ita etiam deuenit. Hîc enim, vt discas quòd Deus non sequitur naturæ consequentiam, sed fabricatur supernaturaliter & non artificiosè, dicit Moses; Fecit Deus Sphæram, deinde terram centrum. Oporteret enim re-uera contra dicere, *Fecit Deus terram & cœlum;* Seu centrum, & tunc sphæram. Nam si coniunctionem copulatiuã accipiunt; illud, &, & ambo, dicunt simul facta esse, oportebat certè, vt ipsorum est sententia, prius significari principium & causam circuli, nempe centrum seu terram, & magis quàm contrà. Si autem ij confiteantur omne centrum figi super aliquod stabile & solidum, & sic circumscribi circumferentiam, non autem aliter: E Deum autem agnoscant super aquas quæ nulli resistunt concussioni, sed statim funduntur & circumfluunt; non solùm iniecisse id quod est densum ac graue, sed etiã in his humidis solidare multitudinem: quemadmodùm non concesserint eum excitare cœlum tanquã fornicem etiam absque centro: Nam quę apud homines sunt eiusmodi vt fieri non possint, apud Deum possunt fieri; sed ad aliam eundum est seriem, & postulandum est à superna sapientia quæ dat omnibus prout rectè petunt, vt nobis reuelet mysticum sensum qui est intra litteram, nempè quomodò per vniuersam sex dierũ creationem, priùs constituit & præfigurauit figurã & imaginem Ecclesiæ Christi. Sic enim dicit; *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Cœlum quidem, simul comprehendendo

Chrystallino aquarum vestimento contecta sunt & superna & inferna.

1. Cor. 10.

ἐπιστήθιον quasi dicas pectorale, videtur fuisse titulus libri.

Sex dierum creationē quinam antiqui & sācti Doctores intellexerunt de Christo & Ecclesia.

Deus nõ fecit generationem cœli, à terrâ tanquam à centro.

Cœlum comprehendit omnes cœlestes virtutum sanctarum & intelligentium Mūdi constitutiones.

Ita quidem multi ex veteribus patribus Angelos ante mundū corporeū creatos tradidere: sed iam hæc sententia absque temeritate defendi nō potest. Vide post alios Ascanium Martinengum in glossa magna Genes. pag. 183. & seqq. & S. Thomam cum suis expositionibus 1. par. qu. 61. art. 3.

nominat omnes cœlestes & intelligentes, sanctarum virtutum & intelligentis mundi cōstitutiones, vt intelligas supernum mundum priùs fuisse fabricatum, congruenter voci Theologi * quæ dicit. Primum quidem mente cogitauit angelicas virtutes & cœlestes; & cogitatio opus fuit. Nunc autem rursus hunc mundum sensilem & qui cernitur, simul complexus; cum ipso cœlo etiam omnia quę super terram cum homine facta sunt & sunt; res inquam, animatas & inanimas. Nam cum dixit; *In principio fecit Deus cœlum;* sustulit mentem tuam ad creationem superni Ordinis. Deinde cùm subiunxit; *Et terram*, dimisit mentem tuam ad posituram inferni adimplementi, cuius vniuersam exhibuit comprehensionem à parte, nempe à terra; docēs te non solùm nosse terram, sed etiam cœlum quod eam ambit ac continet; synecdochicè veluti quodam termino complexus, per duas dictiones, opificium & creationem mundi qui aspicitur & mundi qui intelligitur, quem *in principio* fecit Deus; in principio, inquam; paterno; nempe ratione seu Verbo. *In ipso enim & per ipsum omnia facta sunt.* Cùm huc vsque constituisset cœlestium & terrestrium omnium creationem, qui cum Mose loquebatur Dei Angelus, transit ad mysticam Ecclesiæ rationem. Quam quidem rursus, aliam appellat terram, & dicit de eius ignoratione & errore qui erat in initio, Terra *autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, & spiritus Dei ferebatur super aquam.* Quærendum est autem, Nunquid cùm cœlum & terra sint ordinata, & sint in suo loco, & prętereà habeāt medium suum interuallum ab abysso repletum, postquàm ea quoque fuit in suo ordine collocata & inclusa in sua congregatione; an non aër repleuit Vniuersitatem, vt nusquàm in Vniuersitate relinqueretur locus vacuus: hoc enim fatentur omnes, nusquàm esse locum vacuum; & est consentiens omnium opinio, quòd aër protinus circuiuit vniuersitatem, quando simul coacta fuit aqua abyssi: ex aqua enim, vt semel dicam, exhalatur aër; est autem is quoque typus ac figura diuinitatis quæ non potest exinaniri. Quomodò enim aër est vbique & implet omnia; ita etiam diuina natura præsens in Vniuersitate, eam ita implet vt exinaniri nequeat. Quomodò enim aër non hunc implens locum ex illo est exinanitus; Ita etiam diuinitas omnia ita implet vt non exinaniatur. Et quomodo aër est & tenebricosus & lucidus, primum autem est id quod est tenebricosum; ita etiam diuinitas est tenebrę nolentibus, Lux autem volentibus; Primùm autem est id quod est tenebricosum, quoniam primum ignoratur, & tunc agnoscitur. Et quomodò aër veluti intractabiliter & insensiliter est etiam perfectior dum scinditur, ad hoc vt permoueat secans corpora; Ita etiam Deus, ijs qui ipsum volunt medium peruadere, & tanquàm per penetrationem (quoad eius fieri potest ab homine) ei vniuntur insensiliter, ipse etiam aperitur cum perfectione, & qui nouit ipse scit vt qui sit deificatus. Et quomodò aër, & quod est extrinsecùs, continet & refrigerat quod est intra animal; est autem magis necessarius vsus qui est intrinsecus: Ita etiam Deus, id quidem quod est extrinsecùs cōtinet castris Angelorum, vt qui sint salutares spiritus; sed & per se in ipsos operatur viuificationem aut reuificationem. Si autem soli diuino illo priuantur aëre, qui elegerunt natationem super pectus & ventrem per humorem peccati: Sunt enim voluptates ex humoribus; Pectus autem & venter, aeris propensio ad ea quę sunt sub ventrem. Sed densum quendam & ad vesperam omnino vergentem, profundùmque & tristem atrùmque & omnino tenebricosum, per ea quę dicta sunt descripsit Moses mundum terrestrem, opertum diuersis quibusdam veluti in tegumentis & velis, tanquam coacta & compressa terra, vt quæ simul sit in tenebricosis & in vmbra mortis, in terrestribus Hærebi; partim quidem suffocata aquis quæ ei sunt impositæ, partim autem offusa tenebris abyssi: deinde spiritu venti qui vehementer fertur super aquam, ab vndis iactata & agitata. Ferri enim,

Cœlum & terra comprehendit Mundum tam intelligibilem quàm sensibilem.

Principium paternum est Verbum seu ratio.

Aer ita repleuit vniuersitatem, vt nusquam sit vacuum.

Diuinitas, sicut aër, ita implet omnia vt exinaniri nequeat.

Aër est & tenebricosus & lucidus, sed primum tenebricosus.

Diuinitas, est tenebræ volentibus lux volentibus.

Aër est perfectior dum scinditur, & Deus aperitur ab inquirentibus cum perfectione.

Aëre quinā priuentur.

Supra pectus & ventrem natare quinā dicantur.

A significat vehementiam motus & impetus aëris. Atque hæc quidem est congruenter litteræ Mosaïcæ de terra crassior ac corporalior, quod ad ipsam attinet historiam, narratio; Mare quoddam horridum ac tenebrosum, multisque vndis iactatum, & totam quandam atram noctem apertè describens totum orbem terræ: quod quidem apertè & citra vllam dubitationem erat præfiguratio & imago prioris status, vel potius transgressionis, erroris, & tempestatis & ignorationis terræ; nempe ratione prædita Ecclesiæ. Hæc terra erat inuisibilis, quæ non solùm non videbatur, sed nec videbat; hoc est, statim ab ortu erat sine oculis & cæca; quam excæcauit princeps tenebrarū sæculi huius, impositus supra abyssum ratione præditam. Aquæ quoque peccatorum eam obruerunt & demerserunt, & spiritalia nequitiæ quæ sufflarunt per os serpentis, ei grauissimam attulerunt

Tenebræ Mūdi, erant imago prioris status Ecclesiæ.

Ecclesia in priori errorum statu nec videbat nec videbatur.

B tempestatem, & tentationum mille fluctus excitārunt. Vnde etiam terram non solùm dicit, ἀόρατον, id est, ἀόμματον, nempe carentem oculis; sed etiam inuisibilem, vt quæ non videretur omnino. *Auertam*, inquit Deus, *oculos meos à vobis.* Sed & per Osee dicit, non solùm Iudæis, verùm etiam toti generi; *Claudam oculos meos à vobis, quoniam odi opera vestra.* Sed eam quoque dicit *incompositam.* Nam cùm in eam mali irrupissent fluuij & iniqui spirassent venti; cecidit fuitque incomposita & non constructa; & fuit magna eius ruina, vt quæ non esset ædificata supra vxorem & sponsam Christi, nempe *super petram fidei Petri.* In tot ergo & tantis malis iacebat è terra genita hominum natura, quando venit plenitudo temporis vt ascenderet ex terreno profundo voluptatum,

Isai. 1.

Petra fides Petri.

C & liberaretur ab aquis eam suffocantibus & esset tranquillitas vndarum quę in eā insurgebant, vt mali silerent venti, & recederent tenebræ ignorantiæ, & illucesceret splendor Dei cogitationis. Et ideò cecinit; Et dixit Devs, *Fiat lux:* hoc est, Christus *vera lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Fiat;* scilicet veniat ad generationem, effingatur & corporetur. Vt autem tibi ostenderet, magis quàm omnia esse necessariam Verbi incarnationem; & propter eam facta esse omnia, sine qua vana sunt & inania, peccato effecta inutilia & ad nihilum redeuntia; statim ab initio Scripturæ, & ab ipsis procemijs illam tibi tradit, dicens; *In principio fecit Deus cœlum & terram;* seu fecit in principio temporali; seu placuit ei vt fieret cœlum tanquàm Deus; & terra;

Christus est vera lux.

Propter incarnationem Verbi facta sunt omnia.

D propter Iesum hominem. Quando autem ei placuit hæc creatio? Quando cœpit producere sensilia, non autem ea quæ cadunt sub intelligentiam. Sciebat enim fore vt hæc illa paterentur, & malè afficerentur & corrumperentur à peccato Adæ; & sua benignitate & clementia præuenit mali quod erat passurus incursionem, ante affectionem & vitium parans medicum. Propterea etiam dicitur *Vitulus saginatus* apud diuinum Lucam. *Vitulus*, tanquàm caro; vel vt qui Crucis iugum erat tracturus, *Saginatus* autem, vt qui iam oli[illegible] ab ipso initio esset definitus & prędestinatus vt nostram subiret naturam. Quandò ergo cœlum constituit & terram & quæ sunt cum eis, tunc etiam contexit mysterium Incarnationis. Ad Angelos enim, Adæ acerbitas non fuit

Sensilia malè sunt effecta & corrupta à peccato Adæ.

Luc 15.

Christus vitulus saginatus ab initio prædestinatus vt incarnaretur.

E omissa. Vnde etiam eius secundùm carnem generationem in Euangelio describens Matthæus, dicit; Liber *generationis Iesu Christi filij Abraham;* dicente Christo; *Ego lux veni in mundum:* Et, *Ego sum lux, & vita, & resurrectio;* lux quæ verè erat orta *ad reuelationem gentium* quæ priùs erant obtenebratæ; ex quibus, *populus qui erat in tenebris vidit lucem magnam* cognitionis quando *visitauit nos oriens ex alto* vt illuceret ijs qui sedebāt in tenebris & in vmbra mortis. Quòd enim terra erat in initio in infetis obruta; id priùs descripsit terra genitam nostram naturam *sedentem in tenebris & in vmbra mortis;* cuius in extremis temporibus per Christum illuminationem, priùs describēs; *dixit Deus*, Fiat *lux, & facta est lux,* quæ præcurrebat & præfigurabat veram lucem nempe Iesum. Hoc autem hîc accuratè & exactè examina, quemadmodùm cùm superiùs

Io. 12.
Io. 17.
Luc. 2.
Es. 9.
Luc. 2.

Terra tenebris & aquis obruta, significabat nostrā naturam sedentem in tenebris.

superiùs dixisset; IN *principio fecit Deus cœlum & terram;* hic non dixit, *Et fecit Deus lucem,* sed, *Et dixit Deus, Fiat lux,* vt discas differentiam creationis & generationis & vt Hæreticorum voces comprimas; qui dicunt Deum Verbum, nolentem & inuitum suscepisse incarnationem: & quòd propterea quòd iussum paternum non posset recusare, vt qui Patrem amaret, inuitus tamen & vt qui nollet repugnare, humanam subijt naturam. Propter hoc ergo & propter eiusmodi vitia; non dixit; *Et fecit lucem;* sed, *fiat lux.* Id enim quod fit, non habet fortasse conuenientiam cum affectu ad quem traducitur, vt quod cum efficiente minimè conueniat: Non sic autem se habet generatio. Nam quæ generantur, collætantur cum generatione, alterúmque est alteri gratum & acceptum, simúlque exultant & petunt perfectionem; quomodò etiam videmus fœtus exilientes in maternis vteris, & festinare vt eximantur; & in plantis, ramos, folia, flores, fructus, lubenter crescere. Dixit ergo, *Facta est lux;* non autem, *Fecit lucem;* vt per illud, *Facta est,* intelligas voluntarium propriúmque & lætabundum Verbi cum Patre beneplacitum in Incarnatione, non autem Verbum carnem subijsse coactum & necessitate adductum; inductus à verbo, *Facta est.* Quem etiam videns Pater sic carnem gestantem, lætatus est; Et ideo dicitur, ET VIDIT *quòd esset bona.* Si omnia quæ fecit Deus sunt valde bona, quomodò non dicit Scriptura illas tenebras quæ erant ante lucem, esse bona? Sed neque aquas illas bonas, neque Abyssum quæ obscurabatur, bonam dicit. Dicens ergo Scriptor, ET VIDIT *Deus lucem quòd esset bona;* ostendit quòd omnia illa quæ venerũt ante veram lucem quæ *illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum,* & terram obscurârunt, obruerunt, demerserunt & suffocârunt; non esse bona: adeò vt ipsa carens lumine, inuisibilis & incomposita & infrugifera sustineret contrarios Spiritùs, qui ante lucem Christi in terra obtinuerunt dominatum. In his autem, terram, intellige hominem. Vnde etiam hanc bonam lucem audimus dicentem, OMNES *qui ante me venerunt, sunt fures & latrones.* Quid dicis Domine? Omnes qui ante te venerunt sunt fures & latrones? Num fures sunt & latrones, Abel quem dixisti iustum, & Seth, & Enoch, & Noë? Nunquid latro est Abraham, & Isaac, & Iacob, & Moses, & Aaron? Nunquid latro est Dauid, qui erat secundùm cor tuum, qui Deus es? Nunquid fur est Elias, qui cum tanta gloria est assumptus? Nunquid sunt latrones Esaias, & Daniel, & omnes Prophetæ qui in visione tuam præuiderunt præsentiam & eam antè annunciârunt? Nam ij omnes ante te in carne venerunt, quos sæpè esse iustos in tuis sermonibus es testatus. Nunquid fur & latro est Ioannes præcursor, qui cum venisset, dicebat; VENIT *qui est ante me?* Et si est fur; quomodò de eo testaris, dicens: NON *surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista?* Subsiste, inquit, qui hæc dicis: Non loquor de ijs qui ante me nati sunt in carne. Sed quoniam veni è cœlo missus à Patre meo, Omnes qui ex eodem cœlo cum eodem scopo venerunt ante me, sunt fures & latrones; nempè aduersariæ Potestates. Et subiungit dicens, *Non audierunt oues.* Quasnam oues dicis Domine, non audiisse vocem & doctrinam malorum spirituum? Nam si de Iudæis dicis; obedierunt & sacrificarunt dæmonijs: Sin autem de Gentibus, nos omnes subiecti fuimus & seruiuimus diabolo ante tuum aduentum, Principi latronum, & Angelis eius malis furibus nostrarum animarum. Sed non dico, inquit, de hominibus; sed de illis nonaginta nouem ouibus: de Angelicis, inquam, Potestatibus supernis; Illæ enim oues non audierunt vocem furum & latronum. Quid est autem, *Non audierunt:* nisi quòd per hoc verbum, dicit non lapsos esse Angelos nec vlli probro fuisse obnoxios. Aut rursus nos docens tacitè significat, quòd in tempore eorum defectionis, cùm eis à Deo esset excidendum; consilium dederunt & suggesserunt omnibus Angelicis virtutibus vt à Deo deficerent: sed *Oues,* eos non au-

Christus volens suit incarnatus.
Id quod fit, & quod generatur, in quo differant.
Quæ venerũt ante veram lucem, nempè Christum, nõ erant bona.
Terra dicitur homo.
Io. 1.
Matt. 11.

dierunt, nisi solùm è terra genita Ouis hominis quæ perijt & ab ipsis fuit decepta, quam occiderunt, & posuerunt mortuam, in loco tenebroso, in infernis & vmbra mortis. Et hac de causa dicit historia; TERRA *autem erat inuisibilis & incõposita, & tenebræ super abyssum:* malę ante generationem bonæ lucis super eam, nempè ignorantia & error. Deinde eodem modo, Israeli priùs ponuntur illæ trium dierum tenebræ, & deinde rursus dies. Et rursus nocturnum Paschæ sacrificium, & dies qui Israëlē plus illuminauit quàm qui tunc præcesserat. Et rursus in rubro mari, primas dicit tenebras quartæ vigiliæ noctis, deinde splendorem matutinum & salutem populi ex profundo. Eodem modo etiam in monte Sina ponit tenebras caliginem & procellam; & posteà, Dei præcepta lucem afferentia. Sic hic quoque priùs posuit tenebras supra abyssum, & deinde lucē à Deo genitam.

B Quòd si, vt est consentaneum, ea quæ dicuntur mireris; dic tu quænam lux, cum esset Deus, statim obscurum & tenebrosum primum suũ fecit opus, Mundum, inquam? Quomodò enim artificiosè operans operatur in luce? Cur ante lucem posuit tenebras? Deinde cùm priùs posuisset; quomodò non dicit quemadmodum illæ constiterint tenebræ? est enim perspicuum quòd tenebræ sunt signum seu symbolum peccati, increatum autem est peccatum & minimè consistens. Quomodò enim aquæ caliginem habent ex propria essentia; ita etiam homo, proprio & non coacto proposito, sua sponte facit & procreat peccatum. Tu autem antequàm venias ad exquirendam rationem diei ac noctis, priùs cõsidera quòd tenebræ erant increatæ: Deinde lux, & posteà C factæ sunt tenebræ; idque diem nominat Moses. Sed diẽ non sic metiuntur omnes. Nam Babylonij quidem, ab ortu Solis ad occasum, diem accipiunt, nullam noctis facientes mentionem; vt quæ minimè consistat, sed fiat per accidens. Ægyptij autem, à vespera, aduenientem numerant diem, vsque rursus ad vesperam, propterea quòd ante huius Vniuersitatis exornationem & distributionem, tenebras ponant mundi descriptores. Cuiusmodi autem sunt tenebræ, sensiléſne an nõ huiusmodi; illud quoque est nostro captu superius vt intelligamus, & propterea noctē nominat diei matrem. Vnde etiam qui fabulas scripserunt, primùm Latona natam fuisse dicunt Dianam, deinde Apollinem; hoc est, è nocte: Ipsa autem est Latona; In ipsa enim nata est obliuio & somnus. Primam ergo tanquàm ἀρτεμίαν, seu ἀεροτόμιν, D nempè aëra secantem, natam esse Lunam: Post quam natus est etiam Apollo; id est, ὁ τῶν ὅλων ἥλιος, Sol ex vniuersis, ne Vniuersitatem exureret & in fumum redigeret. Vmbri autem gens Italica, à meridiè in meridiem dicunt esse diem; Neque enim omnibus regionibus, parem cursum seruat dies. Certè circa Maria borealia & Thulem, nox est breuissima. Cum enim Sol iam fuerit in occasu, minuitur parum splendoris, & statim rursus apparet in Oriente. Athenienses autem & Romani ab ortu vsque ad occasum, diem definiunt, vt dicit Cato & Labeo. Sed neque hoc prætercurras in principio mundi creationis: nempe quemadmodùm cùm Deus fecisset firmamentum cœli, vel potius cœlum & terram prætermittens ornare cœlum quod erat ipsum quoque in- E ornatum & incompositum, statim ante illud per Scriptorem aggreditur dicere de Terra, dicens; TERRA *autem erat inuisibilis & incomposita.* Vnde cùm ad hoc quidem dixisset Interpres, quòd Israëlem (qui in Ægypto terrestres creaturas adorasset tanquàm Deos) volens Deus abducere à tali idololatria docet eum illas esse in terra creaturas: Alius contrà obiecit, dicens; sed nihilòminùs & exercitum cœli & Solem & Astra adorauit Israël, vt dicunt Prophetæ. Et deinceps ostendit cœlum fecisse exornatum ne ipsum Israel adoraret. Nondum enim ceciderat qui aliquando fuit *lucifer, qui manè oriebatur.* Illa autem terra (homo inquam) qui audijt; *Terra es, & in terram reuerteris;* attracta in profundum cecidit Tartarum, spinas & tribulos germinans in peccatis.

Tenebræ in multis locis ponitur præcedere, deinde lux, sequi.
Exod. 10.
Ex. 12.
Ex. 19.
Tenebræ sunt symbolum peccati.
Homo sua sponte facit peccatum.
Tenebræ sunt increatæ.
Dies, diuersè diuersis metiuntur.
Nox diei mater.
Latona noctem significat, Diana Lunã, Apollo Solẽ & diem.
Apollinis etymologia.
Circa Thulẽ insulam dies breuissimus.
Cur Deus terram prius creauit quàm cœlum.
Ier. 19.
Soph. 1.
Es. 14.

Homines è terra geniti, Deum per carnem viderunt ante Angelos.

Ea de causa, de hac re, Scriptor inducit orationem. Propterea ante cœlum, terra à Deo ornatur; quoniam ante Angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus: & ante superna, inferna exornans; & lætificauit & illuminauit. Ante Cherubin & Seraphin Magi & publicani, & latrones, & meretrices, & peccatores, facie ad faciem Deum viderunt, eòque se oblectarunt & fruiti sunt: deinde eum sic transmiserunt videndum supernis Virtutibus. Quòd autem quem nec ipsi beati viderũt Angeli in essentia & natura, sed quem solus scit Pater & qui solus scit Patrem; eum ipsum ante Angelos viderunt carnaliter homines, testatur Dauid dicens; *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*; hoc apertè ostendens, quòd secundùm naturam omnia superans cœlum, & Verbum cœleste filius Patris cœlestis & ex cœlo, ab alio agnosci nõ potest quod attinet ad essentiã, nisi à Domino, omniũ (inquam) Domino Deo, & gratiã terrenorum patre. *Terram autem dedit filijs hominum*; qui sunt infernè, naturaliter patres. *Terram autem dedit*, seu terrenam proposuit Verbi generationem, ad cognoscendum quodnam sit eius mysteriũ; sed nec id totum: de superna autem generatione, nec ipsi nôrunt Angeli. Perspicuum est autem quòd facies duabus tegunt alis, pedes autem duabus; hoc apertè ostendentes (ex eo quòd typicè & symbolicè faciem tegant cum capite) & sic, tanquàm in symbolo suam intelligentiam dicentes: Nos etiam si montes simus, non tamen aliquid aperte scimus, de duabus generationibus, quas ostendimus per alas quæ circuntegunt; neque hominibus, de ijs effari possumus. Pedes autem fuerint, transitus Intelligentiarum quæ sunt à nobis per impertitionem, ad vos qui estis extremi & post nos collocati. Sed volamus duabus alis solis; per volatum extendentes auiditatem & propensionem & perpetuam contentionem & inquisitionem ad discendum aliquid de his duabus generationibus. Quarum inquisitionibus tanquàm alatis semper ferimur, & volatus requiem huc vsque non inuenimus. Solutio enim eius quod quæritur, est veluti quædam pulchra quies volatus mentis multùm errantis circa id quod quæritur. Habemus enim cognitionem duarum Verbi generationum; earum autem nequaquàm habemus agnitionem, & proptereà semper volamus. Tametsi omnium animantium nouimus essentiam; nempe aëriorum & etiam terrestrium, quòd sit Aquila & Leo & Bos, cognitionem in nobis effingentem: Neque hoc solùm, sed & quod est omnium animantiũ prçstantissimum, scimus hominem; & ideò eius quoque vultus figuram in nobis ipsis circumferimus; Deum autem nosse & eloqui, neque vlla genita natura nec ipsa nostra sufficit; quandoquidem & quæ infernè per carnem facta est generationem, à nobis quidem abscondit Deus & Pater: hoc enim quod à sæculo in omnibus absconsum fuerat mysterium, vobis filijs hominum dedit primis discendum; & per vestram *Ecclesiam* hoc nos posteà agnouimus. Quod si propter ea quæ dicuntur extimescis, O auditor; ab hoc metu te liberat Paulus dicens, Nunc enim, inquit, ascendit *vt appareat Principibus & Potestatibus per Ecclesiam* Vnde etiam ascendens stupore affecit supernas Potestates in cœlis, quæ dubitabant, rogantes eas quæ simul cum Domino ascendebant; & dicebant: *Qui est iste rex gloriæ?* Papè quàm admirabilia sunt miracula & dona quæ Deus donauit humanæ naturæ in ea habitãs! Homines Angelis Deum ostenderunt quem priùs non videbant! Miracula incomprehensibilia! Deum suum hymnis celebrabant, & nòn videbant, quem celebrabant! Ferebant eum qui vehebatur, Troni; & non videbant quem ferebant. Adorabant & glorificabant assiduè & citrà silentium, sex alas & multos oculos habentia; & non animaduertebant quem ornabant laudibus. Flexis itaque genibus cupiebant, sitiebant, orabant, supplices postulabant videre eum qui non videtur, aspicere eum qui non cadit sub aspectum, aut etiam solùm tanquàm in speculo &

Psal. 113.

Ezech. 1.

Cautè ista lege; nam certum est ex Theologia Angelos à principio suæ beatitudinis videre clarè in verbo, & diuinam generationem, & mysterium incarnationis tametsi non naturali vel comprehensiua visione, nec scire omnes peculiares incarnationis rationes & circumstantias. S. Thomas 1. par. q. 57. art. 5.

Solutio eius quod quæritur est quies mentis.

Deum effari nulla potest creatura.

Cautè lege: forsan intelligit Angelos per ecclesiam nouisse quasdam peculiares circumstantias, & rationes incarnationis. vide Sixtum lib. 6. Bibliot. Annot. 165. 182. 299. 320. & c. Thomæ interpretes 1 par. qu. 57. art. 5.

Ephes. 3.

Ps. 23.

Angeli non videbãt Deũ quem celebrabant.

A ænigmate in eum oculos defigere, & non poterant proptereà quòd ad diuinam essentiam appropinquari non potest, neque ea potest comprehendi. Quod si ei quod dicitur non credis, ô homo, audi Petrum dicentem, DATA *sunt dona hominibus, in quæ desiderant Angeli prospicere*, & non potuerunt, quandoquidem humana terra tunc erat inuisibilis, infrà in profundo tenebrarum peccati vt quæ esset incomposita. Quamobrem & ignotum erat cælum, & non ornatum Firmamentum in primo die. Et secundo die cùm suspexisset & veluti ex mortuis respirasset & lucem aspexisset, & Spiritùs facta esset particeps, & à malis aquis liberata esset & tenebris & fructum germinasset quæ priùs erat infrugifera; tunc de cætero post eam & exornatum fuit cœlum, exhilaratúmque Sole Luna & stellis; Ornatum (inquam) fuit Christo, Ecclesia, & Sanctis; vt pote quod illum quidẽ

1. Pet. 1.

B semper fulgentem exceperunt Mentes cœlestes cum carne ascendentem, lætantur autem simul cum Ecclesia, & cum sanctis resplẽdent. Quamobrem supernæ Potestates valde & vehementer defendunt, diligunt, & protegunt humanum genus, & pro eo orant & intercedũt, quoniam per nos dignati sunt videre quod per se non potuerunt. Et hæc quidem ad ostendendum propter quamnam causam terra fuit ornata ante cœlum in mũdi creatione. Quoniam autẽ non solùm aduersarias Potestates, sed ipsas etiam aquarum congregationes, sæpè vocat Scriptura aquas & abyssos super quas sitæ sunt malæ tenebræ; necesse est vt de his adducamus Prophetica testimonia. Dicit itaque Dauid; ABYSSVS, *abyssum inuocat*; & ad Dei cogitationem nunc adhortatur Iudæ-

Angeli intercedunt pro genere humano.

Aquæ accipiuntur nomen pro aduersariis potestatibus.

Ps. 41.

C um abyssus, id est multitudo gentium quæ priùs erant offusæ tenebris. Nonnulli enim duas aquarum appellationes intellexerũt de duobus populis: Abyssum quidem populum gentium super quem sunt tenebræ: aquã autem, Iudæorum; super quem ferebatur spiritus diuinæ Scripturæ, sed non quiescebat. De his autem aquis dictum est: EGREDIETVR *aqua viua ex Ierusalem; dimidiũ eius in Mare primum; dimidium autem eius in Mare vltimum*. Sicut etiam clamat Abacuc Propheta. *Et induxisti in Mare equos tuos* turbantes aquas multas; equos Christi dicens, sanctos Angelos & Apostolos. Vnde etiam in ascensu horum equorum *turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum*. Et illud; LAVDATE *Dominum ex terra Dracones & omnes abyssi*; cantatur de Gentibus. *Dracones* autem dicit, eorum principes qui priùs erant feri & inhumani. Iam

Aquæ accipiuntur pro populis.

Zach. 14.

Abac. 2.

Ps. 148.

D cùm tot sint testimonia ne mireris quod dicat de congregatione gentium quæ prius erat offusæ tenebris? TENEBRÆ *erant super abyssum*. Ante lucem erant tenebræ impietatis, tenebræ libidinis & intemperantiæ, tenebræ idololatriæ, & omnium aliorum peccatorum; ante præsentiam, inquam, & aduentum veræ lucis, nempe Christi. Proptereà enim Scriptura tenebras solùm ponit ante lucem; quoniam priùs eramus in errore, deinde transiuimus ad lucem. Proptereà prior est Lex tenebricosa, deinde Euangelium. Proptereà prior est, vespera deinde dies. Hinc Lege est constitutum vt inciperetur à Vespera, Dominica; quoniã à morte obscura processimus ad lucem Resurrectionis. Si hæc autem non

Antè verã lucẽ, id est Christi aduentum erant tenebræ peccati.

Dies dominicus incipit à vespera præcedente.

E ita haberent, valde esset indecorum & Deo non conueniens, nominare tenebras ante lucem; & statim ab initio cõstituere creaturã obscurã ac tenebrosam. Vnde cùm non potuisset Manichæus hæc sic intelligere, duos nominat Deos, tenebras & lucem; & ante Christum lucem, ponit Aduersarium qui est obscurus ac tenebrosus nos autem eas quas diximus anagogicas, facientes, contemplationes; literam non dissoluimus. Absit: imò verò apertè cognoscimus quòd tenebræ sensiles erant super abyssum sensilem; & Spiritus Dei ferebatur super aquam sensilem; siue spiritus aëris, quem nominare ventum scit consuetudo hominum, siue Spiritus sanctus; priùs significans & describens gratiam Sancti spiritus. Ambobus enim est opus; nempe & aërio spiritu, vt instar crucis inspiret in aquam baptismatis; & Sancto Spiritu

Manichæus nominat duos Deos tenebras & lucem.

Inspiratio instar crucis, in aquam Baptismatis.

ritu vt sanctificet. Propterea enim fortasse hic rursus post tenebras examinat aquam & spiritum; hoc est post peccatum, baptismi illuminationem. Nam sicut tanquàm super piscinam aliquam, constituit Deus Spiritũ super aquam; ita statim præcipit post hæc dicens: *Fiat lux* illuminationum; *& facta est lux* illuminationum. Vnde etiam hic in primis discimus mysterium Trinitatis in baptismate, quando dicit; *Et dixit Deus*; planè Pater: *& fiat lux*; hoc est, Christus appareat in terra & Spiritus Dei sanctus qui ferebatur super aquam. Cum hoc mysterio vitam quoque Deo gratam discimus. Post quàm autem datum est, inquit baptisma, & quæ est in eo fides tanquàm aliquod signaculum *Fiat*, inquit *lux*: id est, exerceatur operibus vita Deo grata, sicut lux lucens coram hominibus; congruenter Christo qui sic dixit. Quam etiam cùm vidisset, laudat: *Vidit* enim inquit *Deus* vitæ *lucem*; & dixit, Bona est. Laudat autem quoniam delectatur huiusmodi luce: Est enim gaudiũ propter vnum peccatorem quem pœnitet. Quamobrem tanquàm iam, & à fide & à bona vita, illuminata creatura; & ab ea in Baptismo separatis quæ in ea erant peccati tenebris & incredulitatis, statim subiunxit Scriptor dicens: ET SEPARAVIT *Deus inter lucem & inter tenebras* quæ erant super aquam abyssi. Quod præsignificarunt etiam illæ duæ volucres quæ emissæ sunt ex arca Noë: Vnde licet videre, illic quoque priores esse tenebras. Prior enim coruus euolauit super aquas. Et cùm vel suffocatus esset & periisset tenebrosus coruus Satan, aut etiam ad crassitudinem & carnalitatem peccati adhæsisset (non enim possunt omnes sermonem capere) tunc Spiritus Dei, columba superferebatur, volans super aquam non inueniens requiem pedibus suis, vt tabernaculum figeret in homine, aut inhabitaret, & inambularet etiam si omnia montium cacumina essent detecta. Quæ quidem significabât peccati Infirmorum euidentiam & impudentiam, & vitij nimiam elationem eiúsque induratam & callosam vecordiam. Et ideò columba, nempe spiritus Dei ferebatur super aquam. Hanc aquam & Spiritum sanctum veluti quandam inter se habentia cognationem & natura coniunctionem, in diuersis locis simul ponit Scriptura. Et ideo dicit Dominus Nicodemo; AMEN *amen dico tibi, nisi quis genitus fuerit per aquam & Spiritum, non intrabit in regnum cælorum.* Et rursus: QVI *credit in me sicut dixit Scriptura flumi ex eius ventre fluent aquæ viuæ; Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credẽtes in eum.* Psalmographus quoque his conuenienter dicit; LAVDATE *eum cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt laudent nomẽ Domini, quoniam est exaltatum.* Ea de causa terrestres & cœlestes aquas magis obtenebratas nominat, nobis Scriptura peccato disfluentibus, tenebras peccati ostendens insidère. Separauit tamen Deus inter lucem & tenebras expulsis, à nobis, Potestatibus tenebrarum; ponens nostrum medium parietem, angularem lapidem Christum. De quo etiam subiungit, dicens: VOCAVIT *lucem, diem; & tenebras vocauit noctem* Lux est inquit, quem etiam diem voco: Quæ autem ei aduersantur tenebras, noctem appello. Et; *Ambulate donec lucem habetis, venit nox quando nemo potest operari.* Nos enim non sumus filij noctis; sed diei Christi. Qui enim dormiunt somnum peccati, in noctis tenebris dormiunt: & qui inebriantur rursus in ipsa nocte inebriantur ex peccatis, sicut docet Paulus. ET FACTVM *est vesper, & factum est mane dies vnus.* Non dixit Dies primus; sed dies vnus, non duo. Hoc mysterium magnum est; *Vesper & mane:* Ego autem dico in Christo & Ecclesia, quæ aliquando erat vesper obscurum, ei autem vnita vera luce fuerunt duo in carnem vnam, in vnum lucis diem qui illuminat omnem hominem venientem in mundum fidei Christi: Quem deinde initiauit baptismo, cum diceret; *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*, per Spiritum & aquam ipsum ostendens; per quem & ipsum purgauit ab antiquis sordibus, & docuit mysterium regenerationis quia dixit; *Fiat lux*: per quod verbum, & bonam vitam ab eo exegit quæ tanquàm lux luceat ante faciem eius; ne contingat eum esse pigrum ad intensos & vehementes sudores virtutis, vt qui non sit habitutus coronas tantorũ sudorum quorum sunt participes futuri qui laborant. Eum docet etiam mysterium Resurrectionis; & dicit; Ne putes ad nullum lucrũ tibi esse reditura certamina. Non ita erit: Sed erit tibi vespera, per mortem scilicet contracta; & vacabis ab omni operatione, & te apprehendent tenebræ caliginis & cæcitatis. Deinde posteà fiet tibi manè; nempè & illic est dies resurrectionis & exoriens Sol qui cadit sub intelligentiam soluet mortalem noctem & te vocabit vt expergiscaris, & sic videbis diuinum illud manè quod quidem Moses nominauit diem. Neque dixit diem primum, quod magis oportebat, & diem extremum recensere oratione: Sed quoniam typicè prænarrabat illũ futurum, quem non metiuntur horæ & puncta, & qui noctè non interrumpitur sed est perpetuus & cõtinuus cum nominauit vnum, vt qui se semper similiter & eodem modo se habeat; & non primum, propterea quòd nec omninò circunscribatur vltimo. Primùm enim & vltimum sunt eiusmodi vt referantur ad aliquid; Illic autem nihil tale qualè oritur Christus. Inuenies autem eos etiam qui sunt extra gratiam, eadem ferè dicere. Pythagorei enim primum diem Mensis; non primum, sed similem nominarunt; non vt opinor, visione apprehendentes vitam illam indissolubilem, sed interim eam sic nominauerunt. Ægyptij quoque sacra ratione Draconẽ qui vorat caudam insculpunt in pyramidibus, æternam & indiuiduam circumactionem diuinarũ rerum significantes; Draconem enim in Deos referebant Ægyptij. Orpheus autẽ Deum vocabat μονάδα vnitatem, id est, indiuiduum: Neque enim sesquialtera, aut sesquitertia, aut aliqua alia pars numeri est in ipso. Differt autem vnitas ab vno, quatenus archetypum differt ab imagine. Exemplar quidem est vnitas; vnitatis autem imitamentum est vnum: quomodò Sol est imitamentum vnius vnitatis; Iesu, inquam. Ipsi sit gloria & potentia in sæcula sæculorum. Amen.

Mysterium Trinitatis in baptismate.

Gen. 8. Corui & columbæ, in Diluuio, allegoricus sensus.

Io. 3. — *Io. 7.* — *Ps. 150.* — *Io. 12.* — *1. Thes. 5. Cur non dixit dies primus sed vnus.*

Bona vita exigitur à baptizato.

Resurrectio significatur per vesperum & manè.

Pythagorei, diem primum Mensis, nominarunt similẽ Ægyptij.

Draconẽ insculpunt in pyramidibus, & quamobrem Orpheus Deũ vocabat μονάδα.

Vnitas quomodò differt ab vno.

Sol est imitamentũ vnius vnitatis, nẽpè Iesu.

LIBER SECVNDVS.

PRIMO die factum est velum superioris cœli, quod apropinquat Sanctis sanctorũ, quò introijt præcursor pro nobis Christus Ea de causa, de cætero, secundo die fit secundum & exterius velum, quod dicitur *Firmamentum in medio aquæ*; quod quidem est Firmamentum fidei in Christum: Non fuisset autem hoc factum, nisi priùs nata esset lux: Nempè postquàm datum fuit Baptisma, fides sequitur. Non fit autem extra aquã hoc Firmamentum, sed in medio aquæ omnium Gentium ex ea concretum, quoniam *fecit Deus salutem in medio terræ*; vtpotè qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis, & salutem Mundi fecerit compacto Firmamento sancti sui Corporis in medio incorruptæ matricis, fõtis vitæ puellæ Dei matris; & posito sub aqua Firmamenti; sub Sole (inquam) eius diuinitatis. In hoc Firmamento, fide, inquam, ædificauit Lunam, Ecclesiam, dicens forè vt *portæ inferni non præualerent aduersus eam.* Vnde etiam firmata fuit in medio aquarum, inconcussa in mediis fluctibus, ventis, procellis, & innumerabilibus tempestatibus passionum & hæresum. Sic etiam eos qui eam ædificarunt, misit *tanquam oues in medio luporum*; virorum, inquam, qui cæde ac sanguine delectantur; dicens: IN MEDIO *aquarum fiat Firmamentum* nempè fides firma prædicetur, ne amplius discindantur agitentúrque & diffundantur aquæ Gentiles, alijs quidem dicentibus se esse *Petri* alijs verò *Pauli* alijs verò *Cephæ*; sed firmetur eorum Mare, vt ego ambulem super eius aquas & inhabitem & inambulem in cordibus eorum: In medio aquæ viuæ, fide, & aquæ mortuæ, incredulitate. Nam si est infidelis, separetur zizania à tri-

Firmamentum in medio aquæ, est fides in Christum.

Dei mater fons vitæ. Luna est Ecclesia, ædificata in fide.

Matt. 10.

tico, palea à pane. *Non enim veni vt mitterē pacem* lucis ad tenebras, sed vt facerem separationem in medio Serpētis. Si autem (vt est consentaneum) non verisimilis videatur oratio; ostendo tibi in singulis sex dierum, Deū fecisse aliquam huiusmodi separationem; exemplorum multitudine, fortè, te liberaturus ab incredulitate. Primo ergo die facta est separatio Lucis à tenebris: Hoc die, facta est separatio aquæ & aquæ: Tertio, separatio terræ ab aquis: Quarto, separatio Luminarium inter diem & noctem: Sexto die, distinctio & diuisio hominum & volucrum. Quòd si non facilè admittas, per omnia significari diuisionem Ecclesiæ ab errore & incredulitate; dic mihi quānam de causa, aut quid opus erat Deo res coniungere, & deinde eas à se inter se separatare secundo ordine? Hoc enim est signum artificis minimè ingeniosi. Dicit enim; ET FECIT *firmamentum Deus*, qui firmauit terram hominis super piscinam; & separauit Deus in medio aquæ quæ erat super Firmamētum; *& factum est sic & vocauit Deus firmamentum cœlum, Et vidit Deus quod esset bonum.* Quid necesse erat, dic, quęso; facere hoc secundum velum; cœlum, inquam, quod dicitur Firmamentum? sufficiebat enim primum cœlum ad situm Solis & Lunæ & Stellarum, ad illuminandam terram. Si autem hoc omninò necesse erat fieri, cur non secundum quoque cœlum sicut primum fuit indigena, sed tanquàm ex aliqua externa regione, ipsum extulit ex terra & ex eius guttis? Superioris ergo cœli natura incomprehensibilis, mihi videtur habere typum ac figuram diuinitatis inaspectabilis & incomprehensibilis: Firmamentum autē quod ab imo ascendit, habet figurā Christi humanitatis seu carnis. Aqua autem quæ cum eo ab imo ascendit, & intercepta fuit in medio primi & quod propriè est cœli & huius Firmamenti quod ascendit ab imo; describit imaginem impollutæ eius animæ quæ est media inter diuinitatem & carnis crassitudinem vtpotè quod sint hi duo cœli; ex quibus alterum quidem est aspectabile, alterum verò non cadit sub aspectum. Eius quod dictum est testis est Gregorius in rebus diuinis præclarus, dicens Domini animam esse intermediam inter diuinitatem & carnis crassitudinem: Anima enim & aqua dicuntur signa vitę in diuina Scriptura Vide enim quòd cœlum quidem superius, & quod non cadit sub aspectum, natura ab initio vocatum est cœlum Firmamentum autem materiale quod ab imo ascendit, non natura ab initio factum est cœlum; sed post vnionem quam habuit cum cœlo natura inaspectabili, tunc ipsum quoque cœlum est appellatum. Sed quoniam sanctum quoque Christi corpus deificatione & vnione dicitur Deus, non autem natura; necesse est ob typicas, sed non naturales, quæ dictæ sunt rerum traditiones, id dicere Firmamentum quod factum est ex aquis. Erat abyssus tenebrarum sedes, homo. Quæ autem per Christum exaltata est suprà, Dei lucis sedes; considet etiam cum eo indiuiduè. De his in Christo vnitis cœlis seu naturis dictum est illud: *Cœli enarrant gloriam Dei*; hoc est, naturæ Christi prædicant & gloriam ipsius Dei Vnigeniti qui ex ipsis & in ipsis cōsideratur, & paternam, eum quidem & vt Deum declarantes, & vt hominem qui est simul in ipso Deus. Manuum autem eius facturam, cùm oporteret eum, tangentem, per se operari; in miraculis annunciat firmamentum; hoc est, qui in eo cernitur homo. Per eum enim operabatur miracula diuinitaris, quem è terra sustulerunt dicentem, *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me*, firmamentum à corruptione ad incorruptionem. Vnde cœlum quidem carnis eius quod videtur, ex humore terræ; nempè ex sanguine terrestris Virginis sibi editum, firmauit seu compegit ad incorruptionem, quoniam est Dei caro. Non enim corrupta est, aut interijt, etiā si ea quę sunt naturę secuta est etiam in Cruce. Nam & si Dei caro, erat tamen etiam nostra. Alteram autem, nempè quæ intercepta est (vt dictum est) media inter duos cœlos; dico autem animam; vt dictum est, sunt in sua essentia, vt quæ non opus haberet vt firmaretur, eo quòd eius natura minimè corrumpatur, nec in eam cadat interitus. Si autem voles, non accipies de sola carne Domini secundum firmamentum nempè aërem; sed etiam de eius diuinitate. Quomodò enim aër implet omnia, & nullus est locus eo vacuus; Dicitur autem & ab externis locus capax omnium & qui potest omnia suscipere: Est autem etiam perspicuus nullius capax figuræ, & inaspectabilis; sed faciens quidem vt res videatur cùm ipse omninò non videatur: ita etiam vniuersorum Deus implet omnia, & nullus est locus eo vacuus. Non est enim creatura quę ex ipso non sit conspicua, est autem capax omnium qui quærunt cōprehendere eam quæ ex ipso existit deïficationem, congruenter ei quod à Mose dictum est; *Est locus apud me*, nempè facultas suscipiendi te & tua. Quidnam autem est aliud eo magis perspicuum, qui propemodum occęcabat oculos Discipulorū in Thabor? Est autem nullius capax figuræ, adeò vt nullam aliam suscipiat formā, tanquàm formam in materia. Ad hæc autem accedit quòd est inaspectabilis. Qui enim supra eius pectus recubuit dixit; *Deum nemo vidit vnquam.* Et facit quidem vt alia videantur ab ijs qui habent validā mentis perspicacitatem: vtpotè Angeli, cœlum & vniuersa creatura, vndénam & quemadmodū facta sit: Ipse autem non subijcitur comprehensioni, neque cernitur modus eius essentiæ. Hoc quoque non te prætereat, quòd sicut aër est viuificator hominum & eorum quæ sunt in terra; ita etiam Deus accedens, eos viuificat qui viuunt ex ratione; Angelos, inquam, & homines: sed & eos etiam qui sunt belluini in sola eos conseruans essentia; non vtique ad eos accedens, & cum eis transiens. Quod si etiam intelligas de Angelis & Dæmonibus illud; ET SEPARAVIT *Deus in medio aquæ quæ est sub Firmamēto, & aquæ quæ est supra Firmamentum*; nihil intelligis quod discrepet à pietate. Nōnulli autem hoc etiam referunt ad duos populos, nempè & ad nos quidem stantes qui firmi sumus ac stabiles super Petri fundamentum, & illius fidei immobilem constantiam: & ad Iudæos qui ceciderunt, & subiecti sunt inferiori Firmamento. Potest autem hoc quoque dici de nobis & de aduersarijs Magnam enim Dæmonum multitudinem separauit Deus veniēs super terram & eos misit in Abyssum; nempè sub terrę Firmamētum quò missi sunt illi qui sunt ingressi in gregem porcorum vt cùm pauciores essent inimici, nos rectè & ex virtute vitam ageremus. Aliquando separauit etiam Angelus Dei in Mari, stans in medio Israëlis & Ægyptiorum, vt seruaretur populus Dei; præsignificans magni consilij Angelum qui nos erat liberaturus à manu Diaboli. Suauissimus autem Nycæorum Gregorius, intelligentium intellexit Potestatum esse, aquarum disiunctionem. Nam alias quidem constituit Deus in cœlis ad diuinam glorificationem; aliquas autem ad ministerium in terra conueniēter ei qui dicit eos *administratorios spiritus qui mittuntur ad nostri ministerium & salutem.* Videte enim, inquit Christus, *ne contemnatis vnum ex ijs pusillis qui in me credunt, Dico enim vobis quòd Angeli eorum perpetuò vident faciem Patris mei qui est in cœlis.* Si autem interrogas; & quomodò *Deum nemo vidit vnquam?* scias quòd in Filio tanquàm in aliquo diuino speculo videmus gloriam Patris, congruenter ei quod scriptum est; *qui me vidit, vidit & Patrem, quòd ego sim in Patre, & Pater in me.* Intelliges autem duarum aquarum diuisionem, iustos qui separentur à peccatoribus; illos quidem qui rapiuntur in nubibus supra fundamentum, hos verò qui infra transmittuntur ad Inferos: Nescio enim quid esset opus vt aquæ ferrentur supra cœlum. Num volebat Deus vt Angelicæ potestates vescerentur piscibus? Qui enim ex aquis firmauit cœlum, & super aquas suspendit terram; poterat etiam sine aqua, indissolubile custodire Firmamentum etiam ex igne Solis. Duorum ergo cœlorum tātùm fabricationem didiscimus ex sacra Scriptura, in typum ac figuram duorum Velorum Templi quæ significant duas naturas Iesu; & duorum Populorum, & duarum Ecclesiarum

Separatio & diuisio Ecclesiæ ab errore.

Cœlum superius, est figura diuinitatis, Firmamentū autem, humanitatis Christi.

Aqua quæ est inter cœlum & firmamentum, est figura animæ Christi.

Anima Christi est intermedia inter diuinitatem & carnem.

Corpus Christi deificatione & vnione est Deus, non natura.

Ps. 118.
Caro Christi est cœlum.
Caro Christi est caro Dei & caro nostra.

Dei ad aërem cōparatio.

Exod. 33.

Io. 4.

Separatio aquarum, figura separationis Fidelium à Iudæis, vel malignarum Potestatum à bonis.
Petri fundamentum.

Heb. 1.
Matt. 18.
In Filio, tanquàm in diuino speculo videtur gloria Patris.

Io. 14.

Matt. 25.

Duo Cœli sunt figuræ duorum Velorum templi,

rum

quæ significāt duas naturas Iesu, duos populos, & duas Ecclesias.

rum: supernæ, inquam, Ierusalem; & nostræ, Fidelium. Quod enim superiori cœlo Deus est ad lumen; hoc, cœlo inferiori est Sol; & firmamento Ecclesiæ, Euangelium. Et quod sunt sancti Angeli in cœlo quod nō cadit sub aspectum; hoc sunt & in firmamento, Stellæ; & in Ecclesia, Sancti. Si autem in hymnis Dauidicis audias etiam *cælos cælorum*; hæc est proprietas linguæ Hebraicæ, quæ singulare sæpè nominat in plurali. Quando autem audis Paulum *raptum ad tertium cælum*; primum cœlum existima esse aërem, congruenter ei quod dicitur; Noui omnes volucres cœli; hoc est, aëris: Deinde secundum cœlum, stellarum; & tertium, supremum cœlum Angelorum. Etenim in exteriori parte Templi stabat magna multitudo Israëlis; in interiorē autem solùm ingrediebantur Sacerdotes; in eam quæ est intrà secundum Velum, solus Pōtifex. Quomodò etiam in cœlis inuenies, in exteriori quidem cœlo & quod est apud nos; in firmamento, inquam, aërio; volucrum genera simul versari, quæ significāt gregalem Israëlis multitudinem; intra firmamētum autem quod apparet, & ingredi & degere & seruire ac colere intelligentes Potestates, & forte etiam iustorum animas: Supra secundū cœlum, (quodnam sit autem non intelligo) hoc est secundùm velum; nemo est ingressus nisi solus verus Pontifex Christus qui est Pontifex secundùm ordinē Melchisedec: Superius autem cœlum existimo esse sinûs Paternos. Tu autem quando audieris Deum esse & habitare in cœlis, ex diuina Scriptura; aut esse intra Velum secundum; ne intellexeris aliquas circumscriptiones, & locales habitationes, & transmigrationes, & ascēsus, & egressus. Nam cùm sit humilis & abiecta nostra natura, cum ea, prout est capax audiēdi, loquitur Spiritus sanctus. Eius autem quod dicimus, testis est nobis proposita Scriptura Mosaïca, quæ cōtinet quædam crassa verba & indigna Deo qui non potest circumscribi: quæ quidem Moses non à domo sua protulit, sed Deus, cùm ipse per sanctos Angelos in monte Sinaï, hæc locutus esset in tabernaculo. Sed nec nomen suum omnino posuit Moses in eius Inscriptione, vt fecerūt cæteri Prophetæ in Libris suarum Prophetiarum. Quòd autem Angeli hæc narrarunt Mosi, audi Paulum dicētem in Epistola ad Hebræos de Scriptura legis Mosaïcæ: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, fuit firmus & stabilis.* Similiter & beatus Stephanus in Actis Apostolorum ad Iudæos verba faciens, dicebat de Mose: *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo qui loquebatur, & in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ vt daret nobis.* Ecce apertè audiui à Paulo & Stephano Apostolis, esse Angelos qui enunciārunt librum Genesis, Mosi; & ea de causa non inscripsit eum suo nomine. Præterea non est hoc quoque prætermittendum, quemadmodum hunc diem appellārit secundum: Existimo autem id esse factum aptè simul & verè. Si enim Deus non ideò formauit hominem vt propter ipsum subiens Crucis patibulum, afficeretur iniuria; & sic, per se & suos Discipulos ad se traheret humanum genus; sed vt ipse qui fuerat formatus, firmus maneret ac stabilis in ijs quæ ei fuerant tributa in Edem, minimè ab eis abstractus: ille verò cùm non permansisset, victus est & eiectus ex Edem, damnatúsque ad corruptionem & interitum: itaque oportebat venire aliqua prioribus bonis longè meliora; ea autem erant, eius qui nos est fabricatus humanæ naturæ susceptio. Et nunc ab imò ascendens aërium firmamentum ex aquis terræ, quoniam, humanitas per Christum est assumpta, est simul cum magno & primo cœlo, cum Verbi, inquam, diuinitate, assiduè. Et hæc facta sunt secunda, vt prima medicamento adhibito curarentur. Propterea dies secundus & actio secunda dicitur, Seruatoris humanæ naturæ susceptio. Quam, qui hinc & illinc discreuit Fidelium & Infidelium aquas per firmamentum fidei; Christianorum dies significauit. Apparet autem hoc quoque pulchrè dicendum, quòd non sit recusanda memorabilium Interpretū diuersa in diuinis Scripturis

Tēpli Iudaici tres partes.

Deus non est in cælis, circumscriptiuè aut localiter.

Cur Moses nomine suo non inscripserit libros suos.

Hebr. 2.

Act. 7.

Dies quomodò dicatur secundus, humanæ naturæ à Christo susceptio.

Diuini Opificij Dies secundus.

acceptio: Ex ipso enim diuinitùs inspirato fundamento, hoc facere didicimus. Vnde etiam æquum est audire
A Mosaïcos & Propheticos & Dauidicos sermones, aliquandò quidem accipere aquas pro Gentibus, aliquandò autem pro tentationibus, aliquandò verò pro diuinis Disciplinis, & pro sancto Spiritu, & pro gratia Baptismatis. Quomodò etiam cœlum aliquando quidem significat ipsum firmamentum; aliquando autem etiam cœlestes potestates, aut etiam cor omne super quod Deus requiescit. Montes quoque multis modis intelliguntur: Accipiuntur enim pro Cœlis & pro Ecclesia, & pro Angelis & pro altari, & pro aduersarijs potestatibus, & pro sancta Virgine & Dei genitrice. Similiter etiā fluuij & fontes, & plantæ, & terra, & tenebræ, & nubes, & venti; & vt semel dicā, omnis aspectabilis & quæ sub aspectum non cadit creatura multifariam multísque
B modis intelligitur à diuinis Patribus; ne inopia cognitionis laboret Spiritus sanctus, non valens sicut pluuia plantis donare diuersam gratiam in esculentis eorum fructibus: est enim facie multiplex, multámque & eandem habens lucem aqua diuinæ Scripturæ quæ scaturit ex vno fonte sancti Spiritus. Ei gloria & potentia in sæcula sæculorum. Amen.

Aquæ quid significent in Scriptura.

Mōtes, multi significant in Scriptura.

LIBER TERTIVS.



RIMVM quidem librum feci ô Theophile, de ijs quæ primo die à Deo facta sunt; qui dicitur Dominicus: Quo cùm omnia ex nihilo ad hoc vt sint deduxisset Deus, de cæterò tanquàm massa aliqua,
C in frusta dissecta mundum cōstituit. Post diem Dominicum, tanquàm ad secundum factum scalarum gradum; ad Firmamenti altitudinem promouimus. Nunc autem in illo ad aquarum latitudinem & profunditatem & longitudinem audebimus accedere, Christum habentes gubernatorem apud Patrem; tanquàm opificem & in operatione patrem, germanúmque, & verè eiusdem essentiæ. ET DIXIT DEVS, *Congregetur aqua quæ est sub cælo in congregationem vnam, & appareat arida.* Memento, ô Lector, me dixisse, quòd non dissoluentes litteram transimus ad non scriptos sensûs anagogicos; sed à Paulo eruditi qui dicit, *Littera occidit; sicut etiam occidit Iudæos.* Ea de causa, post litteram, quærimus etiam spiritum qui per litteram adumbratur, in Christo
D autem impletur. Ecce enim cùm aqua esset congregata, essetque indiuidua, & quodammodò tanquàm mare vnum consisteret, ex quo aërium factum diuisit Firmamentum, alterum quidem suprà, alterum verò infrà; quomodò dicit Deus, *Congregetur aqua quæ est sub cælo in congregationem vnam?* Vna ergo congregatio tota aqua, vnum mare tota facies terræ, vnum littus, vnum pelagus congregatum: Et quomodò dicit; *Congregetur? Congregetur* enim, dicitur; & fit in dispersis. Si ergo conuenienter litteræ, Iudaicè intelligemus proposita; nec in his factū est Dei mandatum. Atqui testificatur Scriptura diuina dicens; *Et factum est ita;* etiam si in vltimis temporibus ita factum est. Nam initio in aqua sensibili factū est contrà quàm Deus mandaret, si litteram sequaris. Ipse enim
E dixit; *Congregetur aqua quæ est sub cælo in cōgregationem vnam;* tanquàm de vna mandans aqua & vna congregatione: congregatæ autem sunt aquæ in multas congregationes non autem in vnam congregationem. Neque ob id quod dicimus conturbetur auditor; ipsa enim diuina Scriptura hoc testatur: Subiūxit enim Scriptor dicens, ET CONGREGATA *est terra quæ est sub cælo, in congregationes suas.* Ecce non dicit; *in congregationem suam* congregata est aqua, sed, *in congregationes suas* multas, multæ aquæ, effectæ multæ congregationes. Ex illa enim vna prima congregatione & mari vnius aquæ, multæ aquæ, multa maria facta sunt; multi lacus sunt diuisi, multi fontes diuisi sunt in multos fluuios. Aqua illa quæ priùs erat congregata sub cœlo, diuisa est in multa loca, &

Dies Dominicus.

1. Cor. 3.

multis modis. Aqua in abysso, ecce vna Congregatio: Aqua Oceani, ecce rursus etiam alia Congregatio: A Mare ipsum Rubrum, & quod est nobis propinquum, ecce quarta aquæ Congregatio. Fluuij ex Edem; ecce magna aquæ Congregatio: Physon, Geon, Tygris, & Euphrates; ecce quatuor Congregationes aquarum. Fons qui ascendebat ex terra & irrigabat totam faciem terræ; Ecce etiam alia foris aquarum Congregatio, mater multarum aquarum: Congregatio Maris, Mare mortuum, typus Iudaïcæ & infertilis & mortuæ Congregationis. Aquæ infertiles, & olim Hiericuntinæ: & quæ nunc sunt fertiles; nos figurantes, qui nos inuicem parimus in viuo Spiritu & aqua Baptismatis. Aqua genitalis, vt Ægyptia aqua multos generans. Aquæ potabiles, & eæ quæ sunt in vsu. Aqua quæ adiri non potest, vt Ammonica; ecce etiam aliena aquæ Congregatio. B Aquæ in insulis diuisis, & per se Congregationes. Fluuij in continenti: Lacus & Aquæ quæ in locis alijs aliam habent operationem & qualitatem; aqua amara, aqua accedens ad saporem bituminis, aqua perimens, vt quæ est in desertis Æthiopiæ; aqua calida & salubris. Innumerabiles congregationes aquarum diuersarum & multarum. Atqui non sic iussit Deus vt aqua esset diuidua, sed vnita in vnam congregationem. Quid autem erat omnino necesse Opifici aquam extendere super omnem superficiem terræ, & deinde eam rursus congregare; & non potiùs vnamquamque rem creatam in proprio loco statuere & compingere? Ergo, ne nos quoque incidamus in laqueos Manichæorum: Illi enim, conuenienter literæ, intelligentes iussum Dei de his aquis; existimârunt Deum esse mentitum, propterea C quòd aqua non fuerit congregata in vnam Congregationem, sed potiùs contra factum sit. Hic ergo adsis, ô harum diuinissimarum Ecclesiæ aquarum congregator, & deducas ad profundum harũ aquarum. Dicit Deus, CONGREGETVR *aqua quæ est sub cælo*, hoc est, vniuersa multitudo Gentium quæ sunt sub cœlo, congregetur in cõgregationem vnam meæ fidei & Ecclesiæ, quomodò est cõgregata aqua quæ est sub cœlis, multitudo, inquã, Potestatum angelicarum, in vnam Dei cõgregationem, in concordiam, in vnam gratam animorum consensionem, in hymnodiã vnam, in Ierusalem cœlestem vnam, in vnam lucis conuersionem: Vbi nulla est hæresis nec diuisio, vbi *non est Iudæus nec Græcus, Vbi non Scytha nec Barbarus*, neque iniquus nec infidelis, neque Serpens neque D Scorpius, neque reptiles bestiæ, neque peccatum nec nigror: Sed aqua vna, & fluentum vnum, & fons vnus & similis, & puteus aquæ viuæ vnus cui adsidet Christus, & Congregatio sancta & pretiosa vna. *Fiat* ergo *voluntas* Dei *sicut in cælo & in terra. Congregetur* genus humanum, nempe aqua cui priùs insidebant tenebræ: Veniat & congregetur ad lucem, hoc est, ad Christum qui suis mandat Discipulus & dicit: *Ite* & congregate *omnes gentes* & aquas in vnam congregationem Baptismatis, *baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: illius, inquam, Spiritus qui priùs ferebatur super hanc aquam; nunc autem in ea cohabitat, & coniungit omnes aquas Gentium quæ priùs erant remotæ ac distantes, in vnam Ecclesiæ congregationem; & fient omnes, vna E aqua vitæ, vnus fons, vnus ortus deliciarum, vnus grex, vnus pastor, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum corpus Christi, vnus spiritus, vnum cor, vna cato sponsa Ecclesia & eius sponsus Christus, vnum firmamentum, vnum cœlum Christus & populus Fidelium tanquàm stellarum quæ in ipso deficiunt & illuminantur. Ita est intelligenda & accipienda vox Dei & iustis de his aquis, sic & non aliter sentimus spiritu, omnia, & non corpore: & sic prædicamus de nobis qui priùs eramus Gentes dispersæ & in Deos innumerabiles qui Dij non erant & multi erant Dij errabamus, dicere vocem diuinam & iubendo dicere; CONGREGETVR *aqua quæ est sub cælo in congregationem vnam*. Super terram congregat Deus Verbum in vnam congregationem. Per

Persicum, siue Arabicum sinum intelligit montis Sinai vicinum.

Aquarum cõgregatio significat multitudinẽ Gentium, in vnã congregationem Fidei & Ecclesiæ aggregatam.

Ioan. 4.

Matth. 28.

aërium autem Firmamentum diuidens, cùm in cœlos sustulisset aquam; eam dilatauit & valdè extendit à finibus vsque ad fines vniuersæ creaturæ, abyssorúmque & æquorum; & cum supra firmamentum instar veli expandisset, ipsum extendit, vt nos discamus quòd quæ priùs erant gentes tenebris offusæ super terram, in vnam congregatæ congregationem consensionis Christi Ecclesiæ, rapientur aliquando in *nubibus in occursum Domini* in cœlis, extensæ & dilatatæ; aliæ quidem in regione viuentium, aliæ autem in Paradiso, & aliæ in externis tabernaculis, & aliæ in luce viuentium, & aliæ in regno Dei, & aliæ in ciuitate Domini virtutum; congruenter ei quod dictum est à Christo, *Multæ sunt mansiones apud Patrem.* Ioan. 14.
De congregatione harum ratione præditarum aquarum dicebat Christus, se esse missum nõ solùm propter oues Israëlis, sed etiam *Vt dispersos Dei filios congregaret.* De his Ioan. 11.
aquis maris, Deo dicit Dauid; *Congregans tanquàm vtrem aquas maris, ponens in thesauris abyssos.* Thesauros Dei dicens Ecclesias, vbi aurum & argentum verbi Scripturæ reponitur absconsum & spirituale, vbi custodiuntur margaritæ diuinorum Sacramentorum, quas iubemur abscondere porcis: Nam illi, sicut & Iudas, eas non capiunt. Christi igitur thesauri, sunt Ecclesiæ, in quibus alijquidem ex Fidelibus dantur quinque talenta, alij autem decem, alij verò duo, alij autem vnum. In his thesauris recondidit Gentium abyssos quæ priùs erant offusæ tenebris, Quoniam *tenebræ erant super abyssum.* De hac abysso Gentium dicebat etiam Propheta Abacuc: DEDIT *abyssus vocem suam*, glorificans eum qui ipsam illuminauit, & dissoluit altitudinem phantasiæ ipsius gentilis idololatriæ. De hac abysso aquarum ratione præditarum Deus gloriæ tonauit per Euangelium; Deus *Dominus super aquas multas* & Gentes inenarrabiles. Quamobrem rursus Dominus inhabitabit diluuium, in vna congregatione, & sedebit Dominus super ipsum tanquàm super sedem requiescens, regnans super ipsum in sæculum. Die ergo tertio fecit Deus aquas in Congregationem vnam. Quamobrem? Quoniam post primum diem Mosaïcum, & secundum cultum propheticum; tertio die, nos Gentes congregatæ sumus in vnam fidei Congregationem per sagenam Euangelij: Quamobrem dicebat etiam Christus qui tertio die surrexit à mortuis; *Hodie & cras facio signa:* Ecce duo dies. Signa autem dicit, quæ facta sunt in Ægypto, quæ in deserto, & quæ per Mosem: Sunt hæc, vt semel dicam, primi diei. Secundi autem, quæ per Eliam & Elisæum, & qui deinceps secuti sunt Prophetas. Tertio autem die eius aduentus dies lucidus perficitur, qui ostendit per Euangelium, perfectum & omnibus numeris absolutum eius studium: Est enim Christus plenitudo ac complementum Legis Prophetarum. Et Paulus dicit, *Lex est omni ex parte perfecta*; nempe lex Christi; *ego autem per legem*, videlicet Mosaïcam, seruio *legi* peccati. Vnde etiam quæ in Cana factæ sunt nuptiæ, factæ sunt tertio die. Cana autem interpretatur creatura: In qua creatura, eo descendente, factæ sunt incorruptæ nuptiæ vnionis Verbi & nostræ naturæ. In his nuptijs tertio die primum miraculum Christus fecit in aqua, quoniam tertio die aquam gentium congregauit in vnam Congregationem, cùm eam transmutasset vera vitis ab aqua in vinum lætitiæ, in Congregationibus suis, nempe in lapideis Petræ Ecclesiarum hydrijs, quæ capiunt circa duas metretas veteris & noui Testamenti; aut tres, mysterij Trinitatis Dei qui tertio die resurrexit: qui die tertio dicit, *Congregetur aqua quæ est sub cælo, & in vnam Congregationem.* Nam multæ nuper erant aquæ, multæque & execrandæ Synagogæ ac Congregationes extensæ super totam faciem terræ. Aquas nunc dico, dogmata & disciplinas alienas à pietate, sed aquam quæ interimit gentilem doctrinam, astrologiam, diuinationem. Aqua fusionis sanguinis, aqua amara hæreticæ linguæ pruriginis, aqua obscura & difficilis ad interpretandum. Superstitionis Græcæ, multæ sunt aquæ, multi fluuij, multi submer-

Psal. 32.

Ecclesiæ sunt thesauri Dei.

Abac. 3.

Psal. 28.

Luc. 13.

Signa, à Christo, tribus diebus facta.

Rom. 7.

Ioan. 2.

In Cana factæ nuptiæ quid significent.

Hæreticæ linguæ prurigo, aqua amara.

submerſores. Iſte docebat non eſſe Deum; hic non eſſe prouidentiam. Iſte prædicabat Solis adorationem, hic adorâda ligna; & iſte docebat ligneas fabricari Statuas, & hic ignem adorare; Alius initiabat in myſterijs libidi- tus & intemperantiæ. Hæ ſunt primæ & ſteriles & non potabiles & mortiferæ aquæ Orbis terrarum, ſtantes in multis receptaculis, alueis, canalibus & congregationibus, & quæ ſunt Synagoga ſeu congregatio Apollinis, Synagoga Saturni, Synagoga Ammunis, & alia Serapidis; Synagoga Iulij, Synagoga Mercurij, Synagoga Pythiæ & Dianæ. Nec hoc ſolùm, ſed etiam improba Iudaica, Christi inimica & Dei aduerſaria. Propter has ergo impias Synagogas & congregationes, & quæ in eis ſunt populorum & Gentium execrandas diſciplinas & doctrinas, Deus iubet magna voce dicens; *Congregetur aqua quæ eſt ſub cælo* in vnam fidei cõgregationem. Quam quidem vocem Christi Dei, Cùm audijſſent & aquæ, & fines, & genera barbarica; quomodò tunc in creatione Mundi, aquæ fluxæ, metu ac tremore, magno impetu fluentes feſtinabant, currebant, accelerabant, non expectabant, ſe inuicẽ vt in vnam cõgregarentur & mouerentur Congregationem, boreales, auſtrales, occidentales, orientales Orbis terrarum vnde & fluenta; ſe inuicem præuenientes & in fluctus aſſurgentes, tanquàm ab aliquo violento & diuino ſpiritu & qui ſuper ipſas ferebatur, actæ & impulſæ, vt vna congregatio & Mare eſſent omnes aquæ Terræ. Ita licet videre omnes gentes, & maximè illo die Pentecoſtes, ab illa voce violenta quæ facta eſt ſpiritus qui nunc etiam fertur ſupra gentilem Fidelem aquam, quæ congregata eſt in vnam fidei congregationem, & vnita in vnam Eccleſiæ compaginem concurrentes. Vide enim non ſolùm rebus, ſed etiam ipſis verbis conſonantem & conuenientem vnionem illarum aquarum, & harum gentilium aquarum. Spiritus qui ferebatur ſuper aquam, tunc ipſe ſpirans eas coëgit & vnijt in vnam Congregationẽ; & hic ipſe Spiritus adueniens & ſpirans, fecit gentium vnionem. Illic ſcriptum eſt; *Spiritus inſedit*: & hic ſcriptum eſt; Sedit ſuper vnumquemque ipſorum Spiritus. In illo primo die, ignem Deus fecit: & in eodem primo die Dominico in linguis igneis aduenit lumen Spiritus ſancti. Illic Scriptum eſt, *Tertio die cõgregata eſt aqua*: hic *Congregatæ ex omni gente quæ eſt ſub cælo vnanimiter*. Omnes aquæ gentiles, *Parthi, Medi, & Elamitæ, & qui habitabant in Meſopotamia, Iudæáq; & Cappadocia, Ponto & Aſia, Phrygia & Pamphilia, Ægyptóque & partibus Lybiæ quæ eſt circa Cyrenam Romani, & Iudæi & Proſelyti, Cretes & Arabes.* Qui quidem omnes cùm audijſſent vocem quæ facta eſt ex cœlo, tanquàm aquarum; tota multitudo, ſimul fuerunt congregati in domo vbi erant Apoſtoli. Papæ quàm ſunt hæ res nouæ! Nihil refert an dicatur quòd congregata & confuſa fuit tota illa multitudo in domo Apoſtolorum: Illud enim; *Confuſa fuit*: valde conuenit vt aptè & decenter dicatur de aquis. Ratione enim præditis tunc aquis & Christi piſcatoribus, propter vnam prædicationem communis vita. Christo ergo Domino valde conuenit dicere; *Congregetur aqua quæ eſt ſub cælo*, in vnam congregationem. *Congregetur aqua*, Piſcatores enim paraui. Congregetur aqua; Petrus enim, iam Crucem tanquàm remum intingit in Mari mundano *Congregetur aqua*, parata eſt enim ſagena Verbi. Accumuletur aqua, non poteſt enim frangi rete. Acceleret aqua, adſunt enim ſcaphæ. Conuenit aqua, feſtinant enim qui baptizant. Aqua ſanctificetur, præuenit enim Præcurſor ad quem currebant etiam aquæ populorum; & circumcurrebant, quòd ab eo congregarentur & accumularentur. Ille Præcurſor veterum aquarum, fuit etiam præcurſor & programma huius Præcurſoris, figuràque & indicium aquarum credentium & ratione præditarum, ad Christum accurrẽtium. Per illum antiquum aquarum Præcurſorem conſtituti ſunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta Orbis terræ: Per hunc Præcurſorem aquarum Gentilium, firmata ſunt & creata fundamenta Eccleſiæ Orbis terrarum. Illæ aquæ *currentes*, reuelârunt per vehementem curſum omnes montes qui priùs tecti fuerunt; præſignificantes præcurſorẽ gentium, reuelantes & oſtendentes montes Christi Eccleſiarum, quæ priùs tegebantur & ſuffocabantur à tenebris. Ante illum Præcurſorem aquarum, petra ſuper terram non cognoſcebatur; & ante Præcurſorem aquarum gentilium, Christum Petram non cognouimus. Illæ aquæ congregatæ, terræ, lucem oſtenderunt; & in concurſu aquarum Gentilium ortus eſt Sol iuſtitiæ. Ante illum Præcurſorẽ aquarum, volucris in terra non habitauit; & ante congregationem curſus gentium, Spiritus ſancti columba non habitauit in nobis. Ante illam aquæ congregationem, terra nullo modo fructum oſtendit; quomodò nec ante congregationem Christi Eccleſiæ fructum poſſedit humana natura, nempè virtutes. Per congregationem primæ aquæ, panem homo comedit, & in Congregatione noſtra, nempè gentium, cœleſtis cibus in cibum apparuit, & cœleſtia hæc omnia bona naſcuntur terræ hominis. Prophericè dixit Deus; *Congregetur terra quæ eſt ſub cælo in congregationem vnam, & appareat arida.* Tertio autem die, ex profundo profert terram Deus, priùs apertè deſcribens Christi trium dierum ab Inferis reſurrectionem è terra genitæ noſtræ naturæ, ne ampliùs maneat arida. Appareat & reueletur quæ erat arida & infrugifera gentilis Eccleſia, quæ à Deo aliquando fuerat abſconſa, vt quæ facta eſſet nuda ab inſidijs diaboli. Appareat quæ erat arida & deſerta & ſitiens, quoniam in deſerto erupit aqua, ne amplius maneat arida. Appareat, & ad fontem vitæ veniat quæ fuit olim gentilis Samaritana, ferens hydriam animæ ad puteum viuentem: Sedet enim Christus eam expectans. Appareat arida & quæ profluuio malè laborabat ſanguinis idololatriæ, vt exſiccetur fluxus ſanguinis qui currebat, & ſcaturiat ſcaturigo baptiſmatis. Appareat arida, auferte malum operculum pudoris animæ. Soluite intermediam peccati maceriem, quæ Deum ab ipſa ſeparat. Appareat quæ recta erat non ampliùs cæcutiens; ſed videatur, quoniam viſus eſt Deus Deorum in Sion. Reſpiret de cæterò & aſcendat ex profundo ignorantiæ quæ fuit aliquando arida Eccleſia, & accipiat radios cœleſtis Solis, vt dicitur pluuia. Reueletur arida, quoniam lumen ad reuelationem gentium aduenit, & tempus eſt de cæterò vt ipſa exuatur & deponat tenebras quæ ſunt illi impoſitæ, vt eas ſibi habeat ſubiectas & cõculcatas & ſub ſe tranſmiſſas ad abyſſum, & audiat; *Ecce dedi tibi poteſtatem calcandi ſuper tenebras* quæ aliquando erant ſuprà te poſitæ & tibi aduerſæ, nunc autem ſunt ſubiectæ. Nam vim paſſæ Eccleſiæ & quæ ſubmerſa erat & ſub pedibus, ſubijciam & omnes aquas terreſtres & cœleſtes, exſiccatam naturam & carnem hominis in exterminatione & priuatione fontis vitæ Paradiſi; eam efferens ſuper omnem Principatum & omnem Poteſtatem, in throno Cherubino ei oſtendens Dei faciem qui propter ipſam aduenit Christus Deus, quia dicit; CONGREGETVR *terra quæ eſt ſub cælo in congregationem vnam; appareat arida*, vt ante cœlum ornetur arida. Propter eam enim exijt is qui ſeminat, ad ſeminandum & irrigandum & ornandum aridam. Semen enim eſt paratum, nempè Euangelium; Prõptus & alacris eſt ſeminator, nempè Christus; Operarij ſunt parati, nempè Apoſtoli; Meſſores probi, ſunt Doctores; Boues impigri, ij qui Crucem ferunt, Iugum aptum, non enim terit collate: Benè germinarunt naturalia, aſpiciunt enim benè comatam virtutum altitudinem; Regiones Gentium, ſunt albæ & putæ animæ. Ad meſſem importandam lata eſt & ampla Eccleſiæ area: Benè laborati ſunt ſulci, Baptiſta enim eos proſcidit. Agri ſunt frugiferi; *Facite* enim, inquit ipſe, *fructus dignos pœnitentiæ.* De cæterò aperiatur & appareat arida, vt ponantur eius fundamenta in montibus Sanctis fidei, quæ putruerant à circumfluis aquis ea alluentibus; Vt eam confirment ac ſtabiliant ſuper aquas piſcinæ, vt in guttis Baptiſmatis ea lætetur exoriens quæ olim erat

Aquæ mortiferæ.

Die Pentecoſtes, à Spiritu facta eſt, aquarũ nempe populi Chriſtiani, Congregatio.

Act. 2.

Reſurrectio Chriſti ſignificata per terram quæ apparuit tertio die, aquis in vnum cõgregatis.

Eccleſia Gentilis ſignificatur per aridam.

Matth. 13.

Matth. 3.

arida & expers humoris diuini influxus, vt in ea constructa, exultent quidem montes regionum, multitudinis autem colles exiliant; lætentur autẽ greges populorum. Fugiat autem Mare aduersariorum; nempe improba & falsa incredulitas. Iordanis autem baptismatis gentium, conuertat retrorsum eos qui ipsum fugiunt & baptismum non suscipiunt. Vnde de Deo dicit Propheta; Balena Maris quæ *conturbat sonos fluctuum eius, quis sustinebit? Sed tu dominaris potestati Maris, Sonos fluctuum eius quis sustinebit? Salum autem fluctuum eius tu mitigas.* Te enim præfigurans Ionas Propheta; quando proiectus fuit in Mare, effecit tranquillitatem vndæ quæ mortem attulerat, quomodò tu, idololatriæ totius Mundi marini, interitus. Tuam enim mortem effingens & resurrectionem, dormijt in naui sicut tu in ligno Crucis; & post somnum proiectus fuit in profundum, tanquàm in lacum profundissimi inferni & sepulchri Balenæ; Et salutem præfigurans ijs qui simul nauigabant in naui Ecclesiæ, donauit naui vt cessarent fluctus. Tu enim es qui iubes & dicis; CONGREGETVR *aqua quæ est sub cœlo in congregationem vnam, & factum est ita; & congregata est aqua quæ erat sub cœlo in congregationes suas.* Ecce non factũ est conuenienter litteræ; neque congregata est aqua quæ est sub cœlo, in congregationem vnam; sed multæ aquæ sunt cõgregatæ in suas congregationes. ET VOCAVIT *Deus aridã, terram; & congregationes aquarum vocauit Maria.* Quid mihi ad hæc dicis; O Hebræe? Nam quod attinet ad historiã, contrà factum est quàm iussit Deus. Primùm quidem erat vna congregatio, vnum Mare, vnum pelagus, vnum profundum, vna aqua; simul tota aqua quæ erat sub cœlis, indiuidua, vnita, insecabilis. Quando autem dixit Deus; *Congregetur aqua in congregationem vnam;* diuisa magis fuit aqua quæ erat sub cœlo, in multas aquas; tanquàm si iam dixisset; multæ sint congeries, multæ congregationes, multa Maria; sicut testatur ipsa dictio Scripturæ, quæ sic habet; *Congregata fuit aqua quæ est sub cœlo, in suas congregationes.* Dicit itaque: ET VOCAVIT *Deus terram, aridam; & congregationes aquarum vocauit Maria.* Age ergo, rursus litteræ velum & operculum aperiẽtes, spiritualia spiritualibus intelligamus eloquia spiritus, dicentes; Vna & indiuidua aquæ congregatio, recta & in quam non cadit reprehensio, & Ecclesiæ Catholicæ in Deum pietas ac religio est: Aquæ autem congregationes, sunt Ecclesiæ quæ sunt in loco regionum Gentium, quomodò docet Paulus dicens Dei Ecclesijs; *Ecclesia Corinthi*, ecce alia congregatio; *Ecclesia Thessalonicensium*, ecce alia congregatio gentium: Quomodò enim vnum est regnum cœlorum, habet autem multas mansiones vt dicit Christus; ita etiam est vna communis Christi Ecclesia. Sunt etiam singulares Ecclesiæ Mundi rectæ fidei. Oportet autem hoc quoque in loco adnotare, quod quando cum cœlo Deus fecit terram, non appellabatur arida; Frugiferum enim ac fertilem Deus fecit hominem & non aridum. Quando autem fuit suffocata à tenebris quæ suprà eam erant, & aquis; tunc facta est arida & mortua: Deinde eam Deus rursum vocans ad antiquam illuminationem, eam transnominat & ei reddit primum nomen; & quando à tenebris Deo apparuit, statim eam vocauit terram, quomodò dicit historia quod Deus aridam vocauit terram; vtpotè quod ab infertilitate ad fertilitatem, per Christum de cæterò vocetur & renouetur homo. Ei autem quod dico fert testimonium propheta quoque in Psalmo nonagesimoquarto, aridã nominans hominem, dicens de Deo: *ipsius est Mare, & ipse fecit illud, & aridam finxerunt eius manus*: hoc est, hominem qui dicit; *Manus tuæ Domine fecerunt me & finxerũt me.* Nullam creaturam ex ijs quę sunt in cœlo aut in terra finxit Deus suis manibus, nisi hominem qui ad eius factus est imaginem, de quo dicit Moses; VOCAVIT *Deus aridam terram.* Vide mysteria admirabilia! Terram in profundo ab alijs aquis suffocatam, nominat aridam. Cùm autem aquæ ab ea recesserunt & sunt diuisæ, & ea fuit exsiccata, non eam ampliùs nominat aridam, sed terram; quomodò etiam

Psal 88. b

Ionas figura Christi.

Aqua congregatio, est Ecclesia Catholica.

Cur Deus terram quam cõdiderat non vocarit aridã priusquã suffocaretur ab aquis.

Solus homo factus est Dei manibus.

A constat citra controuersiam, quòd imagines & figuras nouæ in Christo creaturæ priùs describebat & præfigurabat Christus in vniuersa sex dierum creatione. Quoniam autem mundanæ Ægypto imprimis hæc dicimus; non fuerit absurdum si per res tanquã per Verba ostendamus figuras detectionis & liberationis malarum & tenebrosarum aquarum erroris quæ priùs erant super eam. Soli enim Ægypto ex omnibus Mundi regionibus, Deus ad pietatis admonitionem donauit exẽplum & monumentum indelebile. Nam instar vniuscuiusque ex illis aquis quæ aliquando tegebant vniuersam faciem terræ, per fluuium Geon terra Ægypti tegitur. Quamobrem de regione Ægypti dici potest in tempore ascensus aquarum, quòd terra Ægypti est inuisibilis & incomposita, & tenebrę caliginis & tempestatis supra abyssum huiusmodi aquarum; & Spiritus Dei (hoc est venti renouatio) fertur supra aquam. Sic enim interpretati sunt multi Interpretes; *Et tenebræ erant supra aquas, & Spiritus ferebatur supra eas.* Non enim dixit (inquiunt) scriptura; τὸ πνεῦμα θεοῦ cum articulo; id est, Spiritus ille; sed πνεῦμα θεοῦ, absque articulo, id est Spiritus Dei: hoc est; vnus ex quatuor spiritibus ventorũ ferebatur super aquam. Illud autem ferri supra, non est proprium naturę diuinitatis quæ non potest circumscribi.

Ægyptus quomodò mundetur & quid significet.

Venti, ἀνέμου, forte leg. ἀνθρώπου, id est hominis.

Illud autem est admirabile in ascensu aquarũ in Ægypto quibus fuit operta, obscuratioñeque & caligine, & infertilitate, & suffocatione ipsius terræ, quòd non post mensem aut dies ortus in carne in Bethleem & Apparitionis Christi, sed in diebus Natalis & Apparitionis ac Illuminationis operitur & obtenebratur aquis & caligine terra Aegypti. Quando autem Christus Deus lux Mundi natus est; & ex præsepi Bethleem, in Aegyptum cum sua matre fugiente ab Herode, versatus est; statim terra Aegypti detegitur, deponit tenebras, exuit caliginem erroris, Solis iustitiæ lumen induit. Versatus enim est cum proprio Orbe, nempè Matre; & soluit tenebras, & veluti quoddam velum abiecit à suo vultu, nempè aquæ operculum, & in Christum fixit oculos, & eum agnouit, adorans & procumbens, quem priùs non cognoscebat (propter erroris tenebras quæ ei impendebant) operta ab aquis ignorantiæ. Recedit autem & recurrit Nilus ex Ægypto in diebus mensium Decembris & Ianuarij: Incipit enim fluere mense Iunio; & per eum totum & post ipsum crescit, nempè Iulio. In Augusto autem & toto Septembri instar Maris inundans Aegyptum, facit nauigabilem quæ priùs erat arabilis. Incipit autem, vt dictum est, decrescere in Octobri & Nouẽbri; In mense autem Decembri & toto Ianuario, redditur priori alueo. Quãdo ergo ante Christi ortum eam viderimus tristem & caliginosam, & infertilem, & in profundo submersam & inornatam; Deinde post Christi ortum & eius præsentiam, in omni loco Aegypti statim fieri recessum, & terram ornari & irrigari, gestire regiones, densari paludes, agros germinare, & vicos tanquàm ex profundo aquarum detectos & in altum elatos, & aquas congregatas in suis congregationibus, earúmque fossas & fluuios; planè intelligamus quando hæc fieri viderimus in Aegypto, quòd verbum Dei incarnatum ipsum erat quod in principio est architectatum creaturam cœli & terræ; ipsúmque in Aegypto versatum est in carne, & cùm eam vidisset tenebrosam & à maligno suffocatã, clamauit ex potestate tanquàm Deus, sicut aquis mundanis ita etiam Aegyptiacis, dicens quot annis, & vsque ad consummationem post Nili ascensum, *Congregetur aqua quæ est supra faciem vniuersæ terræ* Aegypti in congregationes suas. Rursus; Appareat terra vt qui iam olim quidem Spiritus erroris increpãrit & eos Aegypto expulerit, nunc autem in tempore eius aquas fecerit restagnare, vt & ei & nobis reuocet in memoriam quòd ipse est Mundi conditor qui eã à tenebris & errore liberauit. Nam si in sapientia fecit Verbum Dei, nihil fecit intempestiuè & non nisi certo scopo sibi proposito: Et, si omnia potest; non erat Deus Omnipotens, impotens sicut vniuersam

Nilus quãdo fluat & refluat.

Ægyptus magis concaua quàm tota terra.

vniuersam terram ita etiam Ægyptum cœlestibus imbribus irrigare; quam etiã fecit magis concauam quàm A
rotam terram quæ est sub cœlo, vt docent qui descripserunt terrarum mundi descriptiones. Sed ne rideat, quæ dicuntur, insipientissimus auditor; Credat autem ei qui dicit quòd *Deus omnia fecit in sapientia*. Omnino enim nobiscum fateberis, quòd ad admonitionem pietatis & ad fidem faciendam mundi creationis, Deus in Ægypto statuit hoc miraculum ascensus aquarum & earum in suum locum reuersionis. Quomodò rursus in finitimis ijs quæ in Pentapoli Barbarica dicuntur Adyta super aquas fertur terra conuincens incredulos quòd super aquas supra naturam Deus grauem suspendit terram; quòd lapis à monte abscissus ipse angularis Christus, terra genitam nostram essentiam admirabiliter extollet super aquas, videlicet supra cœlos. Similiter etiam B
in montibus Liciæ qui dicuntur, aqua & ignis simul coëunt nos docentes indiuiduam Christi diuinitatis & humanitatis vnionem. Nam si est natura sapientia & dator sapientiæ, & in sapientia omnia fecit Deus Filius Dei, sicut priùs dixi; per omnia quæ sunt supra terram. eius ineffabilem discimus sapientiam. Vnde stans in præsentia in aquarum tractatione, & obstupescens; nec malas quidem ac metallicas amarásque & abhorrendas aquas quæ vel ad saporem accedunt bituminis, vel æris, vel alicuius metalli ad quod non est sensui accessus, credo factas esse extra Dei mysterium, sed credo eas spectare ad profundum aliquod exemplum, & nos docere, quòd totam quidem aquam, nempè genus humanum, Deus in principio vnam bonam aquam fecit, vnius naturæ, vnius operationis, vnius potestatis, similem & in- C
diuiduam; sed quæ est est in aëre operatio, terræque diuersa temperatura & qualitas, vel salsuginem redolens, vel æruginem, vel aliquem alium insuauem ex metallis odorem, aquam mutat ad suam proprietatẽ: Ita morum quæ est in locis diuersitas; genus humanum quod est vnum, in multas secuit diuisiones. Mihi autem intellige aquam à Deo creatam, Catholicã fidem veritatis, quam Deus fecit ab initio. Malæ autem rursus sunt aquæ, impurarum hæresũm disciplinæ; quas aer, hoc est malus Princeps aeris diabolus, & amaricans, seu ad bituminis ardorem accedens cor terrigenarum hominum quod sapit terrestria, genuit & conuertit, & ex bona malam fecit fidẽ alterauitque. Quod quidem factum est etiam in aquis maris. Deus enim ab initio ipsum fecit aquam D
dulcem; mutatum est autem tempore, ab aere & elementis effectum salsum diuina permissione, præfigurans ac priùs describens humani maris mutationem, quod ex virtute est conuersum in salsum vitium, quod Christus mutauit in melius per mare baptismatis.

Aqua & ignis simul coëũt in montibus Lyciæ.

Omnia quæ sunt supra terram docent Christi sapiẽtiam.

Terra diuersæ operationis & qualitatis vnde existant.

Morum diuersitas generis humani multas fecit diuisiones.

Aqua à Deo creata est fides Catholica.

Malæ aquæ sunt hæreses.

Et dixit Devs, germinet *terra herbam fœni seminans semen secundùm genus & similitudinem.* In his quoque rursus minimè consequens & sibi non consentiens si litteram spectes, videtur dictio Scripturæ. Nam loquens in fœminino genere ex regula Grammaticorum, desijt in neutrum: Germinet enim, inquit, *terra herbam fœni seminans.* Si ergo ad herbam deducatur seminantem semen, rectè habet: Sin autem ad *fœni* dicas E
conuenire, *seminans semen*, scriptura relinquens hanc consequentiam, dicit, Seminans *semen secundùm genus.* Videtur autem mihi esse harum rerum eiusmodi consequentia vt illud; *Germinet* quidem *terra herbam fœni*; dicatur à Deo ad animas infertiles: Illud autem, *seminans semen secundùm genus*; videtur mihi quòd Deus iubet choro Apostolorum. Vnde pòst eius exitum qui est à Patre inseparabilis, dicebat de seipso, *Exijt qui seminat, ad seminandum semen*, verbi, secundùm gentem, & secundùm regionem in vniuersa terra quæ priùs vocabatur arida; super quam descendit, tanquàm pluuia super vellus, Verbum Dei eam seminans & dicens; *Germinet terra* humani cordis, vt quæ non esset prius arida in priori infertilitate, sed germinet deinceps & floreat tanquàm lilium, vt non suffocet semen multitudo spinarum. Re-

Apostolis iubet Deus germinare semen seminant. Matth. 13. Luc. 8.

cesserunt tenebræ quæ priùs erant super eam: Aquæ sunt congregatæ in suas congregationes: Fluuius verbi Dei impletus est aquis irrigãs hunc paradisum Ecclesiæ. *Psal. 45.*
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei supernã Ierusalem.
Pluuiam voluntariam segregauit Deus hæreditati suæ; nempè *Psal. 67.*
gentium præsentiam Spiritus, quo sulcos suos inebriat, & multiplicat fructus suos in triginta & sexaginta & centum. *Et Torrente voluptatis potabis eos quoniam apud ipsum* *Psal. 35.*
est fons vitæ: de cæterò sic nunc irrigata quæ priùs erat arida, germinet vt terra Dei, herbam fœni gentibus quæ priùs erant expertes rationis. Quoniam *bos* arator, populus qui priùs erat assuetus Sacrificijs; *cognouit eum qui possedit ipsum*, populum peculiarem. Deus enim elegit *Esa. 1.*
eum sibi in hæreditatem: *Et asinus* agrestis populus idololatra *cognouit præsepè Domini sui*, Bethleẽ Iudæ; Illic enim eum adorauit per Magicas primitias. Quamobrem *germinet terra herbam fœni*. In edem enim *loco pascua* Paradisi, *ibi nos collocauit, Et super aquam quietis educauit & conuertit*, *Psal. 22.*
amotis ab aqua veteribus tenebris, & quietis aqua facta aqua baptismatis, in quo depositũ est onus peccatorum præsentibus & redundantibus, & fluuium manu vnanimiter tenentibus gentibus, & dicentibus: Exultemus propter salutare nostrum, nos enim induit vestimento salutaris baptismatis, & ornauit tanquàm vestimento salutis & incorruptionis, & fontibus Scripturarum scaturientibus, & in Ecclesia Deum benedicentibus & Dominum Iesum Christum, hoc est, gentibus, ex fontibus Apostolicis Israel. Illinc enim est genus ipsius: Et super montes Ecclesiarum stantibus aquis populorum baptizatorum germinet terra gentium, quam procul annunciat dicens: *Veritas de terra orta est, & terra nostra dabit fructum suum.* Quoniam benè cõplacuit tibi Domine terra *Psal. 84.*
tua, quę audijt & obedijt ei qui ipsam conuertit & dixit; *Germinet* Ecclesia (nempe bona terra) primùm quidem herbam fœni, nempe simpliciorem & delicatum Verbi fructum qui conuenit Iudaïcis & rationis minùs participibus Christi gregis animis, ad cibum infantioribus & lactis egentibus: *Est* enim *perfectorum*; nempè, noster qui sumus Fideles; *cibus solidus*, quem portant perfecti de quibus dictum est; *Germinet terra herbam fœni, & lignum fructiferum faciens fructum*, Cuius semen eius in ipso. Nam semper germinans, & qui minimè interit ac corrumpitur, est fructus Euangelij. Lignum fructiferum, quoniam *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excinditur &* *Matth 3.*
in ignem mittitur. Lignum fructiferum habens fructus spiritus, vt eorum qui nunc dicunt. *Ego autem tanquam* *Psal. 51.*
oliua fructifera in domo Dei. Vnde qui sunt illuminati, sunt in domo Dei *in atrijs Dei* nostri florentes, quoniam *iustus* *Psal. 91.*
tanquàm palma florebit, alios quoque fructibus seminis impertiens, vt mundus corde & tanquàm cedrus quæ in Libano, multiplicans & lætificans: quoniam lætabuntur eiusmodi ligna Domini cum Cedris alti Libani, nempe cœlestibus Potestatibus quas Dominus plantauit & non homo. Tu autem quando audis quòd post simplicius & delicatum contrimentum herbæ Verbi, quam vt conuenit iussus est colere: Deinde etiam iubetur colere *Lignum fructiferum faciens fructum*, cuius semen in terra iussa germinat, nihil aliud intelliges quàm passionem Crucis, Mosaïcam prophetiam, nobis proponere ad imitandum. Et ideò dicit Ecclesiæ vt *germinet lignum* Crucis, sed nobis solis fertile, Iudæis autem scandalum. & incredulis stultitiam; faciens autem fructum & aspectu pulchrum & bonum ad vescendum, nempe Christum crucifixum quem colligimus accipientes ex parte iusti Latronis, blasphemiam autem deijcientes, & ipsi Crucem ascendentes vt vtrinque Christi eandem prædicemus Theologiam in tempore effecti immortales. Cuius fructus semen, est Euangelica prædicatio facta ex ipso fructu, & procedens in terram dilatata & dispersa quando mandauit Discipulis; *Ite & prædicate* *Marc. 16.*
Euangelium omni creaturæ: Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

In Baptismo deponitur onus peccatorũ.

Herba fœni est simplex verbi fructus cõueniens simplicioribus.

Lignum fructiferũ faciẽs fructum, est passio Crucis, quod lignum solis Christianis est fertile.

Christus crucifixus est fructus bonus ad vescendum.

LIBER QVARTVS, DE quarto die Creationis.

Anagogicus sensus nō dissoluit historiam.

ET DIXIT *Deus, fiant luminaria Firmamento cæli ad illuminationem super terram, ad separandum inter diem & inter noctem.* Æquum esse existimo, valdéque amplectendum & vtile per vniuersam nostram sex dierum expositionem, admonere auditores quòd non dissoluentes Dei operum quæ est ex littera historiam, spiritualiter corporales creaturas exponimus per allegoriam, neque euertentes Patrum expositiones, sed audientes orbis terræ luminare & clarissimā Ecclesiæ lucernam Paulum dicentem quòd vetus Scriptura & lex est vmbra veritatis rerum Christi & Ecclesiæ: & quòd omnia propter Christum & in Christum tendentia facta sunt, tam quæ sunt in cœlis quàm quæ in terra. Et ideò excutientes spicam Scripturæ, ab extrinsecùs imposito operculo litteræ Mosaicæ, primam rationem, granum (inquam) quod est absconsum intra frumentum, nempe Christum inquirimus. Res omnes præfigurabant Christum & eius Ecclesiam; Moses, inquam, & Tabulæ priores & secundæ, & tabernaculum, & mons, & rubus, & ignis, & māna, & vrna, & arca, & agnus, & columbæ, & turtures, & sacrificia, & sanguis, & aspersio, & sacerdotes, & propitiatorium, & duo vela, & petra, & virga, & hyssopum, & coccinum, & (vt semel dicam) res omnes legitimæ Israëlis. Sic etiam omnia legitima quæ à Mose sunt dicta, sunt de Christo & propter Christum, conuenienter ipsius Iesu voci qui dicit. *Iota vnum aut apex vnus non præteribit ex lege, donec omnia* de eo *fiant* & impleantur. Si enim quæ est omnium Dei creaturarum miserrima & vilissima (vermis, inquam, qui sine semine natus est ex pinguedine terræ) iam olim præfigurauit ac descripsit vterum gloriosissimæ Deiparæ, vt testatur Dauid dicens ex persona Christi; *Ego sum vermis, & non homo*, hoc est, sine semine generatus sicut vermis, & non more humano ex causa seminis; *opprobrium hominum* Iudæorum, *& abiectio populi* gentilis; ne de cęterò mihi dubitaueris neq; fueris incredulus de præstantissimis creaturis, quod fuerint omnes figurę Christi, ex quibus sunt etiam luminaria quæ facta sunt quarto die. Ante dictionem autem illud est quærendum; Cur tres fuerunt dies manci & imperfecti, lucem quidem habentes, Solem autem & Lunam & stellarum non habentes multitudinem, imò verò videbantur esse quodammodò profundi & non illuminati: Non habebant enim Solem, cœli & terræ luminare, & vniuersa quæ per alias refulserunt dies. Quid ergo in his discimus? & cur nam quartus dies fuit primus & non mancus? Audiamus quæso, quænam inter homines ante Christi aduentū & illuminationem fuerunt Leges & modi pietatis & diuinæ religionis. Nam in principio quidem in prima creatione Deus dedit Adamo exilem & euanidam lucem cognitionis, nempe legem mandati. Deinde secundo loco post diluuium, creaturā recreans & terram rursus ex aquis aperiens Deus, dat secundam Legem de quibusdam mandatis & pręceptis datis Noë. Quamobrem nominat etiam Testamentum, eam quæ ipsi data est legem. Tertius deinde fuit dies, lex quæ data est in monte Sinaï. Tribus itaque diebus priùs instructus & sanctificatus fuit Israël quādo accepit legem. Quoniam ergo illa tria hominum instituta vitæque agendæ rationes, quæ fuit (inquam) in Adam ante legem, & quę in lege data Noë, & quę in lege Mosaica, fuerunt imperfectæ, & in profundis nocturnæ & caliginosæ impietatis tenebris vita adhuc agebatur, priusquàm illucesceret multitudo Apostolorum & Doctorum, lucidæ (inquā) quæ sunt in terris stellæ, & priusquàm oriretur Christus Sol iustitiæ, cum eius coniuge Luna, nempe Ecclesia: ea de causa tres dies antę quartum, imperfectos & opacos Soléque & Luna carentes fecit Deus. Quartus autem dies fuit ipse Mundo perfectus. Et propter cum *quarta noctis vigilia venit* Christus tunc super mare ambulans & super aquas, ad suos Discipulos qui agitabantur tempestate & erant perituri in mari huius mundi, & ad nos itidem Discipulos qui in periculum adducebamur à spiritibus tenebrarum & fluctuum impietatis. Vnde etiam Deus Israëlem in mari seruauit in quarta vigilia matutina ad nos figurandos. Nos enim sumus eius populus quem liberauit à manu maligni diaboli Pharaonis quarto & primo perfecto die postquàm tertio die surrexit, à mortuis ortus Sol iustitiæ, quem priùs significauit iste Sol qui quarto die fuit à Deo conditus, quoddam nouum & dignum quod scrutemur nobis ostendens mysterium, propterea quòd quarto die factus est. Nam lux quidem trium dierum præcedētium expansa ac dispersa per totam Vniuersitatem, ostendit lucem increatæ Trinitatis quocunque peruenire, & nullum relinquere locum ea vacuum. Quando autem quarto die fabricatur orbis Solis, & lux illa quę est vbiq; pręsens in eo ponitur, hoc significat quòd diuina illa lux in orbe quodam primùm quidem ponitur obscura ob peccatum Adami, posteà autē lucida propter vnionem in Deo per hypostasim; in abiecto scilicet & contempto homine quē Filius hominis sibi assumet ex tota obscura & tenebricosa humanitate; sed ita quoque vt non coërceatur in arctum neq; circumscribatur. quomodò enim lux rursus post eius in Sole posituram quarto die, adest vbique & per totam terram expanditur, ita etiam lux diuinitatis post incarnationem non est circumscripta nec contracta: sed rursus sic etiam Deus Christus omnia intuetur, illustrátque & viuificat. Illa enim Dei Verbi hypostasis etiam in carne est operta; & illa etiam ex carne mundum illustrat. Quartus autem dies in quo perfectus fuit Sol, qui significat Christi incarnationem; significat quòd bonorum omnium perfectio tunc apparebit, an ex lucida stella (nempe Virgine) ortum fuerit astrum lucidissimum ex Iacobo, habens Luciferum stellam (præcurrentem Magos offusos tenebris) quæ hoc indicat. Denariū implet quaternarius: Vnitas enim cum binario implet ternarium & tria cum eo efficiunt senarium, & quaternarius cum eo implet denarium, & ideò quaternarium appellant, ἀποτελεσματικόν; hoc est, perficientem quoniā ex eius partibus, si reducantur ad vnitatem, constituitur denarius. Dicit ergo quartus dies, quoniam decem indico, apertè ostendo, quòd bonorum omnium perfectio tunc apparebit & illucescet humano generi, quando Christus vnius fuerit naturæ tunc obscuratæ, quomodò in me obscurato orbe lux est vnita. Multa habeo quę in iudicio dicā de quarto die: Et quòd per hunc numerum, nempe quaternariū, administratur & consistat omnis cęlestis creatura quæ facta fuit sex diebus, eo numero nos docente per exemplum, quòd sancta quidem Trinitas est increata; qui autē post Trinitatem est Christi incarnationis, qui est vnus ex sancta Trinitate, modus & ratio, is est fons & principium & radix & fundamentum & securitas omnium bonorum quæ à Deo facta sunt in creatione sex dierū in cœlo & in terra, congruenter voci Pauli quæ dicit: Omnia in Christi typum ac figurā priùs creata sunt, priùs indicantia rationē & modum eius incarnationis qui post tria (dicam rationem) per quatuor Euāgelia tāquàm quartus dies in quatuor partibus orbis terræ, in quo exortus est mundo Sol cœlestis. Propter eiusmodi ortus mysteriū, fecit etiam quarto die Solem. Propter hoc ex quatuor elementis fecit, omnia, nempe igne, terra, & aqua, & aere: propterea & ipsa quatuor in singulis eorum in quatuor considerantur, ignis quidem in luce, & stellis, & Luna, & Sole: Aqua autem in Firmamento, & alia aqua supra firmamentum, & terrestri, & abyssina. Aërem in quatuor ventos, & quatuor anni tempora diuisit. Terram partitus est in quatuor fines, quomodo etiam in quatuor generationes, herbarum, inquam, & fructuum, & animantium, & hominum. Similiter etiam animantia in quatuor genera diuidens ea nominauit, ea vocans pecora, animalia, feras, & reptilia. Volucres autem vna vocat appellatione: Sunt enim typus

Legis omnes res præfigurabant Christum & Ecclesiam. Mosis omnia dicta, sunt de Christo & propter Christum.

Matth. 5.

Vermis præfigurauit Christum sine semine natum ex Virgine. Psal. 21.

Cur tres dies fuerunt sine lumine, quartus autem fuit illuminatus.

Tribus Legibus instructus fuit populus Iudæorum antequam veniret Christus.

Marc. 6.

Cur venerit ad Discipulos Christus in quarta vigilia.

Sol quarto die creatus significat Christum Solem iustitiæ.

Lux trium dierum vbiq; expansa, est lux Trinitatis.

Lux diuinitatis, post incarnationem non est circumscripta.

Quartus dies significat Christi incarnationem.

Num. 24.

Omnium bonorum perfectio illucescere Christo significatur per Solis ortu quarto die.

1. Cor. 10.

Quaternario numero plurima cōtinentur.

Volucres sunt figura Potestatum intelligentium.

typus ac figura cœli volucrum; nempe Potestatum intelligentium, quarum sententiæ aut vitæ agendæ nulla est A diuisio. Similiter etiam quatuor semina, in creatura super terram agnoscuntur; nempe germinantium, & volucrum, & animalium, & hominum. Ea enim sola in terra, & è terra nascũtur, quæ sunt typus quatuor seminum

Quadruplex ratio verbi doctrinæ.

doctrinæ Verbi, hoc est, Dei. Quomodò enim semen sua sponte nascitur ex terra; Ita etiam ratio doctrinæ naturaliter, ex Christo & Angelis, quos figurabunt Volucres, & ex animalibus & hominibus; Scripturæ enim sunt ab hominibus: Per hos enim quatuor modos seminatur terra Ecclesiæ. Pisces autem semen deijciunt in terram, nisi quòd citra semen nascuntur ex aquis. Quare autem dicemus in quinto die. Et tamen nec pisces sunt

Crucis figurã habent volucres & Pisces.

priuati figura Quaternarij, cùm habeãt figuram Crucis; sicut etiam Volucres, cùm quibus facti sunt. Ipsi enim B duabus alis, & capite & cauda feruntur in aëre & aquis. Pecora quoque cùm sint quadrupedia, quartum describunt numerum. Similiter etiam homo ad formam Crucis figuratam habens imaginem, vt qui sit ad imaginem Christi crucifixi, præfigurauit quatuor cornua Crucis,

Crux lignum vitæ.

quæ etiam dicitur lignum vitæ: Crux enim erat Christi. Propter ipsũ enim exsculpta est scalpello ligni verè plãtati *secùs decursus aquarum*; quatuor (inquam) Euangeliorum.

Psal. 1.

Non erit autem absurdum, si illius quoque Quarti

Dan. 3.

qui in fornace Puerorũ visus est in similitudine filij Dei, visionem intelligamus tanquàm quarti diei figuram; & & Christi qui in eo ostensus est, nempe Solis. Est enim ille ignis cognatus huius Solis: Siquidem ille corporalis, vim habens & vrendi & Pueros custodiendi; Solis qui est in nobis, nempe Christi, præfigurabat imaginem; C si etiam fornax, Virginis. Dum hæc autem terrestria persequor in quarto die, de quarto numero diuinus Eze-

Ezech. 1. b

chiel Propheta veluti adsistens, suam prophetiam & ecstasim reuocauit in memoriam, nobis ostendens quadriformia illa animantia summarum intelligentium Potestatum: Quæ vidit, mysterium Christi præsignificare & describere in ijs quibus contemplatus est Propheta faciem hominis, & bouis & leonis & aquilæ, nos docentia quòd magni consilij Angelus (cùm sit incorporeus) & humanam formam subijt; tanquàm homo quidem videbitur in terra; Vt Leo autem, cum ceciderit quidem, dormiet in monumento; cæterùm diuinitatis habebit apertos oculos, non enim somni affectione, aut alicuius D alterius capitur diuinitas: Resiliens autem resurget à mortuis, & tanquam aquila Rex assumetur in cœlum.

Lex habebat vmbrã futurorum bonorum.
Hebr. 10.

Quamobrem diuinè vociferatur Paulus, quòd in Christi figuram ac typum creata sunt terrestria ac cœlestia, ex quibus sunt maximè etiam quæ dicuntur in quarto & primo die perfecta; de quibus dixit, FIANT *luminaria in Firmamento cæli ad illuminationem super terram.* Pulchram commutationem accepit à Deo, Firmamentum aquarum Ecclesiæ. Cogita enim quòd priusquàm fieret Firmamentum, aqua erat non firmata ac solidata, quæ vocabatur abyssus propter malas erroris tenebras quæ suprà eam iacebant; quas cum Deus ab ipso exterminasset, eis aduersariam donauit lucem, dicens: FIANT *luminaria in Firmamento cæli ad illuminationem super terram.*

Angeli ab ipso Deo illuminantur.

Beati E enim Angeli non ab vlla re creata illuminantur, sed ab ipso Deo de quo dicit Scriptura, LVX *iusti est perpetuò.*

Luminaria facta sunt ad terræ non ad maris illuminationem.
Dæmones carent Dei illuminatione.

Ad terræ ergo illuminationem facta sunt luminaria, non etiam ad illuminationem eorum quæ sunt in mari; quoniam in abyssum à Christo missi dæmones (quorum typus sunt strepẽtes pisces) sunt expertes cœlestis luminis illuminationis, & ab eo alieni. Quòd si de astris sensilibus dixit Deus solùm; FIANT *luminaria*, an non dixisset,

Creaturæ à Deo factæ in Genesi, præsignificant mysteriũ Christi & Ecclesiæ.

Ad illuminationem terræ & maris? Plus enim quàm ijs qui versantur in terra, astra sunt vsui ijs qui nauigant in mari. Ergo corporaliter quidem dicit Scriptura de ijs quæ à Deo verè conuenienter litteræ, facta sunt creaturis: per ipsa autem citra vllum mendacium præsignificãs totum mysterium Christi & Ecclesiæ. Si autem ad hæc contradicit carnalis Iudæus auditor, dic mihi tu, cur cùm fecisset Deus Firmamentum, non statim cum eo fecit A stellas & Solem & Lunam: quomodò quando aperuit terram, protinus eam ornauit herbis & fructibus, & arboribus lignorum? Cur autem fecit minima, ante duo perfecta luminaria? Et quomodò rursus in duobus perfectis non minus prius est fabricatus, sed magnum? Per terribile autem omnino vt opinor, & occultum mysterium, stellas quidem supra per iussum creauit in Firmamento: Solem autem & Lunam cùm per se super terram, tanquàm Adam & Euam esset fabricatus, posteà eos in altum sublatos posuit in Firmamento.

Deus Solẽ & Lunã in terra creauit.

Propterea cum hæc audis qui vim habes cognoscendi, ô auditor, noli differre sed transi & rursus ingrediamur in interiora veli Scripturæ, in externa versati philosophia; re nobis significante Adyta sanctarum cogitationum.

Interiora veli Scripturæ.

B Hoc enim nos docet Scriptura etiam de Mose dicens, eum esse ingressum intra ipsam caliginem vbi erat Deus, dicens: FIANT *luminaria in Firmamento cæli ad illuminationem terræ.* Hæc dicens fecit & fixit tertiam illuminationem in firmamento Ecclesiæ per stellas, & per Solem, & per Lunam. Per stellas, quoniam sancti Prophetæ primi, & Iusti priùs annunciarunt & præcurrerunt mundo annunciantes aduentum Solis Christi Dei, & eius coniugis Ecclesiæ. Deinde post earum exortum illuxit Sol, nempe Christus; & coniux eius Luna, nempe Ecclesia. Propterea illa quoque cùm accurrit suppetias latura stellæ Solis, suis radijs Solem illuminantis. Nisi

Luna plena & crescens ac semiplena, pulchra contemplatio.

enim subindicarent Christi & Ecclesiæ illuminationem, non ipsa quoque in die simul ferretur cum Sole, quando est plena Luna. Nam quandò quidem est imperfecta C Ecclesia, vt tempore synagogæ Iudæorum, ea noctu solùm lucet; in eorum, inquam, vita. Cùm autem fuerit perfecta à Deo qui omnia perficit, tunc simul apparet cum Sole, nempe Christo; in illucescente die Euangelicæ nostræ Fidelium vitæ. Accipe etiam aliam de his contemplationem. Primo die Deus creaturam priùs illuminauit per vnam quandam singularem & indiuiduam lucem, antequàm adessent Sol & Luna & stellæ, reuelans scilicet & ostendens illuminationem diuinitatis in Mundo.

S. Trinitatis typus in Luce triplici.

In hoc autem perfecto primo quarto die, in quo præsentia Solis super terram è cœlo apparuit; cognouit Mundus trinam illuminationem & trinam lucem eiusdem simul essentiæ, in typum sanctæ Trinitatis. In illa quidem prima Luce, docemur vnitaD tem diuinitatis: In hac autem trina luce præsignificatur Trinitas earum quæ simul sunt eiusdem essentiæ, personarum. Quòd si id quod dictũ est, nbi videtur asperum & coactum; de eo ipso dicemus etiam alio modo. Fortè enim quòd ab initio in cœlis firmamento stellæ factæ sint, indigenæ; id figuram habet sanctorum Angelorum qui creati sunt in cœlis, & ideo eas posuit antequàm illucesceret Sol & Luna super terram.

Ante Christũ & Ecclesiam, Angeli illuminabãt eos qui erãt in terris, homines.

Nam ante Solem Christum, & Lunam Ecclesiam, diuinissimæ quoque mentes seu Intelligentiæ lucem præbebant ijs qui erant super terram, varijs modis eis adsistentes. Nam quòd duo hæc magna Luminaria super terram Deus construxerit, & deinde in Firmamento cœli ea posuerit; ex ipsis Scripturæ verbis dicimus: Dicit enim Legislator MoE ses; ET DIXIT *Deus, fiant luminaria in Firmamento cæli;* vt qui suo iussu fecerit hæc sensilia, sed & ea quæ cadunt sub intelligentiam sanctorum Angelorum luminaria: *Ipse* enim *dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt.*

Psal. 32.

Duo autem Luminaria non sic: sed; FECIT *Deus Luminaria magna, & posuit ea in Firmamento cæli.* Primùm fecit, & tunc ea suprà posuit. Vbinam autem ea ab ipso erant facienda nisi supra terram? Non erat enim alius locus extra cœlum nisi in terra, vbi facta sunt ab ipso Deo, & deinde sublata sunt sursum.

Deus Solẽ & Lunã creauit in terra.
Terra priùs quàm cœlum à Sole illuminatur.
Sol cõpositus ex omnibus luminaribus.

Vide mihi rursus hic quoque terram ante cœlum à Sole illuminari; & sic ad cœlum, Christum qui est Sol, remittere post eius compositionem & constructionem quæ facta est supra terram. Ne nos enim lateat quòd ex omnibus Luminaribus Sol compositus sit, vt qui constet ex

duobus generibus in typum Christi; nempe ex illa prima cœlesti & antiqua luce, & igne qui postea factus est & in æthere est interceptus, & de industria in terram proiectus. Et intellige, hæc nobis subministrare lucem: nempe Verbi diuinitatem. *Erat* enim & pridem in principio *lux vera quæ illuminat omnem hominem:* Rursus autem sanguinolentam & candentem nostram carnem. Lux enim in Sole ignem accepit: hoc est, Verbum illuminans factum est caro: Adam enim induit Dominus & accinxit. Adam enim interpretatur candens & sanguinolentus; quandoquidem pueri communicarunt carni & sanguini; ex quibus etiam super terram Christus (nempe Sol) compositus apparuit. Et ideo etiam soror eius Luna, nẽpe Ecclesia, dicit in Canticis, PATRVELIS *meus albus & flauus:* nempe Deus & Adam: Albus propter diuinitatem, flauus propter humanitatem; qualem etiam videmus compositum Solem, album & flauum; ad imaginem Christi qui est Sol iustitiæ. De quo dicit Deus per Malachiam Prophetam; ORIETVR *eis qui Deum timent Sol iustitiæ,* vt appareat ijs qui sedent in tenebris & in vmbra mortis. Hic est enim Sol qui dicit: Ego *lux veni in mundum;* hoc est, Cum esset subtilis vt lux propter diuinitatem, pudore est affectus propterea quòd venerit in mundum. Hic est Sol de quo etiam dicit Propheticè; ORITVR *Sol;* hoc est, tendit ad inferos, & rursus venit in suum locum. Christus enim cùm inferos subijsset & resurrexisset, redijt ad Patrem: quomodò etiam dicebat: Ego *exij ex Patre,* tanquam Deus; *& vado ad Patrem* meũ tanquam Deus & Adam. Porrò autem ipsum quoque nomen Solis, quod Græcè est ἥλιος, cùm sit dictio Hebraica; interpretatur, *Deus:* Quãobrem Christus ex Cruce exclamauit, *Heli Heli;* quod interpretatur Euangelista dicit; *hoc est, Deus meus Deus meus,* erat enim Sol typus Christi. Vnde si ex homine recedat caloris operatio, statim etiam vita ab eo separatur & ad mortem transmittitur, nos docente exemplo quòd ipsa Christi virtus omnia viuificat, & qui ab ea separatur non habet vitam æternam sed est mortuus peccato. Qui itaque sunt scrutati rationes naturæ creaturarum, dixerunt esse ineffabilem & incomprehensibilem contemperationem & compositionem naturæ Solis, vt qui sit typus ac figura ineffabilis vnionis singularis Christi hypostasis, ex quibus est etiam diuinus Basilius. Nam si Sol est lumen simplex, quomodo admirabiliter & supernaturaliter calefacit terram? Sed si est ignis incontemperatus & incommistus, quomodo arbores non comburit & herbam? Multa Christi exempla & præcedentes figuras habet Sol. Ignis enim nescimus quemadmodum ex ipso exeat accendatúrque & extinctus vadat: aut quomodò absque vllo ligno, aut cera, aut aliquo alio huiusmodi crasso corpore nemo potest ignem per se & nudum aspicere, aut tenere super terram, nos docente exemplo quòd nemo vidit nudam Christi diuinitatem aut contrectauit donec carnem acceperit. Rursus ignis est intra omnem creaturam, & in lignis, & in lapidibus, & in aquis, & nemo videt nec comprehendit quemadmodum in ipsis habitet; quomodò quod est vbique & omnia implet Verbum Dei, de quo dicit Scriptura: *Deus noster, ignis consumens est.* Rursus autem inuenimus Lunæ & stellis lumen suppeditari à Sole, vt docent qui maximè sunt in externa versati philosophia; re nobis significante quòd à Christo qui cadit sub intelligentiam, illustratur Ecclesia & Sanctorum luminaria. Ipse enim est lux, de qua dicunt Ecclesia & iusti. EX EIVS ignis *plenitudine nos omnes accepimus.* Quibus etiam dicit ex aduerso, *Vos estis lux mundi.* De quibus rursus dixit typicè: FIANT *luminaria in firmamento cœli,* quòd ascendit à terra vt appareret supra terram. Vnde etiam discimus admirabiliter & præter omnium opinionem, quòd hæc omnia priùs in terra facta sunt deinde cœlo sunt tradita; tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio & aduentu, & deinde post compositionem & constructionem ad cœlum & ad intelligentia quæ sunt in cœlo

Adam interpretatur candens & sanguinolentus.
Cant. 5.
Malach. 4.
Ioan. 12.
Eccl. 1.
Sol reuertens ad locũ suũ, significat Christũ, surrexisse & rediisse ad Patrem.
Ioan. 16.
ἥλιος dictio Hebraica.
Sol typus Christi.
Caloris operatio recedens vitam adimit Christi separatio adimit vitam æternam.
Solis natura est incomprehensibilis.
Sol habet multa exempla & figuras Christi.
Deut. 4.
Ecclesia illustratur a Christo, sicut Luna a Sole.
Ioan. 1.
Mat. 5.
Terra prius quam cœlum, ditata fuit Christo mysterio.

Luminaria trãsmittat in eius adsumptione. Ego quidem [A] certè audio Paulum dicentem, vel potiùs in eo habitantem sanctum Spiritum proclamantem, OMNIA in Christi typum *facta sunt, tam quæ sunt in cœlis quàm quæ* fiunt *super terram.* Vidi Solem super terram constructum & ex duabus rebus compositum; nempe qui priùs constet ex luce, & ex igne posteà: Deinde post eiusmodi compositionem & in hypostasi vnionem, in cœlum è terra sublatum & restitutum; nihil aliud aspicio quàm Christum Dei filium cum carne in cœlos assumptum. Hic enim est Sol de quo scriptum est: IN COELO *posuit tabernaculum suum;* hoc est, Verbi diuinitati vnijt suam carnem. ET IPSE *tanquam sponsus,* Datus est enim ad nuptias humanæ naturæ à Patre qui eum genuit. Cum incorrupta autem eius sponsa, nempe carne, *procedens ex thalamo suo;* Matre scilicet; *exultabit tanquam Gigas ad currendam viam* [B] in cœlos. *A summo cœlo* facta est *egressio eius* qui ad nos erat egressus; *Et nunc occursus eius vsque ad summum* cœlum recurrentis ad Patrem. Per hoc ergo exemplum discamus Propheticè, Solem, nempe Christum, in cœlo currentem; quem etiam præsignificauit Elias currens per æthera. Stellas autem desuper ex Firmamento, dico sanctos Angelos in eum intuẽtes, sursum ad ipsum recurrentes, & omnes citò ad eum occurrentes & adorantes, chorósq; ducentes & dicentes supremis eorum Principibus; ATTOLLITE *portas principes vestras,* & viam munite ei *qui ascendit super occasum* nunc in cœlum cœli ad ortum Solis: Nunc enim ascendit à terra super Cherubim, & extensus est ad cœlos. Extensus est autem habens duas alas; vt qui sit simul Deus & homo, *super pennas ventorum* [C] Spirituum incorporeorum qui sex habent alas. Et *posuit tenebras latibulum suum,* vt qui sit ineffabilis, inenarrabilis, & qui intelligentia non potest comprehendi, geminæ scilicet naturæ. Hoc enim significant tenebræ; vt qui, quomodò, neminem docuerit etiamsi in hac specie obscuræ & ineffabilis ineffabilitatis ingrediatur & subeat sinûs Patris; circum se habens (vt qui sit Deus & Verbum) tabernaculum sui corporis in quo habitauit citra vllam circumscriptionem, eo non deposito (& si à nobis abscesserit) vt nonnulli de eo malè disceptàrunt: Sed tanquàm in tabernaculo lucidissimo, libero à naturalibus obscuritatibus & affectionibus, in eo habitat etiam post suum à nobis discessum, & est aqua obscura, sed in nubibus aëris. Aquam autem hîc dicit humanam [D] naturam, conuenienter ei quod scriptum; MARE *magnum & spaciosum,* nempe humana natura quæ est & lata & abundans multitudine, de qua dictum est; *Crescite & multiplicamini, & implete terram* in qua sunt reptilia quorum non est numerus, nempe gentes quæ ambulant super pectus & ventrem, vt quæ iræ seruiant & voluptati, propterea quòd sanguine delectentur & ingluuie. Et rursus vt dicit alius Propheta; *Egredietur aqua ex Sion, & dimidium eius in Mare primum, & dimidium eius in Mare vltimum;* nempe Iudæos qui priùs sunt vocati, & Gentiles qui posteà. *Num enim,* inquit Apostolus, *Iudæorum solùm est Deus? Certè & gentium.* Est enim (inquit) aqua obscura, nempe non illuminata ad cognoscendũ, & non didiscit quomodò sit Deus, & nunc est cum corpore, de eo au[E]tem planè est secura; quomodò etiam se habent nubes aeriæ, nempe sublime volãtes & cœlestes Angeli: Neq; enim illis ex mysterio reuelatũ est quomodò; propterea quòd ab eius splendore nubes ipsæ transierunt, sed etiam prætererunt & fugerunt, & retrocesserunt: est enim eis celatum nec possunt scire quemadmodum sint in vnum duæ Naturæ. Deinde subiungit etiam causam ignorationis. QVONIAM *est,* inquit, *Mare* & carbones ignis, nempe Christi humanitas: est enim caro & non caro, ne intelligas hoc corpus esse aliquid alterum: Grãdo enim est aqua & non aqua. Aqua, vt quæ facta sit ex illa: Non aqua, vt quæ concreuerit. Vt autem discas carnis Verbi diuersitatem & non diuersitatem: Est, inquit, carbo ignis, exempta scilicet ex diuinitate tanquam ex comprehensione. Carbo enim, lignum & non lignum, est exemptus

Id quidem quod sequitur non habet Apostolus, sed illud tantùm, Omnis creaturæ primogenitum esse Christũ quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, & ipse est ante omnes & omnia in ipso constant.
Col. 1.
Psal. 18.
4. Reg. 2. a.
Psal. 23.
Psal. 67. a
Psal. 17. a
Psal. 17. b
Aqua, humana natura dicitur.
Psal. 103.
Gen. 1.
Zach. 14.
Rom. 3.
Cautè lege, nam sinon Angelis incarnationis arcanum, quàm nõ omnes eius rationes, & circumstãtias. Vide sequẽti col. 189. d.
Christi humanitas est caro & non caro, vt grãdo est aqua & non aqua. Carbo est lignum & non lignum.

exemptus ab igne qui est in eo contentus. Ignitum enim dicit carbonem, hoc quod carbonem efficit quod sursum fertur & est subtile; id autem quod fit carbo, id quod est infrà & est crassum. Diuinitas enim est ex ijs quæ sunt suprà, humanitas autem ex ijs quæ sunt infrà, etiamsi se attingant. Et ideo Gregorius in Theologia celeberrimus non veretur dicere carnem Domini ὁμόθεον, id est simul Deum. Si quid autem mysterij cognouimus, id non est ex domo nostra nec ex nobis, sed ex cœlis nobis est reuelatum. Subiungit enim; ET TONAVIT *è cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Quando autem? Quando linguas igneas cum tonitru emisit. Quarum linguarum fulgorem, Sol quoque qui quarto die factus est, præsignificauit. De hoc autem die quarto, inquam, & primo perfecto in quo ortus est Sol iustitiæ, & stellæ, & Luna; videtur Deus dicere fortissimo viro Iobo; QVANDO *facta sunt astra, laudârunt me voce magna omnes Angeli mei & hymnis celebrarunt.* Et quamobrem? quoniam facta sunt astra? Non certè propterea: Sed cùm vidissent Solem è terra recurrentem, in mysterio didicerunt quæ extremis temporibus futura erat Christi incarnationem, & è terra assumptionem. Et ideò cùm vidissent eum ex sancta Virgine tanquàm ex abysso exortum, statim exclamarunt dicentes; GLORIA *in excelsis Deo, & in terra pax.* Cum quibus, stella quæ deduxit Magos eis persuasit vt clamarent, IN *hominibus bona voluntas.* Sic à me intelligitur Solis super terram compositio, & à terra ad cœlos adsumptio. Mihi autem venit in mentem, vt cogitem quid erat quod prohiberet quò minùs Opifex vbi desuper fixit Firmamentum, in ipso & cum ipso faceret Solem & Lunam: Quanam autem de causa non fecit hæc duo luminaria vnius etiam operationis formæque & speciei; sed Solem quidem fecit etiam vrentem & illuminãtem; Lunam autem, & ipsam etiam illuminantem & humectantem? Num omnino in typum Christi & Ecclesiæ? Nam iustos quidem hic Sol illuminat; eos autem qui vstulatione opus habent & peccatorum purgatione, vrit. Dicebat itaque, IGNEM *veni mittere in terram.* Luna autem, nempe Ecclesia; illuminat prædicans Trinitatem; humectat autem, præbens Baptismum. Nonnulli dicunt Lunam esse figuram Scripturæ Legis & cultus qui est in synagoga, qui quotidie multos suscipit diuini luminis defectus & diminutiones. Nos autẽ audientes quòd Sol cõstructus sit primus, & postea Luna; nos eam existimamus magis esse typum Christi Ecclesiæ, vt coniugem Christi: hoc enim docemur per res ipsas. Die enim in quo fuit quartadecima Luna in principio, eo die iussus est Israël imprimis sacrificare Pascha in typum Christi: Vnde etiam huc vsque eundem quartumdecimum diem seruãt Iudæi, nescientes quid seruent. Si ergo agnus Christum præfigurabat, est perspicuum quòd Lunæ quoque dies qui est plenæ Lunæ, significat plenitudinem Ecclesiæ propter quam Christus est sacrificatus. Etenim ipsum eius nomen significat gratiam, nempe baptismatis regenerationem. Σελήνη enim, id est Luna, interpretatur σέλας νηπίων, id est fulgor infantium, & omnium qui generantur, vtpotè quòd ab vtero alia sit piscîna: σέλας enim est lux. Aut rursus Lunæ fulgor est puerascens, propterea quòd perpetuò generetur & regeneretur. Quæ quidem est perpetua regeneratio lucis baptismatis. Et ideo triginta dies consistit Luna constans ex tribus perfectis numeris nempe denarijs, in typum ac figurã trium perfectarum & quibus nihil deficit, hypostaseôn sanctæ & eiusdem simul essentię Trinitatis in quam credimus in baptismate. Propterea omnium quoque creator Iesus qui est vnus ex Trinitate, baptismo tinctus est triginta annos natus: quoniam illic erat Mundo manifestandum mysterium Trinitatis. Dauid quoq; qui secundùm carnem erat figura & pater Christi, triginta annos natus factus est Rex, & tanquàm baptismo aliquo typico mysterio priùs est vnctus. Quomodò etiam Ioseph alius Christi typus, triginta annos natus in Ægypto est dominatus.

Caro Christi est ὁμόθεος id est, simul Deus.

Act. 2. a

Iob 38.

Angeli cantè lege, & regreditor ad notã marginis, col. 19. b.

Luc. 2.

Ecclesiæ typus est Luna.

Luc. 12.

Nam Christus quoq; triginta argenteis venditus agrum totius Mundi Figuli (nempe Dei creatoris) redemit & liberauit per fidem in Trinitate suæ coniugis Lunæ, nempe Ecclesiæ. Quam olim quoque apertè præfigurabat & citra vllam dubitationem, Arca Noë, quæ constructa erat trecentorum cubitorum longitudine, & triginta cubitorum altitudine, in typum excelsę Trinitatis quam Christus nobis reuelauit qui est vnus ex Trinitate, Sol iustitiæ; qui in se ostendit tres exaltationes. Primùm quidem exaltatus fuit in Cruce. Vnde tunc Sol tanquam verus Christi typus simul cum Christo (eius miserens) est passus, & cùm defecisset impolluta eius anima ex proprio corpore, simul etiam defecit Sol ex cœlesti suo corpore Firmamenti & cùm Christus subijsset inferos, simul etiam cum eo Sol subijt nocte aduentante. Vnde etiam Christo exoriente & surgente à mortuis mane vna sabbatorum, vnà cum eo oritur etiam Sol à terra, faciens diem. Hæc enim secunda Christi exaltatio, quam apertè præsignificabat Sol hoc quarto die creationis à terra ascendens in altum. Animaduerte etiam quòd Christus quoque quarta decade (hoc est quadragesimo die) fecit in cœlum assumptionem, ascendens in supernam Ierusalem. Cuius ingressus, vera & certa erat figura etiam eius in Bethleem postquàm natus esset quadragesimo die ingressus & aduentus in terrenam Ierusalem. Aduerte autẽ prudentissime, te rogo, num hoc quoque iam olim typicè priùs descripsit lex Dei, dicens quadragesimo die expurgari mulierem à sordibus immunditiæ suæ, & templum Domini ingredi; quoniam qui quarto numero quartæ Legis (vt superius dictum est) quarti diei numeri quadragesimi, expurgauit à fluxu immunditiæ sanguinum idolicorum humanam naturam, quæ aliquãdo malè laborabat profluuio sanguinis: eam cùm mundasset & incorruptioni & interitui obnoxiam reddidisset, in baptismo priùs ablutam, rursum in Sancta sanctorum tanquam magnus Pontifex ingressus Christus, Patri pro nostra salute obtulit. Vnde etiam die quadragesimo cùm ieiunasset, post sui baptismi pro nobis regenerationem, tentatus in aliquando deserta gentium Ecclesia diabolũ aboleuit & ociosum reddidit. Si ergo in generatione ex Virgine & in baptismi regeneratione, & rursus in eius incorruptionis formatione à mortuis, Christus seruauit numerum dierũ quadraginta; exactè discamus & persuasum habeamus quòd omnis quadragenarius numerus in Scriptura præfigurabat Christi mysterium, nempe in carne eius dispensationem quæ post rationem ternariam, tanquàm dies aliquis quartæ illuminationis Mundo apparuit. Itaque propterea ira Dei die quadragesimo compescuit minas ex alto aqua obruendi in diluuio, Mundo annuncians beneficium suæ in homines benignitatis. Similiter Moses quoque Christum priùs describens, cùm tempore quadragesimo sceleratum illum occidisset in typum diaboli qui bellum gerebat cum homine Israëlita, eum infodit in arena abyssi. Deinde ipse ad quadraginta annos primum gregem rationis expertem, Iethro, pauit in typum Israëlis ratione carentis, & spatio quadraginta annorum, populum Dei qui dicitur (nempe nos) conseruauit in deserta Ecclesia. Quadraginta dies in monte Sinaï in Christi typum ieiunauit. Quadraginta annos Samuel filius mulieris quæ aliquando fuit sterilis, prophetauit. Salomon, qui Dei templum condidit in præfigurationem Christi Ecclesiæ, quadraginta annos regnauit super Israël. Hæc autem omnia nobis conferunt ad numerum quarti diei, in quo natus est & illuxit Christus qui fuit ante Solem, cum eius coniuge Luna (nempe Ecclesia) quando dixit Deus: FIANT *luminaria in Firmamento cæli, ad illuminationem super terram.* Conuenit autem eum qui desiderio & amore diuino in verbi Dei dulcedine perfunditur, congruenter ei qui dicit; *Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo* quærere; quamobrem cùm Deus primo die fecisset lucem, non dixit; FIAT *lux vt luceat super terram;* maximè cùm illa lux sit mater

Tres Christi exaltationes.

Leuit. 12.

Matth. 4.

Quadragenarius numerus, præsignabat in Scriptura, Christi mysterium.

Gen. 8. b

Psal. 118.

Cur lucẽ cùm primo die fecisset Deus nõ dixit; Fiat lux.

& genitrix vniuersorum quæ ex ipsa illuxerunt eiusdem essentiæ in cœlo luminarium. Et dicamus quòd illa lux singularis & simplex, erat typus monarchiæ & Iudaïcæ fidei, eiúsque quæ fuit ante Legem & eius quæ post legem; quæ quidem non potuit illuminare vniuersam terram, propterea quod ea adhuc operta esset quando Deus illam ostendit lucem, aqua & tenebris erroris (quæ sunt terrestre operculum super cor hominum), donec Deus fecit duo luminaria quæ sunt magna, lucentia super terram. Dico autem aduentum increati Verbi Dei, & Lunam, nempe Ecclesiam ei desponsam; Et luminare magnum, nempe Christum Solem in principatus diei (hoc est, qui est exortus in principio prædicationis.) Et Lunam in principatus noctis: hoc est, quando nascentium infantium acceptura erat principatum quæ erat in ipsis incredulitas protinus oriri, facit suam illuminationem, quæ apud nos Luna est Ecclesia. Attende autem quemadmodum non dixerit, *in principatum*, sed, *in principatûs*. Multos enim habet principatûs Sol iustitiæ, multas potestates. Est enim *Princeps pacis*, est Princeps aut Dominus Potestatum, est rex regum, est Princeps & Dominus dominantium, Est rex gloriæ. Vnum habuit principatum; lumen quod *illuminat omnem hominem ante aduentum super terram:* Ante sæcula, hoc est cum eo est sine principio. Ita enim intelligimus illud; IN *principio erat Verbum*; in Patre. Non enim in principio sæculi, sed *in Principio* Genitore *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Quando autem apparuit & exortus est principatus diei sui aduentus, multos habuit principatûs. Nam postquàm imperauit Cœlestibus, imperauit etiam Terrestribus, accipiens infirma in suam hæreditatem, & possessionem suam fines terræ; & Dominans à mari ad mare, fuit dux salutis nostræ, & fuit principium baptismatis, & principium incorruptionis ex mortuis, & principium vt Deus habitet in homine: Sic enim intelleximus Christum *primogenitum in multis fratribus* nostris, in quibus Deus per ipsum inhabitauit. Habet alium quoque principatum seu principium hic cœlestis Sol Christus. Ipse enim primus incœpit, & viam nobis ad Patrem muniit ac parauit sublato sursum homine. Per hos ergo & eiusmodi principatûs seu principia, intellige magnum esse luminare in principatûs seu principia diei qui illuminatur à Sole qui cadit sub intelligentiam; per duodecim horas, nempe Discipulos & Apostolos: Luminare autem minus in principatûs seu principia noctis. Mihi videtur, quòd & verbis & rebus & figuris aptum & accommodatum est exemplum Solis & Lunæ ad Christum & Ecclesiam. Nam cùm fecisset Deus hæc duo luminaria; magnum (nempe Solem) statim fixit ad ortum Firmamenti; Lunam autem ad occasum, nos docente hoc exemplo, quòd in principio aduentus Christi, ipso Christo splendente in carne super terram, Christi non splendebat Ecclesia: Adhuc enim stabat in occasu peccati. Cùm autem Christus occidens, in cœlis accessisset ad Patrem; tunc orta est Luna, tunc suam ostendit operationem, tunc dominata est tenebris noctis, tunc illuminauit eos qui erant in tenebris, tunc principatus & potestates, & principes tenebrarũ huius sæculi conculcauit, imperans & dominans, & subijciens omnem obscuram ac tenebrosam diabolicæ operationis fraudem & potestatem: Et ideo dicitur facta esse à Deo in principatûs seu principia noctis, Vt quæ post occasum Solis, nempe Christi, ab ipso illuminetur inaspectabiliter; quomodò etiam Luna à Sole. Vnde tanquàm Luna quædam per auersionem & priuationem seu Lucis defectum, obscuros hæresum defectus & afflictiones inimicorum subit Ecclesia, animi deliquium ferè patiens & tanquàm deficiens, citò autem iterum refulgẽs aut lucem propriam recipiens. Hæc nos apertè docet Abacuc Propheta dicens de Sole & Luna; IN *altum elatus est Sol*; hoc est, Christus ascendit in cœlos; & tunc *Luna stetit in ordine suo*, nempe Ecclesia in valido suo statu, in pulchritudine sua

Lux prima & singularis erat typus Iudaicæ fidei.

Sol & Luna sunt figuræ Christi & ecclesiæ.

Christus multos habet principatus. Is. 9. b

Rom. 8. f
ἀρχὴ & principatum significat.

Vt Luna post Solis occasum, ita post Christi recessum orta est Ecclesia.

Editio vulgata, locum hunc sic legit,

A in decore suo, in illuminatione sua, in cursu suo. Rectè autem dixit, *in ordine suo*; Priùs enim erat inordinata & incomposita, vt quæ esset dedita idololatriæ. Est autem etiam quædam alia admirabilis oratio de Sole & Luna, ostendens mysterium Christi & Ecclesiæ. Dicunt enim qui res Solis & Lunæ diligenter inuenerunt, quòd ab his duobus luminaribus administratur & gubernatur ac dependet vniuersa quæ est sub cœlis creatura, tam animatorum quam inanimorum corporum; Sole quidem dominante Æstati, vt qui sit elementum siccum, in typum Christi qui in fine messis consummationis est exsiccaturus eos qui sunt sub peccato, fluuio igneo qui trahitur ex eorum baptismate; Vnde etiam Sol exsiccat & calefacit creaturas. Luna verò habente gubernationem & administrationem auctoritatis Aquæ, & Spiritus sancti, qui à Christo Ecclesiæ tanquàm Lunæ donatus est & creditus quæ Lunæ data est tanquàm Christus, & credita ad potestatem & gubernationem, vt nos per ipsam generemur & regeneremur, donec promota sit & prætererit nox huius sæculi, & rursus exortus fuerit Christus Sol iustitiæ. Quòd autem Luna à Deo acceperit aquæ potestatem & gubernationem, spiritúsque in vniuersa aqua & mari & multis corporibus; & ipsi quidem huius rei plurimam habemus experientiam, & testantur omnes qui in Mare descendunt in nauibus quòd crescente corpore Lunæ simul etiam crescunt & multiplicantur aquæ, ea autem decrescente rursus cum ea desinunt & decrescunt. Dicunt autem Ibim quoque quæ est animal simile Lunæ æthereæ (vt quæ in extremis quidem albescat in medio autem sit atra & caliginosa) ne ipsam quidem videre quando cœlum fuerit sine Luna: eam autem eo tempore clausis esse oculis, & manere cibi expertem. Simia autem manifestiores habet operationes. Nam quando crescit Luna, ei dilatatur orbis oculorum; quando autem decrescit, ei contrahitur oculorum circumferentia. Dicunt autem in flumine Hystaspe nasci lapidem qui dicitur Lychnis, qui quidem cùm crescit Luna sonum reddit modulatum. In fluuio quoq; Galliæ dicũt degere Piscem, qui ab incolis dicitur Clopias; qui quidem Luna crescente albescit, decrescente autem nigrescit. Cùm ergo & corpora mutentur, & aquæ crescant & decrescant in Lunæ mutationibus; hæc mihi transferas ad seriem allegoriæ, & videbis omnia omni ex parte congruere. Nam cum crescit & promouetur Ecclesia, simul etiam crescunt cœtus populorum fidelium: Decrescente autem & persecutionibus appetito corpore & lumine fidei Ecclesiasticæ ab Infidelibus, decrescunt & diminuuntur etiam conuentus populorum fidelium. Similiter spiritus quoque cui est innatum vt sit super aquam, in cursu ortúque & occasu Lunæ eiúsque incremento & defectu procedit & recedit, & multiplicatur ac decrescit. Itaque qui nauigant, diligentissimè obseruant & considerant aspectum Lunæ, & figuram, ac lucem, & quatuor eius conuersiones; ortum, inquam, & septimum, & decimumquintum, & vicesimumprimum: In ijs enim efficit ventorum mutationes. Etenim sunt & quatuor fines quatuor ventorum Ecclesiæ dominantis & transeuntis. Ideo quatuor subit mutationes, quæ à Deo est Luna, typicè. Nam quando venit ad ortum, Spiritus sanctus eam statim inspirat, nostrum Mare fluctibus non agitans & excitans, sed tranquillum potius reddens, & vt secundo vento nauigemus nos prouocans. In septimo autem die nascentium infantium, inspirat ventum qui persequitur Spiritûs nequitiæ, eosque in vestibulis catechesi initiat & insufflat ventum qui expellat dæmones qui inhabitant in generatione peccati. Quando autem creuit, spirant in medium eius & eius alumnorum qui abrupti sunt à sua integritate, & dilexerunt decrementum eius luminum, spiritus hæresum, quo tempore incipit etiam decrescere. In perfecta autem eius contractione & defectu, quando est Vniuersitas ventura in iudicium, tunc

B C D E (section letters in the column margin)

Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, &c. Abac. 3. c

Ecclesia habet administratiõe auctoritatis Spiritus sancti & aquæ.

Æstus maris.

Ibis nõ videt quãdo cœlum est sine Luna nec eo tẽpore comedit.

Simiæ crescẽte & decrescente Luna, dilatatur & minuitur orbis oculorum.

Lychnis Lapillus crescẽte Luna edit sonum modulatum.

Clopias piscis.

tunc spirabit exitialis spiritus; non ab ipsa autem, aut per ipsam, labefactans si fieri possit etiam ipsos Electos. A
Sic Luna figurat Ecclesiam: Vnde etiam lux noua dicitur ortus Lunæ, propter regenerationem eorum qui recens illuminantur, quæ perpetuò generatur & regeneratur sicut Luna, vsque ad consummationem Sæculi. Sitit autem omnino & auet prudens auditor rursus discere de duabus Solis potestatibus; nempe de calido & sicco, & quemadmodùm ea referantur ad Christum. Calidum autem & siccum elementum est ignis, sic terra est etiam sicca & frigida; Nam ea quoque est inijcienda propter id quod est dicendum. Quicumque ergo perfectum Deum & perfectum hominem Christum esse credimus, ignem quidem esse intelligimus eius diuinitatem; *Deus enim noster est ignis consumens.* Terram autem rursus, terra genitam carnis eius humanitatem: Quarum quidem duarum essentiarum & elementorum typus erat verus & accuratus, primi Adæ constructio. Ex his enim duobus factus est Adam; nempe & diuini ignis inspiratione, & ex sicca & è terra genita limi concretione. Si ergo rem subtiliter ostendit oratio; in duobus Luminaribus sunt, cognoscunturque & administrantur quatuor elementa ex quibus constat Mundus. Duo autem luminaria, Sol & Luna, citra vllam controuersiam priùs describunt Christum & Ecclesiam. Discat ergo omnis homo, quòd in his aquis & per hæc duo cœlestia luminaria (dico autem Christum & Ecclesiam) consistunt, administrantur, & conseruantur tam quæ sunt in cœlis quàm quæ sunt in terra; & tam ea quæ sub aspectum cadunt, quàm quæ non cadunt; & tam animata quàm inanima, & tam immobilia quàm immobilia & ex quatuor elementis compositæ sex dierum creaturæ.

Deut. 4. Hebr. 12. — *Adam typus Christi.*

Et quomodò per virum & mulierem nascitur vnum corpus, ita indiscriminatim per hæc duo luminaria, natum est corpus populi Fidelis, Ecclesiæ: & ita apertè impletur illud; *Erunt duo in carnem vnam:* & quod omnis caro constat ex quatuor elemetis Solis & Lunæ. Quamobrem ei qui prudenter attendit illi figuræ quæ primariè refertur ad Christum & Ecclesiam; Adami, inquam, & Euæ; Sol & Luna sunt præcedentia ænigmata: qui duo constituunt & producunt ex duobus & duobus elementis vnam indiuiduam hominis carnem; tanquàm semen hominis, Sole præbente suam lucem in vtero piscinæ, suæ coniugi, nempe Lunæ quæ est Ecclesia. Omnes quidem certè res ostendunt magnam æqualitatem & similitudinem Solis & Lunæ, ad Adamum & Euam: Ignem autem & terram, hoc est, Deum & hominem, paulò ante dicebamus Christum quem Sol describit; vt qui ignis, calidum; & terræ, siccum habeat elementum. Similiter etiam Eua interpretatur vita: Vita autem est etiam Ecclesia, exhibens perpetuam baptismatis regenerationem, & vitam quæ est per aquam & spiritum: cuius Luna est causa, describens gratiam baptismatis. Eius autè quod dico de ea vita & generatione & regeneratione per aquam & spiritum, ipse Deus Verbum fidè facit dicens; *Nisi quis fuerit regeneratus per aquam & spiritum, nō intrabit in regnum cœlorum.* Eclipsis certè seu defectus Lunæ & quādo Luna est plena: Quando enim plenitudo gentium ingressa fuerit Ecclesiam; tunc subit cœlum, terram de cætero relinquens. Propterea simplicem quoque lucem habet Luna, non autem duplicem sicut Sol. Nam est Eua est genita ex vna costa hominis: Adam autem sicut Sol figura Christi, est duplex & compositus; nempe ex terra & diuina insufflatione quam Deus in Euam non insufflauit: quandoquidem non ex duabus essentijs, ex diuinitate (inquam) & humanitate, consistit plenitudo Ecclesiæ; sicut Christus; sed ex sola humanitate. Diuina enim illa & essentialis, Dei insufflatio quæ terram est ingressa, fuit verus Dei Verbi typus qui ex Patre processit, & terra natum hominem indiuiduè sibi coniunxit per hypostasim. Existimo autem, quòd, etiam extrà paradisum, fabricatum esse primum

Ex Christo & Ecclesia natum est corpus populi fidelis sicut nati sunt omnes homines ex Adā & Eua. Gen. 2 — *Solis & Lunæ similitudo ad Adamum & Euam.* — *Adā & Eua figura Christi & Ecclesiæ. Cur in Euam Deus non insufflarit. Dei insufflatio in Adam est typus Dei Verbi, quo ex Patre processit. Sol factus est super terram, sicut Adam.*

parētem Adamum & deinde positum fuisse in paradiso appositè admodum conuenit dici de Sole sensili; quoniam ipse quoque Adam sicut dicit Scriptura, & sic positus est cœlo. Vnde etiam in luminaribus scriptum est; *Posuit*, quomodò etiam in homine: *Et accepit*, inquit, *Deus hominem quem finxit, & posuit eum in Paradiso*, principem eum constituens & Euam, omnium animantium; sicut etiam duo luminaria vt imperarent diei & nocti, & vt dominatum haberent in omnia animantia, per quatuor elementa quæ sunt in ipsa, ex quibus & per quæ consistit omnis natura corporum tam brutorum quàm volucrum. Quod si lucis defectum & diminutionem, & rursus renouationem, sicut in Luna, vis etiam videre in Eua, cogita Prophetam qui dicit Deo; Lumen *sunt præcepta tua super terram;* Quorum etiam defectum sustinuit Eua per inobedientiam. Adam enim *non fuit deceptus*, sicut dicit Apostolus; *Eua autem decepta*, cùm à tenebricosi & obscuri Serpentis dominatu oppressum esset & defecisset eius lumen. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera quæ ex ipsa processit; ex secūda (inquam) Eua Christus, tanquàm ex quapiam plena Luna, Maria, quæ nunquam minuta fuit aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nempe sua virginitate, quando ei acclamauit Angelus; Ave *gratia repleta*, propter Euam quæ est Luna, quæ fuit malè habita & vexata, & quæ ex suo defectu inobedientiam fugerat, & se absconderat & timuerat à ligno inobedientię & transgressionis: *Gratia*, inquam, *repleta* à Sole iustitiæ, nempe à Deo. Hæc breuiter à nobis dicta sufficiant de Sole & Luna in quarto die, quando dixit Deus; Fiant *luminaria in firmamento cœli ad illuminationem terræ*, vt separet in medio diei & medio noctis; & in medio lucis, & in medio tenebrarum. Hoc quoque considera, quòd conuenienter naturali creaturarum consequentiæ, magna luminaria ea nominat Moses: Et Solem quidem propriè nominat magnum; vt qui, à se, lumen, non aliunde habeat. Lunam autem non sic, vt quæ lucem habeat per participationem, non per essentiam; & illuminetur à Sole, eam cuius est particeps impertiēte. Vt autem paulo crassiùs rem dicam; dicitur esse duplex quæ propriè est in nobis vis rationis: Nempe & à qua ornamur & homines esse nognoscimur, discreti ab animātibus reliquis quæ viuunt citra rationem, quæ quidem distant ex diametro à ratione cuius sumus participes; Et id quod est in nobis expers rationis, vt quod aliquando pareat rationi, & est eius particeps, & ab eius vi illuminatur; Vt licet videre ex incontinenti continentem, & ex intemperanti temperantem, & ex audaci & timido eum qui magni animi armatur virtute. Quomodò ergo hoc in nobis dicitur particeps rationis & quod est propriè rationis particeps, & quod caret ratione parens rationi; ita propriè magna sunt luminaria, & Sol qui illuminat per essentiam, & Luna quæ dat lumen per illuminationem. Sed redeundum est ad seriem ab initio propositam, & dicendum quòd cum Deus iam à primo die fecisset lucem per se, separauit inter mediū lucis & inter medium noctis, & inter medium lucis & inter medium tenebrarum. Quomodò enim potuissent sub mensuram cadere præcedentes tres dies; aut quomodò potuisset fieri vespera, & fieri mane, nisi per separationem lucis & tenebrarum? Quamobrem per hæc luminaria, quædam alia spiritualia mysteria, docet nos Scriptura, rerum corporalium. Etenim illud, Sint *in signa & in tempora & in dies, & in annos;* non ea dicit Deus, volens Astrologiam docere homines; neque in Sole & Luna & astris habere spem gubernationis, vt desipientium Astrologorum videtur vanitati: sed per hæc quæ apparent luminaria & stellas, docemur signa spiritualia, & tempora, & annos, & ordines, & gubernationem, & mysteria admirabilia. De illis autem dico Stellis quæ illuminārunt & in viam deduxerunt super terram sanctorum Apostolorum & Prophetarum & Doctorum qui illuminantur à Sole iustitiæ, & dicunt; *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Gen. 2. 1. Tim. 2. — *Maria secunda Eua.* — *Luc. 1.* — *Sol propriè est luminare magnum, nō autem Luna.* — *Rationis vis duplex in nobis.* — *Sol illuminat per essentiam, Luna per illuminationem.* — *Astrologiam nō vult Deus docere homines.* — *Ioan. 1.*

Quid enim erat omnino opus stellis? Cur autem non facta est Luna perpetuò plena & noctem illuminabat? Quid autem etiam iuuatur creatura, quod attinet ad litteram, ex ortu & instauratione & defectu Lunæ? Quid autem lucri facit Ecclesia videns eam quæ dicitur Vrsa, quæ nunquàm occidit? Quid etiam Pleiadem vnanimiter ducentem chorum sex stellarum? Aliæ quoque sunt innumerabiles figuræ & nomina in astris firmamenti, ex quibus Ecclesia nihil docetur spirituale ex corporali eorum positura & motu. Si quis autē vim habet rectè cognoscendi ac dijudicandi, estque Legis diuinæ cognitor & lector, legat intrinsecùs & extrinsecùs diuinas Tabulas à Deo scriptas; vt quæ extrinsecùs quidem intelligantur secundùm litteram, intrinsecùs autem secundùm spiritum. Sunt autem duę quoque Tabulæ cœlorum, quæ intrinsecùs quidem ferunt ratione præditas stellas & Angelorum & Angelicorum mysteriorum ac rationum; extrinsecùs autem stellas quæ cadunt sub aspectum: & earum describentes enigmata per eas quæ sunt in ipsis figuras, locáque & cursus differentias, nos docentes differentias, & tempora, & loca, & mores, & cursus, & apparitiones Sanctorum qui illuxerunt in firmamento Fidei, qui ex alto nos illuminarunt. Propterea aliæ quidem ex stellis, nocte adhuc crescente (errore, inquam) exoriuntur: cuiusmodi fuerunt Abel, & Enoch, & Noë, & Abraham. Aliæ autem rursus in medio lucis & tenebrarum, quales nouimus eos qui fuerunt in Lege. Aliæ autem rursus procedente nocte & die appropinquante, qui sunt beati Prophetæ, & Baptista, & maximè qui erant propinqui splendori ortûs Domini. Quorum quidem Prophetarum vltimus & omnium clarissimus, tanquàm Lucifer matutinus, Solis (nempe Christi) præcursor Ioannes, dicens: Ecce *post me* oritur mundo Sol iustitiæ; Qui cùm esset exortus & egressus ex aquis Iordanis, diluculo ostendit duodecim domos Discipulorum, qui sunt stellæ quæ continent & dominantur omnibus stellis Firmamenti, nempe Ecclesiæ. Quòd si vis melius discere aliqua etiam nomina huius qui erat aliquando Zodiacus circulus Ecclesiæ, nempe duodecim stellarum Apostolicarum, considera Firmamenti duodecim appellationes. Hæ autem sunt; Virgo, Hesperus, Lyra, Gemini, Leo, Taurus, Aries, Sagitarius, Aquarius, Pisces, Scorpius, Cancer, & alia plurima. Sed ea quidem fabulosè & falsò sunt appellata; in firmamento autem Ecclesiæ spiritualiter & semper lucent. Habet enim Virginem stellam Ecclesia luminare, nempe sanctam Virginem, & eos *qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum*. Ex quibus fuerunt etiam quinque illæ Virgines, quæ media nocte tanquàm stellæ lumen lampadum accenderunt. Habet etiam Ecclesia Geminos stellam; Thomam, qui dicitur Geminus. Habet Leonem, nempe Lucam: Nam & Leo conspectus est in Seraphim, quandoquidem ad virum optimum scripsit Euangelium. Porro autem alios quoque habet Leones quos peperit Christus sicut catulus Leonis Iuda, qui quidem imperarunt & regnum obtinuerunt in feras aliquando beluas, nempe gentes. *Congregatio* enim horum *taurorum in iuuencis* Ecclesiarum. Sed & Marcum habet qui tanquàm *bos* apparuit in animali sex pennarum, quoniam à sacrificijs incœpit Euangelium. Habet & Arietes qui semē Verbi, gregi iaciunt; de quibus dictum est; *Afferte Domino filios arietum*. Habet Sagittarios, eos qui præsunt populo & clamant ad Dominum; *Qui docet manus meas ad bellum, & posuisti vt arcum æneum brachia mea*. Habet etiam stellas Pisces hoc firmamentum, quos piscati sunt Petrus & Iacobus & Ioannes, piscatores. Habet etiam Lyram, sapientissimum Paulum. Habet & Cancrum, rursus Petrum: duplici enim gressu in eo ambulauit Sol qui cadit sub intelligētiam; nempè antè & retro. Per ipsum enim fulgurauit, & in ijs qui erant antè; qui quidem erant ex Iudæis; & in ijs qui erant antè qui sumus nos: Ambos enim traxit Petrus; hos quidem signis, illos verò doctrinis. Habet etiam septem Planetas; nempe septem Diaconos, qui contrario ingressu ingrediuntur aliorum reuolutioni. Ij enim in cibando multitudinem quæ ab alijs docebatur, ne caderet propter necessitatem corporis, suffulciebant verbum quod dabatur ab alijs. Habet & Perseum stellam, quem voles ex Magis venientibus ex Perside in Bethleēm per stellam, ad Solem qui cadit sub intelligentiam & absconditur. Habet & Aquarios ad quos dictum est; *Flumj ex ventre eius fluent aquæ viuæ*. Habet etiam Hesperos qui exorti sunt circa horam vndecimam. Non solùm autem appellationes, sed etiam ipsæ figuræ & species stellarum nos reducunt ad spirituales notiones & contemplationes. Propterea ex ijs aliæ quidem lætæ sunt tanquàm subridentes, vt is qui dicit; Semper *gaudete in Domino, sine intermissione orate*; Aliæ verò mœstæ & tristes, vt ij qui audierūt eum qui dixit; *Beati qui lugent*. Aliæ rursus diem festum celebrantes, vt ij qui pro Christo sunt accensi, & dicunt; *Transiuimus per ignem & aquam*. Et aliæ acres, cursu contendentes, Vt ille qui ab Ierusalem transijt vsque ad Illyricum; & cùm illic cum suo cõiuge Petrò occidisset, in Occasu ambo Occidentem illuminant. Vnde videmus alias quidem ex stellis lucere ad Boream, alias verò ad Austrum, alias autem ad Vrsam; Et alias in locis diuersis oriri, quæ illuxerunt in toto orbe terrarum, significantes luminaria Ecclesiæ. Nam cur non in omni tempore æstiuæ; quæ quidem sunt ij qui rectè portārunt pondus & æstū afflictionum, & carnis ardorem forti quidem sunt beati Apostoli, & qui simul orti sunt cum ipsis Discipulis: Aliæ autem rursus ex stellis sunt lucent omnes stellæ: sed aliæ quidem oriuntur Verno tempore statim post Christi resurrectionem; quæ rer sustinuerunt, & mercedem expectārunt vt operarij messis Domini. Sunt etiam quædam stellæ hyemales; quæ quidem sunt Martyres qui illuxerunt in media hyeme idololatriæ. Quòd si etiam dicendum est de earum positura; ne ea quidem est impropria & sine mysterio. Nam aliæ quidem ex ijs ingrediuntur tanquàm solitarij Monachi; vt, qui ex numero duodenario proficiscuntur ad prædicationem, conuenienter ei qui dicit; *Singulariter ego donec transeam*; & vt ij qui soli vitam exercent monasticam in rupibus in quibus non sunt fontes, dicentes; *Singulariter in spe constituisti me*. Alij autem simul bini aut terni; vt, qui ex Septuaginta duobus proficiscebantur, aut etiam qui duo simul exercebantur ad certamina Ascetica seu Monastica cùm audijssent eum qui dicebat; *Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*. Aliæ ingrediuntur instar chori aut coronæ, cuiusmodi sunt qui dicunt; *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*. Et aliæ quidem perfectæ, quæ quidem sunt valde lucidæ, tenentes locum Doctorum & Pontificum qui dicunt; Ecce *ego & pueri quos dedit mihi Dominus*: cuiusmodi fuit Paulus, qui cùm supra omnes esset prima & maxima stella, habebat consequentes veluti quasdam breues, Timotheum & Silam & Barnabam & Lucam; qui, non multò post, ex discipulo, Magistro factus est confessor; &, si non falsum dixit qui dicit *sufficit Discipulo si sit sicut magister*, non fuit minor Paulo: Simul enim confidet cum Paulo. Aliæ autem rursus tenent figuram Crucis, ex quibus erat qui dicebat; *Qui suam carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Aliæ quoque geminæ incedunt & coniugatæ, ipsum tanquàm Christi iugum ferentes, & anima & corpore ipsum trahentes; tanquàm duo oculi lucentes. Vnde & mouentur & currunt stellæ tanquàm quædam animatæ imagines inanimorum luminarium magistrorum. Deducunt itaque non tantùm eas stellas quæ sunt super terram, quantùm eas quæ sunt in mari; imò magis; quandòquidem & stellæ ratione præditæ multò magis illuminant & conseruant in naui Ecclesiæ eos qui iactantur fluctibus maris affectuum & animi perturbationum; donec transeat nox vitæ, & oriatur rursus è cœlo Sol iustitiæ. Sic spiritualiter hoc modo astra consideret Ecclesia, ea quæ dicuntur de Sole, Luna, & stellis: Quomodò etiam

Marginal notes: *Ecclesia nihil discit spirituale ex corporali positura Stellarum.* — *Tabulæ à Deo scriptæ secundùm litteram & spiritum intelligendæ.* — *Patriarchæ & Prophetæ assimilantur stellis.* — Marc.1.a — *Astris Zodiaci assimilantur Sancti Dei.* — Matth.19.b — Ezech.1.b — Psal.67. — Ezech.1.b — Psal.28. — Psal.17. — Ioan.7. — 1. Thess.5. — Matth.5. — Psal.65. — *Paulus cum Petro Romæ mortuus, Occidentem illuminat.* — Psal.140. — Psal.4. — Marc.6.a — Luc.10.a — Matth.18. — Psal.132. — Esa.8. — Hebr.2.c — *Sanctus Paulus, stella maxima.* — Matth.10. — *Lucas nō minor Paulo.* — Gal.5. — *Nauis Ecclesiæ.*

etiam ille Diuinus qui *ad tertium vsque cælum* & ortus *est & raptus*, & didicit ferri vsque ad sanctos, tanquam A sapiens contemplator stellarum, harum stellarum Solisque & Lunæ rationem est interpretatus dicens de ijs qui suis temporibus illuxerunt; ALIA *est gloria Solis*, nempe Christi; & *alia gloria Lunæ*; hoc est, Ecclesiæ; *& alia gloria stellarum*, Sanctorum inquam: *Stella enim a stella in his differt in gloria.* Nam Petrus primam tenens Sedem, & ego, inquit Paulus, omnibus antecellimus maximo honore. De his enim stellis intelligamus, post sensiles, id quod à Deo dictum est; ET SINT *in signa & tempora & dies & annos*: Ita est enim, & facta est Ecclesia. Aliud enim fuit tempus Apostolorum, & aliud tempus Sanctorum qui afferebant, & aliud sanctorum Martyrum, & aliud tempus Doctorum. De his stellis Deo dicit etiam Dauid; QVI *numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* B Hoc est, ex ijs alios quidem vocat seruos, alios autem mercenarios, alios verò operarios, alios autem amicos, alios autem patres. Nam si de corporeis stellis hoc intellexeris, non inuenies qui eas fecit Deum vnicuique proprium imposuisse nomen, præter commune: Posteà enim hominum sapientia, aliam quidem vocauit Sagittarium, aliam verò Dociam, aliam autem Prestera, aliam Typhonem, aliam Lampadiam, aliam Pogoniam, & aliam aliter appellauit. De his stellis Ecclesiæ, intelliges & quod in octauo Psalmo dictum est ad Christum, LVNAM *& stellas quas tu fundasti.* Cur autem non dixit, *Et Solem?* Quoniam sicut priùs dixi, vera & certa Christi figura est Sol; Christus autem non fuit fundatus nec stetit in firmamento C cœli, sed suprà cœlos in throno Cherubico: Nam de ipso dictus est totus Psalmus; QVONIAM *eleuata est magnificentia tua super cælos, qui ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, & qui magnus Pontifex pertransijsti cœlos. Eum autem qui ad hanc vsque litteram, corporaliter intelligit rationem de cœlo & Sole & Luna & stellis; arguit ipsa Scriptura diuina eum non piè sacris incumbere Litteris. Dictum est enim in hymnis Dauid; *Laudate Dominum Sol & Luna: Laudate eum omnes stellæ & lumen, Laudate eum cæli cælorum quoniam ipse dixit & facta sunt, statuit ea in sæculum & in sæculum sæculi, Præceptum posuit & non præteribit.* Si ergo statuit Deus in sæculū sæculi vt essent Cœli & Sol & Luna & stellæ, quomodò rursus dicit Deus per eundem Prophetam; *Cæli peribunt, & tanquàm vestimentum veterascent, & sicut opertorium circumuoluentur?* D Et rursus dicit per aliū Prophetam; *Circumuoluetur cælum tanquàm Liber in consummatione sæculorum, & cæli tanquàm folia cadent.* Quamobrem ipse quoque earum creator Deus Verbum Iesus, quid dicit? *Cælum & terra trāsibunt*, tanquàm figuræ: firmum autem cœlum fidei non transibit; & cœlum quod cernitur, extinguetur tanquàm figura; Sol autem, nempe Christus quem Sol præfigurauit, is manet in sæculum sæculi. Similiter etiam typica Luna peribit: Vera autem Luna Ecclesiæ quam priùs prædicauit & annunciauit nocturna, non veterascet; Et sanctæ stellæ, nempe ratione præditi chori Sanctorum, æterni permanent; earum autem figuræ, nempe stellæ temporales, cadent tanquam folia, E quando *iusti fulgebunt vt Sol*; hoc est, Christus. Ipsum enim, vt sæpiùs ostendit oratio, præfigurat hic Sol; Luna autem, Ecclesiam. Quomodò enim ex duabus corporeis facultatibus constat externus homo noster; nempe ex Sole illuminante & sicco; & ex humido & illuminante, nempe Luna; ita etiam ex ijsdem duabus rebus spiritualibus regeneratur & formatur homo noster internus qui ex Luna quidē nempe Ecclesia, nascitur per aquam & spiritum. Audi & lauda quæ sunt in his ineffabilia & admirabilia. Quomodò Solis & Lunæ vnum quidem est inspectabile, alterum autem est eiusmodi vt cadat sub aspectum; apertè nobis clamant mysterium Christi & Ecclesiæ ijs qui id volunt intelligere spiritualiter. Nam alterum quidem est subtile in typum diuinitatis, alterum autem crassum ad imaginem humanitatis. Nam spiritus quidem latet in aqua, Sanguis autem inaspectabilis latet in corpore. Hæc & quæ sunt eiusmodi ne legeris conuenienter scientiæ Medicinæ, sed conuenienter spirituali; siquidem credis quòd Deus omnia fecit in sapientia. Cogita etiam non in hoc quarto die, & in mysterijs quæ in ipso facta sunt, de Sole, de Luna, & stellis, & Christi Ecclesia, & baptismate, & de omnibus cæteris sex dierum; quæ in quarto die Sæculi, hoc est in quarto millenario, a Deo per Mosem in Israel scripta fuit & præfigurata, & nobis reuelata & prædicta: quando maximè & typus baptismatis fuit in Iordane a Iesu Naue, eo illic baptizante absque madefactione Arcam, nempe Christi Ecclesiam, adhuc spirituali & diurno & suaue fluenti baptismo, vbi Iesus quoque Naue baptizatus fuit nocturno, marino, & falso Mosaico typico B baptismate; quod posteà fuit redditum spirituale diurnum & salutare, quando spiritus descendit in aquam, postquàm Dominus ex ea ascēdit. Neque enim purgatione opus habebat sanctissimus Dominus, vt priùs descendente Spiritu qui aquam sanctificaret, ipse baptismum susciperet, vt fit in nobis: Sed vt amborum baptismatum Iesus stans medius, aliquid quidem depressit, aliquid verò tradidit, primò protinùs exterminato cum primo populo; Hic est Iesus Naue, primarius Christi typus, qui stare fecit Solem in Gabaa, & Lunam in Pharanga, alterum ex aduerso alterius, quomodò fuit à principio. In quibus per duorum luminarium stationem & fixionem quæ erant in figuram, perierunt etiam hostes Ecclesiæ. Quomodò autem C quartum millenarium quarti diei Sæculi ostenderimus conuenire quarto diei sex dierum creationis; ita etiam ostendemus reliquos congruere eorum paris numeri millenarijs suo tempore, Deo dante nobis sermonem in apertione oris nostri. Quomodò autem etiam ex ipsis locis in quibus Iesus stare fecit Solem & Lunam, fidem habeat auditor describi & præfigurari statum & in altum sublationem Christi & Ecclesiæ; audi, quæso. Gabaon, est, sensim; Rama autem, lingua Hebraica exponitur, altitudo. Pharanga autem, sublimis, seu in altum elata; in altum elationem Christi & Ecclesiæ (duorum, inquam, luminarium) per duas appellationes loco significante in quarto millenario qui est medius dies Sæculi; quomodò etiam in initio creationis, quartus dies fuit medius septē dierum. Propterea in eo fuit D præfiguratus Sol iustitiæ, mediator Dei & hominum, & medius vt Dominus tam eorum quæ cadunt sub aspectum quàm eorum quæ non cadunt; & medius Patris & Spiritus Sancti, & intermedius lapis angularis duorum populorum. Qui etiam in Cruce fuit in altum sublatus in medio duorum latronum, & fecit salutem in medio terræ cùm esset medius dies. Ei sit gloria in sæcula sæculorum; Amen.

LIBER QVINTVS, DE QVINTO die Creationis sex dierum.

VIx tandem post multos verborum circuitûs, quartus dies nos ad quintum transmisit; in quo, à Deo, tanquam a petra aliqua E quatriduanę mortis, ad vitā procedit creatura; & vita in ipsa imprimis ostenditur, ex aqua & Spiritu principiū habens in Ecclesia, quam vniuersorum Opifex præsignificauit in quinto die dicens; EDVCANT AQVÆ *reptilia animarū viuentium, & volucres volantes super terram secundum firmamentum cæli, & factum est sic.* Si ex naturali rerum consequentia, terra ante aquas debet à Deo accipere procreationem pecorum, & quadrupedum, & reptilium quæ ex ea processerunt; vt quæ protinus facta sit secunda post cœlum, & in Scriptura nominetur & collocetur ante aquas: quomodò nunc aquæ primo loco ornantur? Videmus enim quòd in positura duorum luminarium, id quod in firmamento cœli est, primum à Deo est ordinatum; nempe Sol,

1.Cor.15.

Petrus tenens primā sedem.

Psal.146.

Psa. 8.

Christus est supra cælos in throno Cherubinico.

Cæli & stellæ non corporaliter sed spiritualiter intelligi debent.

Psal.150.

Psal.101.

Esa.34.

Matth.24.
Marc.13.d

Regeneratio hominis ex Sole & Luna.

Quartus dies præfigurauit quartum millenarium in quo fuit institutum baptismum.

Baptismatis typus in Iesu Naue.
Iosu.3.d

Cur Christus fuerit baptizatus.
Matth.4.

Sol quòd stare fecit Iosue, quid significet.

qui est sicci elementi; & terram quæ est coëlementaris constituit, eiusque est familiaris: & quomodò nunc rapuerunt aquæ primas partes & tanquàm primogenituram vitæ? Id ipsum dico de Luna quæ per aquam & spiritum, eorum quæ ab ipsa administrantur & consistunt, aliam ostendit gratiam cùm primogenitam vitam & spiritum vitæ peperisset & ostendisset, diuinè & sapienter omnia dispẽsauit & constituit in sapientia. Nam in cœlis quidem primas partes & primum locum Sol accepit, quoniam super omnem principatum & potestatem, Christus (qui est Sol qui percipitur intelligentia) est in cœlis; vt qui sit ostium & introducens ad Patrem. In terra autem vbi *humiliauit seipsum serui formam accipiens*, volũtariè dedit primas partes tanquàm proprio suo corpori, Ecclesiæ: Dico autem mysterio baptismatis. Quomodò enim in cœlis ostium nostrum & via ad Patrem est Christus; Ita etiam in terra, ostium nostrum & via ad Patrem est baptisma, ad Christum per Ecclesiam: & ea de causa ante omnia, vita & viuens anima ostenditur ex aqua & spiritu, & super terram manifestatur, dicente Deo; EDVCANT *aquæ reptilia animarum viuentium, & volucres volantes super terram, secundum firmamentum cœli.* Dicant mihi qui attendunt solam litteram Scripturæ, quam ob causam in aquis quidem dictum est pluraliter; EDVCANT *reptilia animarum viuentium*; in omnibus autem quæ ex terra processerũt sexto die, feris, reptilibus, iumentis, quadrupedibus, non pluraliter sed singulariter imperat Deus Verbum dicens; EDVCAT *terra animam viuentem?* Nec hoc solùm, sed illud quoque diligenter quærere est necessarium; Quamobrem quæ ex aquis quidem genita sunt omnia Deus benedixit, è terra autem genitos animantes, & quadrupedes, & pecora priuauit benedictione! Vnde aquæ quidem, vt quæ fuerint benedictæ, huc vsque & perpetuo pariũt sua sponte absque semine & cõiunctione, volucres ex quarum numero sunt Coturnices & Ortygometræ: Terra autem non vtique sine semine parit feram, aut pecudem, aut quadrupedem. Et rursus quæ ortum habent ex terra, versantur etiam perpetuò super terram; quæ autem nata sunt ex aquis, alia quidem dicuntur marina, alia autem (cùm recesserint) in altum sublata appellantur cœlestia: Hoc est, volucres cœli; quas etiam Deus cognoscit, sicut dicit per Prophetam, *Cognoui omnes volucres cœli.* Sed ne per frequẽtes & sibi inuicem succedentes dubitationes, in hæsitationem animique perplexitatem ac confusionem inducamus auditorem, iam de his à nobis tractabitur, quod breuiter aggredior, rerum historiam quæ est secundùm litteram minimè euertens: Pauca autem de quinto numero, sicut & de quarto, ex diuina Scriptura necesse est priùs dicere. Inuenimus ergo in quinto Centenario, nempè quingentesimo anno Noë, Arcæ iaci fundamenta, quæ quidem est verus ac certus typus Christi, in qua feræ omniũ gentium simul coactæ, à malo diluuio conseruati sumus per columbam, nempè per Spiritum. Vndè etiam confecta est Arcæ latitudo, quinquaginta cubitorum; vt quoniam à Mathematicis numerus quinarius & quinquagenarius iustus dicitur (Auferens enim quinarius, quatuor quæ sunt apud nouem, & coniungens cum vnitate ea deducit ad quinarium: & tria quæ sunt in octonario, & componens cum duobus, ea facit quinque, & duo quæ sunt in septenario, & ea coniugens cum ternario, facit quinque; Et vnum à senario, & coniungens cum quatuor, facit quinque. Similiter etiam quinquaginta facit aduersus eos qui ipsum præcedunt, & eos qui ipsum sequuntur. Eadem ratione Ecclesia quoque prædicat cum peccato diluuium quod Deum iustificat, & eius iustitiã quæ tollit è medio quæ contra nos sunt inimicitias. Noë quoque quingẽtis annis ædificat Arcam, quoniam cùm in quinquies millesimo anno venisset nouus Noë, incœpit construere Arcam Ecclesiæ. Non est autem alienum, cęterarum quoque Arcæ mẽsurarum meminisse. Triginta quidem cubitorũ erat Arcæ altitudo, & deinde redacta

Cur Sol primas partes accepit, deinde Terra.

Arca Noë, verus & certus Ecclesiæ Christi typus. Numerus quinarius & quinquagenarius dicitur iustus, à Mathematicis.

erat ad vnum cubitum; quoniam Ecclesia quoque prædicat tres Hypostases & naturã vnam vnius solius Dei: Latitudo autẽ quinquaginta cubitorum, quoniam illos valdè permixtos ferarum animantium & imperitarum gentium greges, ternariè multiplicibus centenarijs legem docuit Ecclesia & cõseruauit, naturali multifariam multísque modis attrahẽte scripta & mystica. Multa autem quinquagenarij numeri inuenimus symbola Ecclesiæ in diuinis Scripturis. Nam in quinquagesimo anno Deus pręcepit Israëli in genere perfectam & absolutam debitorum remissionem & condonationem, ac liberationem eorum qui erant super terram. Hæc enim dicit Deus in Leuitico. SANCTIFICATA *annum quinquaginta annorum, & proclamate remissionem super terram omnibus qui eam habitant, annum remissionis*; ea est eius significatio. Hebræi itaque numerum quinquagesimum vocant Iobelæum, quod quidem interpretatur, *misericordia* aut *condonatio.* Hoc enim modo Psalmus quoque condonationis & remissionis peccati Dauid, dicitur quinquagesimus: Est enim verisimile ante hunc numerum aut etiam post, scriptum esse hunc Psalmum remissionis. Hęc autem omnia sunt vera & certa præfiguratio illius quinti diei hebdomadis, in quo ascendit in cœlos & in altum est elatus Sol iustitiæ Christus: Et quinquagesimo die misit Spiritum; per aquam, inquam, & Spiritum suum largitus remissionẽ peccatorum, Et quinto die cœnam dedit mysticam, quæ soluit omnia peccata. Habes ergo apertam ostensionem cur quinto ex sex diebus, aquæ in quibus superferebatur Spiritus, viuas genuerunt animas; nobis præsignificantes regenerationem quæ fit per aquam & Spiritum. In altum enim in cœlis elatus Sol qui cadit sub intelligentiam (sicut Sol sensilis in Firmamento, desuper demisso in aquas suo radio) statim fecit regenerationem quæ est per aquam & Spiritum, congruenter et quod dictum est; ET MITTES *Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Per hunc ergo, & non per aliquem aliũ modum, ex aquis quidem genitas animas (nempè per baptismum regeneratas) benedixit Deus dicens; CRESCITE *& multiplicamini, & replete aquas.* Animantibus autem & iumentis & feris quæ viri sunt serpentibúsque & venenatis hominibus, qui sunt peregrini & alieni à regeneratione baptismi, nequaquã eam impertijt benedictionem; sed eos reliquit absque benedictione, tũc tanquàm medius stans Christus inter terrestria & marina animantia, & ad ea quæ sunt è terra genita oculos defigens, & dicens, NISI *quis fuerit generatus ex aqua & Spiritu*, qui fertur super aquam; *non intrabit in regnum cœlorum*; neque fiet per columbam, nempè per Spiritum, volucris cœli; neque *rapietur in nubibus obuiam* mihi *in aëra.* Si hæc autem non ita facta sunt & præfigurata; dic ô Moyses causam, & ob quod peccatum in Deum admissum, manserunt pecora & terræ animantia absque benedictione! Quomodò autem & reptilia quæ sunt rationis expertia & mente carentia, & pisces, & volucres potuerunt audire Dei vocem & benedictionẽ quæ dabatur? An non est manifestum quòd hæc prophetice prædicebantur de hominibus qui baptizantur in Christum? Ipsa autem series Scripturæ secundùm litteram, ostendit quòd de hominibus ratione præditis & animis immortalibus hęc à Deo iubebantur. Non enim dixit Deus; *producant aquæ Reptilia* corporum animatorum: Nam animal & corpus significant ipsam se mouentem & vitalem animam; sed, *animarum viuentium*, id est, non morientiũ. Atqui piscium & volucrum animæ, non sunt viuentes sed morientes; *Sanguis* enim, inquit, *est anima eius*. Anima autem viuens, sola est nostra quæ est ratione prædita. FACTVS *est* enim, inquit, *homo in animam viuentem*; quoniam futurum erat vt renasceremur per aquam & Spiritum. Omnem itaque orationem conuertit ad animas; & dicit, post baptismũ & quæ ex ipso existit gratiam & illuminationem, eos qui sunt baptizati effici animãtia non viuentia: Vt etiam, inquit, corpus cùm anima reuiuiscat. Sed animalia sola sunt

animarum

Leuit. 25.

Quinquagenarius numerus pro Ecclesiæ symbolo in Scriptura.

Iubilæus quid significet.

Quinquagesimus Psalmus est Psalmus remissionis.

Cœna mystica.

Baptismus significatur per aquas quæ quinto die viuas generauerunt animas.

Psal. 103.

Aquatilibus solis data est à Deo benedictio, vt significaretur benedictio Baptismi.

Ioan. 3.

Gen. 9.

Gen. 2.

animatum viuentium; de anima enim sola ab eo tempore post baptismum loquitur: Eam enim oportet viuere, & nō corpus cum ea; Corpori enim sunt inimicitiæ aduersus Deum. Reptilia ergo sint ijs qui baptizantur; tanquàm ad Dei obsonium electi pisces qui adducūtur ab ijs qui priùs erant piscatores, nunc autem Apostoli. Sed sint etiam volucres, ij qui sursum feruntur vt fiant obuiam Christo in aëra: Hæc autem erunt si ab aqua baptismatis educti fuerimus reptilia, sed animarum viuētium; sola anima, post baptisma, suscipiente studium ad meliora, & tali constituta qualis exiens ex aqua; & non exeant reptilia animarum viuentium, ne habeatur vlla cura corporis. Nam si dicatur animal, intelligitur quòd simul sint corpus & anima. Ea de causa ab initio, Spiritus ferebatur tanquàm anima viuens super aquam; aquā viuificans & mouens. Propereà diuina quoque Scriptura, hæc duo ponit simul congenita, tanquàm animā & corpus, aliquando quidem dicens: *Apud te*; nempè Spiritum, tanquàm Deum; *est fons vitæ*: Aliquando autem; *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Dominus quoque dicit; *Qui credit in me*, nempè totum Spiritum, si fuerit incrassatus; *sicut dicit Scriptura, flumina ex ventre eius fluent aquæ viuæ.* Similiter etiam dicit Samaritanæ, *Aquam ego ei dabo*, qui sum Spiritus tanquàm Deus, & eos qui me adorant, *in Spiritu & veritate oportet adorare, & fiet ei fons vitæ salientis in vitam æternam.* Prima ergo vita, viuentium ex aquis. Ex eis est cognitus primus aduentus Spiritus, nam super eas ferebatur. Prima resurrectio ex eis facta est per Ionam: In eis est abscūsa margarita paterni fulgoris. Per Iordanem facta est purgatio creaturæ; ex aquis facta est fructuum germinatio; ex aquis fuit Paradisi irrigatio. Ante omnia aquæ in principio acceperunt lucis illuminationem, vt quæ ferrentur super terram & eam alluerent ac tingerent, & propemodum prædicarent omnem humanam naturam quæ erat baptizanda. Quamobrem tertio die aqua ascēdit ex baptismo eiusmodi aquarum, vt quę in Trinitatem Patris & Filij & Spiritus sancti baptizata sit & crediderit. Quam quidem cùm Deus tanquàm ex aliqua aquarum piscina eduxisset, statim iubet ferre fructus; conuenienter Baptistæ Ioanni, qui ijs qui baptizabantur præcipiebat & dicebat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; ipse quoque dicens, *Germinet terra herbam fœni, & lignum fructiferum faciens fructum.* Existimo herbā, esse peccatores, ligna fructifera, iustos; nei voce nobis significante quòd post baptismum generabuntur quædam escæ pecorum & Dæmonum, & ignis materia ex socordia ac negligentia tanquàm fœno, non hoc Deo iubente, sed quod futurum erat præsignificante. Nonnulli autem tanquàm in nemoribus & hortis fructum ferentes, veluti in trium arborum ligno, subinclinatam habebunt Crucem quam complectantur, quæ germinauit ex tribus lignis; benè coloratum producentes fructū animæ sanctificationem, Christum inuocantem, qui in crucis ex tribus arboribus confectæ ligno recubuerat & obdormierat. Forte enim sicut tertio die, herbæ & arbores frugiferæ sunt typus peccatorum & iustorum; ita etiam in quinto die proposito, pisces quidem qui in aqua tinguntur & non suscipiunt autem nec spirant spiritum qui fertur super aquam, sunt peccatores qui etiam post baptismum in voluptatum profundo & fluctibus permanent, & peccati virus non deposuerunt, neque Solem iustitiæ aspexerunt, neque alas columbæ (nempè spiritus) acceperunt; & ideò non possunt euolare in cœlum, sed remanserunt reptilia, & non sunt effecti volucres sicut Iusti. Quorum quidem virulentorum & fœtidorum piscium rex est, magnum illud & malignum Cœtus, de quo Deus dicit Iobo; *Hic est rex omnium qui sunt in aquis.* Existimo ergo quòd hac de causa, in generatione quidem animantium ex terra, Deus dixit; *Producat terra animam viuentē*, Vna est enim & similis omnibus hominibus, è terra genita & carnalis generatio ex muliere: In aquis autem propter spiritualem, ex ipsis, baptismatis diuersam regenerationē, dicit, PRODVCANT, inquit, *aquæ Reptilia animarum viuētium.* Alia enim egreditur anima ex piscina, qui sincerè, ex animo & corde est baptizatus, & alia anima is qui cum dubitatione accessit ad gratiam; & alia anima is qui tentando accessit ad sacramentum, vt Simon Magus, de quo dictum est, *Baptizatus est* etiam *Simon* Magus, & ascendit qualis descendit; hoc est, non illuminatus. Aliter enim afficitur, in ijs dico qui baptizantur, cor gentilis & barbari, qui est omninò ignarus Christianismi & Scripturarum Dei; & alio animo accedit is qui est institutus & initiatus in cognitione & intelligentia, & tanquàm priùs illuminatus in Christi sacramento. Vnde rursus, eum baptismate; propheticis charismatibus, & linguis, & signis, & prænotionibus digni habiti sunt nonnulli ex ijs qui cognitione illuminati accedebant ad baptismum, statim effecti ab alijs diuersi & mutati. Nouam autem hāc baptizatorum ad ea quæ sunt meliora mutationem significans Sol iustitiæ, mutauit aquam Maris, eam intus & extrà salsam reddēs: quando quidem sal est Verbum Dei, tollens omne virus & omnem fœtorem expurgans & putrefactionem, corpora custodiens, cibis benefaciens, & panem cœlestem vniens: Vnde & Christus ijs exprobrat qui sal eiusmodi in se non habent & custodiunt. Est quædam admirabilis ratio in natura aquarum, valdè apposita & conueniens regenerationi baptismatis, quæ fit sine semine & corruptione. Nam vt dicunt qui norunt piscādi artem, habet quidem piscium natura masculinum & fœmininum sexum natantes, & inter se non coëunt; sed sine semine ex aqua & spiritu veluti pariunt; propriè & sine dubitatione, eo exemplo significante spiritualem & sine semine nostram ex aqua & spiritu generationem, de qua dictū est; *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Dicūt autem & Testudinem, quæ dicitur, & Murenam coïre, sed quod rarum est, non est lex Ecclesiæ. Sed quoniam vtraque hæc animalia marina & coeuntia, in terram ex aquis egrediuntur, vitam degūt ancipitem & non viuunt more natatilium animantium. Vnde ea quidem quæ dicitur Murena, è Mari egrediens coït, vt aiunt, cum Serpente marino. Etenim quicunque nolunt patrem habere Dominum, & matrem piscinam; sed fictè & simulatè, vt Simon, accedunt ad baptismum; ij sibi rursus patrem adscribunt Diabolum antiquum Serpentem, & audiunt, *Vos ex patre* vestro *Diabolo estis*, & abnegant aquam piscinæ. Non enim nascuntur in ea; & accedentes in terrā, suscipiunt generationem quæ est conuersatio & vita minimè illuminata; nam *supra aquam*, nō supra terram super *ferebatur Spiritus.* Testudo autem, tanquàm auersantibus & abhorrētibus aquis, eius iniquam ex semine & fluxu conceptionem; in hanc terram amādatur & illic oua pariens ea occultat; in typū eorum qui reuera ex aqua baptismatis enatant per ipsum, intrinsecùs autem adhuc celant improbam seminis generationem & propter humanum fortè pudorem eam foràs non emittunt. Nemo autem irrideat exempla de Testudine & piscibus, audiens diuinam Scripturam, & Vermem, & Serpentem æneum, & Leonem, & virgam nominare Christum; qui omnia tam abiecta & miserabilia, quàm-maxima fecit in sapientia. Sed redeamus ad propositum, rursus sumentes dictum Mosaicū, Dicit enim; ET DIXIT *Deus, producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum firmamentum cœli, & factum est sic.* Collocat pisces ante Volucres, dicens nobis Deus quòd Reptilibus & quæ humi & in terra versantur animis, fiunt volucres cœli volantes super terram secundùm firmamentum cœli; & ad imitationem omnium, spiritualem Angelorum ostendunt vitam. Cuiusmodi est illa Volucris quæ volauit vsque ad tertium cœlum & dixit; *Nostra autem conuersatio est in cœlis*: Et; *imitatores mei* de cæterò *estote sicut et ego Christi.* Quomodò autem reptilia vocat, pisces qui cadunt sub intelligentiā: Repere enim propriè dicitur de ijs quæ trahuntur & serpunt per terram, vt Serpens. Quo fit vt hinc sit perspicuum quòd ænigmata loquitur, de animalibus, quæ referūtur ad homines. Vnde

Psal. 35.
Psal. 147.
Io. 7.
Io. 4.
Prima vita ex aquis.
Prima resurrectio ex aquis.
Ion. 2. d.
Matth. 3.
Ignis materia ex socordia.
Crucis Christi lignum ex 3. arboribus confectum.
Iob. 41.
Baptizatorū diuersa Anima.
Act. 8. b.
Verbum Dei est sal.
Aquarum natura apta Regenerationi baptismatis.
Pisces sine semine ex aqua & spiritu generātes, significāt nostrā ex aqua & spiritu regenerationē.
Io. 1.
Baptizati fictè, non verè renascuntur.
Philip. 3.
1. Cor. 4.

etiam in libera potestate quàm Deus dedit Adamo, ante cætera animantia & pecora posuit pisces, dicens, ET IMPERATE *piscibus Maris*: Deinde dicit; ET VOLUCRIBUS *cæli, & omnibus pecoribus, & vniuersæ terræ, & ijs quæ repant super ipsam*. Illis enim est dominatus & imperauit secundus Adam, per suos piscatores; Christus nempè, illis qui sedebant in profundo ignorantiæ, in tenebris & in vmbra mortis gentium, in quos omnes regnauit, & quorum rex fuit in aquis baptismatis. ET FECIT *Deus Cete magna, & omnem animam animalium reptilium quæ produxerunt aquæ secundum sua genera, & omnem volucrum alatam secundum genus suum, Et vidit Deus quòd pulchra, & benedixit ea Deus dicens; Crescite & multiplicamini & replete aquas in Mari, & volucres multiplicentur supra terram*. Iubet fieri magna Cete; nempè Dei prædicatores Apostolos, qui conturbauerunt quidem aquam Maris, vt in Iona factum est per Cetus. Quos etiam, equos mysticè dixit Abacuc, qui Mare Mundi perturbarunt, & qui etiam (tanquàm si Cete essent) Verbum deuorarũt propheticum; nempè peccantium pœnitentiam, & ipsorum protinus commiserationem. Non excipit enim eum qui simul & mutatur, & cui simul condonatur, nisi etiam conijciat in grauissimos compedes eos qui ipsum rursus euomunt. Sed non eum qui priùs inflexibilis, didicit magis esse benignus, clemens & misericors post Crucem quam figurabat, & trium dierum sepulturam; significans, eum qui hæc erat passurus, pro ijs intercedere qui eum crucifigunt & malis afficiunt. Puerorum quoque Canticum inducit ipsa Cete Deum honorantia, cùm dicit, *Benedicite Cete & omnia quæ mouentur in aquis*, videntia eos qui peccabant suscipere prædicationem, & statim mutari. Sed cùm ad hunc dictionis contextum venisset quispiã ex antiquis Expositoribus, quærit quamobrem imperat Deus tanquàm aliquibus alijs, eis iubens & dicens; *Multiplicentur volucres*: Non enim ad volucrum personam dirigit sermonem, sicut ad pisces. Is autem cùm hæc dubitasset & dixisset, exponit quòd nos hinc oporteat discere, quòd ijs qui baptizantur, & ijs maximè qui in virtutibus effecti sunt volucres; à Deo dantur sancti Angeli, qui eorum curam gerant & prouideant ad illuminationem. Ad eos enim iussum dirigit Deus, iubens & dicens vt multiplicentur Volucres; hoc est, qui cœlestia sapiunt & obeunt. Ipse quoque Dominus nobis fidem facit, & docet Angelos esse custodes eorum qui credunt in ipsum; Dicit enim quibusdam Infidelibus; *Videte ne despiciatis vnum ex pusillis istis qui credunt in me, Dico enim vobis quòd Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem Patris mei qui est in cœlis*. Atque sciendum est quidẽ, quòd nihil ex ijs quæ sunt creata sex diebus, Deũ inueniemus benedixisse, nisi hominem & quę nata sunt ex aquis. Quamobrem ab initio quando fuerunt genita, implebatur propheticum eloquium quod dicit, *Vox Domini super aquas*; quæ ab ipso ante omnia fuerunt benedictæ, & ea de causa vsque in hodiernum diem & vsque ad consummationem sæculi, absque semine animas generant, multorum quidem piscium, paucarum autem volucrum, nempè Ortygometrarum & aliarum, ex quibus olim nutritus fuit Israel. Et fortè quoniã valde exiguus futurus erat numerus earum volucrum; iustorum, inquam; ea de causa earum curam magis gerens Deus, iubet Deus sanctis Angelis qui curam gerunt terrestris creaturæ, *Volucres multiplicentur super terram*, quæ ex aquis sunt generatæ vel potiùs regeneratæ, & peccati virus ac fœtorem illic deposuere; & ad cœlum euolant à fluxis & tenebricosis & multis tempestatibus agitatis aquis huius Mundi, ad aquas quæ sunt firmæ ac stabiles & trãquillæ & nullis concussæ fluctibus, in excelsis per aërem ingredientes vbi est situs Sol iustitiæ, & eius coniux Luna semper illuminata requiescit, & ratione præditæ stellæ cœlesti lumine Orbem terræ deducunt & illustrant, & aqua spiritualis quæ est supra cœlos absque silentio laudat nomen Domini. Multa & profunda de aquis oratio annunciatur in diuina Scriptura creationis, quæ aliquot sæculis, & cœlestibus naturis ac mentibus opus habet ad apertam eorum quæ significantur comprehẽsionem & declarationem vt consideratè & citra vllum errorem dicamus, conuenienter ipsi eorum quæ sunt veritati, per quàm à Deo vt essent facta sunt. Quanam ergo de causa in sex dierum creatione, relicta est tacita & arcana aquarum ratio; & de spiritu & igne ratio non est enuntiata neque publicata quomodo cœli creatio & terræ, & plantarum, & luminarium, & hominum? Quid enim erat difficile quod prohiberet Creatorem dicere; *fiat aqua*; & *fiat ignis*; sicut iussit in reliqua vniuersa creatura? Sed fortasse nos erudiẽs diuina Scriptura sanctam Trinitatem esse increatam, ineffabilem, & incomprehensibilem, de his tribus creaturis tacitam & Arcanam reliquit rationem; in libro, inquam, Mosaïco. Quamobrem & ignem & aquam & spiritum singentes diuinæ Scripturæ; symbolicè Deum esse prædicant. Ergo & quòd sit sub omni creatura in abyssis, similiter etiam super terram, & in cœlis, & supra cœlos; docemur typicè diuinam essentiam esse incircumscriptam, & omnem continere creaturam. Quod quidem rursus significatur ex eo quòd ventus & ignis sit inaspectabilis & incontrectabilis subtilisque, & expers materiæ, & omni ratione viuificus. Nonnulli autem quadruplicem aquarum diuisionem; eam, inquam, quæ est supra cœlos & firmamentum quod est ex aqua; aquámque terrestrẽ, & subterraneam quæ est tenebrosa & vltima, dicunt esse typum quatuor ordinum Naturarum ratione præditarum. Aquarum quidem quæ est supra Firmamentum, esse imaginem Potestatum super-cœlestium: Firmamentum autem, rursus esse symbolum sanctorum luminarium ordinis hominum: Diuersæ autem aquæ terrestres, sunt typi diuersarum gentium terrenarum & non cõuenientium, fidéque diuisarum. Aqua autem subterranea, est symbolum aduersarum Potestatum quæ sunt omnino separatæ à diuino igne, lucéque & spiritu; nempè penitùs diuisæ à sancta Trinitate. Fortasse enim ij sunt vulnerati immedicabiles qui in Inferis dormiunt somnum peccati, quorũ Deus non ampliùs meminerit quoniam nec omnino, & ipsi repulsi sunt à manu eius nec possunt stare. Pisces autem, qui quidem sunt peccatores; sunt quidem lucis ex parte aliqua participes, vt qui sint in Mari & non in locis subterraneis: Et ideò etiam conantur parua ex parte imitari Volucres, vt qui pennas habeant; hoc est, ex parte, pietatem: Vnde etiam volant in aquis tanquàm Volucres. Ex ijs autem aliqui vecti super aquas & natantes, Solem fixis aspiciunt oculis. Qui sunt autem ex ijs nequiores, & plus habent materiæ, cũ non sint squammati, infernè habent ortum ex cœnosa materia; qui quidem nihil penitus habent bonorum operum, pigri & desides & difficiliter se mouentes, & facilè capiuntur ad mortem, & sunt ad esum noxij. A quibus & abstinere & non abstinere, vetus Israelita, qui sumus nos, iussus est. Hæc nos quintus dies docet de Christo & Ecclesia, symbola & ænigmata, antè nobis significans principium baptismatis in quo creati sunt quinque sensus humanæ naturæ; visus; auditus, gustus, olfactus, & tactus. In hoc; quinto (inquam) die sæculi; in quinquies millesimo anno factum est etiam lauacrum à Salomone filio Dauid, in templo Dei Hierosolymis, in typum baptismatis Ecclesiæ Christi Dei, filij Dauid. Quomodò etiam rursus illa peluis in magno cænaculo, quinto die, exemplum habens piscinæ; pedes Discipulorum primum baptizauit à Christo: & deinde eis dedit Corpus & Sanguinem in participationem, quando etiam facto testamento Christus postridiè, sexto die, Cruci affixus fuit in Golgotha, & Paradisum Latroni aperuit. Ad quem nos quoque, sex dierum, sexto, Christo deducente & Verbum nobis dante in apertione oris nostri veniemus: Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Cete sunt Apostoli. Abac. 3.

Ionas typus Christi.

Dan. 3. f.

Angeli sunt custodes baptizatorum.

Math. 18.

Aquatilibus tantùm et homini benedixit Deus.

Psalm. 28. Pisces sine semine generãtur ab aquis. Ortygometra sine semine generatur.

Aquarum cur nulla sit facta mentio in sex dierum creatione, vt neque ignis, neque spiritus.

Ignis, aqua & spiritus symbolice Deum prædicant in Scripturis.

Aquarum cur sit quadruplex diuisio.

Cur esus non squamatorum piscium sit prohibitus. Leui. 11 b.

3. Re. 7. d. Pelui Discipulorum à Christo loti in typum baptismatis. Christus dedit corpus & sanguinem in participationem.

DE SEX-

DE SEXTO DIVINI OPIFICII die; Liber sextus.



QVI ex tranquillis portubus ad æquoreos cursus scaphis vias marinas conficiunt; cùm aliquem dextrum ac secundum ventum fuerint adepti, & ad quintum & sextum diem gratos hilarésque & aptos fluctus habentes in prora, terribilique ac vehementi aquarum impetu gressus celeres & cursus nauis peragunt; quibusdam plumbeis & grauissimis bolidibus probant & exquirunt aquarum Profunda, de die in diem ex incomprehensibilibus & ineffabilibus Profundis ad leuiora & in superficie magis posita Profunda, & de cætero ad littora sperantes peruenire. Cùm autem huius libri scapha iam quinque dierũ cursum celeriter peregerit, peruenit ad maiores aquas & profundiores Maris gurgites, qui sunt reuera obscuri & incomprehensibiles. Quamobrem feruentiùs est precibus excitandus insomnis super scapham, & in ceruicali mentis principalis, requiescens Deus Verbum; qui apprehensis clauis mentis & linguæ, tanquàm duobus temonibus animalis nostræ scaphæ, contrarios quidem spiritûs & Intelligentias increpet, suo autem lumine, profundum (nempe ignorantiam) propositarum aquarum illuminet, ad hoc vt à Deo inspirati aspiciamus & dicamus; curnã Deus qui sapiẽtissimè & supra sapientiã fecit omnia (in primo die lucem fabricatus) non statim etiam cum eo est fabricatus omnia quæ sunt ex luce, nempe luminaria; sed ijs relictis quæ sunt ex luce procreata, transijt ad aquas, facto ex eis firmamento! Deinde cùm fixisset firmamentum; ne sic quidem adimplet ornatum eorum quæ sunt in ipso luminarium; sed eo quoque relicto imperfecto, transit rursus tertio die ad aquas, eas congregans à terra. Et rursus cùm non ad plenum perfecisset ea quæ sunt genita ex aquis & in aquis, nempe pisces & Cete; ijs quoque relictis semiperfectis & non genitalibus, transijt ad terram, dicens: GERMINET *terra herbam & lignum frugiferum*. Eo autem facto, cur non statim facit etiam animantia exire è terra, & feras, & reptilia; sed sinens imperfectam quæ fit ex terra fabricam, rursus redit ad Firmamentum, & facit quarto die stellas & duo luminaria; & illinc rursus reuertitur ad aquas die quinto, ex eis perfecta piscium & volucrum generatione? Deinde sic sexto die reuersus est ad terram, ijs impletis quæ sunt ex ipsa; nempe animantibus, & iumentis, & reptilibus, & feris, & homine. Quo fit vt hinc ostendatur, primos quidem tres esse imperfectarum creaturarum susceptores: tres autem vltimos (nempè quartum & quintum & sextum) exornasse & adimplesse vniuersam Mundi creaturam, per trium dierum Christum qui dicit, *Hodie & cras facio signa, tertio autem die perficior*, dominans cœlestibus ratione præditis stellis, & terrestribus & subterraneis: Plenum enim fuit cœlum & terra & Mare gloria eius. Quando enim illuxit Sol & Luna, statim exornata est & terra & Mare. Nam & antè vniuersam creaturam mente concipit & creat cœlestes & angelicas Potestates quæ nos illuminant: Secundas autem procreat ac generat aquarum congregationes, nempè gentium aquas quæ priùs erant fluxæ & instabiles & multis agitatæ fluctibus, & celeri cursu ferebantur ad idololatriam. Tertium autem rursus visitauit & diem Spiritus, quando ingressa fuerit plenitudo gentium. Respexit enim Deus creaturas Mundi, ad aquas Græcas (nempè Gẽtiles) ostendens eis lucẽ diuinæ cognitionis in primo die sæculi: *Sed cùm Deum cognouissent, nõ sicut Deum glorificarunt*, vt testatur Paulus dicens, quòd ad argumẽtum Dei cognitionis dedit Deus sapientiã in initijs, & cognitionẽ de situ cœli, & stellarum, & Solis, & Lunæ, & plantis, & animalibus, & corporibus, & figuris. Quoniã ergo aqua gentium, non cognouit sapiẽtiæ effectorem; Deus eam relinquens imperfectam & non genitalem, accessit ad terram, dans per Abraham signum Circumcisionis. Et ideò huius signi terrenam promisit mercedem, & Abrahæ & Israeli, dicens se eis dare in possessionem terram terrestris Palestinæ promissionis. Similiter etiam populo Israelitico qui exijt ex Ægypto, Deus Lege statuẽs illa multa et aliã & ad exequendum & portandum difficilia præcepta, cum acribus minis & execrationibus, pro eis cœlestium nullam promisit remunerationẽ, sed munera terrena, fertilitates, & corporales fœlicitates, & latæ terræ possessionem, & quæ interirent bonorum, fructuum perceptionem. Hinc & propter hęc, Terram iure intelligimus populum Iudæorum, vt qui terrena sapiat, & non habeat conuersationem *in cœlis*. Propterea hæc nos docens Deus in sex dierum Mundi creatione; non simul perfecit aquas, & quæ orta sunt ex aquis: Neque rursus in vno die terrã exornauit, & quæ ex ea processerunt animantia & ligna fructifera. Quamobrẽ mihi quidem videtur, quòd cœlestia, diuina luce anteà erãt illuminata: cùm autem super terram fuisset compositus Sol qui intelligentia percipitur (nempè Christus) & sursum assumptus; supernus quoque Mundus ampliùs fuit illuminatus & illustratus. Congruenter ergo ijs quæ iussu fiunt exornationibus, & spiritualibus profectibus cœlestis & terrestris & marinæ creaturæ; intelligendum est Opificem in ea quæ tunc fuit sex dierum creatione, nunc ex parte in aquis operari, deinde ab ijs transire ad Firmamentum: Et rursus perfectè exornato Firmamento, transire ad terram; & cùm ea esset semiperfecta, procedere ad aquas: Deinde perfectè absoluentem Firmamentum, & Ecclesiarum gentium cœtus benedicẽtem, & postremò terram quoque Israel conuertentẽ in consummatione sæculorum, in plenitudine sex dierum creationis. Si autem auditori, vt qui non sit mysterijs initiatus, non placeat quod dicitur; dic mihi tu quam ob causam, cũ Deus non simul singulas absoluisset creaturas, tunc transit ad aliam; sed priorem relinquens imperfectam, rursus redijt ad priorem! Sin autem tibi Fideli, fide digna & credibilia videntur quæ dicuntur; huc inclina aurem tuam, & mihi animum aduerte; & videbis in carnis susceptæ dispẽsatione Deum Verbum eodem modo nouam quoque suam creaturã construxisse & perfecisse. Ijs enim qui in se habent lucem cognitionis, est vtique perspicuum, quòd antiqua Mundi creatio erat adumbratio, typum habens Ecclesiæ; quam sicut quendam Orbem terræ creans & construẽs Deus Verbum homo factus, incipit ex aquis gentilibus, vt qui in regione gẽtium versatus sit in Nazareth: De quibus dicit Propheta Esaias; TERRA *Zabulon, et terra Nephtalim via Maris, Galilæa gentium, Populus qui viuebat in tenebris vidit lucem magnam*. Sic enim Symeõ quoque gentes priori loco posuit, & deinde Israelem, dicens de Christo; LVMEN *ad reuelationem gentium*: Deinde; *& gloriam plebis tuæ Israël*. Transijt enim à Nazaret gentiũ Maris, & venit Hierosolyma in Bethleem, & ibi natus est; & relicta imperfecta & infrugifera terra Israel, venit rursus ad aquas Gentiles, vocatis antè omnes Magis, & profectus in Ægyptum ad barbaricas Nili aquas. Sed cùm eas nõdum congregasset in vnam congregationem, redijt in terram Israel vnde exierat, exiguam quandam herbam, & arbores aliquas frugiferas (nempè suos Discipulos, & Ioannem Baptistam, & Ioseph, & Nicodemum, & paucos huiusmodi) ostendens; & statim relicto cultu Iudaïco accedit rursus ad fluenta Iordanis Sol iustitiæ, creans lumen baptismatis. Deinde ita benedicit & producere fecit aquas, & deinceps venit etiam ad terram; hoc est, curam gerens Israelis, & morbos eorum curans. Et rursus à terra profectus est ad abyssum; nempè à Cruce, vt prædicaret Spiritibus qui erant in carceribus Inferorum, remissionem. Deinde cùm resurrexisset, è terra reuersus est ad Firmamentum ad Deum, & illinc rursus effecit vt aquæ Gentium animalia producerent, ex alto super eas emisso tanquã viuifico sancto Spiritu: quę quidem non cessabunt super seipsas generare & regene-

Marginalia: A · B · C · D · E

Cur Deus in primo die non est omnia fabricatus.

Tres primi dies imperfectarum creaturarum sunt susceptores, tres vltimi omnia per Christum ornarunt & adimplerunt. Luc. 13.

Cautè lege & vide notationem ad col. 184. c.

Rom. 1.

Philip. 3. d.

Mundi creatio erat typus Ecclesiæ.

Esa. 9.

Luc. 2.

Christi descensus ad Inferos. Carceres Infer.orum.

tare ipsas Gentes quæ prius erant reptiles, & nunc factæ sunt alatæ volucres, donec plenitudo gentium ingressa sit omnino in paradisum; & tunc de cætero perficitur verbum Dei, quod dicit de animalibus Israelis; *Producat terra animam viuentem.* Rectè dixit; *animam viuentem*: Est enim vnus Israel. In gentibus autem innumerabilibus Gentibus quæ ex nostris aquis processerunt, non dicit animam viuentem sed animas innumerabiles. Dicit enim; PRODVCANT *aquæ reptilia animarum viuentium*, nec ea solùm sed etiam Volucres volantes super terram secundùm Firmamentum cœli. Ex his Volucribus erat Paulus ille baptizatus, & qui ex aqua valuit volare ad tertium cœlum, & rursus illinc transire in Paradisum. Eiusmodi volucris erat Philippus, qui volans per aerem & veniens ad Candacem Æthiopem, ipsum baptizauit super aquam; & per columbam, nempè Spiritum, seipsum effecit volucrem. Eiusmodi Volucris desiderabat fieri ille qui dicebat, QVIS *dabit mihi pennas sicut columbæ* quæ descēdit in Iordanem, *& volabo & requiescam* in illa requie cœlestium volucrum sex alas habentium? Adbas Volucres euolauit ex viuifica aqua quæ fluxit ex latere Domini in loco Caluariæ prima omnium Volucris sanctus Latro, cum Rege Volucrum Christo magna aquila, per aerem volans in Paradisum. De Christi Volucribus dicit etiam Psalmographus; PASSER, nempè Latro, seu aliquis alius, *inuenit sibi* proprium *nidum* ligni Paradisi: *Turtur*, nempè Ecclesia quæ sola vnum nouit coniugem Christum, quæ vitam magis amat solitariam quàm delicatam mollem & effœminatam; SIBI *nidum*, nempè regnum cœlorum; *vbi reponat pullos suos.* Quas quidem exeuntes de aquis Volucres stupens quoque Esaias, clamabat, QVI-NAM *sunt hi qui sicut nubes volant, & tanquàm columbæ* cum pullis suis? Hæ sunt Volucres, quæ rapiuntur *in nubibus obuiam Domino in aërem.* De quibus etiam dicebat; *Vbi est corpus*, inquit, seu cadauer (Latro, inquam) nempè in Paradiso, *illic congregabuntur* etiam *aquilæ* quæ supplantatorem nostrum Serpentem sub pedibus suffocarūt. Aut rursus, vbi mortuum est sanctum eius corpus, illic nos congregauit vt simus eius participes. In altum enim in Cruce sublatus congregauit Gentiles & ex aqua genitas gentium Volucres, vt eius passionem imitentur & Crucem. Sed cùm aquas abyssi subijsset, secum fecit euolare ex aquis subterraneis volucria illa corpora Sanctorum qui dormierant, & surrexerunt. Sed restat vt deinceps ipsum dictionis Scripturæ contextum aperiamus. ET DIXIT DEVS, *producat terra animam viuentem secundùm genus, quadrupedes & reptilia & bestias terræ secundùm genus, & factum est ita.* In duos partus & generationes diuisit Deus omnem viuētem animantium animam (ex terra, inquam, & ex Mari) qui ex duabus mulieribus, nempè Lia & Rachele, aut ex Sarra & Agar duos constituit filios; nempè duos populos, videlicet alterum ex Iudæis, alterum ex Genobus. Quò fit vt quod à Deo tunc dictum est Rebeccę, conueniat etiā dicere creaturæ quæ cernitur; DVÆ *gentes & duo populi ex te egredientur, & populus populum superabit & maior seruiet minori.* Sunt autem scilicet maiora & insigniter fortiora quæ ex terra nata sunt animalia & iumenta & bestiæ, quā pisces marini, & super omnia Volucres. Quòd si ea quæ dicuntur reijcis ô auditor, vt quæ non sint probabilia; quid facies aut dices cùm videas quæ ex aquis orta sunt animalia præripuisse eam quæ à Deo datur benedictionem? Nam quomodò Iacob præripuit benedictionem Esau? quoniam alter quidem erat venator, & tanquam è terra ortum habebat & generationem, & vitam quā degebat simul cùm Feris in agro & cùm Reptilibus: Vnde etiā, Edem; hoc est, tussus, fuit Esau cognominatus. Iacob autem qui simul cum benedictione, eius quoque rapuit primogenituram, cùm euolasset in aquarum Mesopotamiam, illic in aquis peperit in domo Dei. Bethel enim interpretatur Spiritus Dei, vnde etiā accepit Rachel: Rachel autē etiam dicitur domus Dei.

In Israele est anima viuens: in gentibus, animæ innumerabiles. *1. Cor. 12. a. b.*

Act. 8.

Psal. 54.

Psal. 83.

Esa. 60. 2.

Thess. 4. *Matt. 24.* *Luc. 17.*

Vbi est Christi corpus, illic congregamur vt simus eius participes. *Christi descēsus ad inferos.*

Animalium è terra & ex Mari ortorū sensus anagogicus.

Gen. 25.

Iacob & Esau historiæ sensus anagogicus.

Rachel est typus Ecclesiæ.

Ipsa enim erat typus Ecclesiæ quæ existit ex gentibus, in qua Dei spiritus amanter veluti requiescens (propterea quòd eam peperit) fertur super aquam Mesopotamiæ omnium gentium. Aduerte autē quòd Rachel quoque, typus & figura (sicut & Rebecca) eius quæ aliquando fuit sterilis Gentium Ecclesiæ, cùm esset super terram aquarum Mesopotamiæ, illic desponsa fuit Isaac: & statim tanquàm pulchra & alacris aquā effundens piscina, potauit infideles camelos patris gentium. Abrahā enim interpretatur pater gentium, in figurā Dei & Patris gentium. Multifariā ergo & multis modis ostendimus; quæ ex aquis quidem enata sunt animalia; esse figuram gentium quæ fuerunt aliquando in profundo ignorantiæ: Quamobrem & eorum piscatores effecit Christus suos discipulos. Habemus autem aliam quoque firmissimam & valdè admirabilem probationem, quæ etiā valdè incredulo & cōtentioso persuadeat, quòd quę sunt à terra orta animalia ferunt certum & euidentē typum populi Iudæorum. Quænam autē est ea probatio? Dico quòd è terra genitus Adam, est (quod ad carnē attinet) cognatus illarum è terra ortarum bestiarum, & reptilium: Sexto enim die; & ipse, & illæ sunt creatæ; non autem marini pisces qui facti sunt die quinto. Quomodò eoā Christus secundus Adam, cognatus Iudæorum (quod ad carnem attinet) est ex mansuetis illis bestijs & reptilibus nō venenatis; non autem ex nobis, nempè Gentibus. Quòd autem è terra sit genitum genus Iudæorum, ex his ostēditur. Didisceris autem eoam ex ipsis verbis; *Producat terra quadrupedes.* Quoniam in terram despiciunt & terrena appetunt, eos ad terræ fingit imaginem, vt qui resipiant impietatem; & hæreditatem acceperint, terræ laotudinem: Propheticè autem prædicit quoque Moses de eorū furioso & lethali veneno, eos alta voce vocās Reptilia & bestias. Præterea recenset etiam illorum, eius quod est melius ignoratonem, dicens ea iumenta. Sed quod ab Abacuc Propheta dicitur de Christo; *In medio duorum animalium cognosceris*, id sapientes Patres accipiunt de duobus populis: *Duorum animalium*; quasi dicas, vnius populi terrestris, alterius marini. Et planè hoc modo Euam quæ est figura Ecclesiæ Christi ex Genobus; Deus non fecit ex terra vnde finxit Adam, quoniam Ecclesia non est cognata sed diuersi generis hospésque & aliena à Iudæis qui non sunt benedicta animalia; vt quæ sit ex reptilibus & volucribus Maris, quæ acceperunt Dei benedictionem. Quòd si alacri & patenti animo ijs quæ dicuntur aures præbeas ô auditor, quæ de his duobus populis dicuntur (de terrestri, inquam, & marino) ubi probabo & ex graphicis & diuersis tam veteris quā noui Testamenti demonstraoonibus. Etenim suffitus seu incensum, quod iussit Deus Mosem conficere (significans vnionem & Iudæorum gentium credentium, quas Deus est odoratus & fuerunt ei in odorem suaueolentem) Lege constituit vt eius compositio fieret ex terra & Mari. Stacte enim ortum habet ex terra, Onyx autem constat ex Mari. Similiter etiam Mosis vnguentū (quod ipsum quoque duos significabat populos) ex dilecto Filio omninò effusum, conuenienter ei qui dicit; *Vnguentum effusum* dilecti mei; ex ipso enim & per ipsum est plenitudo Fidelium: quod vnguentum à Deo iussus cōficere; calamum quidem accepit è terra, myrrham autem è Mari. Et fortasse propterea Christus quoque per calamum è terra genitum & spongiam marinam, *aceto* potato in Cruce; hoc est, mortis gustat acerbitatem. Nam duæ quoque gētes (Romanorum, inquam, & Hebræorum) eum morte condemnarunt: quorū typus fuit eoam par latronum, nempe & eius qui est saluus per fidem & Iudæi qui perit per incredulitatem. Rursus autē audimus Deum Mosi iubentem, Pontificis Aaronis tunicam contexere ex purpura retorta. Purpura autem cōstat ex duobus aoimalibus; ex verme (inquam) è terra genito, & Ostreo marino. Propterea ergo rursus duo populi in passione Christū induerunt chlamyde purpurea; ante significātes quòd regnaret super duos populos carni vni-

Rebecca, typus Ecclesiæ.

Animalia orta è terra, sunt typus populi Iudæorum.

Abac. 2. *Vulgata Editio habet, annorum.*

Eua quæ est figura Ecclesiæ non fuit facta ex terra.

Ex. 30.

Cant. 1. a. *Ex. 30. 2.*

Psal. 68. l. *Matt. 27.*

Aaronis vestium colores quid præsignificarent.

ni vnitus cœlestis Deus Verbum. Quod apertè priùs describebant cæteri quoque colores aliarum vestium, A qui cum purpura in Aaronis tunica tunc contexuntur. Nam byssus quidem quæ plus quàm nix refulget, ostendit symbolum lucis quæ procedit ex luce Dei Verbi: retortum autem coccinum fert imaginem carnis, cùm pueris enim communicarunt carni & sanguini. Hyacinthus autem quæ dicitur, est similiter coloris cœlestis: quamobrem eum quoque colorem aërium nominant qui sericeos colores persequuntur. Inuenimus autem Magos quoque cum auro è terra nato, myrrham etiam marinam obtulisse Christo. Quomodò olim quoque duo illi duorum pupulorum typi, Ioseph & Nicodemus; duobus aromatibus (terrestri, inquam, aloë, & marina myrrha) Iesum sepeliendum inuoluerũt.

Magi cur aurum cum myrrha Christo obtulerunt. Math. 2. Ioseph & Nicodemus cum aloe & myrrha Christum sepelierunt.

B Cùm ex multis ergo probationibus periphrasticè didiscerimus, marina & è terra nata animantia esse euidentem typum duorum populorum; necesse est etiam dicere propter quas causas grex terra genitus animantium (populi, inquam, Israël) non fuit particeps paris benedictionis cuius pisces gentiles, & quæ sunt ex eis volucres. Et primum quidem, propterea quod non sunt baptizati, & non fuerunt congenerati cum aqua & spiritu qui ferebatur super aquam: Secunda autem causa propter quam priuati sunt benedictione; quoniam in eis erat Serpens, Euæ (vel potiùs sanctæ Ecclesiæ) hostis & insidiator, & futurus erat obnoxius illi terribili Christi execrationi. Inuenimus autem Deum in vniuersa Scriptura Legis, cùm ore proprio aliquem benedixisset & eum postea esset execratus; nescio an non cum aliqua distinctione dederit benedictionem: quomodò in Israële dicit & Salomone; *Si custodieritis præcepta mea & iustificationes meas.* Præsciebat enim futurum, vt vterque (& maximè Israël) diuinas Leges esset aboliturus & transgressurus, & futurus esset obnoxius illis innumerabilibus quæ sunt in Lege execrationibus: maximè autem omnium, propter futuram eorum in Christum impietatem, ex ore illius esse suscepturos væ illa innumerabilia, & sententias desolationis & eiectionis. Qui autem non sic accipiens, diuinas Scripturas explicat, quodnam peccatum in Deum potuerunt peccare terræ animantia, quòd non eis parem imperticrit benedictionem quàm piscibus? Nam quod ad corporis constitutionem attinet & naturam, eam longè habent excellentiorem & planè incomparabilem è terra genita animantia & iumenta, quàm pisces. Hoc tibi persuadeat & Canis qui fideliter gregem seruat, domum custodit, & est vineæ præsidio; & Bos & Asinus qui norunt suos benefactores; & Equus & Mulus & Camelus qui supra humanam rationem sæpè sciunt vias quas semel ingressi sunt, & noctu sæpè sunt certi duces suorum Dominorum: Vnde etiam sæpè in bello post Deum, equorum & mulorum & camelorum ministerium, est saluti. Quibus si careret humanum genus, periret; vt quod ad ministrandum sibi non sufficeret. Vnde etiam ea habere sapientiam testatus est Deus, iam olim loquens misericordissimo & patientissimo Iobo; *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Exultat audacter, in occursum pergit armatis; Contemnit pauorem, nec cedit gladio*, &c. In marinis autem reptilibus, piscium neque vox est, neque cognitio neque sapientia, neque scientia, neque memoria, neque sensus qui cognoscat, neque aduersus Dominum seruitus aliqua aut beneuolentia aut amor. Quæ quidem omnes piscium proprietates rationis & sensus expertes, Populo gentium valdè conueniunt vt de eo intelligantur & dicantur. Priùs enim erat surdus sicut & pisces, non audiens vocem Domini. Erat autem & mutus sicut ipsi; Non habebat enim in se Deum Verbum; aures eius & os obturantibus Dæmoniacis aquis, oculisque tenebras offundentibus ne agnoscerent & oculos intenderent in Solem Dominum Christum Deum. Propterea enim in typum gentium Deus appellauit reptilia pisces ac animalia, quoniã

Deus dat benedictionem cum aliqua distinctione ei quem semel est execratus. Deut. 15.

Animalium terrestrium excellentior forma & maior virtus quam aquatilium.

Iob. 31.

Piscium nullus est vox, neque sapientia.

Piscium proprietates conueniunt populo Gentiũ.

Pisces cur Deus appellauit reptilia.

reptile est simile Diabolico Serpenti, anima & corde & ratione. Pectore in terram totum trahitur, ex cœlestibus nihil considerat, nihil sublime cogitat, nihil excelsum contemplatur; sed tota corporis statura adhæret terræ à capite vsque ad caudam (hoc est, ab initio ad finem) tractus in puluerem & fimum, alno idolorum, ventre & vmbilico luxuriæ & libidinis. Vnde propter hæc reptilia, ex piscibus gentilibus ante omnes Christus vocauit piscatores. Porrò autem primùm natus filius, nempe Cain, in figuram primogeniti Israël, fuit agricola (vt qui esset cognatus animantium è terra genitarum & non benedictarum) Occisor boni pastoris Abel, nempe Christi: de quibus ipse dicebat, *Vos ex patre Diabolo estis*; Hoc est, ex Cain qui Diaboli opera est imitatus: *Ille erat homicida ab initio*; hoc est, statim ab initio productionis B Mundi; vt qui proprium fratrem interfecerit. Ergo vos quoque eritis homicidæ ad imitationem, morte enim afficietis meam Iesu humanitatem; nullum (tanquã Deo) mihi damnum illaturi, propterea quòd non possitis in eo me aggredi. Hæc autem omnia testimonia adduximus ad gloriationem & exultationem Christi Ecclesiæ: Maximam enim vtilitatem & confirmationem accipimus nos fideles, cùm discimus quòd cùm primũ cælum & terra creabátur, ex eo tempore admirabilium aquarum populus reptilium piscium benedictionem accepit à Domino. Frater autem Prodigi huius filij gentilis, qui erat in agro vineæ Israëlis agricola, mansit sine benedictione vt qui huc vsque non inducat in animum ingredi & esse particeps CORPORIS ET SANGVINIS VITVLI saginati. Saginatus autem vitulus nominatur C Christus, quoniam multis tẽporibus ante nuptias & eius vnionẽ cum Ecclesia, parabatur à suo Patre in esum gẽtium, & quodammodò saginabatur sacramẽtum. Deus enim ante sæcula antiquum verum reuelauit consilium ad gloriam nostram gentium, sicut clamat Esaias & Paulus. Et dixit Deus; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Conuenienter rationi anagoges, Christũ hîc intelliges, in quo dicitur illud; *Faciamus hominem*, quando suscepit hominem: Illud autem, *Faciamus*, nõ solus dicit Pater & Spiritus, hic quidẽ vt approbans & ratum habens, ille autem vt præparans; sed etiam Filius vt Deus consentit de eo quod est faciendum, vt ipse quoque cernatur amplecti humanæ naturæ susceptionem. Sed primùm est aliter examinandum verbũ. Etiam qui- D dem à nobis de eo, quantùm potuimus essequi, sunt libri elaborati, & eò transmittimus eos qui voluerint. In summam autem, ne instar mutilati membri aut corporis sit in illis opus mancum ac mutilum; hoc est implendum. Sunt autem hæc, cur non distinxit Deus inter creationem animalium ex terra, & creationem hominis, sicut diuisit inter pisces & animantia è terra genita: sed tãquàm esset quædam eorum cognatio, eodem die, & hominem & ea est fabricatus? Quod quidem soluens quidam ex Expositoribus, propter eam quæ cum Iudæis ei fuit secũdùm carnem cognationem dixit eam esse simul creationem. Vnde (ait idem) licet contemplari & admirari, quòd dijs relictis quæ erant ei propinqua & cognata, iste homo à Deo est introductus & datus in Para- E disum, ad eum operandum & custodiendum. Quædam autẽ alia & secunda animantia vel potiùs bestias diuersi ab eo generis & quæ procul aberant adduxit nõ priora, sed secunda, quæ quidem sunt greges bestiarum, nempe gentium. Post hæc autem cognoscendum est & cõsiderandum, quòd hæc prima vox in diuina Scriptura dicta est pluraliter; diuinam, inquam, significans Trinitatem, dicens in sola hominis creatione; FACIAMVS *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; perinde ac tribus diuersis personis hominum, si ita liceat dicere, ex communi consilio & consensu construentibus aliquam imaginem & simulachrum, & vnaquaque faciente in simulachro aliquam propriam similitudinem effigiem & figuram, vt sit in ea id quod videtur, corporalius & crassius, Erat, inquam, alterius quidẽ ex diuinis artificibus,

Propter pisces, nempe gentes, Christus vocauit piscatores Apostolos. Ioan. 6. Cain Diaboli opera est imitatus.

Cur Deus hominem & animalia eodem die est fabricatus.

Homo creatus ad imaginem Dei.

altitudo; alterius autem, latitudo, & alterius profunditas. Sic enim est propriè imago & simulacrum ad imitationem, figuram, & imaginem diuersorum artificum ipsius vnius & indiuiduæ vnius & solius Dei essentiæ & naturæ: Animæ quidem, ad imaginem Dei & Patris, quomodò etiam priùs nominauimus in duobus libris quos edidimus de constructione hominis; Rationis autem seu verbi interni, quod describit ac effingit Deum Verbum à Deo genitum; Mentis autem, quæ fert imaginem sancti Spiritus. Cùm nos autem aliquando hanc vocem proferremus apud quendam ex Hebræis, multæ enim & sæpenumerò cum eorum genere ortæ nobis sunt controuersiæ ac contradictiones (planè extemporales) contrà dixit improbus, Regem aliquem (& si sit solus) posse dicere illud; *Faciamus*; & illud, *Iussimus*. Cùm autem nos occurrissemus & dixissemus; Et cur ante creationem hominis, non cernitur Deus in aliqua alia (quæcunque ea sit) creatura visus esse hoc verbo; *Faciamus*; & dixisse nisi in solo homine, & rursus in muliere quæ posteà fuit facta, quando dixit; *Faciamus in adiutorium*: Ad hæc nulla erat vox Iudæi, neque rursus contradictio. Fieri enim non potest vt sit homo ad imaginem eorum qui dicunt; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; nisi ferat in se aliquam aliam propriam figuram aut effigiem vniuscuiusque horum artificum. Vnde id quidem quod est ad imaginem Trinitatis, in essentia incorporeæ & intelligentis & materiæ expertis & incomprehensibilis animæ nostræ; omnes homines habemus similiter: Id autem quod est *ad similitudinem*, ij soli habent qui se ipsos recrearunt ea vitæ institutione quæ est ex virtute, qui Deum habent in se inhabitantem, & gratia quodammodò sunt veluti Christi, in diuinitate simul & humanitate. Propterea & bis & semel exponens diuina Scriptura, & dicens; *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum*; non addit, *Ad similitudinem*: vtpote quod illud quidem, *Ad imaginem*, sit à Deo creatum & in nobis naturale; illud autem, *Ad similitudinem*, est vitæ institutionis quæ libera electione suscipitur, & per vitam quæ ex virtute agitur, inducitur & assumitur. Propterea hoc nos docens qui cum Verbo idem habet nomen Theologus Ioannes, dicit, scribens ad aliquos: FILIOLI *nunc filij Dei sumus*, per hoc baptisma, *& nondum manifestatum est quid erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Vides quòd post sanctum baptisma, dicit vitam quæ ex virtute agitur generare id quod est ad similitudinem. Quod quidem si fuerit manifestatum in corde, illum videbitis in ipso ei conformato & assimilato, quantùm capit & potest homo. Vnde etiam hoc accepit quidam ex externis insipientibus Philosophis ex nostra diuina Scriptura dicens Philosophiam esse Deo assimilationem quo ad eius fieri potest ab homine, cùm hanc sacram Mosaïcam aspexisset Scripturam quæ dicit, FACIAMVS *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & imperet piscibus Maris & volucribus cœli, & omnibus reptilibus quæ repunt super terram*. Cùm ad hunc locum peruenerimus, opportunè nobis sunt laudanda ac celebranda sapientissima & illustrissima à Deo data sanctissimi Spiritus eloquia, & dicendum; LVCERNA PEDIBVS Ecclesiæ re vera est *lex, & lumen semitis* nostris. Audiamus enim quàm magna & quàm inexpugnabilia Deus hinc nobis confecerit arma aduersus Iudæos & Barbaros, & Samaritanos qui discerpunt & illudunt fidem Christianorum vt quæ tres Deos colat, sanctam & quæ simul eiusdem essentiæ Trinitatem. Nam cùm dicat Scriptura duas personas (Adami, inquam, & Euæ) esse vnum solum hominē & non duos, conuincimus aduersarios veritatis, qui (in tribus Personis) hymnis & laudibus celebratur Deus, vnus est Deus & nō tres, propter eiusdem simul essentiæ naturā, quomodò etiam in Adamo & Eua. Nam propter cognationem & eandem simul essentiam, audi queadmodùm & ipsos & vniuersam Mundi humanitatē, vnum hominē Deus nominet dicens; FACIAMVS *hominem ad imaginem & similitudinem vostram, & imperent*; duos, vnū dicens hominem. Et rursus dicit; ET FECIT DEVS *hominem, ad imaginem Dei fecit illum, masculum & hominem fecit eos*. Ecce hîc quoque duos, vnum nominauit hominem, vt tibi quoque arma præbeat ad ostendendum quòd Pater & Filius (cū duæ sint hypostases seu personæ) sint vnus Deus. Vnde etiam cùm esset Deus inducturus diluuiū, dicit ad Noë; FINIS *omnis hominis venit coram me*: Ecce significat hominum multitudinem. Audi ergo; totam hanc multitudinem vocat vnum hominem rursus dicēs eidem Noë, DELEBO *hominem quem feci*. Si ergo innumerabilia hominum personarum millia vnum dicit hominem propter naturæ similitudinem, quantò magis tres diuinitatis (eiusdem simul essentiæ) personæ dici possunt vnus Deus? Et in alijs locis innumerabilibus inuenies diuinam Scripturam vnum nominare hominem totum genus humanum; Vt quando rursus dicit Deus post diluuium de vniuerso genere humano; PROPENSA *est cogitatio hominis ad mala à iuuentute sua*. Et rursus; HOMO *vanitati similis factus est*. Et; HOMO, *sicut fœnum dies eius*. Et; *Quid est homo quòd reputas eum?* Et, *Minuisti eum paulominus ab Angelis, & gloria & honore coronasti eum*. Audis insipiens Iudæe, & tu Barbare, & Samaritane, quemadmodùm vniuersa humanitas vocatur homo? Eadem ergo regula, diuinitas quoque vnus Deus est & appellatur: & Israël, cùm sint sexcentę hominum myriades, vnus Israël dicitur; & Assyrius, tota gens in vna persona, dicitur: quomodò & Persa & Hyperboræus & reliquæ gētes; cùm sint in personis innumerabilibus, in vna persona appellantur. Cùm Deus de nobis Christianis aliquid melius prospexerit, vel potiùs vt prætermittam multas probationes quæ fiunt per testimonia, ex hoc ipso verbo quod probro afficiunt Iudæi probabimus id quod tradimus: Dicit enim; ET DIXIT *Deus*, vide singulare; FACIAMVS; Vide etiam plurale, & illud quidem attribue omnino naturæ, hoc autem personis, & non contrà. Si enim naturæ, absurdum: Sin autem personis, nihil est graue: Vide enim in innumerabili hominum multitudine esse vnam naturam. Hæc cùm iam dixerimus in secundo libro aduersus Iudæos, ea nō propter aliquam hic quoque posuimus obliuionem: Gratū enim esset, si fieri posset, hæc poni in Foris & in compitis ac triuijs ad Fidelium cognitionem & intelligētiam, Iudæorum autem pudorem & confutationem, linguas suas, vt priùs dixi, mouentium aduersus Christum & suam Ecclesiam. FACIAMVS *Hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & imperet piscibus Maris, & volucribus cœli, & iumentis, & vniuersæ terræ, & omnibus reptilibus repentibus supra terram*. Nos quidem facit pigriores ad eadem rursus dicenda quòd ea alibi exposuerimus: Miror autem in præsentia eos qui in sola manserunt litera, & dixerunt corporalem piscium & volucrum & bestiarum omnium authoritatem & dominatum, esse illud, *ad imaginem & similitudinem*, Dei in homine; Neque enim inuenimus quod ipse Protoplastus dominatus sit piscibus Maris; sed nec vllus alius ex Iustis qui fuerunt à Sæculo. Dominatum dico, non eum qui consistit per artificiosam aliquam excogitationem, instrumentaque & studia venatoria, vt quibusdam visum est dicere, ex quibus est Gabaleotes: Illa enim est nō dominatus, sed calliditas & dolus. Nō enim qui dominatur alicui (& maximè iussu Dei) dominatur cum subtili mentis excogitatione, sed apertè dominatur cū potestate & authoritate. Quòd si, vt est verisimile, aliqui adhuc inuidi contradicunt, ex duobus sanctis Ecclesiæ summis, eius quod dico fidem faciam. Velim autem, tibi rursus (ô Iudæe, dico) velim, inquam, te dicere; An fuerit aliquis inter homines ad Dei imaginem & similitudinem. Is ne est sacer ille præcursor Ioannes, qui est *maior* omnibus *inter natos mulierum*? an similiter Petrus ille summus & antiquissimus vertex sanctorum Apostolorum? Ne hi quidem sunt omnibus dominati. Et quòd Petrus quidem non sit dominatus omnibus *piscibus Maris*, audi eum dicen-

Deus ante creationē hominis nunquā visus est verbo, Faciamus.

Ad similitudinem Dei factum esse, aliud est, quā ad imaginem.

Libera electione suscipimus vitæ nostræ institutionem.

1.Io.3 4.

Vita ex virtute post baptisma, generat Dei similitudinem.

Philosophia est Deo assimilatio.

Psalm. 118. Tres Deos non coli à Christianis.

Deus vnus est in tribus personis.

Genes. 6. Homo vocatur vniuersa hominū multitudo Tres personæ consubstantiales, vnus Deus.

Genes. 8.

Psal. 143.

Psal. 102.

Psalm. 8.

Anastasius scripsit librū aduersus Iudæos.

Dominari Creaturis nō est imago & similitudo Dei.

Nullus præter Christum dominatus est piscibus Maris.

Calliditas & dolus, non est dominatus.

Petrus, summus & antiquissimus Apostolorum vertex.

dicentem ei qui est verè dominatus & piscibus, & Mari, & volucribus cœli ac ratione præditis, & vniuersæ ter-

A

ræ, nempe Iesu; *Per totam noctem* (per Iudaïcum fortè cultum) *laborantes nihil cepimus, Propter verbum autem tuū* (nempe fidem in te) *laxabo rete* Euangelij in Mare Mundi Gentium. De Ioanne autem, is qui est eiusdem cuius ipse nominis, dicit in Euangelio secundum Ioannem, IOANNES *quidem nullum signum fecit*. Quomodò ergo qui signum non fecit, & Petrus qui non est dominatus piscibus, dici potest *ad imaginem & similitudinem* Dei? Nam qui dominatur animalibus & piscibus & volucribus iussu Dei, dicit Leoni; *Veni, & venit*; & Aquilæ, ingredere & ingreditur; & Pisci, appropinqua & obedit; & Draconi, pereas, & statim expirat. Aduerte autem quòd non solùm piscium, & bestiarum, & reptilium dominium dedit Deus homini qui factus est *ad imaginem & similitudinem* Dei, sed vniuersæ terræ. Vnde

Luc. 5.

Ioh. 10. g.

B

etiam scriptum est, eos imperare *piscibus Maris, & volucribus cœli* secundo ordine; & deinde sic, *Bestiis, & iumentis, & vniuersa terra*: hoc est, omnibus quæ sunt & habitant super terram; nempe hominibus & gentibus. Si ergo omnia subiecit sub pedibus eius qui est verè ad imaginem Dei, est perspicuum quòd is homo est Dominus omnium quæ sunt in Mundo, vt qui habeat sub pedibus homines tanquàm mancipia & seruos. Dic mihi ergo quomodò Moses, qui erat talis & tantus, non erat ad imaginem Dei: *fugiebat* enim *à facie Pharaonis*! Quomodò Helias qui assumptus fuit in curru igneo, procul fuit absconsus à facie Iezabel! Quomodò omnes ferè Prophetæ, Iusti & Apostoli ab impiorum mani-

Exod. 2. c.
3. Reg. 19.

C

bus sunt interempti; non hoc passuri, si dominati essent vniuersæ terræ, & si subiecisset *omnia sub pedibus eius*. Cùm de hoc dicto tanta esset & tam perplexa dubitatio suam ad Hebræos epistolam ferens illicò adstitit Paulus mysta arcanorum ineffabilium; in quam nos intuentes liberauit ab obscura & admodum profunda dubitatione, dicens Christum esse imaginem Dei inuisibilis, & ipsum imperare & dominari omnibus tanquàm hæredem omnium, & ei subiecta esse omnia (præter Deum, inquam, & Patrem) & ei genu flectere cœlestia & terrestria & subterranea. Hoc est enim imperare ipsis ratione præditis piscibus Maris, & Intelligentibus cœli volucribus, & hominibus qui sunt instar pecorum & iumentorum, & vniuersæ terræ. Ponit autem piscium

Hebr. 1. a.

Christus solus est imago Dei inuisibilis.

Soli Christo subiecta sunt omnia.

Baptisatis præcipuè Christus est dominatus.

D

subiectionem, quoniam ante omnes dominatus est ijs qui per aquam & spiritum generantur & regenerantur; nempe nobis gentibus; & animis qui sunt in abysso Inferorum in obscuris & in vmbra mortis. Deinde secundas dicit volucres cœli, Intelligentes Potestates de quibus dicit; *Cognoui omnes volucres cœli*. A terra enim cum carne ascendens, fuit cognitus & conspectus à Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam. *Quando* autem *intrarit plenitudo gentium, subiicientur* omnino Christi dominio & iumenta illa & bestiæ è terra genitæ & eius cognatæ nempe Israël de quo dicebat, *Alias oues habeo quæ non sunt de hoc ouili, & illas me oportet adducere, & vocem meā audient, & fiet vnus Grex vnus Pastor*. Et sic in Christo eueniet, & intelligetur de ipso & de eius coniuge Ecclesia

Psal. 49. b.

Rom. 11. c.

Ioan. 10.

E

id quod à Deo dicebatur de duobus, IMPERENT *piscibus Maris & volucribus cœli, & iumentis, & vniuersa terra, à Mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines Orbis terræ*. Carnales autem qui corporalem hominis potestatem intelligunt de carnalibus piscibus & volucribus, & omnibus iumentis, & bestijs, & reptilibus, & omnibus quæ sunt suprà terram; non poterunt nobis ostendere vllum hominem præter Christum, qui sit ad imaginem Dei. Nullus enim ex ijs qui à sæculo nati sunt (non dico ex Regibus, sed nec ex iustis) est dominatus, potestate imperium habente, omnibus quæ sunt super terram, & Mari: etiamsi faciendi miracula, perspiciendique ac prædicendi Prophetica omnino esset præditus gratia. Cæterum non in eijciendis Dæmonijs, nec in signis faciendis Dominus definit perfectionem hominis

Psal. 71. b.

qui est ad Dei *imaginem & similitudinem*, vt quando di-

A

cit; *Dicent mihi in illa die, Domine, Annon in tuo nomine multas virtutes fecimus? & dicturus eis; Amen dico vobis, Non noui vos*. Sed; *diligite* (inquit) *inimicos vestros, & benedicite ijs qui vos execrantur, Benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro ijs qui vobis insultant, vt sitis similes Patris vestri qui est in cœlis*; in virtute charitatis definiēs esse ad Dei similitudinem. Quomodò etiam ipse Christus loquens per Paulum, eadem vsus est regula & definitione, quando dicit; *Etiāsi linguis hominum loquar & sciam mysteria omnia, & omnem cognitionem, & omnem habeam fidem ita vt montes transferam, nihil mihi prodest*. Sed de his quidem hactenus. Videamus autem etiam quid ea significent quæ dicit de benedictione. ET FECIT DEVS *hominem, ad Dei imaginem fecit illum*: Hoc est; Christi imaginem & præfigurationem. Compositum fecit hominem; mortalem & im-

Math. 7.

Math. 5.

Luc. 6.

In charitate esse, est esse ad Dei similitudinem.

1. Cor. 13.

B

mortalem, aspectabilem & non aspectabilem, interitui obnoxium & in quem non cadit interitus, MASCVLVM *Fœminam fecit eos*: Hoc quidem, propterea quòd sit laxus & mollis, & ad interitum facilè dissolubilis. ET BENEDIXIT *eos Deus dicens*, CRESCITE, *& multiplicamini & replete terram*; Videlicet per filiorum procreationem, Masculi & Fœminæ. ET DOMINAMINI *ei, & imperate piscibus Maris, & volucribus Cœli, & omnibus iumentis & vniuersa terra, & omnibus reptilibus repentibus super terram*. Paulò antè quidem Ioannem & Petrum in medium adduxit oratio, ad persuadendum Auditori vt Scripturam diuinam intelliger et spiritualiter, post contemplationem quæ literæ conuenit. Quòd si ad literam progressi illic maneamus, quomodò poteris ostendere

Gloriosissima Dei mater.

C

gloriosissimam illam Dei matrem esse ad Dei imaginem & similitudinem? Vbi enim imperauit illa aut est dominata bestijs sensilibus, aut piscibus, aut volucribus, aut vniuersæ terræ; quæ à facie Herodis migrauit in Ægyptum? Et quis (mihi dic quæso) aut ex hominibus aut ex Dæmonibus audebit dicere, quòd ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ (quod ad carnem attinet) non sit ad imaginem & similitudinem eius qui est ipsa natus; Quomodò est enim mater eiusmodi filij, non ferens in se integram & illæsam fœtus sui imaginem? Quamobrem ostensum est ei qui est filius pacis (non autem effector pugnarum & offensionum) quòd & imperium piscium qui dicuntur, & volucrum, & iumentorum solus ille possidet dicens; *Omnia mihi tradita sunt à*

D

Patre meo: Et; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: Et; *Pater diligit filium, & omnia ei tradidit in manus*. Dicitur autem accipere à Patre, vt qui factus sit homo; rursus autem honoratur quatenùs apparet sicut Pater, vt qui sit eius Filius eiusdem simul cuius ipse est essentiæ. ET DIXIT DEVS, *Ecce dedi vobis omnem herbam seminabilem, seminantem semen, quod est super omnem terram; Et omne lignum quod habet in se fructum seminis, erit vobis in cibum omnibus & bestijs terræ & omnibus volucribus cœli & omni reptili repenti super terram quod habet in se animam vitæ, & omnis herba viridis erit vobis in cibum: Et factum est ita. Et vidit Deus omnia quæcunque fecit, & ecce valde pulchra. Et factum est vesper; & factum est mane dies sextus*. Huc vsque dicit magnus inter Philosophos & Doctores Olympiodo-

Luc. 4.
Math. 28.
Ioan. 3.

E

rus, esse finem sensilis Creationis. Quando autem dicit, (inquit ille) Scriptura in figura epilogi seu repetitionis: HIC EST LIBER *generationis cœli & terræ*: & cætera quæ sequuntur de noua in Christo creatura, describit ac præsignificat ea quæ posterioribus temporibus in Ecclesia finem acceperunt. Quam etiam secundum Orbem terræ nominat sanctissimus Apostolus dicens; *Non enim Angelis subiecit Deus Orbem terræ futurum de quo loquimur*; Orbem terræ nominans Ecclesiam, propterea quòd à Petro quidem esset fundanda, ab ipso autem excitanda; sicut etiam nominabat nouam quæ tunc inceperat produci. Si enim per res omnes quas & contemplatus est & construxit Moses in monte Sinai, Ecclesiæ typum priùs describebat (nempe & per sanctum Tabernaculum, & omnia quæ erant in ipso, & omnem cultum le-

Hebr. 2.

Ecclesia fundata à Petro.

Quæ Moses vidit in monte, erant typus Ecclesiæ.

galem) ne mireris, inquit ipse in rebus diuinis præclarus Olympiodorus; si rerum nominatarum quas anteà construebat & describebat, à Deo accepit rationes, ænigmaticè, obscurè, & arcanè. Hoc enim significabat quæ erat in Monte caligo & procella; nempe non esse manifesta mysteria quæ dicebantur & figurabantur, ne si resciuissent Iudæi, nostri (nempe Gentium) visitationem, sui autem desertionem, librum Legis comburerent & maximè propositæ Geneseos, & hinc maximum damnum & detrimentum acciperet Ecclesia. Contemplando autem sæpè eò redit prædictus Philosophus qui Alexandriam suis illustrauit libris (vt qui esset eius Diaconus) vt dicat in perfecta & absoluta immortalitate & ab interitu remotione creatum esse hominem benedictionem, & Masculum & Fœminam, & bestiarum generationem, earúmque esum proferens ad ostendendum interitum. Etenim lauacrum, inquit, eorum qui baptisantur in Christo, habet veram & perfectam ablutionem primi parentis Adam (quæ ad nos peruenit) abnegationis & peccati. Propter quam certè causam Infantes quidam illuminati, cùm sint ab omni (cuiusmodicúnque ea sit) iniquitate & peccato mundi, & spiritum acceperint, & Christum sint induti; sæpè in ipsa hora aut post baptismum decedunt nulli culpæ aut vitio affines sed sancti, vt testatur Paulus. Necesse est enim in his alterum dicere ex duobus: aut quod non sunt liberati per baptismum & spiritum à primi parentis Adæ peccato & abnegatione (quòd nulli vnquam venerit in mentem) aut quod liberati, iniustè in mortem reciderunt; aut quòd fuerunt quidem liberati, sed ad similitudinem primi sui parentis Adami & Euæ, induti corpore mortali, cùm per mortem ad vitam meliorem accesserint, interitui non obnoxia & immortalia tunc in resurrectione sua recipient corpora, nunc mortui, ne immortale & æternum sit & malum, vt dicit diuinus Gregorius: hoc est, ne perpetuò simus in interitu; sed in Christo induamur incorruptionem, Cui gloria & potentia in sæcula sæculorum: Amen.

Olympiodorus Philosophus, Diaconus Alexandrinus.

Baptismus habet perfectam ablutionem peccati.

DE IIS QVÆ EVENERVNT POST SEXTVM diem, Liber septimus.


T PERFECTVM *fuit cælum & terra & vniuersus ornatus eorum, & perfecit Deus in die sexto opera quæ fecit, & quieuit die septimo ab omnibus operibus quæ fecit.* Per hæc enim ostendit, & nos docet Scriptura, quòd quædam alia postmodum & fecit & facit, sicut testatur dicens; PATER *meus modo operatur, & ego operor.* Hinc moti quidam ex antiquis Expositoribus, nempe ex eo quod dixerint Deum cessasse die septimo præoccuparunt dicere quòd ostendit fore vt in septimo Sæculo (hoc est, in septimo annorum millenario) fiat Mundi consummatio. In singulis, inquit, diebus creationis fecit opera, dierum numero paria. Nempe in primo quidem die post simplicia elementa, opus vnum quod est lux. In secundo autem, duo; nempe Firmamentum, & diuisionem aquarum tam quæ sunt supra, quàm quæ infrà. Tertio die, tria; congregationem aquæ, & terræ detectionem, & fructuum ex ea germinationem. Quarto, quatuor; Stellas, & Solem, & Lunam, & eorum posituram. Quinto, rursus quinque opera; nempe quinque sensus, & pisces & iumenta, Volucres, & quæ in eis facta est benedictionem. Sexto die, sex; quæ sunt, ex terra animantia, & homo & fœmina, & quæ est eis exhibita benedictio, & quæ fuit eis data potestas, & cibus: In his enim (inquiūt Expositores) sex diebus, licet videre in eorum singulis symbolicum aliquod euidens indicium rerum quæ à Deo factæ sunt. Nam in primo die, separatio lucis & tenebrarum significat illam separationem eorum qui erūt *à dextris & sinistris* Christi, nempe Peccatorum & iustorum: Vnde etiam in tenebras exteriores iubet abire eos qui erant à sinistris. Similiter & secundo die aquam quidem partim in cœlos esse sublatam, partim autem rursus amendatam in tenebras abyssi; docet nos, quæ futura sint de iustis & peccatoribus ex nobis in consummatione. Manifestiùs autem nos docet dies tertius rationem resurrectionis, per hoc quod dixit is qui tunc erat Creator posteà autem futurus est iudex; *Congregetur aqua quæ est sub cælo, in congregationem vnam*, in iudicio. Et sexto die, quæ est ex terra, herbæ & arborum germinatio ac productio, ostendit resurrectionem; Quomodò etiam clamat Paulus: Tunc enim fructus operum & factorum vniuscuiusque cum eis surget è terra. Quod autem dicit Christus, quod *in resurrectione fulgebunt iusti tanquàm sol* ascendentes in nube ad cœlos, apertè ostendit etiam quartus dies per eam quam Deus in ipsa fecit diei à nocte separationē. Sed & quod à Deo dictum est in quinto die; *Producant aquæ reptilia animarum viuentium, & volucres volantes super terram*, admodum appositè id magis videmus fieri in resurrectione mortuorum, quando ij qui aliquando in Mari fuerant suffocati & deuorati à piscibus, resurgunt habentes animas viuentes & immortalia corpora: Ex quibus alij quidem fiunt Volueres in cœlum volantes. In die autem sexto, alij quidem dixerunt hominis è terra formationem, esse symbolum resurrectionis mortuorum corporum: Alij autem procreationem diuersarū bestiarum, & volucrum, & quadrupedum, & iumentorum, reptilia & bestias, dicentes, impios Gentiles: Quadrupedes autem & iumenta quæ sunt quidem immunda & ad esum non apta, eorum qui fide viuunt cum peccato; munda autem, habere figuram iustorum. His, inquiunt Interpretes, sic se habentibus, restat omnino dicendum de die septimo, quòd is latenter & occultè faciat futurum regnum. Nam quomodò in singulis diebus hebdomadis sex dierum, fuit aliquod signum resurrectionis, & Mundi, & hominum generationis; ita etiam in vnoquoque millenario sex millium annorum præteritorum, fuit aliquod symbolum & typus resurrectionis & transitus creaturæ ad id quod est melius; nempe ad incorruptionem & interitus remotionem. Ducentesimo quidem & tricesimo anno primi diei, genitus Seth (qui interpretatur, *Positus*) habet imaginem & similitudinem, quam ab initio à Deo acceptam Adam obscurauit per transgressionem, vt fusius ostensuri cum fuerimus in locis qui consequuntur. Millesimo autem quingentesimo anno (ad vesperam tendente Meridie Sæculi) trāslatus est Enoch qui fuit primitiæ & figura, hominum ad melius translationis & reformationis: Nam Enoch interpretatur, innouatio. Vnde septimo die significante translationē qui fuit septimus ab Adamo, fuit translatus. Bis millesimo autē quingentes. anno (quod est dimidiū tertij diei Sæculi) facta est Mundi reformatio post diluuiū per Noë; Nā Noë quoque, interpretatur reformatio. Similiter & ter millesimo quingentesimo anno (quod quidē est dimidium quarti diei) generati sunt duo populi, Israel & frater eius. Quòd si hoc non admittis in signum Resurrectionis; scias quòd eodem quarto die egressus est Israël ex Ægypto, & ingressus est in terram Promissionis. Nunc autem exitum ex Ægypto interpretantur Interpretes, non solùm de vocatione Gentium, sed etiam de exitu è Mundo, & ingressu ad veram terram Promissionis; nempe ingressu supernæ Ierusalem: quoniam rubrum & ignescens Mare ignis fluuiatilis, omnes transimus veri spirituales Israelitæ; qui verò factis imitantur Ægyptios, igne submerguntur. Habes etiam dimidium quinti diei: Res enim quæ sunt in Sæculo, sunt exemplaria constitutionis supernæ Ierusalem, vbi *in Sancta sanctorum introiuit.* Præcursor Christus, quem priùs descripsit ac præfigurauit Arca templum ingressa, quando chorum duxit & saltauit in typum Christi Dauid exultans. Quoniam quæ penerat ratione prædita hominis Arca, in qua in primis repositum fuerat Dei Testamentum, est inuenta & liberata à malignis Alienigenis qui eam redegerant in captiuitatem. Hæc autem omnia quę dicta sunt quinque indicia in quinque meridiebus quinque

Consummatio Mundi in septimo annorum millenario.

Diebus singulis opus fecit Deus opera numero dierum paria.

Matth. 13.

Dies septimus significat futurum regnum.

Resurrectionis symbola.

Mundi reformatio per Noë, facta.

Exitus ex Ægypto, significat exitum è Mundo & ingressum in supernam Ierusalem.

Hebr. 6.

Arca templum Dei ingressa, quid significaret. 2. Reg. 6. c.

quinque dierum seu mille annorum sæculi, non solùm sunt symbola Mundi translationis ad melius & in incorruptionem interitúsque remotionem, sed etiam ipsius Christi apparitionis hominísque susceptionis & Ecclesiæ. Meridie enim & vespere sexti diei, seu quinquies millesimo & quingentesimo anno incarnatus apparuit: quandoquidem ad vesperam sexti diei in sui typum formauit Adam. Et ideo nonnulli conijectantes dixerunt, quòd vespere & dimidio sexti diei fit resurrectio, quam significant sex vespertina crepuscula; vt qui digni sint hæredes regni cælorum. Quo quidem (inquit) septimo die, extremum omnium quæ creauit, ineffabiliter & mysticè construxit Deus Verbum, sicut nos docet ipse Deus Verbum, dicens: VENITE BENEDICTI *Patris mei, estote hæredes parati vobis regni a constitutione Mundi*: Nam quomodò creaturam cõdidit, tunc etiam parauit regnum. Hoc est enim vicesimum secundum Dei opus, Viginti enim duo opera fecisse Deum dicunt, & Iudæorum & Christianorum Interpretes. Ex quibus quidem, viginti & vnum iam paulò antè enumerauimus facta in sex diebus. Vicesimum autem secundum est futuri Sęculi paratum regnum, & spiritualis contemplatio. Propterea viginti quoque duobus libris enumerat omne vetus suum Testamentum. Sed neque nouit quamobrem, neque sit mysterium vicesimi secundi numeri; Neque cogitat quòd vicesimus quidem numerus constat ex duobus perfectis numeris seu denarijs, significans Christum ex duobus perfectis cõpositum (ex diuinitate, inquam, & humanitate) duo Testamenta scripsisse; Mosaicum (inquam) Decalogum; & Euangelium. Sic enim impletur vicesimus secũdus numerus ex duobus Decalogis & duabus essentijs, nempe diuinitate & humanitate. Quoniam autem peruenit oratio ad ea quæ sunt dicenda de quiete & cõsummatione septimi diei, non erit alienum, si aliquas Christi voces quas dixit de Cõsummatione, in medium adducamus. Nam in parabola quidem decem Virginum dixit media nocte seipsum tanquàm sponsum è cœlo venturum: Media nox autem censetur quarta pars noctis & diei. ET FACTVM *est*, inquit, *vesper*; *& factum est mane dies vnus.* Dies autem Christi habet tempus mille annorum, vt iam sit media nox præsentis diei septimi ducentesimus quinquagesimus annus. Quòd quidem Dominus rursus tacitè significat; dicens; *Quis est* ergo *et fidelis prudens ille seruus quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem? Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum: Et si in secunda & tertia vigilia venerit & sic inuenerit, beatus est ille seruus.* Cùm sint ergo quatuor noctis vigiliæ, cur non dicit Dominus, quod etiam in prima vigilia; sed cum nominasset secũdam & tertiam, præterit primam & quartam? Quamobrem mediæ nocti rursus conuenit secunda & tertia vigilia: Perfecta enim & plena nox est quingentesimus annus diei. Nox autem dimidia, est annus ducentesimus quinquagesimus. Similiter etiam complementum secundæ vigiliæ, & principium tertiæ vigiliæ, est idem ducentesimus & quinquagesimus annus. Hæc autem Interpretes dixerunt per coniecturam ad animi recreationem, non autem definiendo: Neque enim ignorarunt eum qui dicit; *De die illa & hora nemo nouit, nec Angeli Dei*: Cæterùm Deus (inquiunt) abscondit ipsum diem & horam; possunt autem, tempora conijcere ij qui habẽt sanctum Spiritum, qui cognoscit etiam *profunda Dei*. Conijcimus ergo, inquiunt, ex rebus & verbis Dei & Scripturæ, quæ de Consummatione dicta sunt ænigmaticè & occultè; Sed verum exitum & finem Sæculi solus scit creator tẽporum & vniuersorum. Quoniam autem nihil est adeò iucundum hominibus, & maximè in quibus habitat fascinum inuidiæ, atque maledicere & aliena euertere, in perniciem & euersionem auditorum: & sunt (vt est verisimile) nonnulli reprehensuri calculum & numerum annorum quos diximus in sex vespertinis crepusculis & meridiebus annorum millenariorum, paucis fortasse

Christus quoto Mundo anno sit incarnatus. Resurrectio quando sit futura.

Matth. 25.

Regnum futuri Sæculi paratum Electis. Vicesimi secundi numeri mysterium.

Matth. 25. Dies Christi est mille annorum.

Matth. 24.

Luc. 12.

Noctis sunt quatuor vigiliæ.

De Mundi fine quæ dicuntur, per coniecturam dicuntur.

1. Cor. 2. c.

Maledicere est iucundum hominibus.

annis deficientibus aut etiam redundantibus; ad eos A quidem qui sunt digni vt reddantur certiores, illud respondemus, quòd huius rei causa orta est ex ijs qui certis temporibus fuêre Chronographi, qui in numerando nõ consenserunt. Secundò autem est sciendum, quòd aliter computant Hæbræi annum, & aliter Romanæ Ecclesiæ traditio: Nam illi quidem, trecentorum quinquaginta quatuor solùm dierum, annum numerant. Cæterùm quòd Ecclesia non exactè aliquando inuenerit numerum in quadringentis annis quibus dixit Deus Abrahæ in seruitutem esse redigendum & affligendum Israelem ab Ægyptijs; quoniam non seruijt Ægyptiis quadringentos annos: & de centum viginti annis quos dixit Deus Noë, cùm ij non sint finiti, & de plurimis alijs similiter, & quòd in septimo die non æque atque in alijs diebus dictum sit, *& factum est vesper & mane dies vnus*, B esse euidens signum eius quæ in ipso facta est consummationis & complementi, dicunt sancti Patres, & maximè sanctus Clemens & Irenæus, & Iustinus Martyr & Philosophus qui doctissimè scribens Commentarium sextum sexti diei, dicit sextum numerum esse intelligentem hominis animam, & quinque eius sentientes sensus. Vnde etiam cùm multa disseruisset de sexto numero, dicit omnia quæ à Deo sunt fabricata sescupliciter diuidi; in res intelligentes & immortales, cuiusmodi sunt Angeli, & in res ratione præditas mortales, cuiusmodi sunt homines; Et in res sentientes rationis expertes, cuiusmodi sunt iumenta & volucres & pisces; Et in res prodeuntes, mouentes, & insensiles, cuiusmodi sunt venti, & nebulæ, & aquæ & stellæ; & in res quæ augentur & C quæ etiam mouentur cuiusmodi sunt arbores, Et in res insensiles quæ non mouentur, vt sunt montes & terra, & quæ sunt huiusmodi. Omnes enim res à Deo creatæ in cœlo & in terra, tangunt vnam & aliquam ex his distinctionibus, & sunt eis definitæ ac circumscriptæ. Aduerte autem tu qui Dei pulchra faciẽtis res pulchras consideras, vt cognoscas quòd ipse quoque sex dierum creaturæ opifex Christus, constat quodammodò ex numero senario; nempe ex carne quæ constat ex quatuor elemẽtis, & ex intelligente anima, & ex diuinitate. Ergo si *omnia per ipsum et in ipsum tendentia* creata sunt, *tã quæ sunt in cælis quam quæ in terra*; vt clamat Paulus, omnino significãt qui est in ipso senarium, & eum significat omnis numerus senarius qui est in veteri & nouo Testamento. D Quamobrem vt quod Christus omnia contineat & omnibus dominetur, propterea sexies millenarius numerus est vnitas omnis calculi & numeri qui dicitur in Literis, vnitatúmque & binariorum & ternariorum, & in creaturis terrestribus & sublimibus continet omnem numerandi scientiam & quantitatem, cùm sit significans. Et hac de causa sexto die factus est primus Adam, vt qui præfiguraret imaginem indiuiduarum partium Christi qui est sex dierum, qui est secundus Adam, qui quidem sexto die Sæculi super terram fuit & apparuit; nempe anno quinquies millesimoquingentesimo, qui est meridies & vespera, & sextæ horæ medius, videlicet sextæ quantitatis sæculi. Quamobrem ea de causa vespere sexti diei in horto & paradiso factus est Adam ex terra & ex diuina insufflatione (ex natura, inquam, aspectabili & E quæ non cadit sub aspectum) præfigurans ac priùs describens Christum aspectabilem, & non aspectabilem; qui hora sexta in sua imagine & Ecclesiæ, visus est Abrahæ in quercu Mambre, & illic fecit sacrificiũ vituli) qui mortem eius præfigurabat) & cibi humani fuit particeps, cùm non suam præfigurans, sed Saræ soluit sterilitatem, nempè Ecclesiæ; Parit enim non vnum, sed multos Isaacos: & in tabernaculo fuit typicè; Illic enim etiam ambulat in Ecclesia Dei. Meridies autem rursus & vespera erat & hora sexta, quando Ioseph in Christi imaginem prãsus est simul cum fratribus, & Christi Pascha admirabiliter præfigurauit ac descripsit, & tunc cisternam habitauit, antè indicans ac significans Christum qui post illam cœnã iaciendus erat in cisterna Sepulchri.

Chronographi non consenserunt.

Gen. 15. c.

Iustini Martyris Commentaria in Hexaemerõ. Rerum omnium à Deo conditarum 6. genera.

Christus constat quodammodò ex senario. Coloss. 1.

Sexies millenarius numerus est vnitas omnis numeri qui dicitur in literis diuinis. Adam cur sexto die factus sit.

Christus visus Abrahæ ad quercum Mambre. Gen. 18. a.

Ioseph proiectus in cisternam, figura Christi sepeliendi. Gen. 37. Ruth Samaritana mulier typus Ecclesiæ.

Hora sexta erat etiam quando Ruth illa admiranda (tanquàm formosa Ecclesia) cùm ad ipsum Booz in agro, tá- A quam ad Christum appropinquasset, esuriens ab eo est nutrita, & eius facta est coniux. Quam pulchrè imitata Gentilis illa Ecclesiã, sapiẽtissima Samaritana, quæ quærens quemadmodùm Deus sit adorandus, sexta hora ad Christum accessit iampridem sedentem super puteum piscinæ & lauacri, quando eam liberauit à seruitute & ab aqua ferenda alienigenis simulachris, seu à sudando in laborando in iis quæ ad eos pertinent; sicut illa aquam ferebat Samaritanis. Has autem omnes vesperas sextæ horæ facit Christus, propter illum hominem qui in Paradiso euersus fuerat in illa vespera in illo Paradiso. Nam propter Protoplastum Adam, in ortum Golgotha seu Caluariæ, vesperè & sexta hora in Crucem ascendit sexto die Sæculi, in sexta hora eiusdem millenarij B & 7. hora hebdomada, & sexta hora sexti diei, quam apertè præfigurauit & descripsit nobis ad enarrandum propositus sextus dies creationis sex dierum. Nam si quis velit tanquàm in medio horum duorum dierum considerare (illius, inquam, sexti diei, & illius in quo secundus Adam Christus voluntariè passus est passionem) inueniet eos esse veluti quasdam sine discrimine sibi respondentes & eiusdem naturæ duas imagines, se inter se imitãtes & per res inter se assimilatas, Et iam quidem fusè de his à nobis dictum est in mystica contemplatione salutarium Christi Dei nostri passionum in Euangelio, & illuc transmittimus discendi studiosum auditorem. Similiter quoniam totus scopus & institutum huius operis est vt ostendamus quòd vniuersa sex dierum C tàm in cœlis quam in terris creatio, præfigurat ac describit Dei verbi incarnationem & Ecclesiam; necesse est de cæterò vt ex multis pauca adducamus antiqui illius diei, quemadmodùm præfigurant ac describunt salutares Christi passiones quas passus est sexto die, & quomodò Adam à Deo factus liberi arbitrij, voluntariè & non ex aliqua necessitate passus est, ita liberè & voluntariè Dominus subijt passionem. Attende etiam ea quæ sunt dicenda, & videbis sexti typos præfigurantes ac describentes veritatem. Ab esu, Adam passus est mortem; quamobrem Christus quoque cùm surrexisset ab esu cœnæ, venit ad passionem & mortem. Per Euam passus est Adam; Similiter etiam Christus passus est propter Ecclesiam. Et vt paucis dicam, comedit Adam, fugit, la- D tuit in orto; quæsitus, inuentus condemnatus fuit: Similiter etiam Christus comedit cœnam, voluntariè fugit in montem Oliuarum oraturus, Latuit in orto Torrentis Cedron, Quæsitus est à Iudæis & inuentus est à Iudæis & inuentus est à Iuda signum dante osculum; Eiectus est illinc vinctus in orto sicut Adam ex Paradiso, probróque & ignominia est affectus lignum portans humeris & factus execratio ac maledictum condemnatus est propter eum qui fuerat condemnatus, dicentibus ijs qui cõuenerant, *dignus est morte*. Et egressus extra Ierusalem, mortuus est propter Protoplastũ qui mortem subierat, ex orto egressus. Est proditus, & in ortum est ingressus, & in ligno crucifixus propter hominẽ qui proditus fuerat in orto, & ingressus erat in ortum Mun- E di vt vesceretur omnibus tanquàm oleribus fœni: Fuit enim instar bestiæ & expers rationis post peccatum. Vnde hortus fuit in Caluaria, vbi Adam iacebat mortuus Illuc cùm venisset Christus, pendens in ligno, Latroni aperuit Paradisum. Nõctu Christus comedit Pascha ante passionem, quoniam sic & noctu comedit Adam & est proditus, priusquàm aperti essent eius oculi. Tria ligna erant in Paradiso; Vnum quidem vt vesceretur homo: Alia autem duo, alterum quidem lignum vitæ, alterum autem lignum cognoscendi bonũ & malum: Proptereà tria quoque ligna confixa sunt in horto Golgotha seu Caluariæ; Vnum quidem lignum Latronis qui fuit seruatus, vt per ipsum percipiamus non diffluentem fructum Theologiæ sicut ille Paradisum, & eo vescentes lætemur, non semel sed semper cum comedentes. Crux Christi est lignum vitæ, in quo in altum sublatus

Christus hora sexta passus.

Adam factus à Deo liberi arbitrij.

Adam iacebat mortuus in Monte Caluaria.

Tria ligna in Paradiso, & Monte Caluaria.

Crux Christi lignum vitæ.

fuit botrus maturus, & vita nostra ante nos visa est suspensa, cuius virtute multi etiam ex monimentis, viuificati, sunt excitati. Lignum autem cognoscendi bonum & malum, fuit Crux Blasphemantis, quæ in bonum quidem illi fixa fuerat, si voluisset; in malum autem illi cessit, cùm temerè ab ingrato animo linguam extendisset, & pro Dei laudatione Deum blasphemasset & comedisset mortem ad interitum. Tres Rei peccârunt in Paradiso, Adam, & Eua, & Serpens, ex quibus duo quidem sunt seruati, vnus autem periit: Cùm ita proptereà tres rei pendêrent in Caluaria (nominabatur enim etiã Dominus, *peccatum*, etiamsi propter ipsum non esset reus ac condemnatus, & cùm non esset, solùm haberet quod diceretur) vnus Latro ingratus, cùm esset typus Diaboli & Serpentis & Iudæ qui se in ligno suffocauit, periit. Nam quomodò scriptum est quòd dolo deceptus est Adam; ita etiam Iudas osculo & dolo fecit proditionẽ: & quomodò dictum est quod Diabolus ingressus est Serpentem; ita etiam scriptum est quòd ipse Satanas intrauit in cor Iudæ Discipuli Christi. Fuit autem aliquando quoque Satanas in cœlis Discipulus Christi cum cæteris sanctis Discipulis (cum Angelicis, inquam, Virtutibus) sed erat vnus ex Principibus. De eo enim dictum est; *Vos autem sicut homines moriemini, & tanquam vnus de Principibus cadetis.* Quamobrem Iudas quoque erat vnus ex summis discipulis; inter quos ei quoque creditum & in manus datum fuerat marsupium. Et ne eadem dicamus, quæ (vt dictum est) diximus in mystica passionum Christi contemplatione, qui studiosè audiunt eum qui iubet & dicit, *Scrutamini Scripturas* accipiant in manûs libros cœli & terræ, & alium qui dicit, LIBER *generationis Iesu Christi* creatoris cœli & terræ, & illic diligenter reputantes quæ in hoc die facta sunt in paradiso tempore primi Adami, & quæ facta sunt in illo sexto die in Passione secundi Adami, inuenient sigillatim & citra defectũ omnia simili modo esse in vtrisque, Adam primum, & Adam secundum; hortum Paradisi, & hortum in quo versatus est Christus. Illic inobedientiam, & hic auris amputationem, illam quidem per Protoplastum, hanc autem per eum qui tenet primam sedem. Ligna quæ sunt in Paradiso, & ligna quę in Golgotha, seu Caluaria; Esum in Paradiso, & esum in cœna mystica. Adami soporem adducentem in ecstasin & mentis excessum; Christi soporem in Cruce: latus nudatum ad vulnerationem, nudationem post Esum Adami, & nudationem post Cœnam Christi; Vestes enim exuit. Proditionem per Serpentem, & proditionem per filium Viperæ Discipulum. Vesperam in qua se abscondũt à Deo protoplasti & vesperam in qua Deus Adami caput Caluariæ subiectum execratur vt ferat spinas cum tribulis, & spinas in capite Christi. Tristitiam in pariendis filijs, & tristitiam conturbantem Christi animam *vsque ad mortem.* Sudorem pani immixtum cum labore, sudorem tanquàm grumos aut guttas sanguinis. Romphęam obstruentem ingressum Edem, & romphæam aperientem latus Christi. Nec hæc solùm, sed etiam duorum quasdam similitudines: Illic Diabolum & Serpentem, hîc Pilatũ & Caïpham. Hinc & hinc Adamum & Euam, & medium lignum: & hîc blasphemantem hinc latronem: & illinc alium, Deum laudantem, & medium lignum, sed Crucis. Et indumentum illic ex ficu, & hic indumentum ex linteo. Et tunc quietem, & sabbatismũ hic perfectum. Duas enim quietes docemur ex libro proposito qui dicitur Mosaïcus; *Et perfecit Deus in hoc die opera sua quæ fecit.* Quædam autem exemplaria habent, *quæ fecit Deus super terram.* Hæc est prima quies, audi etiam secundam: Statim enim dicit; *Et quieuit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit, benedixit Deus diẽ septimum, & sanctificauit eum, quoniam in eo quieuit ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus.* Si ergo Deus quieuit in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit, quomodò dicit posteà quòd Deus *oriri fecit* adhuc *ex terra omne lignum pulchrum ad videndum & bonum ad comedendũ & plantauit Paradisum & finxit Deus ex terra omnes bestias*

& agri

Tres Rei in Paradiso, & in Caluaria.

2. Cor. 5.

Iudas, se in ligno suffocauit.

Satanas fuit aliquando Discipulus Christi.

Psalm. 81.

Io. 5.

Matth. 1.

Christi ad Adamum anagoge.

Adami caput Caluaria subiectum.

Gen. 2. a.

Gen. 2. b.

Deum die septimo quieuisse, de Christo est intelligendum.

agri, & omnes volucres cœli? De Christo ergo rursus est intelligendum. Etenim in sexto die quieuit ab omnibus A operibus suis quæ fecit super terram; carne pro nobis mortuus: Cùm autem esset profectus ad Spiritus qui erant in carcere Inferni, illic fecit omnia opera sui aduentus quæ cœperat Hoc est quies secunda. Quem quidem diem septimum (vt qui sit, creaturæ, salutaris & sanctus) benedixit, quoniam in eo quieuit ab omnibus operibus suis. In eo facta est salus ijs qui erant sub terra, sicut ijs qui erant super terram. In eo spoliati sunt Inferni. In eo liberatus est Adamus ex mœroribus. In eo dominatus est Christus, mortuis sicut & viuis. Tunc à Cruce ambulauit in vestigiis abyssi. Cumque illuc descendisset, tunc ei metu apertæ sunt portæ mortis, tūc mortem est scrutatus, tunc alligauit Tyrannum, tunc perfecit opera sua propter quæ aduenerat. In hoc die septimo requieuit ab omnibus operibus suis, cùm resurrexisset vno Sabbatorum & eum benedixisset, quoniam sexto quidem die perfecit omnia opera sua quæ erāt creationis; quiescit autem in septimo die Sæculi, ab omnibus operibus suis (nempe prædicationis) quæ cœpit Deus facere in sexto die Sæculi, qui quidem est & finis & principium vtriúsque creationis. De cæterò ne se iactent & magnos spiritus concipiant adoratores Sabbati, & Sabbati voratores Iudæi. Non enim illud Sabbatum benedixit Deus quod erat in principio creationis; Non enim in eo quieuit ab omnibus operibus suis: Si autem in eo non quieuit est perspicuum quòd ei non benedixit etiamsi ob ea quæ dicuntur irascatur Iudæus dicens quòd in illo die septimo Deus quieuit ab omnibus operibus suis. Eum autem refellit & ei os obstruit diuina Scriptura dicēs, quòd post septimum diem Deus *oriri fecit è terra omne lignum pulchrum, & plantauit Paradisum*, & finxit è terra bestias & iumenta & Volucres, & dedit Adamo mandatum, & fecit ei *tunicas pelliceas*, & statuit Cherubim ad custodiendum Paradisum, & fecit Arcum suum in nubibus. Alia quoque plurima opera cernitur fecisse Deus post septimum, sicut dixit paulò antè. Et quoniam Iudæorum magni sunt spiritus & magna arrogantia aduersum nos de vulgò iactato & helluone eorum Sabbato; discant imperiti quòd non inuenimus Deum cuiuis rei benedixisse, & rursus posteà conuersum eam odio habuisse & execratum esse (sicut & dixi alibi, & sicut etiam sumus dicturi in pœna Adami) Si autem sensili huic diei vestro sublato benedixit & eum sanctificauit; quomodo vestrum diei Sabbati cultum dissoluit & exterminauit? Quomodò vestrum Sabbatum est execratus & odio habuit, dicēs vobis per Prophetam; *Neomenias vestras & Sabbata odit anima mea.* Res Deo exosa, quomodo potest esse sancta? Dies Deo exosus quamnam Dei accipit benedictionem? Pulchrè autem & Deo conuenienter dixit; *Sabbata vestra odit* Deus vt profana & iniqua: Sed non Sabbata nostra spiritualia reiecit Deus aut est execratus. Nam tibi quidem Iudæo legem tulit Deus de ocio ac cessatione diei Sabbati, ad conuincendam tuam ab eo defectionem & iniquitatem, vt qui præsciret fore vt eius præcepta nō obseruares & idola coleres; vt cùm videret Deus colētem idola, & deinde ocium agentem Sabbato & nihil operantem, ex te sciscitaretur; propter quam causam quiescis Sabbato nihil operans? Cui necesse habebis dicere, quòd sex diebus creauit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt; septimo autem die Sabbati quieuit ab omnibus operibus suis. Ad quæ omnino respondebit filius tuus dicens: Et si est Deus creator cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt oporteret te magis eū adorare & colere vt Creatorem, & non creaturas. Hæc est causa & occasio, vt dicunt Interpretes, propter quam Deus legem tulit Iudæis acriter & cum minis vt cessārent & otium agerent die Sabbati; vt de eo narrantes, & rogantibus interpretantes, inueniantur ore proprio suam accusare impietatem. Nam si corporaliter intelligamus Dei præcepta quæ mandauit non facere in Sabbato, quid confert ad hoc vt Deo placeat, ignem omnino non accendere in Sabbato, sed degere in tenebris? Quid autem prodest ociosum esse Camelum & Asinum & Bouem vestrum in Sabbato? Quid autem Deum iuuat si Iudæus iter nō ingrediatur die Sabbati? Sed hæc omnia intelliguntur spiritualiter & adimplentur. Nam si dies septimus esset omnibus diebus prestantior ac honorabilior, cur iussit Deus circumcidi die octauo & nō septimo? Non habet enim lex Iudaïca quidquam Circumcisione magis necessarium. Si onus corporale iussit Deus non tollere in Sabbato; quomodò in Hierico septem deinceps dies totus populus Israël, portans currūs suos & vasa sua circuiuit ciuitatem? Si corporalem & sensilem ignem iussit Deus non accendere in Sabbato; quomodò post Legem cùm venisset Moses ad faciendam Scenopegiam, seu festum tabernaculorū, ad duodecim deinceps dies accipiens oblationes & sacrificia Tribunorum duodecim tribuum, singulis diebus ignē accendit & obtulit sacrificia? Non ergo ô Iudæe; non (sicut tu existimas) benedixit Deus corporali Sabbato quod præterit & perit & non ampliùs apparet. Neque camelos & asinos & mulos iussit Sabbatum agere; Alioqui nec circumcidere iussisset octauo die, Neq, tibi legem statuit de onere corporali: Nam & Sabbato Puerpera tollit infantem quem lauet, & tu portas filium tuū & filiam tuam in humeris tuis; quod quidem est onus carnale, & non spirituale. Iussus es autem non facere *omne opus seruile*, sed quæcunque sunt animæ & pertinentia ad animam. Adesdum ergo & à me disce, quemadmodùm rectè & Deo conuenienter oporteat te Sabbatum agere; & septimum tuum diem (hoc est, quietem) facere quietum ab omnibus operibus tuis à rebus ad victū pertinentibus. Sex dies, per quinque sensus & immortalem animam rectè operare. Credo Christo qui sexto die Sæculi homo factus est, qui septimum Sabbati legalem cultum aboleuit ociosumque reddidit & inefficacem, & extinxit ignem ipsius sacrificij & iussit non ampliùs eiusmodi ignem accendere die Sabbati, sed deinceps ociosum esse tuum bouem, & iumēta tua; hoc est, non ampliùs sacrificare Deo belluinum sacrificium; sed Deo sacrificare rationale sacrificium laudis, & pro igne sensili Deo diuinam succendere illuminationem: neque portare onus carnale, neque animam subijcere suis appetitionibus: neque ingredi in hac via aspera, quam prohibuit qui dixit; *Ego sum via.* De cæterò recede à tuo die septimo, & peruení ad octauum & primum Christi, vt spiritualem accipias Circumcisionem, in sensibus tuis sanctam accipiens Trinitatem, & effectus pulcher octonarius. Sed hæc quidem ad Iudæum propter eius iactantiam & gloriationem de Sabbato corporali, qui huc vsque pulchrum non nouit Sabbatismum. Sabbatum enim & Sabbatismus & requies, est vera peccati depositio, quam ego Fidelis iubeor agere, & festum celebrare in requie & adimpletione vitæ meæ. In quo Sabbato me iubet Deus non tollere onus peccati, & sarcinam huius sæculi. De quibus dicebat quispiam; *Peccata mea supergressa sunt caput meum, Tanquàm onus graue grauata sunt super me.* Quamobrem iubemur neque accendere ignem in eo Sabbato, mortis; hoc est, extinguere omnem ardorem cupiditatis, & *tela maligni ignita* quæ compellunt ad flammam æternam. Porrò autem Deus nos prohibet iter ingredi in Sabbato, congruenter ei qui dicit; *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Iubet autem Sabbatum agere, ligaréque & in otio continere asinum & bouem; hoc est, voluptatem & iram & cæteras rationis expertes animi perturbationes. Sed & terræ iubet esse Sabbatismum & requiem ac ocium, & neque seminare nec semen suscipere eos eásque qui & quę possunt exercere virginitatem ipsius carnis. *Quoniam qui seminat in terram carnis, ex carne metet* corruptionem ac interitum. Maxime autem omnium iubet nobis vt quiescere faciamus ancillam nostram & seruum nostrum die Sabbati; Hoc est, animam nostram & corpus nostrum non

Christi descensus ad Spiritus qui erant in carcere Inferni.

Sabbatum cui benedixit Deus quodnam sit.

Gen. 3. d.

Gen. 8. b.

Deus rem cui benedixit nunquam est execratus.

Esa. 1.

Cur Sabbato quiescere Deus iusserit Iudæos.

Ex. 35. a. Exo. 20. b.

Ios. 6. a. Forte melius, arma.

Num. 7. b.

Opus seruile quod sit.

Sabbatum quomodo agendum.

Ioan. 14.

Sabbatum verum quid sit.

Psalm. 37.

Eph. 6. c.

Psalm. 118.

Sabbatum carnis.

Gal. 6.

seruire Principi huius Sæculi, sed esse in libertate & remotum ab animi motibus ac perturbationibus. Nam septem dies significant septem nostras ætates, per quas vitæ præsentis iter ingredimur vt perueniamus ad octauum diem in quo non est seruitus aut cultus, vitã nempe futuram, Quoniam sacrificium aut latria (nempe Dei seruitus) non ampliùs offertur Deo pro peccatis. Nam primus dies est infantis, vt baptismate statim illuminemur, Lux enim facta est primo die. Secundus, ætas pueri, vt verbis conformemur cælestibus; Secundo enim factum est Firmamentum. Tertius, adolescentis, vt castitate exsiccemus qui tunc existit humorem animi motuum & affectuum qui mouentur; Tertio enim die Deus discreuit aridam ab humida. Quarta, est iuuenis, vt virtutes quatuor tanquàm astra feras, & appareas in Mundo tanquàm luminare; Sol enim factus est quarto die. Quintus, est status mediæ seu consistentis ætatis, vt frænes quinque tua sensuum animalia, ne ad peccatum exiliant; Quinto enim die facta sunt animalia. Sextus, est honorabilis senectus, vt tanquàm verus homo ratione firmam ac stabilem reddas imaginem quę erat ab initio, & corporis lutum effingas & componas virtutibus; Sexto enim factus est homo. Septimus est decrepitæ ætatis, nempe cana conscientia, grauisque honesta ac pia vitæ agendæ ratio, vt terræ per mortem prouocetur requies, quando tanquàm albescens spica & tanquàm maturum frumentum recedes in tempore portatus in sepulchrum, vadens ad Patres tuos nutritus in senectute bona; Septimo enim die Dominus ab operibus suis Euangelicis quieuit in sepulchro, & deinceps constanter expectes octauum; à sepulchro, inquam, resurrectionem, die enim octauo Dominus surrexit à mortuis. His & huiusmodi rebus, Dei celebrabis Sabbatum. Huic verè Sabbato benedixit, & id sanctificauit Deus. Atque tibi quidem qui es Iudæus carnaliter; vt videtur, est necessaria Sabbati obseruatio, vt quæ sit posita ad conuincendam tuam iniquitatem, vt dixi paulò antè. Mihi autem qui sum Fidelis & qui perfectè recessi à cultu idolorum, minimè opus est hoc multorum coquorum Sabbatismo, in quo asinus tuus & camelus, & canis tecum agunt Sabbatum, vt qui sis expers rationis. Existimas enim, quòd Deus, vt qui laborauerit in operibus sex dierum factæ ab eo creaturæ, & velluti imbecillus fessúsque sit redditus, ea de causa benedixit diei septimo, vt qui in eo acceperit requiem & remissionem ex labore. Sed non ita habet. Audi enim Prophetam dicentem: DEVS *magnus & fortis, non esuriet neque erit defessus.* Dic ergo septimo quiescere facit ac implet creaturam Opifex, vt ostendat increatam Trinitatem: Septem enim & tres fiunt decem. Denarius autem numerus est qui continet & implet omnes numeros, vt dixerunt qui sunt exculti disciplinis Arithmeticis. Porrò autẽ quartus quoq; rursus numerus, qui est quarti seu primi perfecti diei, quando sol factus est; est perfectus & minimè defectus, Decimum enim numerum cõtinet & implet: Quatuor enim & tres qui ipsos præcedunt, & duo qui sunt ante ipsos, & vnitas quæ eos præcedit, inuenitur perfectus denarius. Iam verò ab vnitate quoq; virtutes vsque ad quaternarium, efficiunt quantitatem denarij: Vnus enim & duo & tres, sunt sex; & quatuor, efficiunt decem. Quomodò enim omnis creatura, ita etiam omnes numeri, describunt id quod est in Christo mysterium. Est enim vnitas, vt qui vnicam habeat personam: Est binarius, vt qui sit perfectus in diuinitate & humanitate: Trinitas, vt qui sit in anima, corpore & diuinitate: Quaternarius, vt qui ex quatuor Elemẽtis hominem renouarit: Quinarius, vt qui cum corpore quod constat ex quatuor Elementis, renouarit etiam animam quæ est ad imaginem: Senarius autem, vt qui sexto die, Mundo apparuerit: Septenarius, vt qui nos fecerit requiescere à Sabbato Legis: Octonarius, propter baptismi Circumcisionem: Nouenarius autem, vt qui in tribus similibus prædicãtis mysterium Trinitatis; nempe naturali, scripto, & mystico, ter autem tres, sunt nouem: Denarius autem, vt perfectus & plenitudo Legis Decalogi, qui est ante secula Verbum & Filius Dei. Ipsi gloria & potentia in sæcula sæculorum, Amen.

Septem dies septem nostræ ætates. *Latria.* *Denarius implet & continet omnes numeros.* *Quartus numerus est perfectus.* *Omnes numeri describunt quod est in Christo mysterium.*

EIVSDEM LIBER SEPTIMVS.
De Dei nomine duplicato, & rerum Creatione duplici.

HIC EST LIBER *generationis cæli et terræ quãdo factus est dies in quo fecit Deus cælum & terrã.* Aures attentè aperiat Ecclesia, cor dilatet, & mentis oculos euidenter intendat, & *pulset ostium* apud eos qui tenent claues cognitionis, dicens; *Aperite mihi portas iustitiæ* diuinorum & arcanorum mysteriorũ, vt eas ingressus Dei populus possit aliquo modo intelligere quamobrem ante à Deo factã è terra hominis constructionem simplici quodam nomine diuina Scriptura vocat & appellat opificem, nempe Deum; ei nomini nullam addens compositionem aut additionem, vt quando dicit: *In principio fecit Deus cælum & terrã.* Et rursus deinceps; *Et dixit Deus:* Et; *separauit Deus intermedium lucis,* facto autem homine duplici (qui est, inquam, compositus ex terra & diuina insufflatione) statim Scriptura compositum quoque & duplex fecit nomen Opificis, eum appellans Dominum & Deum, idque non semel, nec bis, nec septies, sed in septemdecim Capitibus, ordine & deinceps ipsum nominauit Deum & Dominum, tanquam continuatione duplicationis & cõpositi nominis Spiritu sancto nos docens, & dicens: Cognoscite quòd qui olim ante secula simplex erat & incõpositus, sibi constructo humano tabernaculo, ei vnietur in Hypostasi in posterioribus tẽporibus, & fiet cõpositus qui erat ante simplex & incõpositus, compositã portans appellationẽ per incarnationẽ, vt qui appelletur Christus Deus; hoc est Deus & homo. Quę pulchrè cùm palpasset & vidisset Thomas, & in eo perspexisset duarum naturarum coniugationem, exclamauit dicens; *Dominus meus & Deus meus.* Quod si aduersùs ea quæ dicta sunt contradicit Iudæus, admitto contradictionem; sed ad eam, contrariam moueo dubitationem: nempe vt ipse mihi dicat, quam ob causam Opificis seu creatoris nomẽ non duplicauit diuina Scriptura, donec creatus fuit homo duplex à Deo effectus, nẽpe & materialis & expers materiæ, mortalis & immortalis, terrestris & cœlestis, vt dicit diuinus in Theologia Gregorius: Vt & rebus & verbis, Dei Verbi qui aliquando fuit simplex, compositionẽ & incarnationẽ, in homine priùs describat Scriptura. Quamobrẽ ipsum quoque potiùs quàm Angelos fecit Deus ad suam imaginẽ & similitudinẽ, dicens; *Omnia enim per ipsum & in ipso facta sunt,* priùs discutiens eius incarnationem compositionémque & combinationẽ; duas (inquam) indiuiduas Christi essentias; nempe & inaspectabilem eius diuinitatis, & aspectabilem ab eo indiuiduæ eius humanitatis; vniuersa iam aspectabili quã non aspectabili creatura, apertè eum effingente & eius exprimente imaginem. Propterea ergo duos fecit cœlos, alterum quidem superius quod habet essentiã apud homines non aspectabilem planéque inenarrabilem & inexplicabilem, in typum & imaginem inaspectabilis & inexplicabilis essentiæ eius diuinitatis: Secundum autẽ cœlum è terra sustulit, & ipsum posuit aspectabile & ipsum appellauit firmamentum, in figuram ac typum carnis eius immaculatæ, quã quidem à terra acceptam sursum sustulit. Est autem horum quoque duorum cœlorũ intermedia aqua viua, ad imaginem & typum sanctæ viuificæ Christi animæ quæ est media, vt rursus dicit Theologus Gregorius, inter diuinitatem & carnis crassitudinem. Quamobrẽ superiori quidẽ cœlo inferior est hæc aqua; hoc est, minorem Dei Verbi essentiã fert intelligẽs anima & ratione prædita: crasso autem & quod spectatur Firmamento est superior & præstantior, sicut etiam aliàs hæc dixi. Sciendum est enim quòd cœlum quod videtur, & cœlum quod est suprà aquã quod non videtur.

Matth. 7. b. *Psalm. 117. c.* *Cur Deus tãtum vocatur ante hominis creationem, post creationem autem, Dominus Deus.* *Ioan. 20.* *Cautè lege; nam: iam homines, quàm Angeli sunt creati ad imaginem & similitudinem Dei; imò Angelus simpliciter dicendus est magis quã homo ad imaginem Dei creatus. S. Thomas 1. par. quæst. 93. art. 3.* *Duo cœli, quid significent.* *Aqua quæ est in medio cœli & firmamenti, est typus animæ Christi.*

Christi composita Hypostasis.

videtur, habent inseparabilem & indiuiduam essentiam; quomodò vna Christi quæ est composita hypostasis, vt quæ sit ex duobus quæ cadunt sub aspectum, & ex vno quod cadit (nēpe corpore) Inaspectabilis enim est Deus Verbum, & anima; corpus autem est aspectabile, vt verum dicat Paulus dicens: *Omnia in Christo sunt condita, & quæ sunt super terram & quæ in cœlis, & visibilia & inuisibilia.*

Multa binario numero facta.

Quò fit vt propterea sint quoque duæ terræ, ea quæ cadit sub aspectum & ea quæ non cadit, quæ est apud nos scilicet & quæ est inhabitabilis aut Paradisus; & duo animalia, Angelus & homo, aspectabile; duæ aquæ, manifesta & non manifesta; duo spiritus; nempe spiritualis & diuinus, & vetus: duplex ignis, nempe materialis & non materialis, duplex lux, ea quę cadit sub aspectum & ea quæ non cadit. duo genera animationum & mobilium Potestatum; Mortale (dicatur enim & qui est in rationis expertibus animantibus spiritus, anima per abusum) & quod est in nobis immortale. Duplicia animantia, terrestria, & marina: duplex est vita, temporalis & æterna; duplex generatio, ex fœmina, & ex mortuis, duplex baptisma, per aquam & spiritum; duplex cognitio, præsens & futura, duplicia bona, temporalia & æterna, duæ Leges, scripta & spiritualis; duo Testamenta, duo populi. Duæ narrationes constructionis Adami; Vna simplex, Secunda crassa & terrena veluti dupla: Postquàm statim duplicat res Propheta Moses, vel potiùs qui loquitur in ipso Angelus; vt quæ sint symbola duarum Christi proprietatum. Vnde etiam ipsum ostendit duplicem Plantatorem; duplex lignum, sensile & id quod cadit sub intelligentiam; Duos narrans aquarum fluuios, duas quasdam plantationes, duos esus fructuum, duas animalium formationes, duas volucrum generationes: duplicem posituram hominis in Paradiso: duo cū Adamo colloquia, Vnum animalium, & vnum vitæ (hoc est, Euæ) & duos narrans in eo amictûs; Vnum ex foliis, significantem subtilem (quæ ex radice Paterna procedit) Verbi diuinitatem, alterum ex pellicea tunica eius quæ peperit.

Duæ viri mulieris appellationes.

duas mulieris narrationes, duas viri appellationes: Priùs enim formatus nominatur homo, posteà nominatus est Adam, hoc est, terra sanguinolenta. Similiter etiam duas Mulieris appellationes: Primum enim appellata est mulier, Deinde posteà, Eua, hoc est, vita. Non solùm autem Christo, sed etiam duabus Ecclesiis conueniunt duplices res Scripturę, quas nunc adduxi, propter duplicationem nominis Domini qui priùs nominabatur Deus, quando autem factus fuit homo, statim appellatus fuit & Dominus & Deus, carnis susceptę Dei Verbi dispensationem Scriptura perspicuè nobis pręsignificante. Nam quòd de humanę naturę ab eo susceptione accipiatur hoc nomen, *Dominus*, audi Dauid dicentem;

Psal. 117. Dominus accipitur de humanæ naturæ susceptione. Psalm. 109. Luc. 1.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & apparuit nobis. Et rursus: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, nempe post susceptam carnem, Sedere enim est proprium corporum. Vnde etiam Gabriel è cœlo hanc deduxit appellationem, dicens gloriosissimæ Deiparæ: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Et Gabrielis coangeli dicunt Pastoribus qui erant in Bethleem, *Natus est nobis Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Cum quibus Elizabet, vt præclarè par Angelis, Angeli mater; dixit pari Angelis, & quæ erat vel Angelus vel Archangelus & etiam suprà Angelos, Dei matri: *Et vnde mihi hoc vt veniat Mater Domini mei ad me!* Paulus autem id quod Christi Domini erat corporeum, nominat Dominum: *Non* (inquit) *Dominum gloriæ crucifixissent.* Et in descensu ad Inferos, & in assumptione ad cœlos, Dominum fortem & potentem, & Dominum exercituum Christum Angeli appellàrunt.

Luc. 2. Dei Mater Angelis superior. Luc. 1. 1. Cor. 2. Christi descensus ad Inferos.

Cur Deus nominatus est Dominus.

Quòd si vis etiam causam propter quam Deus nominatus est Dominus, post carnis susceptionem; ego id tibi confidenter interpretabor, diuinarum Scripturarum, & sacrorum earum Interpretum habens suffragium. Celeberrimus ergo & rerum diuinarum mysta Apostolicus Dionysius dicit in sapientissima sua Theologia, quòd Deus Græcè dicitur θεὸς, ex eò quòd omnia θεωρεῖ, id est contemplatur & aspicit: Dominus autem, nempe κύριος, ex eo quod κυριεύει; id est ditionem habeat ac dominetur. Κῦρος enim dicitur potentia ac dominatio; vt ἄκυρον dicitur, quod est ociosum & non habet robur ac potestatem, sed vacuum & inane redditur.

Deus cur dicatur.

Rectè ergo aptéque & conuenienter, in suo aduentu ad homines quando carnem suscepit & in terra visus est Deus Verbum, tunc etiam appellatus est Dominus: Nam anteà quidem nominabatur θεός; vt qui esset Mundi θεωρητής, id est, contemplator & inspector. Quando autem, cùm per carnem aduenisset, tyrannum inimicum nostrum percussit; quando mortem morte affecit; quādo nos à Dæmonum manu auulsit; quando docuit impies Dei cognitionem; quando Gentes à Patre accepit in hæreditatem; quando possedit fines terræ; quando dominatus est à Mari vsque ad Mare & à fluuiis vsq; ad fines Orbis terræ, tunc Dominus est appellatus, vt qui nostri dominaretur in quos antea dominatum obtinebat Diabolus. Idq; Dauid apertè prophetans ei dixit; *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quoniam ab ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini*: Et, *excelsus super omnes gentes Dominus* Iesus: Et, *Dominus regnauit, decorem indutus est* carnis, *Induit Dominus* hominem, Crucis *fortitudinem*, propter ipsum qui erat infirmus, *& præcinxit se.*

Psalm. 8. Psal. 112. Psalm. 92.

Et ea de causa Dominum Deum appellauit Scriptura, quando duplex ille homo compositus est ex luto & diuina insufflatione. *Finxit* enim (inquit) *Deus hominem, puluerem accipiens è terra, & insufflauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Vellem nunc carne mihi adesse ipsum Mosem huius Libri scriptorem, & ipsum interrogare causam duplicationis nominis Dei, si non statim expuisset in faciem impudentis Synagogæ Iudæorum. Quis enim, quæso, non obstupuerit quòd post complementum vniuersæ sex dierum creationis, cum venisset Moses ad summatim faciendam repetitionem, statim induxit duplicationem & compositionem nominis Dei, significans Christi susceptæ carnis dispensationem, nempè quod venturus esset ad omnia in summam & caput instauranda renouandáque, & nouam faciendam creaturam, & nouum hominem, & nouum cœlum, & nouam terram, & noua animalia, & nouas volucres, & nouos fructus, & nouos Paradisos, & nouos fluuios, & nouum Orbem terræ. Quod quidem apertè sciens Paulus dicebat: *Si qua est in Christo noua creatura, vetera prætierunt, ecce facta sunt omnia noua.*

1. Cor. 5.

Quod autem omni stupore & admiratione dignum est, est illud quod per vniuersam sex dierum creationem simplici & incomposito nomine nominās Scriptura diuina Creatorem, simplicem quoque & incompositam creaturarum faciebat narrationem: postquàm autem nomen duplicauit Opificis, statim in repetitione conduplicauit etiam facta opera, in eis non pauca faciens additamenta; nos apertè docēs mysterium nouæ in Christo creaturæ & Ecclesiæ. Non solùm enim super priores res, secundas multiplicat, sed etiam magnam & incomparabilem in secunda creatione nobis ostendit differentiam.

Secunda hominis creatio, multum differt à prima.

Nam in priori quidem narratione Creationis, dicit herbā & lignum frugiferum è terra germinasse: In secunda autem breui repetitione dicit Paradisum deliciarum & omne lignum pulchrum ad videndum & bonum ad vescendum, lignúmque vitæ, & plantam immortalitatis: Rursus primus terræ fluuius ex vniformi fonte irrigabat totam faciem terræ: Secunda autem irrigatio, ex quatuor fluuijs orbem terræ irrigauit ad fructûs ferendos. In prioribus animalibus, terra non produxit volucres: In secundis autem animantibus, animalia & volucres exortæ sunt è terra. In priori narratione creationis hominis, non meminit illius diuinæ salutaris & viuificæ Insufflationis; meminit autem in secunda. In prima creatione dicit, quòd masculum & fœminam fecit eos:

In secunda autem formatione hominis quæ tendit ad Christum, non dicit masculum & fœminam, *Nam in Christo Iesu non est masculus & fœmina*; est enim vnus Christus, & est eius vna singularis & indiuidua persona. Primum cibum communem iumentis & bestiis Deus dedit Adamo: Secundum autem, rationalem & alienum ab omni natura experte rationis. Prima animantia & iumenta Deus non vocauit; sed secunda adduxit ad hominem, & eis nomina imposuit. Considera quæso ea etiam quæ deinceps consequuntur. Antequàm poneretur homo in paradiso, nō fuit ei imperatum vt operaretur, & custodiret ligna priora cibi pereuntis; sed imperatum est vt secunda paradisi, cibi manentis in vitam æternam. Priùs homo erat solus & sine adiutorio; In secunda autem creatione & narratione, erat quidem simplex & incompositus: In totius autem creationis breui repetitione, tunc facta est mulier & audit; *Os ex ossibus* spiritualis Adami, *& caro ex carne eius*. Tunc fuit etiā ædificata quæ priùs erat dissoluta: Tunc etiam ædificata est mulier coniux viri sui qui prius erat separatus: Tunc etiam vocata est vita quæ priùs erat mors effecta: Tunc etiam adduxit eam Deus ad Adamum quæ priùs longè erat; Tunc etiam fuerunt duo in carne vna, qui priùs erant duæ carnes. Nudi erant, donec in secunda creatione tecti sunt à Deo: Qui in principio cæci erāt, visum posteà receperunt. Quòd si inobedientiam & Serpentem & cibum & mortem & exitum è Paradiso mihi effers, ô auditor, siste gradum, & ne festines; & videbis ea quæ in his sunt dicenda, per multùm in se habere gratię & elegantię: adhuc enim stamus in medio certamine. Qui autem breuem Scripturę repetitionem quę est post sex dies, non accipiunt in typum Ecclesię; conuincuntur ab ijs quæ in ea sunt additamentis, nihil omnino scire ex ijs quæ posteà fusiùs ostendemus. Hęc autem nunc paucis dixi de nomine Dei duplicato in breui repetitione de homine facta à Mose; vt qui appellatus sit Dominus Deus, quando factus est homo & Paradisus typus Ecclesiæ. Neque ex insipientibus audeat aliquis dicere, quòd ex quadam simplicitate, aut intempestiuè, aut ex quadam stultitia facta est hęc additio in nomine diuino. An ignorat quod *iota vnum aut apex vnus* sacrę Scripturę & Legis non peribit? Quę quidem lex & Scriptura interpretatę, scriptę sunt in Spiritu & ore sancto, in igne & caligine, & tenebris, & procella, & cōcussione, & in sono tubę decies mille Angelorum. Lex enim est sancta, *& eloquia Domini valde ignita*, nempe accensa igne qui erat in monte Sinaï, & sic tradita: *Concussio* enim *& non in cōcussione Dominus, caligo, & non in caligine Dominus; Ignis*, & illic Dominus qui loquitur ignita eloquia Mosi, animas inflammantia, & comburentia quæ sunt in ijs crassa ac terrena. Hinc autem apparet quòd hypostasin habeat & sit Dei sapientia. Quomodò enim aliud est quod ignescit, & aliud quod est corpore ignitum; ita etiam ex analogia ac conuenientia intellige verè esse Dei eloquia & non diffundi in aërem. Non enim dixit ignescentia, sed ignita, seu re vera prælucentia: Et propterea dixerat Dauid; MANDATVM DOMINI *lucidum illuminans oculos*. Vtrinque autem lucidum, nempe quod & ab igne egreditur; à diuina, inquam, natura (*est* enim *Deus, ignis consumēs*) & per Sinæum ignem rursus accensum, & igneo digito scriptum, & igneis tabulis impressum ac figuratum: Sed & datum erat indicans igni similem & lucidam Mosis faciem. In quo nihil est intempestiuum, nihil quod suum non habeat scopum, nihil sine mysterio. Est autem dignum admiratione quòd quando duplex factus est Adam, statim Deus est nominatus Dominus & Deus, per totum Paradisi historiam duplici nomine appellante Scriptura Opificem. Et de his prompto & alacri animo tibi Philosophari studiosè, minimè cunctabor, & consequenter addere initia capitum. Dicit enim: ET PLANTAVIT DOMINVS *Deus Paradisum in Edem ad Orientem*: Et, *Fecit Dominus Deus ortro ex terra*: Et, *Accepit Dominus Deus hominem quem finxit*: Et, *Mandauit Dominus Deus Adamo*: Et, *Dixit Dominus Deus mulieri, cur hoc fecisti*: Et, *dixit Dominus Deus Serpenti, quia hoc fecisti*: &, *fecit Dominus Deus Adamo & vxori eius*: &, *dixit Dominus Deus, Ecce factus est sicut vnus ex nobis*: &, *accepit eum Deus ex Paradiso deliciarum, ad operandum terram ex qua sumptus est*. Audis quòd ex quo ingressa est (tanquàm diuina quædam natura) diuina insufflatio in terranatum corpus Adami; statim Scriptura non simplici nomine appellauit, sed (vtpote quòd Christus non solùm esset Deus) Deum & Dominum eum compositè nominauit, quomodò in sinceris ac non adulteratis antiquisque exemplaribus diligentissimè scrutati inuenimus: ijs inquam, quæ notata fuerant à Clemente, & Irenæo, & Philone Philosopho, & ab eo qui Hexapla composuit. Quamobrem sex quidem dierum creaturam, Deus cùm esset simplex, fabricatur: Nouam autem quæ posteà fuit creaturam (vt qui factus esset compositus) Dominus & Deus; hoc est, Deus & homo Christus Iesus. Audi attento animo mysteria Dei viuentis, & admirare. Quando enim exijt Adam ex Paradiso, protinus Scriptura (non composito nomine appellauit Dominum) sed simplici. Nobis enim narrans diuinitùs inspirata historia partum Euæ, dicit statim post exitum è Paradiso: *Cognouit autem Adam vxorem suam, & cùm concepisset peperit Cain & dixit, Possedi hominem per Deum*. Quamobrem autem, ô Iudæe, diuina Scriptura quæ in septemdecim capitibus consequēter in Paradiso Deum duplici nomine nominauerat, & eum Dominū & Deum appellauerat; statim post hominis è Paradiso egressum, ipsum Deum appellauit, sed non Dominum & Deum? Vt tu discas quòd Ecclesiæ est proprius Dominus & Deus, & non similiter eorum qui sunt extra Ecclesiam. Nam hominū quidem qui sunt extrà, Deus est; nempe θεὸς, hoc est θεατής, id est spectator: Ecclesiæ autem Deus est & spectator & Dominus, ei dominans, eiúsq; curam gerens, eamque suscipiens, tuens, ac defendens. Quod si etiam post expulsionem ex Paradiso nominatur in diuina Scriptura Dominus, Dominus Deus, ne mireris; erit enim tempus quando etiam iis qui sunt extra Ecclesiam dominabitur per Euangelium, *ac erit*, vt ipse dixit *vnum ouile, vnus pastor*. Neque à mea quam priùs dixi recedo sententia, simul à Iudæo & ab inuido Fidei qui aduersus hāc meam contradicit intelligentiam; exigens, vt in chamo & fræno nobis dicat quamobrem ante aduentum diuinæ insufflationis ad Adamum, Deus non fuit nominatus Dominus & Deus, sed solùm Deus. Sed reuertamur ad propositum. HIC *est liber generationis cæli & terra, quando fuit dies in quo fecit Deus cælum & terram*. Expecta parum, & audies eundem Scriptorem Mosem dicentem; vel potiùs per eum loquentem, sanctum Spiritum: HIC *est liber generationis hominis, quo die fecit Deus Adam, ad imaginē Dei fecit eum masculum & fæminam fecit eos, & benedixit eis*. Quænam sit differentia duarum appellationum, nempe libri cœli & terræ, & libri hominis, alterius ab altera, dicemus discrimen in iis quæ consequuntur; nempe quòd omninò necesse est, nos omnia quæ sunt in hoc libro intelligere de his duobus: nempe cœlum quidem esse typum Christi, terram autem typum Ecclesiæ: & sic deinceps vniuersam sex dierum creaturam ad eos referre, nempe aquas, abyssum, & lucem, & herbam, & arbores, & firmamentum, & luminaria, & animalia, & volucres, & irrigationes, & cætera omnia; & sic impletur eloquium quod dicit omnia per Christum & in Christo esse condita. Est autem attentè animaduertendum, quòd à quo die ad imaginem factus est homo (nēme prototypus Christi typus Adam) non est ampliùs Deus aliquid fabricatus per iussum: neque de cætero dixit, *Fiat hoc* aut illud sed suo per se & diuino opere operando secundam fecit creationem propriè & verè & citrà vllam dubitationem diuina prædicente Scriptura Dei Verbi aduentum & præsentiam quæ fuit à cœlo in terram & in ea quæ est in secundo ordine creaturarum breui repetitione nos docente quòd videbitur

Deus

Marginal notes: Gal. 3. — Math. 5. — Psalm. 17. — 3. Reg. 19. — Sapiētia habet hypostasim et consistit. — Psalm. 18. — Deut. 4. d. — Duplex facto Adamo, statim Deus est nominatus Dominus Deus. — Gen. 3. — Cur Deus nō dicitur Dominus Deus quando exijt Adam ex Paradiso. — Gen. 4. — Ecclesiæ est proprius Dominus & Deus. — Io. 10. — Cœlum est typus Christi, terra verò Ecclesiæ. — Coloss. 1.

Deus Deorum apud nos super terram, & per se, suo opere & suis manibus fabricabitur nouam creaturam, nouum cœlum & nouam terram, & nouum ex non seminata terra non seminatum hominem. Quem quidem nobis priùs significàs diuina Scriptura, & duplicat creaturæ & hominis constructionem & narrationem, hinc ponens principium, & fundamenta iaciens Christi Ecclesiæ, & dicens propheticè: HIC *est liber generationis cæli & terræ, quando fuit dies qua fecit cælum & terram, & omne viride agri priusquam oritur, Non enim pluit Dominus Deus super terra, & non erat operari terram, Fons autem ascendebat è terra, Et finxit Deus hominem, accipiens humum è terra, & insufflauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Magna est in verbis propositis obscuritas, & totus hic locus est valde obscurus non solùm quod ad spiritualem attinet eius Anagogen; sed etiam quod ad corporalem eius historiam, est cognitu difficilis. Ergo si videtur, eum primùm dirigamus ad maiorem in litera claritatem, & deinde scrutemur occultum & spiritualem eius sensum. Hoc est ergo quod nos hic docet Propheta Moses congruenter literæ: HIC *est liber generationis cæli & terræ, quando fuit dies quo fecit Deus cælum & terram;* hoc est, primo die, *priusquam natum esset quodius viride super terram, & priusquàm nata esset quæuis herba agri; Nondum enim pluerat Dominus Deus super terram, Quoniam homo nondum factus erat, nec operabatur super terram; Fons autem ascendebat super terram.* Qui literam, eámque solam hic sequuntur, hic falsam adducunt diuinam Scripturam. Neque enim omnino inuenimus in primo die ante olera & herbas in sex diebus nominari fontem, neque irrigationem, sed neque aquam sub terra; sed omnem aquarum naturam esse supra terrã. Vbi autem erat aqua, non erat irrigatio, nec haustus. Ex quánam autem terra ascendebat & irrigabat superiorem terram? Duas enim terras significat, dicens quòd fons ascendebat infernè ex terra, & irrigabat vniuersam faciem terræ. Cùm autem nondum essent fructus, neque plantæ, neque animalia, neque volucres, neque agricolæ, neque omninò homines; quidnam irrigabat fons ille infernè ex subterraneis locis ascendens? Si enim irrigabat totam faciem terræ, quis erat vsus illius fluuij qui egrediebatur ex Edem ad irrigandum Paradisum, siquidem in terra est etiam Paradisus? Audi enim Scripturæ consequentiam. *In principio cum fecisset Deus cælum & terram, terra erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum.* Si autem tenebræ erant super creaturam, cur irrigabat in tenebris? Et si spiritus Dei ferebatur super aquam; hoc est, vehemens ventus eam agitabat & commouebat fluctibus (ferri enim est vehementer moueri) quomodò quæso in caligine & tenebris & tẽpestate operta fluctibus infernè obruta vniuersa terra, ab aliquo fonte ascendente è terra irrigabatur? Nunquid ergo literæ historiam non omninò concludentes in diuina Scriptura, possumus etiam per anagogen intelligere hunc fontem qui infernè ascendit à terra, & quæ in caligine ac tenebris & tempestate irrigat totam faciem terræ: Humanam, inquam, aquam quæ est contraria pluuiæ quæ desuper descendit in vellus.

Constat semper hic litera Scripturæ cum suo historico sensu; etsi & rectè & vtiliter anagoge inædificari possit.

Quamobrem cùm sit sterilis & infertilis aqua illa subterranea, & mala & tenebricosa irrigatio; non poterat terra particeps rationis producere omne genus viride, nempe aut fructum aut herbam Deus enim *voluntariam pluuiam* desuper non pluerat ex perenni fonte vitæ Non erat ros ex Hermon, Christus qui ex parte descendit: Neque qui seminat ad seminandum Euangelium, & homo non erat Apostolicus ad operandam terram quæ est in anima. Intellige præterea quæso. Non dixit diuina Scriptura quòd non erat homo; in illo enim die homo factus fuerat. Sed non erat eiusmodi homo qui posset operari & colere terram animæ. Nondum enim exierat homo qui è cœlo descendit, ad operandam & colendam animæ terram, & ad euellendas spinas & tribulos; ad faciendum ipsum fructum in triginta, & sexaginta, & centum. Quoniam ergo nondum apparuerat huiusmodi Deus homo ad operandam terram: fons autem ille subterraneus (nempe maligna Potestas) inundabat & irrigabat totam faciem terræ; propterea diuina Scriptura statim inducit hominem, figuram hominis cœlestis, dicens: *Et finxit Deus hominem humo accepta è terra, & insufflauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem,* veluti hoc dicens quod gratiam habens comprimendæ aquę aduersariæ Potestatis, Deus Verbum homo terra genitus fiet Christus, à Deo fictum simul & à Deo plantatum germen; vt cùm sit genere coniunctus, rectè irriget ea quæ sunt è terra genita & (vt decet) ratione rationalia germina, simili similia expurget, & fructum ferat. Quòd si non credas verbis tanquàm non probabilibus; quid dices statim audiens Deum plantantem cum opere, plantas quoque propter quas vel solas, ad earum operationem Agricolã protinus priùs finxit è terra? Postquam enim dixit Scriptura; *Et factus est homo in animam viuentem;* statim subiunxit illud: ET PLANTAVIT *Dominus Deus Paradisum in Edem ad Orientem & posuit illic hominem quem fecit,* tanquam in iis quæ erant colenda, collocans Agricolam. Et ideo iuxta illa, cùm tanquàm ad opus processisset eiusmodi boni Agricolæ agricultura, & redditæ essent frugiferæ quæ ab illo irrigatæ erant plantæ; statim infert Scriptura dicens consequenter: ET ORIRI *fecit Dominus Deus adhuc è terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum, & lignum vitæ in medio, Paradisi, & lignum sciendi id quod cognosci potest boni & mali.* Quid ergo de Christo & Ecclesia, Adam, & omnes quæ priùs dictæ sunt plantas, & arbores, & fructus, & Paradisum rectè intellexerunt & interpretati sunt Expositores; dixerunt hæc propheticè esse Scripta a Mose de nobis & Christo. Dico autem quæ de Paradiso dicta sunt; & plantas, & animalia, volucres, bestias, & quæ deinceps sequuntur. Sin autem contendunt quòd hæ arbores & plantæ, & fructus è terra producti sunt die tertio, & semina quæ germinarunt; necessariò dicent quod communis cibus hominis, & brutorum, & volucrum, & reptilium, erat fructus ligni vitæ, & fructus ligni cognoscendi bonum & malum. Sic enim dixit Deus sexto die homini. ECCE *ego dedi vobis omne lignum quod habet in se fructum seminis seminabilis, Vobis erit in cibum & omnibus volucribus cæli.* Si ergo Verbum & sermo Domini est in æternum, omninò si homo per inobedientiam est priuatus fructu ligni vitæ, bestiæ & reptilia ex eo comederunt. Si autem comederunt; quomodò non viuunt in æternum, sed plus quàm homo accipiunt perfectum & omni ex parte absolutum interitum, & mortem ineuitabilem? Sed & si poluerimus eas non fuisse participes ligni vitæ; tamen vt quæ iussæ sunt sibi cum hominibus habere societatem omnino ipsæ quoque fuerint participes ligni cognoscendi bonum & malum: & quomodò iam nesciunt æque vt homo bonum & malum, reptilia & bestiæ & volucres? Ab hoc ergo sensu recesserunt plurimi Interpretes, & maximè veteres, dicendo non sensilem esse Paradisum & quæ sunt in eius medio duo Ligna vitæ & cognitionis; ne necessariò faciant bestias & iumenta societatem habere & participationem Ligni vitæ & Ligni cognitionis. Non enim distinxit Deus inter cibum Adami & cibum brutorum; sed dedit eis communiter omne lignum frugiferum & satiuum in cibum. Si ergo essent sensilia (dicit Clemens, & veteres qui eum secuti sunt Interpretes) Paradisi, & quæ sunt eorum in medio duo ligna, inuenientur (aiunt) bestiæ & reptilia homine præstantiora, vt quæ non sint prohibita ab esu cuiusuis ligni & fructùs. Quamobrem ex ipso Dei mandato de communi cibo quem dedit vnanimiter homini & omnibus bestiis, licet cognoscere quòd non sunt eadem ligna quæ facta sunt tertio die, & quæ in Paradiso. Dicere enim quòd Dominus Deus adhuc oriri fecit è terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum;

Psalm. 67. b. Psalm. 132. Matth. 13. Luc. 8.

Fons subterraneus, maligna potestas.

Cautè hæc omnia lege, nam potius est sententia aliorum paradisum tantùmmodo spiritualiter a sapientum, differente videtur, cum corporalem & terrestrem paradisum auctor ipse disertè in sequentibus adstruat.

Quæ tertio die facta sunt, nõ sunt ligna Paradisi.

per boc adhuc nobis ostendit Seriptura, secundùm quandam creationem præstantiorum ligootum aut ea verba esse Prophetiam de ratione præditis lignis quæ extremis temporibus orta sunt in paradiso Ecclesiæ. Et quoniam est frequens & interpretatu difficilis tractatio de paradiso, & semper dubia apud Interpretes, videamus rursus quemadmodùm factum sit Dei mandatum de communi esu; deinde disceptabimus de paradiso. Dicit ergo Deus Adamo quaudo eum fecit: *Ecce dedimus vobis omnem herbam seminabilem seminantem semen, quæ est supra omnem terram, & omne lignum quod habet in seipso fructum seminis seminabilis vobis erit in cibum, & omnibus volucribus cæli & omnibus bestijs terræ quæ habent in se spiritum vitæ, & omnem herbam viridem in cibum, & factum est ita.*

Si Paradisi ligna sunt sensilia, melioris fuit conditionis brutis quàm homo.

Si ergo in his lignis sunt etiam ligna paradisi (nempe & Lignum immortalitatis & vitæ æternæ cognitiois) miserabilis & miser solus est bomo qui est ad Dei B imaginem & similitudinem, vt qui solus sit priuatus paradiso, & cognitione, & cibo vitæ æternæ. Serpens enim Aspis & Scorpius & Canis in hodiernum vsq; diem fruuntur omni fructu & omni ligno super vniuersam terrã & Paradisum: Non enim exierunt ex quo ingressæ sunt bestiæ ad Adamũ in Paradiso, sed intus manserunt illo egresso, vt quæ non fuerint expulsæ propter delictũ. Intellige ergo legem Dei spiritualiter, quoniã lex est spiritualis, vt clamat Paulus; *Litera enim occidit.* Restat ergo, vt (ne morte afficiamur à litera) discamus vbi oportet spiritualibus spiritualia cõparare, & per literas per quas loquitur Spiritus sanctus, ex quibus est magnum & præcipuum & maximè arcanum de Paradiso mysterium.

Rom. 7.
1. Cor. 3.

C Qui autem carnaliter & secũdùm carnem intelligis præsentem locum de lignis & fructibus, dic mihi rursus, quomodò cùm Deus vnũ & parem omnibus hominibus & bestijs & volucribus cibum iusserit (eum, inquã, qui est ex berbis, virgultis, & arboribus) qui fit quòd multa animantia non vescuntur herbis sed carnibus, vt quæ sint magis carniuora? Quomodò rursum Deus qui omnis herbæ & arboris quæ est supra terrã, nobis fructum permittès comedere, efficit vt multæ herbæ & arbores plurimæ non sint hominibus & brutis esculentæ, sintq; venenosæ & mortiferæ? Quas non solùm nos, sed ipsa etiã rationis expers natura reiicit ac recusat, & alia eiusmodi innumerabilia sunt & nobis & brutis, natura minimè esculenta & lethifera.

Paradisum fuisse spiritualem, multi sunt auctores

D Veteres ergo Ecclesiarum Interpretes, Philo (inquam) Philosophus & tempore æqualis Apostolis, & celebris Papias Hierapolitanus, Ioãnis Euãgelistæ discipulus & Irenæus Lugdunensis, & Iustinus Martyr & Philosophus, & Pantænus Alexandrinus, & Clemẽs Stromateus, & eorum asseclæ spiritualiter sunt contemplati de Christi Ecclesia ea quæ scripta sunt de Paradiso. Ex quibus sunt duo in rebus omnibus doctissimi Cappadoces Gregorij. Ij omnes quibusdam de causis dicebant esse etiam aliquem Paradisum spiritualem. Primùm, quòd si Adam non erat interitui obnoxius quando fuit factus, est perspicuum quòd non fuit particeps alimẽti terrestris & in quod cadit interitus. Quòd si poterat esse particeps ciborum sensilium, est etiam perspicuum quòd in eum cadat interitus (*Quidquid enim intrat per os, rursus excernitur*) E Si autem in eum cadebat interitus, omnino erat etiam mortalis; Si autem creatus est mortalis, non vtique facta est mors per inobedientiam: Atq; hæc quidem est prima causa Interpretum. Secunda autem est Mulieris absque exitu permansio. Tertia, verò, animantium quæ cum ea manserant in Paradiso. Quarta, prior communis esus ciborum hominum & & brutorum. Quinta, quòd fieri non poterat vt vnus homo coleret tam immensam Paradisi magnitudinem, vbi quidem certè abundantia eius irrigationis diuiditur in quatuor initia. Quid autem opus erat operari, cùm sæpe vna arbor & altera ei sufficeret ad alimentum? Quid autem opus erat etiam custodire, cùm non plures adessent homines, nondum fures; & omnes bestiæ & volucres ei essent subiectæ, & eius verbo parèrent?

A Nec hoc solùm, sed etiam quæ à Deo dicta & facta sunt in Paradiso; si ad litteram, inquiunt, intelligamus, incidemus in innumerabiles Scyllas & Charibdes & Labyrinthorum præcipitia. Cùm Deus cœlum & terram impleat citrà vllam circumscriptionem, & adsit vbique, & sit supra vniuersitatem, & neq; moueatur, neque contineatur, neq; transmeet, neque descendat nec ascendat; qoomodò audiit Adam eius vocem ingressi & ambulãtis vespere in Paradisu? Quomodò vidit ipsum facie ad faciẽ, idq; (inquiũt) cùm dicat Scriptura, *Nemo Deũ vidit vnquã*, neque Dei vocem audiit.

Io. 1.

Porrò autem ipse quoque Moses qui ea nobis narrat de Paradiso, testatur Deum ipsi dixisse, *Non videbit homo faciem meam & viuet.*

Exo. 32.

Iam vero diuinus quoq; Paulus *raptus in tertium cælum* & Paradisum, vt rectè inspiceret paradisi verba *ineffabilia*, cùm illic Deum quæsiisset videre, & non esset contẽplatus, B reuersus est dicens de Deo; *Quem nullus hominum vidit, neque potest videre.*

2. Cor. 12.
1. Tim. 2.

Et si hæc ita se habent, vt certè habent; quid deinceps ages, ô Israelita, qui corporali sensu intelligis ea quæ dicũtur de Paradiso, cum audies; Deus incorporeus, & carnis expers materiæque & figuræ, & sonitum pedum fecit in paradiso? Quomodò qui caret manibus dicitur proprijs manibus humum prehendisse & finxisse hominem? Quomodò lateris Adami fecit excisionem, & mulieris ædificium fabricatus est incorporeus? Nec hoc solùm, sed etiam fuit hortulanus, & suæ creaturæ administer; boues & oues, bestias & iumenta ad Adamum adducens; vt ea sigillatim vocaret, qui omnia cognoscebat ante eorum ortum! Quonam autẽ ore & labiis, qui ea non ferebat vt qui sit incorporeus, C insufflauit in faciem hominis spiritum vitæ? Nã si tunc incorporatus & humana forma præditus fuisset Deus Verbum nequaquàm in extremis temporibus ex sancta Virgine carnem suscepisset homo factus.

Diuersæ hæreses ex eo quòd Paradisus intelligeretur carnaliter.

Vnde propter has causas incomprehensibiles, omnia quæ de Paradiso dicta sunt spiritualiter intelligentes Interpretes quorum meminimus, dixerunt quòd diuersæ natæ sunt hæreses à quibusdam hominibus, qui carnaliter audierunt quæ de Deo & Paradiso dicuntur in Genesi.

Ophitæ hæretici.

Aliis quidem statuentibus Deum habere formam corporis; Aliis autem Serpenti magnas offerentes granarũ actiones, vtpote quòd per eius consilium & factam præuaricationem, ex muliere sit generatũ totum genus humanũ qui quidem meritò etiam appellãtur Ophitæ, id est Serpentini.

Manichæi hæretici.

D Manichæi autem simul & viri & mulieres nudi congregantur in suis Ecclesijs ad imitationem Adami & Euæ. Alij autem increatam ignis adorarunt naturã, propterea quòd nulla inferatur ignis mẽtio in vniuersa sex dierum creatione. Alij aquam coluerunt tanquã increatam, quoniam non scriptum est; *Et dixit Deus, Fiat aqua.*

Persæ cum sororibus & matribus matrimonium contrahunt.

Alij, ex quibus sunt Persæ, cum sororibus & matribus contraxerũt matrimonium, propterea quòd nostri primi Parentes coniungerentur cum suis matribus & sororibus.

Hæresis quæ existimat bestiarum animas ratione preditas.

Sunt etiam quædam hæreses quæ Deum accusant, quòd non prohibuerit ne Malignus Euam seduceret per Serpentem. Alia autem rursus hæresis decreuit bestiarum quoque animas esse ratione præditas, quæ possint orationem audire & excolere, cùm audisset E Deum benedicentẽ volucribus & piscibus, & execrantem Serpentem, & adducentem ad Adamum bestias & volucres & iumenta, vt sciat quidnam ea nominet. Has itaque & alias plurimas hæreses quæ sumpserunt occasionem ex Scripturæ verbis de Paradiso, admirabiles quos priùs diximus Interpretes volentes euertere, in sacram Scripturam de cæterò oculos spiritualiter intendentes, sicut iubet Paulus, decreuerunt duos quosdam esse Paradisos, sicut & Dionysius; spiritualem & sensilem, terrestrem & cœlestem, qui cernitur & qui intelligitur, sicut etiam est Christus cœlestis simul & terrestris, congruenter typo duarum Ecclesiarum, terrenæ, inquam, & cœlestis ciuitatis Domini virtutum, vbi est etiã secunda & verior terra promissionis, regio viuentium, & mansiones & tabernacula æterna & quæ nullam babent

Duo Paradisi, spiritualis & sensilis, cœlestis & terrestris.

Ecclesiæ duæ terrestris & cœlestis.

habent successionem, & terra Mitium secunda & in quam nõ cadit interitus, quæ habet arbores & aquas interitui non obnoxias, & plantas quæ non marcescunt, & fructus semper germinantes, qui à perenni fonte vitæ perenniter irrigantur, & in sæcula sæculorum quotidiè florescunt, & semper crescunt in melius, & numquam cessant proficere & augeri & formari in id quod est melius & superius, & qui sunt plantati & collocati in domo Dei, & florent in supernis eius atrijs; cuiusmodi sunt *Cedri* cœlestis *Libani, quas plantauit* (nempe intelligentes naturas) Vnigenitus, cum quibus *illic nidificabunt passeres* sanctarum animarum, *& Erodij*, nempe Christi, *domus dux est eorum* propter quos solos pratum illud qood non corrumpitur nec senescit, intelligens & expers materiæ, plantauit & constituit. De quo dictum est;

Psalm. 103.

Edem quid significat.

ET PLANTAVIT *Dominus Deus Paradisum in Edem ad Orientem, Et posuit illic hominem quem fecit.* Et interpretatur B quidem *Edem*, ignescentes aut sanguinolentæ delitiæ. Vt autem dicit Priscus Iudæus; *Edem* interpretatur, inflammatio carbonum: Quod quidem admodum aptè dict conuenit de paradiso spirituali, & materiæ experte, & angelico, & intelligenti. QVI *facit*, enim inquit, *Angelos suos spiritus, & ministros eius flammam ignis.* Ad spiritualis autem Paradisi rationem se maximè confirmarunt Interpretes, adducentes testem Ezechielem, & Deum qui in ipso loquebatur; vbi videtur Deus nobis ænigmaticè reuelare, apud ipsum Prophetam, Diaboli è cœlo casum, sic dicens: ET *tu fili hominis accipe lamentationem super principem Tyri, & dic ei, Hæc dicit Dominus, Tu signaculum similitudinis & corona pulchritudinis in delicijs Paradisi Dei generatus es.* Erat enim impius princeps Tyri & C idololatra in diebus Ezechielis Prophetæ. Dicit enim ipsum Principem indutũ duodecim insignibus preciosis lapidibus, potestate fortè supernarum Virtutum. Et statim post indumentũ lapidum, subiungit, dicens: A QVO *die creatus es cum Cherubim, dedi te in monte sancto Dei*, hoc est in cœlo. Sic enim dicit consequenter: FVISTI *in medio lapidum igneorum*, nempe flammantium eius intelligentium Virtutum, conuenienter ei qui dicit, QVI *facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Audiamus & quæ deinceps sequuntur: A QVO *die creatus es, quo vsque inuenta sunt iniquitates in te.* Hæc propriè in Diabolum dicta sunt à Deo; Nunquàm enim ita vixit Princeps Tyri vt in eum non caderet vitij labes & D iusta reprehensio. Ille enim erat impius & filius impiorum est mortuus. Sed nec fuit in medio carbonum & lapidum igneorum, sicut audimus de Principe huius Sæculi. Et subiungit Deus de eo dicens; *A multitudine mercatura*: Intellige multitudinem cognitionis & sapientiæ, quã antea tanquàm summus princeps & dux exercitús possidebat Diabolus. Per quam cognitionem lapsus in superbiam, sic cogitauit dicens; PONAM *thronum meum super nubes, & ero similis altissimo.* Quamobrem rursus in eum vociferatur per verba quæ consequuntur Ezechiel & Deus dicens. ET *peccasti, & sauciatus es à monte Dei*, hoc est deiectus es ab altitudine Dei cœli, hoc enim statim innuit subiungens: *Et adduxit te Cherubim ex lapidibus igneis.* Mihi videtur quod Deus iusserit alicui præstantissimo & magnificentissimo ex Cherubim, vt E reum accipiens Diabolum de eo pœnas sumeret: qui eum eduxit è medio intelligentium Exercituum, & cum deiecit è cœlo. Quamobrem dicebat Christus: *Vide Satanam cadentem tanquam fulgur è cœlo.* Audiamus etiam quæ sequuntur: Dicit enim deinceps & consequenter; *Sublatum est cor tuum propter pulchritudinem tuam, Corrupta est scientia tua cum pulchritudine tua.* Pulchritudinem enim, formæ dicit excellentiam, qua priùs tanquàm igneus & lucifer, fruebatur Diabolus: Scientiam autem, magnam cognitionem mysteriorum & sapientiæ. Hic itaque discimus, quòd elegantiæ & decoris splendorem quem priùs habebant Dæmones & eorum princeps, nequaquam hodie habent. Et neque priorem habent sapientiam & cognitionem. Audi iam eius eius præclarum de-

Psalm. 103.

Diabolo casus è cœlo.

Ezech. 28.

Psalm. 103.

Luc. 10.

Dæmones nõ habent priorem suam sapientiam.

super casum ex illo Dei Paradiso deliciatum, & monte cœlesti; sic enim dicit in ijs quæ consequuntur. A PROPTER *multitudinem peccatorum tuorum proieci te in terram.* Ecce apertè audiuimus quòd ex quodam excelso paradiso deliciarum & igneorum carbonum Cherubicorum in terram est proiectus iste qui dicitur Princeps Tyri. Tyrus autem Græcè dicitur κράτος καὶ ὄρος, id est potentia & mons. Quò fit vt hinc ex iis quæ dicta sunt Ezechieli, apertè liceat cognoscere, quòd omnes Patres qui dixerunt cum sensilis esse aliquem Paradisum spiritualem & ligna spiritualia, id dixerunt sequentes diuina eius Prophetæ verba: Ex quibus sunt etiam sapientissimi Gregorij qui dicunt plantas esse quasdam, contemplationes, vt ponit eorum contemplatio. Quænam autem erat Gregorij spiritualis contemplatio, nisi illa Spiritus sancti illumi-B natio? De qua contemplatione dicit Dominus; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vide enim quòd non absolutè dicitur Paradisus, is qui est apud Prophetam; sed Paradisus Dei. Mosaicus autem Paradisus non est scriptus ex Dei nomine, sed absolutè Paradisus. Vnde etiam diuinus in omnibus Ambrosius, & Iustinus Martyr à Deo inspiratus, in suis in Hexaëmeron commentarijs, ea persequentes quæ dicta sunt de Paradiso, postquàm dixerunt de sensilibus arboribus & aquis & fructibus, & Paradiso è terra genito, in medium adduxerunt proposita diuini Ezechielis verba de Paradiso cœlesti; eáque persecuti, magnam & subtilem de ijs examinationem & contemplationem subiunxerunt dicentes quòd sit turpissimum & Deo in-C uisum dicere aut omnino cogitare, beatam & adorandam Dei Verbi diuinitatem cum iusto Latrone ingredi in fluxum & materialem Paradisum. Et quænam est digna merces illius venerandæ & quæ Deum decet cõfessionis; malorum punicorum, pyrorum, vuarum & ficuum corruptarum esum, tanquàm mercedem reddere latroni? Quis autem rursus, inquiunt, mẽtem habens diuina sapientem, dixerit in cucumerarij regione ac securi (quæ conueniunt olitoribus) in cœlos cursum dirigentem ad volatum, traductum esse Paulum? & quæ neque in secundo, neque in tertio cœlo verba inuenit ineffabilia; ea in terreno agro aquis irrigato mysticè esse enũtiata à puro & diuino ore Christi: & nunc super terram in hortis custodire ea quæ sunt excelsiora omnibus su-D pernis virtutibus, & Deo propinquiora quàm præstantissima Cherubim? Sed de his quidem satis; redeũdum est autem ad Mosaicam historiam, & considerandum est de propositis. Nam illic quoque, vt arbitror, licet videre ijs qui habent lucem diuinæ cognitionis, ea quæ dicuntur de vtrisque his paradisis: nempe quanam vtẽs consequentia, primum nobis tanquàm primum narrat spiritualem, sicut etiam iam priùs dixi, vt quando dicit; *Et plantauit Dominus Deus Paradisum in Edem ad Orientem*: non inuenimus autem in terra locum qui nominatur Edem: & non significet ad Orientem seu terræ, seu cœli, dat nobis aliquam significationem de superna Oriente, vbi est Pater luminum & lux viuentium, & quòd sit illic eiusmodi Paradisus; adeò vt de spirituali loquẽs E Paradiso, neque de lignis, neque de aquis, neque de lapidibus, neque de terra, neque de auro, neque de cibo, neque de regionibus, neque de finibus, neque de vlla re alia quæ sit in eo, meminerit. Illud autem; *Et posuit illic hominẽ quem finxit*, nempe in paradiso cœlesti, dixit, prophetiã de facta in extremis téporibus in Christo assumptione in cœlos humanæ naturæ. Quòd si tanquàm iam præteritum, id quod futurum est, dicit Propheta; habes, inquit magnus Ambrosius, de eo plurimas in Scriptura probationes, vt quando dicit; PVER *natus est nobis*; Et, *Foderunt manus meas & pedes meos*: Et, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*: Et, *Dederunt in escam meam fel*, & quæ sunt huiusmodi. Rectè autem dictum est; *Et posuit illic hominem quem finxit*; quem posuit *hæredem vniuersorum*, Christum. Vnde Hebræi ex libro qui non est redactus

Plantæ Paradisi sunt quædam contemplationes.

Matth. 5.

Paradisus Dei diuersus à Mosaico.

Iustini Martyris Commentaria in Hexaëmeron.

Luc. 23. f.

Paulus non fuit raptus in Paradisum terrestrem.

Edem est in Oriente superno vbi est pater luminum.

Homo positus in paradiso, est Christus assumptus in cœlum.

Is. 9. a

Psalm. 21.

Psalm. 109.

Psalm. 21.

Heb. 1.

Testamētum Protoplastorum. Adam ingressus Paradisum die quadragesimo.

in Ganonem, qui quidem dicitur Testamentum Protoplastorum, dicunt quadrages. die ingressum esse Adam in Paradisum, sicut etiā videtur cuidam historico Chronographo Pyrthoni, & quibusdā Expositoribus. Quod quidem aptè admodum cōuenit in Christi in cœlum assumptionem. Nam in terrenam quoq; Ierusalem, postquàm natus fuit in Bethleem, ingressus est die quadragesimo. Nobis autem hæc dicentibus de paradiso spirituali; ne glorietur incuruus Origenes tanquam rectè sentiens. Ipse enim anagogijs & spiritualibus contemplationibus vsus inexplebiliter, omnes, quæ in sex diebus factæ sunt, creaturas deduxit per allegoriam ad fabulosas tragœdias, neque cœlum sensile, neque terram, neque aquas, neque plantas verè plantas, neque stellas verè stellas, neque aliquid aliud conuenienter literæ intelligens, non tenebras, non lucem, non abyssum, non spiritum, non firmamentum. Quò fit vt de cætero necesse habeat Ecclesia, quod attinet ad nugas & doctrinam Origenis, credere Dei esse creaturas Mundum qui cernitur. Quamobrem iure quoque Origenem Synodica deponens sententia reiecit. Oportebat enim primùm admittere historiam quæ conuenit literæ: Deinde vbi oportet, procedere ad Anagogas. Propter hanc causam (dico autem propter inanem laborem Origenis qui vniuersam sex dierum creaturam ad fabulosam deduxit allegoriam, & corpus sacræ Scripturæ immutauit & alterauit) recentiores Patres, diuinus, inquam, Basilius, & Christi fluuius Ioannes Chrysostomus, & Theodotus verè mirabilis Antiochenus, & Seuerus Gabaleotes, & Eusebius Emissenus, & verbis & factis beatissimus Epiphanius, & Dei interpres Cyrillus & Theophilus, ij omnes sua scripta de sex diebus exposuerunt congruenter literæ, missis allegorijs & Anagogis, propter inanem (vt priùs dixi) Origenis laborem; ipsi quoque afferentes fide dignissimas probationes & demonstrationes de sensili Paradiso, qui statim sequitur post eum quem diximus spiritualem. Nam legislator Moses statim subiecit, dicens: ET ORIRI *fecit Dominus Deus adhuc e terra omne lignum pulchrum ad videndum & bonum ad comedendum, & lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum sciendi id quod cognosci potest boni & mali. Fluuius autem egreditur ex Edem ad irrigandum Paradisum: Illinc secernitur in quatuor initia. Nomen vni, Physon; Iste est qui circuit omnem terram Euilath: Illic ergo est aurum; aurum autem illius terræ bonum: Illic est carbunculus & lapis prasinus. Et nomen secundo Geon; Iste est qui circuit vniuersam Æthiopiam. Et fluuius tertius, Tygris: Iste est qui fluit ex aduerso Assyriorum. Fluuius autem quartus, Euphrates.* Ex his è terra genitis locis & gentibus appellationibúsque & terminis, & præterea ex auro & lapide prasino & Æthiopia & Assyriis & Euphrate, plures ex Patribus affirmarunt hæc maximè intelligi de Paradiso è terra genito, & maximè ex folijs ficus quæ sibi consuêrunt primi Parentes ad perizomata. Vnde etiam conuenienter literæ intelligentes, aquas dixerunt sensiles; & ligna, ligna verè esculenta; & fructûs, fructûs hortenses & in quos cadit interitus; & aurum esse materiale. Similiter & carbunculum, & prasinū smaragdinum lapidem; & ficum, veram ficum esse dixerunt: & maximè diuinus Epiphanius ex eo quòd audierit Scipturam dicentem esse terram Iordanis quæ priùs irrigabatur sicut Paradisus, & sicut terra Ægypti. Quam quidem paternam sententiā & de Paradiso sensili traditionem recipimus, suscipimus, & amplectimur. In hoc enim opere nos præmunientes sæpè diximus, quòd diuinæ scripturæ historiā quæ literæ cōuenit non dissoluimus, neque sanctorū Patrum nostrorum sententias euertimus. Et tamen quoniā audiuimus Diuum Paulum omnia quæ sunt in Lege, mysticè ad Christum, referentem; nempe tabernaculum, arcā, vrnā, templum, agnum, cibos, pontones, ligna, animalia, volucres, aurum smaragdos, carbunculos, aquas, & reliqua omnia quæ tunc quidem facta sunt mysticè conuenienter literæ, tunc autem in Ecclesia verè cernuntur spiritualiter cō-

Origenes vitiandus qui scripturæ relinquit solum sensum anagogicum.

Litera primum est admittenda, deinde veniendum ad Anagogen.

Paradisum fuisse sensilem

Paulus omnia quæ sunt in Lege, mysticè refert ad Christum.

A siderandum est num hæc quoque que nunc de sensili paradiso à Mose corporaliter scripta sunt, ad Christum & Ecclesiam relata typicè priùs descripta sint; siquidem omnino per Christum & ad Christum facta sunt, præsignificantia eius carnis susceptionem. Sequentes ergo Theologiæ Oratorem Gregorium qui dixit Adam esse Agricolam plantarum immortalium & diuinarum notionum in Paradiso; ascendamus à litera quæ occidit ad spiritum qui viuificat: Semper enim sacra litera simul ascendit cum ascendentibus. *Et exoriri fecit Dominus Deus adhuc ex terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum.* Hîc conuenit diligenter quærere quid sit ortus, qui Græcè est, ἀνατολὴ, & quid ortus, qui est, ἐξανατολὴ. In iis quæ è terra fiunt & nascuntur, dicitur quidem oriens (nempe ἀνατέλλον) quod statim primò apparet: Exortum autem (nempe ἀνατέλλον) quod cùm B emarcuerit & exsiccatum fuerit rursus exoritur secundo ordine per aquam & agriculturæ diligentiam & industriam. Quamobrem dilucidè admodum & appositè dictum est Prophetice de Ecclesia; EXORIRI *fecit adhuc Dominus Deus e terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum.* Nā orta quidem est in initio Ecclesia quādo facta fuit viridis & bene germinās, densásque habēs suas arbores; exsiccata autem fuit ab æstu maligni Solis qui transfiguratur in Angelum lucis, cùm in eam per os sibilasset Serpens, & eam exsiccasset per idololatriam. Cùm ergo venisset cœlestis fluuius Deus Verbum, & eam irrigasset per aquam & fluuium; exorta est & rursum germinauit, & iterum viuificauit ratione prædita eius ligna, de quibus dictum est; ET EXORIRI *fecit* C *adhuc Dominus Deus è terra*; hoc est, postquàm mortua & exsiccata esset, adhuc secundo ordine rursus germinauit ratione prædita Christi terra *omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum.* In quibus lignis non dicit Scriptura fœnum, non paleam, non virgulta, non herbam, non lignum pulchrum ad vidēdum & bonum ad comedendum. Et lignum infertile, & fœnum, & stipula, & palea exciditur & in ignē mittitur. Sed nihil est eiusmodi in his lignis, sed dicit in iis omnia pulchra ad videndū, omnia bona ad comedendū, omnia bene germinantia, omnia à Deo pullulantia. Non enim iussu eius exorta sunt è terra, sed ipse Deus ipsemet opifex, complātatus & concorporalis, & eorum cognatus factus, è terra genitus; tanquàm propria membra ea fecit germinare è terra, vt quæ sint corpus Christi, & mēbra ex mē- D bro; tota formosa, quoniā ipse dicitur *speciosus præter filios hominum.* Vnde etiam post transitum diei sexti narrat diuina Scriptura horum lignorum germinationem; hoc est, post diem sabbati cultûs legitimi, dictum est de his Ecclesiasticis pulchris lignis, LAVDATE *Dominum ligna fructifera & omnes cedri.* Et rursus dicit; *Saturabuntur ligna camps* qui dicit; *Ego sum vitis, vos palmites, & Pater meus est agricola.* In hoc enim glorificatus est Pater meus vt fructum feratis, & eritis mihi discipuli. De his lignis clamabat Iudæis Seruator dicens; *Tolletur à vobis vinea, & dabitur alij facienti fructum eius.* Ex his pulchris lignis (vt quæ essent vtilia ad ædificationem Scaphæ Ecclesiæ) cùm quidam accepisset, dicebat; SECVNDVM *gratiam Dei quæ data est mihi, tanquam sapiens Architectus fundamentum* E *posui.* Ex his pulchris ligni illi sunt priùs radicati & priùs plātati, *speciosi pedes Euangelizantium pacem.* In his pulchris lignis sunt ligna iustorū plantatorum *iuxta decursûs aquarum, qui fructum suum dant in tempore suo,* ille quidē dicens, *Ego autē tanquàm oliua fructifera in domo Dei:* Et alius psallēs; *Dominus pascit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, Super aquam refectionis educauit me:* Alius, *Iustus sicut palma florebit:* Et alius, *Sicut iuniperus densa.* Et alius, *Sicut Salix ad aquam præterfluentem:* Et, *Sicut pomus in lignis syluæ, & sicut Cypressus, & picea & cedrus,* odore perfundentia & ornantia pratum Ecclesiæ, in quo exoriri fecit Dominus Deus adhuc & adhuc & in sæculum sæculi *omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum.* Pulchra ligna sunt illa de quibus dixit Deus,

IVVENES

Gregorius Theologiæ Orator. Adam agricola plantarū immortalium. Sacra litera ascendit cum ascendentibus.

Ortus & exortus differunt.

Quænam ligna sunt in Ecclesia pulchra ad videndum, & bona ad comedendum.

Psal. 44.

Psal. 148.

Psalm. 103. Io. 15.

Matth. 21. Ecclesia scapha. 1. Cor. 3.

Psalm. 1. Psalm. 51. Psalm. 22.

Psalm. 91. Isa. 44. a. Cant. 2. a.

Iol. 2. IVVENES *vestri visiones videbunt, & seniores diuina somnia somniabunt.* Pulcbrum lignum ad videndum erat illud A quod dicit, *Oculi mei semper ad Dominum.* *Psal. 24.* Pulchra ligna ad videndum sunt qui babent visionem qualem habuit, videns Dei visionem Daniel qui dicebat, *Contemplabar in visione noctis donec throni positi fuerunt.* *Daniel. 7.* Talem habuit visionem Esaias quoque qui dicebat; *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & elatum.* *Esa. 6.* Eiusmodi pulcbram visionem significat quoque is qui dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Cant. 5.* Talis erat Paulus qui spirituali visione aspiciebat Dominum. Et vt semel dicam, mens omnis perspicax & apta ad diuinam visionem, dicitur esse arbor pulchra ad videndum. Bonum autem lignum ad comedendum in Paradiso Ecclesiæ est omnis Doctor Orthodoxus, alens dogmatibus oues Gregis Christi, & nullam mortiferam aut noxiam eis apponens disciplinam; sed B in se habens fructus sancti Spiritus, quos & germinauit Apostolus & enumerauit, *Gal. 5.* charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, longanimitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam, & quæ sunt his similia. Sic mihi videtur, in Ecclesia, esse intelligenda ligna pulcbra ad visum, & bona ad comedendum, & apposite facientia fructum, quale dixit lignum vitæ, dicens, *Io. 4.* *Meus est cibus vt faciam voluntatem Patris mei.* Ei gloria & potentia in sæcula sæculorum; Amen.

FINIS LIBRI SEPTIMI ET CORPORALIS sex dierum creationis: postquam de cætero est principium nouæ in Christo creaturæ; præstantiorem ijs quæ dicta sunt habens intelligentiam.

De duobus Lignis, & 4. Fluminibus Paradisi.

Gen. 2. b. 9. EXTEXORIRI *fecit adhuc Dominus Deus ex terra omne lignum pulcbrum ad videndum, & bonum ad comedendum, & lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum sciendi id quod cognosci potest boni & mali.* Magna nobis opus est inspiratione & illuminatione ad apertè aspiciendum & dicendum, quænam horum duorum lignorum vera sit essentia & substantia. *Inquirenda non esse quæ tacuit Scriptura.* Et quòd quæ silentio præterijt Scriptura diuina, non sint scrutanda, est perspicuum: Omnia enim quæ faciunt ad nostram vtilitatem dispensauit & administrauit Spiritus sanctus. *2. Arbores Paradisi quæ fuerint.* Vnde etiam à sapientibus Commentatoribus nulla de ijs D lignis data est sententia & coniectura ac opinio. Nam superiores quidem Interpretes, accipiendo pro contéplatione has duas plantas celebrarunt. Alij autem quòd non sint sensiles & cibi. Theodoretus autem Cyrensis dixit ficum esse lignum fructus quem comedit Adam: Similiter etiam Theodorus Antiochenus, Similiter etiam infœlix Origenes: *Origenes infœlix.* infœlicé eum voco, quoniam cùm multos & vtiles sudores emiserit in Ecclesia, & omnem veterem & nouam Scripturam ad verbum sit interpretatus; posteà, sicut etiam Eusebius Palestinæus, à veritate excidit. *Eusebius Cæsariensis à veritate excidit.* Cùm ergo Spiritus sanctus horum duorum lignorum appellationem & naturam nobis siluerit & occultarit, est perspicuum quòd non est Ecclesiæ necessaria, neque vtilis eorum quæ à Deo sunt abscõsa scrutatio & manifestatio. E Hinc enim sanctis quoque Patribus minimè fuit consentiens de ijs comprehensio. Ne inquirat ergo Ecclesia naturam horum duorum lignorum; sed potiùs cuiusnam typi ac figuræ sunt hæc duo ligna: & quisnam viuificus fructus ac cibus, ex quo cum quispiam comederit in Ecclesia, viuet, & non morietur in æternum: Quis autem rursus alius fructus, ex quo cùm quispiam gustarit, suam videbit nuditatem & pudorem, & morietur morte æterna. Est enim adnotandum, quòd ex his lignis alterum quidem nobis præbet vitam, alterum autem est efficiens mortis. Quiquidem duo cibi, fuerunt fortè symbola virtutis & vitij. Et virtutis quidem frugifer dator est Christus, *Lignum vitæ est Christus.* quem priùs

describebat illud Lignum vitæ. Et ideò tanquàm vita & *Io. 11.* A viuificus clamabat; *Ego sum vita: In ipso enim vita erat, & vita erat lux hominum.* *Io. 1.* *Vita enim nostra abscon sa est in Christo.* *Col. 3.* Et quando manifestatus fuerit Christus vita nostra, viuificabit mortua corpora nostra, qui dicit; *Et vt sicut ego viuo & vos viuatis.* Viuens enim Verbum Dei est & vita & resurrectio, quomodo rursus mors est malignus Diabolus quem significabat alterum lignum quod dicitur; *Lignum scientiæ boni & mali, est Diabolus.* *Quod cognosci potest boni & mali.* Is priùs quidem erat pulcher quãdo fuit factus, & ideò fuit appellatus, primum quidem lignum quod cognosci potest boni; deinde etiã mali, lethiferum lignum Diabolus: De quo dicit Iudæis *Io. 5.* Christus vita; *Vos ex patre vestro Diabolo estis, Ille ab initio est homicida:* Et qui comedit ex hoc fructu morte morietur. *Cur Deus, Filij sui, & inimici Diaboli nomina Iudæis non reuelauit.* Si autem quæris qua de causa abscondit diuina Scriptura appellationes horum duorum lignorum; viuentis (inquam) Filij Dei, & qui ei aduersatur Inimici; scias quòd B sceleratæ & immundæ & voluptariæ genti hæc reuelãs, noluit omnino reuelare Iudæis filium Dei, ne intelligerent Filij Deificationem, & Dei nuptias, & Deorum multitudinem, qui bouem & muscam in Deos retulerunt. *Diabolum quibus nominibus vocet Scriptura.* Hoc ergo modo ne diabolum quidem eis apertè reuelauit; sed aliquando quidem ipsum, Serpentem, aliquando autem arborem, mortiferum fructum ferẽtem appellauit; eos omninò celans Mundi non aspectabilis intelligentium Virtutum creationem, propter eorum inexplebilem idolorum cultus insaniam, ne si didicissent esse aliquas naturas materiæ expertes & intelligentes, eas in Deos referrent. Ei autem quod dico testimonium fert ipse Deus, sic dicens per Osee Prophetam Israëli: C EGO *Dominus Deus tuus, firmans cælum, & creans terram, cuius manus crearunt omnem militiam cæli, & non reuelaui ea tibi ne post ea ambulares.* Hinc apertè discimus quamobrem in scriptura Mosaïca silétio fuit prætermissa de Angelis mentio. *Cur Moses nusquàm meminerit Angelorum.* Quomodò etiam de his duobus lignis de quibus dicit; ET *Lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum sciendi id quod cognosci potest boni & mali;* hic diligenter & accuratè tractarunt dictionis contextum de his duobus lignis, quidam ex ijs qui diuina pulchrè sciunt scrutari, dicentes: Cur non dicit Scriptura in casu gignendi, nempe *in medio Paradisi*, sed in casu offerendi, dicens ea esse *in medio Paradiso*? *Cur, in medio Paradiso dictum est, non in medio Paradisi.* Vt discamus ex dictione, quòd eæ non sint simul plantatæ cum alijs arboribus, neque earum sint cognatæ; sed exercitatione virtutis & D vitij sint procreatæ, ad probandum nostrum liberum arbitrium. *Liberum arbitrium.* Inuenimus quidem certè in nonnullis non adulteratis exemplaribus, quòd postquàm dixit: ETEXORIRI *fecit adhuc Dominus Deus e terra omne lignum pulchrum visu, & bonum ad comedendum*, Scriptor faciens punctum perfectum, tanquàm capite de lignis completo, tunc Versum incepit, dicens, ET *lignum vitæ in medio paradisi, & lignum sciendi id quod cognosci potest boni & mali*, vt diceret transeundo & inducendo cur isti venissent in Paradisum. Quòd auté maior sit & viuificus Christus, paulò antè à nobis dictum est. Quòd autem seipsum nominat Lignum, audi eum ipsum dicentem Iudæis; *Mat. 12.* AVT *facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem marcidam & fructum eius marcidum, à fructu enim arbor cognoscitur.* Hæc autem eis dicebat, quoniam dicebant quòd in E Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dęmonia. Similiter etiam ad passionem in hortum Golgotha ad Adamum egrediens & lignum Crucis portans, lignum vitæ seipsum vocauit, dicens mulieribus lamentantibus & plangentibus; *Luc. 23.* FILIÆ *Ierusalem nolite flere super me sed flete super vos & filios vestros, Si enim in humido ligno hæc faciunt, in sicco quid fiet?* *Christus, lignum viride; Iudæi, ligna sicca.* humidum, hoc est vitæ lignum, seipsum vocans Dominus? Sicca autem ligna & infrugifera & materiam ignis, Iudæos. Quòd si velis etiam scire eum esse in medio paradisi Ecclesiæ, audi eum dicẽtem Discipulis; EGO *sum in medio vestrum tanquàm qui ministrat.* *Luc. 22.* Vnde etiam Ioannes dicebat turbis, *Medius vestrum stat quem vos nescitis.* *Ioan. 1.* Qui stetit in medio Discipulorum & insufflauit dicens; *Accipite Spiritum Sanctum*, congruenter *Matt. 20.*

Psalm. 81.
1. Tim. 2.

ei quod dictum est; DEVS *stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*; Qui est *mediator Dei & hominum*, & fecit salutem in medio terræ;
A
Qui est lignum vitæ: Vnde (vt quòd sit increata eius diuinitas) ideo non dicit eum cum lignis complantatum, sed esse in medio Paradisi. Similiter & malum. Dico autem boni medium lignum mortiferum, *cognoscendi bonum & malum*, proptereà quòd ipse sit diuersæ essentiæ ab humana natura illorum lignorum quæ dicuntur Pulchra. Ea de causa in sexto casu ea dicit Scriptura esse *in medio Paradiso*. Vnde etiam Mulier cum Serpente disserens, *in medio Paradisi* dixit ipsum lignum. Media autem dicuntur duo ligna; nempe lignum diuinæ, & lignum aduersariæ Potestatis: quandoquidem ex æquo cuiuis volenti concupiscenda inuenitur virtus & vitium propter liberum nostrum arbitrium.

Virtus & vitium sunt duo ligna media propter nostrum liberũ arbitrium.

Eccle. 14.

Et propterea, vt opinor, Deus Legem ferens Israeli, dicit de quibusdam duobus lignis; ECCE *pono*
B
medio tui vitam & mortem. Vitæ enim & mortis erant duo ligna significantia & efficientia. *Fluuius autem egreditur ex Edem, & irrigat Paradisum*: Alter autem & secundus & irrigationi priori dissimilis est hic fluuius. Nam ille quidem è terra ascendens inundabat totam faciem terræ, ipsam faciens mortuam & infrugiferam. Et ideo ad Deũ votum faciebat quidam ex Prophetis, dicens; DOMINVS *diluuium inhabitabit*; hoc est, exorietur & sedebit rex in æternum.

Psal. 28.

Hic autem Dei fluuius egreditur ex Edem; Paradisum, tanquàm agrum proprium & Dei possessionem, sua virtute irrigans. Oportet enim adnotare quòd cùm iam cessasset prior illa irrigatio, eam præteritam nominauit Scriptura dicens; FONS *autem ascendebat & irrigabat*.

Genes. 2.

C
Hunc autem vt qui perenniter in sæcula irriget Ecclesiam, dicit præsentem: *Fluuius* enim inquit, *egreditur ex Edem*; hoc est, ex delicijs ad irrigandum Paradisum. Cùm ergo nos præmunierimus ad non dissoluendum corporalem rerum historiam quæ est conuenienter literæ, alacriter etiam consideremus eam quæ est de his propositis fluuijs & locis historiam, quemadmodũ ea quoque sunt præfigurata de Christo & Ecclesia. Audiuimus enim quempiam dicentem de egrediente fluuio & Ecclesia; FLVMINIS *impetus lætificat ciuitatem Dei*, propterea quòd fluuius Dei egressus ex Paterno fonte, repletus est aquis gentium quas quidem euangelizabat Propheta dicens; ET egredietur Dominus ad eos tanquàm fluuius pacis. Qui dicit; EX *Patre meo sum egressus, & veni in mundum*: egressus sum ad salutem populi mei,
D
ad seruandos Christos meos.

Psal. 45.
Fluuius egrediens è fonte, est Dei Filius exiens à Patre.
Psal. 60.
Io. 14.

Huius ergo diuini fluuij diuinum è cœlo egressum priùs describit Moses, dicẽs: *Fluuius egreditur ex Edem*; hoc est, ex abundantibus delicijs ad irrigandum Paradisum per illam aquã quæ egreditur; nempe per spiritum qui procedit à Patre. Qui enim eum suscipit fluuium, diuersi fluuij ex *ventre eius fluent aquæ viuæ*. Hoc enim apertè nos docet historia dicens fluuium qui egreditur ex Edẽ, multiplicari & scindi in quatuor fluuios, & efficientem Ecclesiæ spirituales diuitias: De qua dicit Dauid; INEBRIABVNTVR *à pinguedine Domus tuæ, & Torrente voluptatis tuæ potabis eos quoniam apud te est fons vitæ. Fluuius autem egreditur ex Edem ad irrigandum Paradisum; Illinc dispergitur in quatuor initia.*

Psal. 35.

Diabolus est fons & initiũ peccati.

Subterraneam quidem maligni irrigationem, fontem appellauit Propheta Moses, ostendens Diabolum esse
E
autorem & genitorem vitij; & non ab aliquo alio accepisse malum, sed ipsum esse fontem & initium peccati: Sancti autem Spiritus gratiam tanquàm ex Patre fontano procedentem nominauit fluuium separatum ab infidelibus; irrigantem autem à quatuor initijs, (à finibus, inquam, Orbis terræ) Paradisum Ecclesiæ eorum qui credunt in Christum. NOMEN *autem vni Physon: Iste est qui circuit omnem terram Euilath*. In omnibus locis terrenis quæ sunt manifesta, non est locus qui vocatur Euilath; Quamobrem hinc quoque arguimus Infideles, quòd mysteria spiritualia nobis narrat scriptura. *Physon* enim interpretatur, Os alterationis. Ipsa autem alteratio seu mutatio dexteræ Excelsi facta est cùm diuinum Verbũ

Fluuius est Spiritus sanctus irrigans Paradisum Ecclesiæ.
Euilath, nusquam extitit.
Physon, quid significet.
Alteratio Ecclesiæ.

alterasset ac mutasset os & spiritũ Ecclesiæ, ex blasphemia in fidem, & ex maledicẽtia in Theologiam seu Dei laudem ac prædicationem. *Euilath* autem rursus interpretatur, *parturiens & pariens*. Significat enim propriè gentium Ecclesiam quæ aliquando erat sterilis, ad quam Deus clamat per vocem Prophetæ; LÆTARE *sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quoniam plures sunt filij Desertæ magis quàm eius quæ habet virum* ex Iudæis. Quoniam sterilis peperit septem; & quæ parturit est propinqua partui, & in partu suo sic clamauit: Geniti sumus dilecto filio Dei qui dicitur *Physon*, qui est os Patris, & mutauit genus nostrum à corruptione in incorruptionem, & *circuit* & custodit *omnem terram Euilath* quæ parturit & parit ipsum Christum. Quamobrem subiunxit dicens de hac spirituali *Euilath* quòd *illic est aurum, aurum autem illius terræ est bonum*; hoc est diuinitas quę in terra Ecclesiæ resplendet & adoratur: aurum enim terrarum multarum (gentium Dij & idola) est malum obscurum & adulterinum. In multis autem locis diuinæ Scripturæ, ipse quoque perscrutatus inuenies aurum sumi pro figura diuinitatis Verbi. Arca enim lignea quę erat terrena, obducta erat intrinsecùs & extrinsecùs auro puro in typum diuinitatis. Similiter & templum Solomonis ornatum erat auro purissimo. Porrò autem arca quoque aurea Christum Verbum nobis priùs describebat & præfigurabat. Et fortasse ea de causa Magi quoque Christo (vice omnium Gentium) aurum offerebant, contrita imagine idololatriæ quæ erat Babylone; & ea ipsi oblata, vt cùm obscuratam & euanescentem Adami imaginem (quæ fuerat Dei imago & similitudo, & cuius character valde erat immutatus ac deletus, contritúsque animi motibus ac perturbationibus) & reliquias diuinorum mandatorum ex veneno Serpẽtis, Christus tanquàm diuinus character paternæ hypostasis, reformasset in seipso serui formam suscipiens; signaculo baptismatis per aquam & ignem eam expurgaret, in ea impressa propria & conueniente ratione fidei, Et rursus fiat *aurum illius terræ bonum*, congruenter ei quod scriptum est de spirituali Ecclesia *Euila h*. In ea enim sola est probum & non adulterinum aurum dogmatum.

Euilath quid significet, & eius allegoria.
Esa. 54.
Aurum est figura diuinitatis.
Magi cur aurum Christo obtulerunt.

Arcam autem quæ ante significat gentium Ecclesiam, dicit intrinsecùs & extrinsecùs auro puro esse obductam diuinitatis, quoniam & quæ sunt extrinsecùs (quæ sola videt Iudæus) Deus efficit vt fulgeant: & quæ sunt intrinsecùs (quæ cum ijs quæ sunt extrinsecùs aspicit populus gentilis) idem illuminat, eam vndique illustrans; etiamsi Iudæus propter ignorantiam non videt probitatem eius quod est extrinsecùs. Templum autem Solomonis figurabat templum humanum, in quo habitat Trinitas, quod intrinsecùs quidem fulget auro proptereà quòd templum Dei quod est in homine, intrinsecùs solùm habere debeat splendorem operum, & non etiam extrinsecùs ad ostentationem: quoniam fulgur quoque diuinitatis illuminat animam & eam reddit auro formæ similem, corpus autem manet neglectum & contemptum: Nullã enim eius habet rationem, is cui curæ sunt interna. Porrò autem vrna quoque (siquidem accipiatur pro anima) fert Manna, nempe Christum; Sin autem pro Ecclesia, fert panem mysticum: Quem quidem non redolent, hodierno die & crastino & deinceps, Manna conseruantes. Est etiam alius quidam lapis, qui gratia per cõtemperationem suscepit auri-formem splendorem diuinitatis; Alius autem qui suscepit puta & non adulterina Theologię dogmata, & ijs illustratur: Et illic est carbunculus & lapis prasinus. Carbunculus, Sol cœlestis Deus Verbum. *Deus* enim *noster est ignis consumens*; Et ideò *carbones* etiam *succensi sunt ab eo*. Huius qui dicitur carbunculus, sunt omnes eius imaginis conformes, effecti luminaria quibus dicebat: EGO SVM *lux Mundi*. Hunc carbonem Dei Verbi priùs descripsit ac figurauit ille quoque carbo quem vidit Esaias in medio esse forcipe, & purgare eius peccata. Forceps autẽ Christi per duas pinnulas cum tenẽs est intemerata eius Mater, &

Arca Testamenti significat Ecclesiã.
Templum Solomonis figurabat templũ humanum in quo habitat Trinitas.
Panis mysticus in Ecclesia.
Carbunculus est Deus Verbum.
Ioh. 8.
Carbo qui tenetur forcipe, quid significet.
Isa. 6.
Christi Mater intemerata.

ter, & sanctissimum eius corpus. *Illic est*, in medio scilicet eorum, carbunculus; deinde rursus in eodem fluuio lapis quoque prasinus. Primus quidem carbunculi color est cœlestis, secundus autem terrestris: Propterea enim nec appellat lapidem qui nascitur è terra, & qui est typus terrenæ carnis Verbi. Propterea autem quòd *omnis caro est fœnum*; omne autem fœnum virescens in colore cernitur viridi aut tanquàm porraceo, propterea id quoque quod Christi est carnale, vt quod è terra germinauerit, assimulatum est ei colori. Vnde etiam diuinus Daniel carnis susceptæ dispẽsationem lapidem appellauit, dicens: L A P I S *est excisus ex Monte* virginali *absque manibus* seminanonis & corruptionis: *Lapidem quem reprobauerunt* execrandi *ædificatores* qui ad carnem offenderunt, qui populum se ædificare existimabant, Scribæ & Pharisæi. De quo Lapide dicit etiam Deus per vocem alterius prophetæ, E C C E *pono in Sion lapidem, vt omnis qui credit in eum pudore non afficiatur*. Hæc, vt ego quidem arbitror, nos ænigmaticè docet dogmata, diuina Scriptura, per hos fluuios & aurum & carbunculum & smaragdum: Non enim nos aurifices & gemmarios, gemmarúmque auro conglutinatorum fusores efficere volens & docens hæc dicit Scriptura. Videamus autem etiam ea quæ sequuntur in Scriptura: Nam cùm dixisset priorem fluuium Physon, *subiunxit dicens. Et nomen secundo fluuio Geon, Iste est qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Traxit nos procedens oratio ad Nili fluentorum in Ægypto latitudinem, vt quę nos deduxerit ad *Geon*, ad quem maximè deriuamus fluuium huius orationis, & nos oportet omninò in Ægyptum orationem elegantiùs conuertere. Nam super omnes fluuios qui violento impetu fluunt super terram, videmus hunc fluuium qui dicitur *Geon*, habere cum Christo magnam proprietatem & cõuenientiam. Nam vt dicunt qui pulchrè & accuratè linguam Hebraicam transtulerunt in Græcam, *Geon*, interpretatur *effusor aut exinanitor*, quod quidem re vera est Christus. Tanquàm effusor quidem seipsum exinaniit serui formam *accipiens*, renouato veteri homine, & renouata facie terræ, & spiritu recto innouato in visceribus nostris. Vnde etiam Paradisi secundo-genitus statim post *Physon* ponitur *Geon*, significans Christum secundogenitum super terram secunda per carnem generatione, post eiusdem simul essentiæ generationem ex Patre, quæ est ante sæcula. Et fortasse ea de causa Dei fluuius Iesus statim è terra generatus super terram ex Virgine & Bethleemitico antri fonte, ad *Geon*, fluuium in Ægypto proficiscitur: quoniam secundus *ex Paradiso Geon*, & secundus hypostasi ex Patre Filius. Vnde etiam ex Cataractarum altitudine egreditur & descendit Geon, quoniam Christus quoque ex cœlestium cataractarum altitudine descendit super terram. Superiorem Æthiopiæ & inferiorem Ægypti regionem irrigat & ditat Geon; quomodò Christus quoque cœlestia & terrestria ditat & illuminat. Ex ignotis & inaspectabilibus inaccessísq; & inscrutabilibus locis ambo procedentes descendunt in loca habitata; Atque adeò in rebus omnibus figuris & exemplis Geon prædicat & apertissimè clamat Christi mysteria. Quamobrem Nilus qui aliquando ab initio scaturiit sanguine & aqua; per exemplum nobis antè prædicauit sanguinem & aquam emanaturam ex latere fluuii Dei Iesu in Golgotha. Et totam terram hic Geon simul irrigans, & rursus ad proprium suum priorem locum reuertens cernitur Christum præfigurare, qui Mundum irrigauit & illuminauit simul dicens, *Ego a Patre meo exiui, & rursus ad Patrem meum vado*, reuersus sum in priora mea quę non circumscripta sunt loca. Iste amœnissimus & frugifer Nilus occîdit olim sceleratos fœtûs primogenita Pharaonitica Legislatoris iussu morte affecta, priùs iudicans & significans Christum qui occîdit primogenita Pharaonis Diaboli (impietatem, inquam, & idololatriam) in profundo aquæ baptismans. Iste Geon primus nobis descripsit grauissima Ægyptiorum supplicia quæ Dominus Iesus pro nobis intulit populis Dæmonum. Solus Geon nobis coronauit Ioseph Regem, qui nobis de Christo omnia præfigurabat & loquebatur. Prima omnium regionum gentilium, terra Nili vidit Deum in carne apud se versantem, & nulla regio barbarorum alienigenarum in Mundo Christi faciem vidit in carne nisi sola Ægyptus. In ea, Pascha fuit typus Christi passionis & Agnus primus est occisus. In ea, redemptio gẽtium priùs fuit descripta ex manu Tyranni Mundi. Ægyptus prima vidit agni sanguinem ad vesperam in domibus signarum ad salutem, & ostendit agni Christi sanguinem fusum ad vesperam temporum, donec domum Ecclesiæ colorauit. Post hyemis tempestatem cùm suum ascensum in aër conuertisset Dominus; illinc ex latere, vitæ nobis aquam scatere fecit Dominus in horto Golgotha. Propterea Geon quoque salutem populi faciens ascensum, ante omnes, irrigat Æthiopes, nobis prædicans quòd primos gentium tenebris offusos populos seruat & illuminat & irrigat Christus. De quibus Dauid dicit Ecclesiæ; G L O R I F I C A T A *sunt de te, ciuitas Dei*: E C C E enim *alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum*, hi fuerunt illic, *Æthiopia* enim *præueniet manus suas Deo*, ante omnes cum Christo pacta conuenta dans & faciens per illum Eunuchum qui erat Cãdaces Reginæ Æthiopum, Ecclesiæ, quæ quidem Christo vnita clamat; *Nigra sum & formosa filia Ierusalem*; nigra priùs incredulitate, quæ nunc sum obscura humilitate, formosa autem nunc sum Dei cognitione. *Ego enim sum Regina Austri quæ surgo ex finibus terræ gentium, & veniens vidi sapientiam Solomonis: qui verè ad me clamauit; Veni formosa propinqua mea ad me*: *Ego* enim *sum resurrectio*, & ego sum fluuius Dei, qui propter te factus sum terra genitus Geon, & qui circumeo & comprehendo omnem terram gentium Æthiopiæ & Ægypti priùs incredulæ, nũc autem fidei inceptrix, quoniam Ægyptii primum viderunt Dominum & cognitus fuit Dominus Ægyptiis, & erectum est altare Domino in Ægypto fixum in petra Petri, & colũna sedit Domino ad fines Ægypti. Dominus in Bethleem super nubem leuem, tanquàm pluuia cœlestis in gremio nebulæ Mariæ suæ matris, & cursu venit in Ægyptum fugiens voluntariè sceleratas manus iniquorum, & concussit manufacta Ægypti, & confregit sculptilia Ægypti, & eam excitauit iacentem. Quoniam Ægyptus suis manibus excepit Deum ad ipsam venientem & cursu contendentem; & occultauit à Feris agrestibus Iudæorum, eum qui ipsum eripuit à manibus Dæmonum; & seruauit, vlnis amplexa eum qui ipsum & Mundum seruauit; & texit eum qui ipsam & omnia manu tegit; & hospitio excepit Ægyptus eum qui carne voluntariè in ea fuit hospes, & nos qui in ipsa eramus hospites in cœlos sustulit: Et nutriit Ægyptus panem cœlestem qui omnes aluit, & potauit Geon aqua Ægypti fontem vitæ, & aperuit Ægyptus ostium illi qui dicit: *Ego sum ostium*, & dedit initium ingressus Deo Verbo, quod ex principio carente principio simul erat sine principio in principio; & inuenit Christus in Ægypto *vbi caput inclinet* fide, quoniam in propria non erat ei locus fidei *in diuersorio* derelictæ synagogæ Iudæorum, & Deus Deorum Dominus locutus est ex Ægypto Filium suum ad nos mittẽs ante Apostolos Apostolum Deum, & fuit Geon sanctus per Sanctum sanctorum sanctificatus, & ad illuminationem & sanctificationem præuenit aurifluus amnis Iordanem qui excepit Christum in suis fluentis, & excepit rursus secundò etiam sanctis sanctior Aegyptus, pro Maria Mosaïca Mariam dominam, & ditat secundò Geon Ioseph, qui vir quidem dicebatur, sed non erat vir Matris quæ erat omni ex parte incorrupta quandoquidem ipse fuit gratus & acceptus coram eo qui seipsum exinaniit. Sed hæc quidem sunt encomia Aegypti, quæ in alio libro proprio fusiùs celebrantes composuimus. Nunc autem de cæterò nos tẽpus vocat vt alios quoque fluuios paucis transnauigemus, considerantes quemadmodũ illi quoque ad Christum habeãt relationem & ad Paradisum Ecclesiæ gen-

Christus dicitur lapis.

Dan. 2. Psal. 117.

Esa. 28.

Geon qui est Nilus, magnã habet cum Christo conuenientiam.

Secundus hypostasi ex Patre Filius.

Io. 1. 6.

Quæ fuit Primogenita in Ægypto occisa.

Ex. 12. c.

Ægypti encomium.

Ægyptus sola ex gentibus vidit Christũ in carne.

Pascha typus Christi passionis.

Psal. 86. Psa. 67.

Æthiopia prima per Cãdaces Eunuchum Deo fuit conciliata.

Cant. 1.

Petra Petri.

Ioan. 10.

Maria domina & mater, ex omni parte, incorrupta.

trum: Sic enim dicit Scripturæ consequentia: ET FLVVIVS *tertius Tygris, ipse vadit contra Assyrios.* Cur autem A duos quidem fluuios, (Physon, inquam, & Geon) nominat circumeuntes & tanquam custodientes ac circũmunientes Paradisum Christi; Tertium autem fluuium, non circumeuntem, sed tanquàm cum pugna & bello occurrentem ex aduerso Assyriorum? Assyrij quidem interpretantur, non dirigentes: Tygris autẽ, voce Græca dicitur, latus & austerus. Ergo Assyrijs quidem dirigentibus suam vitam in viam pacis, resistit aduersus eos bellum gerens Euangelica prædicatio. Scimus enim Assyrios esse hostes & inimicos Dei ciuitatis Ierusalem, qui & eam quæ est domus Dei, variè diripuerunt & exusserunt. Aduersus quos tertius fluuius plenitudinis Trinitatis (Spiritus, inquam, sanctus) vadit ei hostis & infestus. *Fluuius autem quartus iste est Euphrates.* In multis autem B & diuersis locis, sacri Theologi documentorum Mosaïcorum solent appellare magnum ex his quatuor fluuijs solum Euphratem: vt quando Deus dicit Israëli; PONAM *terminos tuos à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphratem.* Atque Euphrates quidem Græca lingua interpretatur καρποφορία αὐτῶν; hoc est, eorum fructificatio. Euphratæi autem rursus dicuntur fructificantes. Nonnulli autẽ ex Interpretibus interpretantur Euphratem vitij dispersionem, Euphrata autem, terram fructum ferentem. Propterea ergo magnus fluuius Dei Euphrates, nempe Christus, qui est fructificatio Euphrateorũ; id est gentium ferentium fructum; natus est in *Euphrata* (id est Bethleem) vt dispergat vitium gentium, & reddat terram fructum ferentem Ecclesiam quæ priùs erat infrugifera: Vt terra det nobis fructum suum, cùm in ea C sit inseparabilis fructuum dator Euphrates. Conuenit enim magis prudenter animaduertere, quemadmodùm Physon quidem dicitur circuire *totam ipsam terram Euelath*, seu parturientem; Geon autem similiter continet custodiens qui in ea sunt populos eorum qui priùs erãt Aethiopum: Tigris autem eam protegit & defendit aduersus improbos Assyrios. Non scriptum est autem magnum Euphratem, neque transire, neque vadere, neque circuire, sed esse stabilem & immobilem, vt qui semper dicat; *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem Sæculi; Et, non relinquam vos Orphanos.* Propterea ergo neque vllam regionem dicitur hic magnus fluuius irrigare, neque locum. Non enim locum sed Mundum totum quartus hic irrigat fluuius. Quartum autem flu- D uium intellige Euangelicam & totius Orbis prædicationem post naturalẽ & Mosaïcam legẽ Propheticam. Quoniam autem dura & coacta videntur ea quæ nunc dicuntur de his fluuijs, non solùm Iudæis sed etiam multis ex Ecclesia qui sunt carnales & non sunt capaces vt cum Diuo Paulo intelligant & dicant quòd *Litera occidit* (lex enim est spiritualis.) Age ostẽdamus ex ipsa diuina Scriptura spiritualem Euphratem qui priùs nominatur Christũ. Cernitur ergo Deus in Lege iubere Israëli, vt tribus temporibus veniat singulis annis; & adoret Hierosolymis omnis vir masculus ex vniuersa terra vbicunque habitet; horrendum imponens vinculum, & decretum pronuncians: Execrabilis est omnis homo Hierosolymis, *qui non facit omnia quæ scripta sunt in Lege huius libri.* Si ergo posuit terminos tuos à fluuio Aegypti E vsque ad fluuium magnum quem tu existimas Euphratem Babylonium; quomodò fieri potest vt ter in anno venias ex Mesopotamia? Et dicendum est, vel quòd totus Dei cœptus hic est, Lege ligare & ostẽdere esse execrandum Israelem qui non valet nec potest facere præcepta quæ iussit Deus. Vel quòd Christum spiritualiter nominat Euphratem Scriptura dicens Israeli: *Ponam terminos tuos*; hoc est, terminum temporis cultus legitimi; *vsque ad fluuium Ægypti*, vsque ad aduentum Christi qui est magnus frugifer Euphrates; *Vt statim auferetur sacrificiũ & libamen*, vt dicit Daniel; & delebitur vnctio Ducis & iudicium: *Finis enim Legis est Christus. Lex enim & Propheta vsque ad Ioannem* Baptistam. Exacerbatur (scio) & suc-

Euphratis fluuij & Assyriorum allegoria.

Assyrios & Tygris quid significet.

Gen. 5.

Euphratem quid significet.

Math. 28.

Ioan. 14.

Legis præcepta fieri non possunt ad literam.

Deut. 27.

Euphrates est Christus spiritualiter.

Dan. 7.

censet hæc audiens Iudæus, falsas nugas appellans ea A quæ dicta sunt; Ei ergo occurramus per aliud principium, nempè Geon. PONAM, inquit; *terminos tuos à fluuio magno Euphrate.* Hæc est Dei oratio (quoad terminos) ad Israëlem: Non est autem Deus verus mentiens; *Dei* enim *Verbum manet in æternum*, sicut Dauid quoque dicit: *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cœlo; in generationem & generationem veritas tua.* Cum ergo Deus promiserit & non mentiatur, & dixerit se ponere fines Aegypti vsque ad Euphratem; quomodò neque fluuij Geon, nec eorum qui sunt prope Geon, neque rursus Euphratis, nec vllius consilij quod sit prope Euphratem, dominatum obtinuit Israël? Reuersus autem in Chananæorum Palestinam, quamobrem non possedit vsque ad Euphratem? Ego verò ei dicam; & quomodò in Deserto irritasti Deum, & possedisti & tenuisti à Dan vs- B que ad Bersabee Amorrhæos & Chetthæos, & reliquas gentes terræ Chanaan? Discat ergo Ecclesia & Iudæus, quòd ab exitu Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, nempè Christum; Deus constituit vt tenerent terminos cultus legitimi. Iste enim spiritualis Euphrates qui peremit eum qui per sanguinem fit cultum & libationem: Hunc (inquam) Euphratem Deus præsignificãs, dicit Hieremiæ qui ante captiuitatem Israël erat in Ierusalem: *Vade, proijce subligaculum tuum in Euphratem* (Euphratem autem dicit Deus, locum aqua circumfluum propè Ierusalem, qui appellatur Phara seu frugifer.) *Cùmque illic posuisset Propheta linteum lumbi sui, misit eum aliquot post diebus ad videndum ipsum & adducendum, & profectus inuenit ipsum corruptum: Et factum est verbum Domini ad* C *Hieremiam dicens; Sic corrumpetur hic populus quomodò subligaculum lintei*, subligaculum lintei, nominante Deo, Israëlem quem corrupit ac perdidit magnus fluuius Euphrates in Ierusalem: cum enim funditùs diruit per Romanos, Titum & Vespasianum. Est enim subligaculum nõ solùm naturæ, situm in lumbis ventris & partibus genitalibus. Propterea Christus cum venisset ad cœnam noui Testamenti ad gentes sibi coniungendas cognatione, accepto linteo se succinxit. Restat ergo nobis vt ostendamus ipsi Iudæo & Ecclesiæ, esse Geon spiritualem, vt vtrisque persuadeamus vt intelligant Scripturas non solùm conuenienter literæ, litera enim occidit. Vide enim quòd si intelligamus corporaliter præsentem Literæ contemplationem, quæ dicit; *Ponam terminos Is-* D *raelis à finibus Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem*, inueniimus Deum esse mentitum, vt visum est sceleratis Manichæis mendacem esse Deum qui locutus est vetus Testamentum. Ergo ne nos quoque in eos incidamus laqueos, credamus Christo qui dixit, quòd *vnum iota aut vnus apex non transibit ex Lege donec omnia fiant* de ipso: De ipso enim omnia scripta sunt in Veteri. Inuenimus enim in principio tertij Regum, Dauid moriturũ postquàm regnasset triginta tres annos in Sion, in typum ætatis Christi secundùm carnem, dicentem: VOCATE *mihi Sadoch Sacerdotem & Nathan Prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ; & ingressi sunt coram Rege, & dixit Rex; Accipite seruos domini vestri vobiscum, imponite filium meum Salomonẽ super mulam meam, & adducite eum ad Geon, & vngite eum regem* E *in Ierusalem*: Et fecerunt sicut eis iussit Rex, & rediit Solomon ex Geon ad patrem suum Dauid regnãs. Quamobrem nihil tunc defuit Dauidi quominus diceret, quãdo ascendit filius eius ex Geon ad ipsum; EX ÆGYPTO *vocaui filium meum*: Geon enim significat Aegyptũ; est enim iste quoque fluuius Hierosolymis, qui dicitur Siloë. Qui ergo aduersus ea quæ dicuntur reluctatur Hæbræus, refellitur ad rerum consequentiam. Non inuenimus enim alterum Regem vnctum in Geon, nisi solum Solomonem filium Dauid. Propterea Dei quoque templum non ædificat Dauid, quod quidem decebat, erat enim iustissimus: Sed filius Dauid, scilicet qui administrauit ratione præditum templum hominis dissolutum, per eum qui etiam Solomon pacificauit circũcirca omnes gentes. Propterea *Regina* quoque *Austri*, nempè

Psal. 118.

Iudæi nunquã possederunt terminos terræ à Deo præstitutos.

Hier. 13.

Lumbare in Euphratẽ ab Hieremia proiectũ expositio.

Matt. 5.

3. Reg. 1.

Osee 11.

Siloë dicitur etiam Geon.

Solomon cur ædificauerit templum.

Regina Austri significat Ecclesiam.

nempè Ecclesia posteriorum annorum sæculi eorum scilicet qui priùs erant Aethiopes; *surrexit ex finibus*, sed non ex loco aliquo; *& venit vt videret sapientiam filij David*, nempè Iesu, spiritualis *solomonis*, quoniam à templo Solomonis vncti in Geon, vsque ad fluuium magnum Euphratem dominati sunt termini legitimi cultus templi Dei (qui dissoluit templum Israëlis) & sacrificij ratione prædit, quod brutorum extinxit sacrificium, per Christum qui est carbo qui sopiri non potest & extingui. Nam & Esaiam accendit, & ad se inflammauit proposito regali sacrificio symbolicè tunc quoque ei apparens. Sic comedite carnes corporis sacræ Scripturæ ô fratres, eas esurientes: & absconsum in carne Scripturæ spirituali, mysteriorum sanguinem sic bibite: Qui est enim sic eius particeps, habet vitam æternam. Quoniam autem procedentem proprietatem in sancto Spiritu didiscimus ex Euangelicis esse traditionibus, dicente Domino; *Spiritus sanctus qui ex Patre procedit*; fortasse Spiritū significat Scriptor dicens: *Fluuius egreditur ex Edem ad irrigandum paradisum* Ecclesiæ. Nam illud, *Egreditur*, significat perennitatem, & nullam esse quietem: Quod quidem nobis rursus ipse Dominus Christus promisit dicens, *Si abiero ad Patrem, rogabo eum, & alium Paracletum mittam vobis spiritum veritatis vt maneat vobiscum in æternum.* Quòd si etiam quęris quatuor initia illuminationis sancti Spiritus, scias eum esse qui est locutus in iustis qui fuerunt ante Legem, ex quibus erat ille quoque qui dicebat; *Spiritus diuinus qui abundat* nobis in naribus, flatus autem omnipotentis qui me docet. Similiter secūdum quoque in Lege: Tertium autem in Prophetis: Deinde etiam quarto ordine in quatuor fluuijs Euangelistarum. Nam Matthæus quidem interpretatur, *mandatum altissimi*; quod quidem dici conuenit de Euangelica prædicatione. Marcus autem dictus est, *donum vitæ*, Lucas autem, *ipse faciens surgere*. Ioannes autem, *obediens Domino*. Porrò autem ipsa quoque quatuor fluuiorum consequenter positura, quatuor sanctorum Euangelistarum immutabilem significat ordinem & posituram. Primus ergo Matthæus qui dicitur *Physon*; quod quidem interpretatur, *oris alteratio*. Nam cùm Matthæus scripserit Euangelium sermone Hebraïco, fuit alteratus & interpretando transmutatus sermo oris eius à Luca & Paulo in vocem Græcam. Secundus conducibilis Marcus, fluuius qui dicitur Geon; quandoquidem Marcus quoque cū Euangelium annunciasset Ægyptijs, illic per Spiritum fluuium ex ventre eius scatere fecit aquæ viuæ prædicationis. Tertius Lucas, qui vocatur Tygris, qui quidem interpretatur Latus: Quid enim in Euangelijs latius aut ditius Euangelio secundum Lucam? Nam cùm Pauli dogmatū fontis fuisset Discipulus, super fluuialia fluenta ex Pauli riuis scaturijt. Quartus Ioannes dilectus, *supra pectus* recumbens, qui cùm supra Lucis pectus recubuerit, nobis annunciauit à superis factam ab ipso Patre luminum generationem, qui est ipse lux vera illuminans omnem hominem, & lux in tenebris lucens, & lux Mundi, sicut dixit. Ipsi sit gloria & potentia in sæcula sęculorum; Amen.

Carnes Scripturæ, quomodo sint comedendæ.

Ioan. 15. Fluuius est Spiritus sanctus. ,, Ioan. 15.

Sancti Spiritus illuminationis quatuor initia.

Euangelistarum nomina quid significent.

Matthæus scripsit Hebraice. Euangelium Matthæi græcum fecit Lucas.

Lucæ Euangelium scaturijt ex D Pauli fontibus.

EIVSDEM S. P. ANASTASII, LIBER nonus in Hexaëmeron.

De posteriori rerum Creatione, & Muliere viri adiutrice.



ET ACCEPIT *Deus hominem quem fecit, & posuit eum in Paradiso.* Ante omnem examinationem considerandum est in loco proposito, cur non indigenam è Paradiso genitum & è Paradiso effictum intus in Paradiso Deus fecit hominem; sed ipsum extrinsecùs nudum & incompositum aliunde inducit in Paradisum: intus autem è Paradiso fabricatur mulierem ex Adamo! Rursus autem cùm bestias foris construxisset, posteà introducit ad hominem in Paradisum: Oportebat enim vel Mulierem cum homine foris fingere, vel etiam intus construere virum vbi mulier fuit constructa. Quomodò autem Deus quoque ferens bestias & animalia, non ea adduxit ad vtrósque cùm essent simul, sed ad solum hominem! Hæc Iudæus legens singulis diebus, non cognoscit; quoniam adhuc habet impositum velum animalis ignorationis: Si hæc enim intelligantur secundùm literam, ea inducunt omnem absurditatem & blasphemiam. Nā si Deus implet cœlum & terram (vt qui nec possit circumscribi, nec capi, nec mutari, nec moueri, nec migrare) quomodò non perimus audientes quòd Deus sumpsit hominem, & à loco in locum eum traduxit Deus, & eum posuit? Si autem dicis quòd extrà Paradisum mulier facta est ex latere, quomodò eam simul infert cum homine in Paradiso? Sed ne dubitationem operiamus dubitatione, qui volumus dilucidè & citra errorem discere quéadmodùm accepit Deus hominem quem finxit; audiamus Paulum dicentem de Christo, *quòd cùm in forma Dei esset*, hominem quem fecit posuit in Paradiso Ecclesiæ; ad operandum ipsum (hoc est, hominem) & custodiendum. Si quis autem hoc verbo conturbatur; dicat mihi, cùm latitudo Paradisi sit magnitudinis incomprehensibilis, adeò vt abundantia eius irrigationis efficiat quatuor fluuios vniuersam propè terram irrigantes, quomodò ille cùm sit solus ligone, rastro vel aratro exercuerit terræ operationem! quomodò autem custodiebat cùm neque essent fures, neque viri, & bestiæ omnes & reptilia iussa essent simul cum eo vesci omnibus fructibus qui nascuntur è terra, vt quæ à Deo factæ sint cum homine participes & cohęredes fructuum, sicut à nobis breuiter iam anteà dictum est: Sed & omnes bestiæ & Volucres subijciebantur Adamo. Quando ergo audieris quòd Deus infert Adam ex quodam loco ignoto, & qui nec potest explicari nec comprehendi; solùm nudum & incompositum, in Paradisum; & induit eum intus pellicea tunica carnali: & ad eum adducit bestias intrà, quæ ante eius ingressum erant foris; per hæc omnia nihil est aliud prædictum, nisi quòd Deus Verbum, qui priùs erat nudus & incompositus, Patris voluntate & cooperatione, ex loco ignoto & qui explicari non potest (nempè Cherubico throno) ingressus est in Paradisum Ecclesiæ, ad operandum ipsum & custodiendum: & carne suscepta accepit tunicam nostrę essentiæ (nempè hominem quem finxit) & ei vnitus est in hypostasi. *Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, quando accepto carnis linteo seipsum accinxit, non ab alio ei imposito: Seipsum enim carne induit absque semine humano. De quo in vitam ingressu testatur Paulus cursor Paradisi, dicens de Deo & Patre & Filio qui est introductus per Patrem. *Quando autem introduxerit primogenitum in Orbem terræ*, & posuerit eum in Ecclesia, *quem fecit hæredem omnium*, dicit; *Et adorabunt eum omnes Tribus gentium*: & omnes Leones (nempè Reges terræ) beatum eum dicent, vt qui acceperit à Patre bestias (nempè hæreditatem gentium) & possessionem suam, fines terræ. Ita intelligat Ecclesia illud, *Accepit Deus hominem, & posuit eum* tanquàm proprium corpus in vnam sanctam hypostasim, vt Fidelis populi operaretur plenitudinem, & custodiret Paradisum arborum, nempè gētium anima prædictarum. Vnde etiam tanquàm ad hoc ipsum positus à Patre dicebat; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, & custodienti mihi paternum mandatum, dedit mihi agrum & hortum, in quem egressus à Patre, ingressus est statim qui seminat ad seminandum: & statim manè conduxi duodecim operarios Discipulos; eis mandans ac dicens: *Nemo ex vobis mittens manum ad aratrum, & conuersus retro aptus est regno cœlorum*: De cætero *tollite iugum meum super vos, Iugum enim meum est suaue*, nempè crux: & qui seminat, mercedem accipit, & colligit fructū, vt lætetur qui seminat simul & qui metit. Hos duodecim conduxi mihi summo manè. Sed postquàm

Cur hominē alibi creatum Deus introduxerit in Paradisum, Mulierem autem condiderit in Paradiso.

Cur ad hominem non etiam ad mulierem Deus introduxerit bestias.

Phil. 2. Per hominem in Paradisum introductum intelligitur. Deus Verbum qui hominem susceptum introduxit in Ecclesiam.

Heb. 2.

Heb. 1.

Quid Christus homo operatur in Paradiso Ecclesia.

Ioan. 5.

Luc. 9.

Matt. 11. Io. 4. Operatores duodecim conducti.

vidi Paradisum magnum, & regiones multas & albas & puras corde, & proposito paratas ad Messem fidei, & ad insitionem ex infidelitate ad Dei cognitionem: Neque hoc solùm, sed etiam arbores pulchras ad videndū & bonas ad comedendum, & habentes fructus maturos, dixi; *Messis quidem multa, Operarij verò pauci*. Quamobrem cùm etiam populum ostendissem, conduxi alios septuaginta Operarios ad operandum & custodiēdum hunc Paradisum, ad bene operandum, & seminandum, & plantandum, & purgandum, & irrigandum, eis mandans, & dicens; *Omnis planta quam non plantauit Pater meus cœlestis, eam eradicate*, & verbum nostrum & dogma plantate. Nec hoc solùm, sed etiam per ipsum licet videre hunc secundum Adam (nempè Christum) apertè operantem arbores ratione prædītas; & eas quidē quæ sunt immundæ, mundantem. quibus etiam dicebat; *Volo, mūdare*; siccas autem humectantem. Ex quibus erat etiam illa arbor, quæ *aridam* suam *habebat manum* tanquàm ramum; Ad quam exclamauit bonus Hortulanus, *Extende manum tuam* ad Dei operationem. Sic etiam tanquàm vita, etiam morte affectos viros mortificauit; ex quibus erat mortua & arida arbor Lazarus, lachrymæ aqua irrigata, & quæ statim germinauit ex terra. Supernaturaliter autem scit quoque hic Agricola Iesus inoculare, vt qui instar Hortulani luto & aqua inoculans eum qui erat cæcus ab ortu (vt qui esset lux de lumine) cæci oculis visum reddiderit. Quòd si etiam ipsum velis videre irrigatorem, audi eum dicentem; *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Sic enim sedens ad puteum, pulchra illa vitis (nempè Samaritana) irrigata, eam reddidit fertilem. Vnde etiam tanquàm fructum amans Agricola & Deus reprehendit eum qui triēnio ficum illam irrigauit, de cæterò eam iubens exscindere: Quomodò etiam cùm per se increpasset ficum quæ folia ferebat, non autem fructum, ipsam exsiccauit.

Matt. 9. Septuaginta operarij missi ad operandū. Matt. 15. Christus alter Adam. Matt. 8. Luc. 5. Luc. 6. Arbores sunt homines quos viuificat Christus. ὀφθαλμίζειν. Cæcus illuminatur. Ioan. 7. Samaritana à Christo irrigata. Ficus iussa exscindi quòd esset infertilis. Christus quomodò custodiat Paradisum. Io. 14. d. Matt 16. Ioan. 10. Ioan. 17. Ioan. 6.

Sed hæc quidem dicta sint de eo quòd Christus operatur Paradisum. De eo autem quòd custodiat hunc ipsum hortum ratione præditum, audi eum dicētem; *Non relinquam vos orphanos:* Et, *portæ Inferi non praualebunt aduersus* hunc Paradisum. *Ego sum ostium* caulæ *ouium, & animā meam pono pro ipsis*: Et, *Nemo potest eas accipere de manu mea.* Quoniam *quos dedit mihi Pater custodiui eos, & nemo ex ijs perijt nisi filius perditionis; Hæc est enim voluntas Patris qui me misit vt quidquid dedit mihi Pater, non perdam ex ipso.* Ad hoc enim me collocauit ac constituit vt operer & custodiam eius Paradisum à Deo plantatum. ET PRÆCEPIT *Dominus Deus Adamo dicens; Ex omni ligno quod est in Paradiso, vescendo vescemini: à ligno autem cognoscendi bonum & malum, ne ex eo vescamini; Quo autem die vescemini, ex eo morte moriemini.* Non obuius, nec conspicuus, sed nec ad consequendum facilis fuit sensus Interpretibus ijs qui ad hoc opus aggressi sunt, quamobrem fuit etiam omni ex parte discrepans in dictis propositis. Alij enim visione apprehenderunt plantam tunc esculentam, cuius generis, inquiunt, ficum exsiccauit Christus. Alij autem pronunciârunt esse quidem eiusmodi vt percipiatur intelligentia, sed tamen plantam cognitionis. Alij autem dixerunt hanc plantam esse informem contemplationem. Alij rursus figuratiuam seu typicam narrationem quæ non potest consistere. Nefandorum autem effector sicut obscœnorum perpetrator Origenes, existimauit eam esse mulierem. Sed de ligno quidem dicemus postea. Considerandæ sunt autem quæ nobis emergunt quæstiones in ijs quæ sunt proposita. Ex quibus vna est & prima, quomodò Adamo & vxori non dat Deus hoc præceptum, sed soli Adamo. deinde Adamus eo impertit vxorem. Deinde cur non magis ex ligno vitæ (tanquàm pretiosiori) iubeat non comedere, sed ex eo quod est minus. Est enim ille cibus longè præstantior, quàm cibus cognoscendi bonum & malum, vt qui eum reddit immortalem, & ab interitu ac exitio alienum efficit ac panem Angelis. Ostenditque Deus ineffabilem differentiam ligni cognitio-

De ligno scientiæ boni & mali sunt variæ interpretum sententiæ. Origenes turpium perpetrator.

A nis, prohibens posteà ne Adam eius esset particeps per custodiam Cherubinorum. Tertia cur cùm Deus nihil iussisset Adamo de ligno vitæ, Serpens non potiùs consuluerit vt esset eius particeps. Deinde cur non est aggressus virum sed mulierem, & vbi etiam inuenit priuatim agentem. Quinta, vndenam cognouit, cùm ignoraret præceptum eis datum. Sexta rursus, cur soli iussit homini vt esset particeps omnium lignorum; Vtrique autem dicit vt abstineant à ligno cognitionis, & mortem ambobus denunciat. Septima; si formatus est totus interitui non obnoxius, quomodò sensit fructum ligni tendere ad corruptionem. Octaua, cur non etiam communem hominibus & bestijs posuit hunc quoque cibum pulchrorum lignorum, sicut etiam priorem intus in Paradiso, cùm eas adduxisset ad Adamum. Nona B quomodò non est mortuus ipso die quo comedit, conuenienter sententiæ quàm ei pronunciauit Deus. Decima, quânam de causa eum nominauit Adam. Atque hæc quidem omnia ij qui volunt, scrutentur vt volunt & possunt, disertisque verbis suauique dicendi ratione & Rhetoricis strophis dicant & intelligant. Ego autem quando Deum mysticè videro & audiero soli Adamo dare mandatum & præcepta, nullo præsente aut intercedente: Deinde posteà Adamum eis mulierem impertire; protinùs intelligo præceptum illius Adami incorruptam suam vxorem (nempè Ecclesiam) vocantis & dicentis: *Verba quæ loquor non à meipso loquor, sed mandatum accepi à Patre meo quid dicam & quid loquor.* Hac ratione dicitur etiam Christus *magni consilij Angelus*, quoniam antiquum verum consilium simul cum Patre priùs con- C sultauit, quod prædestinauit Deus ante sæcula vt ad nostram veniret gloriā, & annunciaret gregi suo tanquàm vxori & verbi semen ab eo accipienti, & filium parienti: Vnde non iubet ei vt non sit particeps ligni vitæ; Ipse enim est. Et proptereà Serpens nequaquam consulit Ecclesiæ vt eius sit particeps; audiuit enim eum dicentem; QVI *comedit hunc* meum *panem, viuet in æternum.* Sed quæ sunt quidem Serpentis, & quæ ad Serpentem, dicēdum est in ijs quæ sequuntur: reuertamur autem ad diuinum mandatum vt implentes mandatum eius qui nobis mādauit vt specularemur ea quæ spectant ad creationem sex dierum, labori finem imponamus. Nam pulchrè admodum quando introduxit hominem primogenitum in Paradisum ratione præditum, eum & fecit Regem, D & omnia subiecit sub pedibus eius, dat ei Deus legem mandati, tanquàm hæc apud Adamum differens, & dicens: Audi, inquit, ô primum opus & primum formata creatura mearum manuum impollutarum, & similitudo meæ incorruptæ imaginis vnigenita & pulcherrima; scias quòd ego te solum ex vniuersa quæ sub aspectum cadit & nō cadit creatura te formaui ad meam imaginē. Dominor cœlestibus; sed ego te quoque cōstitui dominum terrestrium. Ego te fabricatus sum hominē ex terra: Tu quoque fabricare hominem ex matrice. Habeo sedē cœlum quòd est super aquas; tibi autem dedi sedē, terram quæ est super aquas. Impero Angelis, tu imperas hominibus. Assistunt mihi omnia Cherubim, & tibi assistunt omnia agri animantia. Subijcio ea quæ senas habent alas; Subijcies volucres quæ multas habent pen- E nas. Impero ijs quæ multos habent oculos; Imperabis Dæmonibus multa videntibus. Dominor subterraneis; Tu quoque dominâre piscibus qui sunt in subterraneis locis Maris, & timor & tremor vester sit super omnia Cete, & reptilia, & bestias terræ. Omnia tibi tanquàm in mea imagine subieci. Omnia tibi dedi sub manus, animata, inanima, arbores, germinantia, naturalia, volucres, & quæ seminantur. Omnibus dominâre: omnibus fruere, & me maximè qui sum lignum vitæ Deus tuus: Toto animo promptéque & alacriter ijs exple delicijs. Nec his solis sed etiam ijs quæ sunt ex omni ligno & fructu qui est in Paradiso, videlicet omnibus delicijs, quæ vobis proponuntur ex virtute Angelica, comede. Solùmodò illud lignum cognoscendi bonum & malum, & quod

Ioan. 8. Christus magni consilij Angelus. Cur Deus nō iubet Adamo ne vescatur ligno vitæ. Cur serpens non consulit Ecclesiæ vt vescatur ligno vitæ. Ioan. 6. Deus Adamū fecit Regem. Pulchra paraphrasis eorū quæ Deus dixit.

Vitia adhærent virtutibus.

quod est prope plantatum (vitia enim adhærent virtutibus) ne contigeris ne attrectaueris, ne appropinquaueris, ne in manus sumpseris, ne gestaueris; *Quocunque autem die ex eo comederitis, morte moriemini.* Si tentaueritis fieri mei similes cognoscentes bonum & malum, & tam ea quæ sunt occulta quàm quæ manifesta, statim morte moriemini. Hoc est quòd Deus præcepit homini non comedere; hoc est, ne mente quidem concipere. Hoc est quod dicitur lignum cognitionis boni & mali. Hic est qui dicitur fructus lætifer, superbia efferri & existimare seipsum Deum, cognoscentem bonum & malum: cùm neque Angelus neque Dæmon, sed solus Deus sciat mentem hominum, vt dicit Iob. Ipse enim cognoscit occulta cordis, qui corda examinat & renes Deus. Hoc ergo præmunit hominem, perinde ac si ei diceret: Attende tibi & caue ne potestas & magna auctoritas quàm ego tibi dedi cùm te Regem constitui & Dominum totius Mundi qui cernitur, te extollat in superbiam, & experiaris esse rapinam existimare te esse mihi (qui sum Deus) æqualem, cognoscentem bonum & malum. Animaduerte quòd ante te feci quendam alium, & constitui principem plantarum ratione præditarum & paradisi intelligentis Angelici; qui cùm non tulisset eam molem potestatis, aggressus est ille quoque comedere, & comedit lignum mortiferæ voluntatis, volens esse Deus, & boni & mali cognoscens scientiam, & dicens: *Super nubes ponam sedem meam, & ero similis altissimo* & cognoscens bonum & malum vt ipse, nempè præsciens quis hoc vel illud sit facturus, & sciens ea quæ sunt occulta & manifesta hominum, & mortuus est mortem æternam & non desinentem, & eiectus est extra suam potestatem, & ne auctoritatem quidem habet in porcos, & nunc est simul malus & inuidus, & tuæ gloriæ inuisurus est ô Adam, & tuæ potestati, & tuæ pulchritudini quæ est ad imaginem Dei. Est ad vos venturus, est in vos irrepturus, deinde vos decepturus vt per illam viam à qua ipse cecidit, vos errare faciat & priuet gloria & honore & potestate quàm vobis dedi, ne veniatis in locum ex quo ille cecidit. Et vt semel dicam, omne præceptum & lex quàm dedit Deus Protoplastis, nihil erat aliud nisi protestatio custodiendi pietatem aduersus ipsum, & ne seipsos in Deos referrent; & existimarent se esse Deo similes, cognoscentes bonum & malum, & occultum & manifestum. Hoc autem in ijs quæ deinceps consequuntur ostendemus manifestiùs, etiam ex ipsis Dei Verbis ad Adamum. Neque tibi videatur non probabile aut violẽtum quòd Scriptura dicat lignum idololatriam & defectionem, ex qua statim ab initio gustauit & comedit & nudata est & eiecta Dei vxor (nempè Ecclesia) propterea quòd hoc proximum & maximum in Deum admisit peccatum quòd exsculpserit ligna hominibus similia in Idola, & ea adorauerit. In multis autem & diuersis locis Scripturæ inuenies, à Deo defectionem appellari fructum ligni. Quamobrem in parabola quoque Prodigi, qui est populus ex gentibus, qui procul à Deo recessit, nominauit Deus peccatum siliquas, qui quidem est cibus porcorum, nempè immundorum Dæmonũ. Quem quidem cibum aliquando comedens populus prodigus, desiderabat saturari; hoc est, cessare: Nam qui satiatur, exinde desistit comedere. *Et nemo dabat* mihi donec veniret Panis cœlestis: qui me abduxit à ligno siliquarum. Porrò autem Moses quoque in secundo Cantico, Iudæorum taxans idololatriam, eam appellat plantam: Nam *ex vinea Sodomorum vinea eorum, & sarmentum eorum ex Gomorra, Vua eorum vua fellis, botrus eorum amaritudinis.* Similiter quoque Deus de ipsis dicit per Esaiam; *Expectaui vt vinea mea faceret vuam, fecit autem spinas.* Vnde etiam in libris Regnorum Deus Israëlem nominat ligna syluæ, quæ suprà se constituerunt Regem spini-ferum Rhamnum; hoc est, Diabolum qui existimauit se esse Deum cognoscentem bonum & malum. Porrò autem ficum quoque quam Christus are-

Lignum scientiæ boni & mali, est superbire & se existimare scire occulta.
Iob. b. 23.
Esa. 14.
Ligni fructus appellatur quandoque apostasia à Deo.
Luc. 15. d.
Deut. 32. e.
Esa. 5.
Iud. 9.

fecit ne amplius fructum ferat, dicens quispiam esse idololatriam non peccauerit, cuius fuit typus sanguinis ablatio mulieris sanguinis profluuio laborantis (nempe Euæ) quod repressit Dominus exsiccans sanguinem sacrificiorum. Si ergo iustè latéque didiscimus lignum appellari impietatem, quid miraris si de ea Deus dicit homini; Ex omni *ligno quod est in Paradiso comedes*: hoc est; fruere & satiare omni contemplatione, omni cognitione, omni sancti Spiritus illustratione, omni sapientia diuinarum Scripturarum, omni ligno pulchro ad videndum & bono ad comedendum, angelicóque; & Scripturæ prophetico, euangelico, & ad doctrinam accommodato sermone. Decerpe ex omni ligno frugifero sancto; & sis particeps charitatis, gaudij, pacis, castitatis, & mansuetudinis, fidei, spei, & fortitudinis; quoniam sunt beati qui hos cibos esuriunt & sitiunt, conuenienter ei qui dicit; *Meus est cibus vt faciam voluntatem eius qui me misit.* Vnde rursus dicebat; *Habeo cibum ad comedendum quem vos nescitis.*

Sed gustate vos quoque & scite quòd Christus est qui dedit ipse omnia bona fruenda, dicens: *Comedite* ex omnibus intelligentijs & gratijs; ex malo autem ligno peccati (nempe cognoscendi bonum & malum) ne comedatis, ne moriamini morte animæ. Sic est legendum & intelligendum de his duobus lignis. Qui autem omni modo aduersantur Theologicis Gregoriorum vocibus, & hæc esse dicunt sensilia & esculenta; omninò necessariò (rursus dico) faciunt omnes bestias, & reptilia, & muscas, & canes, & omnes volucres esse participes ligni vitæ, vt quæ iussæ sint in priori cibo simul vesci cũ homine ex omni ligno & fructu qui est super terram. Sed non est, nõ est ita. Vide enim quòd in his duobus (Adamo, inquam & Eua) posuit ænigmaticè quandam cibi differentiam cum participatione quidem omnium, hoc est cognitionem cœlestium & terrestrium & subterraneorum soli homini dederit qui est Christus. Ipse est enim qui cognoscit omnia, etiam profunda Dei: Abstinentiam autem à peccato, nempe Maligno, soli homini & Euæ, nempe Ecclesiæ. Et hinc est perspicuum quòd non de esculento ligno dicit Scriptura, cùm prohibuit homini cognitionem boni & mali; Nã ante eum esum cognoscebat mulier bonum & malum. Audi enim eam in collocutione cum Serpente, afferentem dogma contrarium, & ei dicentem & proferentem diuinum mandatum, & minas mortis intentatas si ligni esset particeps. Sed neque cæci erant ante cognitionem: Dicit enim; Et *vidit mulier quòd esset pulchrum,* ante esum. Si autem cibus erat sensilis & carnalis, omninò mortui essent etiam carnaliter, quando comederunt. Sed cùm mente & intelligentia peccassent, subierunt etiam animæ mortem intelligentem. Hic autem hominem nominat Adamum; quomodò etiam Dei Verbum in incarnatione terrigenam. Adam enim interpretatur terra & ignis, sicut dixi alibi. *Et dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutricem sicut ipse est.* Cùm huc venisset Manes sceleratus dux Manichæorum, intelligens literæ contextum corporaliter, occisus est à Litera conuenienter Pauli voci, Deum appellans mendacem. Similiter etiam Aquila impius idem quod gentes sentiens, Deum volens reprehendere, pro eo quod dicere oportebat; *Faciamus ei adiutricem secundum ipsum,* dixit; *Faciamus ei adiutorium ex aduerso eius*; hoc est aduersarium & hostem, Quid ergo? dic mihi ô Iudæe, est Deus verus, mentiens? diuinum os Domini omnipotentis Sabaoth, in medio tenebrarum & caliginis & ignis & procellæ & tubarum & Angelorum hæc verba Mosi est locutum, & Dei digitus in Tabulis hæc scripsit, dicens; *Non bonum est hominem esse solum, Faciamus ei adiutricem sicut ipsum*: & est rursus lingua Dei & os & manus falsa loquens & scribens? Facessat hæc absurditas. Verbum enim Dei manet verũ in sæculum & in sæculũ sæculi. Et quomodò nõ fuit illa mulier adiutrix Adamo; sed potiùs inimica, atque adeò fossa

Ficus quam arefecit Dominus est idololatria.
Ligno Paradisi vesci est frui contemplatione, & cognitione, &c.
Ioan. 4.
Mulier cognoscebat bonum & malũ ante quàm vesceretur ligno scientiæ boni & mali.
Adam & Eua peccantes subierũt mortem intellectualem.
Manes & Aquila Deũ dixerunt mendacem.
κατὰ αὐτόν, secundum ipsum, κατὰ ἐναντίον αὐτοῦ ex aduerso eius.

Mulier nō est adiutrix hominis, sed inimica & aduersaria.

& insidiatrix, & interfectrix, & exterminatrix, & innumerabilium malorum ipsi & toti Mundo conciliatrix?

A

Si autem mulier ad hoc ipsum facta est à Deo vt sit homini adiutrix, & nunquam potuerit mulier esse viro inimica: sed omnis mulier diuino præscripto inuenitur virum suum defendere ac protegere; quandoquidem stat vnumquodque in eo ad quod factum est à Deo. Lux enim illuminat, & non cessat, Panis nutrit, Sol currit & Luna: Cum ipso plantæ germinant, animalia pariunt, pisces natant, aues volant; & (vt semel dicam) vsque ad consummationē Sæculi, vnaquæque creatura in eo stat ad quod facta est à Deo; in vnaquaque, inquam, creatura inanima & animata.

Vnūquodque stat in eo ad quod factum est à Deo.

Quomodò ergo mulier quæ facta est ad viri auxilium, nō facta est adiutrix? Quomodò autem & cùm sit viro imbecillior, potest eius esse adiutrix? Ad auxilium (rursus dico) viri carnalis, decreuit Deus

B

ab initio esse mulierem secundùm carnem, nunquàm studio fuerit mulieri aut odio habere & ad iram concitare, aut deserere suum virum: numquàm cōspecta fuerit mulier grauis aut improba: nūquam apparuerit mulier marito suo insidiari, & cædem eius moliri? Et quomodò contrà videmus mulierem esse viro non adiutricem, sed potiùs tentationem? Quis enim, rogo, accendit & inflammat flammam generationis, nisi corporum stupra & adulteria? Quis autem totius Mundi diluuio fecit interitum, nisi pulchritudo mulierum illarum filiarum hominum, quas filij Seth acceperunt in vxores? Sin autem adiutrix Adamo fuit mulier; quomodò omnes eam deploramus quod fuerit conciliatrix mortis & interitus & communis exitij? Hæc potiùs tu ô Iudæe, qui Scripturas tenes, nos doces.

Gen. 34. Propter Dinæ fornicationem & cædem Sichimitarum, quadringentis annis seruijt in Ægypto populus Iudaicus.

C

Vna enim mulier, tua (inquam) soror, filia Iacob patris tui, quæ dicebatur Dina, scortata est in Sichem; Deinde propter fornicationem, vniuersam ciuitatē iniquè interemerunt fratres eius, iustum & iniustum simul occidētes. Propter quam puellæ fornicationem & cædem, ad quadringētos annos constituit Deus tot millia in seruitutē redigi in Ægypto. Et quænam mulier adiutrix; Adulterium commisit Bethsabee in eo quem tu tuum Christum existimas; Dauid (inquam) & cædem perpetrauit suo coniugi Vriæ. Deinde etiamsi hoc maximè cōdonatum fuit Dauidi; in decem tamen eius mulieres admissum fuit adulterium à suo filio Absalom; & statuit Deus per Nathan Prophetam quòd non deficit gladius in domo Dauid in æternum. Hoc est opus pulchrarum mulierum.

2. Reg. 11. 2. Reg. 17. 2. Reg. 12.

D

Quis autem inter homines à Deo tanta fuit donatus sapientia quanta Solomon? Et tota eius sapiētia, fuit deuorata à mulieribus. Quis affectus fuit gloria sicut Iudas filius Iacob, adeò vt à Deo sit cōstitutum vt esset Rex Iudæorum? Et mulier Thamar eo decepto, effecit vt tota eius Tribus esset nata ex adulterio.

Gen. 38.

Et quænam sunt eæ adiutrices? Longa fuerit oratio, & nobis defecerit & tempus & charta & modus narrandi, quot & qualia per gentem fœmineam fiunt in Mundo ab initio & vsque ad cōsummationem sæculi in Patriarchis & Prophetis, & inter priuatos & Leges, & inter Fideles similiter & Gentiles, & Chaldaïcas & Ægyptias & Troianas & Heroïcas, & Romanas gentes & hostiles. Si autem adiutrix est mulier, quomodò dicit Scriptura, quòd *vinum & mulieres separant à Deo?*

E

Quàm multi enim, dic mihi, Deum negārunt propter mulierem? Vnde etiam Solomon, vt qui sit expertus mala muliebria, dixit: *Ex decies mille viris inuenies vnum fidelem; ex mulieribus autem non inuenies.* Hæc autē dicimus, non accusantes naturam neque Dei creaturam (sunt enim omnia bona quæ fiunt à Deo) sed illud auxilium quærentes de quo dixit Deus; *Non est bonum hominem esse solum, Faciamus ei adiutricem sicut ipsum.* Si ergo non est bonum hominem esse solum; quomodò cùm sit Deus, fecit aliquod opus, non bonum? Quomodò autem paulò ante quoque dictum est, ET *vidit Deus omnia quæ vnque fecit, & esse valde bona.* Quomodò ergo solus homo non bonus? Quomodò autem nunc dicit solum esse hominem? Quando enim fuit fabricatus, audiuimus Scripturem dicentem, DEVS *fecit hominem, ad Dei imaginem fecit ipsum, masculum & fæminam fecit eos, & benedixit ambobus,* & constituit eos principes omnium quæ sunt super omnem terram.

Eccli. 19.4. Eccle. 19. Eccle. 7.

A

Et rursus posteà dedit eis præceptum in Paradiso, *Vt vescerentur ex omni ligno, ligno autem,* inquit, cognoscendi bonum & malum ne vescaminor, ne moriamini. Post hæc omnia dicit non esse bonum hominem esse solum, *Faciamus ei adiutricem sicut ipsum.* Dicis mihi animo hoc esse repetitionem & in summam collectionem eorum quæ priùs dicta sunt; & Adami & Euæ qui iam facti erant ad Dei imaginem, subtilior narratio. Terribilis quidem sermo: *Pro Christo* enim & Ecclesia *fungor legatione* & iusto. Oportebat enim adnotare cum magna & profunda attentione, quòd non de vna aliqua persona dicit Deus; *Non bonum esse hominem esse solum,* sed vniendo & comprehendendo de vniuersa natura hominum.

Homo dicitur de toto genere humano.

B

Non enim dixit hypostaneum aut personale singulare nomen: sed totum genus humanum significat, dicens; *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorem sicut ipsum:* hoc est, totum homini, totum generi, totum naturæ humanæ. Idque est hinc perspicuum. Quando enim volebat facere diluuium, audiamus Scripturam dicentem; ET *pænituit Deum fecisse hominem*; hoc est, totum genus. Et rursus, DELEBO *hominem quem feci.* Et rursus; INCLINATA *est hominis cogitatio ad mala.* Quomodò ergo eædem voces sunt de toto genere humano, ita etiam illa quæ dicit, *Non bonum est hominem esse solum,* dicta est de vniuerso homine. *Faciamus ei adiutricem sicut ipsum.*

Gen. 6.

C

Rursus adhortor Iudæum & Græcum seu Gentilem vt quærat & possideat illam adiutricem quem Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum: adiutricem non carnis & voluptatis, non seminis & sanguinis; adiutricem & cōiugem & quæ nequaquam fuit insidiatrix, sed salutaris, sed conseruatrix, sed illuminans, sed beneuola, peccata purgans non faciens, in regnum Dei introducens non ex eo expellens, adiutricem quæ parit filios vitæ & hæredes vitæ æternæ. Adiutricem quæ Magos efficit Apostolos, & facit publicanos Euangelistas Theologos, redditque meretrices virginibus honestiores. Adiutricem, quæ viuificat mortuos, & Orbem terræ excitat ex mortificatione idololatriæ. Adiutricem inuictam, adiutricem inexpugnabilem, adiutricem certando insuperabilem & infractam. Omnia regna, omnes progenies, omnes Tribus, & omnes linguæ gentium ab ea sunt seruatæ.

D

Ipsa iacentes erexit, Ipsa curauit infirmos, Ipsa recreauit creaturam: Et ideò de ipsa dixit Dominus Deus; de Ecclesia, inquam, *Non est bonum hominem esse solum.* Et propterea ei vnitus est Deus Verbum vt nō sit ampliùs homo solus, sed cum Deo totus non solùm in vna quidem hypostasi sed etiam quando ei per virtutem vnitur. Faciamus ei adiutricem sicut ipsum.

De Ecclesia dictum est mulierem esse viri adiutricem.

Quomodò autem ei fit adiutrix, audi. Statim enim subiunxit, dicens: ET FINXIT *adhuc ex terra Dominus Deus omnes bestias agri, & omnes Volucres cæli, & eas adduxit ad Adamum vt videret quidnam vocaret ea: Et omne quod vocauit ipse Adam animam viuentem, hoc est nomē earum, & vocauit Adā nomina omnibus iumentis, & omnibus volucribus cæli, & omnibus bestijs agri.* Non exigua neque leuis est in ijs quæ sunt proposita contradictio apud Interpretes.

E

Nam alij quidem eadem esse dicunt hæc & prima animantia, & bestias & Volucres. Alij autem conuenienter ei qui dicit; *Si qua in Christo noua creatura,* dicunt per hæc prædici secunda & alia, nempè diuersas gentes quæ in Ecclesia congregatæ sunt ad Deum. In hac autem sententia est etiam ille in Theologia celeberrimus Eustachius cōcionator & Martyr, & summus Doctor synodi Nicęnę, cui pareo & quem sequor vt à Deo afflatum curatorem.

Eustachius Martyr & Doctor synodi Nicenæ.

Multis enim modis, ait ille pater, discerni potest horum animantium & volucrum differentia & dissimilitudo. Primùm per hoc quòd dixit; ET *finxit Dominus Deus adhuc ex terra.* Non enim inuenimus Dei plasma ad figmētum nisi hominē. Rursus per hoc quod dicit, *Adhuc*; ostendit Scriptura, quædam hic alia prædici animantia & Volu-

Dei figmentū nullum præter hominem.

Volucres præter priora. Non enim scriptum est primas Volucres genitas esse ex terra, sed ex aquis; Hæ autem genitæ sunt ex terra: immò verò manu propria fictæ sũt à Deo, & non iussu. Similiter & per hoc quod dicit omnes Volucres & omnes bestias nunc à Deo esse fictas, non dat locum dicendi quòd priùs quidem factæ sunt, nunc autem pars. Vnde nec in his eis quidquam præcipit Deus de esu seminum. Nam quæ ingrediuntur Paradisum herbam non comedunt, sed omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum: & maximè ex ligno vitæ, nempè Christo qui hæc quoque viuificat animantia. Quare dici potest quòd hæ bestiæ sunt gentes Ecclesiasticæ, quę in Ecclesia à Deo sunt cõgregatæ. Vel quòd equorum & suũm & camelorum & ouium stabulum hodie est Paradisus. Neque contenderis: nam vt maximè contendas, non ostenderis quòd ea animalia egressa sunt è Paradiso, ex quo die ea introduxit & congregauit Dominus. Et si haberes oculos & non impositum esset velum ignorantiæ super faciem, videres si velles congregatas has bestias agri vnanimiter ad spiritualem Adamum à Deo esse introductas; quæ olim quidem fuit Leæna, Chaldæam; quæ olim verò Pardus, Macedoniam. Has enim tibi bestias appellauit etiam Daniel. Nec has solùm, sed etiam Elephantes Æthiopes, & Dracones Thebaïdis, & Aspides Ægypti, & Leones Babylonis, & Lupos Arabiæ, & Struthiocamelos & Onagros Cyrenæos: hæ omnes sunt vnus grex bestiarum quæ aluntur in ipsa Ecclesia adiutrice. De cætero aspice Iudæe, & vide, & noli perpetuò cæcutire. *Ingressæ bestiæ sub tectum*, vt dicit Iob; *ingressæ sunt, & non sunt egressæ.* Agrestes enim Feræ pacem egerunt Deo dicente; *Benedicent me omnes bestiæ Agri, Sirenes & filiæ Struthio-camelorum.* Quoniam meæ sunt omnes bestiæ Agri, & omnes Volucres cœli. Aperi aures tuas, & ne sis surdus sicut Aspis, quæ non exaudiet vocem incantantis. Bestia, hoc tibi loquor. Bestia tibi cano. Bestia, volo te (vt sis Ouis) mansuefacere, & Deo consecrare. An non te pudet, dic rogo, quod Leonem & Leænam, & Vrsum & Pardum, & Draconem & Aspidem, & Lupum & Onagrum introduxit in Paradisum Ecclesiæ vt alerentur, & fruerentur, & se explerent delitijs ex omni ligno pulchro, & lætarentur, & satiarentur ex ligno vitæ: & stetisti cum Feris cùm sis Dei Ouis, qui fuisti aliquando germanus primogenitus? Bestiæ sunt subiectæ, & ingressæ sunt in stabulum; & tu, qui debebas esse pastor bestiarum, euasisti Fera agrestior. Vide enim quòd significans Deus esse gentes quæ secundo loco ab eo factæ sunt & adductæ sunt ab Adamo in Paradisum, eas nominauit bestias, dicens per Scriptorem: *Et finxit Dominus Deus adhuc ex terra omnes bestias agri, & omnes Volucres cœli.* Fierine potest vt omninò veniat in mentem, vt Deus qui Cherubinis & Seraphinis est incontemplabilis, & incomprehensibilis & inappropinquabilis; cui cum metu & tremore omnes intelligentes Virtutes cultum exhibent, quem nemo hominum vidit, neque potest videre eius faciem & viuere; is qui suprà cœlos & omnem principatum & potestatem est ignis consumens, accepta forma Equisonis, Equos, sed & Lupos & Camelos manibus trahens instar ministri ad Adam attrahat, vt videat quid sit ea vocaturus: qui omnia scit vt Deus ante eorum ortum, & numerat multitudinem stellarum omnibus eis nomina vocans, & omnibus creaturis propria dat nomina conuenienter suæ voluntati? Sed hæc Iudæi non intelligunt, qui & Scripturæ solam attendunt literam, & ab ipsa occiduntur. Tu autem ô diuinissime & à Deo plantatæ Ecclesiæ Paradise, ingredere certam & non errantem viam cum Paulo Paradisi spectatore & Paradisi ciue, audiens eum dicentem quòd omnes creaturæ quæ sunt in cœlo, & in terra describũt ac figurant Christum & Ecclesiam. Propterea ergo non adduxit prima iumenta animalia quæ iussu facta sunt, ad Adamum spiritualem Christum, Deus in Paradisum; erant enim typus ac figura populi Iudæorum: sed nos

[Margin: Bestiæ in Paradiso congregatæ, sunt gẽtes Ecclesiasticæ. — Daniel. 8. — Iob 37. — Is. 43. — Psal 57. — Quòd Deus bestias tanquàm minister ad Adam attrahat, est absurdum. — Prima animalia, quæ erãt typus Iudæorum, non fuerant adductæ ad Adamum.]

A secundum populum, non desertum sed vnitum volucribus cœli; hoc est, Fidelibus qui sunt generati ex aqua & spiritu. Est autem re vera audienda & admiranda sancti Spiritus sapientia. Quomodò enim in Adamo, ita etiam in his bestijs dicit creationem. Nam illic quidem scriptum est; FACIAMVS *hominem ad imaginem nostram:* Hoc est, ex communi consensu plenitudo Trinitatis dicit illud, FACIAMVS. Similiter hic dicit. *Non bonum est hominem esse solum, Faciamus ei adiutricem sicut ipsum:* hoc est, à Deo factum. Quoniam autem sit hæc à Deo ficta adiutrix, audi: ET FINXIT *Dominus Deus adhuc ex terra omnes bestias agri, & omnes volucres cœli.* Hæc est adiutrix, hæc est grex, hæc est nostra fetarum animantia adiutrix Ecclesia. Nam sicut dixit Deus; *Faciamus homini adiutricem*, statim etiam eiusmodi adiutricem à Deo fictam constituit. B Et quando è terra genitum quidem facit hominem; è terra genitum & eiusdem simul cuius ipse est essentiæ Ecclesiam dicit Paradisum, & lignorum plantationem. Quando autem creat ac fabricatur eam quæ dicitur Vita; fingit etiam synonyma & simul animantia animalia. Nam qui est è terra genitus est eiusdem generis cuius quę sunt in terra, & vita est propria animantium. Sed homo quidem Adam factus est ante mulierem: est enim ante sęcula, & sine principio, & increatus, & sine tempore ante Ecclesiam Deus Verbum. Hic autem fingit animantia ante Euam quæ dicitur vita: Priùs enim fuerunt gentes belluinę, & sic in vltimis temporibus constituta est earum Ecclesia, in quam adduxit eas Deus & Pater ad secundum Adam Christum, vt videret quid ea vocaret. C Et audi eius Filium hoc apertè dicentem: *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus cœlestis traxerit eum.* Ecce audiuisti vocem Dominicam te docentem quomodò adduxerit bestias gentium ad Filium qui est eiusdem simul cum eo essentiæ, in Paradisum Ecclesiæ. Quamobrem rursus dicit; *Quos dedisti mihi Pater, tui erant, & mihi eos dedisti: Omnis enim qui audiuit à Patre ad me venit; & omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non eijcio foras.* Confidant ergo bestiæ gentium per Patrem ingressæ ad Filium, audientes eum dicentem; *Eum qui venit ad me non eijcio foras*: Et, omnia sunt mihi tradita à Patre meo. Pater enim diligit Filium, & dedit ei potestatem omnis creaturę, dicens: *Pete à me* tanquàm Filius, *& dabo tibi hæreditatem* paternam, *gentes*, nempè bestias, *hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* D Audiant rursus dico, hæc, eę quæ sunt intus & audiunt verbum sanctum, bestiæ gentium. Non enim eijcientur foràs. Si autem vult audire Iudæus quinam sunt eiecti vt ingrederentur bestiæ, audiet hortulanum huius Paradisi dicentem. Oportet Feras ingredi *ab Oriente & Occidente, & recumbere cum Abrahamo, & Isaac, & Iacob in regno Dei; Filios autem* thalami, nempè Iudæos, *foras eijci in tenebras exteriores: Vocabo enim populum meum, non populum meum; & misericordiam consecutam* synagogam *eam quæ non est consecuta misericordiam.* Et quoniam narrans oratio de rebus alienis & admirabilibus, est persuasu difficilis non solùm Iudæo, sed etiam quibusdam ex Fidelibus, necesse est vt ex alijs bestijs confirmemus quod dicimus. Audi ergo Noë qui erat in Arca, quando loquitur Scriptura E de corporalibus animalibus & materialibus, quomodò Deus illic præcipit illi etiam ingressum bestiarum & iumentorum & volucrum in Arcam. Similiter rursus post diluuium dicit etiam earum egressum ex Arca qui fuit cum Noë, & quomodò hic quoque Deus cùm in Paradiso fecerit per se ingressum harum bestiarum, & fuerit earum veluti dux & bubulcus, non ampliùs eas eduxit, sed intus reliquit. Si autem murmurat & irascitur Iudæus hæc audiens, sustinebit paulisper & audiet Verbum quod ostendit, quòd neque mulier neque quæ dicitur Vita exijt è Paradiso, sed solus homo qui extrinsecùs est ingressus. Vita autem vt in Paradiso ficta, vt quæ esset indigena, & non extrinsecùs intrò ingressa, mansit in illo loco tanquàm vita viuificans ea quæ sunt

[Margin: Ecclesia adiutrix ferarum animantium. — Homo Adam, id est, Deus Verbum fuit ante mulierẽ. — Deus pater adducit bestias, id est, gentes ad secundum Adamum. — Ioan. 6. — Ioan. 17. — Psalm. 2. — Matth. 8. Luc. 7. Ioan. 4. — Osee. 2. — Mulier non exijt è Paradiso, sed solus homo qui erat ingressus.]

ad eam introducta. Quid verò, inquit, an non Scriptum est post exitum Ægypti è Paradiso, quòd Adam A cognouit Euam vxorem suam? Siste gradum ô homo, & ne labores, sed sustine, & tunc cùm fueris in locis emissionis Adami ex Paradiso; si mihi ostenderis (ô Iudæe) quòd egressum nominat egressum bestiarum, aut egressum mulieris, nondum venit Christi aduentus, sed non ostendens quantúmuis contenderis. Sed qui extrinsecùs quidem est ingressus & fuit, homo illuc abijt vnde venit. Eius autem vxor nempè Vita mansit intus cum animalibus; ad eas viuificandas in Ligno vitæ, quæ aliquando dicebantur bestias, & Volucres. Discat ergo Fidelis, quòd ligna pulchra & bona & fertilia quæ à Deo, secundo loco sunt producta, & secundæ bestiæ & Volucres quas ipse Deus finxit; & rursus illud *linteum* quod Petrus vidit in visione, habens omnes bestias & quadrupedes & Volucres cœli, & ipsa B mulier quam vocamus Vitam, adiutrix hominis; nihil aliud significat nisi Paradisum Ecclesiæ, in quem introduxit Deus gentes belluinas, & eas adduxit ad Christum secundum Adamum vt videret quid vocaret eas, Vnumquémque conuenienter suis meritis & vitæ quam egerit. Et ideò vocauit quidem Oues, eas quæ statutæ sunt à dextris; Hœdos verò, qui à sinistris. Agnos autem, vt qui Christum sequuntur; Boues autem, vt qui trahunt aratrum Crucis. Equos autem, vt qui conturbât aquam salsam incredulitatis: & alios, aquilas, vt qui extolluntur ad Theologiam seu diuinitatis contemplationem; & alios, columbas, propter significationem ipsius gratiæ Spiritus. Quòd si etiam vis videre Feras agrestes in hoc Paradiso, audi eum dicentem: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpios.* C Vnde etiam nominat Lupos qui gregi insidiantur Iudæos, *& genimina viperarum:* & alios, Vulpes. *Et omne quod vocauit Adam*, inquit, *hoc est eius nomen.* Hoc est, non leuiter nec temerè sed congruenter vniuscuiusque actæ vitæ, & meritis conuenientia nomina imponit Christus. Omni ergo creaturæ & rebus creatis Deus imposuit nomina. His solis bestijs & mulieri, Adam quoque imposuit nomina: hoc est Christus populo suo & Ecclesiæ. Si autem rursus insanit Iudæus vt dicat nobis; cur cùm Deus omnibus propria dederit nomina, non imposuit nec mulieri nec animalibus,

Act. 10. & 11.

Deus vocat vnumquemque conuenienter suis meritis.

Matt. 24.

Luc. 10. Matt. 7. Matt. 13. Luc. 3. Luc. 13.

Adamus, id est Christus, solus suo populo imposuit nomina.

Oportebat enim ipsum dare omnibus nomina propria, sed non Adam: Ego dicam quare. Cùm Deus semel & bis meminisset se fecisse mulierem; non eam D nominauit mulierem, sed adiutricem. Quomodò ergo cùm hominem nominasset Adam, non dat ipse nomen mulieri: sed iure & merito vir eius Iesus ipse nominat etiam suam vxorem, & suos filios: sicut pater & is qui domui præsit, & dominatur suæ vxori & suis liberis. Quamobrem dicebat etiam nõ fallax Legislator, quod ipse est *bonus pastor, & oues vocem eius audiunt, & eas vocat nominatim*; hoc est, nominauit, tunc quando Deus eas adduxit ad Adamum, vt sciret quid eas vocaret. Sed quando congregabantur quidem, dicebantur bestiæ: quando autem introductæ sunt in Paradisum & in stabulum boni Pastoris, effectæ conformes agno Christo, statim oues nominatæ sunt omnes. Qui autem non sic E intelligit ea quæ scripta sunt de Paradiso, & de bestijs in eum introductis, necessario omnino intelliget Adamũ quidem instar Domini & Regis intus sedere: Deum autem Omnipotentem ei seruiliter ministrare, & bestias ad Dominum adducere. Quod quidem est impium & plenum omni absurditate. Adamo autem *non est inuentus adiutor ei similis*, & quomodò dum homo est in periculis, & incidit in fortunæ casus & calamitates, & adiutorem quærit, & clamat ad Deum; *Da nobis auxilium ex afflictione, quoniam pauperes facti sumus valde, adiuua nos Deus servator noster; In adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina:* Et, *eripe me ab inimicis meis* aduersarijs Potestatibus quæ me demerserunt in idololatriam & impietatẽ? Cum hæc & quæ sunt huiusmodi, homo lõgo tempore clamaret ad Deum, & quæreret adiutorẽ; & multi A existimantes eum adiuuare processissent in mediũ, Patriarchæ (inquam) Doctores, Sophistæ, Reges, Moses, Prophetæ, ijque & plures alij cũ homine versati essent; non inuentus est adiutor ei similis in similitudinem hominis factus homo; hoc est, Deus & homo, solus hominẽ amans, adiutor, Deus fortis, potestatem habens, princeps pacis. Oportet enim adiutorem esse fortiorem, minimè egentem auxilij. Nam qui est adiutor, est adiutor in periculis & rebus aduersis, vt qui vim repellat. Et ideò dictus est Græcè, βοηθὸς, à vi repellenda: quod quidem dicitur de sola Ecclesia. Si autẽ omnem carnẽ & carnalẽ mulierem existimas nominari adiutricẽ hominis; quomodò non inuenimus post hãc adiutricem quæ facta est in Paradiso, aliam quamcúmque mulierem Sancti, aut B sanctam aut Prophetissam aut Patriarchæ cõiugem, appellatam adiutricem viri in tota diuina Scriptura? Diligenter enim hoc scrutati sumus & nõ inuenimus. Nam si commune nomen, & (vt ita dicam) vniuersale esset in muliebri genere illud, *Adiutor*; fieri non posset vt non situm esset in Scriptura diuina vel cùm accepit sibi adiutricẽ, aut Seth, aut Lamech, aut Noë, aut Abraham, aut aliquis alius. Sed in omnibus qui coniuncti sunt cũ mulieribus ita positum inuenies. Ille illam accepit in vxorẽ, non, in adiutricem. Absque vlla controuersia vir potiùs est adiutor cuiusuis mulieris, vt qui sit eius caput, curator, & defensor. Si autem fœmina est adiutrix masculi, cur non magis mulieres in bellis stant in acie, sed viri pugnant pro mulieribus; & per maria currunt viri, & terram colunt, & omnium curam gerunt, & fœminas C protegunt; nullam non machinam adhibentes, & artem vt suis vxoribus opem ferant? Sin autem tanquàm crassus & amator carnis dicis coïtum masculi, adiumẽtum; res ergo sic debebat procedere, & non magis vt in cubilis congressibus tollerent vxores gladios suis coniugibus, vt cubile pararent alijs.

Adiutor quis sit.

Βοηθὸς dicitur quasi vim [illegible].

Nulla mulier nominata est viri adiutrix in Scriptura præter eam quæ facta est in Paradiso.

Vir est adiutor mulieris, non contrà.

Sed & Canis & Vrsa, & Leæna, & Hirundo, & omnes fœminę animalium, deberent vocari adiutrices suorum masculorum. Sed non est ita; quandoquidem fœminam vniuscuiusque generis seu Volucris, seu feræ, seu reptilis, vocaret Scriptura adiutricem masculi; Sed nequaquam hoc dici audiuimus in iumentis, aut bestijs, aut natatilibus, aut volucribus; sed in solo Adamo. Nam si dari oportet adiumentum ea animantia quæ sunt subiecta manui hominis, & in quæ regnum D obtinet, magis egent adiumento. Hic autem audiamus contrarium, quòd homini qui est princeps & Dominus, & cui sunt omnia subiecta sub pedibus eius; non est inuẽtus adiutor spiritualis, adiutor apud Deum, adiutor animæ, rectè curam gerens illius hominis; illius, inquam, qui cecidit in latrones, & à Deo aufugit & fuit vulneratus, & euasit prodigus. Qui autem tanquàm hæreticus & inuidus aduersus ea quæ dicuntur contradicit, non contra nos dicit, sed contra Spiritum sanctum & Christum qui per os Pauli, quæcunque dicuntur de Adamo & Eua, refert ad Christum & Ecclesiam. Si autem dicit Iudæus, legitimum quoque cultum esse adiutorem hominis; cuiusmodi, quæso, est is adiutor, qui omnem peccantem hominem statim puniens citra E condonationem, nulla acta pœnitentia transmisit ad ignem æternum? Bona autem & clemens adiutrix ipsa Christi Ecclesia, præbens peccatoribus locum & tempus pœnitentiæ, & latrones & Magos, & Dei negatores & idololatras potest efficere ciues cœli & hæredes Paradisi ac regni cœlorum. Quomodò autem ipsa facta est & constituta ac nominata adiutrix & seruatrix Mundi, audiat surda Synagoga suum Prophetam Mosen dicentem: ET MISIT *Dominus Deus ecstasim in Adamum et soporem, & accepit vnam ex costis eius, & repleuit carnem pro ipsa & ædificauit Dominus Deus costam quam accepit ex Adamo in mulierem, & adduxit eam ad Adamum.* Profundam hîc video dictionem & contẽplatu difficilẽ, cùm sint multa dubia in ijs quæ sunt proposita. Illud ante alia ab infideli

Ecclesia Christi est hominis adiutrix.

Adiutor quis dicatur homini similis.

Bestiæ dum congregantur, sunt bestiæ, congregatæ, sunt oues.

Ioan. 10.

fideli

fideli & carnali Iudæo exigat Ecclesia vt dicat, quomodò cùm Deus staret iuxta Adamum, & veluti quadam medici arte (vt tu existimas) secaret eius costam, dicit Scriptura; *Repleuit carnem pro ea, & adduxit eam ad Adamum*: cùm neque Deus recessisset neque mulier quæ facta erat ex Adamo, sed ambo simul essent; vnde adduxit eam Deus ad Adamum? Oportebat enim dicere, *Ædificauit Dominus Deus costam in mulierem, & ostendit eam Adamo.* Illud enim, *Adduxit eam*, significat quòd postquã ipsa facta est, aliquò aufugit & procul separata fuit à suo viro. Deinde Deus eam conuersam reduxit ad Adamum spiritualem & Seruatorem, corporalem & eius coniugem Ecclesiam. Quomodò enim paulò antè dixit Scriptura equorum & bestiarum & iumẽtorum ductorem Deum adducentem ad Adamum & bestias & volucres, ita nunc eum refert sponsæ deductorem adducentem sponsam ad sponsum Christum. Sed reuertamur ad initium orationis, quærentes ea eo discere qui

Matt. 7.

iubet & dicit; *Quærite & inuenietis*. Quomodò cùm narrasset nobis Scriptura communem & indiuiduam & incorruptam hominis & mulieris creationem quãdo dixit, ET *fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit ipsum, masculum & fœminam fecit ipsos*; posteà narrat priuatim ac sigillatim duas separatas generationes penitus diuersas ac dissimiles, & quæ inter se nullam habent similitudinem neque quod attinet ad modum neque quod ad locum.

Adam cur sit factus extra Paradisum.

Adamũ siquidem fecit extra Paradisum in quodã loco inenarrabili, & ininterpretabili, & incomprehensibili; sicut etiã alibi dixi; deinde eũ cùm esset extra, introduxit in Paradisum; Mulierem autẽ intus fecit in Paradiso.

Mulier, cur sit facta in Paradiso.

Quandoquidem Christus quoque extrinsecùs à Patre ex loco ignoto & ininterpretabili (cum esset Deus Verbum) ad nos est ingressus. Deinde Ecclesiam quæ dicitur, adiutricem fecit ex propria in ipso costa. Et ideò diuisas & dissimiles Adami & Euæ generationes nobis refert sacra Scriptura, vt qui illum quidem ex terra inanima priùs finxerit inanimũ: & deinde Verbum suum & Deum, cùm esset inanimus (neque enim ex se est animal) animatum; cùm non esset animal, animatum produxerit; & deinde animarit, finxerit, & viuificarit: hanc verò ex animata animatam, & ex perfecta perfectam, & ex viua viuentem vitam fabricatus sit & appellârit; hoc est, ei placuerit vt homo mente & anima præditus fieret Verbum. Factus enim homo animatus, Ecclesiam ex se ædificauit, animatam Spiritu sancto. Si autem quæ dico irridet, corpora sapiens Iudæus; ipse nobis dicat, quomodò Deus omnipotens qui omnes cœlestes Virtutes in momento temporis simul ita vt per se essent creauit, solum hominem & humanam multitudinem non simul finxit, neque ipsos duos, Adamum, inquam, & Euã?

Cur in solo homine masculũ & fœminæ nominauit Deus.

Vnde etiam cùm omnes fecisset bestias & animantia & volucres & pisces secundũ genus, vt generarent masculus & fœmina per mutuum inter se congressum & coïtum, nequaquàm in illis omnibus nominauit Scriptura masculum & fœminam, nisi in solo homine & Eua, dicens; *Masculum & fœminam fecit eos.* Quod quidem nos docet admirabile mysterium! Dico autem mysterium Christi & Ecclesiæ. Dicit enim; ET *immisit Deus ecstasin in Adam.* Non dixit, *Misit*; sed, *immisit*: hoc est; Non ad hoc quod habebat essentialiter, immisit Deus & Pater, sed ad id quod per additionem ex dispensatione habuit per carnem. Excessit enim factus quod non erat, manens autem id quod erat Deus Verbum: excessit cùm esset nudus & incompositus, factus compositus Deus simul & homo. De qua ecstasi seu excessu & incarnatione dixit ei Propheta Abacuc;

Abac. 3.

Dissecuisti in extasi capita potentum; hoc est, aduersarum Potestatum. Pro extasi autem alius Interpres dixit torporem; alius, veternum; alius, somnum.

Somnus torpor, & veternus sunt vitæ & mortis participes.

Torpor autem, veternus, & somnus sunt vitæ & mortis participes; vt si diceret: Priùs immortalis & insomnis Deus Verbum in excessu & exitu è cœlis carne suscepta, carne etiam gustauit somnum mortis factus homo. Sapientissimè autem dictum est, quòd Dominus *Deus immisit* in ipsum hanc *exstasim* seu excessum, & sopiit. *Deus* enim & Pater *proprio Filio non pepercit*, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum ad mortẽ,

Io. 3.

in qua excessit impulsura eius anima à sanctissimo corpore separata; cùm ipse quoque excessisset à corruptione in incorruptionem, & à morte ad immortalitatem, habẽs verè admirabilem & spiritualem ecstasim seu excessum. De quo dicit Deus; ET *immisit Dominus Deus ecstasim in Adamum, & sopiit, & accepit vnam ex costis eius.* Et cur costam? Subiectum membrum dormienti est vna costa præter cætera membra; super alia autem mẽbra est imposita supernè.

Duæ Adami costæ duæ sunt Ecclesiæ.

Ostendens ergo Deus quòd costa quæ fuit aliquando subiecta (nẽpe Ecclesia) subijcietur Christo; altera eius costa (Synagoga, inquam, Iudæorum) manente non subiecta. Ea de causa dicit quòd accepit vnam ex eius costis; vna enim assumitur, alia verò dimittitur. Duas ergo costas diximus, duas Ecclesias; nempe eam quæ est ex gentibus & eã quæ est ex Iudæis, quandoquidem propter eam costam quæ sumpta est & ædificata in mulierem, dictum est de Christo;

Eph. 5.

Relinquet Patrem suum secundùm carnem, nempe populum Iudaïcum, *& matrem suam* quæ ipsum peperit Synagogam: *& adhærebit vxori suæ*, quæ ex eo nata est costæ, Ecclesiæ scilicet gentium: *& erunt duo in carnem vnam.* Christus enim & Ecclesia vna est consensio & consonantia. Nos enim sumus corpus Christi & membra ex membris, & carnes & ossa.

Duæ costæ Adami, sunt diuinitas & humanitas Christi.

Dici possunt etiam duæ costæ Christi secundi Adami, eius diuinitas & humanitas, altera quidẽ (nempe caro) subiecta & superata à somno mortis: Diuinitas verò non subiecta & superata à somno mortis sed altior subiecta altera costa carnis. Quam quidem cùm accepisset Deus, ædificauit eam in mulierem Ecclesiam; & pro ea repleuit Christi carnem: Nam cùm nos impertijsset diuinitate, vicissim à nobis accepit carnem. De qua permutatione Deo dicebat David, aduersus Iudæos exclamans & dicens:

Psal. 88.

Exprobauerunt commutationẽ Christi tui; hoc est, carnem Filij affecerunt probro & contumelia.

En Christi morte processit Ecclesia.

ET IMMISIT DEVS *ecstasim in Adam, & sopiit, & accepit vnam ex costis eius.* Per hoc discimus quòd in Christi morte exorta est & in lucem processit Ecclesia, quæ quidẽ est costa. Quamobrem Christus quoque post mortem punctus in vno latere, tanquàm ex scaturigine emisit sanguinem & aquam: Hoc est; mysteriũ & regenerationem Ecclesiæ per ignem & aquam.

Sanguis & aqua ex latere Christi significant regenerationem Ecclesiæ per ignem & aquam.

Et non fuit sauciatus in altero latere; quid enim fuit impedimẽto Iudæorũ insaniæ, quo minùs pateretur Dominus in vtrôque? Sed vt discentes quòd costa Iudæorum eã non nouit mulgere; ea de causa, Christus vulneratur in vna:

Cur in vno solo latere vulneratus Christus.

Vnam autem costam accepit Deus Verbum. Quoniam autem ex sola Matre (supèr naturam) carnem suscepit absque viro, etiam repleuit carnem non seminatam pro illa costa quæ sumpta est ex Adamo in vxorem. Postquàm dixit, ET *ædificauit Dominus Deus costam*, faciẽs perfectum punctum magnus Clemens, & tunc versus faciens initium, subiunxit, QVAM *accepit ab Adam in mulierem*: & mihi videtur piè admodum attendisse dictionem. Nam Theodotion quoque sic distinxit idem Verbum, vt sit id quod dicitur; *Et ædificauit Dominus Deus, & ornauit, venustámque & lepidam effecit, & sanctificauit costam carnis quam accepit ab Adamo* sibi in vxorem, nempe Ecclesiam. Cur dicit Paulus,

2. Cor. 11.

DESPONDI VOS *vni viro exhibere virginem?* Vnde etiam Deus vnitus & desponsus huic costæ, ait per Prophetam adulteræ Synagogæ; Non sum ampliùs vir tuus, & tu non es ampliùs vxor mea. Quòd si vis etiam discere ædificium huius costæ à Deo coniunctæ quæ fuit aliquando deserta & derelicta, audi ei vnitum angularem lapidem (firmum & illabefactabile fundamentum) Christum dicentẽ,

Matt. 16.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferni non præualebunt aduersus eam. Fuit enim *ædificata super fundamentum* fidei *Prophetarũ & Apostolorũ*, qui sunt boni operarij sapientissimi Ædificatoris.

Eph. 2.

Ecclesia, nempe costa, quãdo fuit ædificata.

Quando autem hæc vna costa Ecclesia fuit ædificata? Est perspicuum, quòd quando altera

costa fuit derelicta, & dissolutum fuit secundò templum Iudaïcum. Quod quidem cùm esset tanquàm vna costa Adami Christi, manifestè id priùs describebat nomen primi Parentis: Nam si ad calculum reducatur nomen Adami, conficit numerũ quadraginta & sex; Templum enim Iudaïcum, quod à Romanis fuit dirutum, ædificatum fuerat quadraginta sex annis. E T *ædificauit Dominus Deus costam quam accepit sibi ab Adamo in vxorem, & duxit eam ad Adamum*, videlicet post suscitationem qua seipsum suscitauit. Non scriptum est enim; E T *excitauit Dominus Deus Adamum, & duxit ad ipsum mulierem*. Habet Fidelis etiam de huius (post Christi resurrectionem) Ecclesiæ ad ipsum aduentu, in Euangelijs apertam demonstrationem. Quando enim surrexit à mortuis, tunc præcepit Apostolis dicens; *Euntes in Mundum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Euntes colligite meos filios dispersos, membra dispersa: Venite meas carnes diuisas: Coniungite mea ossa dissoluta: Adducite ad me, costam quæ est à me separata: Vocate ad me vxorem meam quæ abducta est captiua; Ædificate eam rursus in meam coniugem Ecclesiam. Coniungite mihi, qui sum *lapis excisus ex monte* sancto *sine manibus*, illos lapides de quibus dicit Esaias; Sancti lapides voluuntur super terram. Per quos ædificata costa Christi Ecclesiæ, & coniunctis membris cognatis carnis suæ, & coactis ac constrictis nobis qui sumus eius ossa (vnione ad ipsum & coalescẽtia fidei) videns adeò pulchrè à Deo ædificatam concorporalem & coniugem suam costam Ecclesiam, quando eam ad se duxit Deus & Pater, dixit secundus Adam post eius à mortuis suscitationem; H O C *nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea.* Ei ergo qui ad literam solùm nudas attendit dictiones quæ dictæ sunt, valde discrepantia & contraria sunt verba rebus. Nam quandiu quidem membra corporis sunt vnita in corpore, possumus dicere de vnoquoque eorum; H O C *nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea.* Quãdo autem ex causa aliqua fuerit ablatio & diuisio alicuius membri à corpore, non habet ampliùs locum dicere; H O C *nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea:* sed hoc fuit aliquando *os ex ossibus meis*, & caro ex corpore meo. Nunc autem non est ampliùs os meũ neque caro mea; sed diuisa est, ablata, excisa, abalienata est ab ossibus meis & carne mea. hic autẽ in hac admirabili & stupenda costa Adami qui dicitur, è contrariò res dicũtur. Nam ante ablationem & diuisionem costæ quæ sumpta est & egressa ex corpore eius, nõ diximus ipsam *os ex ossibus* eius, neque carnem ex carne eius. Quando autem sumpta est & nata ex corpore eius, & facta est tanquàm corpus eius, ad ipsum est adducta, & tunc dicit; H O C *nunc os ex ossibus meis & caro ex carne mea*, scilicet eiusdem generis. Vnde per hoc quod dicit & addit illud, *Nunc*; ostendit nobis quòd priùs non erat hæc costa Iudæorum, neque os ex ossibus eius neque caro ex carne eius, veri, inquam, Adami. Et si dixisset quidem; H O C *os ex ossibus meis*, locum haberet Iudæus intelligendi ad literam id quod dicitur. Addito autem illo, *Nunc*, apertè nobis ostendit quòd ex quo excessit secundus Adam, pulchro & beato & immutabili excessu; & dormijt (nos omnes viuificantem) triduanam suam mortem; & peperit pulcham suam Ecclesiam, costam concorporalem; & ædificauit eam in suã vxorem, & adduxit eam Deus ab errore conuersam ad Christum. Donec hæc omnia facta sunt, nondum erat *os ex ossibus* eius, *& caro ex carne* eius. Illud ergo, *Nunc*, dicitur propter aduentum, quãdo cùm esset prope Adamum, ei est propinquitate coniuncta, & vnita, & desponsa, & copulata. Et ideò ab ipso; H O C *nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea:* mea, inquam, Christi; ex quo etiam nata est. Et ideò audit etiam, A D V I R V M T V V M *conuersio tua, & ipse* tanquàm Dominus omnium *dominabitur*. Sed in sex quidem dierum creatione, vltimum creat & fingit hominem: In ea autem quæ fuit postea, eum primum inducit, & deinde res quæ Ecclesiæ referunt imaginem. Nam primùm quidem carnem suscepit Christus, & deinde facta est Ecclesia, in qua bestiæ ingressæ sunt vltimæ. Ipsi Christo qui introduxit, sit gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Matt. 28. — *Daniel. 7.* — *Eph. 5.*

EIVSDEM LIBER DECIMVS.
De mulieris creatione & Peccato.



I P S A *vocabitur mulier, quoniã sumpta est ex viro suo.* Et cur statim mulier, & nõ magis cõuenienter ordini incrementi corporum; primũ infans, deinde puella, deinde adolescentula, & tũc mulier; sed statim perfectam vocat mulierẽ: hoc est, rem perfectã, matronã, matrem familiâs, matrẽ, nutricem & genitricem, & multos habentem filios? Quamobrẽ dicit, *Ipsa vocabitur mulier?* Atqui iam dixit eam à Deo ædificatam in mulierem, & deinde adductam ad Adamum. Sed vt ostẽderet quod hæc referuntur ad Ecclesiam, quæ in vltimis Sæculis fuit desponsa Christo, ea de causa in verbo futuro ponit dicens; *Ipsa* aliquãdo *vocabitur mulier, quoniam ipsa sumpta est ex viro suo.* Atqui quod ex viro sumitur aut nascitur, non dicitur viri mulier aut vxor; sed filia, aut nata, aut filius, aut fœtus: quomodo etiam in animalibus & volucribus & bestijs, omnis caro quæ ex carne procedit (videlicet substantia ex substãtia eiusdem simul essentiæ) fœtus dicitur & filius: Hic autẽ non dicit ita de carne costæ quæ sumpta est ex viro eius. Ecce alia rursus dubitatio. Nõdum enim erat vir eius Adam; nõdum fuerat coïtus aut copula: & quomodo dicit quod ea sumpta sit ex viro suo? Est ergo omnibus modis perspicuũ, quod ad Christum potiùs, & ab ipso genitam & ei vnitam Ecclesiam hæc referuntur & prædicuntur. Etenim solus Christus est & genitor & vir suæ vxoris & sponsæ Ecclesiæ. Nonnulli autem ex Commentatoribus, hæc quoque sic visi sunt audire de Ecclesia. Erat, inquiunt, priùs vnita Deo quando facta est hominum natura, Deinde ex viro eius sumpta est ipsa, seu abstracta & euulsa: A Diabolo enim fuerat adducta in captiuitatem idololatriæ. Quando ergo eam conuersam deduxit Deus (qui fuerat aliquando vir eius) ad seipsum (secundum, inquam, Adamum) dixit; H O C *nunc* post conuersionem *os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; Ipsa vocabitur mulier* seu vxor mea, qui sum primus eius parens & coniux Christus. Quoniam ex me Christo qui sum vir eius sumpta est, furto surrepta, & nunc reuertitur; fuit enim sub alio viro (nempe Diabolo) & adultera. Si autem contradicit Iudæus, debent nostri hoc scire, audientes omnino Deum in Lege vxorem aliquando nominantem Synagogam, & nũc quidem ei dicentem; P V D O R E M *exuisti apud omnes:* hoc est; à me defecisti, vnita omnibus Dijs idolorum fornicata es & adorasti omnem creaturam. Et ideò rursus ei dicebat; *non sum ampliùs vir tuus & tu non es ampliùs vxor mea, quoniam amplificata est fornicatio tua super Sodomam sororem tuam.* Et multa alia eiusmodi, tanquàm adulteræ cernitur Deus dicere Synagogæ in Lege. Quòd si Iudæus ea quæ à me dicuntur, toleranter audit & patitur; ostendo ei quòd etiam eius vxor Synagoga ex carne est creata, sicut etiam Ecclesia, vt quæ sit orta ex Circumcisione præputij Abrahæ primi parentis Iudæorum; quomodò Christi Ecclesia ex carne costæ Adami. Sed caro illa (præputium, inquam, Abrahæ) abiecta fuit cùm primùm est circumcisa, & humi fuit conculcata: prædicẽs eiectionem Abrahamici generis Israëlitici. Caro autem costæ à Deo honorata, tanquàm vita, non fuit eiecta; sed statim manu Dei fuit ædificata in mulierem perfectam; nempe Dei Ecclesiam. Quamobrem sicut caro illa & semen Circumcisionis, duas appellationes habuit per mulierem (Saram, inquam primùm; deinde Sarram) Ita etiam Dei Ecclesia Eua duo accepit nomina: secundum autem, priori, supra modum melius & excellentius. Primò enim nominata fuit mulier, Deinde posteà Vita: Quam etiam per typum exprimens vxor Abrahæ; vocata est primùm Sara, hoc est Dux

Filia, θυγάτηρ. — *Ecclesia dicitur mulier sumpta ex viro.* — *Solus Christus est & genitor & vir suæ Ecclesiæ.* — *Hier. 3.* — *Osee. 3.* — *Synagoga creata est ex carne Circumcisionis, sicut Ecclesia ex carne costæ Adami.* — *Vt Sarra, sic Ecclesia duo nomina habuit.*

Dux & Princeps: Deinde Sarra; id est, abundans liberis. Imperauit enim omnibus Ecclesia, cùm multos A peperisset fideles. I P S A *vocabitur mulier quoniam ex viro suo sumpta est, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Propter hoc!* Quid est hoc, *Propter hoc?* Hoc est, propter id quod sumpta est ex viro: Propterea quòd sit eius costa, caro, & os, & membrum, & pars, & veluti partus & fœtus & generatio. Propter hoc verus ille & solus Deus & homo negat patrem & matrem suã: Dixit enim; *Mater mea & fratres mei ij sunt qui faciunt voluntatem meam.* E T A D H Æ R E B I T *vxori suæ.* Vxorem eius illam dico quæ processit ex eius latere & carne & suis ossibus, quæ est sola vxor Adami spiritualis: Nulla enim alia mulier processit ex viro suo nisi illa sola. Nam cæteræ omnes in mundo Mulieres, procedunt & generantur ex mulieribus, deinde alienis & externis viri iunguntur matrimonio neque tamen adhærent & conglu- B tinantur. Nam quod adhæret & conglutinatur, nullam neque loco neque modo habet diuisionem neque disiunctionem ab alio; sed semel ita est conglutinatum, vt aër luci vnitur, & ferrum igni, & tinctura purpuræ chlamidis, & anima indiuiduè est vnita corpori. Intelliges autem per hanc vxorem & viri cum ea adglutinationem & adhæsionem, eam adglutinationem & adhæsionem Dei Verbi quæ per hypostasim fit cum nostra natura, quæ quidem est genitrix Ecclesiæ; quoniam membra sumus corporis eius ex carne eius, & ossibus eius, conuenienter voci Pauli: Quo fit vt quodammodò Adam sit & Pater & maritus suæ vxoris, sicut etiam Christus Ecclesiæ. Pater quidem, vt ipsam generans per aquam & C spiritum: Maritus autem, vt qui Verbi semen in eam deijciat. Per quod multos atque adeò innumerabiles hos filios (filios, inquam, gentium) ei peperit, & enutrit, & auxit, & multiplicauit. Hoc enim modo etiam Christi adiutrix dicitur Ecclesia, eò quòd ipsa post eius assũptionem generet, & doceat, & illuminet, & prædicet, & conuertat gentes ad Deum. Etenim quoniam prior Synagoga fuit adultera, & ipsius filij quos Deus genuit & in altum extulit eum spreuerũt: propter hunc actum, reliquit Christus Patrem suum, nempe populũ Iudæorum, & matrem suam Synagogam; & adhæsit vxori suæ quam sumpsit ex gentibus, & fuerunt duo in carnem vnam vnius populi. *Mysterium hoc magnum est* (*ego* Paulus *dico*) *in Christo & Ecclesia*; hęc fuerũt pręfigurata & priùs descripta. Quęnam? ea scilicet quę scripta sunt de Ada- D mo & Eua: eius scilicet fictio, in eam insufflatio, positura in Paradiso ad operandum & custodiendum, Pręceptum de animalibus datum Adamo, ingressus in Paradisum, somnus, ecstasis, costa ædificata, eius adductio, & tantò magis caro: Propter quę etiam dictum est, P R O P T E R *hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carnem vnam. Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Nam si spectetur litera, non sunt, vir & mulier coniugati, vna caro & substantia. Est autem etiam longè imbecillior caro mulieris carne viri. Et quomodò vna? Sed nec omnis vir desiderat & bonorat suam vxorem plusquàm patrẽ suum & matrem. Vnde etiam licet in dies videre, innumerabiles qui relinquunt suas vxores, & transeunt ad alias, Patrem E autem aut matrem non facilè potest quisquam negare aut relinquere. Atqui Dominus Christus postquàm fuit nobis vnitus; vnus fuit hypostasi, cùm propriam reliquisset Tribum ac cognationem, & transiisset ad Græcam seu gentilem. Si autem vna est caro vir corporalis & mulier, omnino oporter, si vir sit infirmus infirmam quoque esse mulierem, & rursus si mulier affligatur aut senescat, simul etiam carnem viri tabescere, & si vir decedat, simul quoque mori vxorem. Quoniam autem ea loquor quæ faciunt ad causam Christi defendendam, & suę coniugis Ecclesię, arma sumo aduersus Iudæos. Dicat ergo mihi Iudęus, Si homo & vir sunt *in carnem vnã*, quomodò non dixit, *Et in vnam animam*, quod quidem erat alius magis necessarium? Ideò planè quoniam altera est Domini anima, nempe rationis particeps & intelligens; & alia Ecclesiæ, nempe Spiritus sanctus. Quod autẽ diuersas carnes habeãt viri & mulieres audi Deum dicentem; *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, propterea quòd sint ipsi carnes*, vt qui plane insaniant in fœminas. Et rursus dicit; *Effundam ex spiritu meo in omnem carnẽ, & videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Audi ergo Paulum ciuem Paradisi (cuius est æterna memoria) dicentem, Christum & Ecclesiam esse *in carnem vnam*; &, Adami & Euæ exemplum ad ipsos referentem. Dicitur autem etiam aliter si vis; Eua, vita ad imaginem animæ viuificantis. Hæc ergo duo (corpus, inquam, & anima) fiunt vnus homo; & sic perfectè impletur illud, *Erunt duo in carnem vnam*: est enim ex duobus, Christus; Deus simul & homo. Ipse quoque aduertes quòd in sexto die creationis sex dierum, hæc tunc dicebantur & fiebant à Deo, quoniam eo sexto die Sæculi finem acceperunt in Christo & Ecclesia nihilominus in quarto die de Sole & Luna differentes, ostendimus illud, *Et erunt duo in carne vna*, intelligentes duo luminaria de Christo & Ecclesia. Nam Sol quidem creditus est esse siccum & terrenum terræ elementum; Luna autem spiritus venti, in loco spiritús animæ. Vnito ergo limo terræ & spiritu, efficiuntur duo in vnum hominem. Fortasse autem magis mysticus sensus orationis habet hoc modo. Quandoquidem Christus habitat in nobis, cõuenienter ei quod scriptum est, *Inhabitabo in ipsis & inambulabo*: ea de causa omne cor mũdum vnitum Deo Verbo, ambo sunt duo in vnam carnem: Nam qui Deo adhæret, est vnus spiritus. Non solùm autem in rebus sed etiam in ipsis verbis licet audire diuinam Scripturam coniungentem & vnũ facientem Adamum & Euam, tanquàm vnum hominẽ, in typum Christi & Ecclesiæ: *Faciamus* inquit, enim, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ecce cùm in vna persona dixisset, *hominem*, subiunxit dicens; E T I M P E R E N T *piscibus Maris.* Illud autem, *Imperent*, est vox dualis seu pluralis, vnitate in binario, & binario in vnitate eos coniungens. Et rursus dicit; E T *fecit Dominus Deus hominem, ad imaginem Dei fecit ipsum*, hoc est, eum qui est vnus & solus tanquàm in duobus. Idque est perspicuum ex iis quæ subiungit; *Masculum & fœminam fecit eos.* Ecce, duos qui sunt in vnam carnem, vnum dicit hominem. Porrò autem in præcepto quoque de vescendo & abstinendo, licet audire Deum idem dicentem, nempe vnum hominem cùm sint duo; D E O M N I *ligno quod est in Paradiso comedes*; alloquendo hominem; *de ligno autem cognoscendi bonum & malum ne comedatis, quo autem die de eo comederitis, morte moriemini.* Vides hic quoque rursus diuersas personas nominari vnum hominem; hoc est, vnitatem agnosci in binario, propter naturæ similitudinẽ. Hic docetur, dogmàque & magna arma validùmque trophæum refert Ecclesia aduersus Iudæos qui nos accusant quod statuamus tres Deos: & Barbatos qui nobis dicunt; Si Deus est ex Deo, ex Deo autem est Filius; quomodo fieri potest vt duo sint vnus Deus? Quibus rectè aptéque & appositè dici potest: Si Eua ex Adamo est, homo ex homine; quomodò dicit Deus duos vnum hominem? Si ex me quæras quomodò Trinitas in vnitate; dic mihi, quomodò binarius in vnitate dicuntur duo Protoplasti? Dicit enim, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei fecit ipsum*, hoc est, vnum hominem: M A S C V L V M *& fœminam fecit eos*; Ecce vnum dixit diuersas personas. Igitur quomodò Eua ex Adamo progressa, vnus homo cum ipso à Deo est appellata; ita etiam Filius progressus à Patre, & Pater est vnus Deus. Sed neque sunt duo Dij nec dicuntur. Hæc autem fusiùs à nobis dicta sunt in verbis, *Ad imaginem*, in quibus adduximus plurima diuinæ Scripturæ testimonia, in quibus Deus nominat innumerabiles hominum personas vnum hominem: vt cùm dicit, *Delebo hominem quem feci.* Si autem innumerabiles personæ naturæ humanæ dici possunt vnus homo, propterea quòd est eadem essentia, multò magis tres Personæ diuinitatis possunt intelligi & præ-

Marginal notes: *Matth. 12.* — *Ecclesia sola processit ex viro suo.* — *Adhærere & conglutinari quid sit.* — *Eph. 5.* — *Christus quomodo sit pater & maritus Ecclesiæ.* — *Christus reliquit patrem populum Iudæorum, & matrem Synagogam.* — *Eph. 5.* — *Caro viri & mulieris quomodo vna sit.* — *Christi & Ecclesiæ non eadem est Anima.* — *Gen. 6.* — *Ioel. 2.* — *Ephes. 5.* — *Christus simul Deus & homo.* — *2. Cor. 6.* — *Cor mũdum Deo Verbo vnitum, duo sunt in carnem vnam.* — *Diuersæ personæ nominantur vnus homo.* — *Trinitas defenditur aduersus Iudæos & Paganos.* — *Gen. 6.* — *Personæ innumerabiles dicũtur vnus homo.*

dicari vnus Deus, propterea quòd est eadem natura & nullo distincta discrimine. Ita etiam Israël in sexcentis millibus personarum in vna persona nominatur vnus Israël: Ita etiam Assyrius; ita etiam Persa, Ita etiam Ismaël in infinitis millibus personarum dicuntur vna persona, quomodò vnus nominatur homo cum multæ sint hypostases seu personę, Persa (inquam) Assyrius, Ismaël. Quamobrem nulli est reprehensioni affinis fides Christianorũ, nominans tres (quæ sunt eiusdem simul essentiæ) diuinitatis hypostases, vnum & solum Deum, non autem tres Deos. Cùm huc vsque orationis nostræ arma strinxerimus aduersus eos qui tres Deos dicunt, redeamus ad seriem consequentiæ, considerantes quænam sit virtus præcepti quod sic dicit: *Ex omni ligno quod est in Paradiso, comedes.* Paradisum autem, vt existimo, nominat illum ipsum Adamum propter eam quæ est in ipso circuitionem per Dei participationem Ligna autem Paradisi, quæ in ipso sunt plantatæ, intelligentia percipiendas & vitales virtutes: Eis vtere verbo iubente, Sed vt tibi data sunt & pro natura quam habent ligna, vt quæ sint scilicet insensilia & immobilia ad omnem belluinam affectionẽ: De rebus autem sensilibus quæ ad hoc & illud diuidantur tanquàm ad bonum & malum, quæ quidem distributa sunt animantibus, *non comedes.* Nam vnius formæ dictionem Verbum ei largitur, tendentem ad vnum Dominum: Quæ autem sunt varia & dispergi possunt, conueniunt (inquit) iis qui viuunt præter hominem. *Et erant ambo nudi Adam & vxor eius & non erubescebant.* Si ante transgressionem quidem diceretur hęc nudatio in Protoplastis, dici posset eam esse vituperabilem nec laudandam: Quoniam verò statim ab ipso ortu & creatione fuit cum eis nuditas, ante omnia quidem, ad Iudæum me conuertens cupio rursus ex ipso discere, quomodò nulla alia natura à Deo facta nuda, opus habuit tegumento nisi solus homo? Nam & Angeli, & feræ, & iumenta, & volucres, & quadrupedes, & maximè reptilia à Deo creata sunt nuda, Neque vllum ex iis à Deo fuit indutum nisi solus homo. In ipsis ergo Protoplastis nudationem intelligis, idque simul & typicè & præfiguratiuè à Deo factam esse in Christo & Ecclesia, in initiis. Non enim qui omnem essentiam tam ratione præditam quàm expertem rationis est fabricatus per se indutam, non poterat facilè efficere hominem non egentem integumentis? Sed quoniam Deus Verbum qui erat ab initio nudus & incompositus, à Deo erat componendus & induendus pelliceam nostræ carnis tunicam, caro factus & habitans in nobis, ideò Deus Adam hominem (secundum Adami prototypum) nudum condidit, & eius coniugem Mulierem, imaginem Ecclesiæ ipso rursus indutæ. Nam *quicumque* (inquit) *in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Et ideò dicit Scriptura, *Et erant ambo nudi Adam & eius vxor, & non erubescebant.* Vbi enim nondum factum est peccatum, illic non versatur pudor; Pudor enim est fœtus peccati: Et vbi est pura & munda natura, & nuda ab omni peccato aduentitio & indumento veteris hominis; illuc nullus ingreditur pudor. Facti sunt ergo Protoplasti nudi ab omni labe, macula inquinamento & vulnere; & ea de causa non erubescebant: Nondum enim sciebant illud propter quod est pudor. Si autem etiam in Deo Verbo vis audire illud, pudore non afficiendum; audi eum, seipsum nominantem, Iudicem iniquitatis; nempe condemnantem iniquam mundanam peccati irruptionem; neque Deum timentem. Deus enim est neque verés hominem, vt qui rectè iudicet & citra vllam personarum acceptionem. Et ideò dicebant qui erant in cathedra Sadducæi, *Magister quòd rectè iudicas, & personam non accipis de Censu.* Itaque quando erat quidem nudus Deus, non suffundebatur pudore: Quando autem carne suscepta non amplius erat nudus, afficiebatur pudore; & pudore contempto, crucem pro nobis sustinuit. Et ideò à Iudæis pulsatus, flagris cæsus, & consputus dicebat; *Tergum meum dedi ad flagella, genas autem meas ad*

Paradisus est ipse Adamus. Ligna Paradisi sunt virtutes.

Solus homo à Deo fuit indutus.

Adam & Eua, tam nudi quam vestiti quid significarent.

Pudor est fœtus peccati.

Luc. 18.

Luc. 20. Deus Verbũ incarnatum afficitur pudore.

Esa. 50.

alapas, faciem autem meam non auerti à pudore sputorum. Et rursus idem Iesus per Prophetam dicit Patri; *Tu scis*
A *improperium meum, & pudorem meum, & reuerentiam meam, quoniam pudor vultûs mei cooperuit me.* Si autem tanquam carnalis, de pudore corporali hæc intelligis in nudatione Adami & Euæ; dic mihi, cùm nullus alius adesset cum eis, cuiusnam erant pudore afficiendi, maximè si nesciebant ante transgressionem mysterium partium Liberos procreantium, & quod sit discrimen eorum formationis, neque quòd ex factæ sunt ad coïtum & nuptialem congressum, & ad hoc à Deo facti sint masculus & fœmina? Qui ergo ea nondum sciebant, quonam erant perfundendi pudore? Quamobrem sine controuersia referenda est nuditas ad Christum & Ecclesiam; *Erant enim ambo in initio*: Deus quidem Verbum, nudus ab humanitate, Ecclesia autem nuda à diuinitate,
B Christum nondum induta. Cæterùm non erubescebat antequàm esset transgressa; partim quidem vt pura, & iam parata ad incorruptionem (à natura enim habet pudor vt consistat in figuris & corporibus in quæ omnino cadit corruptio & interitus, & sunt materialia) Partim autem vt quæ nuda & aperta facie, Domini vultum contemplaretur. De qua laudabili nuditate dicit Diuus Paulus; *Ingemiscimus, habitaculum nostrum quod ex cælo superinduì cupientes*; nempe futuram corporum incorruptionem; *Si quidem induti, non nudi inueniamur.* Non nudi à gratia sancti Spiritus, quam nuditatem vt efficiat innatum est tunicę malarum actionum, qua indutus fuit ille qui eiectus est è nuptiis; quam non ferebant qui priùs erant nudi Protoplasti: neque rursus ille iustus, & nulli affinis reprehensioni, & pius Iob. Et ideò dicebat;
C *Nudus* ab omni peccato *exiui ex ventre matris* meæ, ab eo quoque nudus recedam. Num autem & Dominus & nos post resurrectionem, in ea corporis nuditate nullo pudore perfundendi erimus, ipse quoque aduertes & adnotabis. *Serpens autem erat prudentior omnibus bestiis quæ sunt supra terram.* Quòd & quantùm attinet quidem ad prudentiam quæ est in voce & natura non ratione prædita, multa esse animalia Serpente prudentiora, nemo qui sapit contradixerit. Neque enim domum custodit, neque gregem vnquam seruat vt Canis: Non fures abigit, nec terret Feras: non curat, veluti quadam arte medicinæ, vulnera: Neque suo Domino priuatus, eiulat & deflet, eum requirens. Neque rursus quod Sphinges & Simiæ, potest vnquam Serpens imi-
D tari & effingere figuras gestúsque & studia hominum. His enim animantibus, humanæ naturæ ferè nihil deest, nisi solùm oratio. Nam naturali quodam habitu habent & rerum & figurarum quas vident imitationem & exercitationem. Et ideò Simiæ Græcè dicuntur, πίθηκοι, ὅτι τὰ ἤθη ἐκμιμοῦνται; id est, quoniam omnes mores exprimant. Neque abominetur auditor huius animalis appellationem tanquàm indignam auribus Ecclesiasticis. Audimus enim eorum quæ sunt his minora, in Lege fieri mentionem ab ipso impolluto ore Dei. Quinetiam in tertio libro Regum inuenimus nauem Solomonis singulis annis venire ex Tharsis, quæ est Hesperia regionis Occidentalis, & ferre ad eum aurum & eiusmodi animantia. Non est ergo (vt ostensum est) Serpens
E prudentior omnibus bestiis terræ: Quamobrem vel Diabolum dicit ingresum; vel ipsum, nudum appellat Serpentem Scriptura. Mihi autem videtur, prius, melius secundo. Symmachus enim & Aquila, pro *prudentior*, dixerunt *callidior*; quod quidem propriè intelligitur & dicitur de doloso nostro Aduersario. Si autem quæris cur non nudè hæc Deus tunc est locutus sed pro Diabolo nominauit Serpentem; apertè disce quòd cum mala & libidinosa gente loquens, noluit aperire Israëli neque quæ ad Angelos spectant neque quæ ad Satanam qui conculcauit Euam, ne eum colerent & adorarent tanquàm Deo fortiorem, vt qui potuisset sua prudentia protoplastos à Deo ad se attrahere. Tu autem cùm audieris quòd

Psalm. 68.

Adam & Eua cur pudore affecti.

Nudi erant Christus & Ecclesia.

2. Cor. 5.

Matth. 22.

Iob. 1. Intellige de Actuali non autem de Originali.

Multa animalia Serpente prudentiora. Canis prudentia.

Simiarum nominis Interpretatio.

Tharsis, est Hispania.

Serpens est Diabolus.

Cur Diabolum Serpentem appellauerit Scriptura.

Diabolus prudentior homine.

quòd *Serpens erat prudentior omnibus bestijs terræ*, scias quòd super omnem humanam prudentiam est longè fortior Diaboli calliditas. Quamobrem dicebat nobis Dominus; *Estote prudentes sicut Serpentes*. Nam quoniam gentem quæ non facile poterat persuaderi, in vertice illius môtis Sinaï Deus per Mosem, Legem ferebat; ea de causa cùm hæc scriberet terrere volens incredulum Israëlem, eis describit Legem quæ data est Adamo, & transgressionem, & pœnas, & sententias, & incondonabiles exterminationes, & illas horrendas aduersus Serpentem execrationes, & dolores & gemitûs mulieris, & sudores & terræ execrationem, & eius spinas & tribulos, & mortis sententiam, & in terram ex qua sumptus est reuersionem, & interitum hominis ac dissolutionem. Quæ quidem omnia passi sunt Protoplasti, quoniam scelerato Serpenti obedientes, conati sunt seipsos Deos facere, in contemptum & defectionem ab vno & solo vero Deo; rapinam arbitrati Deo esse æquales; hoc est, ascensionem & in altum elationem, & super Angelos extensionem si Dij fierent. Hoc enim tacitè significabat consilium dicens; *Eritis sicut Dij cognoscentes bonum & malum*, scilicet vltra mentem Angelicam, si facti essent Dij. Hæc autem omnia exponebat Deus populo, eos repellens & veluti reprimens à defectione qua statim laborarunt in Horeb, cùm hi sermones adhuc Mosi dicerentur in Monte, & etiam ab alijs postea secutis idololatriis, quæ illinc acceperunt initium transgressionis ab illo mali auctore Serpente, & à ligno quod dicitur inobedientiæ. Et fortasse ea de causa Deus ad eos admonendos & ad reuocandum eis in memoriam ea quæ facta sunt in paradiso, eis diuersa vnanimiter exhibuit prodigia per Serpentem & lignum; nunc quidem virgam Mosis transmutans in Serpentem, deinde Serpentem in lignum mortificans; priùs describens quòd non oporteat obedire Serpenti ad lignum adorandum, vel quòd per lignum Crucis perdet & morte afficiet paradisini ligni consultorem Serpentem. Propter quem rursus & virga Aaronica, ex ligno animata serpsit Serpens, & falsas magicas in ligno Serpentis operationes repentè consumpsit. Et in ligno rursus Serpens æneus non spirans in Deserto suspensus erat à Mose; tacitè dicens quod erit aliquando tempus in quo, subiecto Christo insuperabili incude, percussus improbi consilij princeps Serpens Pilato tanquàm malleatore malleum incutiente, & vlulatus & solutus & morte affectus, in Ligno mortuus tanquàm in columna infamia notatus proscribetur Mundo, qui vsque ad hoc tempus erat in solitudine omnis boni: & reprimentur morsus populi morsi à Serpente. ET DIXIT *Serpens Mulieri; Quid quod dixit Deus, Non comedetis ex omni ligno quod est in Paradiso? Et dixit mulier Serpenti, Ex omni ligno quod est in Paradiso comedimus, de fructu autem ligni quod est in medio Paradisi dixit Deus, ne ex eo comedatis neque tangatis, ne moriamini. Et dixit Serpens mulieri; Morte non moriemini, sciebat enim Deus quod quo die ex eo comederitis, aperientur vestri oculi & eritis tanquam Dij cognoscentes bonum & malum.* Quod hìc quidem sententiarum ac intelligentiarum pelagus & obscurum profundum, supra omnia quæ sunt transmissa, nobis sit propositum, non est nostrum dicere; proposita enim dictio hoc ex se clamat. Quam qui historicè & non spiritualiter potiùs accipiunt, sed venantur dictiones, nescio quomodò soluent obiectiones quæ eis fiunt ab Irenæo. Dicit enim decertans aduersus hæresiarchiam execrandorum Ophitarum: Quomodo fieri potest vt Serpens qui factus est à Deo, naturà, expers rationis & mentis; ratione præditus & loquens dicat? Nam si sibi suo facto commodauit rationem, & discretionem, & intelligentiam & responsionem eorum quæ dicebantur à muliere; ergo & cuiuis Serpenti non est vetitum quominus hoc faciat. Si autem dicent, diuino consilio & dispensatione cum humana oratione alloqui Euam; statuunt Deum autorem peccati. Sed neque maligno licet Dæmoni, ex eo quod non est ad hoc vt sit, naturæ quæ caret ratione largiri rationem: Nam nunquàm

Matth. 10.

Ligno Crucis necatus Serpens.

Irenæi obiectiones quod cum Eua loquens non fuerit verus Serpens.

A cessauerit ad fraudem per Serpentes & bestias & volucres loqui cum hominibus & eos decipere. Vnde autem, & cùm esset bestia, audiuit mandatum quod à Deo, homini & soli, mysticè datum est; cùm ne hoc quidem ipsa didicisset mulier? Cur autem non potiùs hominem quàm ipsam aggressus est mulierem? Quòd si mihi dixeris quòd ad eam accesserit vt quæ esset imbecilior; contrà, fortior ac virilior tanquàm adiutrix hominis appparuit in transgressione mandati. Ipsa enim & sola restitit Serpenti, & cum quadam obiectione & contentione (calliditate superata) comedit ex ligno: Adam autem cùm nihil omninò depugnasset aut contradixisset, fructûs fuit particeps dati à muliere; quod quidem est apertum indicium perfectæ imbecillitatis & mentis ignauæ. Nam mulieri quidem est ignoscendum, vt quæ fuerit superata à Serpente: Adamo autem non est ignoscendum, vt qui fuerit superatus à muliere; cùm ipse in propria persona à Deo mandatum acceperit. Nam mulier cùm ab Adamo mandatum audijsset; ita fuit affecta vt contemneret, vel quòd non digna esset habita cum qua Deus loqueretur, vel vt quæ fortè dubitaret & existimaret Adamum hoc ex se ei mandatum dedisse. Vbi autem inuenit Serpens eam seorsum agentem, vt posset eam priuatim alloqui, eam aut videns comedentem ex lignis aut non comedentem, obtulit cibum ligni. Et si quidem comedentem, est perspicuum quòd ea esset in corpore in quod cadit interitus; quidquid enim intrat in os, vadit in secessum. Si ergo in eam cadebat interitus, est perspicuum C quòd esset etiam mortalis. Si autem erat mortalis, non erat vtique execratio, neque sententiæ pronunciatio vox illa Dei dicens homini, Terra es, & in terram reuerteris; sicut etiam habet rerum veritas. Sin autem rursus non comedentem Serpens aspexit mulierem, quomodò traduxit ad comedendum eam quæ nunquam comederat? quis autem huic quoque euento homicidæ Serpenti indicauit; quod quæ lata est à Deo in eos mortis sententia, non ventura sit ad finem, qui dixit, *Quo autem die comederitis, morte moriemini.* Nec hoc solùm, sed etiam cum eo quòd morte carebunt, eorum aperientur oculi qui priùs non rectè videbant, ea autem quæ dicitur apertione ad mortem dederunt aditum? Cum præcedentibus autem dubitationibus hæc quoque coniungam. D Quomodò rationis expers & fera bestia audiuit vocem Dei, quando ei horrendam effatus est execrationem, quam accipiens videtur in sua persona Deo astitisse; Siquidem rectè dicit vox Theologica; *Deum nemo vidit vnquam*, neque Dei vocem auris excepit corporalis, aut vnquã audiuit? Hoc enim ex voce Domini in Euangelijs omnes accepimus. Rursus ergo ad me veni, ô fili, iubens valere literam quæ occidit; & quænam (te quidẽ ipsa) fuerit Dei operatio de Serpente qui dicitur, & de ligno & muliere, & quomodò se habeat natura, & quomodò res gesta sit ab initio, relinquendum est soli Deo qui ea & fecit & dixit, & nouit. Quæ autem diuini Interpretes de his sunt Philosophati, & quomodò de Christo & Ecclesia præclarè & admirabiliter fuerunt præfigurata, dicam fretus ijs qui dixerunt: *Qui autem potest capere* E *capiat, & qui habet* sancti Spiritûs *aures audiendi, audiat.* Res quædam artem omnem superans, & Deo propemodùm similis informisque, & non materialibus membris ineffabilis pulchritudo quæ ad Dei imaginem facta fuit nostra anima ratione prædita & immortalis, à superessentiali essentia, effecta essentia ex non essentia, sumpta erat. Rursus erat similitudo, & simulachrum, & ex aduerso respondens splendor informis Idearum. Principis & formas faciens Dei diuino facta munere. Hæc ergo & imago & similitudo eius qui est super imaginem & similitudinem, & apparuit & fuit appellata. Quam qui dicitur Serpens, vt intelligens intelligentia, cùm vidisset intelligentem nudam tanquàm reginam tunc Virginem, puram, intactam, in-

Adami peccatum maius quàm Euæ.

Anastasij obiectiones, quòd non fuerit Serpẽs qui loquebatur cum Eua.

Anima humana descripta.

Serpens, nẽpe Diabolus inuidia.

corruptam iuuenculam, Dei sponsam, corona redimitam (tanquàm in quodam thalamo) diuino amore A stipatam, in mystico arcano & cui non est vir admixtus, Paradisi cubiculo residentem; cùm esset infœlix exterminatus, & ab axibus cœlestibus exturbatus. Postquàm sic vidit formam & naturam nostram & diuinis manibus formatam, & diuino Spiritu animatam, & vniuersæ quæ est sub Sole creaturæ Reginam constitutam; non ferens honoris nostri altitudinem, æmulatus est sceleratus, inuidit, angore & dolore est affectus, stupuit & admiratus est pulchritudinem, gloriam, potestatem, virtutem, formam, Deo similem visionem, & decorem. Cùmque omnia speculatus esset ac lustrasset, vt qui sit simul & malignus & inuidus, fraude sua valuit mulierem à viro seducere, eámque cum accepisset seorsum agentem ac separatam, decepit; spem vanam, & inanem ei suggerens, sicut iam priùs dixi. Suggerebat enim fore B vt per esum mulier fieret Dea, vt quæ euaderet Deo similis & collum non ampliùs flecteret ad Deum adorandum; sed par Deo esset, cognoscens omnia bona & mala, sicut Deus. Hac spe inani phantasticam mulieris animæ facultatem in altum extollens ac suspendens eam decepit, & in errorem induxit. Mulierem autem nunc dico Euam: Serpentem autem eum qui dicitur sapientior omnibus quæ fecit Dominus Deus, quæ sunt in terra sed non etiam quæ in cœlis. Hæc mihi intelligantur congruenter literæ veli exterioris & corporis Scripturæ, ne porcis & canibus (nempe hominibus qui delectantur vituperationibus) demus ansam; qui dicunt hæc non fieri ad literam. Qui autem à Paulo sunt eruditi, qui ad Christum & Ecclesiam reducit omnia C quæ sunt in Lege, & maximè quæ scripta sunt de Adamo & Eua; comparent spiritualia cum spiritualibus: Lex enim est spiritualis. Perspicuum est autem quòd etiam quæ sunt in Lege: Omnia enim priùs sunt descripta ac præfigurata de Christo. Ergo & Paradisus, & ligna, & fructus, & Adamus & mulier, & ad eam accessus, & de ipsa victoria, & Serpens, & cibus, post historiam quæ est ad literã, de Christo & Ecclesia præfigurata fuerunt & adumbrata in Scriptura. Nam humana quidem aliquando natura erat ab initio veluti Dei coniux, eum agnoscens & colens & ab eo inseparabilis, tanquàm Eua quæ dicitur mulier & vxor Protoplasti, Deum indiuiduè desiderans. Id testatur Abel dona Deo offerens, D Lamech (sicut Adam) de Christo tanquàm Propheta prædicens. Seth, eius imaginem qui ad imaginem factus erat, renouans. Enos qui cœpit inuocare nomen Domini. Enoch qui primus tanquàm Deo placens priùs descripsit ac figurauit resurrectionem, immortalis effectus & à Deo translatus. Mathusala Enoch filius. Lamec eius nepos qui genuit Noë Christi figuram & dixit; *Iste nos faciet quiescere ab operibus & afflictionibus nostris, & à terra quam execratus est Dominus Deus.* Noë, quem virum esse perfectum & iustum testatus est Dominus, qui etiam cum placauit ne totum simul interiret genus humanum Vt etiam fecit Dominus, tanquàm homo Patrem recõcilians pro hominibus. Quandiù quidem tales habuit filios & fructus quæ dicitur Adami humana Ecclesia, priusquàm corrupta esset terra ab idololatria, libidine E ac luxuria, & furore in fœminas; re vera cum viro suo erat nuda Deo: neque ambo erubescebant, sed liberè ac confidenter in Deum erat affecta, vt quæ peccato non esset obnoxia. Ea ergo sic affecta & lætante cum viro suo; emulatione motus ad eam accessit Serpens. Serpentem autem audiens, per corporalem Serpentem, intellige Draconem illum desertorem quem Deus apud Iobum dans responsa sic nominauit; Iste est enim qui decepit Ecclesiam: Dixit enim Serpens mulieri omnino non bona nempe Ecclesiæ. Si autem ad literam solùm audis quæ dicuntur de Serpente & muliere; oportebat vtrosque simul aggredi, & multò magis virum. Si Spiritualiter autem solùm intelligas, non oportebat solùm attingere, nempe Christum. *Adam enim non fuit deceptus*; vt qui esset typus Christi; *Mulier autem fuit decepta*, nempe hominum natura, Ecclesia. Est autem adnotandum quòd mulierem separatam; & à viro suo (nempe Deo) procul remotam inuasit, & decepit eam Serpens: nec eam potuit decipere quandiù vidit eam à viro suo non separatam. Illinc autem licet apertè discere, quòd ad Christi referuntur Ecclesiam quæcunque sunt huius mulieris. Non inuenimus enim omnino Adamum cum Serpente esse collocutum. Vnde etiam à Deo rogatus cur comederit, non dicit; *Serpens me decepit*; sed, MVLIER MIHI *dedit, & comedi.* Mulier autem dicit Deo; SERPENS *me decepit, & comedi.* Rursus autem in execratione Serpentis, de homine eum nihil criminatur Deus, sed de Muliere: Et ideò dicit ei; PONAM INIMICITIAS *inter te & Mulierem.* Et cur non etiam inter virum? Nam quod attinet ad literam, amicos esse vult Virum & Serpentem, dicẽs; PONAM INIMICITIAS *inter te & mulierem*, quæcunque ea sit, sed non inter viros: vt quãdo ipsum quoque Christum dicit *ex semine Dauid secundùm carnem*, & quod *semen Abrahæ apprehendit*, etiam si non esset ex semine Viri, sed ex carne mulieris (& sola) carnem suscepisset ineffabiliter & incõprehensibiliter. Etenim somnus ille Adami & ecstasis seu excessus eiusmodi vt nihil videret in fingenda costa ex eo sumpta; priùs fortè describebat omnis viri ignorationem, & à Deo verbo susceptæ carnis incomprehensibilitatem. ET DIXIT Serpens mulieri. Protinus quærendum est in ipsa atida dictione, quãnam de causa, præter omnia animantia & volucres, Serpentem appellat aduersarium, & Ecclesiæ insidiatorem? & dici potest quòd multæ Serpentis proprietates assimilantur Diaboli machinationibus: Et primum totius eius corporis deiectio in terram. Omnis enim natura animatorum & inanimotum habet aliquid quod sursum fertur, ad superna motum habens & augmentum, præter solum Serpentem. Nam idipsum quod super terram graditur, ostendit quòd suam prudentiam, & cor suum sua sponte conculcat, nihil penitus excelsum & cœleste sentiens aut cogitans. Quamobrem sæpè suam exuit formam sicut Serpens exuit *transformatus in Angelum lucis*, tanquam mutans à prisca prudentia. Hinc etiam venenum letiferum per os & inania consilia immittit in animam, & vitæ extremorum obseruat calcaneum, & ad insidiandum in semitis hominum semper insidet vt impediat nostros ad Deum gressus; Et ideò effecit Deus vt venaretur & perimeretur sapientum incantationibus & precibus. Porrò autem quòd sibilant & euocant quæ in aqua & spiritu gignuntur animantia, habentia formam & figuram Serpentis, ad coniunctionem & ad coïtum; admodum appositè dici potest de maligno Dracone. Non potest enim eos suo satu impertiri, donec ipsos ab aqua & Spiritu separatos in aridam eduxerit, non valens ipse seipsum aqua & Spiritu tingere, vt qui sit inimicus & ab eis alienus. In hortum autem seu pomarium, dicit quãtùm capi potest, ingressum esse inimicum bellaturum aduersus mulierem quæ dicitur; priùs significante Scriptura, quòd in hominis hortum seu pomarium in vltimis temporibus ingrediens ipse Draco Apostata seu defector tanquàm Antichristus & Christi aduersarius per cibum rursus decipiet Ecclesiam ad hoc vt ipsum & non Deum adoret tanquàm Deum. Quodquidem fecit etiam in Eua, vt dixerunt qui in iis rebus sunt exercitati. Quod (inquiunt) ante omnia comedit Ecclesia, in eo ante omnia peccauit Ecclesia cui dicebatur de Serpente; Ipse obseruabit calcaneum tuum, & tu obseruabis eius caput. Quòd autem calcanei obseruator & calcanei persecutor sit Antichristus, ipse nos docet Moses in hoc libro Genesis, Leonem appellans Christum in benedictionibus Iacobi. *Catule Leonis Iuda, ex germine fili mi ascendisti*, & quæ deinceps sequuntur. In Deuteronomio autem, in benedictionibus Mosis quas prædixit duodecim Tribubus, tanquam Christi aduersarium

Serpens suggessit mulieri quod fieret Dea.

Lex est spiritualis, & ea quæ sunt in Lege.

Humana natura erat ab initio veluti Dei coniux.

Enoch translatus præfigurauit Christi resurrectionem.

Noë figura Christi Gen.

Ecclesia quomodò cum viro suo erat nuda.

Serpẽs, Draco Apostata.

Adami somnus significat incomprehensibilitatem carnis à Christo susceptæ.

Serpẽtis multæ sunt proprietates, quæ assimilantur Diaboli machinationibus.

2. Cor. 11.

Serpentes sibilantes euocant animãtia ex aqua & Spiritu, & quid significet.

Antichristus sicut Serpens, per cibum decipiet Ecclesiam.

Gen. 49.

Deut. 33.

sarium introducens Antichristum Prophetice diuinus Moses, similiter etiam ipsum Christum appellat catulum Leonis, nos docens & Tribum & locum vnde nascetur: Cùm autem venisset ad Prophetiam Tribus Dan, dicit; *Catulus Leonis Dan*, &, *exiliet ex Basan*. Basan autem quidam dicunt esse Scythopolim, quæ est propinqua Galilææ; vnde etiam Christus processit secundùm carnem. Locum autem tibi nunc ostendit Antichristi necessariò, vndenam habeat exitum & motum; quādoquidem ante eius aduentum eius deceptio multos homines præueniens decepit, dicentes quòd ex quodam pago Leuchusi nascetur Antichristus. Hic autem fuit astus & machina Diaboli, vt homines hunc ex Ægypto expectantes credant & excipiant illum qui nascitur ex Galilæa, eum tanquàm Christū adorantes, qui planè est Planus & Antichristus. Restat ergo vt nos ex Iacobi quoque prædictionibus congruenter ostendamus, ex Tribu Dan procedere Antichristum & serpentem mordentem calcaneum equi, qui ita appellatur vt qui nunc in paradiso nobis proponitur. Patriarcha enim cum Christo disserens sic dicit de Dan: *Dan iudicabit populum suum sicut Vna Tribus in Israël, & fiet Dan Serpens in via sedens in semita mordens calcaneum equi, & eques cadet retro expectans salutem Domini*. Ecce habes apertè Serpentem & calcaneum sumi de Antichristo, & ostendere tibi casum eorum qui mordentur ab ipso; per quem primos quoque parentes, Dan, deduxit ad impietatem. Nam etiamsi conuenienter ipsi dictioni hæc facta essent; in Paradiso visus esset Deus Adamo & mulieri in figura, & cùm eis disseruisset: Sed vt qui non possent ipsum videre Opificem, hinc accepta occasione malignus Dæmon decepit mulierem ei suggerens Deum esse eiusdem generis & eiusdem simul essentiæ cuius ipsa esset, conuenienter formæ & figuræ quàm ipsa videbat. Et ideò dicit ei. QVID, *quod dixit Deus, Ne comedatis ex omni ligno quod est in Paradiso?* Hinc est perspicuum quòd ante omnem esum, hæc Serpens loquebatur cum muliere; Hoc est, cùm ieiuna esset Ecclesia ab omni peccato & idololatria: cum qua tanquàm cum muliere aliqua in initio malignus Serpens & Draco defector dolosè disserens & colloquens, & ad impiū multos Deos colendi errorem volens seducere, dicebat quinam sint ij qui in initio ipsum malum Dæmonem adorârunt, & Deum reliquerunt. Quid quod dixit vobis Deus ne comedatis ex omni ligno quod est in Paradiso? Hoc est; Ne adoretis omnes creaturas & me; sed ei soli ostendatis adorationem & cultum. Deinde cùm dixisset mulier; *De omni quidem ligno quod est in Paradiso comedimus, de fructu autem ligni dixit Deus ne comedite, neque ipsum tangite ne moriamini*, quomodò malignus ille est mortuus. Ad hæc respondet callidus Serpens dicens: MORTE *non moriemini, sciebat enim Deus quòd quo die ex eo comederitis*, & me adoraueritis, *aperientur vestri oculi* per me, *& eritis tanquam dij*, sicut sum ego, *cognoscentes bonum & malum*. Audis: Nō dixit Diabolus, *Eritis sicut Deus*, sed *sicut Dij*; eos docens & inducens ad errorem cultus multorum Deorum. Vnde etiam eis Deum accusat inuidiæ. Vobis, inquit inuidet, ne vos quoque efficiamini sicut ipse, Dij cognoscentes omnia; & ideò iussit vobis ne comedatis de ipso fructu meo; neque me tangatis neque me adoretis. Ei enim qui me adorat, de cognitione bonorum & malorum, do sapientiam inferiorem, astrologiam, diuinationem, veneficium, prædictiones, præcognitiones, prodigiorum effectiones, incantationes, bestiarum obedientiam, volucrum ministerium, iumentorum transformationes, rerum sublimium scrutationes, ignis deiectionē, pedestrem gressum super aquas, abyssi cōsiderationem, Serpentum interemptionem, thesaurorum reuelationem. His & eiusmodi alijs innumerabilibus promissionibus cùm molestus fuisset mulieri (quæ dicebatur) népe naturæ humanæ, sceleratus Serpens; plurimis annis ei persuasit & inclinauit vt à Deo deficeret & ipsum coleret. Ideo dicit; ET VIDIT *mulier quòd bonum lignum ad comedendum*. Quare apertos habuit oculos, & amauit

Basan Scythopolis.

Antichristus vnde venturus.

Antichristus ex Tribu Dan.

Ad Deorum adorationem induxit Dæmon primos Parentes.

Cognitio quam dat hominibus Diabolus.

cibum seu gustum, quod bonum esset lignum ad comeA dendum: Omnis enim cibus cognoscitur & probatur per gustum. Quamobrem hinc quoque rursus refelluntur qui existimant hæc dici solùm ad literam: *Et vidit mulier quòd bonum esset lignum ad comedendum, & iucundum oculis ad videndum, & pulchrum ad considerandum*. Nam quòd ad corporalem quidem dictionem attinet quæ est in promptu, visum est quibusdam dicere quòd formam quandam supra modum splendidam & stupore plenam mulieri indicauit Malignus quando eam alloquebatur; *seipsum transfigurans in Angelum lucis*, vt dicit Apostolus, perinde ac si diceret; In hac forma & gloria eritis sicut Dij, si fructus mei fueritis participes. Et hac de causa, inquit, dictum est illud; *Et vidit mulier Lignum quod iucundum est oculis ad videndum, & pulchrum ad considerandum*: An autem hæc ita habeant, non habeo quid dicam.
B *Et accipiens de fructu ipsum comedit, & dedit etiam viro suo, & comedit*. Atqui nondum erat vir eius, neque ipsa eius mulier. Cur autem non ambo simul comederūt, sed mulier primùm: deinde vir cùm ab ea accepisset, & non cōtradixit, neque exclamauit, neque omnino in eā infremuit vt quæ nō obedüisset mādato Dei? Hæc ergo hoc modo se habeut. Cōuenit ergo malignus Dæmō primū Ecclesiā; molestia affecit, persuasit, decepit, accepit & cōprehendit fructum mali esūs, adorauit malignum tanquàm Deum: Deinde cùm comedisset, reuersa est ad virum, dimisit Serpentem. Cùm ea ergo rectè esset reuersa ad eum quem male reliquerat, vir eam excepit quam valde quærebat, & tanquàm prodigam excepit. Non est conquestus, non increpauit, non exprobrauit, non contuC melia affecit, non repulit: sed cùm ab ea, vel potius pro ipsa accepisset fructum ligni, prompto & alacri animo cum gustauit. Fructum ligni intellige mortem Christi in Cruce; quam pro Ecclesia, tanquàm pro vxore sua ab ipsa accepit, & triduo gustauit, vt pro omnibus gustaret mortem, congruenter voci Pauli. Quam quidem mortē & cibum tacitè significabat illud acetum & fel quod in horto & ligno Golgotha gustauit qui in omnibus ad similitudinem Adami factus est præter solum peccatum. Si enim omnia nostra ad similitudinem Iesus sua sponte sibi accommodauit, est omninò perspicuum quòd tētatione quoque quā à Diabolo statim post baptismum voluntariè suscepit ad similitudinem Adami tentatus est intentabiliter. Vide enim in vtrisq; rerum sibi ex aduerD so respondentes imitationes & exempla, hoc te apertè docētia, & quòd quomodò priorem Adamum per Euā adhortatus est ad idololatriā; ita etiam secundo Adamo per carnem, causam quidem admouit & irruptionē, sed scopum non attigit. Ad eum autē qui contradicit refellendum, sufficit rerum veritas quæ hoc modo se habet. Cùm primum enim generatus fuit primus Adam; per Coniugis eius costam (nempe Euam) cum aggressus est Satan, & cum primùm secūdus Adam (nempe Christus) veram ostendit regenerationem sui baptismatis per suā coniugen, eum tentare aggressus est Tentator. Primus Adam habuit Dei insufflationem; Secūdus, spiritum ex cœlo. Rursus in medio plantarum fuit tentatio Adami in fonte Edem; & secunda tentatio, in Monte Oliuarum
E in medio arborum Christo est exhibita surgenti ex fonte Iordanis. Primus homo tentatus est cùm esset in medio bestiarum: Similiter etiam de Christo dixit Marcus, quòd erat cum bestiis in deserto tentatus. Cùm in Paradiso ieiunaret & nihil adhuc comedisset homo, Diabolus per cibum exercuit tentationem: Similiter etiam ad Christum cùm ieiunasset quadraginta dies, per cibum accessit Malignus dicens; *Dic vt lapides isti panes fiant*. Illic dixit Serpēs; *Eritis sicut Dij*: Et huic dixit; *Si filius Dei es, dic* hæc & illa. Prima tentatio fuit per interrogationē & cōtrarias obiectiones à muliere & Serpente: Similiter etiā Domini tentatio secuta est cōtradictoriè inter ipsum & malignum Dæmonē. Si hæc ergo omnia similem habēt typum & figuram in primo Adamo & in Christo, de cętero ne dubites sed certò scias quòd id quòd Christo est

2. Cor. 11.

Fructus ligni est mors Christi in Cruce, quam gustauit pro Ecclesia.

Heb. 2.

Christus tentatus intentabiliter. Christi & Adami inter se collatio.

Marc. 1.

Matth. 4.

oblocutus dicens, vt *cadens* adoraret ipsum malignum Draconem; hoc erat quod mulierem Ecclesiam in principio est adortus, & persuasit, & decepit. Vnde etiã cùm probris hominem insectaretur Deus, postquã eum induit tunica pellicea, de cibo, ei crimen non intentat sed de diuina visione & defectione, dicens: *Ecce factus est Adam sicut vnus ex nobis vt cognosceret bonum & malum*, dicẽs, Adamum, Mundi hominem in genere. Ita enim existimabant seipsos esse Deos, tanquàm Saturnum & Iouẽ, & Mercurium & Apollinem, & Herculem & Serapin, & Dianam & reliquos illos nibil minùs quàm Deos. Quibus admodùm appositè cõuenit quod post malum illum esum Protoplastorum dictum est: Nam *cùm comedissent*, inquit, *aperti sunt eorum oculi, & cognouerunt quòd nudi erant* à re quam existimârunt se esse consecutos, cognouerunt autem quòd aberrarunt à re quam expectarunt se esse assecuturos. Cognouit tandem Ecclesia & omnis homo qui eius errori adhæsit, quòd fuerunt decepti à maligno Serpente & cæcutiebant putãtes se esse Deos.

Ioh. 1.

Quando autem illuxit *lux vera quæ illuminat omnem hominem, aperti sunt oculi* animæ *eorum*: & cognouerunt quòd priùs erant nudi & miseri. Est enim adnotandum quòd non dicit; *Sunt nudi*, sed quòd *erant prius* (in tempore prætérito) excutientes idololatria.

Nudatio duplex.

Alia est ergo prima eorũ nudatio; hoc est, à bonis alienatio: quamobrem nec tũc erubescebant: Alia autem est ea quæ nunc dicitur nudatio; nempe à Deo excidisse. Qui autem ad literam solùm audiunt quæ scripta sunt de Paradiso, & fructibus, & lignis, & cibo, & Serpente, & visûs recuperatione; incidunt in exitiosam Manichæorum & Ophitarum impietatem.

Ophitarum & Manichæorum impietas.

Illi enim Serpenti tanquam benefactori maximas agunt gratias, dicentes quòd per Serpentem nobis accessit cibus: Per cibum, recuperatio visus: Per eam deinde, nuptiæ. Per nuptias autem, Mundus: Propter hominem autem aut peccatum, Deus homo factus est: Hinc cœlorum regnum & bona æterna quorum autor & conciliator fuit nobis Serpens.

De Christo & Ecclesia, intelligenda sunt quæ dicta sunt de Paradiso.

Ergo ne nos quoque incidamus in eorum impietates, Propheticè intelligamus de Christo & Ecclesia quæcunque historicè scripta sunt aut facta in Paradiso, quædam temporalia temporum interualla in vnoquoque eorum diuersè intelligentes, etiamsi maximè omnia illa audiamus tanquàm facta in vno tempore.

Diuersa considerãda sunt tempora eorum quæ facta sunt in Paradiso.

Aliud est enim illud tempus quando erat Ecclesia non erubescens, vt quæ nuda ab omni peccato esset cum suo viro; & aliud rursus tempus quando laxis habenis viro relicto consuetudinem babuit cum Serpente, & facta est adultera. Aliud rursus fuit tempus, quando dimisso Serpente & ei veluti renuncians, reuersa est ad priorem virum & spiritualem Adamum. Hoc enim fuit tempus quando cognouit & agnouit se esse nudam & inornatam & deformatam. Hoc fuit tempus quando vir eam suscepit, & cum ea fructum ligni gustauit, pro ea morte affectus & resurgens à mortuis. Quoniam autem nunc à me verba fiunt ad Ecclesiam, non autem ad Iudæos; audi Fidelis, & fidem habe tanquam Fidelis, videns indiscriminatim omnia quæ sunt in Paradiso, non videntes suam nudationem Protoplastos, deinde comedentes aliquam à Serpente escam, & per ipsam visum recuperantes. Veni de cætero à typis ad rerum veritatem. Euertens enim Christus illam amborum nuditatem, & curans cæcitatem, & abolens malam illorum escam, per quandam benedictionem, & à proprio casu eos excitans, & reducens eos videntes vnde exierunt non videntes; audi quid facit postquàm surrexit à mortuis.

Cum Cleopha ibat Lucas in Emaus vt dixerunt Mystæ.
Luc 24. b.

Cleopha enim, & qui cum eo erat Luca (vt dixerunt Mystæ) ad Emaus ab Ierusalem, sicut Adam & Eua, separatis, & lucem veram non videntibus, *Iesus appropinquans ambulabat cum eis: & oculi eorum adhuc tenebantur ne eum agnoscerent*. Atque hic quidem fuit videndi defectus; audi autem etiam quæ deinceps sunt secuta. *Factum est autem dum ipse recumberet cum eis, accipiens panem benedixit*. Ecce benedictio pro execratione. *Et frangens dedit eis, Eorum autem aperti sunt oculi, & agnouerunt eum.*

A Ecce habes escam: habes etiam per escam visus recuperationem, & Dei agnitionem quem per escam ignorauerunt Protoplasti. Deinde quid fit post sumptam escam? *Surgentes ipsa hora reuersi sunt in Ierusalem.* Ecce etiam à casu excitatio: Ecce etiam pulchra ab errore reuersio. Primùm comederunt, deinde sic sunt reuersi. Postquàm autem Eua primùm comedit ex fructu; deinde ad Adamum est reuersa, & eum fructu impertiit & comedit. Sed *Adam non est deceptus*, hoc est, Christus: sed simul accubuit, volens vt surgeret quæ ceciderat. Tu autem adhuc immorans in litera, considera etiam ipsorum actionem; & quære, quis eùm esset Adam, quid factus est post transgressionem.

Adam erat lucidus ante transgressionem, post transgressionem, tenebrosus & ater.

Erat enim totus lucidus & deiformis, & imago

B quædam (vt ita dicam) Deo similis. Post inobedientiam autem factus est tenebrosus & inornatus; atrum peccatum omnino indutus. Hæc ergo euenerunt primis Parentibus. Et Dauid posteà deflens dicebat; *Dies diei eructat verbum, & nox nocti annunciat cognitionem.*

Psalm. 18.

Adhuc, inquit, tanquàm dies lucidi erant primi Parentes, quando (cùm ex ligno nondum comedissent) verbum consilij Serpentis à muliere ad virum nondum transibat, & sub intelligentiam cadentis Solis radios penitùs induti erant *tanquàm vestimentum*. Sed quando ipsa persuasa comedit; etiam nocturnas peccati tenebras induit, tanquàm nox videlicet offusa tenebris, neque sciens quid viro consulat; qui ipse quoque factus est *nox* parem ignorantiam, *& annunciat cognitionem*, nempe id quod cognosci potest boni & mali, ei tradit an-

C nuncians. Sed est etiam aliter considerandum. Nam antea quidem, quandiù priusquàm comederet tanquàm dies erat lucida, verbum annunciauit; nempe grauiter ac seuerè: de voluntate enim ad peccandum non sinebat Euam longiori vti oratione. Quando autem malum fuit peractum, & suum fruendo impleuit desiderium, & sedata est satiata libido; tunc annunciauit cognitionem. Ecce, inquit, nudati sumus ex plantę virtutibus & qualitatibus. *Aperti* enim *sunt* mentis *eorum oculi*, & cognouerunt ad quod malũ deuenerunt, & quęnam passi sint se inter se docentes. Sic mihi placet intelligere omnia quæ scripta sunt de Paradiso & Protoplastis. *Pro Christo* enim *fungor legatione* & pro mea germana matre, Eua Ecclesia vitæ, quam defendo aduersus Iu-

D dæos & Hæreticos, Fideli populo trophæa erigens & statuens; & his intelligentijs & contemplationibus quæ dictæ sunt per vniuersum hoc opus sex dierum, fidelis populus fit armatus contrà aduersarios: neque erit opus aduersus eos potentioribus trophæis aut armis; non Mosaïcis, non Propheticis, non Dauidicis. Hæc enim *arma nostra militiæ, non carnalia*, nec fragilia, sed Deo potentia ad destructionem propugnaculorum aduersariorum destruentium eorum cogitationes, & omnem altitudinem quæ extullitur aduersus cognitionem & fidem Iesu Christi veri Dei nostri; Cui gloria & potentia simul cum Patre & sancto Spiritu, in sæcula sæculorum: Amen.

E *EIVSDEM LIBER VNDECIMVS.*



IAM quidem à nobis paulò antè est ostensum, quòd ante esum apertos habebant oculos. Dicere enim quòd *vidit mulier quod lignum esset bonum ad comedendum*, ostẽdit eam acutè videre. Nec hoc solùm; sed hoc quoque dicere quòd iucundum est ad videndum, & pulchrum ad contemplandum, per has tres dictiones planè dicimus perspicacem aciem curiosámque & certam euidentiam lucidæ oculorum visionis. Vnde etiam Symmachus pro, *aperientur*, posuit, *fient intelligentes*. Similiter & pro *aperti sunt amborum oculi*, dixit, *intelligentes facti sunt*: hoc est; facti sunt sapientes, & ad agni-

agnitionem suæ nuditatis venerunt oculi animæ eorum. De quibus Propheta regius quoque Deo, vota (A) fundebat, dicens; *Reuela oculos meos, quoniam lumen oculorum & ipsum non est mecum, Sed illumina oculos meos ne vnquàm obdormiam in morte.* Peccati ergo agnitionem & cõsensum ad conuersionẽ, intellige aspectum oculorum. Est enim diligenter & accuratè adnotandum, quòd cùm mulier esset prope Serpentem & separata esset à viro ipsa prima comedisset ex ligno, nõ statim respexit donec conuersa fuit ad virum. Cùm autem accepisset & comedisset spiritualis Adam; hoc est, passus esset Christus; tunc per eius passionem cum ipso respexit mulier. Si autem res non sic intelligis, oportebat mulierem, cùm prima comedisset. Primam respicere. Videamus iam ea quæ deinceps sequuntur. Et *cognouerunt quod erant nudi, & consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi subligacula.* Cùm in priori (B) nudatione dixisset Scriptor eos non erubuisse, nunc dicit quòd alterum alterius pudebat, consequens enim erat hoc dicere. Cùm autem ad nuptialem nondum coissent coniunctionem, neq; scirent propter quam causam partes genitales apud eos sunt diuersa figura (nempe mascula & fœminea) cuiusnam pudore affecti, ex folijs ficus consuerunt subligacula? Nam si volebant tegere corporis nuditatem, multa aliarum plãtarum folia ad eum vsum sunt sua natura accõmodatiora & vtiliora, cuiusmodi videmus folia Palmarum Indicarum: Non tamen renuimus, neque corporalem ipsius diuinæ Scripturæ historiam dissoluimus. Rursus autem quærimus quomodò hæc è ficu nata subligacula de Christo & Ecclesia sunt præfigurata; siquidem facta sunt omnia per ipsum & ad ipsum respicientia. Et *consuerunt folia ficus,* (C) *& fecerunt sibi subligacula, & audierũt vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso in meridie.* Est cõmune, & contrà quòd nihil dici potest, dogma; meridiẽ sexti illius diei hebdomadis creationis, tacitè significare ac describere mediũ sexti diei Sæculi, nempe quinquies millesimũ & quingẽtesimum annũ in quo Dominus Deus homo factus est. Tempus ergo quod est ante meridiem significat cultum legitimum Synagogæ, vt qui habeat folia ficus, nempe sermones quosdam infrugiferos, & præcepta moderatè quodammodò prurientia & in superficie quodammodo radentia sordida hominũ vulnera: nã folia ficus placidè quodammodò radunt sordes vasorum, per mediocrem quæ est in eis asperitatem. Sed & naturæ nuditatem & (D) turpitudinem contegunt per Circumcisionem. Quapropter etiam circa illam partem quæ suscepit Circumcisionem, posuerunt primi nostri Parentes subligacula ex folijs ficus: Hoc fortè, ostendente exemplo, quòd in vespera diei creationis Sæculi cooperietur quodammodò & delebitur Circumcisio per velum pelliceæ tunicæ Christi. Sunt enim folia vmbræ efficientia. *Lex* enim *habuit vmbram* præceptorum Christi. Nam sub folijs tegebatur fructus Christi in Scriptura Iudæorum, qui ab eis non videbatur propter operculum cordis & velum foliorum verborum exteriorum. Vnde etiam est contrarius folijs Sol iustitiæ, ea exsiccans & emundans, & maximè folia huius ficus. Etenim ficum (E) sæpè appellat Dominus infrugiferum cultum Synagogæ, cùm eam quidem aliquando visitasset per triennium, & eam aspexisset nullum afferre fructum, & iussisset agricolæ vt eam exscinderet ne terram occuparet otiosam. Cùm autem postremò rursus venisset iustitiam sitiens, & accessisset ad ficum (nempe Ierusalem) & non inuenisset nisi folia, ex quibus erant etiam illa subligacula; eã exsiccauit dicens: *Non amplius ex te nascatur* peccati *fructus in æternum.* Quoniam autem *iota vnum aut apex vnus non transibit ex Lege donec omnia fiant* in Christo, considera rerum consequentiam. Comedit Adam cibum mulieris insidiatricis, Deinde seipsum succinxit subligaculo postquàm comedisset; Deinde comedit & latuit sub ligno in Paradiso, & fuit quæsitus; & cætera quæ sequuntur. Sic etiam Christus sæpè comedit cum suis Discipulis legalem cibum insidiantis synagogæ, & etiam quando Serpens Iudas fecit proditionem collocutus cum adultera Synagoga: Deinde postquàm comedisset, surgens ex cœna Adam spiritualis, succinxit se subligaculo lintei: Deinde sua sponte fugit in hortum, & fuit quæsitus, & egressus est ex horto. Ego autem miror cæcitatem Iudæorum, propterea quòd Scriptura est adeò exacta & accurata. Etenim de Adamo scriptum est quòd seipsum accinxit; Similiter etiam de Christo. Si autem vis videre eum etiam in horto nudum, & linteo solùm succinctum; vide eum in Golgotha, subligaculo tantùm succinctum pendentem in Cruce, suprà Adæ cranium, pro Adamo & Eua patientem, de quibus dictum est; *Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso meridie, & latuerunt Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi, & vocauit Dominus Deus Adamum & dixit ei, Adam vbi es? Et dixit ei, Vocem tuam audiui deambulantis in Paradiso & timui quia nudus sum & latui: Et dixit ei Deus:* Quis tibi annunciauit quòd sis nudus, nisi ex ligno, ex quo solo tibi mandaui *ne comederes, ex eo comedisses?* Fortasse non est alienum, quod illæ dixerunt, Maria & Salome & Ioanna quærentes eum qui latebat in Paradiso Golgotha sub ligno, nempe nudum Christum Adam quem vocauit & eduxit Dominus Deus ex latebris, excitans eum ex mortuis secundùm carnem; hoc nos quoque dicere de hoc Adamo qui latebat in hoc horto in medio ligni, quem quærens Deus suscitare in meridie, ad ipsum aduenit. Illæ enim, nempe Maria Magdalene cum duabus alijs dicebant; *Quis reuoluet nobis lapidem* vt videamus eum qui intus latet? Similiter idem mihi quoque succurrit dicendum in propositis & non contemplabilibus mysterijs huius litteræ, & veluti magno quodam lapide opertis, nempe obscuritate; Quis nobis reuoluet caliginem litteræ, vt intra nubem & diuina hæc adyta, in Sancta sanctorum intuentes, videamus occulta huius mysterij Orgîa, quæ quidem perspicua Orthodoxæ fidei rectitudine non comprehenderimus, si historicè abducti fuerimus à dictionis & crassitudine? Deus enim qui implet cœlum & terram: Qui dicit; *Non videbit homo faciem meam & viuet;* Quomodò personali præsentia, & locali simul vadens transitu, & vocis edens sonitum, in meridie accessit ad Adamum? Quanam autem de causa eum puduit nudum conspici à Deo, cùm statim ab initio nudus à Deo fuisset factus & apertus? Ignorabat ne Deus qui sciebat omnia ante ortum eorum, locum in quo latebat Adam & ideò exclamauit; *Adam vbi es?* Quod est autem admirabilius; cur non vocat vtrosque; & multò magis mulierem quæ fuerat decepta? *Adam enim non est deceptus, sed mulier fuit decepta.* Quomodò autem non cernitur Deus omnino fuisse locutus cum muliere ante transgressionem? Quoniam ergo est magna & comprehensu difficilis super omnia quæ priùs dicta sunt vera eorum quæ sunt proposita; consideratio, non solum ijs qui sunt nostris temporibus, sed etiam ijs qui multis antè sæculis à Deo fuere afflati, & in ijs sunt pulchrè versati, sicut etiam dicit Adamantus Christi indagator; hæc quoque ad aliorum similitudinem precemur, vt accipiamus digitum qui tetigit oculos Cæci ab ortu. Quiquidem Dominus Adamus statim ab ortu fuit immortalis, vt qui fuerit occulatus à Dei lumine, vt cùm tetigisset nostros animæ oculos, diceret; *Effeta, quod est, Adaperire.* Nostri enim oculi tenentur ne apertè agnoscant; quomodò Propheta quidem Moses vel potiùs Angelus qui loquitur in ipso, per omnem actum qui est in inobedientia, & peccatum ligni, communes facit & coniungit ambos Protoplastos, vel potiùs mulierem solam ostendit esse in culpa. Ipsa est allocuta, Ipsa est decepta, Ipsa comedit, Ipsa viro dedit, Ipsa ei est insidiata, Ipsa fuit causa peccati, nuditatis, timoris, subligaculorum, fugæ, absconsionis à Deo, pœnæ,

Psal. 128. Psal. 37. Psal. 12. — *Aspectus oculorum est peccati agnitio.*

Cõuersio mulieris ad virũ quid significet.

Subligacula è ficu quomodò intelligenda.

Ficus significat infrugiferum cultum Synagogæ. — *Matth. 21.* — *Matth. 5.*

Christo conueniunt quæ ab Adamo facta sunt in Paradiso.

Christus suprà Adami cranium patitur pro Adamo & Eua.

Marc. 16. Reuoluere lapidem de ostio monumenti, quid sit.

Exod. 33. — *Matth. 7.*

Sola mulier prima est in culpa transgressionis.

execrationis, mortis, & vt semel dicam, malorum innumerabilium. Et cùm hæc ita habeant; quomodo Deus cùm accessisset illo meridie ad inquisitionem & veluti examinationem eorum qui non obedierunt; non vocat mulierem ad examinationem, non eam grauiter increpat, non ponit omnino in eius pœna execrationem, non dat ei terram ad comedendum, non spinas, non tribulos, non esum fœni, non sudorem vultus, sed neque eam expellit aut exterminat è Paradiso. Non ei omnino reuocat Serpentem in memoriam. Non eam pudore afficit, dicens; Cur decepisti Adamum? Sed cùm ostendisset omnem benignitatem & bonitatem in mulierem quæ ceciderat, pergit ad hominem, & dicit ei; *Adam vbi es? Et dixit; Audiui vocem tuam ambulantis, & latui quoniam sum nudus.* Audi & Adamum respondentem ea quæ Deo conueniunt: Solus enim quæsitus & vocatus, respondet singulariter & non coniunxit sibi mulierem. Non enim dicit, *Audiuimus vocem tuam ambulantis in Paradiso, & timuimus quia nudi sumus, & latuimus,* quod quidem erat verum. Sed mittés accusare suam Costam, seipsum prodit pro ea. Hæc cùm persequerer, Paradisi ciuis Paulus rursus accedens in medium, dixit: *Mysterium magnum est.* Ego autem cum ipso *dico, in Christo & Ecclesia* pro qua se dedit ad mortem. Vnde etiam à Deo vocato vero Adamo, quando dixit, *Adam vbi es?* Non dictum est in scriptura quòd exijt aut venit ad Deum, est enim semper apud Deum inseparabilis Filius. Hæc præmisimus, ora Iudæorũ obstruentes, ne nos audientes omnia Adami ad Christum referentes, existiment eum fuisse sub peccato, & criminationi obnoxium & execrationi. Sufficit enim demonstratio eorum quę nunc dicta sunt, ad persuadendum vel maximè incredulo, quòd quæcunque quidem obiecta sunt mulieri, obiecta sunt accusando: Quæcunque autẽ Adam à Deo audiuit, absq; criminatione seu accusatione, ea de Christo dicuntur se demittendo pro Ecclesia, sibi attribuendo illius peccatum & execrationem & mortem. Propterea enim Deus fecit res Adami diuersas & excelsiores suprà mulierem, vt nos disceremus & doceremur incõparabilem Christi differentiam suprà Ecclesiam. Nam cùm dixisset Deus, *Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram,* nihil eiusmodi dixit de muliere quãdo eam erat fabricaturus ex latere Adami. Et rursus dicens; *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum?* non dicit de ea, *Fecit illam;* sed postquàm dixit de homine, *Fecit illum;* tunc subiungit, *Masculum & fœminam fecit illos.* Similiter etiam in formatione hominis, quando dixit; *Fecit Deus hominem limo accepto è terra & insufflauit in ipsum, spiritum vitæ,* nullam fecit mentionem mulieris. Nam quod attinet ad essentiam, nihil habuit Ecclesia ex diuina essentia, cuius fuit symbolum Insufflatio, priùs significans Dei Verbi ex Patre id quod ex nobis est luteum ingressum, & habitationem in hypostasi. Et ideò non dat Deus mulieri essentialem sui insufflationem, quoniam non est composita mulier ex diuinitate & humanitate, sicut Christus Adam; sed ex vna sola carne, nempe latere humanitatis. Porrò autem in positione quoque & ingressu Adami in Paradisum, non dicit; *Simul ponit cum eo mulierem.* Neque verò in operatione eam facit simul cum eo operari, neque in custodia simul esse custodem. Sed neque ex omni ligno quod est in Paradiso iubetur comedere nisi solus Christus. Sed neque imponit mulier nomen bestijs & volucribus: Ad solum enim Adamum ea adduxit Deus vt videret quid ea vocaret, tanquàm ad Regem & qui erat eis dominaturus. Vnde licet videre, etiam verè hominem tanquàm qui habet potestatem & est Dominus (nempe Christum) vxorem nominantem Ecclesiam, ex ipsa appellantem eius nomen, Vitam. Verè enim viuificat quos generat, nempe baptismate. Et de solo homine, Propheta dicit Deo; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum & constituisti eum* (non autem eos) *super opera manuum tuarum, & omnia subiecisti sub pedibus eius,* & solius, non autem ipsorum,

Ephes. 5.

Quæ mulieri obiecta sunt à Deo, obiecta sunt accusando. Quæ autem Adamo, absq; accusatione. Christi incõparabilis differentia supra Ecclesiam.

Christus, baptismate verè viuificat quos generauit.

Psal. 8.

hoc est: Non amborum, sed solius Adami, in figuram A Christi. Ostendit tibi hanc magnam & incomparabilem differentiam Adami ab Eua, honorémque & gloriam, vt exactè & accuratè discas quando videris hominem in figura Christi se dimittere ad mulierem, & simul cum ea comedere ex ligno; & simul videre, & simul nudari, & simul consuere folia ficus, hoc est, præmeditari & componere, & simul vnire Verbum cum Verbo ad defensionem, & simul audire vocem Domini Dei ambulantis, & timere, & fugere, & latere, & vocari solum ad examinationem, & duras pœnas pro illa suscipere, & solum expelli ex Paradiso, & suscipere sententiam mortis: Hæc omnia quando aspexeris Adamum & agere & sufferre, intelliges Christum (per Paulum) tibi dicere: *Adam nõ est deceptus.* Alio enim modo comedit antiquus B ille in typum Christi, alio autem modo mulier in typum Ecclesiæ. Alio modo est intelligenda Adami visus recuperatio; alio modo, mulieris. Alia est viri nudatio, alia autem mulieris. Aliter timet Adam qui est Christi figura, non deceptus; & aliter timet mulier decepta. Ipsa enim per inobedientiam, sicut Ecclesia; Adam autem (nempe Christus) eò quòd pro ambobus id suscipiat. Hoc modo intelligenda est etiam nudatio quam in Caluaria sustinuit, & fuga. Quamobrem per dispensationem etiam fugit in Ægyptum, & vocauit eum Dominus Deus latentem in Ægypto. Quare dicebat etiam; *Ex Ægypto vocaui Filium meum.* Quòd si vis etiam videre Christum voluntariè timentem pro Ecclesia, audi Euangelistam de eo dicentem; *Et cùm esset in agonia, orauit intensius,* & ideò *fuit tristis vsque ad mortem;* medicans tristitiam mulieris, & pro ea ductus ad passionem. Quo- C niam autẽ meridiem, Dei Verbi aduentum esse paternè dedimus, necesse est omnino videre quomodò etiam de homine communi (qui est veluti quidam Adam) & de eius coniuge Ecclesia, priùs sunt descripta proposita Paradisi mysteria, & finem acceperunt in nobis. Cùm ergo comedisset mulier quæ dicitur, ex malo impietatis fructu ligni; stans prope Serpentem tanquàm esset eius vxor, deinde ei renunciasset, vt iam dixi antea, & ad maritum esset reuersa, non inuenimus eam ampliùs appropinquasse aut cũ Serpẽte omnino esse locutam. Omnia ergo quæ fuerunt post eius conuersionem ad Adamum (hoc est, Christum) intelligere oportet bona & tunc præfigurata ad Ecclesiæ beneficium, & cuiuslibet homi- D nis qui est eiusdem cuius ipsa generis. Oculorum quidem visus recuperationem, Christi veræ lucis agnitionem: Nuditatis autem tectionem, initium sensus ad correctionem. Nam sapientes, inquit, tegunt suam verecundiam. Audi enim quid fiat prætereà post induta subligacula. Qui enim priùs non obedierant voci & mandato Dei qui ante meridiem temporum nondum aduenerat & per carnem nobis non appropinquarat, & nondum ambulabat Dei prædicatio tunc cùm in omnem terram exiuit sonus eius, dicentis; *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum,* quando vox Domini facta est super aquas, quando tonitru vocis euangelicæ factum est in rota mundi, audierunt vocem Domini dicentis, *Oues meæ vocem meam audiunt, audierunt vocem Domini ambulantis in Paradiso* Ecclesiæ oleastrorum (nem- E pe gentium) & dicẽtis: *Venite ad me omnes qui laboratis,* quandoquidem ligna scinditis mõtium ad Deos inanes exsculpendos, & ijs onerati estis vt habeatis ad templa execranda, & ego ab ijs omnibus vos faciam quiescere: Et timuerunt Dominum qui priùs ipsum non timebant. Timuerunt, quia non habebant indumentum nuptiale. Nondum enim baptizati erant in Christum, vt Christum induerent. Nudi erant, exuti priori indumento incorruptionis & immortalitatis. Sed quando audierunt vocem eius qui quærit ouem quæ perierat, & tegumentum ligni vitæ Christi qui dicit per Prophetam de nobis: *In tegmine alarum tuarum proteges nos, cùm fuerimus in arcano vultus tui.* Et cùm accepisset prodigum hunc nudum hominem, qui extrinsecùs intro rectè erat

1. Tim. 2.

Osee 11.

Luc. 22.

Eua quæ fecit post conuersionem ad Adamũ, sunt præfigurata ad Ecclesiæ beneficium.

Matth. 3.

Ioan. 10.

Matth. 11.

Nudi qui nã dicantur in sensu allegorico.

Psal. 35.

Luc. 15.

erat ingressus, eum texit dicens; *Afferte primam stolam* A quàm iste ferebat priùs; nempe indumentum incorruptionis; & induite eum. Quando ergo audis de Domino Deo præsente & dicente, Adamo; *Vbi es*; In bonum intellige hanc vocationem. Quem enim quærit & vocat ad se Deus, est perspicuum quòd recedit quidem à malo; cum Deo autem inuenitur. Sin autem cum ira & excandescentia (vt quidam existimant) Deus accessit ad Adamum & Euam in Paradiso ad eos puniendos & cruciandos, oportebat eum statim pergere ad Serpentem & punire autorem malorum. Oportebat mulierem insidiatricem viri condemnare, & ex Paradiso exterminare, & execrationi & morti subijcere. Hîc autem fit contrarium: Attende enim. Eam nec execratur, nec criminatur, neque morte condemnat; sed & separat, & redimit ab insidiatore eius Serpente, ei dicens: *Ponam* B *inimicitias*: & veluti repudium *inter te & mulierem*, eam à te liberans; & faciens vt ea mihi adhæreat qui sum vir eius & Dominus, & eam induens tunica, nempe me qui sum contextus ex supernis. A te enim fuerat nudata, & eam nomino Vitam, vt quæ à te fuerat morte affecta. Hæc omnia non sunt irascentis Iudicis, ex ijs quæ sunt consequentia historiæ. Nam cùm Deus dixisset Adamo; *Quis tibi renunciauit quòd sis nudus, nisi comedisses ex ligno quod tibi iussi ne comederes?* Vide quòd Adam Deo respondet dicens; *Mulier quam dedisti mihi mecum, ipsa mihi dedit ex ligno, & comedi.* Audiuisti quomodò nō peccauit Adam, vt qui non fuerit deceptus? Non dicit enim; *Decepit me mulier.* Non dicit: Me supplantauit, aut ea mihi fuit peccati conciliatrix; ne conferat culpam in eum qui ipsam ei dedit. Poterat enim se defendere, & Deo re- C spondere, dicens: Rectè habebam cùm priùs essem solus; sed adiutrix quam dedisti mihi, non erat adiutrix sed inimica & insidiatrix.

Deus vocat Adamum dicendo, vbi es, in bonum non in malum.

Mulieris inimicitia cum serpente quænam sit.

Nihil autem dicit aut cogitat huiusmodi. Dicit itaque; *Mulier quam dedisti mihi*, ad me seruandum, & liberandum, & suscipiendum; ea mihi dedit mortem ab ipsa profectam, fructum ligni, promptóque & alacri animo comedi, nihil penitus contradicens neque recusans. Propterea enim Adam nullā eorum penitus facit mentionem, cum Deo loquens; vt qui neque esset inobediens, neque à Serpente omnino vllam accepisset irruptionem, neque ad eum omnino accessisset, vt neque Christus. Neque rursus cernitur Deus in illa terribili execratione Serpentis, quidquam eum esse criminatus D de homine; aut de Adamo apud eum vllam fecisse mentionem: sed eum susque deque execratur de muliere, & abijcit efficiens vt caderet casu à quo non posset excitari, & æterna eum condemnans damnatione, quoniam mulierem Ecclesiam solam, non autem Adamum Christum decepit. NVNC enim, inquit, *venit Princeps Mundi huius, & in me nihil inuenit.* Vnde etiam ratam & acceptam habens Deus insontis Adami responsionem in figuram Christi qui nō peccauit, cùm dixisset: *Mulier quam dedisti mecum, ea mihi dedit ex ligno, & comedi*; nihil ampliùs eum interrogat, sed statim ad eam vadit. Dicit enim Moses: *Et ei dixit Deus: Quid hoc fecisti? Et dixit mulier: Serpens me decepit, & comedi.* Quomodò autem de E Adamo, à Deo accusata, de illo non respondet, sed de se? An non est perspicuum quòd ostendens peccatum non cadere in Adamū? perinde ac si diceret Deo? Adam est innocens, ego sola Deo meo non obedij, & fregi pacta conuenta tecum inita, & erraui sicut ouis quę perit, effecta errabunda ac Deos colens, & super montes & colles nuda vagans ac fluitans, & polluta sordidis sacrificiorum inquinamentis? Quoniam vafer Serpens me decepit, tanquàm imperitam adolescentulam supplantans & aberrare faciens. Hæc cùm mulier propemodum apud Deum confiteretur, per hoc quòd dixit, *Serpens me decepit*; vt quæ suam indicasset pœnitentiam, & ei esset condonatum; transit Deus ad malum Draconem, deceptorem Serpentem, & ei dicit: *Cur hoc fecisti?* Sed quia hoc fecisti, & ausus es statim decipere primùm figmen-

Ioan. 14.

Ritè intellige serpentem decepisse Ecclesiam, id est quosdam ex Ecclesia.

Ecclesia, non cōfert culpam in Christum.

tum manuum mearum, quod factum est ad meam imaginem & similitudinem, Tu es execrandus ab omnibus iumentis, & ab omnibus bestijs quæ sunt super terram. Execrandus es tu & solus, sed non Adam: Tu solus, & non mulier. Sed tu es execrandus ab omnibus meis creaturis quæ sunt super terram, non ab ijs quæ sunt in cœlo. Nam qui in illo sunt, Angeli mei, sunt benedicti quoniam me benedicunt missi ad munera administratoria. Tu enim sperasti, si peccassent homines, fieri loco eorum rex omnium quæ sunt super terram, dicens; *Ero similis altissimo*, sed tua spe es frustratus, Eis enim do omnem potestatem calcandi *supra Serpētes* & collum tuum. Deinde cùm hæc dixisset, prædicit ei etiam vitium & malam mentem cuius nulla tangeretur pœnitentiâ, dicens, non iubendo sed prophetando: *Super pectus & ventrem tuum*, hoc est, in ira & voluptate tua, *gradieris* nulla mouendus pœnitentia: Et *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, hoc est, lapsus à cœlesti sapientia & cognitione diuina, terrestres ponens sensus & materiales, circumagêris ac voluêris: *Et inimicitias ponam inter te & mulierem* quam decepisti, nempe meam Ecclesiam. Gratias agimus tuæ ineffabili & inenarrabili clementiæ, Christe Deus, qui nos liberasti, & separasti à societate & dilectione, & vnione, & amicitia maligni diaboli Serpentis. Tu es Deus qui facis solus mirabilia magna: qui propter tuam in sponsam tuam Ecclesiam charitatem posuisti inimicitias inter nos & inimicum tuum, vt non ampliùs ei seruiamus sed tibi soli viuo Deo vero, qui dicis insidiatori huius tuæ Coniugis & sponsæ mulieris; *Inimicitias ponam inter te & inter mulierem. Ponam inimicitias!* Rem futuram, & ponendas inimicitias significat illud, *ponam*, eo qui dicit ostendente: Ego in nouissimis temporibus ponam inimicitias inter te & Ecclesiam. Nam nunc quidem amica est tibi mulier; nunc est tibi coniux: Nunc eam effecisti captiuam, nunc tibi seruit, nunc est tibi subiecta, nunc te colit sacrificans filios suos & filias suas tibi & tuis Dæmonijs: Sed ne glorieris, neque efferaris, neque propterea insolescas. Nam venit hora, & nunc est quando veniam eam visitans meridie, & faciam eius vltionem, & ponam inimicitias terribiles & implacabiles inter te & mulierem Ecclesiam. Non veniam enim tunc *ad mittendam* inter te & eam *panem*; *sed gladium* Euangelicum, ad diuidendum & separandum te malignum & adulterum virum Serpentem à muliere quàm à me rapuisti: vt quando super omnes alias mulieres, synagogas Persarum, Indorum, Arabum, Ismaëlitarum te dilexit; ita supra omnes te oderit: vel potiùs (vt semel dicam) omnes te oderint (num *enim Iudæorum solùm est Deus, non etiam Gentium*:) noctúque & interdiu ea aduersus te armata & resistens te interimat. Si hæc ita non significant, oportebat Deum ita dicere Serpenti: *Et ecce ponantur inimicitiæ* ab hoc tempore *inter te & inter mulierē.* Cur enim facto delicto oporteret posteà vlcisci eum qui fecit? Sed his verbis non credit Iudæus, solam attendens litteram. Deinde non vides (illi dico) terribiles inimicitias huius Christi vxoris Ecclesiæ, quas habet aduersus Serpētem? Non vides impressionem, non vides certamen idque; cùm tu primus experiaris? Quid enim nō moliris? Quod genus pugnæ non excitas; Quam autem manum non armas vt eam obtuas? Sed stat adhuc magis firma & stabilis; & procedens aduersus enses, Christum non agat: *Et in his omnibus superauimus*, vt cum Paulo dicamus. Non vides enses & sagittas potentis Dei acutas, per quas aduersus Serpentem stat armata in acie & prælio, armatura vndique munita, & accincta gladio spiritus, galea spei, lorica fidei, clypeo baptismi? Nō vides inuicta & infracta arma, in quibus conterit & aufert caput Serpentis? Crucem (inquam) Corpus, & sanguinem Iesu, vota, preces, vigilias, & alia quæ molitur aduersus Serpentem, & aduersus eum stat in acie, ne ampliùs ei seruiat: Quocirca, de cætero cum eo gerens inimicitias & conuersa ad proprium virum (nempe Christum) quotidie

Serpens quomodo sit maledictus.

Esa. 14.

Serpentis, id est, diaboli impœnitētia.

Inimicitia inter serpentem & mulierem futura.

Rom. 8.

Arma Ecclesiæ.

bello inuaditur à satellitibus Serpentis, persecutionem patitur, verberatur, torquetur, occiditur, vincitur, iniuria afficitur, esuriens, nuda incedens, seruiens, sitiens, liberis orbata & membratim discerpta; cum Serpente autem neque fœdus neq; amicitiam iniens. Sed etiamsi oporteat millies subire mortem, prompto & alacri animo membra sua & liberos igni tradit, & gladijs, & tormentis, potiùs quam cum Serpente fœdus percutiat & amicitiæ obsides ei aut det aut accipiat. Eorum autem quæ nunc dicuntur nos testes sumus qui Verbum audimus; pro fide huius mulieris Christi, pericula quotidie adeuntes, Serpenti autem non obedientes. Testes inimicitiarum sunt qui in desertis & montibus & speluncis decertant aduersus Serpentem. Testes inimicitiarum huius mulieris sunt Pastores, qui eam pulchrè docent quotidie dicere; Renuncio Satanæ malo Serpenti, & eius cultui, & eius deceptioni, & eius idolis, & eius facultatibus, & eius libaminibus, & eius seruituti. Testis est à Deo datarum inimicitiarum piæ huius mulieri quas suscepit cum Serpente, Idolorum destructio, ipsorum templorum euersio, statuarum contritio, columnarum deletio, apud gentes agnitio Dei qui has bonas inimicitias prædestinauit, & dixit Serpēti; *Ponam inimicitias inter te & mulierem*. Et quare mulierem, & non potiùs virum? *Mulieris enim caput est Vir*, & ipsum (cùm sit inimicū caput) bellum gerere cum capite serpentis decebat: Sed nihil dicit eiusmodi, quoniam nihil est commune Serpenti cum spirituali Adamo, nempe Christo. Dicit itaq;: *Ponam inimicitias inter te & mulierem*. Si autem corporaliter intelligis Dei verba ad Serpētem, vide in quā multa incidis absurda sic intelligēs. Et primùm quidem, quòd Deus iniustè eum est execratus: Nam cùm ratione careret & intelligentia, inuitus fuit instrumētum diaboli; nec oportebat irasci instrumento experti rationis. Secundò, quòd si mulierem solam vult inimicitias gerere cum maligno, est perspicuum quòd vult virum esse Serpentis dilectum. Tertiò, quòd si inter corporalem Serpentem & carnalem nostrā mulierem posuit Deus inimicitias, in vno momento temporis consumerent Serpentes omnes mulieres, & maximè quæ non sunt in vestibus dum dormiunt. Quartò, quòd plurimæ etiā aliæ bestiæ sunt nobis inimicæ. Sed neque terram quotidie comedit Serpens, sed etiam alias escas carnium. Sed neque qui sub intelligentiam cadit Serpens, cùm sit immortalis, terram comedit omnibus diebus vitæ suæ missus in ignem æternum. De ipso tamen Serpente qui cadit sub intelligentiam, & de Ecclesia intellige diuinum eloquium quod dicit; *Ponam inimicitias inter* Diabolum *& mulierem*. Beata est ergo inter mulieres sola hæc mulier. Hinc enim discimus magnum dogma de ipsa, etiam ipsis cœlis excelsius & præstantius. Quodnam est hoc? Dico quòd sola quæ est Christianorum Ecclesia Christi, est hostis & inimica Serpenti: reliquæ autē omnes quæ sunt in mundo religiones & fides gentium (tam Iudæorum quam Barbarorum) sunt amicæ & contubernales, & coniuges, & propriæ diaboli Serpentis; ex eo natæ, & quæ ex eo conceperunt malum semen execrandorum dogmatum, adeò vt eis idem sit & pater & vir, qui introduxit execrandam sui inter se corruptionem: Hoc enim significant etiam quæ deinceps sequuntur Dei verba ad ipsum Serpentem. Nam cùm dixisset: *Ponam inimicitias inter te & mulierem*; subiunxit dicens: *Et inter semen eius*. Atqui debebat dicere: *Et inter fœtus eius*; si ad corporalē Serpētem & mulierem corporalem solam essent ea quæ dicuntur. Mulier enim non emittit semen; sed cùm acceperit, parit fœtum. Semina ergo Ecclesię sunt pia dogmata & disciplinæ quas seminauit ille Agricola, dicens: *Exijt qui seminat ad seminandum*. Rursus Serpentis sunt mala semina & impia, hæreticorum zizania & prædicationes. Quæ quidem videns Christus germinātia in medio frumenti, dicebat; *inimicus homo hæc seminauit*: hoc est, malus Serpens, & propterea tanquàm hostem Ecclesiæ eum alloquēs dicebat: *Ponam inimicitias inter te &*

Testes inimicitiarum Mulieris & Serpentis.

Cautè lege, tantum enim velle videtur verba Dei ad serpentē, præcipuè in diabolum. dicta, non solum in serpētem materialem.

Sola Christianorum Ecclesia est serpenti inimica.

Ecclesia quænam sint semina.

Matth. 13.

A *mulierem, & inter semen tuum & semen eius; Ipse obseruabit caput, & tu obseruabis eius calcaneum*. De muliere loquens & eius semine; quomodò ad masculum traduxit orationem, dicens: Ipse obseruabit caput, & tu obseruabis calcaneum eius? *Eius?* Cuius? Nunquid mulieris? Absit, Non habet enim quod dictum est, sensum. Dissecor, & tui rursus teneor admiratione (tibi Iudæo rursus dico) quomodò ad mille annos hæc rectè legens, nondum cognouisti eam quę est in ipsis veritatem, cùm tu me potiùs deberes in his illuminare, vt qui ea à Deo acceperis, & cui ea sunt credita? De cæterò, à me qui sum barbarus & bestia disce sensum tuarum legum. Atque vt maligno quidem Serpenti sit inimica & ei non obediat, mulieri & Ecclesiæ dedit Deus; obseruare autem, seu cum insidijs eius caput conterere, non potest Ecclesia. Et proptereà à muliere ad hominem (nempe Christum) tradu- B xit Deus orationem, dicens Serpenti; *Ipse obseruabit caput tuum*; te conterens cum insidijs: *& tu obseruabis eius calcaneum*; hoc est, extrema totius corporis Christi (hoc autem est Ecclesia) in extremis temporibus eam cribrans. Calcaneus autem eius & extremum, est Antichristi præsentia quæ futura est in extremis temporibus: Eius enim tempus obseruat & expectat malus Serpens, quo vtetur tanquam instrumento, ad supplantandum rursus per cibum Ecclesiam; idque cum tunc sit futura fames, sicut etiam tradidimus in libro præcedente. Quòd autem Christus fuerit custos Ecclesiæ, non opus erit de eo alia maiori probatione quàm ea sola quæ dicit in persona Christi: *Et accepit Dominus Deus Adamum, & posuit eum in Paradiso ad eum operandum & custodiendum*. Et ideò po- C suit Christus Cherubim, & flammeam rompbæam versatilem, quæ in orbem custodit Ecclesiā, ne intrò subeat caput Serpentis. Fortasse autem rursus etiam ea de causa, à muliere ad virum traduxit dictionem Deus, dicens Serpenti de Christo; *Ipse obseruabit caput tuum*; propter vocem illam quæ vtrosque coniungit societate dicens: *Et erunt duo in carne vna*, vt per vocem fœmininam simul ac virilem nos doceat Christum & Ecclesiam esse indiuiduum quiddam eiusdémque naturæ, eiusdémque carnis, & concorporale, & singulare. Conserua mihi (ô fidelis & sacer cœtus) hæc assiduè in memoria; quæ dicta sunt (inquam) de voce diuina quæ dicit Serpenti; *Ponam inimicitias inter te & mulierem* vnam & solam: & ideò non dicit, *mulieres*; quoniam cæteræ omnes quæ D sunt in Mundo Fides, præter vnam & hanc Christi solam vxorem & Christianorum Ecclesiam, sunt amicæ Serpentis. De cæterò autem quando videris reliquas mulieres & Fides, Iudæorúmque & Barbarorum synagogas, psallentes, clamantes, dies festos celebrantes, vigilantes, ieiunantes, sacrificantes, adorantes, Deum nominantes, fidem prædicantes, dogmata statuentes, scripturas legentes, Christum autem Deum verum ex Deo vero non confitentes, certò scias quòd eæ omnes sunt amicæ diaboli (nempe Serpentis) & nulla ex ijs est inimica & ab eo aliena, nisi ipsa eáque sola Christi Ecclesia, & eius semen. Illæ enim omnes sunt fornicatrices & adulteræ & ex semine Serpentis, concipientes & parientes, fortasse autem habentes etiam proprium & E innatum semen Serpente deterius: Ille enim & qui cum eo sunt dæmones sæpè confessi sunt & prædicarunt Christum filium Dei altissimi. Vnde etiam in tentatione ei dicebat Serpens tanquàm filio Dei; *Dic vt lapides panes fiant*: & tanquam filio Dei dicebat, *Deijce te ipsum deorsum* ex templo: & tanquàm Deo deprecabantur omnes ne eos mitteret in abyssum; & tanquam Deo & Domino omnium Christo supplicabant vt eis permitteret *intrare in porcos*, & tanquàm Deum eum adiurabat dæmonium ne ipsum torqueret. Nulli enim iustorum qui fuerunt à sæculo, tales preces trementes effari sunt dæmones; nisi soli Christo Deo. Sciebant enim ex ijs quæ patiebantur, quòd ad eorum perniciem & interitum & Draconis eorum principis, venit Iudex ad mulierem & hominem qui peccauerant, non vt eos iudicaret aut execraretur,

Ad Iudæos elegāter dirigitur oratio.

Calcaneum Ecclesiæ est Antichristus.

Ephes. 5.

Omnes Fides præter Christi Fidem, sunt amicæ serpenti.

Matth. 4.

Matth. 8. 4

execraretur, sed vt seruaret, sicut ipse Seruator dicit; *Non veni vt iudicem Mundũ, sed vt seruem, venit enim Filius hominis ad quærendum & seruandum quod perierat; Non enim venit ad vocandum iustos sed peccatores ad pœnitentiam*, quoniam *non opus habent qui sani sunt medico, sed qui malè se habẽt.*

Ioan 12. Matth 8. Luc. 5. Marc.2.

Si ergo propter benignitatem, & clementiam, & peccatorum condonationem venit in vitam Christus Agnus Dei qui tollit peccata Mundi: eius autem aduentus in Paradisum qui fuit ad eos qui peccarũt, erat verus typus eius aduentus ad mulierem quæ decepta fuerat, Euam, Ecclesiam, naturam humanam; intelligat quilibet homo Fidelis, quòd non ad supplicium irrogandum, neque ad pœnam sumendam neque ad exterminãdum, neque ad ad execrandum tunc venit Deus ad Adamum & Euam.

Christus venit ad condonanda peccata.

Ouis enim *quæ perierat* erat exemplar Adami, neque cum ira ipsam quæsiuit Pastor bonus, sed gestauit humeris: & dragma quę ceciderat ex decem, nempe Eua, erat Ecclesia, neque cum ira quæsiuit & inuenit eam Dei benignitas: & homo qui incidit in latrones, fuit Protoplastus Adam; Neque cum vllis minis eum curauit & gestauit humeris, vbi Iesus crucem. Porrò autem bonus quoque Latro exprimebat euidentem typum Adami, & donum Paradisi nobis Christus per ipsum aperuit.

Luc.15. Luc.10.

Bonus Latro exprimebat typũ Adami.

De cæterò noli non credere, quòd etiam aduersus Protoplastos qui peccarunt, tunc Deus multam ostendit clementiam in pœnis quæ ab ipso aduersus eos decernebãtur; in quibus verba quidem adumbrauit instar quarumdam execrationum ad terrorẽ scelestæ gentis Iudæorum, quando Legem exponebat. Ea autem, prædicendo non puniendo sunt interpretata, vt referantur ad Adamum & C Euam, de ijs quæ erant euentura Ecclesiæ, quando in errore degebat apud Serpentem ante aduentum Dei Verbi ad ipsam, quem apertè priùs descripsit ac figurauit Dei aduentus in Paradiso in illo meridie.

Magna fuit clementia in puniendis Protoplastis.

Hæc necessariò sum præfatus, & præmunij auditorem ne ægre ferat, aut ne putet audire aliena in ijs quas dicturi sumus contemplationibus dum agemus de pœnis, vt quæ sint nouæ, alienæ, & incredibiles. Non cessat enim vnquam sancti Spiritus gratia ornare & coronare Paradisum Ecclesiæ nouis floribus intelligentijs. Nam sicut iam dixi anteà mille exortæ sunt hæreses quæ audierant quidem de Paradiso & Protoplastis, nihil autem spirituale in eis intellexerant. Nam Samaritani quidem, ex eo quòd dicit; *Terra es, & in terram reuerteris*; arbitrati totum hominem esse mortalem propterea quod sit terrestris anima D quoque cum corpore; negarunt resurrectionem.

Origenes autem infelix, cùm nescio quomodò diceretur esse sapiens, stultus factus est; prostibulum fuisse pronuncians locum incorruptionis, coïtum Mulieris esse decernens pulchrum fructum Ligni inobedientiæ.

Origenis opinio de fructu ligni.

Manichæus autem existimauit duas esse contrarias potestates diuinitatis, Serpentem & Opificem, quæ in acie inter se decertarint in Paradiso: & bonum quidem Deum esse creatorem animæ, qui est etiam homo ad Dei imaginem; malum autem Deum esse affectorem corporis quod bellum gerit aduersus animam. De quo etiam scriptum est, inquit: *Et finxit Deus hominem limo accepto è terra.*

Manichæi opinio de duabus contrarijs Potestatibus.

Hæresis autem quæ dicitur Encratitarum, abstinet à nuptijs & muliere, tanquàm à re mala & insidiosa: Similiter etiam ab arborum fructibus, vt qui sint peccati efficientes, propter arborem quæ dicitur Inobedientiæ. Nec hoc solùm, sed etiam plurimi ex Ecclesia conuertuntur ad impias de Deo cogitationes, corporaliter & crasse audientes ea quæ facta sunt in Paradiso.

Encratitarũ hæresis.

Si enim præsciebat (inquiunt) Deus id quod erat euenturum, ipse est eius autor; vt qui Serpenti concesserit statim corrumpere primò creatum opus manuum Dei. Quid enim opus erat omnino vt ille dæmon simul cum eis degeret in Paradiso? Quidam autem inciderunt etiam in alias absurdiores cogitationes, quas, ne offendantur simpliciores, non est necesse dicere. Vnde etiam eas soluens magnus ille Ambrosius, audijt ea quæ dicuntur de obedientia & Paradiso,

Sit ne Deus autor mali propter præscientiam.

& lignis, & pœnis, & morte, & non esse tanquàm ex A potestate Dæmonis, sed esse tanquam ex mystica quadam dispensatione.

D. Ambrosius quid sentiat de obedientia Paradisi, ligno & pœnis.

De cæterò autem tempus est considerare verba quæ à Deo dicta sunt mulieri & Adamo: Quæ quidam nonnulli existimant esse sententias & condemnationes execrationum. Priusquàm autem ea dissoluam Auditori reuoco in memoriam, quòd apud eum quinto die differentes diximus de benedictione piscium facta à Deo; quòd propter Serpentem & execrationem seu maledictionem quam erat laturus, ea de causa animantia non impertijt pari benedictione. Non enim inuenies in tota Scriptura Legis, aliqua ex ore Dei fuisse benedicta, & rursus à Deo fuisse subiecta execrationi; & hoc perspicuum ex Cham filio Noë. Nã cùm is se iniquè gessisset in nudatione patris, B & postquàm à somno excitatus Noë agnouisset filij Chami iniquitatem, non ausus est Noë execrari filium quoniã fuit à Deo benedictus post diluuium cum duobus eius fratribus. Quamobrem non dicit; *Maledictus Cham*, sed *Maledictus Chanaam*, execratus eos qui ex ipso erant nascituri, & non Cham.

Quod benedictũ est à Deo, non amplius maledicitur. Gen.9.

Chanaam, nõ autem Cham fuit à Noë maledictus.

Hæc autem dico resistens priùs nominatis hæresibus: De cæterò pro Christi quoque Ecclesia eam defendens hæc dico, ad hoc vt eam ostendam Iudæo & Barbaro, ab omni Dei execratione esse liberam & ab indignatione alienam. Quid enim dicit Scriptura de muliere post execrationem Serpentis? *Dixit* scilicet *Deus. Multiplicans multiplicabo dolores tuos & gemitus tuos; In doloribus paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur.* Vt autem contemplemur dilucidiùs mysteria quæ sunt in ijs C quæ videntur esse pœnæ; coniungamus etiam quæ dicta sunt Adamo: Nam ei quoque dicit Deus: *Quoniam audiuisti vxorem tuam, & comedisti ex ligno ex quo iussi tibi ne comederes, maledicta est terra in operibus tuis; In laboribus comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ; Spinas & tribulos producet tibi, & comedes herbam agri; In sudore vultus tui comedes panem tuum, donec reducas in terram ex qua sumptus es, quoniam terra es & in terram reuerteris.*

Alienus & omnem sensum omnimodè superans est is qui vult hæc intelligere corporaliter, & in has hic incidet absurditates. Dico autem; quomodò Serpentem quidem execratus Deus, ei affert causam suæ execrationis, quæ est deceptio mulieris: Similiter etiam Adamum increpans ei ostendit, dicens; *Quoniam audiuisti vxorem*: Aduersus D mulierem autem, in pœna nullum omnino peccatum aut causam affert Deus; nempe non mentionem Serpentis, non nomen cibi, non ligni inobedientiæ neque aliam quamuis causam?

Pœnæ quæ à Deo inferuntur primis Parentibus & Serpenti, nõ tantum corporaliter, sed etiã spiritualiter intelligenda.

Et est miraculum stupore dignum quòd Serpens quidem qui decepit mulierem, subiectus fuit tam graui & acerbæ & nunquam condonabili execrationi in æternum: Quæ autem decepit eum qui factus est ad Dei imaginem & similitudinem, (hominem Adam, inquam) à Deo nullam accepit contumeliam! Nam corporalibus quidem legibus maior est culpa eius qui decepit regem, quàm qui decepit mulierem. Quòd enim Serpens, neque est ausus, neque aggressus, neque potuit; hoc mulier fecit aduersus virum. Quæ sunt autem omni stupore plena hæc sunt: quomodò cùm sapiens Christi lingua E Paulus dicat; *Adam non est deceptus, mulier autem fuit decepta*; in pœna quidem eius qui fuit deceptus sancita sunt asperrima & grauissima, in punitione autem Euæ insidiatricis, non sunt omnino sancita; non execratio terræ in eius operibus, non cibus dolorem perpetuum afferens, non esus herbæ, non productio spinarum, non ortus tribulorum, non sudores vultus, non auersio in terram, non mors, non eiectio ex Paradiso, non prohibitio ligni vitæ, non circa ipsam custodia Cherubinorum, non contra eam romphæa versatilis! Nam qui in idem peccatum inciderant, debebant easdem & pares pœnas subire, & multò magis deceptrix mulier. Si autem mihi dicit Auditor, quod cum mulier esset vitæ socia & coniux, & cohabitans cum Adamo, erat

Paulus sapiẽ lingua Christi. 1.Tim.2.

omnino socia pœnarum & calamitatum mariti; non rectè censet is qui hæc dicit. Nam si hoc ita haberet, quid omnino esset opus aduersus eos dissimilibus pœnis, & quæ habent magnam differentiam & repugnantiam? Oporteret enim eum, sicut illic in principio quando fecit eos, simul eis dedit esum seminis cum brutis; ita etiam hic quoque communiter dare pœnas, & dicere: *Maledicta terra in operibus vestris, in doloribus comedetis eam, spinas & tribulos producet vobis, & comedetis herbam agri in sudore vultus vestri donec reuertamini in terram, ex qua sumpti estis:* Sed nihil tale facit aut dicit Deus. Vnde cùm dixisset mulieri, *in doloribus paries filios*; nihil tale dicit homini: Et per vniuersam Scripturam patres nominans genitores sed nō matres; rursus dicit fieri mulieris conuersionem ad virum, reuersionem autem viri in terram. Et rursus virum nominans terram, non nominat mulierem. Neque verò fieri potest vt appelletur terra, cùm sit costa viuentis & Vita. Cùm ergo in propositis pœnis tanta sit perplexitas & dubitatio, iam diu hæc me persequente, latus meum manu frequenter pungit diuinus Apostolus rursus dicens: *Hæc intellige de Christo & Ecclesia* cui Deus in principio prædicit Prophetice non autem iracundè, deceptionem quæ est ei euentura: & deinde castigationes & afflictiones quæ ei eueniunt per deceptionem, ad eius vtilitatem, & deinde optimam per afflictiones ad Deum conuersionem & salutem. Nam tanquàm rex quispiam cum sua coniuge quæ stuprum est admissura, molestè quodammodò & misericorditer differens, Euam alloquitur dicens: Audi mulier quæ à me, Deo, tibi non sine dolore annunciantur, & quæ tibi protestor. Tu me es spretura, qui sum Dominus Deus tuus; & malum Serpentem adoratura & cultura. Ego autem conuersionem & salutem tuam quærens, multiplicans multiplicabo dolores tuos & afflictiones tuas & gemitus tuos & calamitates tuas; nunc quidem tibi inferens diluuium, deinde pestem ac famē, terræmotum, pluuiam ignis & sulphuris, pluuiæ defectionem per os Prophetæ, pericula ex mari, pericula ex bellis, ex gentibus, ex persecutionibus, & omne genus calamitatibus & afflictionibus & doloribus. Quamobrem in his doloribus paries malos filios, efficientes peccati & impudicitiæ & iniquitatis & idololatriæ. Sed bono esto animo neque animam despondas, nec desperes, neque bonam spem contrahas; quoniam post illos multos quos ego tibi affero dolores, post multos gemitus quos ad me emittes, post castigationes & famē ac necessitatem, annuncio tibi gaudium magnum quod erit omni populo tuo: postquam tibi fuerit adempta omnis via & ratio humani auxilij, ad virum tuum spiritualem Adamum (nempe Christum) erit conuersio tua, & ipse tibi dominabitur à Mari vsque ad Mare, & à fluminibus vsque ad fines Orbis terræ Ecclesiæ, Euæ, Vitæ tuæ quæ dicitur mulier. Benedicimus tibi Christe qui vocasti nos, & ab errore fecisti ad nos à te conuersionem. Adoramus te qui dominatus es nobis, tanquàm Dominum dominantium: ne ipsa tua coniux mulier & sponsa opprimatur dominatu mali Serpentis. De cætero psallat & magna voce clamet hæc Vita mulier cum illa mulier quæ est verè Vita & quæ vitam fert, ei parit vitam, dicens: *Magnificat anima mea eum qui est mihi dominatus*, quæ sum Ecclesia ex gentibus; *Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Quia respexit *humanitatem ancillæ suæ: Ecce enim ab hinc beatam me dicent omnes generationes. Quoniam fecit potentiam in brachio* Filio suo, *Et dispersit superbos* Iudæos *ex corde mentis suæ*, Et *in altum extulit* nos *humiles. Esurientes* canes gentium populorum *impleuit bonis* Panis vitæ, *Et diuites* in sacrificijs & libaminibus *dimisit inanes*, ne amplius in eis colant & adorēt templo diruto. Excandescit & discerpitur hæc audiens Iudæus, & non potest ea falsa ostendere. Si autē non ita se habet rerum veritas, quemadmodum in Verbis Dei ad mulierem interpretati sumus; dicat Iudæus, vbi cùm aduertisset Eua aut separata fuisset ab Adamo, dixit ei Deus; *Ad virum tuum est conuersio tua?* Et quoniam ei dominante dicit ei; *Vir tibi dominabitur?* tanquàm scilicet ei aliquis insultasset & ei esset dominata. Nam omnibus modis cernitur hæc mulier à viro separata, & deinde ad eum rursus conuersa. Nam qui reuertitur, est perspicuum quod illuc reuertitur vnde priùs exierat. Mihi enim cogita indiuiduam vnionem viri & mulieris, quod est corpus, membrum, & costa eius. Quamobrem de ea quoque dicebat; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea;* Quamobrem sumus duo in carnem vnam. Quomodò ergo cùm vna caro sit conglutinata & vnum os duo sint indiuiduè, Deus nunc dicit mulieri; *Ad virum tuum erit conuersio tua, & ipse tui dominabitur?* Quomodò os & caro cùm sit eius, ad ipsum conuertitur? Ergo per omnia quæ dicta sunt discimus quòd extra virum suum abscessit mulier, & deinde reuersa est ad ipsum; & rursus facta est eius costa & mulier & caro. Ipsa est enim mulier quæ dicebat Osee Prophetæ: *Ibo & reuertar ad virum meum priorem, quoniam tunc mihi erat melius quàm nunc.* Et propterea dicit Deus huic Ecclesiæ quę dicitur mulier; *Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur.* Hinc discimus propter eam quam in extremis temporibus habet Deus in mulierem, dominationem; quòd cùm primùm plantauit Deus Paradisum typum Ecclesiæ, nominauit Scriptura Deum; & addens, Dominum. Non enim inuenies ipsum ante Paradisum nominari Dominum & Deum, sed solùm, Deum. Si autem ab alijs ad alias gradatim transcendens demonstrationes, non satietatem affero Lectori multa dicens; ei ostendam falsas quoque similitudines ac paritates erroris mulieris & Ecclesiæ. Primū enim quomodò mulier in Paradiso à Serpente seducta, passa est per oculos cùm vidisset quòd lignum bonum est ad comedendum, & gratum oculis ad videndum, & speciosum ad considerandum: Secundò autem affecta est affectione per contactum manus fructu accepto, & Tertiò rursus per esum: Sic mihi deinceps ab ea accede ad Catholicam hominum Ecclesiam, & videbis eadem quoque ei in primis accidisse. Nam cùm duæ tunc essent generationes hominum in principio in Mundo, qui in propriam & separatā referebantur genealogiam, erántque præfiguratio duorum populorum; & alij quidem ab Adamo, alij verò à Cain parricida procedebant: qui ab Adamo quidem procedebant, in figuram populi Christi habebant quandam gratiam sancti Spiritus in vultu suo, quæ eos ostendebat & separabat à populo Caïni, & maximè Seth quem genuit Adam ad suam speciem & imaginem, vt dicit Scriptura. Quamobrem homines qui erant in illo tempore, illum Deum appellabant. Qui autem nascebātur ex semine Caïni, in typum populi Israëlis, erant hospites & alieni ab illa gratia & illuminatione quæ erat in vultu, vt qui originem duxissent à parricida. Quamobrem ijs qui erant ex semine Adami (qui erat typus Christi) qui nominabantur filij Dei, ij qui erant ex Cain, inuidebant propter splendorem qui eis eminebat in vultu. Ij ergo qui dicebantur *filij Dei*, vt qui essent filij Euæ à matre, per oculos primam susceperunt affectionem; deinde alteram, per tactum & gustum. Quomodò enim de ea dictum est quòd vidit lignum bonum ad comedendum, & oculis gratum ad videndum, & pulchrum ad considerandum; ita etiam scriptum est de filijs eius: Et *viderunt filij Dei;* hoc est, qui originem duxerunt ab Adamo; *filias hominū*, nempe eorum qui descenderunt à Caïno; *quod sint pulchræ, & acceperunt eas vxores.* Ecce affectionem visus & tactus. Posteà autem comederunt malum fructum, nempe carnes sacrificiorū dæmoniorum. Sed hæc quidem sunt inobediētia naturæ mulieris. Deinceps primus eius dolor & gemitus fuit totius Mundi inundatio; & post illam dolores & gemitus qui eam adducebant ad pœnitentiam. Propterea ergo nec positus quidē est in Serpente dolor nec gemitus, propterea quòd is nulla duci possit pœnitentia. Sed neque in eo dicta est *conuersio*, sicut in muliere. Neque rursus in homine dictus est gemitus.

Neque

Marginal notes: *Vir nominatur terra, non mulier.* — *Ecclesia ad Christum resipisio & gratiarum actio.* — *Luc 1.* — *Non Eua ab Adamo sed Ecclesia à Christo fuit separata.* — *Ecclesia ad Christum, nō Eua ad Adamum est reuersa.* — *Osee 2.* — *Post plantatum Paradisum Deus dominum nominatur Dominus.* — *Deceptio Mulieris & Ecclesiæ nō fuit similis.* — *Cain, & qui ab eo descendebant, erant figura Israëlitici populi.* — *Gen. 6. a* — *Pœna Euæ irrogatæ quomodò conueniant Ecclesiæ.*

Neque enim pœnitentia indiget Adam spiritualis, vt qui non sit deceptus. Vnde nec in eo posita est conuersio, neque enim fuit vnquam deceptus. Hinc enim neque aliquis ei dicitur dominari sicut mulieri, cum ipse sit Dominus dominantium. Vide autem quomodò nec hominem subijcit ei quæ pro ipsa est pœnæ, donec eius ad ipsum fecit conuersionem, dicens; Et *ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur.* Quoniam ergo sermo Dei est operās, tanquàm ea conuersa, & proprio viro ei vnito per vnionem in hypostasi; post vnionem eum statim inducit Deus pro ipsa patientem, Dicit enim consequenter. Et dixit Adamo; *Quoniam audiuisti vocem vxoris tuæ & comedisti ex ligno de quo solo tibi iussi ne comederes, maledicta est terra in operibus: In laboribus eam comedes omnibus diebus vitæ tuæ; Spinas & tribulos producet tibi, & comedes panem tuum donec reuertaris in terram ex qua sumptus es, quoniam terra es, & in terram reuerteris.* Hæc cùm à Deo audiuisset Adam, statim vocauit nomen vxoris suæ Vitam; *Quoniam ea est*, inquit, *mater omniū viuentium.* Quid dicis ô homo? Terribiles à Deo criminationes sunt in te intētatæ propter mulierem, & execrationes, & pœnæ, & sententiæ, & mors, & exterminatio, & dolores, & pœnæ, & tribuli, & sudores, & iræ, & quæcumque sunt grauia; & eam quæ tibi omnium horum fuit causa vitam appellas; Eam ergo potiùs nomina mortem, insidiatricem, proditricem, & totiùs Mundi scandalum & naufragium; vt quæ non ferendorum malorum sit Mundo conciliatrix, vt quæ sit omnibus insidiata, vt quæ omnes affecerit iniuria, vt quæ omnibus interitum attulerit, & omnes perdiderit. Siste, inquit, homo qui hæc dicis: *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnat?*

[Margin: Ecclesia conuersa ad Christum.] [Margin: Eua quomodo sit Vita & mater viuentium.] [Margin: Rom. 8.]

Non enim fuit hominis adiutor eius inimicus, neque erit vnquam. De cæterò ne nuda verba attendas, sed aspicias ad rerum naturam. Nam si hæc quidem dicerentur de nuda muliere, iustæ essent tuæ reprehēsiones: cum autem nobis adsit & sequatur inseparabilis, in eo quod dicit de Adamo & Eua, sacratissimus Paulus, & magna voce clamet, *Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia:* omnino necesse est vt nos vsque ad vnum iota & vnum apicem, omnia quæ scripta sunt de Protoplasto Adamo & Eua, intelligamus de Christo & Ecclesia. Si autem repugnas ijs quæ dicta sunt; dic mihi quæso, quomodò nudi à subligaculo in examinatione ingressi Protoplasti, in iudicio, à Deo induti sunt & tecti pelliceis tunicis, cùm deberent potiùs exui in examinatione, congruenter ordini iudiciorum Mundi? Quomodò si reus adstat Adam (vt qui deceptus à muliere) condemnatus in ipsa examinatione Vitam nominauit mulierem? Quomodò homo qui (vt tu dicis) factus fuit sub maledicto, potuit per Spiritum sanctum prophetare in ipsa hora maledictionis, quæ futura erant post nescio quot millia annorum, dicens de muliere; Ipsa *erit mater omnium viuentium?* Quomodò autem rursus postquàm eos induit, Deus Adamum subsannans & dicens;

[Margin: Ephes. 5.]

Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis; non simul etiam probro afficit mulierem quæ erat magis in culpa quàm Adam? Sed nec eam simul cum ipso amendat ex Paradiso, neque ei dicit; *Maledicta est terra in operibus tuis:* Quod quidē ei magis oporrebat dicere quàm Adamo. Ergo si fidelis apud te videatur, qui Christum habet in se loquentem Paulus dicens, *Adam non est deceptus;* est perspicuum quòd nec fuit in eum crimen intentatum. Sin autem fuit crimen intentatum, iniuria omnino fuit affectus ob illam criminationem. Si autem non fuit iniuria affectus, est perspicuum quod nec fuit maledictus. Sed vxore sua ad ipsum reuersa, ipse non deceptus (sicut millies iam diximus) in se suscepit pœnam. Et quoniam vniuersus nostræ orationis scopus est aduersus Iudæos, ad obstruendum ora illorum dicentia, quod si Christus fuit maledictus, & in Christum maledictum sperat multitudo Christianorum; omnino necesse est nos etiam ex documento prophetico ostendere Iudæo, quòd pro Ecclesia passus est Christus, non autem pro suis peccatis.

[Margin: 1. Tim. 2.] [Margin: Christus in se suscepit pœnā Ecclesiæ.]

A Scribit quidem certè Esaias clamās aduersus Iudæorum incredulitatem; *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini*, nempe Christus, *cui est reuelatum? Annunciamus coram ipso, tanquàm puer & tanquàm radix in terra sitienti; & vidimus ipsum, & non habebat speciem nec pulchritudinem: sed species eius indecora, deficiens præter filios hominum.* In passione Crucis eum non habere speciem neque pulchritudinem audimus, quoniā malam pulchritudinem illius ligni quod aspexit mulier pulchrum ad videndum & pulchram habēs speciem, Iesus deleuit in forma propria per lignum Crucis, quod suscepit pro spirituali sua Ecclesia. Subiunxit enim Propheta de eo dicens, Ignominia *est affectus & non est reputatus:* hoc est, A Deo traditus fuit propter nos, & subiectus fuit pœnæ B propter mulierem, & non reputatus fuit pati propter se. *Ipse enim*, inquit, fert peccata nostra, & pro nobis dolet audiens, *Maledicta est terra*, hoc est, terrena tua vita, apud Iudæos qui sic iudicant in operibus tuis ineffabilibus. Maledictum enim nominatus es à Mose dicente, *Maledictus est omnis qui pendet in ligno:* Et Iudæi; *Iste homo est maledictus, quoniam sabbatum non custodit.* In *doloribus* ipsam *comedes;* videlicet, sine peccato viues: Si enim viueres cum peccato, Mundus te tanquàm proprium diligeret, & non molestia afficeret. Hæc autem nobis audientibus ab ipso Deo condonari, reputauimus eum esse in labore & plaga & in afflictione, tanquàm qui pœnam subijsset & mortem pro suis peccatis. *Ipse autem fuit*, inquit, *vulneratus propter iniquitates nostras*, nempe eorum qui sumus ex muliere Ecclesia, *& ægrotauit propter peccata* C *nostra: Disciplina pacis nobis super ipsum, Liuore eius nos sanati sumus, Ipse enim portauit peccata multorum, & propter peccata nostra fuit traditus.* Habes perfectam & manifestam supputationem & demonstrationem quòd pro peccatis mulieris audit Adam omnia quæ sunt in pœna proposita, cùm sit ipse sine peccato in typum Christi. Iam videamus (si videatur) quemadmodùm etiam ipsa nuda verba pœnæ quæ dicuntur, nullam habeant Dei apud homines execrationem seu maledictionem. Non enim dixit ei sicut Serpenti & Caïno; *Maledictus tu;* sed, *maledicta terra in operibus tuis. In operibus*, inquit, *tuis*, quæ es compacturus; terram adorans & lapides & statuas & eius aquas & ignem eius, tu eam facies maledictam. In doloribus *comedes eam*, me inducente siccitatem D & sterilitatem, & sæpè fame ad tuam castigationem & afflictionem, quomodò etiam dixi mulieri; *Multiplicabo dolores tuos & gemitūs tuos; Spinas & tribulos producet tibi terra, & comedes herbam agri*, vtpotè quòd terra sit inculta & deserta propter siccitatem & sterilitatem. *In sudore & labore vultus tui comedes* rarum & exiguum *panem tuum, donec reuertaris in terram ex qua sumptus es, Quoniam terra es & in terram reuertêris.* Hæc quidem est conuenienter litteræ contemplatio eorum quæ sunt proposita. Nam sicut dicunt historiographi mundanæ priscæ narrationis; dolores, fames, siccitates penuriæ & sterilitates persuadebant illis antiquis vt execrarentur terram: Vnde etiam fame pereuntes, dicebāt esse terram à Deo maledictam; quomodò etiam benedictam, cùm cernitur fertilis, eam E nominat hominum consuetudo. Sed neque sationis erat apud eos aliqua experientia. Dicunt enim rursus historici, quòd primus Abraham frumenti semen per aratrum seminauit in terra; nobis (vt opinor) significans Patriarcha per exemplum, quòd ex eius semine videbitur cœlestis panis Christus in terra ad esum & salutem hominum, quando terra Abrahamicæ Mariæ Dei-paræ pluuiam excipiet cœlestem. Testatur autem Lamech quoque pater Noë, quòd non hominem Deus est execratus, sed famem (vt dixi) & corporalem afflictionem tunc intulit illis generationibus. Nam cùm ipse generasset filium, dicit; *Nominauit nomen eius Noë, quòd interpretatur quies, dicens; Faciet nos quiescere ab operibus nostris, & laboribus manuum nostrarum, & à terra quam execratus est Dominus Deus;* nempe in pœna Adami. Egresso quidem

[Margin: Esa. 53.] [Margin: Deut. 21. Gal. 3. Ioan. 9.] [Margin: Is. 53.] [Margin: Maledicta & benedicta terra qua dicatur.] [Margin: Abrahā primus seminauit frumentum aratro.] [Margin: Maria Deipara.] [Margin: Gen. 5.]

Terra fuit sub maledicto vsque ad Arcam. Gen. 9. d

cetrè Noë & filijs eius ex Arca post diluuium, eis apertiorem confirmauit benedictionem qua benedixit Protoplastos: ET posteà dixit; *Cogitans non adijciam amplius execrari terram.* Tu autem cùm audieris quòd vsque ad Arcam vniuersa terra fuit sub maledicto, nihil aliud putes esse nisi Christi Ecclesiã, in qua confirmauit etiam Deus & renouauit veterem hominis benedictionem, quoniam post diluuium in innumerabiles afflictiones & castigationes à Deo pulsa cecidit hominum natura cui dominabatur impietas. Ex hac verò nobis proposita Dei cum Adamo collocutione, nos docemur multò magis spiritualiter audire & intelligere quæ dicuntur de Paradiso & lignis & fructu quem comedit mulier & homo. Nam cùm illic dixisset Deus; *Quo autem die ex eo comedes morte morieris*; quomodo hic in pœnis non solùm eos sustulit, sed eis dat vitam multorum annorum, mulieri quidem dicens eam in doloribus filios parituram, Adamo autem, *in doloribus comedes terram omnibus diebus vitæ tuæ?* Qui autem non conuenienter, nobis ineffabili, cuidam Dei dispensationi intelligunt spiritualiter omnia quæ dicuntur de Paradiso; coguntur omninò facere Sepentem autorem & cõciliatorem & effectorem vniuersæ nostrę hominum generationis, & Mundi constitutionis, per datum mulieri consilium. Sed non ita docet chorus sanctorum Patrum: sed quòd etiam absq; Serpente & ligno & cibo, ex illa diuina voce quæ dicta est Protoplastis; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; futurum erat vt consisteret genus humanum per carnalem generationem dissimiliter quàm creari erant Angeli.

Origenis error de animarum Præexistentia.

Procul enim à nobis recedat Origenes, & mystæ Origenis, animas nostras priùs esse visione fabulosè apprehendentes. Nam cùm ille natus esset, & extitisset, & ad identitatem (vt ita dicam) venisset cum tunica pellicea; nescio vnde motus & vnde hoc nactus, dogma constituit, Adamum & Euam fuisse (ante tunicas) nudas mẽtes in quas nullo modo caderet interitus, & quæ non essent capaces mortis & fluxus & cibi & potus & somni.

Methodius refellit errorẽ Origenis de animabus.

Deus verè fecit hominẽ è terra genitum.

1. Cor. 15.

Cuius prodigiosam insaniam euertens sapientissimus, Methodius, non vnam aut alteram sed etiam decimam nobis affert Scripturæ probationem, ostendentem quòd Deus ab initio verè fecit hominem è terra genitum & terrestrem, quomodò etiam nobis loquitur per os Pauli, dicens: *Primus Adam è terra terrestris*: primum enim est terrestre, deinde per Christum spirituale; vt sicut portauimus imaginem Terrestris, portemus etiam imaginem Cœlestis. Nam si per inobedientiam inquit, lapsus homo fuit transmutatus & in essentia alteratus (vt qui aliud ab alio corpus exuerit & induerit) in eo fuit à Deo affectus iniuria: Oportebat enim dęmones quoque qui longè plus deliquerant, hoc pati ante hominem; & ex natura immortali expertéque materiæ & in quam nõ cadit interitus, induere corpora mortalia & fluxa & in quæ caderet interitus. Secũdum rursus dicit Pater, quòd diuersitas figuræ genitalium membrorum Adami & Euæ, ostendit quod ea illis facta fuerant instrumenta ad procreandos & seminandos filios. Tertium, quòd dixerit Scriptura statim cum ipsa creatione; *Masculum & fœminam fecit eos.* In natura increata & in quam non caderet interitus, quis erat vsus masculi & fœminæ? Quartum, quòd per eis dictam à Deo benedictionem; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; ostenditur eorum filiorum procreatio per satum & carnalẽ partum: Quintum, quòd ante lapsum Deus mandarit vt ipsis & iumentis & volucribus communis esset esus seminum. Sextum rursus, Dicit magister:

Math. 15.

Si omne quod intrat in os, vadit in secessum, vt est vox Domini, fieri non posset vt cùm ipsi cõmuniter essent participes esus seminum qui est proprius iumentis, non etiam parem & ab interitu non alienam ferrent excæcationem. Septimum quòd & somni excessus, & excisio costæ, sunt indicia & argumenta carnis materialis & è terra genitæ, vt quæ locum non habeant in immortali natura. Octauum, si expers materiæ & incorporeus erat homo

A

ante inobedientiam; quomodò dicit de costa ex eo sumpta, HOC *nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea?* Nouum, Si *Christus* dicitur *primitiæ & primogenitus ex mortuis* (vt qui primus scilicet suscitauerit sanctissimum suum corpus ab interitu alienum & immortale) quomodò fieri potest vt antequàm esset primogenitus, factus sit homo à Deo in incorruptione carnis & in immortalitate?

1. Cor. 15. Coloss. 1.

Decimam autem ad ipsos demonstrationem facit ille Pater, illam Seruatoris vocem ad Sadducæos quæ dicit, quòd qui digni habiti fuerint illud sæculum assequi, & illam ex mortuis resurrectionem, *neque vxores ducunt, nec nubunt*: Neque enim ampliùs mori possunt.

Luc. 20.

Si ergo non possunt mori cùm sint in incorruptione, si quidem fabulatur Origenes, quòd resurgimus tales natura corporis, qualis erat Adam ante transgressionem.

B

Origenes negat resurrectionẽ carnis.

Sed manifestum est Origenẽ negare resurrectionem carnis, & ideò nudas ac solas esse animas nos & Adamũ quando factus fuit, impiè fabulatur, vt quæ essent ante corpus. Atque qui dicit quidem, ait ipse Methodius, Protoplastum habuisse corpus firmius ac longè melius, quòd ordinem habebat intermedium inter interitum & incorruptionem seu remotionem ab interitu, is minimè aberrauerit. Nobis enim hoc confirmat sapientissimus Salomon, dicens; *Propter incorruptionem fecit Deus hominem*; hoc est, intermedium inter influxibilitatem & fluxum, vt aut (si id quod est melius elegerit vt videtur etiã Gregorio Theologo) procedat ad perfectam incorruptionem & immortalitatem: aut si rursus terigerit id quod est deterius, perfectã subeat mortem, quod etiam

C

factum est conuenienter voci quæ ei dixit; *Terra es, & in terram reuerteris.* Sed de hac diuina sententia de cæterò nobis occurrit in præsentia dicendum aduersus Samaritanum.

Aduersus Samaritanum disputatio. Homo partim est ex terra, partim ex Deo.

Hanc enim nobis diuinam vocem susque déq; obijcit ad negandam & abolendam mortuorum resurrectionem, quæ dicit Adamo; *Terra es, & in terram reuerteris.* Aduersus quem (vt etiam dicam corporaliùs) illud ante alia oporter contẽdere, quòd non est integrè ex terra: sed aliqua quidem pars ex terra; aliqua autem non ex terra, sed ex Deo per insufflationem. Propter quòd, animam quoque viuentem vocauit illum Deus: & oporrebat (sicut etiam dicit quidã ex externis) quod ex terra est, in terram; quod autem ex Deo est, ad Deum reuerti: quandoquidem nec ipsa vniuersa corporis es-

D

sentia est integrè ex terra, sed ex igne, & ex aëre, & aqua. Sin autem homo est integrè ex terra, nihil differt à vase fictili, & iam posset quilibet figulus fingere homines. Sed neque factus est alius homo ex terra nisi solus Adam; & oportebat in ipsum solum ferre mortis sententiam, & non in vllum alium. Omnes enim nos homines sumus ex hominibus, & non ex terra: & maximè hoc de muliere dici non habet locum, quoniam facta est ex latere viri; & oporteret ei dicere: *Costa es hominis, & ad costam reuerteris.* Sed neque volueres, si spectentur verba Samaritani, subiectæ sunt morti, neq; pisces: non enim nati sunt ex terra, sed ex aquis. Quomodò autem cùm in præcepto dixisset Deus homini; QVA *autem die comederitis ex ligno cognoscendi bonum & malum, morte morie-*

E

mini; hîc in pœnis omnino non nominauit mortem, sed reuersionem, dicens; *Terra es, & in terram reuerteris.* Tu solùm redibis & reuerteris in terram, tu solus non etiam mulier. Quoniam ergo non dixit Deus; *Terra estis, & in terram reuertemini*; quomodò illic communiter præcepit: *Nolite comedere, ne moriamini.* Et rursus dixit communiter; MASCVLVM *& fœminam fecit eos*, & communiter dominium omnium dedit eis, cõmuniter escam priorem, & communiter vitæ degendæ rationem in Paradiso; communiter comederunt ex ligno, & communiter visum receperunt; communiter fecerunt subligacula, communiter audierunt vocem Dei deambulantis sicut de eo priùs diximus, & communiter timuerũt, & simul delituerunt: oporrebat etiam eos qui omnia communiter fecerunt & passi sunt, communem & eandem à

Deo accipere sententiam quæ dicit homini eíque soli; *Terra es, & in terram reuertêris.* Hîc enim, si mihi non succenseat Samaritanus & Iudæus, non loquitur Deus de vna eadem; sed de duabus. Non enim tunc dixit homini; *Ex terra es, & in terrā reuertêris*; sed, *Terra es, & in terram reuertêris*, aliam & aliam terram innuens. Et quoniam videtur multis hic sensus durus & coactus; si videtur, hoc probabo exemplis. Ponamus Deum dicere ipsi elemēto terræ, Tibi dico, ô terra, terra es & in terram reuertêris; an non manifesta est oratio, quòd dicit de duabus terris? Et rursus si dicat aquæ: Es elementum, & ad elementum reuertêris, est perspicuum quòd dicit de duobus elementis. Similiter etiam si dixerit Angelo; *Es Angelus, & ad Angelum reuertêris*, significauit nobis duos Angelos: Ita etiam per illud, *Terra es, & in terram reuertêris*, necesse est intelligamus aliam & aliam terram, & alium & alium Adam, & aliam & aliam reuersionem, & alium & alium reditum. Hæc differens cum Samaritano, te Fidelem præmunij, vt intelligas illum spiritualem Adamum qui dixit; *Ego ex Patre exiui, & reuertor ad Patrem meum.* Quæret autem omnino spiritualis & studiosus auditor; Si omnia sunt de Christo priùs descripta & figurata in Lege, vt dicit Apostolus; quomodò etiam pœna Adamo proposita potest ad Christum referri spiritualiter, in ipsis solis & nudis vocibus, & maximè illud, *Maledicta est terra in operibus tuis?* Quomodò fieri potest vt in Christo omnino intelligamus maledictionem? Tamen quoniam paulò ante audiuimus Christum dicentem Serpenti in maledictione; *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*; hoc est, terrestres & materiales & limosos sensus peccati. Cibus, inquit, Serpentis fuit maledictus & condemnatus in ineffabilibus Christi operibus, vt & Serpēs & eius cibus essent maledicti. Quomodò enim cibus Christi est iustitia, ita etiam serpentis cibus est peccatum. Nec mirêris cùm audis terram nominari terrestres sensus peccati, audiens Christum eam etiam nominare Mundum quando dicit Discipulis; *Vos non estis ex Mundo* sicut ego non sum ex Mundo; hoc est, ex sapientia terrena & mundana. De qua etiam clamat Paulus aliquibus; *Nolite sapere terrena, sed sapite superna.* Ita etiam Propheta nos idipsum docet, dicens; *In matutinis interficiebā omnes peccatores terræ:* hoc est, amputabam omnes malas cogitationes irruptionis peccati. De quibus rursus admonet eos qui viuunt in peccatis, dicens; *Deficiant peccatores à terra:* quasi diceret, de cæterò recedant peccatores à peccato. De quo Deum appellat dicens; *Exurge Deus, iudica terram:* hoc est, condemna terrestre peccatum quod est cibus & sumptus serpentis, eius condemnans scholam ne versetur in toto genere, sed ipsum abscondens & potiùs in cinerem redigens vt ad nihilum redigatur. Tu enim *Deus noster es ignis consumens.* Christus autem cùm sit Deus, venit ad iaciendum ignem in terram (nempe peccatum) & fœnum, & spinas, & tribulos, & culmos, & paleas, & Zizania, tanquam materiam fœtúsque & germina infertilitatis & peccati. Quoniam ergo didiscimus quemadmodum Serpens comedit terrā omnibus diebus vitæ suæ; & rursus quomodò Christus eam consumit & expurgat cùm fœno & spinis & tribulis; de cæterò ne timeas neque dubites referre ad ipsum cogitationē tuam in hoc quod dicitur; *Maledicta terra in operibus tuis:* Et; *In doloribus comedes eam*, & purgabis tanquam Dominus terram populi tui. Audiuimus enim quādam etiam in ipso sancto Spiritu tristitiam propter peccatum hominis, vt quando dicit Paulus; Ne tristitia afficiatis Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis. Illud autem; *Spinas & tribulos producet tibi*, appositè intellexeris de Christo & synagoga Israël. Vnde etiam tali terræ tunc dicebat, quando ei imposuit coronam ex spinis; *Expectaui vineam meam vt faceret vuam, fecit autem spinas & tribulos.* Restat vt audiamus Dei Verba quæ deinceps sequuntur ad corporalem & spiritualem Adamum; Subiungit enim dicens; *Et comedes herbam agri, In sudore vultus tui comedes panem tuum.* Quæres (si modò ijs quæ dicta

Terra es, aliud est, quàm si dicatur, Ex terra es. — *Ioan. 16.* — *Maledictio quomodò intelligatur in Christi operibus.* — *Christi & serpētis cibus.* — *Ioan. 15. c* — *Psal. 100.* — *Psal. 103.* — *Synagoga fecit spinas & tribulos, quādo imposuit Christo coronā ex spinis. Is. 5.*

A sunt fidem habeas) quomodò dixerit Deus hominem vesci tribus cibis; nempe priùs quidem terra, secundò autem herba, tertiò verò, pane, proprio cibo hominis? Non enim dicit ei; *In doloribus comedes terram:* Neque de herba dicit; Et comedes herbam tuam; sed hoc solùm ponit in pane, dicens: *In sudore vultus comedes panē tuum;* hinc nos docens quòd terra quidem rationis particeps est propriè cibus Serpentis, qui intelligitur idololatria; quam etiam Deus execratus est & maledixit. Vnde etiam tanquàm vetus hoc & primum peccatum; idololatriam (inquam) primùm ponit. Herba autem est expers rationis & belluinus cibus peccatorum inferiorum. Panis verò est cibus hominis, qui quidem in sudore & laboribus sumitur: Et ideò dicit Deus (panem dicens solùm esse proprium hominis) *Comedes panem tuum:* vtpotè quod herba & terra sint significantia peccati & B impietatis. Aliter ergo illa consumit Christus (nempe ea delens & penitus interimens) & aliter proprium panem comedit sanctissimi sui Corporis, eum expurgans & comminuens, & deificans, & interitui nō obnoxium reddens, & renouans etiam ex ipsa vnione: Sed etiam illo tempore quo *sudor eius vultus factus est tanquàm guttæ sanguinis*, quando etiam dicebat se esse tristem vsque ad mortem. Nam post eius mortē deinceps aufugit tristitia & dolor, aufugit & gemitus, quæ erant ante passionem; & pro eis est introductū gaudium & lætitia & exultatio, & incorruptio. Atque sudores quidē & dolores, & herbæ, & spinæ, & tribuli, & tristitia, omnia hucvsq; fuerūt, donec morte affectus reuersus est in propriam terram ex qua sumptus est, ex qua etiam fuit assumptus cum C sancti corporis natura è terra genita, congruenter voci quæ ei dixit, *Terra es*, vt qui sis homo; *& in* aliam *terram reuerteris* cœlestem; in terram spiritualis Israëlis, veræ nostræ in cœlis promissionis, in terram mitium, in terram sanctam, in terram & regionem viuentium, & ciuitatem Domini virtutum. Ierusalē cœlestem. Quoniam ergo per mulierem Vitam, quam ex suo peperit latere, somno sopitus qui naturā viuificat, & sic ea est exectus qui dicit; *Ego sum vita*; hæc facta sunt, & venit in Mundum, & per ipsam dissoluit mortem, & per ipsam viuificauit illa gentium animalia quæ in Paradisum ad ipsum fuerant introducta, & per ipsam viuificauit mortuos ex Inferis, & mortali naturæ vitam est largitus; ea de causa & pœnam mortis subijt nouus Adam, & nomen suæ D vxoris (nempe Ecclesiæ) posuit vitam *quoniā ipsa est mater* omnium viuentium, absconsam in Christo vitam. Hinc docemur magnam admirabilem Ecclesię gloriationem. Beata & ter beata est spes & in altum elatio Christianorum. Nam per ea quæ dicta sunt discimus quòd omnes reliquæ Fides quæ sunt in Mundo sunt mortuæ, & matres mortuorum populorum & gentium, vt quæ in se non habebant eum qui dicit; *Ego sum vita*, neque regenerant & viuificant per vterum aquæ & Spiritus, suos filios & populos: sed sunt sine semine, & viduæ fontis vitæ, non fruentes aqua viua & saliēte in vitam ęternam. Sola ergo eius Ecclesia dicitur & Vita & mater omnium viuentium. Et propterea eius etiam vxor est mater, non mortuorum sed omnium viuentium Christum veram E vitam; & quicunque ex ea non nascitur, est mortuus peccato: Corporalis autem mulier Adami corporalis, non est mater viuentium sed mortuorum hominum. De hac autem matre spirituali, non dicit quòd sit mater omnium hominum, sed mater omnium viuentium, vt quæ sit vita, & ea de causa omnino nō nominauit Deus in eius pœna, mortem; quandoquidem cùm sit vita secundùm naturam, est aliena à morte, permanens ęterna. Si autem me nunc vrget Iudæus vt intelligam corporalem Adami vxorem matrem omnium viuentium; necesse est omnino vt dicam eam esse matrē Angelorum: Nam illi etiam plusquam nos sunt viuentes. Quid ergo, inquit; Ecclesia est ne etiam mater Angelorum? Nequaquam: sed quoniam vir eius est eorū creator, adoptióne etiam dicitur eorum mater. Quoniam ipsos etiam fecit

Serpētis cibus est terra. — *Bestiarum & Hominis cibus.* — *Christus comedit panem sāctissimi sui corporis. Luc. 22.* — *Christus, reuersus in terrā vnde sumptus fuerat.* — *Ioan. 11. & 14.* — *Ecclesia, est vita omnium viuentium.* — *Coloss. 3.* — *Fides omnes præter fidem Ecclesiæ, sunt mortuæ. Ioan. 14.* — *Ecclesia, vt quæ sit à Christo adoptata est etiam mater Angelorum.*

Hebr. 1. eius administratorios Spiritus, qui *mittuntur ad ministerium* ad eam & pro eo. Oportet enim eos seruire adoptiuæ matri & coniugi viri eius & Dei ipsorum. Vnde cùm omnia contineat & viuat, Deus imposuit ei nomen maximè generale & comprehendens; eam appellans vitam: si quidem Vita non est nomen personale, sed vniens & comprehendens: nam & in Deo & Angelis & in hominibus congenita est vita. Existimo autem & propterea quòd Ecclesia sit multorum generum & multarum gentium, habens suum corpus & plenitudinem ex vniuerso genere quod est sub cœlo; vendicauit sibi nomen maximè generale: quomodò illa quoque terribilis & stupenda bestia apud Danielem quæ caret nomine, & non habet (tanquàm aliena) nomen consistens, propterea quod ipsa quoque priùs describat ac figuret regnum Romanorum & Christianorum. Oportet autem præter hæc omnia aduertere, quomodo hæc spiritualis coniux secundi Adami, à deteriori nomine profecit in melius. In principio enim vocata est Costa, & secta seu diuisa; significante (vt arbitror) hac amputatione & diuisione defectionem à Deo quæ erat ei euentura. Deinde post hoc ædificata & in melius excitata; propterea quòd ad virum Christum appropinquârit, appellata est mulier. Postremò autem omnium appellata est vita, vt quæ à morte profecerit ad vitam. Vir autem eius non ita, sed ex meliori nomine accipit peius. In primis enim Adam magnum honorem & gloriam adeptus, vt qui sit appellatus imago & similitudo Dei: deinde posteà appellatus est homo, & posteà rursus Adam; & postremò omnium, terra; vt per hæc apertè discamus & erudiamur quæcunque sunt in Protoplasto, referri ad Euam Ecclesiam, & Adamum Christum. Sic enim *cùm* in principio *esset splendor & character substantiæ ipsius* Dei inaspectabilis, *seipsum exinaniuit serui formam accipiens*, vt Ecclesia ex mendicitate diceretur vita; id effecta, & ex ipso nominata, & in libro viuentium collocata. Nam quòd ad reliquas Fides attinet, de eis dictum est; *Deleantur de libro viuentium*, filiorum scilicet Ecclesiæ, matris viuentium, *& cum iustis non scribantur*. Iniustæ enim sunt quæ Deum negauerunt, & iniustum Satanam elegerunt; cui etiam cultum per idola exhibere prætulerunt relicta Ecclesia. Quæ quidem vt filijs abundans, & sæpe pariens, & fœcunda sobole, & multas habens personas, vniuersale (vt ita dicam) habet nomen, sicut est Vita vniuersalis. Eius autem vir Christus, vt qui est vnigenitus, & vnam habens personam; cùm sit indiuiduus, vnius personæ hypostatico nomine est nominatus. Atque poteram quidem hic quoque contendere aduersus Samaritanum: Sed si multa dicam, timeo satietatem Auditorum. Ipse enim corporalem Adami vxorem dicens & intelligens esse matrem omnium viuentium, necessariò vel inuitus fatetur esse viuentes animas hominum: Sin autem dicit morientes, Deum ostendit esse mendacem. Non iam inuenitur mulier mater viuentium sed mortuorum, ad similitudinem iumentorum. Nam quod attinet ad Samaritanum, & canis & asina iam sunt matres omnium viuentium; siquidem nulla est differentia animæ animalis & animæ hominis. Sed isti quidem suam erroris viam ingrediantur: Nos autem hìc librum finientes, vniuersorum Regi Christo gloriam emittamus, nunc & semper & in sæcula sæculorum: Amen.

Marginalia (left column): *Vita nomen generale in Deo, Angelis, & hominibus.* — Daniel 7. — *Euæ & Ecclesiæ tria nomina.* — *Adami, & Christi sunt quatuor, nomina.* — Hebr. 1. — Phil. 2. — Psal 68.

ANASTASII SINAITÆ, EX *Sermone de sancta Communione, fragmentum.*

FRATRES ergo ne iudicemus, rogo, vt venia digni existimemur. Tu enim fratrem tuum forte peccantem vides; nescis autem quis sit eius vitæ futurus exitus. Latro ille qui vnà cum Iesu crucifixus est, sicarius erat & homicida: Iudas autem erat Apostolus, & Discipulus Christi, & ex veris germanis discipulis. In exiguo autem tempore, parua rerum commutatio facta est; & Latro quidem in regnum, discipulus verò in perniciem factus est. Sed age verò; sit tibi frater peccator, reliquas eius rationes vndenam scis? Multi enim qui palam peccârunt, clanculùm posteà magnam pœnitentiam egerunt: & nos quidem eos peccantes vidimus; eorum autem pœnitentiam & conuersionem non nouimus: & apud nos quidem iudicantur vt peccatores; sunt autem apud Deum iustificati. Quamobrem rogo vos ne vllius hominis † mala in memoriam reuocemus, eiue exprobremus, donec venerit iustus Iudex qui etiam occulta tenebratum illuminabit, & cordium consilia manifestabit. Imprimis autem ne Dei Sacerdotes de occultis & incertis, quæ de illis audiuisti peccatis, iudica. Ne dixeris; is qui offert, est peccator, condemnatus, indignus. Occultorum peccatorũ est iudex, & examinator; hoc in te agnosce, quemlibet esse te altiorem; & iusto Iudici iudicium permitte. Sit autem Sacerdos in decretis de Deo, firmus & constans; reliquorum tu non es iudex & inquisitor; sed modum proprium auctoritatémque cognosce. Quid verò; inquit; non, examinationibus, Ecclesiasticísque canonibus est obnoxius Sacerdos? Maximè. Sed is per te non iudicabitur vel examinabitur; sed à Deo, vel sæpe etiam à maiori Sacerdote seu Antistite. Tu autem cur Pastorem iudicas, cùm sis ouis? Cur Dei iudicium, ac sacerdotalem dignitatem quæ tibi non est tradita, nec à Deo credita, Pharisaïcè accipis? & ideo rogo vos neminem iudicate, præcipue autem Dei Sacerdotem: sed accede cum fide, & efficaci pœnitentia & pura conscientia ad Dei mysteria; & omnem sanctificationem assequêris: est enim Dei Angelus seu nuncius qui offert incruentum sacrificium. Tu autem indigne accedis? Angelus te nequaquam à peccatis purgabit. Et quòd id quod dicitur, verum sit; ipse Iudas restabitur: Ipse enim cùm ex impollutis manibus Domini, Diuinum panem accepisset; quia eum idigne acceperat, protinùs ingressus est Satanas in eum.

Marginalia (right column): *Ne fratres iudicemus.* — Luc. 23. — Ioan. 13. — † μνησικακῶμεν κακά. — *Sacerdotes de incertis peccatis non iudicandi.* — Luc. 12. c — *Ad mysteria quomodo accedendum.* — *Incruentum sacrificium.* — Ioan. 13. c — *Diuinus panis.* — Ioan. 13. e

THEODORI

THEODORI IN COENOBIO RAITHV PRESBYTERI COMMENTATIO PRÆPARATORIA, SEV EXERCITATIO AD EVM SCRIPTA QVI DOCERI CVPIAT, QVIS FVERIT modus carnis à Deo assumptæ atque dispensationis, quóve pacto peracta est: quæ item ab alumnis Ecclesiæ astruantur aduersum minùs rectè de ea sentientes: Godefrido Tilmanno Cartusiæ Parisiensis Monacho Interprete.

Isagogen, ipsemet Author vno verbo Græco appellat in Expositione Vnionis 2. Naturarum in Christo. Ex hac quidem nunc (inquit) *vt in præuia Isagoge, dicta sunto,* &c.



MORVM probitate alienum esse duco, nequeid pessimè mecum reputaui (Est enim absurdum prorsus & insolens) si illi quidem qui pro tuenda mēdaci falsitate Eutychis & Dioscori, in vnum conspirant, ac veluti militarem delectum agentes contra veritatem, tanta pertinacia tótq; peruigilijs solam Catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam oppugnant: ita vt quos habent puerulos linguæ (per ætatem) adhuc impeditioris & necdum compotes plani eloquij, aliquanto etiam prius quàm ad magistros se conferant, erudiendi primis litterarum elementis eos exacuant atque persuadeant inducendo quò dicere possint & audire quæ afferuntur pro tuendo dógmate præcipui apud se honoris. Nos contrà supinè adeò lentescimus, vt videamur animis concidisse; vt ne hoc quidem ipsum scire adnitamur quæ hæc sit differentia oppugnantiū Ecclesiam, & cuiusmodi initijs hæc velitaris pugna conflata sit aduersum nos; qui item eorum duces sint hi à quibus suam sortiuntur agnominationem. Quapropter differere de his, non debemus existimare superfluæ esse & vacantis operæ. Vt sit Ecclesiæ restituta pax, gratia & erga nos benignitate Dei, simus licet in tranquillitate, nec vlla nos exagitet perturbatio submota omni procul hæresi, inque suis spelæis delitescente: non statim consequitur nos inermes esse debere ac proinde imbelles per inexperientiam belli; ne bello præter spem ingruente deprehēsi nudi & imparati, ab impietate opprimamur. Vsq; dum secundo aspirante vento nauigas, time naufragium (Theologus ille ait Gregorius) & minùs senties naufragiū, subsidio vsus timoris. Itaq; iuxta præceptum Apostolorum principis, *parati simus ad satisfactionem semper, omni poscēti nos rationem de ea quæ in nobis est, spe, cum mansuetudine & timore, conscientiam habentes bonam:* vt per hanc diligentiam commendatione dignam, ex vtrouis omnino alterutrum contingat: aut eos qui se segregant, ad salutem prouehamus & eosdem ab hac peruersa dijudicatione abripiamus, vt monet qui Frater Domini cognomento dictus est: sin id non obtinebitur vt saltem impudens illorū os increpationibus legitimis oppilemus, ne vnde occasionem arripiāt deblaterandi aduersus veritatem. Quod porrò antiquius est his ac præstantius, vt nouerimus & compertissimum habeamus quanam fide nitamur: gloriemur etiānum, sumpta nimirum liberiore fiducia, & aperto ore eam profitentes; cuius cōfessionis gratia, aduersas Potestates à nobis amollimur. Quin etiam, quatenus assequi datur tempore futuræ retributionis, merces accedet vberior; plenior item commendatio competentis pœnitentię, cui solidè ac firmiter adiuncta fuerit religiosa obseruatio eorum quæ semel & vt ferè fit, innotuerūt in susceptione ipsius fidei, iuxta consuetudinem à maioribus traditam; & hi quidem per accidens solùm illi autem qui fideles fuisse deprehenduntur, mente & animi destinatione, si quiquidem contigerit eos remissioris fuisse animi & tutelæ parentum hæreticorum addictos, non interrogasse quæ fide digna sunt, ac ne curasse quidem, à se vt excuterent vestem impietatis à maioribus acceptæ, sicnescire, nec interim velle doceri, damnabile est. Dictum ob id est, *Sapientiam & disciplinam qui negligit, infelix est;* qui contra diligit disciplinam, inueniet scientiam cum iustitia. Cæterum, vt lector quiuis propositi operis, minore negotio capiat quæ contra impios ex aduerso dicuntur necessarium putaui pauca quædem in ordinem digerere ad totius Operis introductionem, à qua exorsus sic loquor.

De vtriusque & hæresi & abrogatione, lege li. 2. Euagrij Scholast.

Hæreticorum cura, & Catholicorum socordia in instituendis pueris.

παρρησίας.

Catholicis metuendum semper ab hæresi.

Hæreticorum filij.

Sap. 3. c

Opinio Manetis.

Manes ille qui suo commento tenebras, veriùs, figmentum potestatis tenebrarum opposuit Deo: Hic imaginatione planè fallaci commentus est & veluti per insomnium visus est videre, quia Dominus se conspicuum exhibuerit in specie per quàm exili, subque inani habitu corporis. Itaque asserit ipsum quidem visum esse pati simul & facere quę secundùm nos & peregit & passus est: nihil alioqui eorum reipsa aut verè substitisse, sed in speciem tantùm credita esse & fallaci quadam suadela imposuisse hominibus quibus cum conuersatus est. Quare in Domino duas fateri respuit naturas, sed vnam solam admittit, nempe diuinitatis: Quasi verò imaginatam illam corporis habitudinem indignam duxerit quæ à se appellaretur & in nomen transiret humanæ naturæ.

μανης, qui & Manichæus.

Opinio Pauli Samosateni.

Istius Manetis tempore natus est Paulus quidam, genere quidem Samosatenus, Antiochenæ autem Ecclesiæ quæ in Syria est, præses. Hic blasphemus mentitus est, Dominum nudum fuisse hominem; & quemadmodum in vnoquoque Prophetarum, ita & in ipso habitasse Deum Verbum. Hinc commētus est duas in Christo fuisse naturas distinctè se habentes: nec vnam quouis modo alteri inter se fuisse communicabilem; ac si alius esset ipse Christus, alius in eodem habitaret Deus Verbum. Enimuerò vtrámque eius natiuitatem siue generationem perfido ac blasphemo ore censuit dici naturam vnam & alteram in Christo Saluatore sic vt per illam humanitatem auferret, per hanc verò, abrogaret ei diuinitatem.

Opinio Apolinarij.

Dein quum plusculum temporis processisset, Apolinarius quidam Laodiciæ Syriæ maritimę Pręsul alterius insaniæ fuit author. Asseuerantibus enim Arianis ad vnum omnibus carnem Domini fuisse inanimem; iste Apolinarius dixit eum carnem assumpsisse animatam quidem sed vitali anima, non item accepisse mentem seu intellectum. Neque enim ea caro humana mente egebat, quippe quæ ab ipso regebatur qui eam subierat, Deo Verbo: quin & ipsa incapax erat alterius intellectilis potentiæ, præterquàm diuinæ; neque enim humana quæuis mens sustinuisset cohabitare præstantiori Domino. His suopte ingenio constitutis obnoxiè contendebat vnam esse & Verbi & carnis naturam: tantùm vt per abiectam carnis conditionem, totus censeretur esse homo, nec vlla proinde iniretur ratio naturæ præstantioris.

Opinio Theodori Mompsuestiani.

Secundùm hunc Apolinarium mox emicat sequens promit Theodorus quidam à ciuitate cui Mompsuestia nomen est. In terra Cilicum hic accepto ducatu, aduer-

uersus Apolinarium ex diametro pugnans, non leues contumelias impudenti animo & intrepido corde effundit aduersus Dominum Christum, cum appellans hominem vt vnum aliquem ex nobis communiter; qui & per gradûs promouens, accepta à Deo gratia promeruit nominari Deus; idem per baptismum in Iordanis fluuio in primis dignus est habitus dono Spiritus sancti baptizatus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Cæterum Deus Verbum qui ipsum inhabitabat proprer præcellentem eius virtutem, pro bona sua voluntate, denique post consummationem, consortem fecit diuinæ maiestatis & adorationis. Hæc & consimilis formæ permulta blasphemus hic ementitus, duas asserit in Christo se nosse naturas suis proprietatibus circumscriptas, & sola inter sese habitudine consertas.

Opinio Nestorij.

Hos proximè sequitur Nestorius quidam nomine, ortus quidem è Germanicia Syriæ, verùm Antiochiæ quæ apud Orontem fluuium sita est, ascriptus Clero; denique is Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi vendicat thronum. Rursus hic duarum naturarum quæ in Christo sunt, voce abusus est; impiè detorquens naturæ nomen, peræquè ac sui progenitores Paulus & Theodorus. Non enim vt veritatem duarum in Christo naturarum, diuinæ pariter & humanæ consignaret, & earum incommutabilem persistentia citra vllam confusionem, ostenderet vtramq; constituit naturam: sed vt prætextu istius duernionis, dolo malo duas subindicaret personas; maliciosè ac reuera peruerso suo more accipiens Naturarum vocem pro Personis, dum interim per liberiorem & temerariâ agnominationem vocis istius τῶν φύσεων naturarum, interdictam (in Christo) dictionem τῶν προσώπων, hoc est, Personarum in medium adferti ita vt secundùm hunc, alius sit Christus, alius item Deus Verbum, iuxta errorem illi à maioribus instillatum. Filius quippe hic erat Cilicis, at Samosateni pronepos: & ob hoc perpes & implacabile gessit bellum aduersus venerabilem & intemeratam Virginem, nec vllo dignatus est honore castissimam Dei matrem Mariam, vt Domini matrem: sed perinde ac seruus ceruice obdurata & perfricta fronte impudens suum met negabat Dominum, suam ipsius dominam aspergens pudendo dedecore, dum nomenclaturam hanc, θεοτόκος; id est, Dei-para, non tam ei inuidet quàm ne is dicatur Deus qui ex ea genitus est. Planè hic Nestorius tertius prodijt Iudaicæ istius hæreseos auxiliaris patronus, eam in se recipiens & contrahens.

Nestorius Pauli Samosateni pronepos.

Opinio Eutychetis.

Oppositæ partis quę à Manete & Apolinario stat, rursum tertius hic Eutyches innotuit propugnator, qui & vnicuipiam præerat monasterio eorum quæ circa Constantinopolim sita erant. Hic enim non sustinens nos confiteri Dominicam carnem consubstantialem nobis esse & connaturalem; negauit duas in Christo naturas incolumes esse potuisse ac saluas, vnà cum earundem vnione & connaturali proprietate. Nec solo hoc errore contentus, insuper prodigiosa quædam & absurda prorsus secum comminiscebatur, asserens Domini corpus è cœlo delatum & per Virginem ac si per fistulam aut canalem præterfluxisse Deum Verbum, qui è cœlo assumptum sibi induisset corpus: idq; vt crederetur prognatus propemodum ex muliere, non item genitus. Doctrina hæc Manichæi est, nempe præ illo Manete tantò magis per imaginationem excogitata. Hic igitur Naturam vnam detulit Christo, auerso prorsus & obliquato corde, secundùm vnam naturam.

Ecclesiæ Definitio.

Duæ ergo partes quum sint vna quidem iuxta Manetem, Apolinarium & Eutychen: altera autem iuxta Paulum, Theodorum & Nestoriũ, & quidem illi secundùm vnam naturã, hi autem secundùm duas: è regione inter sese pugnantes, Dominum Christum inscitè admodùm expresserunt. Eorum vtrinq; pessimas peruersiones, inflexionésq; impias elidens ac respuens Catholica Ecclesia, per mediam vtriúsque falsitatis incedens viam, graditur per viam nimirùm regiam neutrobi declinãs; non ad ea quæ in speciem dextera sunt, non item ad ea quæ in prospectu sinistra sunt. Non enim sustiner fateri iuxta Manetem, Apolinarium & Eutychen; vnam in Christo simpliciter conuenisse naturam, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, accessione dictionis INCARNATAM declarans naturam humanitatis quam natura Dei Verbi assumens, simúlque & cum eadem vnus Dominus Iesus Christus natus est. Sed neque ipsa Dei Verbi natura à seipsa permutata est, non item aliena affecta à gloria quę illam addecet maiestatem, etiam si Deus assumpta carne natus sit, & quidem carne non simpliciter natus creditur (hoc enim Arianismum resipit) sed carne animata; Nec vtcúmque animata solùm. Reuoluitur enim & hoc in Apolinarij errorem: sed carne animata, anima vtique intellectu & ratione prædita. Neque verò hominis naturam, qua assumpta natus est, suæ infudit diuinitati aut eam ipsam permutauit; prætetquàm iuxta naturalem & essentialem ipsius finitionem atque rationem. Neque quemadmodum assolet ignis ceram; ita eam humanitatem assumpsit. Itaque integra definitio quam hæc manifestant, à pietatis cultoribus sic effertur: Vna natura Dei Verbi incarnata, carne animata; animâ vtique intellectuali & rationali. E diuerso iuxta Paulum, Theodorum & Nestorium, duas in Christo naturas vtcumque fateri; Ecclesiastica improbauit doctrina: sed duas naturas recipit substantialiter vnitas, hac inductione repudians omnem diuisiuam animi conceptionem, cúmque reprobat quisquis contendit in partes diducere hanc Naturarum vnionem supernaturali modo & admirabili consertam. Nec solùm naturas duas substantialiter vnitas confitetur, sed vnione quæ secundùm personalem substantiam indiuulsè simul & inconfusè subsistit.

Ecclesia Catholica incedit media inter Hæreses.

Catholica Expositio vnionis 2. Naturarum in Christo.

Expositio Definitionis.

Sanè finitio hæc duas profitens naturas; signat alterius quidem generis, alterius item essentiæ naturas duas in vnum conuenisse; assumẽre diuinitate, assumpta verò humanitate. Et quidem per hoc quod dicit substantialiter vnitas, significat vnionem hanc duarum naturarum intelligi debere non solum iuxta pium erga nos affectum aut alteram quálibet habitualem intelligentiam; sed ipsa essentia ac subiecto rebúsq; ipsis, eas simul substitisse & esse coniunctas. Quod autem dicit; *Vnione secundum subsistentem Naturam;* indicat humanitatem eam non priùs conformatã fuisse, & ita eam demùm diuinitatem subijsse: sed quia secundũ id, vt subsistit prima sui origine, vnita est diuinitati. Per id porrò, quod infertur; *Indiuulsè simul & inconfusè;* significat, Naturas, dum in vnũ conuenerunt, per eam vnionem nulla sui parte fuisse innouatas: sed & harum vnionem subindicat semper & eodem modo esse conseruatam, & vtramque persistere citrã vllam sui imminutionem. Et hæc quidem pro substantiali ipsius Vnionis definitione & ratione. Istiusmodi igitur argumentis nulli prorsus obnoxijs calumniæ & in offensis, doctrina Ecclesiæ amandat longiùs ac submouet eos qui ab vtraque parte aberrarunt, nec vllum cedit locum volentibus calumniam obtendere veritati. Etenim si quis æquò amantior diuisionis, contentiosiùs volet per duarum Naturarum confessionem argumẽtis colligere duas Hypostases siue duas subsistentes Personas; id quidem iuxta prædictas inductiones nullo vnquã pacto impetrauerit: multò autem magis & per quàm facilè ab alterutra finitionum coarguitur. Dico autem vel hac; *Vna Natura Dei Verbi incarnata:* Hæc enim definitio euidenter exprimit nunquam in hypostasi internosci omnino potuisse humanitatem à Christo assumptam, nisi diuina Verbi natura Virgineam aluum subingressã eam humanitatem ex ipsa Virgine sibijpsi, modo ineffabili conformasset atque effinxisset, ita vt nec principium quidem aut actum primum † viuentis effectus sortita foret

† ζωοπλασίας.

foret assumpta natura, absque essentiali naturalique & grata sibi inhabitatione naturæ Dei Verbi ipsam humanitatem assumentis. Ecquid loquor de principio * diuinæ operationis, quando ne si ipsa quidem beata Virgo supra naturæ ordinem, vim accepit prolificam, ad propagationem ac genituram, an non ad hoc promota est per Verbi diuini præsentiam? Quo igitur pacto eadem Christi humanitas, in separata hypostasi secundùm se nunquam genita, sed in assumente eam Deo Verbo sortita vt esset, viq; subsisteret, dici aliquando potuit hypostasis siue persona per se subsistens, habuerit quo per se seorsim & particulatim internosceretur? Stolidi prorsus & vani sit hominis talia comprobare, duásque in re eiusmodi quærere hypostases aut Personas à se disparatas. Id quum non sit, cur vtique vnus aliquis talia quidem labiis honorat & complectitur suauiter, cor autem eius longè abest ab his? Itaque si quis synceriter & Ecclesiasticè cōfiteri vult duas in Christo naturas: illud item; *Vna natura Dei Verbi incarnata*; eadem submissis manibus integro item corde excipiat, ceu prædicta explanatio declarat. Quod si is nos putat per hoc permiscere aut confundere diuinam dispensationem, quasi Incarnati ratio aliter etiam intelligi possit quàm continet sermo pietatis, hāc alioqui recipiens inductionem, *Carne animata anima intellectili & rationali*, desinat in posterum caussificari ac prætexere excusationes in peccatis. Cuiusmodi fuerit, si dicat: *Incarnata*, potest vni acquiescere naturæ nec interim superinducere ei naturam alteram. Potest insuper conuersionem aliquam naturæ huius siue mutationem designare, sicuti Chrystallum dicimus esse naturam aquæ frigore concretam. Ecce enim quum sciamus vnam esse aquæ naturam; huic si addimus, *glacie contractam seu compactam*, per eiusmodi annotatiunculam, vtique illi non superinduximus naturam alteram. Tantum est, per vocem, χεκρυςαλλωμένη, id est, *frigore contractam*, intelleximus concretionem quandam ac soliditatem factā esse circa fluidam aquæ naturam. Ad hoc respondemus in rebus eiusmodi non solere reduplicari tales voces. Ibi enim reduplicatio vim habet significandi naturam alteram, cuiusmodi nō possumus dicere aquæ naturam cōcretam de Chrystallo: quādo per hæc indicauimus aliud quiddam esse aquæ naturam, aliud item Chrystalli; ceu quum dicimus lignum inauratum auro. Per hanc enim reduplicationem, intelleximus aliud quiddam esse lignum aliud item aurum. Eundem igitur in modum & hic; cùm dixerimus vnam esse naturam Dei Verbi Incarnatam: si adiiciamus, CARNE, iam consignauimus naturam carnis. Adde, quia & ipsa diuinitas neutiquam est in carnem permutata: sed permanens quod erat, per velum, hoc est, per carnem, à maiestate filij assumptam, nobis se manifestauit. Talis intelligentia nobis tandem reddita est per eiusmodi reduplicationem. Si quis rursus confusaneæ litis amantior simul & conspersione erroris fermētatus non quidem repudiat talem definitionem, quippe qui contendat eam esse suæ impietati consentientem: Et quidem maximè quæ à me sunt præmissę inductiones, istius malignam conceptionem quàm lōgissimæ propulsant ac submouent. Sane altera illa finitio quæ Christum in duabus Naturis innotuisse mortalibus pronunciat, multò hæc magis elidit, & confutat clancularium dolum sic malignantis. Hæc enim definitio perspicuè clamat, nimirum quia vtriusque naturæ proprietas stabilita sit & ingressibilis, atque adeò in sua perseueret vnione: ita vt quis facilè possit discernere quid vtriq; cōuenientiū Naturarum sit proprium, quid insuper inter se accōmodet & distribuat vnumquodq; eorū quæ propria sunt, quæue inuicem recipiat à simul subsistente ac simul adiacente. Hoc proinde est propriū isti purissimæ & singula quæque in ordinem digerenti Vnioni; quòd quæ communia sunt vtrique naturæ, quæ item sunt propria vnicuique coünitarum naturarum declarat. Non enim nisi intellecta priùs proprietate, ipsa cōmunitas agnosci queat. Quo etenim pacto in re quapiam fiet communicatio, nisi vnumquodque communicantium habeat quiduis sibi peculiare? Mihi iam attēde, quia secundùm hāc rationem, proprium naturæ Dei Verbi assumentis est, Deus vt sit: proprium item assumptæ hominis naturæ est, filius vt sit hominis. Contemperatis igitur hisce naturis & inter se iusta dimēsione libratis, ratione connaturalis coalescentiæ atque vnionis in vnum conueniunt ac temperantur mutua copula, Nec secus se habent naturæ vtriusque appellationes. Efficitur proinde vtraque natura vnus filius Dei simul & hominis: hoc est: filius Patris & Virginis Mariæ matris. Exempli gratia; *Tu es Christus filius Dei viui*. Et, *Emisit Deus filium suum factum ex muliere*. Sermo igitur Ecclesiasticus inculpatus est qui denūciat vnum esse Dominum Iesum Christum. Hæc vox, *Deus*, nomen est naturæ, perinde atque, *Homo*, naturæ est nomen. Quando igitur ipse Christus & Deus est & Homo; ob hoc, duæ licet sint naturæ, vnus tamen & idem conceditur esse Dominus. Rursus quia vnus ipse est filius Dei Patris videlicet atq; Virginis matris. Nomen proinde, *Filius*, personæ subsistētis significatiuum est non item naturæ, quare hypostasis vna, nēpè persona Christi secundū diuinam naturam pariter & humanam à piè credentibus glorificatur. Vnam itaque subsistentē personā duas insuper naturas venerans sermo Ecclesiæ, media quadam incessit via; neque Manichæum sequēs qui propter Vnionem & Naturas nouo figmēto affinxit naturæ: nō Pauli errorem imitatur propter diuisionem, quam commētus est per Vnionem naturarum, & ex persona Personas constituens. Neque enim vna vtrarúmuis per partes efficit aut diuisionem sine vnione aut vnionē sine diuisione, sed simul ac secum iunctim. Vnitè enim diuidit, vnam quidem personam dicens, naturas verò duas. Distinctè etiānum connectit, duas quidem profitens naturas, personam autem vnam iuxtà magnum in Theologia * Gregorium. Illic etenim personas diuidens vnit naturas: hic autem in subsistente persona ponens vnitatem, distinguit naturas. Et quidem personæ illic diuersæ; natura verò eadem: hic contrà; naturæ quidem diuersę, persona verò eadem. Si quis igitur iuxta mentem Ecclesiæ, exponit illud nempè, *Vnam Dei Verbi naturam incarnatam*, non illibenter excipiat & illud, nimirum vt in Christo duas cōfiteatur naturas substantialiter vnitas. Si enim ad probationem & significationem humanæ naturæ, vt primùm dixit vnam naturam Dei Verbi, mox addit illud; *Incarnatam*: cui sermoni non acquiescens, respuit duas confiteri naturas vnam quidem quæ Dei Verbi est, alteram, quæ est humana, quam ipse se enuntiare confirmat per dictionem incarnationis indicem. Quæ enim confitetur, eadem & enumeret, iuxta Basilium magnum. Quòd si caussificatur & culpat numerum duernionis tanquàm bipartientem ac diuisiuū: noueritis eiusmodi exceptionē nō esse rationi consentaneā. Si quidem ceu superiùs dictū est, dum definitio fatebatur simpliciter se in Christo nosse duas naturas, túmque ab hoc, aliud nihil inferens obticuit, locū forte dabat talibus suspiciúculis, necubi suam ipsius intelligentiam perspicuè repræsentans quomodò nosset duas hasce naturas inter se habere. Si verò infert illud; *vnitas sine consertas*; ac proinde vnam prædicat subsistentem personam: ne quidem vel volenti, locum relinquit calumniæ. Demonstratum igitur omni ex parte est, quia ambabus hisce definitionibus idem fuerit consilium, eadem mens, ita vt altera alterius fuerit interpretatiua magis, non item contraria. Et hæc quidem nunc, vt in præuia Isagoge dicta sunto, nisi fanè quatenus Liber enarrare cœpit, quoniam Ecclesia dum submotis à se peruersionibus opinantium, in vtrámuis partem pugnantia euincens, mediam vt verissimam fecat viam: Seuerus quidam qui se intruserat primariæ sedi Antiochenorum anxiè contendit tueri alterutram partem istorum Complicum: eorum scilicet qui à patre Manetis, Apolinarij & Eutychetis stabant quanta maxima vi poterat, exagitans ac permiscens Ecclesiæ pacem. Is denique tan-

* θεοπλασίας.

Matth. 10. 1. Cor. 11.

* Intellige Nazianzenum

quàm seditiosus ac turbulẽtus ab Antiochi ciuitate ex-
pulsus, immisit se Alexandrinorum turbulentæ leuitati,
procellosi turbinis instar, inque morem hybernæ tem-
pestatis: quò loci dum alteram aduersum se aspi-
rantem procellam conciit, is quidem redditur man-
suetior, minúsque solito turbarum amans. Qui porrò,
per hunc, fluctibus errorum iactabantur ac circumfere-
bantur, à se inuicem dispersi sunt, quàm priùs maiore in-
commodo. Dispersit enim eos Iulianus factus derisio
inimicis suis, iuxta Scripturam. Iulianus autem hic Hali-
carnasi quidem quæ in Asia est, erat Episcopus; Euthy-
chianicæ verò turbæ propugnator strenuus maximè, Se-
uero amicitia & familiaritate iunctissimus, ambo autem
aduersus veritatem conspirantes. Denique quum inter
eos quæstio incidisset hæc, vtrum Corpus Domini dice-
re deberetur corruptibile aliquando fuisse an incorru-
B ptibile: sed & ratione vnionis eius recusandam esse na-
turæ corruptibilis proprietatem, quasi verò ex vna natu-
ra sint factæ duæ, & essentialis differentia nō iam agnos-
ceretur in vtraque persona: quod autem præstantius vt
potè diuinum præualuisset; vna cum primaria Natura-
rum consertione, & ad suam ipsius proprietatẽ id quod
inferius erat, momento temporis transmutasset, perma-
nente eodem modo naturali proprietate. Ambobus his
Iuliano ac Seuero propositio hæc negatiua communis
erat. Siquidem erant ambo propugnatores consutaneæ
vnionis naturarum.

Alexandrinorum turbulenta leuitas.

Iulianus Halicarnasæus hereticus.

Opinio Iuliani.

Iulianus igitur iudicauit se non pessimè facturum si se-
mel velut è sublimi speculi progrederetur aduersus ve-
C ritatem. Et ne aduersum se simul & veritatem videretur
indecorè congredi, consequens arbitratus est dicenti
vnam naturam, non vtique à se dissidentem, hāc alioqui
censet aliquando fuisse differentem. Hæc proinde dif-
ferentia si non est, magis impium fuerit dicere, quod pe-
ius est transisse in id quod præstãtius: hoc est; corrupti-
bile emigrasse in id quod est incorruptibile. Hæc quum
syllogisticè collegisset, nec aliud quiduis sibi repugnans
præuidisset, sua solius authoritate censuit Domini carnẽ
fuisse semper & per omnia quid incorruptibile. Seuerus
è diuerso, vt cui hæc neutiquam placerent (quippe quæ
luculenter prædicarent refusionem & commixtionem)
neque interim volebat consiliari Ecclesiæ, vt quæ con-
sequenter differentiæ ac proprietatibus adnumerat etiã
D Naturas, circa quas attenditur differentia, & quarum
sunt proprietates in ipsis naturaliter consistentes. Quin
& pacisci cum Iuliani ausu temerario ignominiosum si-
bi fore interpretabatur ac nimiæ temeritati ascribẽdum,
idque aliud esse nihil quàm si quis capite retecto & ef-
freni ore oppugnet pietatem.

Iuliani Halicarnassæi heresis de Vnione 2. Naturarum in Christo.

Seueri opinio, & Ecclesiæ definitio.

Ex eo tum tempore, se sibi-ipsi opposuit Seuerus, Ve-
ritati item atq; proximo suo mendacio, sic vt non fieret
vsquequaq; aut verax, aut certè mendax: sed si dicere li-
ceat, ψευδαληθής: nimirùm assimilis cõmentitiæ isti &
ab ipso excogitatæ naturæ. Ob hoc planè aduersum se
pugnax, nec constantis sententiæ; stolidè prorsus & in-
eruditè medium nescio quid perquirens inter menda-
cium & veritatem, quod certè nusquã est. Mediũ enim
E veritatis & mendacij nemo vspiam inueniat, sed ne ex-
cogitare quidem possit. Ipsa enim veritas medium sem-
per obtinet locum, in neutram deflectens partem; qua-
re stabilis perseuerat, vndequaque sui similis & singula
rectissimè dispertiens: quare nihil in sui consortiũ exce-
ptura est à quo detorqueatur in obliquum, aut à propria
statione & firmitate dimoueatur. Quicquid enim per
insidias tẽtat se veritati adiungere propiùs, ipsaq; velut
intercedẽte conciere tumultum; id omne exhaurit: quod
ab eadem deprehendimus passum esse Seuerum. Is nāq;
(ceu diximus) quum argumentis contendisset medium
quiddam nouè excogitare, præter veritatem: à veritate
deflectens (quod alioqui nesciuit) fecit eam esse mediã
suipsius ac sibi cogentis mendacij. Seuerus enim vs

Nullum est medium inter Mendacium & Veritatē.

quum dicat Christum vnius esse naturæ, ac differentiam
A interim naturæ istius admittat quam agnoscit in Chri-
sto: E diuerso Iulianus, ne vnam quidem (iuxta Seuerũ)
fatetur esse naturam, auferens insuper differentiam: Ve-
ritas ipsa, hoc est, doctrina Ecclesiastica mediam quaodã
temperiẽ suipsius vbiq; seruans incolumẽ, suscipit qui-
dem naturarum differentiam, at certè non iuxta Seuerũ;
Neq; enim aliquando vllam nouit naturam sibiipsi esse
contrariam. In Christo siquidem duas agnoscẽs naturas
(diuinã pariter & humanam) harũ tamen inter sese dif-
ferentiam lucidissima mentis cõtemplatione perspicit.
Non enim idem sunt diuinitas atq; humanitas, etiamsi
vnus Christus, qui in vtraq; existit immò vtráq; constat
natura. Vt sit simul vtraq; natura, vnum; at certè non na-
tura. Vnum autẽ esse concursione Naturarum apertissi-
mè clamat præco Ecclesiasticus. Et Ecclesia quidem nō
B admittens differentiam iuxta Seueri opinionem, ean-
dem alioqui non repudiat, iuxta suum ipsius docendi
modùm secundùm similitudinem ab Halicarnassæo in-
ductam. Didicit enim Verbum Deum veram assumpsis-
se carnem, animámq; intellectu præditam cum proprijs
idiomatibus. Agnoscit insuper immortale vnitum esse
mortali, ceu prædictus asseruit Theologus Gregorius.
Itaque quod & dicebamus, Veritas vtriusque hæreseos
intermedia permansit atque immota, renuens quidem
iuxta Seuerum, fateri vnam esse naturam & differentiã:
Doctrina enim talis nihil minùs differre videtur ab æ-
nigmate & prodigioso sermone: Quomodò enim na-
tura eadem possit duo esse sibi contraria? At interim nec
intempestiuè reminiscendum est Domini clamantis,
C Quia *omnis domus aut regnum aduersus seipsum diuisum, non stabit.* Si igitur iuxta ipsum, natura vna diuisa est aduersus
seipsam; quonam pacto stabit eius substantia? Itaq; iuxta
communem omnium intelligentiam, secundùm Do-
mini sermonem, bene vtique facit doctrina Ecclesiæ,
non suscipiens Naturam vnam aduersum seipsam diffe-
rentem, sibique contrariam iuxta Seueri consilium in-
consistens prorsus ac pugnax maximè. Sed neque iuxta
Iuliani opinionem, omnino differentiam respuit Eccle-
sia Dei. Si enim iuxta illum, Christus natura est vnica,
nec qualemcunque assumpsit essentialem differentiam;
prorsus necesse sit confiteri vtriusuis alterutrum, quod
vtrique hæc confirmet: nempè aut nudum hominem
fuisse Dominum; & quæ de ipso diuina esse dicuntur,
non quia Deus sit sed per alteram quandam virtutem
D diuinam & efficaciter operantem absque eo facta esse:
Aut certè Christum, Deum fuisse nudum, non item as-
sumpsisse humanã carnem; & quæ de eo humana fuisse
prædicãtur, non tanquã homo, sed quasi Deus sit passus
hæc, & tali in se receperit in alterutra natura. Denique si
neutrum iam dictorum fuit, necesse fuerit fateri Euan-
gelicam omnem historiam quæ de ipso conscripta est,
phantastica imaginatione ac deceptione fallaci, frustrà
voluisse imponere Christianis; quàmq; in Christum spẽ
prædicat beatam, frustraneam esse & inanem. Et dein-
ceps per hæc se offert commoda occasio recitandi illud
Apostoli; *Vana ergo est prædicatio nostra.* Inuenimur falsi te-
stes Dei, quia falso testificati sumus aduersus Deum quia
suscitauit Christum quem nõ suscitauit. Istiusmodi pla-
E nè syllogismi aliud nihil sunt, quàm vanitas & fidei sub-
uersio, iuxta magnum Gregorium. Omni igitur ex parte
demonstratum est perpugatam hanc esse vniuersam cõ-
trouersiam & irreprehensibilem, solámq; sanctæ Dei &
Catholicæ Ecclesiæ sententiam pro veritate immobi-
lem consistere. Quum etenim vellet Ecclesia modum
ostendere per quem ad nos facta est condescensio per
diuinam erga homines clementiam, vnam Dei verbi na-
turam confitens incarnatam, nimirum quia Verbũ quod
in principio erat nempè Patri consempiternum, tan-
dem propter nos nostramque salutem, homo vt fieret,
semen Abrahæ apprehendit; estque per omnia assimila-
tus nobis, adempta sola contagione peccati. Quum ve-
rò eadem contemplari vellet quibus cõstitisset Christus

Nazianzenum duce.

&

& quæcunque gessisset, duas confessa naturas substantialiter vnitas; per hoc repræsentat magnitudinem misericordiæ ac miserationum Dei circa nos qui immenso ad nos amore sustinuit nobiscum conuersari, suæque naturæ nostram adnumerari: quare Deo gratia, pro inenarrabili ipsius dono. Et hæc quidem hactenus. Quando autem Seuerus nudis vocibus acquiescit, vtique pietatem supponit consistere in solis verbis ac sonis, reclamante Apostolo qui dicit; *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute & veritate.* E regione, is demum ab ipso Seuero præstantissimus agnoscitur Theologus, qui scitè se exercuit in Aristotelicis Categoriis & reliqua supellectile externorum à Christo philosophorum. Necessarium proinde fuerit, vt & significata vniuscuiusque dictionis earum quæ vtiliter sumuntur ad ea quæ dicta sunt aduersus Seuerum, pro loci ac temporis opportunitate ipsi explanemus, iuxta mentem Doctorum Ecclesiæ, secundùm quam interpretati sunt; vt qui subscriptos Libros lecturi sunt, prima mox lectione, vires intelligant eorum quæ dicuntur, neque sibiipsis impedimento sint ad propositionum apprehensionem, per ignorantiam significationum dictionum.

[*Aristotelica Cathegoria in precio Seuerum hereticum.*]

LIBELLORVM QVINQVE SANCTI Anastasij Patriarchæ Antiocheni de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, periocha.

Primi argumentum est, de filij & totius S. Trinitatis Consubstantialitate.

Secundi, de incircumscripta Dei essentia.
Tertij, de diuina dispensatione Incarnationis.
Quarti, de Passione & impassibilitate Christi.
Quinti, de Resurrectione.

SANCTI ANASTASII PATRIARchæ *Antiocheni, De rectis dogmatibus verissimæ fidei nostræ, Liber primus; Godefrido Tilmanno, Cartusiæ Parisiensis monacho, interprete.*



E nostra hac sancta fide, deque veris Ecclesiæ dogmatibus, librum priorem, syncerum prorsus, nec vlla aspergine erroris permixtum quandam (quum scribere liceret ac multa cum fiducia loqui, quum nemo impudenti audacia fretus, obstrepens alicunde, diceret; *Tace, ne loquaris*) in diuersis sermonibus per Ecclesiam editis exponens; quæ à me scripta tum erant, existimabam satis superque esse quum ad elidendam temeritatem compertæ falsitatis; tum certè ad plenam veritatis probationem, nec putabam vllum præterea mihi in posterùm sumendum laborem: non solùm subueritus ne quam labem peccati contraherem è multiloquio de more eorientis; sed & mecum reputās (vti dicebam) absoluta ea esse, quæ anteuerteram mandare Scripturæ, quæue omnibus in commune doctrinæ cupidis tradidissem: quorum lectione qui cuperēt nosse exactam certitudinem dogmatum & per eos vtique qui cognitionis gratia priùs habebant domi, licebat aut edoceri, aut eos saltem labores non indignos candido suffragio censere, si tales quidem visi essent. Atqui alij aliquot fortasse illis notam aliquam inusserunt reprehēsionis. Vix enim vnquàm contingit, vt omnium suffragia, ex æquo sibi respondeāt, per affectuum diuersitatē quibus inuicem detrahimus: nec eadem de re, vno parique modo vnquam opinamur omnes. At, qui tandem Lectores scriptorum meorum poterunt, vt par est, de iisdē sententiam ferre? Vtique si copia exemplarium legitimę scripturæ suppetet, si ab inimicorum captiosa vatricie, incorrupta permanserint; Ego tamen admodum confido nihil in illis deprehensum iri dissentaneum & à veritate alienum: quin potiùs singula quæque esse consentanea incorruptis Maiorum documentis, quorum ego doctrinā vt sequerer, magnopere contendi etiam dum

[*Amos. 6.c.*]

[*Hominum varia sunt iudicia.*]

infans atq; adeò iuxta pertritam vulgo parœmiam, à tenellis vnguiculis, nequaquam post aliorum vestigia de-
A flectens. Solos autem eos sum consectatus quos sua gratia Spiritus sanctus illustrauit; Primò Apostolos, Secundò Prophetas, Tertio Doctores. Quisquis igitur (vti dicebā, nec piget repetere) quisquis ea legerit citra vllam animi perturbationem, explanationem dogmatum cum veritate coniunctam inueniet; luculentam sanè, nec minus perspicuam: simúlque euersionē falsi nominis sciētiæ. Planè fides est, quæ imperat & verax est, nec est in hisce scripturis mendacium. Veram autem descriptionem hanc pronuncio, non quia à me perscripta est (vt ne quis arbitretur me hoc dicere voluisse, neq; suspicetur me sapere de meipso præter id quod oportet sapere; certò enim noui me terram esse & cinerem, nec sermonem habere vlla prædicatione dignū) sed quòd doctrina hæc
B à viris profecta sit Theologica sapientia præditis; eiúsq; exacta traditio ad nos vsq; peruenit, quasi sors quædam hæreditatis paternæ legitimo iure per manus accepta, vt quæ à parentibus spirituali doctrina locupletatis ad ingenuos liberos peruenerit. Lex enim eiusmodi quā optimè disponitur & quasi proprijs bonis consulit, quādo in suis laboribus gloriatur & exultat; nec id fit indecore aut citra officium. Nemo igitur in me gratis maledicta congerat. *Parentes enim non tam sibi, quam filijs thesaurizant.* Quin hoc etiā ipsum visum Paulo est in Christo loquēti. Sed & sapiens ille Salomon ait: *Gloriatio filiorū, patres eorum.* Quum igitur consentaneum rationi sit citra fucum omnē, participem sermonis, eius maximè qui de fide est (reliquarum enim virtutum fundamentum est fides) &
C eius cognitionem sine inuidia in commune dispertiri egentibus aut alioqui institui flagitantibus; & nihil eorū quæ edoctus sis subtrahere, vt ne in eius incidas exemplum qui sibi concreditū talentum terra adobruit. Eiusce rei gratia, quoties se occasio obtulit, nō conquieui de fide & differere & scribere, & quidem in neutram partē studio prorsus declinans. * Disciplinarum autem istarū particeps quum non sim, doctorem nullum in testem mihi adscisco ex istis Sapientibus à fide alienis. Ausim proinde & hoc profiteri, quia nullo vnquam loco deflexi de via veritatis, etiam si sermo imbecillis & infirmus ad eius demonstrationem: neque sermones de Deo cupiens censeri inter dogmata, auersatus aliquādo sum aut post terga confessionis meæ abij, sed tritam Patrum viam sum vestigiatim sequutus, quatenus assequi eos po-
D teram qui dicebant, neque docebant: Sermo hic noster fixiùs se inserat menti tuæ, mandata fac custodias, ea ne deteras obliuione, neu aspernere sententias ex ore meo prodeuntes. Hoc ego progressu sequax ac moriger ambulaui in dogmatis diuinæ Scripturæ, neutrobi declinans siue ad dexteram siue ad sinistram; quamobrem *non abscondi misericordiam* Dei & *veritatem* eius *à Concilio multo*, vt loquerer in Ecclesia populorum multorum iustificationes Domini quas Patrum traditione didiceram. Ipsos itaque etiam dum docentes per me deprehendere possis (nisi dictū hoc nimiæ ascribas audaciæ) dum quæ à me quondā scripta sunt, legis nullo prorsus affectu. Ab illorum siquidem laboribus quasi ex prædiuite vena cuiuspiam fontis, modicus hic humor scaturiuit: & ex per-
E enni fluuio tenuis hic exiliuit defluxus. Quæ enim à me prodierunt, ad illorum scripta si conferantur, stillam dicas ad fluuium, etiam si illis cōfinia sint; quæ edita prius quum sint, vobis tum cupidè expetentibus, superfluum quid videri possit præsens labor etiam si deesset & priora. Hāc pro semet dedisse Apologiam ac debitū explesse suffecerit his qui apud vos studiosi doctrinæ sunt. Nunc quando illa interciderunt, propter diuinam circa nos factam visitationem clementer nos erudientem & exercentem ad terrenorum omniū contemptum; quorum consistentia, transitoria prorsus nec quicquam habens stabile; nec digna bona hæc censeri debent quæ tot sudoribus acquirantur aut iam parta complentur & in prædam eant. Tu autem optimè amicorum & inter

[*Traditio exacta Catholicæ doctrinæ.*]

[* *Scilicet Arianorum & Eunomianorum.*]

[*Patrum traditio.*]

[*Intelligit Antiochiam terremotu euersam.*]

pro μονάκτιστως, lego μονῆς κτήσεως.

* ἀνακεφαλαίωσιν.

viros enim primis reuerende, frequenti nunciorum missione efflagitas illorum efficaciã per me tibi innotescere A imò vti asseris, tecum aliquam multi id deposcunt: quare putaui pretium me operæ facturum, si sensum qui illis inerat, contrahens in compédium vnũ tibi perbreue & cõcisum opus efficiam, perinde atque dicat quis,* summariam omnium collectionẽ quæ perpaucis verbis syluam contineat sententiarum, nec forte dissentaneã huic nostræ tempestati per quam inopia librorum continenter premimur, quãdoquidem ipsi noui quam plurimos qui multitudinem scriptorum fastidienter admittunt & ad eam veluti nauseant, eorum instar qui longissima tranant Maria, quique ad crebram inspectionẽ multiloqui voluminis delassantur. In horum maximè gratiam, meliùs me facturum putaui si cœptam scripturam cõcisiùs detexerem: & penes me eam asseruarẽ quæ nimia satietate sui posset gignere fastidium, per te autem illa exponeretur, B omnibus nẽpè elaborata expositio quæ in dogmata trahi possit, vt quæ ea vtentibus sufficientem & idoneam imprimat veritatis cognitionem, cuiusmodi sentire oportet de his quæ dicũtur, & à quibus sit abstinẽdum. Ordine autem & consequẽtia progredietur sermo (quatenus suppetẽt vires) à sublimioribus & iis quæ nobis superiora sunt, sumens dicendi exordium, desiturus in ea quæ nostræ sunt fragilitatis aut certè nostri causa assumpta humiliter. Ad hos igitur sermones progressuri, fusa priùs oratione supplices Deum deprecemur dicentes: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Legem planè intelligo sanctam omnem & à Deo inspiratam Scripturam, è qua ceu è Dominico thesauro proferentes noua & vetera, magnopere contẽdimus in C conseruos dispertiri. Eiusmodi proinde dispensatio, diuina in primis eget gratia, sapientia simul & prudentia. *Quis enim* (ait) *sapiens & dispensator et prudens, quem constituet Dominus super familiam, vt det cibum in tempore?* Diuina igitur affulgẽtia & illustratione opus ei qui de Deo loquitur. De eo enim quiduis loqui citra ipsius gratiã, nimisquam periculosum. Itaq; expurgato sensu omni, veriùs ab omni sensus seiuncti, supráque terram ipsam cõstituti, aërem rursus prætergressi imò ad ipsum vsque cœlum sublati: Quin & hoc ipso (siquidem fieri possit) superiores & ab omni corporeo phantasmate disparati intellectúmque in tranquilla libertate constituẽtes, nuda mẽte cum incorporeis congrediamur familiariter: à quibus velut per manus deducti & edocti immensam illam & D natura omni superiorem naturam cõtemplemur; essentiam dico reliqua omni essentia sublimiorem; quã quid sit, nemo nouerit per affirmationem, sed solùm quia est: At rectè quidem quis nouerit, dicendo quid non sit, per negationem. Neque enim Categorica positio veritatem explicat essentiæ illius, vt quæ prætergreditur vim omnem orationis: ablatio autem quæ quid ea sit, negat, propiùs accedit veritati. Vt per assertionem verum aliquando positio insinuet, non continuò quid essentia ipsa sit manifestabit auditoribus, sed neque naturam illam nulli creaturæ cognobilem, faciet innotescere, sed vt se habet ad ea quæ condidit, repræsentabit vtcunque: quinetiam id obscurè admodum & intra modum exilem: perinde atque si quis in aqua Solem, aut in speculo cõ- E firmet Solis se videre simulacrum, dum is in aqua siue in speculo subindicat vmbram. Quo igitur pacto possibile sit eum digno celebrare sermone, qui sermone superior est? Quis voce dignè repræsentet eum aut intelligentia consequatur qui omni supereminet intelligentiæ? Hic omnium consistentia est, basis omnium, omnium principium ex quo procedunt omnia & ad quem redeunt omnia. Principiũ nempe & finis; hoc est, Alpha & Omega. Ad hũc modũ pulchrè de Deo edisserit qui sapientia sua docuit * theologum. Hic, entia vt sint, author est. Idem iis quæ nõdum subsistunt substantiam liberaliter impertit: iis quæ ex non subsistentibus ad subsistentiam promouit, ordo est, persistentia, conseruatio. Ipse rerum opifex, natura effectrix, inspectrix & prouida vis. Vita est, viuens item & essentia viuificans. Idem nulli non communicabilis natura: quæ cum omnium sit capax, à nullo capitur. Ecquis tandem de ineffabili ausit differere etiam si iis innumera secum comminiscatur ad hoc? Sanè vt semel finiam; quod ineffabile est, nullius sermone exprimetur: neque eum qui omnem exuperat intellectum, quantumcunque intellectus comprehẽdet, etiam si omnium ingenium transcendat, & singula perspicacissimè contempletur. Nemo igitur putet se comprehendere posse eum qui sit incomprehẽsibilis: neque se inuenturum eum speret qui nullo apprehenditur loco. Inutile siquidem fuerit eum persequi quẽ non queas apprehendere. Itaque innumeris licet vtamur exquisitæ eloquentiæ verbis, tantum est; videbimur, ventos (iuxta prouerbium) in sinum colligere, & contrahere in pallio aquam. Si enim quæ extrema sunt diuini opificij neutiquam à nobis mortalibus exactè cognoscuntur. Quis enim altitudinem cœli dimensus est? Aut quis apprehendit Maris profundum, aëris latissimam effusionem, procellosos ventorum impetus, molem pondúsue terræ & eiusmodi reliqua corporalis istius substantiæ? quonam pacto hanc creatricem rerum naturam se arbitrari posse comprehendere, non extremæ sit decipientiæ: Necesse igitur sit, vt taceamus, verba cohibentes: è diuerso intonet supernè Filius ille Tonitrui, quæ Mũdo hoc longè sunt superiora, edisserens; nempè è cœlo edoctus sapientiam. Proposito sermoni donec ipse procemiũ. Viam nobis ipse præmuniat vnà cum Spiritu principali, cuius haud dubiè particeps fuit, à quo est edoctus ad quem enixè contẽdimus & dicat: *In principio erat Verbũ & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Tantilla hac verborum prælusione; quod notum est Dei, innotuit mortalibus, sed Deo dignis. Notum autem dico, Pauli disciplina edoctus, per notum & ignotum Dei iudicantis. Notum igitur Dei, ceu dicebam, hisce verbis exprimit Ioannes, lucem obtendens in tenebris ignorãtiæ sedentibus, eo lumine quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ac feria verbi huius vtilitate oppilat os omne loquens aduersus Deum iniquitatem & negãs sempiternam Vnigeniti diuinitatem per quẽ & Pater nobis innotuit. Si enim *erat in principio apud Deum* ipse Deus qui & Verbum omnibus qui intellectu præditi sunt, liquido constat quia Pater illud erat principium, in quo erat verbum. Velis, nolis: erat Deus apud quem *erat Verbum*. Quemadmodum igitur mens quãtolibet nixu contendat semper ad superiorum perceptionem, nũquam apprehendet illud principium (omnino enim deprehendet illud principium seipso anterius) itidem impossibile sit transcendere illud, *Erat*. Ante enim omnia occurrit tibi semper superius illud ἦν, erat; nimirũ supra cogitationẽ omnimodam & ascẽsionem mentis positũ, & ad quiduis superius intelligẽtia spirituali. Quantò enim quis seipsũ extendit, mẽte abstracta in anterius progrediẽs, nullo cogitationum discursu supergreditur illud ἦν, *erat*. Vtiq; principium anteuertit ei quod extremũ est nulli concedens præ se primas partes antecapere. Si enim principium est, iam nulli fuerit secundum. Quod item secundum est, non iam principium. Illud quoque, *in principio*, non signat posterius principio. Si igitur *Verbum erat in principio*, necesse prorsus sit, vt contempleris simul Verbum quod in principio erat, & principiũ illud in quo erat verbum. Iam quando dicimus esse principium, hoc dicto assentimur & comprobamus Verbum ipsum in principio fuisse. Illud proinde, *Erat*, non loco aut regione vlla contineri indicat, eóque contrarium illi est, Erat, & non erat. Et si erat, quomodò non erat? Quid igitur dicendum? Aut quia non erat illud, Non erat. Neque enim non erat, sed semper erat subsistens hic de quo illud, *Erat*, dicitur, vtique in ipso erat Patre & apud Patrem; neutiquam ab alio aliquo secundas reportans partes vel tempore, vel sæculi duratione, vt ne quo intermedio principij eius, in quo erat, credas includi, atque

διαβατικώτατος καὶ θεωρητικώτατος.

εὑρεσιολογίας.

ἱκετεία.

Ioh. 1.

χαρακτῆρσι.

Τροφήν.

Diuinam essentiam nemo nouit per affirmationem.

περὶ τῶν ἐξ κατα-φάσεως καὶ ἐξ ἀπο-φάσεως.

Aduersus Arrium.

atque ita interpretêre principium per indecorem prorsus & absurdam positionem illius, *Non erat*. Quod enim A sub alterius ditione primas partes obtinentis est, iam videri non potest sempiternè esse in eo principio, neque hunc sensum admittit illud, *Erat*. Quòd si *in principio erat Verbum*, si apud Deum est Verbum; apud Patrem scilicet; Deum vtique nemo videre possit, nisi & Verbum simul videat existens apud Patrem. His addo; Si per ipsum Verbũ facta sunt omnia, idque aliquando per ipsum facta sunt. (Temporis enim particula est illud *ποτέ*, *aliquando*, secula siquidem per ipsum facta sunt) quînã temporarium istud *ποτὲ*, *aliquando*, potest Conditore sæculorum antiquius esse? Inanis igitur & ineptus sermo est constituens eum non fuisse aliquando qui est. Erat enim qui semper est, qui sæculorum conditione prior subsistit, qui nullo intercedente medio ex Patre per genera- B tionem prodiuit. Ineffabili enim illi ac diuinæ generationi nullum accessit medium: at nec quiduis rerum externarũ prorsus diuinæ illi naturæ coexistebat, quod se intermedium opponeret; nõ materia rationis expers aut ordinis (ceu isti asserunt insania perciti vitámque transmittentes citra vllum rationis ordinisue vsum) non infinitum illud Chaos, & incomprehensibile, non tenebræ, non profunditas, non silentium, non quæcunque secum comminiscitur ac fingit mens sui Plastæ ignara & proprij erroris figmento persuasa fallaciter, nec vlla ex parte animaduertens (quæ hinc consequitur) absurditatem; Veriùs per multa absurda quæ ex istiusmodi erronea & fallaci persuasione prodeunt. Etenim inter Genitorem & Genitum si quid medium intercessisset, qui temerè C id esset mollitus, inconditè & citra decorum eam substantiam secuisset, eandem à seipsa dirimens medio illo sepimento, ceu quadam incisione interceptã. Illo quoque admisso, Pater deprehendetur author medij illius magis quàm Filij. Quo tandem pacto Filius dici iam poterit *primogenitus omnis creaturæ*, si præ ipso principem portionem honoris alter obtineat? Primogenitus enim quum sit, in omnibus primatum tenet, iuxta Apostoli sententiam, quemadmodùm consempiternus est Patri sempiternè existenti, & ipse Filius sempiternè est. Nec enim solùm Deus est, sed & Pater: & per quod Deus, per illud & Pater. Pater autem vtique Filij est. Nec aliter potest esse Pater, nisi (velis, nolis) subsistat & Filius. Sine enim Filio, Pater nõ est. Ante igitur omnia est Filius qui D à Patre suo genitore prodiit ineffabiliter. Non enim ex nõ entibus fecit eũ subsistere, quemadmodũ & singulas partes cõditæ creaturæ. Ex seipso viuente, genuit viuens atque subsistẽs Verbum Deum & eundem Filium. Qui igitur asserit ex non existentibus substitisse eum qui ex existente Patre prodiuit, verbum blasphemiæ in Genitorem profert veriùs, quàm aduersus eum qui genitus est. Quid enim impium magis illo, qui existentem negat esse? Si enim ex Patre genitus est, vtique Pater est ens. Affirmant porrò quidam ipsum ex non existentibus esse generatum. Ad hoc quantum in se contineat absurditatis, nulli non liceat perpendere. Hinc enim necesse sit fateri quia quod nõ est, preciosius quiddam obtinet eo à quo prodiit: quódque nihil substãtiæ habet, ipsa inue- E nitur præstantius essentia. Ex hoc insuper elicitur priuatoriã vim habituali esse efficaciorem: aut nõ existere ipsum Patrem qui & generauit Filium quem isti contendunt pro Patre ex nõ entibus esse. At interim mihi vide, si ex non ente quod substantia priuatur, neq; subsistentiæ sortitum est principium, an prosilire possit virtus operatoria substantiæ. Vtiq; si non est, iam ipsa caret substãtia. Qui quæso, ex nõ subsistente obtingere potest subsistẽtia: & ex eo quod nusquã locorum est, ens subsistet? Sanè si est vnum aliquid ex omnibus est: & si ex omnibus vnũ est, velis nolis, per Filiũ factũ, id est: *Per ipsum enim facta sunt omnia*. Quòd si non ens est; & Filium asserunt ex non entibus esse: id ipsum quòd priùs non fuit, facient esse tandem. Dent vel tunc ipsi vim productiuã istarum generationum. Sed neque nos fugiat, quod apprimè necessarium est ad confirmationem propositi argumenti: Quia omne quod ex non prius existentibus factum est, potest rursus ad nõ ens reuocari, etiam si aduersum eius natiuã proprietatem præstantior quædam potẽtia præpolleat. Talem proinde de Filio intelligentiam admittere, extremam inuehit perniciem animæ. Est igitur secundùm naturam ex Patre Filius, non item ex non entibus. Quòd si secundùm naturã Filius ex Patre est, vtique Patri suo genitori est consubstantialis. Naturæ enim ordine, filius omnis ei est qui se genuit, Patri cõsubstantialis: quódque naturæ suæ aptitudine natum est ad generandum; eadem natiua vi potest sibi consubstantialẽ gignere. Hac inducti ratione qui Nicenæ synodo præfuere Patres professi sunt Filiũ esse Deum de Deo; rursus, Lumen de lumine. Qualis enim est Pater, talis declaratur esse & Filius, secundùm substantiã: idque luculenter exprimit efficax ipsa operatio. Siquidẽ, quorũ vna est operatoria actio, horum vna est & essentia, Vice versa, quorum essentia vna est, vna est & prorsus eadem operatio. Ad Iudæos enim coarguendos qui suo murmure aduersus Dominũ obstrepebant, quòd is dixisset, *filius Dei sum*: pro elidenda quacunq; aduersum se violẽta impressione palàm aduocat suorũ operum efficaciam contestantẽ veritati, dicens: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & mihi non creditis, operibus meis credite Vt sciatis & cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me est*. Istiusmodi igitur demonstratio diuinæ consubstantialitatis omni ex parte perfecta est ac sufficiens & cui nemo cõtradixerit; nempè quòd eadem sit virtus operatoria Patris & Filij. Quæ enim videt Patrẽ facientẽ, facit Filius. Non qualia, sed quæ facit. Idipsum & de Spiritu sancto credimus atq; confitemur. Cõsubstãtialis enim est & cõsempiternus Patri atq; Filio: quippe qui vtrique semper coextitit. Quod enim Pater est secundùm substantiam generans & genitus Filius, hoc & Spiritus sanctus est: & quomodò ex Patre Filius, sic & Spiritus sanctus ex Deo. Ille quidem genitus, eóque & filius: Sãctus autem Spiritus procedens est, imò propriè magis ille semper gigni dicitur, hic procedere. Ad hũc enim modũ ait Dominus de seipso quidem; *Ante omnes colles generat me*: de Spiritu autem sancto; *Qui à Patre procedit*. Voces istæ, Generatio & Processio diuersæ licet, neutiquam Essentiæ differentiam demonstrant: neque enim illud esse vel hoc procedere differentiam signant subsistentiæ, sed quomodò esse manifestant, manente eadem essentia (ac si quis dicat) & eius ex quo est, & eorum à quo sint, iuxta differentem acceptionem. Hic enim loquendi modus (ceu dictum est) à subsistentia differt, essentiæ autem ratio prorsus eadem. Ex ipso enim (Patre) etiam si non similiter (ne miremur dicentem Dominum) *exiui à Patre*, à quo vterque est progressus. Ait enim, *A Patre exiui et veni*. Rursus, *Spiritus sanctus qui à Patre procedit*. Etenim hæ duæ voces, *exitus & processio*, licet hic idem significẽt; peculiari tamẽ quadã ratione, Filius Spiritui sancto adaptauit vocem Processionis, vt & sibiipsi Genituram. Vt enim ipse Pater vocatur spiritus, sic & Filius ipse spiritus, iuxta illud; *Spiritus est Deus*. Et, *Spiritus ante faciem nostrã Christus Dominus*: propriè tamen Spiritus sanctus complet sanctam Trinitatẽ. Consimili ratione, licet à Patre exire dicatur Filius & Spiritus sanctus, at certè peculiari quadam proprietate sancto Spiritui Processio cõgruit, vt & Filio competit quia gignitur. Atqui ingenitum & genitum atq; ipsa processio quæ sanctam cõstituunt Trinitatem, vnius sunt & eiusdem naturæ. Et quidem non gigni, gigni item & procedere inter sese dissimilia sunt. Ab ingenito enim differt genitum esse; rursus ab vtriusque nuncupatura itidem discrepat Processio: Personæ alioqui quæ his subsistunt, connaturales sunt & consubstantiales. Eandem igitur profitemur esse essentiam. Itémque quum dico; Sancta Trinitas; Trinitatem dicens non vtique essentiarum, sed personarum. Vnum enim Deum glorificamus, non numero Personatum, sed natura. Quod enim est Dei, hoc prorsus vnum nu-

Nihil mediũ id diuinis inter Patrem & Filium.

μεσοτατευχίσματι.

pro, ἀντίῤῥητος, lege, ἀναντίῤῥητος.

ἐκπόρευσιν καὶ γέννησιν.

Trinitas non Essentiarum sed personarum.

mero est: singulæ alioqui Personæ vnum sunt natura, & hoc vnum essentia, non item prorsus vnum est nu- A mero. Exempli gratia, Mundum hunc assumamus. Etenim hic vnus est numero; nō item natura vnus, sed multa quibus constat. E diuerso, natura, quidem homo vnus est, at numero permultus. Itaq; sancta Trinitas; essentia quidem vnus Deus est, numero autem Trinitas; quā in Patre & Filio & Spiritu sancto ipsi adoramus ac definimus. Neque enim vnquā intra Trinitatem contrahitur, neque vltra eam ad alterum se effundit numerum. Nō enim fas est vel duernionem cogitare, vel introducere quaternioné & mystico huic sanctæ Trinitatis numero adiungere, aut quiduis ex præscripto ternario auferre. Trinitas semper est, tota ipsa rerum opifex, tota adoratur sibipsi cōsempiterna, sola increata. Creat namque, non item creatur. Ea nihil antiquius, posterius ipsa nihil vspiam est. B Priùs enim & posteriùs sectiones sunt temporis: Deus autem factor est temporum, neq; infra tempus est. Impossibile siquidem vel animo concipere quid infra eam sit Trinitatem. Hoc enim sub ipsa essentia positum vnà secum conciliat & adducit consubstantialia: quare de eo qui vnus est, nihil sentiendum nobis est quod humile sit & abiectum, vt ne vnà cum illo vniuersitatem creaturæ cōtemnere voluisse videamur. Neque enim numen illud patitur se diuelli à propriæ naturæ conuenientia: nō item gloriæ suæ esse ducit eius quo cum est, ignominiam. Intoleranda prorsus contumelia (aduersus filium) est illud, *ποτὲ quando*, & illud, *οὐκ ἦν, non erat*, Illud item, *κτίσμα, creatura*. Rursus illud, *ἐξ οὐκ ὄντων, Ex non entibus*; quæ in vniuersum aliena sunt à Dei C maiestate. Deum igitur, nimirùm sanctam Trinitatem glorificantes, quæcunque de Deo obscuriùs aut dissentaneè enunciantur, nihil horum mēte excipiamus: neq; linguæ officio eum testem aduocemus, qui Deo filio de se genito testimonium reddidit, quia *ex vtero ante Luciferum*, ipsum genuit. Nomine vteri intellige arcanam illā & indicibilem essentiam. De sancto item Spiritu idem Pater dicit; Quia *Spiritus a me egredietur*. Saluator quoque noster Iesus de ipso Paraclito sibi vtique cōnaturali ait; *Qui a Patre procedit*. Quæ porrò sunt in filij anima, Patre ea communicante & habente, obtinet & Spiritus. Vna enim essentia & vnius essentiæ communia sunt omnia. Communis quidem essentia, naturalis enim habitudo est, & quæ ad aliquid sunt circa eum qui habet, conciliāt sibi & alia ad quæ naturalem habent habitudinem. D Pater igitur sibi conciliat filium, & Filius Patrem: & sine alterutro alter ne cogitari quidem potest. Nisi enim sit Filius: omnino Pater non est. Quis enim fuerit Pater, si desit Filius? Vice versa, Quo pacto erit Filius, non existēte Patre? Quemadmodum hoc se habet, & illud. Verbum item qui filius est, declarat secum vnà esse Spiritum sanctum. Neque enim sine eo Spiritu verbum est; quia neque mens sine verbo. Mentem proinde dicimus Patrem Verbi; mentem, in qua verbum; quo cum & Spiritus sanctus, qui quidem appellatus est *spiritus oris Dei*. Os enim Patris est Filius, necessariò igitur ternarius numerus pro qualicunque assumitur explanatione diuinæ naturæ ad confirmationem descriptarum priùs Personarum: qui quidem numerus substantiuam habitudinem ipsarū expressiùs indicat simul & earum essentiam ostendit esse E consempiternam. Trinitatem ipsi dicimus non eam quę vnitatum compositione conflatur, non item que ab vnitate progreditur ad ternionem. Hunc enim numerum prægreditur vnitas, dein duernio. Dein ternionem cōsequitur quaternio, & quæ deinceps: hac autem Trinitate nō vnitas existit prior, non personarum duernio, non ipsam Trinitatem Quaternio deinceps consequetur. Trinitas namque hæc suaptè natura consimilem in modum se habet ad seipsam semper, cui desit nihil; nihil quod æquo plus sit, supersit. Vnitas enim quum sit, cōspicitur esse Trinitas: Trinitas nihilominus animaduersa, vnitas est. Essentiam enim quando cogitamus, simplicem contemplamur vnitatem: quum verò Personas,

Trinitas in diuinis non conflat ex vnitatibus.

Non est Trinitate prior vnitas in diuinis.

ipsam glorificamus Trinitatem. Etenim ad solam vsque A personarum Trinitatem dilatatur séque effundit illius vnitas essentiæ. Quámuis enim vna sit diuinitatis natura (vna planè) at certè non sic angusta, vt vna circumscribatur persona deitatis: Et hæc quidem vna, népe ipsa diuinitas. Quantùm autem attinet ad proprietates Personarum significatiuas, tres esse ostenduntur. Pater enim Pater est, non Filius quidem, at idem Deus: Filius consimiliter, Filius est; non item est Pater, Deus alioqui: Sanctus quoque Spiritus, neque Pater est, neque Filius; sed & ipse quod dicitur, est; nempe Spiritus sanctus; Deus tamen & ipse. Quicquid enim iam dictorum congruit essentiæ, secundùm hoc & ea cognominantur, simulque sunt. Circa enim Personas differentia, non circa essentiā attenditur. Quod enim est generans Pater; hoc, & qui genitus est Filius, etiam si hic non B genuerit: & quando qui non genitus generauit, id alioqui est quod & genitus, nempè secundùm essentiam. Pari formula dicēdi, ipse Spiritus sanctus qui neque genuit neque genitus est; hoc alio qui secundū naturam est quod is qui genuit, quiq; genitus est. Vnaquæque enim Persona eiusdem & vnius & solius increatæ naturæ existens, conformē sibi sortita est proprietatē significatiuā personalis substātiæ. Pater nuncupaturā obtinet Ingeniti; Filius, geniti; Spiritus sanctus, procedētis. Et hæc quidem inter se Personis singularibus neutiquam communia sunt, sicuti communem dicimus essentiam. Quod enim proprietate sua soli vni competit, nequaquā transit in communitatem. Qui enim deinceps possit, quod vni peculiariter attribuitur, id esse omnibus commune? C At nec si aliquādo fiat alicui proprium, nec cōtrà. Quēadmodum enim non proprium, si cuipiam tribuetur; puta, *Risibile* (omni enim homini commune est) sic non omnium est, esse naso aut depressiore aut adūco. Vnius enim alicuius hæc sunt. Sed dixeris exempla hæc, ipsa imagine aut similitudine esse indigna. Assentior. Attamen id exempli facit ad explanationem rei assumptæ: etiā si eorum quæ rei cuipiam propriè adsunt non queat vsquequaque permutare naturā. Essentia enim (ceù dicebam) in sancta Trinitate quum sit cōmunis; id quod vt proprium Personis tribuitur, vnam ab altera signatè distinguit Personam: vt est, ingenitum esse; peculiariter cōpetit Patri; & soli Filio, genitum esse; Spiritui sancto, quod processerit. Nec conuenit, vt qui animū aduertūt huic præcisioni proprietatū, etiā in Essentia quęrant dif- D ferentiā; Impium enim id simul & absurdū talia curiosiùs vel suspicari. Qui enim censet hoc esse verū cōmutans essentiā cum vnimodis proprietatibus, cogitet hic iuxta consequentiā; Adam, Euam & Abelē non eiusdē fuisse essentiæ: quando ille quidem plasma erat Dei, Eua autem sectio ex plasmate; Abel, proles. Et ille quidē pater, hæc autē mater, hic filius. At certè omnes homines nihil à se discrepāt secundum essentiā, etiam si ille quidē nequaquā ordine naturæ prodierit ex vtriusq; parentis cōgressu, sed Dei manibus plasmatus est, hæc autē particula est diuini plasmatis ex viro decisa; at hic iuxta naturæ ordinē prodiit ex plasmate & sectione, ex parentibus prognatus: neq; tamē hæc multimoda productio, naturā ipsam permutauit aut vllam inuexit substantiæ diffe- E rentiā: Integra enim & impermixta manet in iis qui sortiti sunt differentē substātiam. Itaq; proprietas ipsa quæ circa essentiā versatur, (vti sæpenumerò diximus) essentiam ipsam nulla sui parte commutat, ac ne tātillum quidem de ea decidit. Integra enim & impermixta manet, ac tota absque vlla sectione & diuisione est in vnoquoque entium, nihil sibi peculiariter vendicās per proprietatem. Homo enim omnis, homo est, omnem habens in seipso impartilem essentiā. Iam quod ad diuinitatem attinet; Pater secundū essentiā, Deus dicitur author rerū: secundum hoc dicuntur, & quæ ab ipso emanarunt Personæ, nimirùm Filius & Spiritus sanctus. Quum enim nulla intercedat qualitas, non quantitas, non tempus, locus aut situs siue positio; vnde essentiæ differentia? Quum

S. Trinitas exempla non digna.

Quum ipsa secundùm naturam etiam impartilis sit, vnde demonstrari potuerunt partiales essentiæ? Quòd si pars est essentiæ, qua tandem ratione Filius in seipso ostendit esse Patrem? Aliquando quidem dicens: *Ego in Patre & Pater in me est.* Ad Philippum verò: *Qui vidit me, vidit & Patrem.* Rursum; *Ego & Pater vnum sumus.* Filius igitur ex Patre est, non item particula eius: Lumen est de lumine, non etiam particulare lumen; Deus de Deo, non denique pars deitatis aut essentiæ; Itidem & Spiritus Sanctus. Est & verus Deus, Pater: Sic enim eum appellat Filius dicens; *Vt cognoscant te solum verum Deum.* Quin seipsum quoque nominat veritatem: *Ego sum veritas.* Ipse item Spiritus Sanctus, *Spiritus* dicitur *veritatis*; & hic quidem *à Patre procedit.* Accipit poinde quæ sunt Filij omnia, ea esse & Patris cuncta possidentis, idque vt demonstret & luculenter doceat vnam esse essentiam; nimirùm tam eius qui accipit, quàm illius à quo accipit, ipsius etiamnum à quo procedit natiua processione Spiritus Sanctus. Neque enim ex eo prodijt, quod alterius sit essentiæ, aut quiduis accepit ex non sibi consubstantiali. Quòd si consubstantialia sunt ei vnde prodierunt & illud à quo accepit, prorsus consequens videtur illa sibi ipsis esse consubstantialia: & hæc quæ ei consubstãtialia sunt, liquidò constat inter sese esse consubstantialia, sed & verè esse essentiæ eiusdem: quare necessariò concluditur, Trinitatem quum eiusdem essentiæ sit, pari honore debere glorificari parique cultu adorari. Atqui eadem in commune assumpta ad eorum regenerationem qui admouentur baptismo, simul nominatur. Ab ipsa enim quando producti sumus; inueterati, nos per eãdem denuò instauramur ac veluti recreamur. Neque enim ab alio aliquo potes recreari, præterquàm ab eo qui initio te creauit: nec alia causa nominatim inuitaris ad hanc renouationem, nisi vt in posterum nullam consuetudinem habeas cum pristina viuendi peruersione. Ad hæc dicimus quia Deus vnus est Trinitas; etiam si diuersis appellationibus vocetur, quæ quidem non id quod est manifestant, sed quomodo est tantùm subindicant. Non enim qui pronunciauit Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solùm omnino eius habitudinem. Quòd si hæc dictio *Pater*, habitus est; nimirùm per eam & Filius intelligitur. Vtrũque enim alterutrius positio conciliat simúlque inducit: contrà semel ablatum simul & aufert. Si enim negaueris Abelem fuisse, simul etiam negasti Adam fuisse eius Patrẽ. Nam & hoc est eius essentia, nec ad alterũ habet habitudinem. Rursus igitur sermonem resumentes, dicimus Deum vnum quidem & solum esse quem ipsi contemplamur tribus subsistentem Personis. Hoc ipsum & Moses antiquissimus Prophetarum omnium perspicuè sciens, ait: *Audi Israël, Dominus* Deus tuus, Dominus vnus est. Nec solùm Moses, sed & Theologi omnes qui deinceps Theologiam spiritualem sunt opulenter assequuti per exactam contemplationem numinis (Personis tribus subsistentis) & sinceram prorsus doctrinam ad nos vsque transmiserunt, qua & nos docuerunt celebrare laudibus vnitatem in Trinitate & in vnitate Trinitatem, admirabili prorsus vnione simul & diuisione subsistentem. Neque enim ea diuisio, alteratio est & separatio; neque ea vnio, contractio est trium Personarum in vnam, aut earumdem miscellanea confusio: quin potiùs ea vnio, simplicitas est & distincta diuisio (stupenda admodum admiratio) & vtrũque, insigne præfert quoddam diuinæ maiestatis. Quoniam quidem nonnulli subsistentem Personam esse naturam particularem arbitrati sunt atque opinati, magnopere nobis cauendum est, ne iuxta dogma istorum sentiamus. Non enim eorum opinio sincera est, nec Theologis consentanea. Natura enim particularis vtique peculiatem indicat partitionem? Nihil autem in se recipit Deus, quod partile sit. Non itaque iã dicatur substantia hæc, particularis natura. Non enim natura, est persona subsistens; vt neque persona, subsistens natura. Essentia siquidem vniformis est, nec se finit

[Margin: ἀνακτιζόμεθα.]

[Margin: *Persona in diuinis, non est Natura particularis.*]

in partes distrahi. In te porrò impartili ac simplici parti- A tionem quærere, absurdum est nec intelligentię peruiũ Id enim eorum est quæ partibus constant, secari ac tolerare eiusmodi partitiones. Quotquot ergo sic opinantur, non his solùm sinũt se implicari absurdis: sed & (velis nolis) particulares Deos supponũt esse tres, diuinam inter sese velut sortitò dispertientes essentiam, veriùs non essentiam sed essentias, Etenim si tres sunt, non iam vniformis, simplex & incomposita: quo fit, vt eam laudibus celebrent inter se similem, qui talia cõmenti sunt nimio plus audaces. Si enim vniuscuiusque personæ natura separata est, nec potest alterius proprietati se insinuare; qua tandem ratione id obtinebunt quòd cõsubstantialis siue coëssentialis sit Trinitas? quando in ipsa τὸ ὁμοούσιον, simile quiddam profiteris id esse quod à B se secerni nullis potest modis, immò ne intellectu quidem comprehendi. Similitudo enim rei cuiuspiam, aut iuxta qualitatem aut certè secundum quãtitatem inesse prædicatur. Sed enim in ea Trinitate nihil tale reperies. Deus enim nullam in se recipit qualitatem, nullam admittit quantitatem. In Deo igitur quemnam habebit similitudo locum? Sanè quidem nos Trinitatem concelebramus, non vt similem aut dissimilem; nõ quòd qualitatis omnimodæ aut quantitatis sit expers, sed quia cõsubstantialis est & indiuisa. Eam enim qui indiuiduam diuidunt (planè impij) sua quidem opinione vnam supponentes diuinitatem, tres constituũt Deos. Itaque isti dum introducunt turbam Deorum, vnius diuinæ maiestatis principatum improbãt ac reijciunt, nihil veriti rei indiuiduæ periculum. Essentiæ enim, si quidem connaturales sint, nulla earum fieri potest partitio quæ quidẽ C nunc ad æqualitatem eas redigat nunc verò ab æqualitate euariet & ab altera secernat. qui enim fatetur essentiam Patri competentem non posse etiamnum naturæ Filij esse consentaneam, is modis omnibus prædicat essentiam vtriusque ab vtroque euariare, & eam potiùs essentiam inducit & cõsubstantialitatem cuiusmodi cernere liceat in alijs specie à se differentibus. Nullo igitur fructu & abs re attollunt laudum præconijs Consubstãtialitatem, hinc sibi gloriam vendicantes; quam quidem consubstantialitatem minus verè illustrant, impartilem essentiam dispertientes. Mirum vtique si non & hi à se in segmenta distrahantur ac diuidantur; vtque euangelicè magis loquamur, bifariam dissecetur; denique partem suam capiant cum hypocritis, qui nullis rationibus D persuaderi queunt vt syncereriter credãt; quin illi potiùs diuersi à fide abeunt. Nequaquam enim adduci possunt vt complectantur fidem, quòd ea cauponum institorúmve instar ad quæstum abutantur, vanui ipsam exponentes, euanidæ pereuntis gloriæ pretio & momento: quos quum anteuertisset perstringere Dominus, ait; *Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriã quæ à solo Deo est non quæritis?* Hi ab hominibus captasse potiùs gloriam probabuntur, quam dilexisse eam quæ à Deo est, qui ad emerendam hominum gratiam dona indultæ sibi prudentiæ atque intellectus conferunt, occasionem redimentes aucupandæ gloriæ, fidémque perinde ac talos iactãtes, vicaria permutatione quæ in hoc fit vt ei sit æstimationi qui prædux est ludo calculati, E quibus (vt par est credere) melius fuerat * priùs *mercedẽ* recipere (vti illis contingit qui ieiunabant aut eleemosynam erogabant verè hypocritis) vt ne atrocius supplicium vice thesauri reconderent ac materiam ceu incendium ignis inextinguibilis sibi in futurum seponerent. Nemo igitur aut alteri gratiam vllam gratificando, aut ratiocinatione vlla persuasus quæ in speciem arrideat; à sana gloria, & incolumi opinione deflectat: ceũ tu fidẽ ex compacto promissam & exceptam vllius timore supplicij permutes & corrumpas; aut certè quòd interminentur nescio qui, facultates à te adempturos. Quid enim abs te ademptum iri speres, quod ex æquo respõdeat fidei tuæ? At neque spe lucri vllius à fide altrouersum sinas te abduci. Qui fauore Dei destituitur ac malè

[Margin: *Heretici abutũtur fide ad quæstum gloriæ pereuntis. Ioh. 5 g. h.*]

[Margin: *Matt 5 b. * Desit meo arbitratu, οὐκ, aut, μὴ, non.*]

[Margin: *Recta fides nec permutãda nec corrumpenda.*]

mulctatur, quid speret ad se lucri peruenturum? Si quidem Mundus hic omnis si comparetur suo Opifici; quã (A) est angustus, quam exiguo durat tempore? Quid? ipsum cœlum nequaquam eualuerit exprimere præcellentem atque augustissimam maiestatem sui Conditoris; cuius gratia semel mulctatus, quid deinceps boni se speret assequi posse? Hanc qui perdidit, vtique disperijt. Ne tu vllo metu sinas te auocari à libera fidei confessione, si quidem verè Fidelis velis haberi. Abnegatio enim quadamtenus censetur esse eiusmodi subtractio confessionis, quòd è diuerso, ingenua & libera professio fidei, soliditatem constantis animi haud dubiè demonstret. Si quidem iustus si se subtraxerit, iam iustus non est, non enim (ait) placebit animæ meæ. Rursus ab ipso Saluatore audiuimus pronunciatam hanc sententiam, quia: *Omnis qui ipsum confitetur coram hominibus*, is ab eodem recipiet (B) vicariam laudem confessionis coram sancto eius Patre qui in cœlis est. Etenim ab vnoquoque simile quiddam vicarium redditur ei causæ quæ præextitit, vti est cõfessioni confessio author, ita & negationi negatio, nisi quod similia non sunt. Siquidem apud homines anteuertit negatio, sequitur autem confessio; apud Patrem & sanctos Angelos, secus hæc fiunt. Ob hoc igitur se quisque præmuniat & confirmet, suspectũ habens quod ob oculos impendet periculum. Omnem insuper humanum timorem, pariter fauorem & gratiam, veluti quendam puluerẽ à suis cogitationibus excutiat; illum & solum cum timore obseruans *qui potest & animam & corpus perdere in Gehennam*; vtique certò persuasus, quia dispersit sed & disperget *Dominus ossa eorum qui hominibus quærunt placere*; eòque ad solam Dei gloriam aciem mẽ(C)tis attollamus, solumque ipsum Verbum præstolemur Iudicem, ad quem est nobis sermo. *Quid enim profuerit homini* vel teste Domino, *si vniuersum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Venturus* siquidem *est Filius hominis in gloria & maiestate* Patris sui, *& tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Ad illud igitur tremendum & formidabile Iudicium, speculatiuam vim animæ surrigamus, veluti ad quandam facem igneam; quam quidem accensam, in loco obscuriore reponere consueuerunt qui in Mari plurimùm versantur. Vt autem recta pergamus & prouehamur ad salutis portum, pressius affigamus anchoras mentis, inconcussæ petræ fidei. Nihil cõficiamus operis, non item ore proferamus quasi ad ocu(D)lum seruientes, ceù assolent qui fauorem captant ab hominibus & gratiam; sed sicut serui Dei, deponentes omnem hypocrisin & simulationem; Patrem, vt Patrem glorificantes; Filium, vt Filium adorantes; Spiritum Sãctum, vt Spiritum qui Sanctus est piè confitentes; paritémque sentientes essentiæ identitatẽ, neque non agnoscentes synceriter Personarum diuersitatem: Et Deum quidem esse vnamquamque Personam decernentes, si seorsim & per se nominetur Deus; at non peculiarem sibi obtinentes essentiam non etiam communem factam. Neque enim ea essentia est quiduis particulare, siquidẽ genus est. Nam quod generale est, proprium vni esse non potest: quemadmodum neque proprium, generale. Quod & si singulæ personæ dicantur Deus, non alioqui præcisæ sunt aut dissectæ, non etiam suapte natura (E) disparatæ, seorsumve à se discretæ per essentiæ diuersitatem. Eam autem perfectam in solidum retinet & integram quæ & communis est, quapropter illæ tres personæ & prædicantur & sunt Deus vnus, quòd vnius eiusdémque sint essentiæ, non dissectæ in tria. Et per se vnaquæque nominatur; at neque in multitudinem excrescit aut porrigitur quando Personæ tres inter se simul nominantur. Itaque veritatem detorquet ac deprauat quisquis pro vno tres opinatur esse Deos. Sed enim ille censet subsistere Deos, qui Personas nominatim dicit suas habere peculiares naturas. Quòd si ipsis Personis peculiares naturæ essent, Deus autem natura quum Propheta dicat; *Deus autem noster in cælo & in terra*: Et, *Cognoscant quia tu Dominus Deus solus*: De quo vtique trium (A) dicit hoc? Neque enim adiecit significationem multitudinis: peculiares autem naturæ subindicant multitudinem. Quòd si sermo est de diuina essentia quæ vnica est & simplex, hanc porrò diuina eloquia vnum Deum appellant; & si tres proprietates habet, profectò Natura vna est & pariter essentia diuinitatis. Quòd si vna est, nemo astruat particulares esse essentias, si quis eiurat & respuit nominatim statuere multitudinem Deorum. Siquidem origo numerosæ multitudinis Deorum demõstrata est irrepsisse ex eo quòd nominatim posuerint particulares naturas. Equidem arbitror quãtùm ad hoc pertinet, quendam non apertè explanare voluisse summam Deorũ, & numero multitudinis nominasse Deos; tametsi quodam modo ex eorum relatione quæ ex alijs (B) mutuò acceperunt necesse sit colligi ipsos dixisse esse Deos; siquidem sanctam Trinitatem proprias habere naturas nominatim dixerint. Idipsum à nobis luculenter demonstratum est, qui propriè scripsimus aduersus eos qui dicunt tres essentias quæstione de re hac nuper promota. Et fortè siquis illa quæsierit, inueniet: quibus inuentis securius ei innotescet quam ob rem moti fuerimus aduersus illam recens enatam hæresin. Diximus autem omnia per ipsum facta esse & in ipso habere cõsistentiam, tanquam in Opifice & Coopifice. *Omnia enim quæcunque voluit fecit*; etiam si nonnulli opinati sunt de Patre dictum esse hoc, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* At certè, omnia *quæcunque videt Filius Patrem facientem, hæc & Filius similiter facit.* Non dixit, *Talia.* Notandum autem est, alia ipsa potiùs, quàm illa. Vna (C) enim eiusdem essentiæ efficax operatio. Itaque ait Dominus luculenter exprimens quia *Pater dedit ei mãdatum*, non quasi mancipio seruituti obnoxio, sed tanquàm ei qui secum est comparis naturæ, simulque Deus. Et de Sancto Spiritu idem sentimus. In Trinitate enim seruile est nihil, nihil item creatum. Creatura enim omnis seruit suo Creatori. At neque ascititium quid & externum: Quod enim alienum est, Coopifex esse nõ potest. Nihil omnino in Trinitate, bonitate, deterius; nõ etiam aliquid veneratione indignum, non lumen aut non etiã vita, & reliqua quæ de Deo decenter admodum prædicantur. Quemadmodum enim Pater, & lumen est & vita; sic & Filius & Spiritus Sanctus. Et hæc nomina per sanctam omnem Scripturam deprehendere liceat, & ea (D) quidem aliquando communi appellatione manifestantia sanctam Trinitatem; nonnunquàm autem Personã propriè exprimunt vnam. Multa igitur prudentia nobis opus est, vt internosse possimus nominum eiusmodi discrimina, ne sine vllo nostro fructu ambulemus ratiocinationibus ambiguis vsi, quum Dauid psallens dicat Deo; *In lumine tuo videbimus lumen.* Hisce verbis omnino sanctam designat Trinitatem, tria enim lumina subindicat Propheta: Illud ad quod preces effundit; hic autem Pater est. Lumen insuper paternum, Filium insinuat; &, *in lumine tuo*, lumen Sanctum exprimit Spiritum. Quando autem inductione hac vsus dicit: *Prætende misericordiã tuam scientibus te*, Filium, misericordiam vocat. Ipse siquidem propiciatio est. Rursus peculiariter lux dicitur Spiritus Sanctus. Et vultus Dei est Vnigenitus, cuius quidẽ (E) lumen est Spiritus Sanctus per illud designatus; *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Lumen enim diuini vultus, Spiritus Sanctus, sanctos recta via deducens, ad cuius directionem ambulant iuxta illud dictum: *Descendit Spiritus à Domino & deduxit eos in viam.* Et rursus; *Spiritus tuus bonus deducet me.* Hac autem affini expressione sententiæ simul & cooperatoria actione declaratur cõsubstantialis Essentia. Ait enim: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Eam ob rem manus Dei vocat Filium & Spiritum Sanctum, vt qui sint Patri consubstantiales; quod psallens beatus Dauid subindicat, dicens: *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me.* Rursus idem ait; *Videbo cælos opera digitorum tuorum.* Digitum Dei dici Spiritum Sanctum Mose teste comprobatur;

& do-

Marginalia:

Fidei Confessio non libera, est species quædam Abnegationis.

Matt.10.c.

Psal.52.

Matt.16.d. Mar.8.d.

Personæ in diuinis non habent suas peculiares Naturas.

Deorum multitudo irrepsit ex Naturis particularibus.

Psa.113.a.

Ioh.5.d.

Ioh.10.d. 12.g.14.d.

Psal.35.c.

Psal.35.a.

Psal.98.c.

Psal.142.

Psal.32.b.

Psal.118.g.

Ex. 31. d.

& docente nos Christu didiscimus. Moses etenim dixit exaratas siue exsculptas à Deo Tabulas, scriptas esse *digito Dei.* Christus autem ad Iudæos qui Dæmoniorum expulsionem adscribebant maligno spiritui * Beelzebub, ait: *Si autem ego in digito Dei eijcio Dæmonia:* id quod Matthæus reddidit; *Si ego in Spiritu Dei.* Pulchrè igitur interpretati sumus manus Dei & eius digitos, Filium ipsius & Spiritum Sanctum qui eidem cooperati sunt ad Entium creationem, Beatus siquidem Iob eandem cum Dauide confessionem deprompsit, dicens Deo: *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me.* Rursus Dauid, Dei prouidentiam insinuans, non aliunde quàm à Deo profluere asserit: *Anima mea in manibus tuis semper.* Certius quiddam & ipse per Prophetã inclamat: *manus mea fundauit terram, & dextera mea firmauit cælum.* Rursus velut indice ostendens ea, dicit: *Hæc omnia fecit manus mea,* Et *sunt mea hæc omnia.* B Quod si omnia fecit per Filiũ siue per Verbũ quod erat in principio apud Patrẽ & apud Deũ Spiritus Sanctus & manus eius fecit omnia; & digiti eius cœlum: nihil differre cẽseo Filium bonum ab essentia Spiritus Sancti, quum dicat manus, digitos, brachia, & quæcunque talia similitudinem & efficacem operatoriamque actionem subindicant per contiguam propinquitatem membrorum quæ nonnunquam & symbolicè à Scriptura inducuntur. Ao non numen illud incorporeum quid est? Nefas quidem est putare ipsum vsum membrorum requirere quemadmodum & nos. Quòd si hæc consubstantialitatem, ceu sunt manus & digiti connaturalia inter se & corpori sint vndequaque declarant vnam esse & indiuisibilem diuinam essentiam, non item dissectam in diuersa essentiam secundùm eos qui C temerè audẽt profiteri Deum esse & increatum & creatum: non etiam à seipsa intersectam iuxta hæresin nuper excogitatam; & in diuersa segmenta diductam quæ ab istis vocantur partiales Essentiæ. Neque alioqui essentia, seipsa prior est aut posterior. Quod enim prius est & posterius seipso, quinam dici potest Deus? Vt vnum & idem corpus dici non potest seipso vetustius aut magis iuuenilescat, & Deus vnus quum sit & in tribus Personis adoretur, semper se habet secundùm idem, nec secus; nulla prorsus habita ratione temporis circa eius substãtiam. Nos autem accepta corporis proprietate, exempli gratia ipsarum ὑποςάσεων repræsentauimus inducta membrorum proportione ac similitudine. Hac enim collatione; *Et Spiritus oris eius*; liquet id dici de Spiritu D Sancto & Deo qui Os est Vnigeniti. Rursum ipse Spiritus & ab ipso procedit & mittitur non à Patre solo, sed & à Filio quemadmodum ait ipse Dominus: *Paracletus autem quem mittet vobis Pater.* Et rursus; *Si abiero, mittam eum ad vos,* ad discipulos scilicet. Et Prophetico afflatus spiritu ad ipsum ait, Dauid: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ:* Attamen non quia mittitur Spiritus Sanctus, eò censemus inferiorem esse Patre & Filio, secundùm essentiam. Hoc nemo ita interpretetur. Non enim vt minister ita mittitur, sed vt vtrique Consubstantialis, æquali honore adorandus & connaturalis; quandóquidem Filium ipsum mitti docemur, non à Patre modò, sed etiam à Spiritu Sancto sicuti per Esaiam confirmat; *Et nunc misit me Dominus & Spiritus eius.* E Quin & ipse Spiritus dicitur Deus, *Ipse autem Spiritus est.* Et Spiritus Sanctus, Spiritus Dei est. Et rursum; *Dominus Spiritus est,* & Spiritus Christi & Spiritus Filij: verbo per omnia exprimente naturalem affinitatem diuinitatis. Siquidem Spiritui Sancto character hic proprius est. Hac enim nomenclatura exprimitur, *Spiritus enim Sanctus est.* Ita enim totum est esse prædicatur Spiritus Sanctus, aliud præterea non inuenies. Spiritus vt anteuerti dicere, astruitur esse Deus, & Sãctus est Deus. Vtrunque hoc nomen ei consentaneum qui peculiariter vocatur Spiritus Sanctus, competit & quadrat; quẽadmodum Patris denominatio tanquam auctori congruit, Filij cognominatio ei ascribitur qui sine vllo intermedio ex auctore Patre prodijt. Et hæ nomenclaturæ nequaquam transeunt aut permutantur, reliquæ autem omnes motoriæ sunt & euariant. Quemadmodùm Pater Deus quum sit (verbi gratia) Pater, vocatur Spiritus, & Sancti nomenclaturis; tametsi non id totum aggregatum ei conueniat, scilicet, *Spiritus sanctus*: sic si dicas seorsum & *spiritus* & *sanctus*; Deus vtrumque est & nominatur. Nec secus, ὁ σωτὴρ, Saluator Filius est & Dominus vocatur. Nõ is solus Domini appellationem sibi asciuit: Dominus quippe est Pater, Dominus item & Spiritus Sanctus, quemadmodum & ipse Filius & Deus est & spiritus dicitur & sanctus. Ipsa autem appellationum communis acceptio (vt ita dicam) dispensatoriè enunciatur, vt ne homines impietatis occasionem vllo pacto arripiant, ac proinde tres existimẽt esse Deus.

Lege, Beelzebul, alias Beelphegor, Idolũ muscarum, Priapus. Luc. 11. c. Matt. 12. b. Iob. 10 b. Psal. 118. Is. 48. c.

Verbum Dei membra, in Scriptura, indicant S. Trinitatis consubstantialitatem.

Locum hunc notat contra hæresim Græcorum de processione Spiritus Sancti à Patre, Andreas Colossensis Episcopus, Act. 7. Conc. Ferrariensis.*

Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit.

Quapropter Scriptura diuina omnibus præcidens omnem eiusmodi suspectam opinionem, Patrem quidem vocat Deum, Dominum, autem filium, Paracletum verò Spiritum Sanctum. Et si Scriptura pædagogi in morem dispensauit hoc, ne sic quidem diuina voce Filium priuauit, nun item Spiritum Sanctum. Non etiam voce hac, *Dominus,* silentio suppressit Patrem & Spiritum Sãctum. At verò ne tantillum quidem è sanctissimis Oraculis quæ ipsi contemplamur in sancta Trinitate in idẽtitate diuinitatis, siue essentiæ aut naturæ. Quòd si cuipiam placuerit conuerso ordine vocare, quum se Trinitas communicat, ipsæ prædictiones & oracula hus cõtrouertunt; vt cum dico, Deus aut Dominus, aut Spiritus, quòd incorporeus sit & Sanctus. Vnicuique enim Personarum tales vocationes accommodatè attribuuntur; hoc nomine solo, *Pater,* asseruato, Patri, quia solus est* C Pater, tanquàm autor; & Filio, Filij nomine assignato quia solus genitus est. Paraclito autem conseruata nomenclatura Spiritus Sancti; Modum enim procedendi à Patre habuit sibi peculiarem. Sæpenumerò diximus differentiam non permutare naturam. Neque enim pater quia pater hac ratione Deus est, neque quòd Pater non sit Filius, ideo non est Deus. Parili ratione Spiritus non ideò Sanctus, sed quia increatus, sempiternus, inuertibilis, immortalis, immutabilis, vitæ suppeditator, artifex corporum. Hę enim proprietates competunt diuinitati, & suppetunt cuique Personarum; quapropter vnaquæque personarum Deus est. Horum enim causa, Pater est Deus, & non quia Pater. Si enim Deus esset, quia Pater; Pater omnis esset Deus. Nunc autem nõ ita D se res habet, sed diuersæ appellationes eandem exprimunt essentiam, vnà cum identitate naturæ quàm insinuant, nec dissentaneam vllam admittunt, propter hoc omnis plenitudo diuinitatis, vnus Deus est, super omnia & per omnia & in omnibus. Etiam si diuersis appellationibus norunt Eloquia diuina vocare Sanctam Trinitatem quę à nobis omni cum veneratione adoratur ac piè colitur, proprijs quidem inter se consentientibus naturis, si modò subsidia exceperit quibus docere poterit vnam esse Personarum essentiam per efficientiam suarum operationum, & ne vnã relinquat quidem causam impingendi in errorem, his quicunque cupiũt participes fieri illius luminis, neque sinunt mentem ignorantiæ tenebris obscurari, ad hoc vt aut naturam à se dispescant & abalienent propter hoc, * *Erat aliquando quãdo non erat,* E aut certè numen ipsum præcidendo in partiales essentias. Neque enim *sicut stella à stella differt in claritate & gloria,* quòd fortè maior minore sit; neque quia corpus mole sua & cocremento excedit aliud (putà, iuuenile corpus superat pusionem) non item vt tempore, homo homine sit procerior, verbi gratia; Abraham ipso Dauide vixit ætate pronectior, aut certè Dauid Zorobabele: ad eundẽ modum edocti simus profiteri de Personis Sacrosanctæ Trinitatis, aut sentire; sed connaturales sibi actiones communes habet, quæ quidem liquido ipsam exprimunt essentiam. Personæ autem simul collatæ animo apprehenduntur; quumque à se inseparabiles sint, eiusdem sunt gloriæ ac virtutis, quando sunt essentiæ & naturæ eiusdem. Nam quia indisparata est virtus

Scriptura sacra præcidit omnem Opinionem suspectam, de Trinitate.

** Insana Arrij verba aduersus Dei filium.*

Sanctæ Trinitatis, vti & essentia, beatus Dauid insinuat ijsdem verbis quibus ad Deum preces effundit dicens: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?* A Quin & præscribit quidem Spiritus Filij qui est Facies Patris, propter cohærentem inter se seriem ac mutuam compaginem: ipsam verò actionem, nulla dimensione circumscribit nec vlla partitione distinguit essentiam. Tantùm *est* discernit Personas, indicās quia ad inuicem se habēt inconfusè. Alio item loco idem rursus ait; *Vultum tuum Domine requiram.* Iterúmque, *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Non enim per eam corporis partem aliud indicat, quam sedem sensilium organorum. Quòd facies Patris sit Vnigenitus ac Verbum, qui iuxta decretum Patris sui, omnis creaturæ constitutus est Iudex, rursus iuxta sententiam Dauidis, *A facie tua iudicium meū prodeat.* Itaque facies Patris prædicatur esse Filius; quippè qui imago est & character Patris: & à Patre, potesta- B te accepta facit iudicium, iuxta illud; *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Atqui sicut vultus Domini perdit malos de terra, non vt omnibus non sint, sed vt in posterùm mali; ad eundem sensum rursus ait, *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ* Hoc est, hominem. Decor enim & ornatus terræ, homo est. Vt enim species in homine relucens, facies est. Quemadmodum pluribus demonstratum est, vna Sanctæ Trinitatis efficax operatio, vnam eius essentiam coëxprimit. Per hoc enim quod innotuit vna diuinitatis essentia, & vna eadémque Patris & Filij & Spiritus Sancti operatio demonstratur. Simul enim • atque creator & opifex Filius declaratur (quippè qui brachium nominatur & manus Patris) eadem ratione C demonstratur Spiritus sanctus consimilia cooperans, illo dicto; *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerūt me.* Astruitur enim & hoc esse Spiritus; nempè manus Patris, quod & perspicuè magis edocemur verbis Prophetarum. Illi enim afflati plenitudine sancti Spiritus, de euēntis posteritati (quasi præsentibus) oracula familiariter reddebant; puta quoties dicunt; *facta est super me manus Domini,* aduentum Spiritus sancti enunciant. Aspiratione enim Spiritus sancti, Prophetiæ redduntur. Hac de re nemo addubitet edoctus ijs quæ superiùs dicta sunt de digito Dei quia ipse est Spiritus sanctus, per quem inscripta est Tabulis lapideis lex sancta, data à Mose. Hoc & Elisæus velut ænigmate præfigurat veriùs quæ ab ipso dicta, memoriæ prodita sunt. Ait enim: *Asciscito ad me Psalten: Et* D *factum est, quum psalleret psaltes facta est super eum manus Domini.* Et hoc dixit, per id significās quia inuasit eum Spiritus Dei. Demonstratum itaque est istis qui contentiosius nobis imminent quod consubstantialis sit sancta Trinitas. Proinde eadem opera declaratum est, nefariū esse in ea sentire partiales essentias. Etenim inductione operationum sibi cohærentium dilucidè expressimus vnam essentiam esse indiuiduam, idque ad omnium notitiam perspicuè deduximus; nimirum personas inseparabiles esse. Filium quidem non cogitari posse, vt sine Patre sit filius: Patrem autem sibi aggregare & colligere Filium: Spiritum autem sanctum existere vnà cum Patre & Filio indicatum est, velut cum Mēte & Verbo. Equidem Dominus declarans Spiritum sanctum à se emergere, insufflans in Discipulos dicebat; E *Accipite Spiritum sanctum,* quem ijdem orantes per impositionem manuū suarum credentibus exibebant. Contemplatione horum liceat animo complecti quanto interuallo seruitus discrepet ab æqualitate honoris. Siquidem Apostoli deprecantes, nimirum supplicantes Domino in eos veluti domicilium introducebant qui ipsius aduentu dignos se reddiderant. Ac si dicat quis; Spiritus iste sanctus est. Porrò Saluator noster ex seipso velut è quopiā thesauri conditorio depromptum ipsum dilargiebatur sanè his qui per vitæ puritatem idoneos se effecerāt excipiendæ eius operationis. Et quidem sanctis Apostolis coassistit semper participio gratiæ; Christo autem Saluatori ac Deo nostro, ceu ei consubstantialis, vnàque cum ipso Deus. Hac ratione dicitur Spiritus Dei & Spiritus Christi; non quasi Spiritus administratorij ad ministerium missi: nam tales essentiam sortiti sunt circumscriptam, vt non potuerit (agedum dicamus) Gabriel simul in cœlo esse & apud Virginem; at neque apud Danielē in Babylone & in Iudæa apud Abacuc: Creatæ enim est naturæ; Spiritus autem sanctus adimplet omnia. Aderat & is in Iudæa versantibus Prophetis; Cum abeuntibus peregrè in captiuitatem, peregrinabatur; nec eos qui in Ægypto erant, sua destituebat præsentia. Nulli non aderat præsentia numinis; pro cuiusque capacitate, vnumquemque iuxta analogiam fidei imbuens sapientia. Itaque Apostolos ad vnum omnes adimpleuit; ac proinde, *varijs loquebantur linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui.* Cum peregrinantibus simul peregrinabatur: cum manentibus impartiliter aderat; cum eis omnibus congrediens familiariter. In Antiochia quidem Barnabam & Saulum designans sibi deligebat: Perinde aderat & illis qui in Samaria versabantur circa Petrum & Ioannē: Quin & eis suo se sistebat aduentu per manus Apostolorum, per quos & loquebatur. Alios emittebat ad prædicationem; alios item non (quò cupiebant) sinebat pergere. Hæc omnia diuinarum prorsus argumenta sunt operationum; quarum insinuatione, perspectiùs elucidatur ipsa Dei essentia. His tam multis per digressionem sum vsus; nec fortè citra fructum aggressus volui hisce argumentis euincere & ostendere identitatem essentiæ, simul & Personarum æqualitatem. Longo enim à se interuallo disparata maius & minus; nec conuenit ea in Trinitate profiteri. Si enim Pater Filio maior C astruitur, iuxta illud, *Pater maior me est,* nimirùm maior prædicatur quòd auctor & sit causa, non item secūdùm substantiam. Fortè autem minor est Filius Patre secundùm quod *minoratus est ab* Angelis, propter carnis assumptionem. Idque potiùs constituendum est. Is enim non astruitur maior esse Spiritu sancto, sed solo Filio, qui & carni communicauit. Est igitur superfluæ & vacantis operæ, in essentia diuina quærere maius & minus. Essentia enim magis & minùs non admittit, etiamnum iuxta externæ sapientiæ Professores. Hanc igitur vnam essentiam glorificemus, in qua sunt, Generans, Genitum, & is qui procedit, vnus Deus. Quonam pacto gignatur Verbum aut procedat Spiritus, ne anxiè sciscitemur; non enim tutum. Soli enim id cognitum qui causa est & au- D ctor omnium, & ijs qui ab ipso prodierunt variè. Nobis autem qui per fidem, quasi pædagogum, imbuimur rudimentis ad perfectam tanti mysterij comprehēsionem; abundè suffecerit quadantenus nosse quia Deus vnus est, & quòd vna sit diuinitatis Natura tametsi consideretur tribus subsistere Personis; auctore, Opifice & * iustos perficiente. Tres hæ appellationes circa vnam versantur essentiam, & vnaquæque nomenclatura vnam trium liquidò prodit Personam; minimè in aliud degenerantem aut transeuntem, vt id fiat quod suapte natura non est. Personæ autem hæ sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hæc enim vt subinde inculcem & reculcem, multò est tutius. Per hæc, regenerati lauacro perficimur ac salutem fide indiuidua comite assequimur, & ad im- E mortalem vitam postliminio nos recipimus, nullo æuo sensuram senectæ incommoda, ac longæuam; credentes in eas Personas quarū nomine baptizati sumus, & quorum collegio cooptati sumus. Deus autem hæc solus & vnus, in quo Gignens, genitus & qui Procedit, vnus Deus. Dicto igitur Vale superuacaneis, Vocibus sanctorum vtamur (id quod tutum pariter & omni est vacans periculo) quæ ab ipsis sunt nobis exhibitæ. Hæ autem Theologorum voces commemorant habitudinem siue conuenientiam generationis quam habet ad eum qui ex eo Genitus est, rem ipsam liquidiùs explanantes. Ait enim; *Ego hodie genui te.* Et; *Ante Luciferum genui te.* Et hæc quidem ab auctore: ab ipsa verò Sapientia; *Ante omnes colles genuit me:* Deus nimirùm dicitur. Didiscimus autem & Patris appellationem: Ait enim Saluator; *Pater misit*

Nefarium est sentire in S. Trinitate partiales Essentias.

Spiritum sanctum procedere à filio.

Angelorum Essentia & circūscripta. Matt. 1. c. Luc. 1. c.

Nihil maius aut minus in Trinitate.

Deus Pater quomodò sit filio maior.

Sanctorum Theologorum vocibus vtendum in rebus diuinis.

misit me, Et; *Ego à Patre exiui, & veni*, & consimilia: Vocarunt autem diuina eloquia & Filium nomine geniti. [A] Quemadmodùm igitur & eum qui genuit, Patrem nominibus nostris vocauit Scriptura, *Filius* enim *meus es tu*; nos perinde ac pueros deducens ad veritatis cognitionem, quippe qui capaces esse non poteramus spiritualis doctrinæ. Neque enim Deus inexplicabilibus suis ac naturalibus nomenclaturis nostras sibi in vsum asciuit; sed nostris vsus (vti dictum est) quæ sua ipsius erant decreta nos edocuit. Quemadmodum enim si quis cupiés ad alienigenas transmittere multiugam eruditionem non contemnendę vtilitatis, eósque velit transmouere ad meliorem quàm quæ apud illos inualuerit moderationē simul & optimam vitæ conuersationē; vanū prorsus ac futile fuerit illi studium, si vernacula sibi vtatur lingua, quòd illi (linguæ alterius) homines intelligere [B] non queant quæ diuersa lingua sibi in mediū promuntur: Ecquid tale facere conueniat cum qui (per beneuolentiam in illos malè suado errore correptos) velit eos edocere? An non ipsum vti oportebit vocibus sibi vernaculis & quibus à puero insueuerint auditores illi, ad eorum exceptionem quæ dicuntur? Similem in modum Deus nominibus nostris diuina inserens dogmata, ea nobis velut in manus tradidit; vt de ipsis, quod iustū est nostra qualicunque solertia pronūciemus. Homo enim omnis hominem sibi cōsimilem iuxta essentiam gignit: & omnis qui generat, Pater est. Sanè quidem & genitus filius est, nec alterutro, alter aut maior est aut minor secūdùm naturam: Neque dicitur is qui ex se alterum gignit, ipsum creare. Hoc homo omnis rectè sentiens meritò fateatur verum, modò is per humanas voces iuxta [C] morem vernaculum sibique familiarem diuina dogmata sit edoctus. Qui enim gignit; natura vtique consubstantialē sibi gignit filiū, nō alioqui dicēdus creare. Qui enim creat: diuersæ essentiæ rem creat, non item aliquādo filium. Si igitur filius genitus, non est creatura, & si pater natura est qui genuit, quanam ratione genitus creator dicetur? Hanc ipsi nouimus natura congenitam affinitatem per ea quæ apud nos sunt, nomina. Quoquomodo se res habeat, hisce humanis diuina superiora sūt, quatenus subsistit ea natura vtique nostra hac vili sublimiora. Et per hæc ceù elementa eruditi debemus, qui contendimus secūdùm Deum viuere. Quod si per istarum rerum naturam, ex contrario imaginentur & effingant nonnulli inanes animi informationes, propositum [D] sibi præstruentes improbum (quod quidem ad suam ipsorum perniciem & noxam excogitarunt, & ad simpliciorum seductionem) vtique vana nec quidquam habétia frugis bonæ, moliuntur. Hi nimirū dolosi iuxta Scripturam, propositam sibi prędam non consequētur. Neque enim ad veritatem vsque pertingent; non etiam res ipsas transmouebunt quarum gratia nomēclaturas istas innouant. Siquidem natura rerum compacta sic est, vt in sæculum sæculi inconcussa perseueret. Quemadmodum enim erat & est; ad eundem & manet & permanet modum; vocabulum tale nec vlla re euarians. Impositum illi vocabulum non permutabit rem ipsam in aliud præter id quod illi indidit natura. Impositio enim nominum posteriùs adnata est, res autem ipsæ præëxtiterunt, quibus imposita sunt nomina. [E] Si equidem natiuæ indoli rerum consentaneè respondeant indita nomina, nec inscitè eis cōquadret pronunciatio sermonis; iustè is sermo verus vocari possit, nec aliquid habens de quo iure expostules: Quod si diuersum occurrerit, & inamabilis nec cohærens deprehendatur, incongruus ac malè quadrans, vtique talis coarguetur esse mendax. Manet alioqui res ipsa natiuam conditionem retinens, nihil ex pronunciatione sermonis contrahens noxæ aut detrimenti. Quisquis id in vnoquoque Entium exquiret, nimirùm deprehendet quod verum est. Quòd si in vnoquoque Entium; quātò amplius in diuinis dogmatibus? Sermo enim fallax & in errores pelliciens aliquam multos transuersus aget, forsitan & ab ipsa abducet veritate

Hæretici propositam sibi prædam non consequentur.

eos qui nondum sunt habitu veritatis præditi; non quidem naturam in quam pronunciatur, transmouebunt. [A] Neque enim id aduersus sermonem præualuerit, etiam si per sonum res ipsæ transponantur. Sermo hic quum plus ęquo diffusius se porrexerit, ad aliud deinceps progredietur, immò ne ad aliud quidē. Adhuc enim iisdem immanebit; etiam si subiectum, & ipsa ἐπιχειρήματα (hoc est, argumentationes) mutentur.

EIVSDEM ANASTASII, DE incircumscripta Dei essentia.

LIBER II.

NIHIL *non audet lingua dolosa*: cōtempto Creatore, virtutem eius non sentit: Adsit proinde [B] nobis ipse Dominus in adiutorem spei, sermonem suggerens prudentiæ, in eorum gratiam qui hinc cupiunt non-nihil emolumenti decerpere, nonnullámque apprehendere intelligentię accessionem. Tu autem (mihi peramicum caput) ne, iuxta Scripturam, eum istis disposueris testamētum: quosdam intelligo, qui Dei maiestatem imminuūt ac veluti in frusta concidūt; essentiam Dei breuibus angustijs circumscribentes. Atqui (nullo suo fructu) isti vniuersam rerum machinam decernunt esse Creatoris omnium; eredentes quidem, per hoc, se Deum religiosè colere, dum interim blasphemi sunt impudenter admodum, diuinæ naturæ maiestatem abnegantes. Quique aduersus vniuersorum Deum intempestiuam suam & ad loquēdum [C] proeacem linguam exacuunt, planè non nôrunt neque intellexerunt isti Dei virtutem: sed secundùm Scripturam, *obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Cæterùm super his quoque longanimiter agit Dominus, nullos istorum volens perire, sed vt ad portum pœnitentiæ omnes se recipiant. *Vult* enim *omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Per hanc proinde sapientem Dei dispensationem super ijs, sperare liceat nos consequuturos fœlicem vitæ exitum, dum & ij ad salutem pertingunt iuxta propositum Dei qui vocat ea quæ non sunt tanquàm ea quæ sunt. Porrò istorum dogma ineptum prorsus ac suppurulentum ne per ignorationem imprudentibus imponat, nouerimus qualia ausint de Deo pronunciare. Aiunt enim, *Deus in* [D] *omnibus est*, efficacia operandi; essentia verò nusquam. Vim hanc operatoriam, dicunt effectum qui procedit ex ea efficacia; perinde atque si nauis compingendæ peritus, in ipsa iam à se adornata naui; & textor in suo à se pertexto habitu conspiciantur. Quanquam ad hæc ipse responderem eiusmodi efficaciam diuinæ operationis à Dei natura neutiquam separari posse, eadem vsus similitudine quæ ab istis priùs inducta est. Vt enim qui compegit nauim, in ipsa conspicitur naui; & Textor in vestimento: itidem Deus in suis expenditur creaturis. Sed illi quidem cuiusmodi solent mortales & præcisè finiti corporum angustijs, solam rem à se confectam transmittunt ad posteros, suo interim destitutam opifice. Præsentemque certè & iam notum, prædicant factorem: at absens si est, neutiquam renunciant, vt qui ignoretur. [E] Quid ita? Quando vtrumque præcisè consideratur; factor nimirùm, & effectus ipse. Diuina autē natura quandoquidem viuit, viuas habet suas operationes & quæ nullo non tempore fiunt: sine autem essentia, impossibile est, vt vlla procedat operatio siue effectus. Quæuis enim actio mox vt apparuerit, cum ea simul cōsideratur & essentia ex qua prodijt. Vtrumque enim incircūscriptum: quo fit, vt neutrum ab altero prorsus possit secerni. Ipsum enim opus, delitescentem in se essentiam prædicat: Attenditur siquidem cùm effectrice essentia, præsens actio, qua sine esse non posset. Ad hunc modum, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum.* Nec semel satis fit, quiduis ab opifice esse factum & immutatum: opus enim per idem cōnneat iugi-

Psal. 51.a.

τὴν ποίησιν.

ter nec sinit ad vetustatis iniuriam peruenire. Sanè quãdo passiuum omne nisi renouetur, veterascit: quod A autem natum est vt veterascat, nondum sentiens vetustaté, ad nouitatem instauratur. Cœlum igitur & corpora cœlestia in hunc vsque diem perseuerantia, quemadmodũ initio suæ conditionis sunt facta, quotidianam circa se factam renouationem præferũt. Renouationem vtique voco conseruationem: Conseruat enim ea per quod cõdita sunt, Verbum. Siquidem vt fœliciter succedat, credere debemus vim hanc operatoriam esse ipsam conseruationem. Conseruatur enim & continenter perseuerat ipsa rerum Vniuersitas, quod dum fit, circa eam ipsa efficax actio versatur, à qua separari neutiquam potest essentia. Proinde circùm eam rerum machinam, inque eius singulis partibus consistit essentia Dei. Ad hunc sanè sensum intelligimus quod à Saluatore dicitur, *Pater B meus vsque modo operatur, & ego operor:* Non quod Vniuersitati rerum vlla fiat accessio (*requieuit enim Deus die septimo ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus facere*; Et iuxta Solomonem, *nihil sub sole nouum*) Sed conseruationis nomine exprimitur opus Patris. Ipsa enim rerum genera & quas sub se complectuntur species videre vtique possis nullo non tẽpore salua persistere, nec vllam omnino admittere accessionem aut imminutionem; vt quæ (veluti prædiximus) à Verbo conseruantur. A conseruante igitur virtute ea secludere, nimisquam impium. Is enim dum Creatorem omniũ à suis excludit creaturis, ad interitum vsque perducit ipsam rerum machinã. Non igitur sola operatione suis adest creaturis Deus, sed & essentia; siquidem nobis demonstratum est, citra præsentiam essentiæ nullam existere vim operandi. Actionem C autem ipsam dico potentiam quæ viua sit, & procedens ex effectrice essentia semper ad opus moueatur: non itẽ eam quæ æquiuocè dicitur: Tripliciter enim dicitur actio. Prima quidem, potentia per quam apta est & nata agere quiduis. Altera, habitudo quæ est agentis ad rem actam: ipsa quoque res acta ex antegressis. Contemplatur enim primùm ac præuidet mens quid sibi agendum sit. Dein ad opus manus mouentur. Denique quod præuisum fuerat vt fieret, crebra agitatione manuum perficitur & consummatur. Eiusmodi sunt effectus compositorum & mortalium: quare necessarium est cũ qui agit, suo semper adesse effectui, cuius præsentiam prohibet ipsa corporum crassitudo, mortalis quoque conditio agentis & intermissio operis; nec dissimili ratione, rei D iam peractæ corruptio. In diuina autem natura nullum eiusmodi impedimentorum intercedit. Simplex enim est, quippe incorporeus Deus & iuxta Scripturam, *solus habet immortalitatem*; eòque ipsius actiones interminæ, nec vllo fine clauduntur. Quod ab eo efficitur, conseruatur: quare istius Opificis essentia (velis nolis) in omnibus se contemplationi peruiam exhibet & conspicuã creaturis. Etenim iuxta præ inductum exemplum, rei quæ effici cœpit (tantisper dum peragitur) necessariò adest natura agentis. Quiduis enim operis nemo absens si est, operetur. Deus igitur quum nullo non tempore quiduis eorum quę fiunt, efficiat, cunctáque moderetur ac dispenset sua iugi conseruatione; prorsus necesse est fateri Deum omnibus inesse, nec ab vllo vnquam disparari Entium. Id si non est; quo tandem pacto sententia E illa celebris, dignè ac decenter de Deo concepta salua esse poterit? Hinc enim inferetur numen illud dici posse corporeum; quod omnem exuperat impietatem. Circumscribit enim loci angustijs, propriè congruit corporibus certè & creaturis. Quod si corporibus cæterisque creaturis proprium est, loco vt circumscribantur; natura corpore & increata prorsus nullis arcebitur locis. Qui igitur asserit Deum suapte natura incircumscriptum, nec tamen aliquo in loco fortè esse fatetur: vtique, incircumscriptum circumscribit. Si enim ab vno aliquo vel solo quod vel minimũ sit omnium, submoueatur; hic iam locum habet circumscriptio. Per hoc enim quod ab alio terminatur declarat essentiam eius qui ambitur, esse circumscriptam, nec vllo pacto circũ- A scribere posse eum qui se transcẽdit & limitat. Quo igitur modo vera fuerit sententia illa, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum?* Deus enim essentia quum sit omnia quæ sunt diuina sua adimplet essẽtia; estque in omnibus quæ sunt. Perspicuũ proinde est eam præeminere vniuersitati rerum, nec tamen tumori corporum assimilẽ esse; sed diuina sua virtute contrahit ad se vniuersa & continet. Non enim Ens vllum subsistere possit, nisi Entis illius particeps. Deus sanè solus est ens propriè sumptũ, quod pari modo se semper habeat, nec mutetur. Si quid prætereà in eius participiũ venit, vt vocetur ens; non statim primitiuè est ens, sed participio eius qui propriè & primitiuè, fortè autem singulariter & solitariè ens est. Ait enim quidam Theologus; Diligis ea quæ sunt, omnia. B Quod si Entia sunt, vtique sunt participio illius entis. Participant autem, dum effectum ab illo sortiuntur; qui quidem effectus eousque progreditur vt sit non sine essentia, & est in omnibus. Itaque essentia eiusmodi in omnibus est, iuxta Prophetæ dictum; *Nonne cælum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Implet sanè Entia & quę Entibus istis eminentiora sunt. Nihil enim finit inane esse, nihil nõ eius particeps. Nemo enim ratus se colere numen illud, quasi non etiam ad improbos vsque se dimittat, aut alioqui sua indignos præsentia, extremã ei affingat ignominiam per propriam dimentionem corporũ tribuens eidem circumscriptionem vllam & terminum; videlicet ab eius essentia separans operatoriam vim agendi: neque enim id in Deo intelligi potest, Quod quum probè nosset Propheta, ait: *Quo ibo a Spiritu tuo?* C Non item dixit; ab actione tua: Sed; *A facie tua quò fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es.* Non rursus; sola actio tua: *Si descendero in Infernum, ades*, & quæ deinceps. Sermo hic vbi significationem vllam reddidit naturæ ab efficacia operanti separatæ? Nusquam. Numen etenim illud omnia permeat ac pertendit, vniuersa adimplens magnitudine suæ naturæ, atque exuberanti opulentia propriæ virtutis. Cæterùm nonnullos videas qui propriæ naturæ infirmitatem ad diuinam maiestatem trãsferant, eam suæ imbecillitati admetientes, circa maxima disquirentes vel minutissima quæque; rati proinde fore melius si diuinam naturam ad moderationẽ reuocent & imminuant tanquam ex materia desumptam, quàm vt eandem opinentur adusque omnia pertingere; D nefarium prorsus & impium existimantes tantam maiestatem corpora ingredi minùs decentia, squaloréque & graueolenti pędore oppleta; aut certè impias animas introire, & alia quædam quæ de Deo iuxta supereminentem cunctis eius naturam ne cogitari quidem debent. Nimisquam abiecta sentiunt isti de Deo, & eius incomprehensibili maiestate prorsus indigna. Qui sibi persuaserunt vt sic de Deo opinarentur, hos fortasse latuit Dei actiones quaquauersum cuncta peruadere, nec vllam cuiusuis materiæ particulam esse, quæ non sit opus Dei. Præter enim cogitationes quæ destinato proposito cohærent animæ, nihil definit Deus sordidum esse aut impurum. Quid igitur entium esse imaginetur quis, quod non fecerit Deus? Quod tãdem corpus (vtcũque squaleat fœda eluuie) non pars est materiæ cæteris corpori- E bus subiacentis figura formáque qualitatum insignitæ quibus internosci possit? Marcida igitur & imbecillia isti dogmata decernunt, nec vllo prorsus subnixa stabili fundamento, quandoquidẽ nihil in suis creaturis Deus abijciẽdum aut vile esse ducit. Nullum enim entiũ squalere sordibus censet: sed nec quicquam sibi asciscit ex propinquitate nostræ malitiæ (quæ ex se alioqui verè sola est fœda eluuies) tãtisper consistẽtis dum committitur. Quis igitur sic stolida mente desipit, vt præ diuersitate qualitatum in vicem succedentium, Dei maiestatem velit circumscribere, vt ne quid patiatur Deus, nullis alioqui obnoxius affectibus? Si enim Sol iste corpus quum sit séque propiùs cæteris corporibus admoueat radiorum eiaculatione, nihil tamen inde colligit inquinamenti,

Marginal notes:

ἀνακχαίνισμον, pro συντήρησις.

Ioan. 5.

Gen. 1.

Eccl. 1.

Deus operatione & essentia adest Creaturis.

ἐνέργεια τριχῶς λέγ.

Deus est omnia in omnibus.

Deus solus propriè est Ens; cætera verò participant tantùm.

namenti; sordium nihil aut fœdi odoris sibi hinc vendicat, innumeris licet speciei & squalore deformibus se adiungat proximè, (immò res in diuersum abit, suæ enim aptitudine naturæ hasce qualitates in melius permutat) quantò præ Sole cumulatiùs in suas creaturas Deus dispertietur propria bona, nullo ab iisdem accepto emolumento? Vt etiam demus Solem nonnihil fœtoris colligere ex istis corporibus; non continuò sequetur Deū contrahere vel tantillum contagij. Nunc autem quum Sol perinde ac cętera corpora passionibus obnoxius sit, nec tamen quicquam cōtradat sordium, qua fronte dixeris Deum iisdem subiacere & esse participem, quū ab his sit longissimè seiunctus? Cæterùm quando isti eam Dei actionem dicunt inesse omnibus (nulla enim hanc circumscriptione finiri volunt) rogādi proinde veniūt, quæ de ea sit ipsorum opinio. Vtrum dicant eam actionem, terrestrium istarum sordium fieri participem tunc quum se eis admouet propiùs, an non? Si verum fateri volent, vtique perspicuum est eam posse non fieri participem malitiæ eorum quibus propinquauit. Si dicent ea propinquitate sibi asciscere malitiæ cōtagionem, iā eis absurditas continget, cuius effugio numen ipsum circūscribebant. Igitur actionem suam contrahant, vt semel demoliantur, ac pessundent vniuersitatem rerum. Sin veriti eam absurditatem, quasi pœnitudine quadam ducti fateantur diuinas operationes nihil hinc noxæ aut detrimenti contrahere, quidni idem & de essentia confirment? Actionem enim iuxta opinionem hanc, etiam si immunem esse constituant ac liberam eiusmodi participationis, per hoc quod virtus quædam est incorporea, quin & hinc purgantur quòd essentiam inficiantur esse incorpoream, & hoc modo eam circumscribunt perinde ac corporis naturam. Atqui de Deo ad eū modum sentire aut dicere, perspicuum est dementiæ argumentum; Siquidem Deus spiritus est, eòque ipsum spiritualiter glorificamus, omnem à nobis longissimè propulsantes corpoream cogitationem, eundemque adorantes *in spiritu & veritate*, quippe qui nouerimus Deum esse Deum, nec quoquam deflectentes à rectitudine semitæ quam proculcarunt in tuendis dogmatibus pedes mansuetorum & humilium Patrum nostrorum qui rectè tractarunt Verbum veritatis, ad quos clementer respexit Dominus propter rectitudinem cordis eorum. Quos imitati, axioma hoc sincerū prorsus & exactè detornatum exposuimus, nihil interim loquuti quod proprium sit; sed verba videlicet sanctorum palàm & ex pacto professi, ad instar ceræ præsens argumentum efformauimus, cooperatrice (veriùs authore simul & principium suggerente) sapienti apicula vsi; cuius labores, Reges iuxta ac idiotæ ad instaurandam tuendámque sanitatem proferunt.

DE DIVINA DISPENSATIONE Incarnationis.

LIBER. III.

De Theologia, abundè nobis quum dictum sit; ex ordinis consequentia congruit, vt & pro exiguitate ingenij nostri hymnis celebremus Carnis dispensationem à Saluatore nostro sapienter assumptæ: Non quod ausim polliceri me id pro dignitate magnificentiæ Verbi exequuturū: siquidem nemo id vnquam præstiterit. Non enim vllus aliquando intellectus (licet ab omni contagione peccati perpurgatus) eoúsque pertingat vt verbis assequatur, tantæ maiestatis excellentiam. Atqui nos, hac de re, sermones infirmitati attemperabimus atque exiguitate nostræ. Quocirca deprecamur Lectores, ne sermones qui à me scribuntur, admetientes qualicunque intellectui, eos extenuent aut viles ducant: quin pro magnitudine potiùs suscepti argumenti in sublime tollãt ac magnificent. Pronunciatio enim orationis licet infirmitati consentiat præeuntis organi, manet tamen argumentū

A incolume, eo ipso declarās magnitudinem qua supereminet omni verbo: Non enim vsque adeo præcellentē Verbi istius virtutē repræsentat totius constitutio creaturæ. Verbo hoc cœlum constitit, estque stellis adornatum, Terra nullo subuecta aut nitēs fulcimine, nec suos alioqui prætergrediens limites, Aër effusus nec vlla vi oppressus; sed ad æquabilitatem eorum qui spiritum in se attrahunt; libratus & appensus; denique & reliquæ partes creaturæ totius. Quàm maximè tamen, vt diuina natura nostræ huic inseri potuerit & citra vllam mutabilem conuersionem se counire corpori, intercedente consertione animæ rationalis, causam tantæ condescensionis istius solus ipse exactè nouit, & ij quibus reuelauit ea cognitione dignis. Quatenus autem intelleximus nos, operibus vrerum illorum edocti; causa erat, vt postliminio salus redintegraretur homini miserè perdito,

B qui Dei manu formatus & imaginis eius honore insignitus, prospicienter à suo Plaste fuerat in Paradiso positus, accepto mandato eum vt excoleret simul & custodiret. Alterutrum enim si ab altero subtraxeris, vtrūque reddideris inutile. Atqui supinitate quadam animi lentescens non vsquequaque asseruauit delegatam sibi custodiam, iniecta manu rei sibi prohibitæ, dolo inescatus atque illectus cuiusdam veteratoriæ voluptatis. Hinc in eum labor omnis & dolor coortus est, hinc malorum scaturigo erupit & inūdauit in vniuersum genus. Quum decuisset, vt hisce malis admoniti inhiberemus erumpentem malitiam, tātum abfuit vt quotidianis incrementis eam reddiderimus cumulatiorem. Ad hunc

C enim modum consueuit contingere his qui incōpositè viuendo incidunt in morbos, nec medicorū præscriptis in tēpore acquiescunt. Qui eiusmodi erat (iuxta Sapientis parœmiam) quum in *profundum malorum venisset*, contempsit. A tanto igitur fastigio fœlicitatis quum defluxisset, non vtique conueniebat naturali clementiæ Dei, incuratum præterire sic miserè collapsum & extorrē factum à bonis ad quorum obtinendam fruitionē fuerat conditus. Nam qui iuxta Prophetæ vocem, *aliquando nutriebatur in croceis, amplexatus erat stercus.* Eam ob rem eximius ille Rex, verè nobilis & in his qui ab ortu Solis fuerunt, liber prorsus; Deus inquam (qui & Verbum) suam sapiēter institutam œconomiam aggreditur. E propria enim egressus ciuitate, misertus eius qui ab ea exularat;

D insedit stercori nostro super quo & ipsi consedimus luculenta & prælustri veste spoliati qua amiciebamur ante admissam præuaricationem, circumplexi insuper hãc graueolentiam. Cæterum simul atque ex istius stercoris vehementi acrimonia, saniosa vlcera patentiáque vulnera nobis acciderunt, quæ omnem in nobis naturæ ornatum labefactarunt, accepit ipse *testam*: vt concretum pus, saniémque permultam testæ affrictu eraderet; nimirum cupiens abstergere vulnus, simul & abluere. Quid proinde ea est testa? perspicuum, quia eius terrestre corpus, per quod expurgauit peccatum Agnus Dei natus, *qui & tollit peccatum Mundi.* Hoc planè nobis magnum ostendere vult sacramentum quod à sæculis est absconditum & à generationibus in Deo qui omnia creauit, at-

E canum & abstrusum remansit. Hoc Ioannes. Theologię tonitru, sensum omnem & sensibile supergressus prædicauit; nempè eum qui in principio erat apud Deum, Deum Verbum. Ipsius enim diuinis vtimur vocibus, dicentes, *Verbum caro factum est & habitauit in nobis.* Ostendens enim copiosam commiserationem quam erga nos re ipsa declarauit Deus Verbum, ipsum eundē dixit factū esse carnem. Quo autem pacto, qui immutabilis est, potuerit fieri quod nō erat, per id declarat, quod omnibus in confesso est esse verum, Quia *habitauit in nobis.* Ac si propemodum diceret, Habitatione nostra, nimirùm carne vsus est. Oportebat siquidem eum qui verè & secundùm naturam Rex noster erat, nos qui tyrannico imperio premebamur illegitimi planè Domini (qui & regnum ad se nihil attinens arripuerat) non desereret

Prou. 18. Thren. 4. Iob. 2. Eph. 3. Collo. 18. S. Ioannes Theologus tonitru. Ioh. 1.

improuisos & in captiuitate degentes: sed insignia nostræ captiuitatis sibi inducere ac nobiscum familiariter cõgredi, vt dirupto pariete ante nos ingressus ad se pertraheret sibi congeneres, veriùs dixerim, quorum naturæ consors esse voluerit; sua sibi sponte circumponens vincula nostræ captiuitatis. Huiusce rei gratia, ad nos ab ipso elongatos accessit; & qui ab eo eramus procul disparati, propiùs nobis se adiunxit, non locali propinquitate: Neque enim localis facta est emigratio aut transitus. Quo enim pacto aut certè quibus locorũ angustijs circumscribetur numen illud quod suo vnius ambitu cõplectitur omnia, nec interim ab vllo alio continetur? Non igitur Desertor ille potuit non ab illo Ente contineri, vt ne ad ipsum perinde accessum localem requiramus: Vtrumque enim impossibile. Longè autem fieri ab eo dicimur, affectu & proposito seu electione spiritus, quemadmodum sacra dicunt eloquia. Quare nobis pia quadam condescensione propior factus est, non quidẽ derelicta immansione vtique plena diuinæ maiestatis, quam cum Patre & Spiritu sancto suapte natura habens communem, cum ijsdem ante condita sæcula glorificabatur in sinu requiescens Patris: sed quum pro sua erga nos clementia & spontanea voluntate dispensationem carnis tãquàm naturali suæ bonitati cõgruentem assumpsisset, natus sic est carnulenta quidem & terrestri materia (ad hæc mortali & conformi, nostræ) vsus exuberantia potestatis ad occultandam suæ maiestatis gloriam, & assumptionem carnis (cui consertus est & in qua habitauit) ea obumbrans propriè magnitudinem diuinitatis. Quum enim decreto statuisset ipse inuisibilis ad eos venire qui sensorio visui viuunt, oportebat conspicuum eum ac visibilem fieri ijs & consimilem quare organum nihil se dedecens composuit, vt hoc intermedio fieret visibilis, ministro hoc vsus nobis connaturali ad obeũdas ritè diuinas operationes, deinceps & ad suum vsum. Hac veluti ratione dicens vniuersis qui expectabant redemptionem; *Ipse qui loquebar adsum.* Verè enim adest Dei Verbum, etiam si secundùm corpus videtur solùm; & Deus est verus, sola licet humana forma nostris se conspicuum præbeat aspectibus: & idem est ante sæcula, etiam si in recensione suæ Genealogiæ commemoretur ex tempore natus; nimirùm ex Abrahæ & Dauidis semine exortus. Ex his enim corpus illi fuit ex terra quidem & sub conditione temporis: ex Spiritu autem Sancto vnio eius quod diuinum erat & in temporale qua vnitum est animatæ carni per quam nobis familiariter loquutus est, ipsa carne, ceù velo quopiã obtectus; Verbi gratia quemadmodum occulit corpus animam nostram, seruatque characteres ad quorum exemplar creata est. Quod est enim secundùm naturam, difficilè admodum immutari potest: quatenus igitur expendere licet modum vnionis Verbi ad carnem, aliam non inueniemus congruẽtiorem similitudinem ea quæ est animæ ad proprium corpus; quo vtroque perficitur animal vnum, nempè homo, quum partes non mutentur in compositione & inter sese mutua complicatione, neque vnum per se constituat alterum; sed per harum partium connexionem quæ priùs à Verbo separabãtur, factũ est vt post compositionẽ hoc sit & nominetur. Ex istiusmodi similitudine quũ acceperimus, quantùm cõducere visum est, Verbi coniunctionẽ cum humanitate ita contemplemur. Etenim Deus, Verbum in altissimis considens quum voluisset fieri homo, quasi nulla commodiore via posset homo ad salutẽ prouehi; subijt vterum Virginalem, totius expertẽ corruptulæ: Erat enim virgo hæc intemerata spiritu & corpore; Quare necessariò ad tanti sacramenti obeundam functionem meritissimò ipsam delegit. Verbum igitur quum hanc implesset; præcipuè quidem vniri voluit rationali animæ quæ ei Verbo intermedia fuit ad carnem relata: cui toti totum se attemperans citra vllius inquinamenti conspersionem aut confusionem, per eam corpori coiinitus est formato (superuentione Spiritus sancti) ex carne Virginis matris; nulla in eadem prorsus præiacẽte causa corũ quibus corpora consuẽuerunt generari, præter Altissimi virtutem. Sola enim mulier formãdo corpori (quod organum fuit diuinæ maiestatis) suppeditauit materiã: quemadmodũ iam inde à principio Vir solus sustinuit vt è proprijs carnibus subsisteret mulier & eadem mater viuẽtium. Delirant igitur nullo suo fructu, qui cum negant secundùm nos fuisse consubstantialem propter peculiarem modum generationis. Eadem enim ratione nec Eua fuerit viro consubstantialis, aut ei qui prognatus est vtriusque parentis communi complexu. Etenim vterque ad alterutrum collatus, vt esset, permutatã transitionem habuit. At nec aliundè corpus sibi proprium condidit (etiam si poterat) quàm materia nostris subiacente corporibus. Iuxta enim Scripturam, *non apprehendit Angelos*, non Virtutem aliam cœlestem; *sed semen Abrahæ*, ad quem facta fuerat repromissio. Qua igitur frõte asserunt quidam cœleste fuisse quod è terra assumptũ est corpus, quum materia eiusmodi nulla in supernis illis consistat regionibus? Non itaque ex propria nempè incommutabili essentia; non item ex alia vlla præter iam dictam, sibiipsi concinnauit corpus. Fuisset vtique nimisquam à ratione dissentaneum si ad nos veniens, corpus secùm aduexisset à nostro alienum. Deus enim tantùm ex Patre quum esset, nec ab ipsius essentia euarians, suum sibi assumpsit corpus ex Matre, citra vllam differentiam eidem consubstantialis genitus: cõque iuxta similitudinem superius mihi inductam; ex vtraque substantia, vnus declaratus est esse Christus, Deus nimirùm & idem homo. Hoc planè perspicuum reddidit quod in sacramẽto erat admiratione dignũ, quia suam vtramque proprietatem naturalem seruat, ac si secundùm se solum subsisteret; non concurrẽs alteri ad vnionem constituendã, tametsi persona vna inconfuse esset. Christus igitur vtriúsque naturæ cõplexu, non item habitu subsistit, sed essentiæ vtriúsque in hoc vnum cõsertione; magis autem ipsæ essentiæ nõ diuina quidem siue humana, non etiam è diuerso humana à diuina dispatata, sed vtriusque permixtio & inseparabilis contemperatio, quam fatemur nõ se habere iuxta imitationem humidorum quæ quidem nata sunt in aliud quiddam permutari & transire, facta inter sese contemperatura; sed iuxta præstitutam imaginem animæ & corporis, quo vtróque perficitur rationale animal (homo scilicet) ex intellectili & sensili, intellectile & sensile. Hic etiamnum sic mysterium hoc contempletur quis, subobscurè licet. Ambo enim hæc in vnum conuenerunt, diuinum pariter & humanum; quin effectus ipse compositionis aliud nihil ostendit, quàm quod natura erat ex vtróque concurrentium. Christus siquidem & Deus est nec minùs homo; qui per concurrentia ad inenarrabilem illam vnionem, Mundo est perspicuè declaratus esse Deus, corpore quidem vtens mortali ad ipsius mortis dissolutionem, quod sanè quam mirabile est. Est igitur Christus verè Deus simul & homo. Non omnium est veram profiteri appellationem hanc diuersarum rerum minimè subiacentium. Dicitur verò & per partes nec rarò, quibus constat non hoc solùm. Non enim possibile est citra contemplationem alterius conuenientium, aut sola perspicaci & discretiua motione mentis qua quidem ipsi internoscimus, quid quidem diuinum sit, non item existens humanum. Rursus ex opposito dignoscamus quid humanum sit, & non idem sit diuinum. Si quando autem hasce animi conceptiones mẽte attentiore versabimus, significare cupientes subiectas substantias & quàm inter sese obtineant diuersitatem; mox quidẽ ipsi coaptamus rei operatæ priusquàm in partes eam personam dirimamus, rursum conuenientes, agnoscentes vnum Christum diuersis constitisse naturis. Tametsi enim diuersæ sint naturæ quarum vnione constitit ad tanti sacramẽti manifestationem; at certè vna est Persona, cuius peculiaris appellatio, filio etiamnum carnẽ induto permãsit. Filius enim rursus est etiã secundũ carnẽ. Hæ igitur par-

tur par-

Christus citra virilem copulam generatus.

Christus secundum humanitatẽ fuit nobis consubstantialis.

Commentum hoc est Apolinarij Laodiceni.

Similitudinẽ sine collatione.

Vterus Deipara, totius corruptelæ experti.

Dei mater intemerata corpore & spiritu.

tur partes à se natura differunt; assumens ab assumpta; persona non item. Hac ratione asserimus pesonam esse A vnam partium essentia differentium, nostræ huic sententiæ suffragantibus viris omnibus Theologica sapientia præeminentibus & Ecclesiæ doctoribus, eúdemque prædicantibus Deum esse simul & hominem. Hæ enim naturæ sunt quarum vnione constitit. Naturas autē nūc dicimus, non vt quidam primordiales causas aut principia rerum nos ex insidijs appetentes ad hoc vt in fraudem errorésque proijciant simpliciores quasque animas, eas suis molitionibus in vestigio opprimentes; eas pronunciantes esse naturas quibus vnio concinnata est, Deum scilicet, & Patrem simul & Virginē matrem obumbratē quidem id asserentes. Ab istis emersit error eiusmodi, vt ne vel tantillum faterentur assumptum esse à Christo. Nos contrà, naturarum concursionem ad cō- B stituendam ea vnione personam animo perpendentes, easdem profitemur esse cōpletiuas personæ Christi; eius nimirùm qui non modò ex Deo est & homine, sed qui etiam ipse est Deus & homo, salua & incolumi vtraque hac essentia in eiusmodi consertione, & sic coniunctam personam (quam Christum vocamus) propter copulam naturarum perficiente. Sanè ob hoc, non modò patres illi numine afflati de Christo nobis edisserūt ipsum consistere ex Deo & homine, duabus item naturis tanquàm duobus principijs, sed tanquàm de Deo & homine ac duabus naturis hunc à se quam longissimè repellentes errorem, palámque veritatem annunciantes. Et de Christo quod ad pietatem attinet, simplex prædicatio erat, nec vlla euarians duplicitate, quemadmodū decet sanctos, nisi aliquam multi prosiluissent qui suis C sophisticis & variegatis ratiocinationibus, toto annisu sunt adorti temerate fidei veritatem. Hac equidem causa Spiritus sanctus suo aduentu quum per generationes se infudisset animabus sanctorum, eos qui in simplicitate spiritus ambulant, non siuit sua ope destitui, neque istorum intercipi laqueis; sed eos sapientiam edocuit, verbúmque adhibuit quo concertante demolirentur nodos ac præfocationes violenter confictorum dogmatum aduersus veritatem. Et quidem illi nobis per manus tradiderunt thesaurum, sanè quam ingētem ac pretiosum: In primis quidem in testaceis & fictilibus vasculis, hoc etenim sanctam illam addecebat doctrinam: Et quia non cōueniebat vasa hæc perpetuò fragilia permanere, in quibus ingens iste reconditur thesaurus; misertus D Dominus infirmiorum, veritatis præconibus suggessit vires renitendi, sermones nimirùm qui illidant ac debilitent incerta spicula aduersariorum. Hinc factum, vt sermo veritatis adeò nullis cedat mendacijs, vt magis etiam fraudem coarguat mendacij, & à se sermo repellēs quicquid à veritate abhorret, perstat sua nunquā dignitate deijciendus aut in errores circumagendus: quare & Christum docet Paulus Dei esse virtutem & Dei sapientiam, qui supernis perinde ac infirmis præsidet Deus vnus, qui formā seruilem indutus (Deus alioqui) vt sæculi huius Principem lateret, quo cum conflictus nobis proponebatur decertandus: Et ne sui ordinis ille desertor, è lucta, se fuga proriperet, metu prætrepidus non sustinēs aduersus Deum agonem: Forsan autem vt per simile, quod ei assimile erat in integrum resti- E tueretur. Sanè nihil præferebat in se Christus quod sua nouitate interturbaret hostē; nihil nisi quod ipsi sumus, opponebat; nihil obiectabat nisi totam conspersionem nostræ carnis quam à nobis assumpserat in vno relicto semine, primitiæ factus naturæ nostræ. Hac ratione Christus asseritur, *primitiæ* vt sit. Nam quando totū quod collapsum erat, decreuerat erigere & instaurare (siquidem genus vniuersum conciderat) seipsum totum toti permiscuit Adamo, se vitam inseruit mortificato vt eū viuificaret cui erat cōsertus; per ipsum totum permeās, perinde ac anima magno infusa corpori ipsum animata virtute informans, eique impertiens vitam ac sensum. Nec alia ratione humanum genus asseritur corpus esse

Virgine Maria.

Simplex erat fidei prædicatio ante natas hæreses.

Iuuit semper Spiritus sanctus simplicitatem Catholicorum.

Christus carnem indutus ut Dæmonem lateret.

Christi, & membra de membro velut omnia peruadente & communi transitu penetrante. Corpus enim, socialis est quædam communitas, & in vno quoque qui peculiariter & per se habitat secundùm mensuram fidei. Membra enim quiddam seorsum positum ac peculiare significant; iuxta quam dicendi formulam distinctę sunt functiones dignitatésue membrorum. In his enim sunt quædam honoris præcipui, alia è diuerso infirmiora. Sunt & quædam per se honesta, sunt & quibus plusculū iusto honorem circūdamus. Et hæc quidem quæ ad cōmunitatem pertinent corporis non ab ipsa communitate in ius vocantur. Itaque Apostolus dicto corpore membrisque nominatim inductis declarauit se nosse quo generale differat à proprio. Corpus Christi dum nos vocauit, vtique innuit esse communitati ipsius substantiæ coünitum. Neque vlla propria hypostasi quàm ipsius membrum, non membra, neque enim dicebamur esse corpus. Quando autem semel placuit vt Dei verbū fieret homo, & nos totos stolam sibi circumdedisset, vtrumque alterum dicitur, & alteruter dictus est vtrumque, non quidem nuncupaturis sibi ea vendicans. Hæ enim appellationes non quasi abusiuè dicuntur, sed quod vtrumque sit partim ita vocatur. Ipsum enim profitemur esse Deum, non qualēcunque Deum hominem dicimus esse, non vtcunque hominem. Est siquidem Deus simul & homo per generaliora nomina manifestans quibus subsistat, non itē ex partialibus substantijs, sed ex generalibus essentijs. Opinor enim nequaquam esse partem essentiæ. Qui enim circa eam habitudinem versantur, partes essentiarum confirmant esse essentias. Cuiusmodi tandem par essentiæ inuenietur non admittere sermonem essentiæ, vt illud vocitemus partialem essentiam? Quod si totum non admittit id quid per se partem vocant essentiæ, vel ipsum totum non etiam fuerit pars essentiæ. Non enim quemadmodum in sectione circuli in duo hemicyclia aut in diuersas reliquias possibile est mente apprehendi sectionem essentiæ: neque vt in Sphæra in quadrantes & Hemisphæria. Essentia enim dissecta quid factura est? Forsan partes essentiæ. Sed dictum est partes essentiarum essentias esse. Est itaque essentia insectilis simul & impartilis. Vt enim impossibile sphæram aut circulum in partes diduci, ita impossibile (neque enim fieri potest) dissecta essentia partiale vt sustineat essentias. Itaque frustraneo labore ne se quis defatiget, ratiocinationibus vsus prorsum euanidis, conatus ostendere quod nullo modo doceri potest; quòd scilicet incarnatio facta sit specialibus quibusdam, non item genericis essentijs; id quod demiror dictū. Quinā talia effutientes non se in latebras conijciunt? Est enim hoc implexis & interpretabilibus Griphis annumerandum, nec minùs difficile solutu aut incomprehensibile. Essentiæ enim ea est functio vt significet esse, nec secùs se habere omnia quæ ab ea participant. Quod vsquam est entium, quòd exors sit essentiæ, vt illud dicatur partialis & propria ipsa interim essentia subindicāte generale quiddam Nō enim id proprium est. Et genus quidē generalissimum audiuimus, & speciem specialissimā; genus autē specialissimum nunc primùm cōdiscimus. Tametsi dicantur quædā specierum genera, ceu sunt intermediæ generū species, quum aliarum specierum sint genera, ac certè omnia hæc coarguuntur quod ad cōmunitatē pertineat id magis quàm ad proprietatem. Itaque quod est proprium, non iam cōmune est, etiā si reciproca fiat cōuersio, id omnino vt ampliorem essentiam obtineat, & quouis modo sit, & quemadmodum reliqua se inuicem habeant nobiscū cogitemus, quæ sunt οὐσία καὶ ὑπόστασις essentia & substantia siue persona. Non enim propria natura, essētia est. Naturarū igitur siue essentiarū ipsi coünionē profitentes, eas essentias in coünione contemplamur, non quasi ea vnio facta sit per transmutationē, contemperationem, inquinationē aut cōfusionē, sed per naturalē & cōtiguā propinquitatē. Hasce autē naturas siue essētias à se indiuulsas esse & inseparabi-

les ducimus. Non enim iuxta habitudinem siue comparationem aut προσωποποιίας quam vulgus mortalitatem appellat, pro dignitate aut certè modo quouis altero quem isti sua commentatione excogitârint duas astruentes personas, ipsi nos fatemur se habuisse incarnationem Saluatoris, sed ipsarum essentiarum conuentionem ad consistentiam personæ contemplati vnum eundémque Christum adoramus; qui antè incarnationem Deus, ab ipsa incarnatione idem non destitit esse Deus tametsi alteri se conseruerit essentiæ, propter corpus quod consubstantiale est. Coëssentialis enim his est factus qui versæ sunt à Deo essentiæ, iuxta quam dicendi formulam processit, homo vt fieret, ante sęcula ex Patre nullo intercedente medio genitus. Hinc factum vt duas illi fuisse credamus generationes. Per duo enim processisse didicimus, non vtique parili sed dispari modo. Ex Patre siquidem secùs processit atque ex matre. Atqui idem ipse est, etiamsi non secundum idem. Diuersitas enim consertarum essentiarum, differentes effecit partûs. Est & vnusquilibet intelligentia omni superior. Vt inter sese fiat collatio; vni tamen alteruter ortus præcipuum quid cedit ac peculiarem prærogatiuam, ita vt Conditorem sæculorum qui ante condita sæcula est, nemo queat apprehendere quoquo modo vel mediocriter. Quare nemo æternæ sapientiæ his iam dictis incumbat, próque consuetudine nemo nostrum dispergat ante eos verba veritatis, ne quis porcus pedibus illotis tralucidas & illimes Margaritas proterat & côculcet. Qui enim solidam firmitatem sermonum quibus ceù rudimentis instruuntur, ignorant: præfidenter & intrepide in errores prolabuntur aduersus sermonem veritatis, asserentes Sanctam Trinitatem carneis vinculis esse adstrictam; séque quodammodo laudibus celebrare vnam diuinitatem quæ eiusdem sit essentiæ; simul & se côfiteri eam esse implexã inuolucro nostræ istius naturæ; per hæc suæ mentis inconstantiam in apertũ prodentes, modísque omnibus prouidentes, ne insolẽs absurditas suarũ hæreseon quã piorũ dogmatibus inserucrant in prospectũ veniret omnium. Asserunt isti Verbũ naturã obtinere sibi vni peculiarem, connaturalẽ nihilo seciùs esse Patri, insuper & Spiritui sancto: quam quidẽ naturã mysterio suę incarnationis nobis cômunem fecit sua erga homines benignitate. Istius opinionis prodigiosam absurditatẽ demiror, ac proinde cupiens aduersus eam quædã depromere veritati consentanea (quatenus vires meæ sinunt) quærendum, is ne admittat Deũ, qui homo factus est, obtinere essẽtiam sibi peculiarem, annon: Ac ne nûc quidem id refello. Tãtùm est: docere velim eum qui talia asserit, non posse laudibus celebrare Filiũ vt Patri consubstãtialem. Omne enim quod vnius est essentiæ, ipsum admittit Verbum; Et omne quod recipit Verbum, vnius est eiusdémque essentiæ: Viceuersa, quod eiusdem essentiæ non est, neque ipsum recipit Verbum; Et quod ipsum nô recipit Verbũ, eiusdem esse essentiæ non potest. Vtrum igitur isti malint, deligãt; & eis vndequaque occurret insolẽs absurditas. Etenim talis si admittit, quia Verbum Filius essentiam obtinet comparem Patri, vna vtique est essentia Patris & Filij, & communis vtrique ascribetur finitio. Ecqua tandem ratione quod proprium est, in commune reddi possit? Nam si non admittit eandem finitionem & comparem Verbi rationem, iam non eadem erit essentia: Quorum autem non vna & eadem est essentia, nec consubstantialis etiam suppetit. Quemadmodum enim consubstãtialia eiusdem non sunt essentiæ, sic ex opposito quæ eiusdem non sunt essentiæ, nec consubstantialia sunt. Qua igitur fronte isti asserunt filium Patri coëssentialẽ, qui essentiam eidem assignant peculiarem? Sui enim participium si communicat alteri, iam illi propria esse non potest natura. Quid igitur essentiam hanc profitentur esse propriam? Si quidem filiationem dicãt esse priorem, iam filiatio essentia non est. Dein vt nostro etiam assensu côcedatur eis hoc, rursus alternam permutationem sibi contrahent. Quemadmodum enim non eadẽ est ratio Paternitatis & Filiationis, ita secundùm istos, non erit Patri Filius vnius eiusdémque essentiæ. Porrò quæ eiusdem essentiæ non sunt, nullus controuerterit sermo eadem sibi non esse coëssentia. Conquiescat superuacanea ac futilis loquacitas asserentium in diuinis essentiam communem esse simul & propriam. Siquidẽ pluribus quàm necesse fuerit; demonstratũ est propriã non esse essentiam. Inducto enim nomine essentiæ quorundam, nemo non insinuat communitatem; quocirca superfluæ ac vacãtis operæ sit vni essentiæ inferre quod commune est. Perinde enim facis ac si dicas communem communitatem. Et pręhoc tantò superfluit magis, si dicas propriam essentiam, nec quicquam differat, si communem dicas proprietatem. Hanc ob rem Ecclesiastici doctores, proprietate vocum vsi; quod commune quidem est, vocarunt essentiam, quod autem proprium, substantiam siue Personam ἄνθρωπος siquidem, homo commune vtcunque est; vnus autem homo, alicuius est proprium: quorum quidem illud essentia est, hoc autem substantia est siue Persona. Neque enim quiuis homo, vnus aliquis est homo, sed substantialis quidem non item propria essentia informatus & quæ seiuncta sit à communitate, sed secundùm eam per quam omnes sub eadem specie informantur essentia: Eandem enim ac reliqui, admittit rationem. Homo enim communis est vt quiuis alter, & nemo homo præ altero homine magis aut minus homo est. Itaque Filiatio, naturalis quidem habitudo est: filius autem eiusdem est diuinitatis cum suo genitore: Hanc enim asserimus essentiam habere filiationem pro proprio charactere. Hæc, character esse dicitur paternæ naturæ. Est enim illud secundùm naturam, quod Pater est: sed & personæ est, ac si in se includat Patrem qui nominatur filius iuxta habitudinem ad aliquid, id quod alterius cuiuspiam esse prædicatur. Verbi gratia; Filius Patris est Filius, & Pater Filij Pater est. Vt quid autem solus Filius dicitur character Paternæ substantiæ & non Pater substantiæ Filij? Quando quidem per ipsum ad Patrem habemus accessum, & idem Doctor noster est, nobis etiam auctor quo prælucente agnouimus Patrem, quemadmodùm is patrem alloquitur: *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Eius sanè nomen manifestauit non tanquàm Dei (Innotuerat enim iam olim & à lôgiore vsque principio) sed nomen Patris; Siquidem ipse propalam fecit, vt agnosceremus Patrẽ sua vnius reuelatione. Tot porrò tantísque digressionibus sum vsus ostendere volens essentiam in partes neutiquam dirimi, vt ne quis dicat ex parte eum assumpsisse humanam naturam, quodque rursus partem apprehenderit alterius essentiæ; item volens etiamnum ad rectitudinem reuocare frustraneam illam atque erroneam opinionem putantium essentiam prorsus simplicem ac sinceram consertã esse carni. Qui error; Patrem simul & Spiritum sanctum demittit ad dispensationem carnis id quod docuimus nequaquã fuisse necessarium & eis liquidò ostẽdimus qui citra vllam contentionem de his inquirunt, immò Dei amore incalescentes pia diuináque fidei veræ excipiũt dogmata. Filius enim non est essentia, sed Persona ipsa essentia consistens & informata. Licet interim sit essentia (vt hoc nostro assensu donetur) at certè particularis essentia non est. Omnem enim de integro obtinet essentiam qui eius sit particeps. Itáque verum est quod dicitur; Ex duabus perfectis essentijs Christi persona constitit; Dei simul & hominis, etiamsi Patris appellatione non vocaretur; parte quidem vna Deus, non toto coniuncto. Et quidem quòd Deus diceretur, primum declarabimus: post quia & homo. Dein explanabimus eum constitisse differentibus essentijs. Ait igitur Hieremias ipsum hunc subindicans: *Hic Deus noster, non æstimabitur alter ad eum, Adinuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo & Israel dilecto sibi, Post hæc in terra visus est, & cũ hominibus conuersatus est.* Quòd autem Propheticum hoc oraculum

Christi duæ generationes.

Verba veritatis non spargenda ante infideles.

Deus Mundo semper innotuit quidem sed non vt Pater.

culum de Christo redditum sit, perspicuè declarat pars
posterior clausulæ, nempè eius cum hominibus cõuer-
satio; quando excepit carnis dispẽsationem, Deus alio-
qui quum esset: quo & Dauid afflatu Spiritus Sãcti pro-
mouens suæ vocis organum, psallebat: *Deus Deorũ Domi-
nus loquutus est & vocauit terram.* Et; *Deus manifestè veniet.* Et
ne forsan arbitrere de alio aliquo aut de seipso reddidis-
se eum eiusmodi Prophetiam, quæ infertur inductio, in-
dicat ipsum innui Christum qui à Patre potestatem ac-
cepit iudicij omnis quia filius hominis est. Subiecit e-
nim: *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempe-
pestas valida: Aduocabit cœlum sursum & terrã discernere po-
pulum suum.* Quod Pater neminem iudicet, edocti su-
mus ipso dicẽte Domino. Itaque Deus qui dijudicat &
discernit populum suum, Christus est iuxta cõsideratio-
nem assumptæ humanitatis. In eandem concurrit sentẽ-
tiam & illud: *Deus stetit in synagoga Deorũ, in medio autẽ Deos
dijudicat,* siue discernit. Clamat autẽ & Osee ex persona
ipsius Propheticè dicens: *Deus sum & non homo.* In te san-
ctus. Esaias autẽ sese ad ipsum exporrigens, ait: *In te Deus
est, non est Deus absque te: Tu enim es Deus & nesciuimus: Deus
Israël Saluator: Suppudescant & confundantur omnes qui repu-
gnant ei.* Quòd autem Iudæi legísque Doctores auersati
sint Christum, ob hoc quod trabea cõuestitus esset car-
nis, nulli non compertissimum est. Is enim quũ ignora-
retur quis esset, & aliena obuelatus forma cõspiceretur
ab ignaris tantæ maiestatis; *Vt quid tu homo quũ sis, facis te-
ipsum Deum?* Tales igitur pudore aliquando aspergantur,
veritatem insuper condiscant conuersi à priore ignorã-
tia. Et quidem nũc è multis hæc in medium deprompsi-
mus mediocria pro tuenda diuinitate Christi cui astipu-
lantur, ac docẽt Deum esse carne licet obuelatũ. Quòd
autem homo sit rursus ex ijsdem, eloquia Spiritus sancti
relegentes, pro nostra virili portione repræsentabimus.
Esaias igitur primum obtineat locum. Is postquàm pue-
rum vocauit; post, virgam è radice Iesse enatam, Emma-
nuelem, post, genitum è prophetissa masculum, nomén-
que illi inditum, *Velociter spolia detrahe, citò prædare,* hũc no-
minans hominem: His etiam nunc dictis ait: *Vidimus eum
& non habebat speciem, neque decorem, sed & species eius despica-
bilis ac plena ignominiæ, supra omnes homines contemptibilis &
& derelictus, Homo plagis contusus & languores benè consciut
portandi.* Rursus Dauid artis modulandi peritus diui-
nam pulsitans lyram ait: *Quid est homo quod memor es eius,
aut filius hominis quia visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab
angelis. Imminutus* enim (vti ait Paulus) *est ab angelis*, fa-
ctus homo propter passionem mortis. Quapropter glo-
ria & honore coronatus est, acceptus in suam hæredita-
tem cunctis gentibus, quibus redimendis subijt mortẽ.
Eadem enim gloria quam apud Patrem habebat ante
Mundi istius constitutionem, in eius gratiã didiscit por-
tare languores vt sua passione omnibus conciliaret sani-
tatem. Hic igitur talis (& si visus sit non haberet spe-
ciem neque decorem) erat alioqui *speciosus forma præ filijs
hominum*: Filius enim erat & filius hominis præpotens
& confirmatus. *Vir* erat *dexteræ* à Spiritu sancto voca-
tus: *Fiat* enim (ait) *manus tua super virum dexteræ tuæ, &
super filium hominis quem confirmasti tibi.* Dicitur vir hic,
Oriens, iuxta illud Zachariæ præsagium: *Ecce vir Oriens
nomen ei.* Masculus est ex prophetissa genitus, vt euan-
gelicè denunciat Esaias, quem reliqui vocauere virum.
Demonstratum est quia qui apud Prophetas homo est,
idem est & Deus. Superest, vt eorundem præsagijs prò-
bemus eum simul esse Deum & hominem, quò à nobis
dicta, ex testimonijs Scripturarum desumpta auctorita-
te, ratam apud omnes impetrent fidem. Mihi igitur ob-
serua numnam Dauid id compositum, seu naturarum
Psal. 44. consertionem, insinuauerit dicens in Psalmo hanc præ-
ferente inscriptionem: *Pro innouandis siue immutandis, ad
intellectum; Canticum pro dilecto.* Dilectus autem iste, solus
est Filius, vel teste Euangelio in quo vox Patris induci-
tur delapsa ac dicens ad Christum: *Tu es filius meus dile-
ctus.* Siquidem is immutatus est, factus homo, non qui-

dem vicaria permutatione immotæ & inuertibilis na-
A turæ, sed alterius assumptione. Eadem enim est *mutatio
dexteræ Altissimi,* quæ facta est quod non erat: Aut certè
pro commutandis per eum gentibus. In hoc igitur Psal-
mo, *pro Dilecto & innouandis* ait Melicus hic Concentor:
*Speciosus forma, præ filijs hominum, Diffusa est gratia in labijs
tuis, propter hoc vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ
participibus tuis.* Hoc ipsum alter Interpretum luculen-
tiùs reddidit, dicens: *Vnxit te ô * Dee, Deus tuus.* Vngi- Θεὲ.
tur enim Deus à Deo, non quatenus Deus erat sed qua-
tenus filius hominis. Dicens enim filium hominis, in-
nuit eum fuisse præter cæteros ad vnũ filios hominum,
speciosum forma. Vt ne qui forsan insolenti temeritate
aut inscitia promoti, eum suspicarentur solum hominẽ
esse præter reliquos hominum diuina gratia exornatum,
sequenti mox ordine nominauit Deum, dicens: *Vnxit
B te ô Dee Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* Ipse
Dominus nihilò dissimilia dixit * Mariæ post resurre- Magdalenæ.
ctionem ex mortuis; *Ascendo ad Patrem meum & Patrem
vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Nemo autem tam
est mente delirus, vt prorsus interpretetur Deum dici
propriè habere Deum; atque dixerit propriè conuenire
nudo homini, vt Deum sibi proprium vocet Patrem.
Cæterùm ex quo hoc & illud in eodem agnoscuntur,
quippè qui Deus sit simul & Homo, vtráq; propriè ob-
seruantur. Filius enim est simul & seruus; eóque vocat
propriè Deum ipsum, iunctim, Deum & Patrem; Patrẽ
quòd à Deo exierit, Deum verò, ac si dicat Deum ho-
minis. Quæ enim a se disparari non queunt, nemo sepa-
rauerit, tantisper dum vtroque constat Christus. Sane
C aduersum eos qui propter inuolucrum carnis, dolo ma-
lo in fraudem abducti sunt, putantque vt sanctum Pro-
phetam visum esse nudum ac solum hominem, ait per
Zachariam scriptura: *Non sum Propheta ego, eo quod homo
genuit me ab adolescentia mea:* Hoc est; Ne me putato pro-
phetam esse eò quod me genuerit homo: Meæ enim
iuuentutis est eiusmodi natiuitas, non substantiæ quæ
ab æterno est. Hoc ipsum expressit luculentiùs per
alium Prophetam: *Deus sum & non homo in te Sanctus.* Ne-
quaquam à se auferens nomenclaturãm hominis, sed
quòd à parte maximè principali sibi nomen asciscat &
quæ suspectæ sit Fidei quia oculis carnis minimè cerni-
tur. Erat enim vtráque essentia & est hæc ex qua corpo-
rale sibi accommodauit organum, diuinæ vehiculum
D naturæ cuius opificio nobis rerum omniũ indigis mo-
litus est salutem & confecit. Huiusce rei causa post le-
gales hostias quæ nihil poterant deinceps emolumenti
adferre, ait: *Ecce venio corpus habens mihi adaptatum, per
quod ipse tollo peccatum Mundi.* Hæc enim est voluntas Pa-
tris, vt omnes homines salui fiant. Ait ergo; *En venio ad
explendam voluntatem tuam.* Declaratum itaque quum sit
istis non nimisquam imperitis nec vsquequaque perfi-
dis aut suspectæ fidei, quia Christus Deus est, & quia
Homo, tum quia Deus est simul & homo; accepto à
Lege & Prophetis testimonio, tametsi videri possit nos
quiddam superuacaneum moliri, si è nouo Testamento
testem ipsum adsciscamus: attamen velut ex abundanti,
noua adaptentur veteribus, ac si hæc loquendo illis
E concinant, quemadmodum ab vno & eodem Spiritu
conscripta sunt. Quid porrò in his occurrit explana-
tius Emmanuele; quod teste Euangelista interpretatur,
Nobiscum Deus? Nec is vlla alia ratione diceretur *No-
biscum Deus*, nisi Deus esset simul & homo, ex nobis si-
mul & Deo. Talis planè est in Saluatore temperatura &
vtriúsque consertio naturæ. Denique quum Pontifex
in iud[illegible] ei obtendisset iusiurandum & captiosis calũ-
nijs appetiuisset, nihilque respondisset ad obiectiones
sibi falso intentatas, rogat ille, num filius Dei esset: at
hunc legitima responsione reuicit: *Tu dixisti* nihil mali-
tiosæ percunctationi eius qui ipsum obstrinxerat iure-
iurando. Non ita fuerat responsurus, nisi certò certius
compertũ habuisset se esse Deum simul & hominẽ. Iu-
stus enim si solũ fuisset homo, vt nõnulli de ipso opina-

tur, hac de re quæstione proposita, quanàm fronte assensus esset se esse Deũ? Neque enim iuxta istorum opinionem, imposterum ratio vlla Iusti iniri poterit. Qui enim diuinitatis maiestatem sibi vendicat, Deus quum non sit; vtique iustus non modò non est, sed & præter omnem modum est blasphemus. Sunt denique isti tanquàm blasphemi ac planè stolidi ab eo mala morte mulctati; quòd abnuerint intelligere quæ ab illo non minùs sapienter ac verè dicerentur. Necesse igitur ex his duobus alterutrum esse; Aut ipsum vt cõfiteamur esse Deũ, aut certè hominem fuisse planè iniustum qui seipsum dixerit esse Deum. Siquidem vt vnius horum ablatio alterius abrogatio est & reprobatio; ita vnius positio alterius assentio est & approbatio. Qui ipsum confitetur hominem fuisse iustum, prorsus consequens fuerit ac necessarium, vt eundem fateatur Deum esse qui se asserit Deum. Quid enim impedimento est, quò minus res sic se habeat? Sanè quidem si non facit eius opera à quo missus est, (quemadmodum de se ait) fides ei abrogãda est qui se asserit esse Deum. Quod si Patris sui facit opera, velis nolis, fides eius dictis habẽda est. Et hæc declarãt ipsius essentiã, iuxta axioma illud quod habet; Quorum eadem est actio, vna est & essentia. Vt & vice versa; Quorum vna est essentia, eadem est & efficax operatio. Itaque satis elucescit Christum tectorio carnis obuelatum, coëssentialem esse Patri, quando eadem cum illo facit, & dicit *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Rursus, *Quæ videt Patrem facientem, hæc & Filius similiter facit.* Itaque penes nos hasce de Deo rectas opiniones cõseruemus; ipsũmque contemplemur sicuti est, non item quantus est. Est autem Deus benedictus in sæcula, iuxta eximium Apostolum. Sed & si Deus est (quemadmodũ sanè est) attamen altera ex parte agnoscitur homo sic à seipso vocatus, insuper & à Discipulis suis. Dixit enim Iudæis; *Nũc quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis dico.* Quæ quidẽ & Paulus vbi exactè didicit, in suis scriptis eorum æquipollentem dereliquit dictionem dicẽs: *Homo Christus Iesus qui dedit semetipsum pro omnibus.* Ad hunc sanè modum si quis quæstionem promoueat, modò citra vllam contentionem: nequaquam exerrabit à scopo veritatis quæ nata est se exhibere conspicuam ijs qui eã concupiscunt: quorũ flagrantibus votis benè cupientes, pauca ex aliquammultis quæ diuinæ Scripturæ sparsim continent, quãta maxima nunc nobis pro tempore memoria suggessit, adhibuimus. Sed enim qui in procinctu & ad manus habent libros poterunt omnia quæ hac de re sunt memoriæ prodita, velut in vnam farraginem colligere & ea habere in promptu, ad indicem propositi argumẽti simul & peculiarem vsum. Hoc ego nunc non quiui efficere in exilio desidens, præter hæc pauca. Quum vero tammulti eam facultatem obtineãt, eorum quæ ipsi exhibuimus paucitas nihil adferet impedimenti cupientibus pleniorem & honestam secum auferre satisfactionem. Vnius enim fide digna auctoritas quod à tali dictũ sit, nihil minus reddit acceptabile, quàm quæ à numerosa multitudine sint dicta. Idẽ enim in omnibus est Spiritus. Quid porrò attinet dicere, quãdo ipse subministrator Spiritus luculenter de seipso testimonium reddit & adstipulatur veritati? Ipse seipsum & quod in ipso est, agnoscit. Ipse enim (teste Euãgelista) nouerat *quid esset in homine.* His igitur abundè dictis, ad sequentia oratio progredietur, ea enarrans pro virili portione quæ de passione Saluatoris se offerent.

EIVSDEM DE PASSIONE ET impassibilitate Christi.

LIBER. IIII.



CHRISTVS quum & dictis à se factis Deũ se esse verum declarasset, ac Dominum totius creaturæ suis ait Discipulis (quo tempore ascensurus erat Hierosolymam) *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus à principibus sacerdotum & scribis, ad flagellandum & illudendum & crucifigendum.* Et hæc quidem consentanea prorsus esse dicebat oraculis Prophetarum qui eius exitum prænunciarant, quem facturus fuerat in Ierusalem. Quocircà eo tempore quo illa gẽs rebellis & exlex cum gladijs & lignis venit, vt comprehenderet Iesum, præduce cohortis eorum Iuda (cui *bonum erat si natus nõ fuisset*) quumque voluisset Petrus pro officio & decoro, ferre suppetias Doctori, & arrepta machæra auriculã amputasset Malchi cuiusdam famuli Pontificis, ipse Dominus increpatoriè ait Petro, *Conuerte gladium in locum suum, Omnes enim qui acceperint gladium, in gladio peribunt, Annon putas, quia possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo igitur implebuntur Scripturæ Prophetarum? Quia sic oportet fieri.* Itaque hæc si fieri oportebat: vtique, velis nolis, vt fierent, erat necessarium. Quod proinde necessarium fuit, vt fieret; omnino non poterat non fieri. Iam quando Scriptura diuinitùs inspirata tãtò ante vocibus Prophetarũ præcinuerat Christi mortem; & quæ mortem ipsam præuerterunt, passiones; quæ ad hæc post ipsius mortem contigere circa corpus eius mortuum: Deum cui hæc contigissent, eadem Scriptura prædicabat impassibilem & immortalẽ. Alioqui enim Deus non esset: aut certè ijs qui ad veritatem Incarnationis animum aduertissent, licuisset illinc occasiones arripere rectè ac iustè vtrumque confitendi; passionem scilicet & impassibilitatem: & hãc quidem causam propter quam ad passionem venit impassibile alioqui Dei Verbum. Nam quòd alia via homo non posset instaurari ad salutem; solus ipse nouit & ij quibus voluit id arcani innotescere. Omnia siquidem nouit quæ Patris sunt: quemadmodum & Spiritus sanctus *scrutatur profunda Dei.* Ipsum tamen pati oportebat: nec poterat nõ fieri passionem iuxta eius assertionem, tardos ac stultos vocãtis qui ignorabant: quia *sic oportebat pati Christum & introire in gloriam suam.* Quando enim egressus est in salutẽ populi sui relicta quam apud Patrem habebat ante Mũdi constitutionem, gloria (Salus enim, cœpti operis erat consummatio) hanc salutem expensam & libratã oportebat per passiones perfici in eo qui author vitæ nostræ est, quemadmodum docet Paulus dicens eum vitæ authorem *per passiones esse consummatum.* Videri etiamnum possit gloria Vnigeniti, nostri causa quadantenus & ad breue momentum passionis exinanita fuisse quando assumpta carne in integrum restituit omnia per Crucem. Siquidem ille tonitrui Filius in suo edisserit Euangelio, quid aqua illa esset quam dixit Saluator de ventre credentis, fluminis in morem, profluxuram: *Hoc autem dixit propter Spiritum sanctum* (inquit) *quem accepturi erant credentes in eum; Nondum enim Spiritus sanctus * quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Gloriam hic, mortẽ vocat per Crucem inflictam: vnde idem Dominus sub horam Crucis orans, precabatur glorificari se *à Patre ea claritate quam habebat apud eum ante Mundi creationem.* A resurrectione autẽ ex mortuis, suis discipulis præsentior factus, eam claritatem pro qua obsecrarat, se accepisse, fidem faciebat dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* Ac si manifestè diceret authorem gloriæ istius Crucẽ esse, & per Crucem irrogatam mortem. Genus siquidem nostrum omne obnoxium erat morti: *Omnes enim peccauerũt, stimulus autem mortis, peccatũ est;* quo nos misere sauciatos mors deiecit gradu, nec secus quàm per mortem licebat mãcipes nos & veluti sub hasta venundatos ab hisce eximi vinculis quàm per mortem: Redemptionis enim precia in detinentium nos potestate sita erant. Sanè nullus erat qui huic præclaro operi subeundo satis esse posset, & proinde genus redimeret nostrum. Nemo inquam, erat è toto genere, liber. Neque enim vnus aliquis pro seipso vel moriens à proprio debito emancipabatur, nedum vnum saltem secũ potẽs asserere libertati. Quòd si neminem poterat quis à seruili iugo eximere, quando & ad suam quisque tuendam libertatem non satis erat

ἐμάχαιρα. [margin]

Subaudiendum, Erat datus. Io. 7. [margin]

erat idoneus defensor; at certè non conueniebat omnes mortem illam oppetere, nec sua eius potestate contineriter hærere. A Quis igitur obeũdo huic præclaro muneri idoneus? nimirum, in quem nulla caderet peccati contagio. Quis porrò præterquàm solus Deus, immunis esse potest omnis peccati? Quando igitur id operis, solius erat Dei; nec consummari poterat citra mortem & eas quæ mortem ipsam prægrediuntur, afflictiones: Deus autem omni ex parte expers est mortis, nec istarũ perturbationum capax: naturam deniq; assumpsit, quæ & mortis capax esset & afflictionum, nobis nimirum per omnia consubstantialem nihilque à nostra euariantem, vt suo colluctari (id est, morti) occasionem obtendens (nempe carnem) & per eam quæ subiecta ei erat naturam ipsum expugnaret inimicũ, nec vllus demum suppeteret illi locus opponendi; quia deuictus quidem sum non ab homine sed à Deo. B Neque interim cor nostrum remollescat ad subeunda certamina quoties occasio appetit, quando exempli gratia nobis proponitur caro nostræ congener & consubstantialis in qua damnatum est peccatum, quod in illa prorsus nihil loci inuenisset. Per carnem, Deus Verbum citra vllam vitiosam perturbationem cum morte cõflixit, propriam carnem pro sua habens & eidem ineffabili consertione coünitũ ad quemplanè modum est & corpori vtuta anima. Hanc autem, corpus proprium & carnem vocat; & quæ in ea perficiuntur, omnia ceu propria sibi, Deo imputat. Et certè ex eius persona, Propheta clamat dicens: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Suum ipsius vulnus vocat, quod suo videt inflictum corpori: partes insuper corporis propria deputat membra, ceu reliqua se C habent corpora: Ait enim; *Dorsum meum exposui flagellis, genas autem meas alapis:* Et; *Faciem meam non auerti a dedecore & infamia sputamentorum.* Rursus, *Foderunt manus meas, & pedes meos & dinumerauerunt omnia ossa mea.* Et hæc quidem dicit, suum sibi peculiariter vendicans corpus. Quæ itẽ adhibentur corpori, sibi ea exhiberi indicat qui & corpus gestauit. Quin etiam se passum esse dicit citra nomenclaturam corporis aut membrorum recensionem. Ait quippe: *Quasi ouis ad occisionem ductus est:* Et, *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Vt ne quis distinctè omnia de Christo dici censeat, sed & coniunctim: ob hoc, quæ humana sunt, quæ item diuina, de ipso promiscuè & in commune prædicantur, intellectu discernente quæ decenter vtrique conueniunt naturæ. D Etenim quod diuinum est, vtique impassibile est: Impassibilis autem est qui nulla vnquam tangitur passiua affectione, siue earum quæcunque sunt animæ, siue quæcunq; sunt corporis, seu animati corporis. Animæ enim rationali competit tristari, turbari, angi & penè exanimari, dũ se illi ingerunt quæ per se sunt tristitia: Corporis autem sunt, secari, transfodi. Animati verò corporis, esurire, sitire, laborum pondere fatigari, sudare? Isthæc autem omnia, & vnumquodque eorum, mutationem in eo qui patitur, designant: è diuerso autem de se ait Deus *Ego sum & non mutor.* Et ad ipsum intendens vnus aliquis Theologorum ait: *Tu autem idem ipse es.* Cuiusmodi igitur affectionem suspicari possit quis, contingere ei qui sit ab omni affectione alienissimus? E Num vnam earum quæ accidunt corpori? Id quo fiat pacto, quod ne animæ quidem recens & nunc primum creatæ contingeret? An ex his quæ animis informatis accidunt? Et hoc absurditatẽ continet præter modum insolentem, si quis dicat Creatorem Vniuersitatis, iisdem passionibus subiacere quibus & reliquæ subiacent creaturæ: nec id solum sequetur, sed & versatilis mutationis simul & alterationis vices alternas suscipiet Deus. Siquidem absque alteratione, vt id contingat, impossibile est: Omni autem conuersione & mutabilitate, diuina natura est superior. Sed animatam carnem simul & diuinitatem ea passio forsan attigit? Absit hoc: Ait siquidem Propheta; *Deus enim æternus, non esuriet, neque laborabit, neque est adinuentio prudentiæ eius.* Diuina igitur natura ab omni passione cum sit essẽtialiter immunis & libertina; eius tamen passio prædicatur, nempe Crux & mors, per quas salutem sumus consequuti. Ait enim Paulus; *Neque iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Necesse sit passionem hanc propriè quidem sumi & in primaria significatione. Assumpta enim natura, ab ea quæ assumpsit nunquam separata est: sed secundùm subsistentem naturam est eidem coünita, consertione ac nexu insolubili, sic vt omnia vnius sint eiusdémque Christi, tum quę diuinæ sunt maiestatis, tum quæ humanæ naturæ, intellectu nostro citra confusionem vllam singula discernẽte, quando cupiet in persona Verbi internoscere quid diuinæ congruat naturæ quid item humanæ: attamen vtraque hæc necesse est profiteri, Naturarum communione, vnius esse & eiusdem personæ; passiones dico, simul & impassibilitatem: ob id, quia parte is designatur, vtriusque coniunctione compositus est, vt quum corporis animati sectiones ac vibices dicimus præcipuè quidem eas esse agnoscimus corporis, propter tamen compositam vnionem dicebamus easdem esse & animę etiam si liquidò nouerimus his passionibus animam detineri non posse. Ad hæc, animales motus disciplinásq; rationales, quum præcipuè quidem ac peculiariter ad animam pertineant, dicebamus alioqui esse & totius compositi Animalis, licet corporis natura neutiquam sit capax cognitionis & scientiæ. Ad eundem modum & de Christo, Deo simul & homine, omnia vnius eiusdẽque esse prædicamus, nimirum Impassibilitatem ipsam & passionem ad vtrumq; suapte natura spectare edocti. Verba hæc & eorum intelligentiam nobis enunciauit doctor Petrus, Apostolorum eximius dicens: *Christo passo pro nobis carne;* tametsi priùs esset confessus manifestè ac luculenter ipsum esse filium Dei, quo tempore & declaratus meritò est esse beatus, vt qui à Patre eam excepisset reuelationem. Et nos igitur obsequentissimè morigeri huic de Deo cognitione diuinitus excepit, necesse est vt eadem vtamur regula. Et Christum quidem passibilem fuisse iuxta sapientissimi Pauli loquutionem, cõfitemur; non id alioqui secundùm diuinam naturam: vt neque secundùm humanitatem dicimus impassibilem Verè etenim passus est passiones naturæ consentaneas; nempe quas nihil dedecoris consequitur aut dignum reprehensione attenta magnitudine appositionis Naturarum inter se consertarum. Et est quidem Deus qui patitur, diuinitate interim nihil in se recipiente externæ passionis: idem rursus quum esset homo, non patiebatur quatenus in ipso secundùm naturam diuinitas suam retinebat impassibilitatem, coünita licet patienti corpori. Denique modus ipse passionis perspicuè ostendit cohærentium Naturarum differentiam. Certè nulli erat passiuæ affectioni obnoxius: Nihil enim morte aut contumelia dignũ admiserat. Tantùm fuit, se dedit in mortem; *Peccatum* enim *non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius.* Equidem eius innocentiam suo comprobarunt testimonio & qui ipsum adiudicarunt morti, idque congregatis Iudæis. Nam & his sibi donari deposcentibus latronem Barabbam, ait Pilatus: *Vultis, dimittam vobis Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim* (ait Scriptura) *quia per inuidiam tradidissent eum: Et respondentes dixerunt; Non, sed Barabbam:* Ad quos rursus *ait Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Illi autem dixerunt Crucifigatur.* Ad hæc, Pilatus eos confusione pudoréque aspergens dixit: *Quid enim mali fecit?* Nihil igitur quum admisisset mali, traditus morti est, idque per Crucem. Quare & Esaias pronuntiat dicens; *Propter peccata eorum.* Sanè hinc liquet traditum esse propter scelera hominum Iterúmque; *Propter iniquitates populi mei ductus sum ad mortem.* Certò enim certiùs nos mors occuparat (Dominus vtique illegitimus) ab eodem recipientes pœnam vltricem eorum quæ iniquè admiseramus digna morte. Clamat itaque Propheta coarguens illegitimam formulam auctionis & venditionis nostræ; *Ecce iniquitatibus vestris, venundati estis.* Vt iniqua etiamnum fuerit venundatio, at

Ita vt vna sit et persona.

Corporis passiones mediæ quædam.

Petrus Apostolorum eximius.

certè conueniebat instaurandæ nostræ libertatis rationem legibus esse consentaneam. *Empti* itaque *sumus* omne *precioso sanguine quasi innocentis & immaculati Christi*; & hoc pacto à seruili detentione emancipati eius qui nos prior suæ seruituti obstrinxerat, dein & libertatem in tempore consequuti sumus Nostrum igitur disrūpit Chirographum, quare & nos in eius seruitutem reuoluti sumus, qui nostri causa nihil nō æquanimiter tulit eorum quæcunque dicunt insignia esse instaurandæ pristinæ & perfectæ libertatis. Est etenim flagris conscissus, incussis alapis contusus: implens interim quæ de his futura præsagierant Prophetæ: nobis per hæc gratificatus nulli non confessam & apertam à seruili iugo emancipationem. Neque enim frustra quicquam abiit eorum quæ circa eius passionem honore dignam contigit fieri. Ne hoc vacillemus, sed ratione quadam præstantiori ac necessaria vim omnem sermonum exuperante adacti, his fide indubia acquiescamus. Quum enim venundati essemus & sub iugo corruptionis quę omnia oppresserat sua tyrannide, animo in nos propensiore voluit & ipse nostri causa venundari. Neque enim venditor est libertatis, sed eius assertor & vindex: & pretio quidem æstimatæ libertatis quod penes se quisque nostrum receperat, sumus abusi: *Pretium* autem *appretiati* eius qui erat liber, *factum est peregrinis in sepulturam*, vt eorum seruet corpora qui in terra aliena, vita hac sunt defuncti; rantisper dum adueniet excitaturus corpora quorum animæ precioso sanguine redemptæ sunt Effusus enim sanguis est eius qui multis redimendis sufficeret; forsan meliùs fuerit dicere, omnibus. Sunt siquidem & omnes multi. Quæ autem prodigiosæ virtutes ab ipso gestæ sunt, naturam fuisse in ipso humana superiorem contestantur è qua prodibat efficax illa operatio. Nec dico mortuorum resurrectionem, non visum cæcis restitutū, aut leprosorum emundationem, & reliquarum eiusmodi affectionum curationem: Hæc enim vel dudum in commune omnes ipsi tanquàm Deo Saluatori accepta retulerunt. Atqui illud aggrediar dicere, quod fortè admodum paucis animaduersum est & venit in mentem. Quale id? Quòd quum pro potestate omnia faceret cęteris tamē omnibus præeminere videtur, quod eos exegerit Templo qui ad quæstum sacris abutebantur, ac proinde ex *domo orationis speluncam* reddiderant *latronum*. Nisi enim excellens quædam virtus in eo emicuisset, vtique non poterat vnus tot tantásque hominum myriades vendentium pariter & ementium eliminare templo, ingruente prætertim festo die, quo vndecunque ob celebritatem conueniebant. Præscripto enim Legis, vndecunque ad celebrandum Azymorum diem eò cogebātur omnes, in quo & Paschalis Agnus iuxta præscriptæ Legis sanctionem immolabatur. Quis enim vel etiam dux exercitus, accinctus licet stipatoribus innumeris, posset tot tantósque excludere & in fugam vertere; præsertim quū isthęc negociatio Legi prorsus aduersa diuturno tempore inualuisset & altiùs fixisset radicem? Ipse enim solo è funiculis cōtexto flagello eiecit omnes aditu Templi, suam ipsius domum vocans *domum orationis*, quam isti diuina metientes solo quæstu in locum verterant publicæ negociationis, diuendentes columbarum pullos, diuina insuper eloquia ad quæstum permutantes quorum mensæ meritò elisæ sunt & in terram euersæ, multiuariam effudit monetam diuina citrà controuersiam sua virtute: eius nimirùm qui purgaturus aduenerat templum, in quo Lege sancitum erat mundas offerri Deo hostias, non item vt isthæc fierent præter legis sanctionem: Eóque qui hoc præclarum opus spectarant, in admirationem cōuersi vt par erat, in tam numerosa populi multitudine tanto edito signo; omnes qui aliqua sui corporis parte colluxati essent aut mutili, in vnum aggregarunt. Et hi ad Iesum in templo quū accessissent, curati sunt. Signum hoc posterius, priore præstantius videtur. Claudos enim & cæcos longiùs abarcet lex ab ingressu Templi. Designato admirabili hoc prodigio

Miraculorum Christi maximum eo eiectis ex Tēplo qui Sacris ad quæstum abutebantur.

(nimirùm exclusis templo negociatoribus) qui viderant & audierant, secum reputantes id operis humana
A esse fragilitate superius; ausi sunt ingredi: Quos Templum introgressos & ad se propiùs accedentes Iesus curauit, quibus omnibus præclarè gestis se esse Deum declarabat obuelatum carne quam vocat Paulus, καταπέτασμα, velamen scilicet. Est siquidem καταπέτασμα, velum id quod tegendis Sanctis oppanditur, & quæ Sāctissima Sanctorum sunt protegit, in quæ semel singulis annis solus ingreditur. Pontifex, pro se & populi ignorantiis repropiciaturus Deum. Itaque quod operiebatur priore quidem velo, Sanctum; quod autem secundò, Sanctum Sanctorum dicebatur. Quare multa freti fiducia dicimus primum quidem velum designasse corpus Christi; secundum autem animam. Sicut enim collatione habita ad corpus, Sanctum illud, anima est ado-
B perta corpore quasi priore velo: perinde & ad Deum Verbum secundum velamen, anima vtique est. Cæterùm duo facta sunt Tabernacula ansis siue fibulis inter se conserta & connexa annulis; quæ mihi esse videntur symbolicæ figuræ earum rationum, quarum gratia, tanta erga nos Dei benignitas declarata est: quarum etiamnū intelligentiam vix vnus aliquis intenta animi contemplatione consequatur, cuiusmodi esse solent symbola solutu difficilia admodum. Vna siquidem ansa seu fibula alteri cōtingué ac pressiùs cohæresciт à superiore parte adusque inferiorem, Nec secus licet ea perspicere nisi si quis ab extremis conscendens ad prima, ad ipsum vsq; principium pertigerit. Textura enim fabricæ illius à superiore parte ad vsque imam protenditur: ascensus au-
C tem (quem & intelligentiam vocamus) ab imo ad superius eos qui digni sunt, sustollit. Sanè eiusmodi tabernaculum, (ceu arcanum quoddam conditorium) circùm se fixit Deus Verbum, quod primitias subindicaret humanæ totius creaturæ quas & pro omnium redemptione liberaliter impertiuit, suam ipsius animam tradens in mortem, pro omni hominum genere commutatorium pretium. Pro omnibus enim gustauit mortem nullius vi eò adactus: Ait enim; *Nemo tollit animam meam à me sed ego pono eam à meipso, Potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo iterum sumendi eam*; hisce verbis declarans se esse hominum conditione superiorem, Homo enim omnis vel inuitus suam dimittit animam: quin & ad hoc carnificinę ministerium ordinati sunt, qui tollant eam; quemadmodum Diuiti illi responsum est, cuius ager fertilio-
D re frugum prouentu exuberarat, eóque inierat insipiens consilium: cui dictum est; *Hac nocte, animam tuam repetunt à te*. A Saluatore autem animam nemo abstulit; sed & tantillum temporis eam posuit spontaneus, cuius gratia sublimiorem quandam susceperat assumptæ carnis dispensationem, idque causa nostræ salutis. Ipsum enim oportebat & ad animas corporibus peregrè proficisci, illicque captiuitate detentis prædicare absolutionem. Qui igitur animam ponit spontaneus, non vtique anima sola est vtens corpore. Quod quæso potest esse corpus sua sponte dimittens animam? Neque enim consentaneum rationi est credere, vt id corpus efficere possit; quum ex se nullam ad id habeat voluntariam motionē. Et hoc alioqui si quis concesserit fieri posse, deprehen-
E detur tandem asserere corpus esse anima ipsa rationali præstantius. Siquidem hoc pacto corpus dimittit; anima autem dimittitur. Hac sanè causa necessarium prorsus est credere in ea naturarum coniunctione qua constabat Christus, aliud quiddam intercessisse præter corpus & animam, vtroque venerabilius: Quin & hoc quod præcellebat quiddam principalius quod quidem corpus ipsum Discipulis in cibum præberet, animam autem poneret pro amicis, hoc pacto suam erga nos declarans eximiam charitatem. Quid proinde hoc erat? nimirùm diuina eius maiestas terreno corpori coūnita, citra vllam humanæ passionis corruptelam. Ea quidem nulli cōspicua delitescebat, designata (ceu dicebam) per Tabernaculum quod in orbem sepiebatur circulis, quódque suapte

Sāctum priùs corpus Christi. Sanctum Sanctorum, eius anima.

Diuinitas Christi, Corpus eius Discipulis in cibum præbuit.

pte

pte natura nulli se exhibet visibile; nisi quòd per ea quæ ipse efficiebat se Deum contestabatur esse: Quæ enim omnium oculis opera perfecit, Deum clamabant carnis trabea adopertum. Et erant istæ passiones iuxta primitiuam carnis rationem; secũdum proprietatem verò eius qui carnem assumpserat. Miracula proinde, Deo quidem Verbo præcipuè ascribenda veniunt, per quæ & caro simul glorificabatur. Ipsa enim caro quæ ad Deum Verbum pertinebat, clauis affixa est Cruci, lanceæ ictu perforata, potata est aceto, ab illis denique suæ Legis præuaricatoribus genus omne contumeliarum vltroneus sustinebat, habens secundùm subsistentiam sibi coünitum impassibile Dei Verbum. Quare sanguis qui ex ipsa carne excernebatur éstque puncturis expressus censebatur esse incorporei & incruenti Verbi sanguis, iuxta rationem qua Christus vtraque constans natura, vnus est. Est quippe Deus simul & homo. Sic se rem habere luculenter ostendit is qui affixus Cruci Patrem pariter & Deum implorás, vocat Deum, * Ait enim, Ἐλωὶ ἐλωὶ *lamma Sabactani? Quod interpretatum signat, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Rursus; *Pater mi, In manus tuas commendo spiritum meum.* Itémque illud; *Aperto latere eius lancea; exiuit sanguis & aqua*: à corpore nimirum præmortuo, quòd suprà hominem erat, id quod quosdam adsistentium infidelium ad fidem conuertit, confessos verè eum esse Dei filium, propter quem & per quem tot tantáque & stupenda prorsus signa edita sint. Cuiusmodi erant prodigiosa hæc opera Intempestiua Solis eclipsis: Quarta enim & decima Luna erat, quo tempore Paschalis agnus apud Iudæos Legis præscripto immolabatur. Terræ-motus Petrarum discissio, apertio monumentorum, corporum mortuorum excitatio, disruptio templaris Veli à superiore ad imá vsque partem: & quæcunque eiusmodi palàm indicabant virtutem eius qui à Ligno pendebat, & peccatum nostrum triumphabat Cruci affixus: Non enim par erat credere tantam esse factam creaturæ totius commotioné ob vnum aliquem & nudum hominem. Neque forsan aberrârit quis si dicat, tacito naturæ consensu id contigisse. Sanè oportebat creaturas pio quodam affectu vicem sentire sui Creatoris tam indigna patientis. Et hæc non sine probabili ratione proferimus. Neq; enim, quum multi iustorum priùs sint passi, vlla creatura, ob id, ordinem à natura sibi præscriptum deseruit. Cur enim literis proditum est sanctorum quosdam lapidibus fuisse obrutos, nonnullos gladijs occubuisse, sectos per mediũ alios? Christo autem patiente natura omnis commota est, quæ vicem impleret præconis aures habentibus ad audiẽdum, quia verè Dei Filius erat, & idem Deus, non quidem adoptatus filius aut per gratiam Deus, sed secundùm naturam filius & suapte natura Deus, Genitori quoque consubstantialis ex quo ante Luciferũ genitus est: Deus incorporeus, qui demùm semen Abrahæ apprehendit & ei per vnionem consertus factus est homo, communicans carni & sanguini, quemadmodum & filij. Carnem hanc deïferam à ligno delatam posuerunt in sepulchro, sindone munda inuolutam, abierũt hi qui magno affectu corpus popo scerant sibi dari. Lapis autem, sepulchri introïtum præmuniebat, qui testimonio esse posset confirmandæ veritati quia mortuus est & sepultus.

Eiusdem, de Resurrectione, LIB. V.

τὸ τέλος ἡ ἀρχή.



AT enim non catenus solùm constitêre, quæ per Saluatorem ac Dominum nostrum perfecta sunt omnia. Plenissima enim dispensatione agebat quæ ad cõsequendum finem desiderabantur, cuius gratia aggressus fuerat nostræ redẽptionis opus. Propter suscitationem enim ex mortuis, eius qui mortuus fuerat; declarata est ipsius natiuitas qui est ante sæcula genitus; & mors per Crucẽ, eius qui erat immortalis. Nec fortuitò dicat quis contigisse id, quando multi sunt & alij mortis modi hominibus contingentes. Et illi quidem suopte studio sibi consciscunt mortem, alij contrà ad eandem adigũtur ex insidiis: Sed vt sublimitate Crucis ea mors innotesceret omnibus, neminémque omnium lateret, quod factum est. Quis enim à Cruce pendentem & clauis confixum sicque destitutum vita, neget mortuum esse, sit hic licet quamlibet præfractus & ad assentiendum veritati difficilis? Iesus enim solus eorum qui à Cruce pependerant, erat tum mortuus: neutro duorum latronum qui cum ipso Cruci fuerant appensi morte obita consummato. Horum veritati attestantur quæ deinceps facta sunt. Sabbato enim magno, festo die azymorum ingruente, quum Iudæi postulassent Præsidem, sineret corpora crucifixorum deponi; huic consentaneæ ac iustæ petitioni Pilato annuente ac iubente confringi eorum crura, primi quidem & alterius crucifixorum cum eo crura confracta sunt iuxta historiam: *Ad Iesum autem quum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Illis igitur testimonium reddentibus eius morti, nemo iam locum habiturus est negandi eius mortem qui est à morte excitatus. Quin & Ioseph quum ad sepulturam corpus expetisset, audito hoc Pilatus admiratus est si iam mortuus esset. Quid esse possit apertius Iudæorum testimonio, omni molitione & conatu adnitentium vt ea resurrectio silentio tegeretur? Sequenti enim die quum ad Pilatum coïtione inita conuenissent, dixerunt: *Recordati sumus, quia seductor ille adhuc viuens dicebat, Post tres dies resurgam.* His igitur dictis, quia scilicet adhuc viuens dicebat pérque hoc, *adhuc viuens*, quibus perspicuè indicabant eum esse mortuum; color omnis commentitius his adimitur qui confirmare nituntur eum non fuisse mortuũ. Quòd autem sepulchrum fuerit iuxta præuaricatorum Legis expositionem, sigillis communitum; maxima id factum est dispensatione, ad eorum nempe confusioné dicentium quia *Discipuli eius nocte quum venissent, furati sunt eum.* Quũ sigillis sepulchrũ communitũ esset, & ad eorũ incorruptã custodiã essent assignati milites, quænam vel verisimilis ratio vmbrã tentet offundere veritati? Sed ne illud quidem (meo iudicio) iure quis obiicere possit (si quis accusari debet compilati mortui) quòd parietem suffoderint etiam vel affines, quasi suffurati sint mortui corpus, saluis præsertim & incolumibus sigillis. Nõ enim ex delectis lapidibus, concinno ordine inter se aptatis ea structura monumenti fuerat constructa: immò petra erat natiuam scabriciem repræsentans, suspicionem eiusmodi submouens omnem. Quinetiam huius gratia, *nouum erat monumentum*, recens excauatum in petra, nec vllum eatenus corpus exceperat: sic vt nihil iam ambigui resideat apud eos qui resurrectionem admittunt. Quis tandem subiectorum latronum surrexit à mortuis? Hæc omnia tantóque his plura dispensata sunt ad exhibendã fidem de resurrectione Saluatoris nostri, cuius futurus nuncius de cælo veniens *Angelus reuoluit lapidem ab ingressu monumenti*: non quasi viam præmuniens ad exitum ei qui ibi positus fuerat, vt qui præuerterat Angelum tertia die resurgens à nemine prohibitus Dominus. Tãtum est, locum indicauit vbi corpus positum fuerat, solas exuuias, nempe velamina resurgentis retinentem. Vnde & Angelus, mulieribus quæ eò conuenerant, apparens dicebat: *Nolite timere vos, Scio enim quia Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, Non est hic, surrexit sicut dixit, Venite videte locum vbi positus fuerat.* His sanè peractis, Præfecti custodiæ, timore perculsi velut mortui iacebant: Vix tandem eo pauore liberati & fuga illinc se proripientes abierunt in ciuitatem, annunciantes quæ facta essent. Exleges autem illi Sacerdotes Iudæorum (quos conueniebat vel ad extremum malitiæ prolapsos, aliquando reuocare mentem ad conscientiam eorum quæ priùs flagitiosissimè admiserant) adeò non resipuerunt, vt è diuerso suæ deploratissimæ malignitati obstinatissimè acquiescentes, contenderint eam resurrectionem haberi in occulto. Numerosas insuper pecunias se daturos sunt polli-

Christi Sepulchrum quomodo cõstructum.

citi militibus persuasionis gratia, vt ne in vulgus proderēt eorū quę viderant, veram visionē: dato contra consilio, vt commentitia quædam mendacia nimisquàm absurdè à se excogitata assuetēt veris. *Dicite* (enim inquiūt) *quia Discipuli eius nocte venientes furati sunt eum, nobis dormiētibus*. O prodigiosi & inconsistentis mendacij doctores! Iure optimo quis respondeat istis. Quî fieri poterat, vt in somnum resoluti quiuerint internoscere qui fuerint hi fures? Si verè istos fures agnouerint. Hoc enim vt dicerent, ipsi admonuistis, perinde atque certò certius suppilatores corporis spectassent & agnouissent. Qui enim poterant obdormiscere simul & spectare fures? Cur verò non magis prohibuerunt furtum admitti? Vt enim illinc abarcerent fures, assidebant monumento, iuxta impiorum & mendacij Doctorum intentionem. Certè fidem dederāt persuasuros se Pilato pręsidi vera esse quę assererent, alioqui se inter dormiendum vidisse. Et ad eum modum arbitrabantur posse se vel vmbratilem prętextum oppandere veritati. Porrò Saluator triduanus verè resurrexit; & in eo sepulchro relictis corruptelæ exuuiis, constitutus est *Primogenitus ex mortuis*. *Descendit enim in inferiores partes terræ*, inque cor eius introiit, tantillum temporis illic consumpturus quantùm expediebat apud illos morari, vt eis qui in inferno conclusi tenebātur, sua potestate contraderet & gratiam & opportunum subsidium. Neque enim ad Inferos descensus, suo caruit fructu. Deus namque frustra nihil agit; sed vt illic conclusos educeret; eductos ad superiora subueheret prior gradiens ante eos (ceu oues antegreditur pastor) quærens quos perdiderat & inueniens quos exquisierat; secúmque ad superiora prouehens quorū gratia descēderat. Nec solam illam corporum in sepulchris iacentium corruptionem dissoluit: sed & animarum captiuitatem ex Inferni claustris liberrimam eduxit, quo loci detinebantur miserrima oppressę tyrannide; forsan non tyrannide, sed multis peccatorum debitis obnoxiæ. Quorum quidem precium dependurus is qui descenderat ad earum animarum redemptionem secum reuexit ad superiora numerosam admodum captiuitatem; pollicitus se eum abducturum in captiuitatem qui tot adeò captiuauerat, & seruum futurum qui habitus fuerat pro domino. *Erunt* enim (ait) *qui vos captiuarant, in captiuitatē abducti; & qui vestri dominabantur, sub ditione & potestate constituentur*. In hoc Christus & mortuus est & reuixit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. *Deus* quippe *non mortuorum est Deus, sed viuentium*. Itaque qui subiacent dominationi viuentis; mortui, non iam mortui sunt; sed viuentes; huius gratia sub ditione sunt vitæ, vt viuant, nihil ipsam veriti mortem. Quemadmodum enim *Christus resurgens ex mortuis non iam moritur*: sic qui in Christo excitantur à corruptione liberati, non vltrà visuri sunt mortem, participes futuri Christi resurrectionis, quemadmodum idem ipse morti eorum communicauit. Neque enim alia causa descendit in terram (cuius vectes æterni detenti erant) quàm vt contereret portas æreas & confringeret vectes ferreos; denique vt vitam nostram ex corruptione ad se proueheret, nobis gratuito collata pro seruitute, libertate. Etiamsi opus istius dispensationis nondum conspicitur omni sua parte perfectum (Adhuc enim & moriuntur homines & corpora dissoluuntur in corruptionem) caue, fiat hoc tibi prætextus vllus infidelitatis. Prædictorum enim bonorum omnium arrhabonem præcerpsimus per primitias nostras, per quas ad cœlorum celsitudinem sumus prouecti & ei consedimus qui nos exaltauit, quemadmodum & alibi Paulus ait; *Et corresuscitauit & considere fecit in cælestibus in Christo*. Accipiemus porrò perfectā summam prærogati arrhabonis, quum dies ille à Patre præscriptus impletus fuerit; nimirùm quando procul reiectis studiis puerilibus, in virum perfectum peruaserimus. Visum enim est hoc Patri sæculorum firmum vt sit, quod prærogatum est nec prætereà in contemptum veniat mente adhuc pueriliter fluctuante. Ne quis igitur

Christi descensus ad Inferos.

putet non iam esse datum arrhabonem, quod quosdam videat nimiò plus addictos prioribus studiis. Ante enim præfinitum diem depensa arrha est (ceu dicebamus) summæ totius dati index. Arrhabon enim non prorsus summa ipsa est, sed pars. Id quod rursum Paulus vocat *ænigma*. Hæc autem omnia exinanientur, quando Deus erit omnia in omnibus. Vides vnde & quò nos euexit? Certè & prouehet. Christi enim mors mortuis quoque facta est vita. Contraria enim contrariis in medelam adhibet is qui sua sapientia potest persanare omnem animarum turbelam & intemperiem quámlibet immedicabilē. Sed enim absoluto iam mysterio quod eius mortem respiciebat (ceu dictum est) sublatáque quæ aduersum corpora inualuerat, corruptione: Dei eius qui sua virtute corpus induerat nostrum qui & triduanus sepulchrum reliquerat corporis verè sepulti, deníque conueniebat assumpto eodem corpore ascendere ad eum qui ipsum miserat, Patrem, vt in terras descendens auferret peccatum Mundi. Neque enim locus hic terram vndique ambiens deinceps fuerat accommodus ei corpori quod solitam natura carnis crassitiem posuerat, quid ex corruptibili, incorruptibile ex mortali immortale, ex animali factum est spirituale. Quemadmodum enim locus quaquauersum terram ambiens ac terrenus, corporum est domicilium quæ pinguitudine cōcretiora sunt: sic & illa cœlestis mansio, eorum quæ spiritualia sunt. Quòd autem spirituale surrexit Domini corpus, quid opus dicto est; Præsertim quum testetur Paulus, de corporibus in genere loquens, *quia vtique animalia seminantur surgunt spiritualia*, nimirum transformata secundùm gloriosam transformationem Christi præceptoris nostri. Quādoquidem ipse Apostolus Christi magisterio edoctus, vniuerso mortalium generi hoc adstore palàm asseruit dicens; *Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, id vt efficiat conforme corpori claritatis suæ*. Si igitur transformatio, sanè in melius (in spirituale scilicet) est permutatio: conforme autem hoc est corpori claritatis Christi spirituale siquidem corpus habens Dominus surrexit, non aliud ab eo quòd in ignominia seminatur, sed idē prorsus illud quòd ad honorem permutatum est: quod quidem verè corpus permansit, caro nequaquam: ita, non iam sub iacente quæ perit essentia, sed eadem ad gloriosiorem statum transmutata. Hæc enim substantia contrariarum est capax qualitatum, etiam si non omnium simul. Non interim fit alia, etiam si facta altera; videlicet secundùm qualitates diuersas, præter eas quæ priùs factæ fuerant. Quando igitur visum fuerit creatori, eas permutabit. Ne quis igitur ex animali audiens factum esse spirituale, apud se existimet quòd priùs fuit corpus, non ex se excitatum. Implicat enim hoc errorem. Isthęc doctrina ab inimico veritatis profecta est. Subiecta enim (corpori, dico) essentia manet quidem semper eadem, tantisper dum debere consistere videbitur Opifici trāsmutata porrò eadem in spiritualibus, iam nō alia est, sed altera: Ita enim surrexit Dominus. Huiusce rei testimonia supersunt multa siquidem & alia, omnium maximè hæc, quòd in monumento lintea reliquerit, quòd eodē exierit sigillis cōmunito, quòd ingressus sit ianuis clausis, quòd non iam continenter (ceu priùs consueuerat) familiariter cum Discipulis congrediebatur; sed subinde se eis aduenicns exhibebat spectandum sub alijs quidem formis, quod nullo illi opus iam foret vel alimento vel tegumento. Nam quæ illi primùm fuēre indumenta, Milites quum accepissent inter se dispertiti sunt; reliqua sepulturæ accommoda, in sepulchro reliquit resurgens. Quúmque se discipulis conspicuum exhiberet, sermones cum eis conferebat familiariter. Quis alioqui esset, non agnoscebatur donec signis expressioribus se esse declarasset: aliquando quidem manus ostendens ac pedes qui & præ se ferrent trāsfossiones clauorū: Ad hęc, & latus quod cæsim tulerat puncturam Lanceæ. Nonnunquam conuescens & eorum quæ ante passionem inter conuescendum tradiderat, renouans eis memoriam;

ac tantum

ac tantum non dicens per ea quæ faciebat, Quia ipse ille suo, quem concretiore adhuc amictum corpore & A præsentem & vobiscum cõuersantem noscebatis. Nunc eodem recepto corpore quod cuncta infirmitate omni erat præstantius, ac proinde per immutationem factum gloriosum non iam tot tantisque editis signis volebat innotescere sibi familiariter notis, quos non multo tempore deseruisset. An non ipsum corpus alterum effecit transformatio? Si enim plusculum intercessisset temporis, poterat quis dicere, quia tempore intercurrente incidit eis obliuio lineamentorum corporis quorum cõtemplatione nos mutuò internoscere solemus: Quum autem tridui mora sola intercessit, cuiusmodi illa esse potest obliuio, his potissimum qui tanto prius tempore cum eo conuersati essent? Colliquescit igitur neque quicquam residet ambigui, quia corpus illud à primis naturæ elementis ad id quod gloriosius erat, translatum est, ex animali factum spirituale, ex infirmo potens. *Crucifixus est*, ait Paulus, *ex infirmitate: sed viuit ex virtute*, non iam capax vllius infirmitatis. Infirmitas hæc corpus illud fuerat sanctum, terrestre tamen & carne addensatum, quod (à resurrectione) intercursis diebus quadraginta, ad cœlum ceu proprium & accommodum sibi locum se recepit, vsum quidem nube, perinde atque quopiam vehiculo. Neque enim iam corpus illud terram versus propendebat, quemadmodum assolet moles onerosa corpora: sed quum esset tantò nube ipsa leuius, supra ipsam exaltatum est denique & Patris dexteræ assedit, ad cœlum profectus, subiectis sibi Angelis & potestatibus & Virtutibus. Est iterum venturus eodem cum corpore Christus, futurus iudex viuorum & mortuorum, ceu Discipulis pronuntiarunt Angeli mirantibus super ascensu eius in cœlum, inque Christum oculis pressiùs attentis: *Viri* (inquiunt) *Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum; Hic Iesus assumptus à vobis*, * *Hic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Iuxta igitur Angelorum vocem, vnà cum corpore quod resurrexit, rursus aduenier; quo cum etiam nunc suo assidet Patri, eidem offerens ipsum nostræ conspersionis primitias. Adducet insuper, offerétque Patri summam sibi ex integro promissæ hæreditatis. Est enim & hoc pollicitus, dicens: *Quum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum.* Tunc inimici quoque ponentur sub pedibus eius, secundùm promissionem ei redditam: *Dixit enim Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos* B *scabellum pedum tuorum.* Ponentur illi quidem inuiti: hi autem vltronei. Necesse prorsus, *à terra vt deficiant peccatores* atque præfinitæ Legis transgressores, *ita vt non sint.* Tunc canticum nouum, hymnúsque nulla mora interrumpendus per omnium ora exprometur atque offeretur Patri nouorum sæculorum; cui etiamnum flectetur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum; omnis insuper lingua confitebitur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris; cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Cur tridua-nũm Christus mortuus fit in Sepulchro.

* οὗτος, forsan, ὄυτως sic.

πάντας ἑλκύσω.

MOSIS BAR-CEPHA SYRI, EPISCOPI IN BETH-RAMAM, ET BETH-CENO, AC CVRATORIS RERVM SACRARVM IN Mozal (hoc est, Selucia Parthorum) scripti ante annos 700. Comment. de Paradiso; ad Ignatium Fratrem, interprete Andræa Masio.

Mosis huius historiam planè me nescire fateor, nec de illo quidquam expiscari potuisse in Ecclesiasticis, Conciliorum, vel Sanctorum narrationibus; quibus ex fontibus, multa Chronologis & Historiarum scriptoribus non vulgaria haurire sæpè mihi vsuuenit. Ac ne ex his quidem illius commentariis potui deprehendere vestigium vllum ætatis qua vixerit, nisi quòd vt magnum Athanasium & Cyrillum Alexandrinum, ita & D. Chrysostomum, sine splendida vlla honoris Præfatione citat, nominatque Ioannem Monachum, 1. Lib. cap. 1. & c. 10. dominũ Ioannem, eiusdem Libri, c. 7. & Libri seu Partis, 3. ca. 5. quibus locis meminit eius Orationum siue Sermonum de occasu Mundi, de nouo Mundo, cur Arbor vocata sit Scientia boni & mali, & ad Sitigirium seu Seagirium: & contra eos qui putant Mundum gubernari à Dæmonibus, 1. Lib. cap. 22. Ac proinde his non multò posterior mihi videtur, fortè non prorsum inani coniectura cùm sæpiùs Diuum Mosen dicat, 1. Par. cap. 28. Hos præterea citat Scriptores Ecclesiasticos & probatos Authores vt appellat, 1. Part. cap. 22.

D. Seueri Orat. 22. de Epithronio, 1. Libri, c. 7. & 11. & alteram eiusdem argumenti, 1. Libri, c. 33. Eiusdem Authoris Orat. contra Fœlicissimum, Parte. 3.

D. Ephraim, siue Ephrem Syri, Librum Geneseos siue de rerum ortu, siue Comment. in Genesim, 1. Libri, c. 1. & c. 9. quem opinor eum esse quo dominum Ephræm Paradisi conditionem exequi ait. 1. Libri, c. 7. & quem etiam quendam illius Commentarium appellat, 1. Lib. cap. 27.

D. Iacobum Orrohaïtam, Partis, 1. c. 14. & Partis 2. c. 2.

C

D. Iacobi Sarugensis Orationẽ de Adamo eiecto è Paradiso, Part. 1. c. 20. quã etiam commentarium appellat, eiusdem Partis, c. 27. Eiusdem Orationes de Christi Passione & Ascensu, nõ ita multum ante finẽ, 1. Libri.

D. Iacobi Botnanensis Oratio de Adamo eiecto extra Paradisum, 1. Libri, cap. 22.

D. Iulij Commentarium in Euangelium Ioannis.

Philoxeni Mabuga Episcopi Sermonem de contemplatione Arboris vitæ, 1. Part. cap. 8. 19. 22. &c. Eiusdem capitula contra Diodorum, parte, 3.

PROOEMIVM.

Posteàquam sancte frater Ignati, absoluimus, non sine ope diuina, Commentarium de sex diebus cõditi Orbis minimè perfectum quidem illum, neque omni ex parte absolutum, Orationibus quinque; accedimus ad tractandum de Paradiso, tuæ pietatis voluntate persuasionéque inducti. In qua quidem tractatione ita quoque versabimur, vt & accurata & clara sit oratio: & singula capita inter se distincta particulatímque diuisa habeantur, quò facilius Lectores omnia intelligant, neque per obliuionem aliquid de sua memoria amittant; quatenus certè Deus verus qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, *conatus nostros adiuuaturus, nobísq; præsturus est, & directurus dictionem nostram. Verba igitur quibus Moses Propheta de Paradiso dicere orsus est, hæc sunt:* Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio; ibique posuit Adamum quem finxerat. *Sed priùs quam beati Mosis verba explicemus, pertractanda nobis sunt in hac prima*

Hexaemeron Mosis Bar-Cepha.

Gen. 2.

Commentarij nostri parte, vigintiseptem argumentorum capitae in quorum primo agetur; Sit ne Paradisus res corporata, an verò spiritalis. Secundo ostendetur quis sit corporatus Paradisus, & quis spiritalis. Tertio probabitur consentaneum esse, vt libri veteris Testamenti interpretentur non solùm rebus ipsis, verum etiam mysticè & figuratè. Quarto declarabitur, num de re ipsa corporata, an verò mystico modo Paradisus primùm sit explicandus. Quinto dicetur, quo die inter illos sex dies quibus condidit Deus hanc machinam corporatam atque aspectabilem, sit conditus Paradisus corporeus. Sexto aperietur caussa ob quam cōdidit Deus istum corporatum Paradisum. Septimo peruestigabitur, sitne Paradisus in cælo, an in terris. Octauo expendetur, vtrùm Paradisus sit in hoc terrarum tractu quē nos habemus, an in alio. Nono probabitur, eam terræ regionem in qua Paradisus extat, altiorem eminentiorémque esse hac nostra. Decimo agetur de regno cælorum, in terráne sit an in cælo. Vndecimo differetur. quo differat regnum cælorum à Paradiso. Duodecimo tractabitur vtrum Paradisus existat intrà Orbem terrarum habitabilem, an extra eum. Decimo tertio, in qua tandem regione sit Paradisus. Decimoquarto disceptabitur, quomodo homines transmiserint Mare Oceanum, venerintque ex ea regione in qua Paradisus est, ad hāc quam nos incolimus: Et vtrum Adam habitarit apud Hierosolyma, an verò minimè. Decimoquinto disputabitur, quanta pateat Paradisi amplitudo. Decimosexto quid sit Eden, & cur Paradisus sit Paradisi vocabulo appellatus. Decimoseptimo inuestigabitur num arbores & fructus Paradisi similes fuerint ijs qui in hoc nostro solo prouenuunt, an vero ab his diuersi. Decimo-octauo ostendetur quis sit modo Paradisi vsus vel quis etiam post resurrectionem mortuorum futurus. Decimo-nono declarabitur quæ fuerit arbor scientiæ & boni & mali, qua Adamo Deus interdixerat; & quamobrem appellata sit scientia boni & mali arbor. Vicesimo disputabitur quæ fuerit Arbor vitæ, & cur sit vitæ dicta. Vicesimo primo agetur de illo fluuio qui Paradisum irrigabat, & de quatuor fluminibus in quæ ille scindebatur. Vicesimo secundo dicetur quid futurum fuisset Adamo, si obseruasset mandatum. Vicesimo tertio explicabitur, quamdiu mansissent in Paradiso Adamus & Eua, prius quàm illinc in regnum cæleste emigraturi fuissent, si obediuissent mandato. Vicesimo quarto probabitur numero augendos fuisse in Paradiso homines, si Adam & Eua obtemperassent legi, neque eos duos solos fuisse inibi mansuros. Vicesimo quinto disceptabitur, an per venerem commixtis corporibus prolem procreaturi fuissent tum Adam Euáque tum istorum posteri: an verò sine amplexibus. Vicesimo sexto declarabitur quomodo voluptatem cepissent in Paradiso Adam & Eua, ac reliqui ex ipsis nascituri. Vicesimo septimo agetur de serpente qui Euam adortus decepit. Vicesimo octauo denique interpretabuntur ea verba, quæ beatus Moses scripta reliquit de Paradiso, & de ijs quæ in Paradiso acta sunt non quidem mysticè, sed ita vt res ipsæ explicentur.

MOSIS BAR-CEPHA SYRI, EPISCOPI IN BETHRAMAN, &c.

COMMENTARII DE PARADISO PARTIS PRIMÆ,

CAPVT I.

Vtrum sit Paradisus res corporata, an verò ad intelligentiam mentis pertinens.

DE Paradiso, de quo Beatus Moses scripsit his verbis: *Plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio*; scire laborant homines rerum cognitionis cupidi, sitne corporata res, an verò incorporea, atque spiritalis duntaxat, & sola intelligentia spectabilis. Et alij quidem ita ex corporibus constare aiunt, vt nihil habeat quod ad mentē spectet, alij vero ita ad solam mentem pertinere putāt, vt omnino incorporea res sit. Sunt etiam qui duos esse dicant Paradisos, alterum corporatum, incorporeum alterum. Sed nos aduersum illos qui planè corporatum faciunt Paradisum, tribus vtendum rationibus putamus, quarum prima est: Si omninò corporeus est Paradisus, corpus solum Adæ in ipso oblectabatur, anima verò non item. Nam corporata res non potest animū, qui spiritus est, afficere voluptate; quò fiet vt fraudis reus videri Deus possit quippe qui quasi oblectandi Adæ gratia Paradisum condiderit, & tamen non totum Adamū, sed alteram duntaxat eius partem quæ corpore cōstabat, voluptate imbuerit, alteram verò, animum scilicet voluptatis expertem reliquerit. Secunda ratio hæc est, Si planè corporatus est Paradisus, consequens est vt sacra veteris Testamenti scripta vacua sint mysticis sensis, id quod falsum esse Capite tertio, volente Deo, commonstrabimus. Tertia ratio est, Si Paradisus nihil est nisi res corporea, cōficitur eos sacrarum rerum Doctores mentitos esse, qui incorporeæ ipsum etiā naturæ esse prodiderunt. Cōficitur igitur ex iis quę iam dicta sunt Paradisum haud ita corporatum esse, vt incorporei nihil habeat. Rursus eos qui ad mentis intelligentiam duntaxat pertinere aiunt Paradisum, atque omnino incorporeū esse, sex istis oppugnamus argumētis. Primo, prorsus nullo adfecisset voluptatis sensu Adę corpus, sed solùm animā, atq; hac ratione nuper quoq; vsi sumus. Deinde falsa essent quæ de Paradiso extant Mosis dicta, rem corporatam notantia: cuiusmodi sunt, A quod plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio; quòd posuit illic Adamum quē finxerat, quòd procreauit è terra omnem arborem visu expetibilem, atque in cibum idoneam, & Arborem sciētiæ boni & mali; quòd sumpserint Adā & Eua, folia ficulnea, fecerintq; sibi subligacula; quòd sese occultarint inter Paradisi arbores; & quæ sunt alia huius generis à Mose prodita de Paradiso. Tertiò, nisi habuisset Paradisus res etiam corporatas in se, quî potuissent ex ipso affluere aquæ ad irrigandas terras, & ad vsus humanos accommodæ, Quartò, ex iis quæ Moses Spiritus sancto adflatus scripta reliquit, certum est Adamum corpus habuisse ex luto cōpactum; idque collocatum fuisse à Deo in Paradiso, erat ergo & locus ille in quo id corpus insistebat, corporeus. Quinto, necessum est corporatum esse Paradisum, quòd Enoch & Elias in eo manent, vt affirmat Dominus B Ephraim in eo Opere, quo librum Geneseos, hoc est, de rerum ortu interpretatur, & in iis etiam Sermonibus quos de Paradiso conscripsit. Illi enim viri, cùm corporati sint, vt qui vitæ huius vinculis adhuc sunt colligati; consentaneum est vt in corporalibus quoque locis maneant. Sextù denique, extat Doctorum virorum autoritas, fide dignissimorum, qua corporatū esse Paradisum adfirmatur. Rectè igitur colligimus falsū esse illud, Paradisum sub solā mentis intelligentiam cadere, atq; planè ex earū rerum esse numero quæ incorporeæ sunt. Deniqueus qui duos censent esse Paradisos, alterum corporatum, incorporeum alterū, obiicimus Mosen qui nō in duobus Paradisis, sed in vno collocatū Adamū; neq; rursus è duobus, sed ex vno eiectum à Deo scripsit. Ad hoc, Dominus noster Christus non duos Paradisos, sed vnicum promittebat Latroni inquiens; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Neque sanè consentaneum est, vt eiuscemodi C dictis, scriptisque oraculis fidem abrogemus: iis verò quæ neque dicta neq; scripta extant in sacris Libris, adhibeamus: Non igitur duo, sed vnicus est Paradisus. Atque

Luc. 23. Non promisit dominus latroni paradisum terrestrem, sed gemmam.

Atque hæc hactenus à nobis sunt contra tres illas hominum de Paradiso diuersas opiniones: nostra verò sententia est vnum esse Paradisum, non duos; eumq; vnum Paradisum duplicis esse cōditionis: corporeæ, & incorporeæ, siue & eius quæ sensu & eius quæ ratione intelligentiáque mentis percipitur; quæ quidem nostra sententia his argumentis potest demonstrari. Adam ex anima & corpore compositus erat, ergo & Paradisum, qui pro illo oblectando conditus fuerat, duplicis item conditionis esse oportebat, vt quà esset corporeus, corpus: quà verò incorporeus, animum Adæ recrearet. Deinde beatus Ephræm duplici interpretatione exposuit librū Mosis Prophetæ; quarum altera mystica est, atque arcana eruit sensa; altera, res ipsas pertractat à Mose descriptas. Sed & diuus Cyrillus, legales etiam cæremonias, etsi re ipsa celebrabantur, mysticum tamen quid atque arcanum continuisse testatus est. Præterea venerandi sacrarum rerum Doctores partim de corporeo, alij de incorporeo Paradiso sunt locuti; nec sanè abs re alterutri, quum ille vtriusq; fuerit cōditionis. Mysticè enim de Paradiso agit Gregorius Theologus in ea Oratione quam de Christi Natalibus composuit; vbi Adamum ait colonum fuisse in Paradiso, plantarum immortalium; nempe ipsarum diuinarum notionum & simpliciorum & perfectorū: item arborem, fuisse meditationem animi, quantùm ipse certè meditetur. Mysticè item Gregorius Nyssenus in commentario de homine, ca. 20. & 21. Similiter Philoxenus Mabugensis in Sermone de meditatione quæ circa Arborem vitæ versatur: ait enim, arcana sensa mentísque meditationes de Paradiso haberi. Deniq; dominus Iacobus Orrohaïta eo Sermone quem de Theologia edidit, ait Mosen figuratè locutum esse de Paradiso. Rursus de corporeo Paradiso scripsit dominus Ioannes in ea Oratione cui titulum fecit; Cur arbor illa appellata sit arbor scientiæ boni & mali, & quid sibi velit illud Christi, *Hodie mecum eris in Paradiso*: multis enim illud adstruit argumentis corporeum extitisse Paradisum: inter alia inquiens, Adami oculis aspectum, auribus auditum, animo deniq; obseruatum esse Paradisum; & huiusmodi alia. Similiter dominus Seuerus Oratione 22. de Epithronio, conficit corporeum fuisse Paradisum, dum etiā ipse affirmat Adamum oculis illum intuitum esse, auribúsque audiuisse. Nam audiuit, inquit, illa Dei ad se verba; *De omni arbore quæ in Paradiso extat, vesceris, præter arborem cognitionis boni & mali*: & intueri igitur hanc potuit, vesci verò prohibebatur. Gregorius rursus Theologus in Oratione de patientia, ad hunc modum de Paradiso corporeo loquitur: Lignum aduersus lignum; Crucis, aduersus Lignum sciētiæ boni & mali. Est igitur consentaneum vt vtrumque aut corporatum lignum fuerit, aut vtrumque corporis expers, atque sub intelligentiam solam cadens; quum pari modo ligni vocabulo, ambo ab illo subijciantur. Sed obijciat fortasse aliquis hunc ipsum Gregorium; qui in Oratione de Christi Natali eam arborem cognitionis boni & mali mysticè interpretatur, meditationémque esse dicit: Atqui ille duplicis conditionis Paradisum esse non ignorauit; & proinde arborem illam interdum pro reipsa, interdum mystico sensu interpretatus est, quòd præsertim in eo sermone quo Natales Christi celebrabat, sibi putabat faciendum. Nam cùm eum sibi illic scopum proposuisset, vt populum doceret, non corporum sed animorum rationem in sacris concionibus atq; pompis habendam esse, nec valuas sertis cingendas, plateásque exornādas, & quæ præterea illic commemorat, cæteráque mysticè esset interpretatus, ipsa Orationis serie inductus est vt Arborem quoque illam figuratè contemplandam exponeret. Ita & dominus Ephræm in suo Commentario quo librum Geneseos de rebus ipsis interpretatur, Paradisum etiam re ipsa extitisse adfirmat. Quin & diuus Cyrillus in eo Commentario quod in Isaiam Prophetam cōdidit; censet Adamum, postquam Paradiso esset egressus, in Iudæa primùm habitasse. Sed dices, de mystico exitu Adæ Cyrillum illic loqui: atqui quæ subijcit, hoc non permittunt: ait enim, postquam varia peruasisset loca, tandem Hierosolymis obijsse mortem. Re igitur ipsa, huc illuc vagatus fuerat; ac proinde, re quoque ipsa Paradisum egressus. Insuper Ioannes Monachus in sermone suo de occasu Mundi huius, & de venturo Mundo nouo; multis ostendit, ea quæ de Paradiso scripta sunt, consentaneum esse vt de rebus ipsis intelligantur; vtirúrq; inter alia his verbis. Quænam fuêre Adami opes in Paradiso? annō arbores fructiferæ, feraces foliorum quibus se primi parentes comerent, & flumen aquis profluentibus illorum sitim restinguens; quarum aliæ super hancce terram, aliæ subter diffundebantur, teste Mose? Nam si quis est qui putet arbores in Paradiso non fuisse corporatas, eius animo intelligentiæque diuinum eloquium, lumen suppeditare debebat, quod per Mosen de Paradiso disertè adfirmat, Euam generis humani matrem sumpsisse fructus, eósq; edisse. Quî potuisset enim illa decerpere id quod sub tactum non cadebat? aut de illo capere quod incorporeum erat; cùm id [illegible]od corporaturæ expers est, diuidi non possit, eò quod sit incorporeæ naturæ? Hæc, Ioannes ille, & alia complura eò loci scripta reliquit, quibus edocet corporeum fuisse Paradisum; quod ipsum satis clarè etiam Mosis verba testantur, dum in Genesi sic scribit: *Et sustulit Loth oculos suos, & vidit omnem terram Iordanis, quòd vniuersa esset irrigua, priusquàm subuertisset Deus Sodomam & Gomorram, quasi Paradisus Dei.* Non enim eum Paradisum qui in sola mente versetur; hoc est, incorporeum; contulisse cum regione Iordanis, sed cum, qui re ipsa existeret corporatusque esset, existimandus est. Tum alius quoque Propheta de Paradiso vaticinatus est ad hunc modum: Ante illum Paradisus Dei, post illum verò veluti campus deuastatus. Igitur ex ijs omnibus quæ adhuc diximus, constat vnicum quidem esse Paradisum, sed cum duplicis conditionis; corporeæ, inquam & incorporeæ: hoc est, & ad sensus ipsos, & ad mentis intelligentiam pertinere: falsúmque proinde esse quòd aut sub solum sensum cadat, aut sub solam intelligentiam, aut denique quòd omninò duo extent Paradisi.

Margin notes: Gen. 2. — Animorum non corporum habenda est ratio in sacris pompis. — Adam Hierosolymis mortuus. — Chrysostomi dux. — Gen. 13.

Caput II.

Iam verò postequàm demonstrauimus vnicum esse Paradisum, non duos; sed eum duplicis esse conditionis, corporeæ & incorporeæ: consequens est vt doceamus, quis corporeus, & quis incorporeus sit Paradisus. Corporeum igitur Paradisum esse statuimus, arbores omnis generis plurimas, varietate pulchritudinéque admirandas, atque foliorum & fructuum, quæ sui cupiditatem excitent maximam, feraces, æquabilique atque amœnissimo positas loco: flumen præterea ingens & amplum quo illæ rigantur, locum denique ipsum spaciosum, gratum, atque accommodum ad vsum habitationémque hominum. Rursus Paradisum qui ad mentis intelligentiam spectat, quemque incorporeum nominamus; vitam esse definimus, quę planè secundùm mentem, per temperantiam sanctitatémque excellenter agitatur, plenam meditationis rerum tum diuinarum tum conditarum; à qua procul absint curæ mœrores, gemitus; concomitenter verò, gaudium, lætitia, exultatio. Nam qui in hoc Paradiso versantur, vitam planè beatam atque Angelicam viuunt, radiísque diuinæ notionis illustrantur, vt Angeli. Duplex igitur ille Paradisus quatenus quidem corporeus erat, Adami Euæque corpus oblectabat: quatenùs verò incorporeus atque ad mentem spectans, ipsorum recreabat animos. Quippe vt cibus corporatus alit corpus ita cogitatio tum de Deo ipso tum de ijs rebus quas Deus condidit, pascit animum ratione præditum. Perinde enim scientia & cognitio animi; atque panis, corporis; est alimentum.

Margin notes: Quis corporatus, & quis spiritalis Paradisus sit. — Paradisus corporeus. — Paradisus spiritualis.

CAPVT III.

Consentaneũ est veterum Testamenti scripturam mysticè interpretari.

Sunt inter hæreticos qui contendunt minimè conuenire, vt veteris Testamenti scripta, mysticè, atque aliter quàm de ipsis rebus, interpretentur; grauitérque accusant eos qui contra faciunt. Atqui si ita statuas, multa vt consequantur absurda necessum est. Primò enim vetus Testamentum nihil nisi meras nudásque continebit historias; carebitq; prorsus mysticis sancti Spiritus sensis: deinde obfirmabitur Manetis & Marcionis sententia, qui dicebant vetus Testamentũ nequaquam ab auctore Dei Christi Patre esse. Præterea nisi in illo recondita fuerint arcana sensa; vnde potuère prisci patres, Prophetæ, aliíque sancti viri intelligere Christum olim venturum; ex eáque re tanto affici gaudio? Denique si ita cum illis hæreticis sentimus; profectò in Iudaismum incidimus: quippe Iudæi, vt qui Spiritus sancti expertes sunt, alia quàm corporalia crassáque sensa nulla amplectuntur. Verùm enimuerò arcanis etiam modis atque mysticis, explicandos esse sacros Libros, ex ijs conficitur quæ modò subijcimus. Si enim quòd capiendi Iudæi, inque exilium ducendi; quódque rursus liberandi reducendíque in patriam essent; quæ reipsa contingentes figuræ fuerunt; iussi sunt diuini Vates figuris atque typis quibusdam prædicere, quò videlicet Dei prouidentia iam tum agnosceretur: sicut apud Ezechielem de sumendo latere, de diuidendis barbæ & capitis pilis & cubando in lateribus, videre est, itẽ apud Isaiam de amictu sacci, déque nudando corpore; præterea apud Ieremiam de iugo & vinculis; denique apud Oseam de ducẽda vxore adultera & meretrice; atque ita de alijs plurimis quæ nunc non est operæpretium percensere: quantò magis consentaneum putabimus, in Lege atque prophetis mysticè figuratéque illa admiranda atque præcellentissima neque vnquam satis laudanda opera quæ Verbum Dei Christus dum in carne versatur patrauit, quæque nobis in Mundo illo sempiterno cuius spe certissima fruimur euentura promisit, esse prænunciata? Ad hoc, Tabernaculum illud exiguo duraturum tempore, quo ornatu corporeo esset extruendum à Mose, nonne ante in ipso monte mysticis modis ipsi ostenderat Deus? Sanè eò spectant verba illa quæ postquàm ille descendisset de monte, ad ipsum hic faciebat, inquiens: *Videto ac facito omnia ad id exemplar quod tibi in monte ostendi.* Quid Gedeonis vellus? Quid Elisæi hydria? an non præter ipsas res quæ agebantur, alia etiam seclusa in ipsis erant sensa? Quid triticum, palca, ventilabrum, quæ commemorat Ioannes Baptista? num pro ipsis rebus sunt accipienda, ac non potiùs arcanum quid, per ea significare ille volebat? quin ipse etiam Dominus noster ait Abrahamum optauisse vt videret diem ipsius, ac vidisse gauisumque esse; quem tamen aliter prospicere nõ potuit ille, quàm per typum ac mysteria: quale illud fuit, quòd filiũ suum immolare iubebatur, ea enim victima Christi diem figuratè ostendebat. Præterea Mosis Serpentem æneum quem in deserto suspẽdit ob oculos populi, idem Christus interpretatur mysticè de sua cruce, dum ait: *Quemadmodum in altum sustulit Moses Serpentem in solitudine, ita exaltabitur Filius hominis.* Rursum aquæ illæ de quibus cum Samaritana muliere colloquens ait; *Aqua quas ego do ei, fient in ipso, fontes scaturientes in vitam æternam*; nequaquam profectò corporatæ aquæ, sed mysticæ fuerunt. Denique Paulus quoque Apostolus arcano sensu interpretatur duas Abrahæ vxores, Sarã & Agarem, duorum inquiens Testamentorum illas esse figuras. Similiter Petram illam quę comitabatur Israëlitas, profundebátq; illis aquas in potum, figuratè explicat quando ait, eam petram fuisse Christum. Ex his igitur omnibus colligere est, veteris Testamenti libros non modò de rebus ipsis, verùm etiam mysticè ac figuratè atque reconditioribus modis interpretari debere.

Ezech. 4. & 5. *Isa. 20.* *Ierem. 2.* *Ose. 1. & 4.* *Exod. 25.* *Iudic. 6.* *4. Reg. 2.* *Matth. 3.* *Ioan. 8.* *Gen. 22.* *Ioan. 3.* *Ioan. 4.* *Galat. 4.* *1. Cor. 10.*

Vtra expositione mysticáne an historicè sit primum interpretãdus Paradisus.

CAPVT IIII.

Igitur quum duplicis sit conditionis Paradisus, consentaneum etiam est vt duplici modo interpretetur, mysticè & corporatè: hoc est, vt tum res ipsæ pertractẽtur, tum ex rebus notiones aliæ quasi per figuram intelligantur; cæterùm illa interpretatio cum fundamento & parietibus rectè conferatur. Quum igitur tunc demum muri immobiles consistant vbi fundamenta sunt firma, ac proinde hæc priùs iacta esse quàm illi extruantur, oporteat, tametsi parietes eaque quæ paratur ædium forma, priùs in animo atque cogitatione à nobis versentur quàm fundamenta; congruum quoque est, vt de rebus ipsis interpretatio prior constituatur; quò, hac deinde ceu fundamento, mystica illa sustentetur nitatúrque.

CAPVT V.

Quoto die inter illos sex dies, quibus cõdidit Deus hanc aspectabilem machinã, sit cõditus atque consitus Paradisus.

Cæterùm Moses scribit, sex diebus creauisse Deum hanc machinam aspectabilem. Primò enim condidisse cœlum, terram, lucem; secundo, æthera siue firmamentum; tertio, arbores, herbas, semina; quarto, solem, lunam, stellásque, cæteras; quinto, aues aëra peragrãtes, & pisces per mare natantes, ac humi quoque repentes animantes; sexto, feras, mansuetásque bestias, nec non Adamum, & Euam. At Paradisum esse quidem à Deo consitum commemorat, sed non quoto die: nos tamen tertio & conditum, & consitum esse ex ijs verbis quæ de ipso apud Mosem habentur, intelligimus: ait enim dixisse Deum die tertio; Producat terra herbas germinantes, seminísque feraces in suo genere. Nec non arbores fructiferas sui quasque generis, &c. Paradisus itaque ante Adamum conditus est & veluti sponso thalamus à Deo præparatus atque instructus. Nam quòd Moses Paradisi conditi mentionem post creatum Adamum facit, ideo fit, quod ad nondum satis explicatam de Paradiso consito narrationem sibi reuertendum, eamque absoluendam putauit, non autem quasi ille post conditum Adamum factus sit.

CAPVT VI.

Quã ob causam cõdiderit Deus Paradisum corporeum.

Neque verò dubium est quin & cohonestandi & voluptate adficiendi Adami gratia Deus Paradisum condiderit, vt qui illum sibi maiore cura studióque prosequendum duxit, quàm vllam rerum cæterarum quæ super terram essent. Igitur quemadmodum impensiore ipsum honore quàm alias res à se creatas adfecerat, sic suis ipse manibus, atque ad suam imaginem illum condere, & Paradiso veluti domicilio præ cæteris honorare voluit. Itaque locum ei destinauit & conseuit ornatissimum, magnificentissimum, voluptuosissimum, & ob summam elegantiam pulchritudinémque maximè expetibilem, in quo illo versaretur habitarétque; neque permisit vt cæterorum more animantium, quæ ratione vacant, terram depasceret.

CAPVT VII.

De Paradiso, super terrã, an in cœlo consitus.

Sunt qui in cœlo Paradisum esse putent, eò quòd diuus Paulus Apostolus de se ipso dicat, raptum se fuisse in tertium cœlum, & in Paradisum: neque enim hoc adiectum fuisse, nisi in cœlo esset Paradisus. Verùm nos ad ea respondemus, duo fuisse visa illa in quæ Paulus raptus erat; non vnicum, quum ipsus dicat: *Veniam ad visa atque ad patefactiones Domini*, non autem ad visum & ad patefactionem. Neque verò desunt etiam nobis Scripturæ loci quibus conuincamus diuersas fuisse duas illas patefactiones; & priore quidem in cœlum, altera verò in Paradisum fuisse sublatũ Paulum. Nos igitur super terram esse Paradisum statuimus, idque his argumentis. *Conseruit*, inquit, *Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio*; siue pridem: Eden verò locum vocasse videtur, non qui supra cœlum esset sed in terris. Præterea idem Moses affirmat quatuor flumina è Paradiso profluxisse, Tigridem, Euphratem, Gihoneum, & Phisonem: quæ si è cœlo delapsa essent, excauassent vtique atque vasto hiatu ipsam terram aperuissent, quippe quæ sustinere nequiuisset molem tantam, quanta aquæ ex loco tam sublimi præcipites (& quidem dies noctésq; continuato cursu) absque vlla intermissione ipsam pressissent: quare è terra promanasse illa flumina necesse est, & perinde Paradisũ quoque

2. Cor. 12.

Luc. 23. Non promisit dominus Latroni paradisum terrestrē, sed gloriam. Ioan. 3.

qooque terrestrem fuisse. Adhæc Dominus noster ait ad Latronem: Profectò dico tibi, *hodie eris mecum in Paradiso.* Non autem dixit in cœlo, quia neque ipsa Domini anima (simul atque à corpore dissociata est) cœlum conscendit, sed die tertio rursum corpus subijt: neque Latro quoque eo die in cœlum potuit enadere, cùm dicat Christus neminem conscendisse in cœlum præter eum qui descendisset de cœlo, Filium hominis, qui esset in cœlo. Fuit igitur Paradisus non in cœlo sed in terris. Insuper corporatæ arbores, quales reuera in Paradiso exstabant ex ligno concretæ, è terra satæ pullulant, non autem supra cœlum nascuntur: Denique Patrum auctoritate, cui fides negari non potest, satis comprobatur terrestrem fuisse Paradisum. Nam dominus Ioannes in ea oratione qua disserit cur arbor illa sit vocata, scientiæ boni & mali, scribit in hanc sententiam: Si regnum cœli promisit nobis Dominus noster, Latronem verò in Paradisum modò subuexit; sanè conficitur non satis fecisse ipsum Latroni. Item dominus Seuerus Oratione 22. de Epitronio sic scribit: Ea quæ nobis promissa sunt, ipsum sunt cœli regnum; non autem quæ in Paradiso percipiatur voluptas. Aliud igitur Paradisum, aliud regnum cœleste esse, palam faciunt hi Patres. Postremò Ephrem in eo Libro, quo Paradisi conditionem exequitur, disertè asserit terrestrem esse. Igitur perspicuum est in terris esse Paradisum, non in cœlo.

Capvt VIII.

Virum Paradisus in hoc terrarum tractu quem nos incolimus, extiterit, an in alio quopiam.

Iam verò posteaquam ostendimus in terris fuisse Paradisum, indagandum nobis superest, an in his terrarum regionibus quas nos mortales habemus, an in alijs quibusdam extiterit. Cæterùm statuimus terram vnam omnino esse, atque vnius vniuersam eiusdémque naturæ; eámque terram in qua Paradisus existebat, diuersam quidem esse ab hac nostra, verùm non natura ipsáque sui materia, sed raritate & densitudine. Diuidamus igitur terram in duas maximas partes; quarum altera Paradisi terra, altera extrà Paradisum vocetur: illa subtilis, sincera, pura, hæc quæ à nobis colitur, crassa, materiata, impura, confusa sit. Iam verò concipito animo tuo hasce quatuor res; Cœlum superius illud spiritibus angelisque frequentatum, deinde quod illo inferius est, Firmamentúmque à nobis vocari solet; posteà eam terram quæ Paradisi est; demùm eam terram quæ est extrà Paradisum: deinde ita existimata, quemadmodum id quod Firmamentum vocari diximus, præcellentia quadam subtilitatis cœlo illi sublimiori Spiritibúsq; dicato cedit; ac rursum eadem Paradisum superat & crassiorem & magis materiatum: ita & Paradisum dignitate puritatéque interiorem quidem esse firmamento; sed terra, quæ extra ipsum est, præstantiorem. Fit itaque vt cœlum illud beatorum Spirituum domicilium pręcellentius sit firmamento; Firmamentum, Paradiso; Paradisus ea terra quam nos habitamus. Est igitur alia Paradisi terra, alia hęc nostra; sed ita vt non natura, verùm materiæ subtilitate excellentiáque differant. Sed potest id etiam hoc argumento à rerum natura petito demonstrari. Conditus enim Adamus nō in hoc crasso densaque pleno materiæ loco qui extra Paradisum est, collocatus à Deo est; nondum enim deliquerat atque peccârat: Neque rursus positus est in illis præcellentibus locis, cœlo vel firmamēto; nihil enim adhuc boni patrârat. Sed quòd cōsentaneum erat, collocauit ipsum Deus in eo loco qui inter vtrósque illos medio se habebat modo; hoc est, Paradiso: hic enim vt non tam purus putúsque est quàm firmamentum ita rursus non tam crassa coactáque materie constat, atque hæc nostra quæ extra Paradisum est, terra. Et verò, eo consilio videtur eiusmodi medio loco ab opifice Deo ille positus esse, vt si morigerus obseruaret iussa, subueheretur in firmamentum, locum præcellentiorem puriorémque Paradiso, sin autem mandatis non parêret, sed delinqueret, atque ab ea quam sibi suus effector imperauisset, Lege deflecteret, conijceretur in hanc execrabilem, crassam, ac densam terram quam nos extra Paradisum nunc habitamus. Quin Paradisum fuisse medio loco testatur etiam Philoxenus Mabugæ Episcopus in eo Sermone quem de contemplatione Arboris vitæ conscripsit his verbis: Sic consitus à Deo Paradisus est, vt medium occuper locum: quidquid enim superiùs est; aut cœlū est aut cœlo consentaneum; rursum quidquid inferiùs, vel terra est vel ad terram pertinet: Quippe qualis erat conditio compositióque hominis, talem oportebat esse & locum in quo erat ille ponendus; illa verò eius erat modi, vt in hominis esset posita arbitrio & boni & mali electio: iam verò qui sic se habet, is inter vtrumque medius est, nec ex bono totus, nec rursum totus ex malo conflatus, sed pro suopte arbitrio ad vtrúmuis iuxta, se habens. Atque ea quidem erat Adæ conditio, eadémque cognitio arboris boni & mali: quare & eiusmodi erat quoque Paradisi ratio, in medio scilicet collocari, vt supra ipsum essent corporaturæ materiéque expertes Spiritus qui sola ratione intelliguntur, & quidquid extra omnem compositionem est: infrà verò illum bestiæ & pecudes, cæteráque ratione carentia: ipse verò Paradisus inter hæc & illa medius maneret atque hac ratione cum hominis constitutione congrueret, qui & ipse ex anima simul & corpore constabat: Hactenus ille. Animaduertis igitur Doctorem istum perspicua ratione ostendisse Paradisum in medio esse positum; neq; tam subtili tenuitate dotatum quàm ea quæ suprà ipsum existūt, neque rursus ea crassitudine materiæ qua illa composita sunt quæ infrà ipsum habentur. Non ergo in hac quam nos habitamus terra Paradisus extitit, sed in alia; non quidem ipsa sua natura differente, sed tenuitate genuináque puritate. At enim obijciat nobis hîc aliquis fieri non posse (cùm terra omnis, vnius eiusdémque naturæ sit atque essentiæ) vt altera eius pars subtilis, pura, sincera; altera verò crassa, impura, mixta, confusáque esse queat. Sed nos respondemus, fieri omnino id posse: quippe in aquis quæ sunt eiusdem essentiæ omnes, alias tamen limpidas, alias turbidas; quasdam dulces potúque suaues, alias amaras, atque in potum ineptas: item in aëre, alium crassum densúmque, alium liquidum naturalíque temperatum puritate; rursus alium salubri atque amœna temperie, alium noxia intemperie ingratóque odore experimur: deniq; ipsa etiam corporis nostri mēbra omnia quidem, vnius atque eiusdem naturæ esse nemo negauerit; & tamen oculus lucidus est atque liquidus, manus verò crassa & materiata compage constat: Itaq; & in terræ partibus idem vsuuenit, vt scilicet altera esset pura pura & omnis excrementi vacua, ac tenuis subtilisque qualis erat illa Paradisi; altera verò crassa, mixta, excrementosa, cuiusmodi est hæc quæ extra Paradisū à nobis habetur. Nam & in oleo hoc ipsum deprehendis & in vino: etsi enim vnis etiam hæc constent essentijs; tamen partium aliæ liquidiores defæcatioresque ac veluti magis percolatæ, quales sunt à fundo remotiores, aliæ rursus turbidiores, feculentioresque, atq; omnino impuriores esse cernuntur; eæ nempe quæ à fundo propiùs absunt.

Philoxenus Mabugensis Episcopus.

Paradisus vbi situs.

Adam vbi primùm positus.

Capvt IX.

Eam terram in qua est Paradisus hac nostra sublimiorem esse.

Illud insuper asserimus, eam terram in qua est Paradisus, altiorem multò sublimiorémque existere hac quam nos colimus: Id enim ita se habere, indicio sunt quatuor illa grandia flumina quæ orta in Paradisi terra, per hanc nostram ab illa diuersam feruntur. Nisi enim illa terra altior exstaret, fieri non posset, vt ea flumina illinc præcipiti cursu sub mare magnum delata, tandem per hanc à nobis cultam regionem erumpentia spargerentur. Certum igitur est, ea flumina, quia è sublimi loco promanāt, ipsa sua præcipiti fluxione coacta strictáque, & proinde cum impetu delata sub terram & magnum Mare rapi, atque ob ipsum eum impetum quo sunt delapsa, rursus prosilîre in hac nostra terra, per eamque fluere. Nam quatuor illa flumina (Tigrim, inquam,

p ij

Euphratem, Gihonem, & Phisonem) sub Mare ferri, atque in hac demum quam nos habitamus, terra prodire, testatur etiam dominus Ephræm Commentarijs in Genesim, & cum eo alij. Clarum igitur ex his est, eã terram in qua situs est Paradisus; multò eminentiorem sublimiorémque esse hac quam nos occupamus.

Caput x.

De regno cælesti in quo iusti voluptate afficientur, sit ne in terris an supra cælum.

Regnum porrò cœleste illud quod iustorum delicijs destinatum est posteaquàm reuixerint mortales, vt ait Dominus noster, non esse in terris; sed supra cœlum (hoc est, suprà firmamentum) quod proximè suprà nos est, multis argumentis comprobatur. Primò enim ipsum vocabulum hoc arguit, quo cœleste regnum, non terrestre à Domino appellatum est: deinde idem ille Dominus dixit: *Vado parare vobis locum*: Et; *vbi ego sum, illic & minister meus erit*: Iam verò dubium nullum est, quin Christus verè in cœlum conscenderit. Prætereà diuus Paulus scribit in hæc verba; *Vos autem accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei viui, ad Ierusalem quæ est in cælo, & ad cœtus myriadum Angelorum, atque ad Ecclesiam primogenitorum qui scripti sunt in cælo*: Et alibi; *Scimus enim quod quamuis domus hæc nostra quæ in terris est*; corpus nempe; *dissoluatur, structuram tamen habeamus quæ à Deo est, domum non constructam manibus in cælo sempiternam.* Ad hoc Ioannes Monachus, Sermone priore quem de Mundo nouo scripsit, sic ait: Enimuerò regnum illud cœleste Christi, non erat sub firmamento, sed suprà cœlum vbi potestatum ordines existunt. Liquet igitur cœleste regnum in quo beati voluptate fruentur postquàm reuixerint, suprà cœlum (hoc est, firmamentum) id quod supra nos apparet, positum esse.

Hebr. 12.

2. Cor. 5.

Ioannes Monachus.

Caput xi.

Aliud esse regnum cæleste, aliud Paradisum.

Est verò inter cœleste regnum & Paradisum magna admodum differentia atque diuersitas. Nam regnum cœleste supra cœli firmamentum est; at Paradisus sub firmamento in terris: ad hoc, regnum cœleste, spiritale est; Paradisus verò, & ad corpus & ad spiritum spectat, vt superiùs comprobauimus. Deinde cœlestis regni voluptas ea est quæ ex Deo cum beatis Angelis capitur; Paradisi verò delitiæ ex arboribus amœnis atque desiderabilibus, nec non ex ingenti illo flumine habentur. Prætereà regnum cœleste *nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit*, vt Apostolorum princeps Paulus ait; sed Paradisus, & Adæ & Euæ oculis aspectus est, auribúsque auditus, & subijt in ipsorum animos. Insuper cùm in Lege, tum in Euangelio distinguuntur: in Lege enim beatus Moses in eo libro quem Genesim (hoc est, de rerum ortu) vocamus de Paradiso locutus est, eúmque suis notis descripsit; de cœli autem regno non verbum quidem fecit. Rursus in Euangelio Dominus noster, eiúsque discipuli & Ioannes Baptista concionantes, adhortati sunt mortales ad pœnitentiã, quia in propinquo esset regnum cœleste; sed Paradisum esse vicinum non dixere. Denique hoc quoque inter illa discrimen est, quòd post Resurrectionem conscensuri sint iusti ad cœleste regnum, atque illic in summa voluptate acturi, iuxta veram Domini promissum; in Paradisum verò post Resurrectionem nemo ingredietur, sed mansurus est ille cultoribus vacuus. Postremò diuersa inter se esse regnum cœli & Paradisum, adfirmant etiam Doctores, quos honoris caussa nomino: dominus Ioannes quidem in ea oratione, cui titulus est, Cur arbor illa scientiæ boni & mali appellata sit; & quid sibi velit illud Christi ad Latronem: *hodie mecum eris in Paradiso.* Seuerus verò oratione 22. Epithronij, vt superiùs ostendimus.

1. Cor. 2. Paulus Apostolorum princeps.

Seuerus, sup. c. 7. sub finem.

Caput xii.

Vtrum in hoc terrarũ Orbe quẽ mortales habitant an extra eum sit Paradisus.

Philosophorum profanorũ, imò nonnullorum etiam Ecclesiasticorum Doctorum sententia est, elementa ipsa alterum in altero esse, atque alterum ab altero circumdari: terram enim ab ipsa aqua, aquam ab aëre, aërem ab igne contineri (de qua re nos quoque dilucidè egimus in eo libro quem de sex diebus conscripsimus) & proinde existimant Mare Oceanum totam ambire terram, non secùs atque coronam caput, aut cingulum lumbos; ita vt ab extima Oceani parte nulla prorsus terra sit, sed aër ei oræ ex omni regione circumfusus. At alij opinantur, amplecti quidem Mare Oceanum hunc habitabilem Orbem, quantus est, vt corona caput, vel zona corpus cingit; & tamen vltra extremam illam Oceani oram superesse eam terram, in qua consitus fuit Paradisus: itaque putant hi Paradisum extra hunc à mortalibus frequentatum Orbem extitisse; quod sanè suis argumentis posse comprobari videtur. Nemo enim vnquam Regulorum eò profectus, paradisum cõspexit; qui si intrà eam Mundi partem quæ ab hominibus habitatur positus esset, proculdubiò Reges qui id facere potuissent, visum eum iuissent: à qua re tamen omnes adhuc, ob eam, vt videtur, quam modò dixi caussam, abstinuere. At enim qui in hac sunt sententia, aiũt Mare illud quod inter hanc nostram & illam terram interfluit, innauigabile esse; ideóque neminem Regum illuc traiecisse. Alij verò illi qui Elementa ambiri alterum ab altero, atque Oceani aquas vniuersam omnino circumdare terram putãt, vt nullum supersit solum vltra Mare, Paradisum intra Mare quidẽ positum esse aiunt, verùm ob montes difficillimos & penitus inuios qui inter illum & nos existunt, neminem mortalium illuc accessisse. Conficitur itaque ex his, Paradisum extrà eum terræ Orbem quem homines colimus, situm esse.

Caput xiii.

In qua mũdi regione positus sit Paradisus.

Sed quærat aliquis, in quãnam mundi regione positus sit Paradisus: versus Orientem, an Occidentem, ad Meridiem, an Septentrionem? Huic respõdemus, Basilium quidem & eius fratrem Gregorium Nycenum, atque præter hos dominum Seuerum, compluresque alios opinari Paradisum ad Orientalem terræ regionem extare. Basilius enim Sermone super illud Pauli: *In omni re gratias agite*; ad hunc modũ scribit: Ideò ad Orientem versi inter orandum stetimus, vt oculos nostros ad contemplandum Paradisum assuefaceremus, eòque locum nostrum pristinum requireremus. Gregorius verò Nycæus Sermone quem in Orationem Dominicam composuit, sic ait: Conuertimus nos ad Orientem, non ideò modò quòd illic Deus sit aspectabilis, qui vbique est neque vllo particulari loco omnino continetur cum omnem ex æquo occupet, sed quia locus noster pristinus in Oriente est: de ea vita loquor quam in Paradiso agitabamus, ex quo deinde excidimus, conseruat enim Deus Paradisum in Eden, in Oriente. Cùm igitur ad Orientem dirigimus oculorum nostrorum aciem, atque † casum nostrum quo ex beatissimis illis locis excidimus, reuocamus in animos nostros, meritò hanc tuam precationem tibi offerimus, &c. Denique dominus Seuerus Oratione qua disserit cur versi ad Orientem adoremus, hæc prodidit: Quia Paradisus in Oriente est, & illinc sumus egressi, atque ad locum nostrum antiquum reuerti speramus, &c. Sunt etiam qui hinc constare existiment, Paradisum in Oriente esse, quia qui templa aut ædes construere volunt ad Orientem spectantia, ita describunt, vt ad Solem in mense Nisan Orientem obuersa sit fabrica, nimirùm quia illo Mense Sol suprà Paradisi locum oriatur. Et horum alij quidem diem decimum quintum mensis Nisan obseruant, quasi eo Solis radij rectè ex Orientalibus fenestris prosiliant: alij verò quartum, eóque id fieri putant, quòd Sol eo sit die creatus, & cursum suum occeperit. Verum Ephræm dicit, Paradisum vniuersam ambire terram, atque vltrà Oceanũ ita positum esse vt totum terrarum Orbem ab omni circumdet Regione, non aliter atque Lunæ Orbis Lunam cingit. Sunt autem hæc eius ferè verba, quibus in ea sua disputatione vtitur: Quia procul extra conspectum dissitus est Paradisus, neque tam acuta in est oculis

Thess. 5.

† alias legit Exitum.

Templa cur ad Orientem obuertantur. Respondet Luna Aprilis nostri. Sol creatus mense Aprili.

oculis nostris acies, vt illum assequi possimus; si de ipso periculum facere velis, facile cunctaleris eum circulo Lunam ambiente, atque ita intellectu comprehenderis: nam ita ille & Mare & terram intra se complectitur.

Quomodo trans, erunt primo Parentes ex Paradisi terra in hanc terrã. Et habitarit ne Adamus in regione Ierosolymorum, an non.

Caput XIIII.

Quidam eorum Doctorum, qui censent Paradisum vltra Oceanum esse positum, dixere primos homines ex illa Paradiso affini terra in hanc nostrã, per vadosum mare pedibus commeasse, cùm essent staturæ proceriſsimæ: atque hoc tùm ex Athanasio tùm Cyrillo comprobare nituntur, qui inter alia scribunt; habitationem primam post Paradisum, fuisse Adamo in Iudæa: prætereà ipsum, posteaquam per plurimas Regiones vagatus, in alijs atque alijs habitasset locis; tandem sub vitæ finem venisse in montem Iebus, ibique sepultum esse: Certum est autem Iebus esse Ierusalem. Et verò dominus Iacobus Orrohaïta tradit etiam Noam illic habitasse, atque in regione Sodomorum plantasse illas Cedros ex quibus Arcam construxit; quam Arcam cùm esset vnà cum Liberis suis conscensurus impendente Diluuio, secum in eam intulisse ossa Adami, eáque deinde post diluuium Arca egressum, suis filijs distribuisse, prout Orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur. Verbi gratia; Caluariam Adami dedisse primogenito suo Sem, & terram assignasse ei Iudæam, atque ita posteritatem Sem, cùm ei Iudæam ceu suam hæreditatem venisset illam Adæ Caluariam quæ sibi illius ossibus ex paterna distributione obuenerat, in Adæ sepulchro quod alioqui iam tum illic extabat, reposuisse. Sed alij existimant, inde ex quo deliquerat Adamus, è quo Paradiso fuerat eliminatus; vsque ad diluuium, mortales omnes mansisse in ea terra quæ trans Oceanum circùm Paradisum extabat: hanc verò quam nos iam habemus terram, ad id vsque tempus vacuam prorsus hominum fuisse desertámque; illósque omnes diluuio obrutos propter vitæ impuritatem perijsse, vno Noa viro iusto cum tribus Liberis atq; Coniugibus superstite, vt reliqui tum fuerint soli octo mortales. Cæterùm Noam, Cedros in illa quæ vltrà Oceanum est terra seuisse; atque ex illis Arcam illic struxisse; eáque vectos octo illos homines, cùm à Diluuio seruati essent, ex illa Paradisi regione in hanc nostram peruenisse; non autem pedibus, Maris vadum transmisisse. Qui hanc sententiam tuentur, Ephrem auctorem laudant, qui in suis Commẽtarijs sic scriptum reliquit: Et eiecit eum ex eo (Paradisum intellige) assignauitque ipsi nõ procul ab eo. Benignitas atque gratia scopus est perpetuus Deo; eius etiam rei apud Inferos vestigia extant: habitationem dederat ipsi in Paradiso; sed præuaricatus est: rursus ergo extrusit Paradiso, sed in propinquo collocauit. Sed & hic perdissimi homines deliquerunt, & qui iuxta Paradisum habitarent, indigni euaserunt: Arca igitur imperauit, ea in Armeniam illos portauit. Hactenus Ephræm. Quæ si sic se habent, verumque est, Adæ Caluariam in Iebus (hoc est, Ierusalem) sepultam, & Christi Crucem in eam defixam fuisse; certum quoque erit, Noam asportasse ossa Adami ex altera illa terra, eúmque vbi in hanc nostram traiecisset, filio suo primogenito Sem caput dedisse; huiúsque posteritatẽ illud, in Iebus (vtpute sua ipsorum possessione) sepeliuisse. Hæc igitur ab illis dicuntur qui opinantur Paradisum vltra mare Oceanum existere: at illorum qui putant Paradisum intra Oceanum esse positum; neque nos mari sed inuijs & haud penetrabilibus montibus ab illo prohiberi, partim dicunt Adæ nepotes pedibus ex illa regione in hanc nostram commeasse, partim verò ob errante Arca illinc esse huc delatos.

Noe intulit in Arcam ossa Adami.

Adami Caluaria illata in eius sepulchrum.

Christi Crux defixa in Caluaria Adæ.

Quàm sit amplum Paradisi spacium.

Caput XV.

Siue autem Paradisus in regione modò Orientali positus est, vt dixere Basilius, Gregorius, Seuerus & complutes alij; necessum est, spaciosum admodum atq; amplum fuisse: Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen quo rigabatur. Nam si hoc, vbi Paradisum satis abluit, in A quatuor grandes fluuios dissecatur, qui magnam Orbis huius quem nos colimus, partem suo cursu alluunt, maximum profectò, amplissimum atque profundissimum vt sit consentaneum est, antequàm in quatuor illos diductum atque dispertitum sit grandes fluuios. Iam verò ex fluminis magnitudine conficitur, Paradisum qui illo rigatur, amplissimũ quoque esse. Sin verò (quę Ephræmi sententia est) omnem vndique terram nostram cum Oceano ambit Paradisus, profectò nihil prorsus dubitationis reliquum est quin sit amplissimus patentissimúsque.

Quid sit Edẽ, & cur Paradisus, vocetur Paradisum. Edẽ Hebraic, voluptatis significationem habet, & credibile est Græcos suum ἡδονὴ, inde formasse. Gen. 13.

Caput XVI.

Cæterùm Eden locus est amplus ac spaciosus; sic dictus, quod delicatus, ac multis varijsque arboribus exornatus sit. Paradisus verò, appellatur Paradisus quòd lo-B cus sit cultus plurimis pulcherrimisq; plantis, cùm odoratu tùm gustatu iucundis, planéq, congruus, appositus, accõmodatus, vt sit domicilium sedésque & amœnitas hominum: Nam huiusce modi locum consueuerunt mortales appellare Paradisum. Quare beatus Moses quoque, Iordanis etiam regionem, quia amœna atque spectabilis esset ijs tẽporis, Paradisum nominauit. Porrò vt regio Eden cunctas reliquas præcellit terras; ita & ea eius pars in qua situs est Paradisus, cætera omnia quæ Eden complectitur loca, superat: neque enim in Eden vllum est solum præstantius eo in quo Paradisus est consitus.

An fuerint arbores fructúsque Paradisi quales hac nostra terra fert, an his dissimiles.

Caput XVII.

Illud porrò affirmamus quoque, neque arbores, neque C fructus Paradisi (etsi arbores fructúsque appellentur) tales omnino fuisse, quales hic apud nos progignuntur; sed longè his præcellentiores, elegantiores, maiores: Nam vt ita statuamus, hisce inducimur rationibus. Primùm illi fructus non fuere execrationi diuinæ obnoxij neque damnati, vt hi nostri: deinde si in hac nostra detestabili terra atque infelice, alia loca, alijs, prętantiores arbores & fructus meliores fuerunt; quantò magis existimandum fuerit, arbores fructúsq; Paradisi his nostris multo præcellentiores melioresque fuisse? Et verò hanc nostram sentẽtiam approbat etiam Philoxenus ea Oratione quam de arbore vitæ scriptam reliquit, nam de Paradiso, eiúsque plantis verba faciens ait: Nequaquam subiectæ sunt execrationi atque damnationi; hæ enim D in eam modò terram pronunciatæ sunt, quæ extra Paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ita vt ab ipsis Paradisus maneret immunis, sicut in hanc vsque diem quoque immunis liberque est, eóque & delicatissimæ & speciosissimæ arbores in ipso etiam extant.

Cui vel nunc, vel post Resurrectionem vsui seruiat Paradisus.

Caput XVIII.

Sed solent quidam disciplinarũ studiosi quærere, quis sit vel iam nunc Paradisi vsus, vel quis olim futurus, postquam mortales cum corporibus reuixerint. His nos respondemus, eò fuisse creatum primò constitúmque ab opifice Deo Paradisum, vt Adam cum suis in ipso habitaret: qui vbi contra Conditoris sui imperium peccassent, eliminati inde pulsique sunt. Ex illo porrò tempo-E re vsque ad Christi aduentum versati sunt in Paradisu Enoch atque Elias: at verò post Christi Regis aduẽtum, huic præterea rei seruit vt in ipso habitent animæ hominum iustorum piorúmque, atq; eorum qui per corporis sui eruciatus Christi fidem comprobarunt quique fideles Deum amarunt, exutę corporibus vsque ad Resurrectionis diem; quod in eo Sermone ostendimus, quem de Anima fecimus. Nam Latronis animam eò subuexit Dominus, dicebat enim ad ipsum: *Profectò dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Porrò post diem Resurrectionis, nullus prorsus eius futurus est vsus, sed superuacaneus manebit & vacuus. Iam verò ne quis per coniecturã hæc à nobis dicta putet, libet nonnullis id affirmare rationibus. Primò constat alia etiam Spiritus dicata loca, cuiusmodi sunt ea ex quibus diabolus cũ suis copijs excidit;

Contra hunc errorem Græcorũ quorundã implicitum Sanctorum animas ante indicium diẽ in terrestri paradiso detineri. Vide librum fratris Thomæ Maluenda Theolo., ordinis Prædicatorum de Paradiso, c. 90.

Luc 23.

Non promisit Dominus latroni paradisum terrestrẽ, sed gloriam.

vacua adhuc manere atque superuacanea: ad hoc pars cœli dimidia ea quam iusti post Resurrectionē incolent, adhuc vacua est: prætereà ipse terrarum Orbis vniuersus tantisper dum linguæ diuiderentur, desolatus per hominum infrequentiam manebat, præter vnam Babyloniæ regionem in quam multi conuenerant mortales: Insuper hacce etiam tempestate plurima sunt in Orbe loca quæ neque ab hominibus neque ab Angelis incoluntur, plurima item Maria innauigabilia. Denique post Resurrectionem nihil erit opus aut Sole, aut Luna, aut stellis cæteris, vel vllis omnino animantibus, Serpentibus, Auibus. Postremò post Resurrectionem nullus iustorum mansurus est in terris, quippe qui supra firmamentum conscendent; sed soli illic relinquentur & moraturi sunt impij. Vt ergo in his omnibus cùm ita sese habeant, nihil absurdum aut dissentaneū, nihil mutilum aut hians esse dicimus; ita neque in eo, quòd Paradisus post resurrectionem nullis vsibus seruiet, quidquam deforme aut hiulcum inesse statueris. Insuper Reges sæpè maximis sumptibus magna exstruunt ædificia, quę postquàm ipsorum vsui fecère satis, vacua deinde relinquuntur, & tamen minimè temerè, aut inconsideratè illa structa existimantur: quis igitur Deum prudentissimum rerum dispensatorem inconsiderantiæ arguat, qui cùm Paradisum condidisset Adami gratia, cúmque in illo collocasset, vt cum voluptate eum haberet; peccantem inde eiecit, vacuúmque illum reliquit?

Capvt xix.

Cuiusmodi fuerit Arbor scientiæ boni & mali, quā interdixerat Adamo Deus & quæ sit ratio eius nominis.

Beatus Moses primo libro scripsit in hanc sententiam: *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dixitque ei: De omnibus arboribus Paradisi edendo edes: at de arbore scientiæ boni & mali ne edas: nam quo die de hac edes, mortem oppetes.* Et paulò post: *Et accepit mulier de fructibus arboris, editque, ac dedit etiam viro suo, qui & ipse edit:* Hîc tria se offerunt disquirenda, quorum primum est, cur arbor illa appellata sit scientię boni & mali: alterum, quid sit bonum, & quid malum: tertium, cuius generis fuerit illa arbor. igitur quod ad primum attinet, hoc est, vocabuli rationem; dicimus minimè appellatam esse arborem scientiæ boni & mali, quòd ipsa esset prædita cognitione qua inter bonum & malum posset dijudicare; neque etiam quòd ipsa eius rei scientiam in Adamum contulerit. Nam illiusmodi cognitionis expertem pœnitus fuisse arborem vel hinc intelligas, quòd ne bruta quidem (nedùm rationali) anima fuerit prædita: nam si bruta, mactanda primùm fuisset vt cætera animātia, antequàm de ea potuissent edere primi Parentes: Rationali verò omnino caruisse certissimum est, cùm nulla facultate rebus pro arbitrio vtendi dotata fuerit, neque aliquam à Conditore legem acceperit, qualem ijs ille imposuit quæ ratione donauit. Quare si per neutram dictarū animarum viuebat arbor illa, colligitur neque scientiam in se vllam habuisse, qua bonum posset à malo discernere. Quòd porrò nullam ipsa cognitionem Adamo dederit, certum est; quandóquidem ille alioqui iam ante fuerat scientia boni maliq; ornatus: compositus enim erat ex anima rationali quæ boni malique iudicio pollet. Ad hoc, lex imperabatur Adamo, qualis non nisi ijs qui inter bonum & malum norunt discrimen, rectè imponitur: nam alioqui (quod absit) habuisset ille quod de Deo quęreretur, qui Legem sibi omnis prorsus iudicij experti præscripsisset. Insuper nisi illiusmodi scientia iam tum fuisset imbutus Adam, quî potuisset nomina animantibus indere? quî agnoscere Euam vxorem suam, atque de ea dicere; *Hoc iam os ex ossibus meis, & caro de carne mea? &c.* Denique diuinitatis desiderio tangebatur Adam, atque eius adipiscendæ caussa de arbore illa gustabat: quare necessum est boni malique cognitionem in ipso fuisse; qui diuinitatis præstantiam dignitatémque intelligebat, eámq; affectabat. Insuper considerat ipsum Deus ad imaginem similitudinémque suam; & omnium quæ viuerent, absolutissimum fecerat. Eum verò qui talis à Deo fuerat conditus,

Cùm etiam nunc eorūque de terra oriūtur vires sint maximæ sed efficacissimæ fuerit in mūdi exordio cū puræ tunc & incorruptæ essent: Arboris illius fructum quendā fuisse qui delibatus, Adamo cognitionē naturæ suæ adferret, affirmat Nemesius cap. 1. li. de Natura hominis, quem librum habes huius Bibliothecæ, Tom. 8.

Gen. 2.

A quis neget, iudicio (hoc est, boni malíque cognitione) dotatum fuisse? Nam quòd Cacodæmonis fuit fraude seductus, non boni malíque ignoratione euenit; sed quia suæ ipse cupiditati, pellectus, indulsit. Nam etiam nunc qui peccant, nequaquam vt omnis cognitionis vacui peccant, cur enim tales condemnarentur? sed à suo ipsorum adfectu seducuntur. Postremò fieri non potuit vt arbor eo Adamum imbueret, quo ipsa carebat. Perficitur ergo ex ijs quæ adhuc dicta sunt, non ideò Arborem scientiæ boni & mali vocatam esse, quòd vel vllam ipsa boni à malo distinguendi peritiam habuerit; vel Adamo de se edenti scientiam eiusinodi accommodauerit. Sed cur demum id nominis sortita sit priùs quàm expediamus, dicendum est; quid boni, quidque mali vocabulis sit intelligendum. Bonum igitur, est ipsa obe-

B dientia; malum verò, contrarium obedientiæ vitium, rebellio. Nam obedientiam bonum esse ostendunt illa Legis verba; *Dilige Dominum Deum tuum;* ex amore enim atque charitate, obedientia nascitur: est igitur bonum obedientia. Rursus malum esse rebellionem probant illa Dei verba, *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & profecti foderunt sibi fossas effractas quæ non possūt continere in se aquas.* Iam verò dicimus, arborē scientiæ boni & mali illam esse appellatam, quia per eam, re ipsa facto pericula, Adamus agnouit bonum & malum. At enim dices, hinc colligi Adamum fuisse cariturum boni & mali cognitione, nisi de illa arbore gustasset. Sed respondemus, sciuisse quidem Adamum obedientiam bonum esse, & rebellionem malum, vt qui esset ad Dei similitudinem conditus, & ratione pollens, facultateq;

C rerum quas animo concepisset, dijudicandarum: veruntamen id ipsum, post, per experientiam quoque rei didicisse, vbi contigisset atque gustasset vetitos fructûs; sicut & Cain non ignorabat quidem rem malam esse homicidium, priusquam id perpetrasset, verùm deinde clariùs hoc ipsum per experientiam rei didicit homicidio admisso, cùm fugaci mobilitate esset mulctatus. Quin & nos quoque nouimus ea quæ mala sunt, antequàm mala designemus: verùm vbi iam ipsa patrauimus, tùm reipsa intelligimus mala esse; & quidem multò certius tùm, cùm meritam ob illa pœnam pendimus. Denique quemadmodum malum esse morbum non nescimus longè antè quàm ægrotamus, & tamen facto periculo hoc ipsum propiùs penitúsque agnoscimus cùm

D morbo vexamur: Et, vt sanitatem omnes norunt bonam esse etiam quando ea carent; cæterum vbi fruuntur sanitate, iam cuiusmodi & quantum bonum sit, per experientiam certius intelligunt: Ita & Adamus sciebat quidem antequam de vetita arbore gustasset, bonam esse obedientiam, malámque rebellionem; verùm cùm rebellasset, hoc ipsum experiētia magistra rectiùs agnouit. Qua enim sententia de Paradisi bonis deiectus, atque in hanc damnatam terram relegatus est, eandem per periculum didicit quantum bonum esset obedientia, & quantùm contrà malum, rebellio. Igitur vocata est arbor scientiæ boni & mali quia Adamus per ipsam expertus est quid esset bonū & quid malum, atque reipsa agnouit obedientiam esse bonum, malum verò rebel-

E lionem. Sed enim, dicet aliquis, demus Adamum per illam arborem esse expertum quid bonum & quid malum esset, non proinde iusta ratio ea videtur, ob quam arbor ipsa scientiæ boni & mali vocaretur, quæ sciētiam in se nullam haberet. Respondemus eum esse morem sacrarum litterarum, vt & locis & temporibus earum rerum accommodent nomina, quæ rebus ipsis in locis & temporibus illis euenientibus debentur. Sic Puteum quendam *iurgij* appellârunt, cùm puteus non iurgasset sed de puteo ipso inter se contendissent Pastores. Et rursus alium Puteum iuramenti, non quasi ipse iuratus esset sed quia de ipso facta fuerant iuramenta. Similiter Cumulum quendam lapidum vocarunt Cumulum testimonij, qui nullum potuit dicere testimonium; sed quia apud ipsum peracta fuerat cōtestatio inter Iacob & Laban.

Obedientia ex amore nascitur.

Ierem. 2.

Gen. 4.

Gen. 26.
Gen. 21.
Gen. 31.

Gen. 32. & Labam. Denique Iacob, Beth-el nominauit exercitum Dei, cùm locus ipse haud esset exercitus Dei; verũ quia in eo loco exercitum Dei ille vidisset. Ad eundem igitur modum arbor illa cognominata est scientiæ boni & mali, non quòd ipsa vel in se talem sciētiam habuerit aut eam in Adamo effecerit, qua hic iam antè pollebat; sed quia per eam arborem est ille reipsa expertus, atque (vt ita dicam) efficienter edoctus quid esset bonum & quid malum; quippe in ea arbore positum erat periculum & obedientiæ & rebellionis Adami, atque per eam clarè agnouit ille boni maliq; rationem ipso rei effectu, didicitque quantùm esset boni in obseruando Dei mandato positum, & quantùm contrà mali in præuaricãdo. Parêre enim præcepto bonum; non parêre, malum appellauit Scriptura. Hæc igitur de nominis ratione dicta satis sunto; iam reliquum est vt expendamus, cuius illa generis arbor fuerit. Sunt quidam qui existiment non fuisse arborem id de quo gustauit Adam, sed Venereum amplexum quo cum Vxore ille corpus miscuit; eámque ob rem aiunt partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium: neque aliud sibi voluisse illud præceptum; Ne edatis de illa arbore; quàm, Non coëatis sed sanctè & absque omni Venere viuatis: Et; quo die de illa edetis, mortem moriemini; id esse quo die corpora miscebitis. Verùm hanc sententiam minimè veram esse vel id satis arguit quòd integra virginitate pulsi sint illi Paradiso. Censent ergo alij frumentum fuisse hanc arborem; atque ideò Christũ quoque, suum corpus in pane dedisse, vt qua re contractum esset debitum, eadem & exsolueretur. Rursus alij vitem fuisse contendunt, & idcirco sanguinem suum dedisse Christum in vino pro expianda primorum Parentum noxa. Sed nos hæc vera non esse putamus: frumentum enim seges, non arbor dicitur, vt neq; vitis. Igitur Philoxenus Mabugensis, Oratione de Arbore vitæ, & multi alij existimant ficũ fuisse eam arborem, qua, cùm esset Adamo interdictum, non abstinuit. Huic sententiæ nos quoque vt vero similiori subscribimus. Credibile enim est simul atque de ea Arbore edissent, pudore correptos, ex eo quod proximè ad manum erat, subligacula sibi comparauisse quibus sua obuelarent pudenda: Ea verò ex ficulneis folijs fuisse facta testatur ipsa Scriptura. Neque enim simile veri potest existimari, ipsos prætermissa ea arbore quæ proxima erat, ad aliam longiusculè dissitam festinasse; ex cuius folijs concinnatis subligaculis suam contegerent nuditatem. Erat ergo Ficus Arbor illa scientiæ boni & mali; qua non vesci cùm essent iussi, non paruerunt Edicto. Sunt tamen qui velint haudquaquam ficum fuisse, sed potius arborem quampiam noui generis atque insusitati, longè reliquis præstantiorem; cuius fructibus interdictum fuerit Adamo: idque hac colligunt ratione, quia peccarit Adam edendo & mulctatus sit: Nam vulgari (inquiunt) fructu, vescendo, neque peccauisset ille neque pœnam commeruisset. Verùm ad hæc respondemus: Cùm res aliqua lege prohibita est, non rei vel præstantiam dignitatémque vel vtilitatem atque indignitatem, dum aut editur aut omittitur quidquam, referre aut ad peccatũ aut ad iustitiam vel ad pœnam præmiúmue, sed ipsam solam hic spectari obedientiam & rebellionem. Verbi caussa: Diui Machabæi cùm à porcina carne sese abstinerent, eámque ob rem plurima tolerarent mala, non ipsam spectabant suillam carnem eáque ceu vili & contemptibili cibo abstinebant: sed diuinum versabant animo præceptum, quod modis omnibus sibi obseruandum neque vllo pacto transiliendum statuebant. Et Martyres tormenta plurima sunt perpessi quia de Hostijs Deorum gustare recusabant; non quòd cibi illius rationem haberent qui ex victimis parabatur, sed ne sua ipsorũ aduersus Deum Conscientia polluerentur. Sic diuus Paulus permittit nobis vt cibis nullo cum discrimine vescamur, tantisper dum quales sint ignoramus; verùm conscios iubet abstinere, nimirum quia non in ipsis cibis sed in eorum

Ipsæ species in Eucharistia sacramento vocantur sæpè panis & vinũ apud Scriptores Ecclesiasticos.

Gen. 3.

Vnde sit peccatũ, cùm prohibita comedimus.

Diui Machabæi. 2. Mach. 6. & 7. Leuit. 11. Deut. 14.

1. Cor. 10.

qui his vescuntur Conscientia, res sita est. Itaque Adam A non ex Arboris de qua gustauit, precio dignitatéue agnouit delictum suum, sed ex ipsa sua rebellione; punitúsque est planè non pro gustati cibi natura, sed propter violatam Legem. Quippe in obseruanda aut violanda Lege, omnis iustitia consistit atque iniustitia; non autem in ea re de qua lex ipsa lata est. Fuit igitur Ficus arbor illa scientiæ boni & mali, de qua vescebatur Adamus. Hîc rursus obijciet aliquis: Si mortem attulit Adæ gustata arbor, meritò pro homicida, habenda, Deíque hoste est; cùm hic Adamum condiderit vitáq; donârit, illa perdiderit & vitam eripuerit. Sed ad hoc facilè respondetur, non arborem sed rebellionem attulisse mortem Adamo. Nam & in Lege scribitur; *Qui maledictis vsus fuerit in patrem aut matrem moriatur:* Nemo tamen dixerit ipsa maledicta, ei qui ipsis parentem insectatur, B mortem infligere animámque eius à corpore diuellere; sed impietatem, illi esse mortis caussam. Ad hoc, in Horeb, mors præstituebatur populo, quisquis oram montis Sinaï contingeret: haud quaquam tamen existimandum est, à monte Sinaï quemquam occisum esse, sed potiùs à præcepto violato. Denique si Rex aliquis, ciuitate hac aut illa, alicui sub supplicio capitali interdixerit accidat porrò vt is ea ciuitate non abstineat, ac proinde capite puniatur à Rege; quis illũ dixerit à ciuitate interfectum esse, ac nõ potiùs sua ipsum rebellione perijsse? Neque verò Manna Israëlitarum, quod Sabbati nocte seruatum non putrescebat, reliquis verò noctibus corrũpebatur; vel ipsa Sabbati nox seruabat, vel cæteræ perdebant: sed ex obseruato violatóq; præcepto res tota C pendebat. Non igitur Adamo vel Arbor, vel gustatus fructus mortem peperit, sed ipsa rebellio. Cæterùm Philoxenus Mabugensis in ea est sententia, vt putet neque arborem illam fructúmue gustatũ attulisse mortem primis Parentibus: Si enim, inquit, esca sic illos enecasset vt herbæ letales solent interimere eos à quibus vorantur; soli illi, vel tùm cùm vescebantur, vel post oppetiuissent mortem. Neque rursus ob solam rebellionem illos mortem incurrisse: quandoquidem Dauid tribus modis præuaricatus, per adulterium, per iram, per homicidium, non tamen punitus est, sed delictorum gratiam à Deo consecutus: verùm diuinitatis affectationem fuisse illis caussam mortis. Simulàtque enim (inquit) ad Euam dixisset Serpens; *Eritis sicut dij, scientes* D *bonũ & malũ:* si de illa arbore gustaueritis; e vestigio illa, maxima cũ auiditate, accepto fructu vescebatur: quare existimandum non est, cibi illius sapore illectam Euam violasse imperium Dei, sed quòd speraret se Deam fore, Diuinitatémque adfectaret, & ipsam edisse & viro porrexisse. Sed neque Adamum aut fructu cibóque illo inescatum transilijsse præceptum, cùm essent in Paradiso plurimæ arbores aliæ quibus cibi libidinem (si ea, ipsum, tanta tenuisset) exsatiare potuisset, aut omninò vllius escæ gratia, spreto atque neglecto Deo conditore suo, optemperauisse insidioso Dæmoni; sed perculsum etiam ipsum Diuinitatis ambitione præuaricatum esse, déque vetita arbore edisse. Nisi enim illa adfectione perturbatum animum habuisset, inquit, facilè hęc atque E huiusmodi alia opposuisset vxori argumenta: Cur non Serpens qui nobis Diuinitatem ex arbore gustata promittit, ipse prior edit, Deúsque euasit? iam verò neque te, vt edisti, Deam factam video; quî possim ergo ipse Diuinitatem sperare si edam? Et, quî valeat arbor quæ etiam spiritu caret, Deos efficere qui se vescantur? quasi verò suum ipsa superet effectorem! Verùm nihil tale respondit ille Vxori, neque cum ipsa, est ea de re argumentatus; nimirum qui etiam ipse diuinitatis cupidine victus per vecordiam tenebatur. Efficitur itaque, neque Arborem arborisue fructum vel escam, neque rebellionem attulisse primis nostris Parentibus exitium; sed ipsum eorum animum quo præuaricabantur, hoc est, ipsam Diuinitatis ambitionem. Nam eadem ambitione diabolus quoq; cum suis copijs deliquit: dicebat enim;

Iustitia & iniustitia humana in quo consistit.

Exod. 21.

Exod. 19.

Exod. 16. Num. 11. Deut. 8.

Peccatum primorũ Parentum quale fuerit.

Gen. 3.

Peccatum Euæ.

Peccatum Adæ.

Isa. 14.

Ponam sedem meam supra stellas Dei, & ero similis Altissimo: atque ob hoc ipsum peccatum cœlo deturbati præcipitatique sunt illi: Hactenus Philoxenus. Sed nos dicimus, ipsam prævaricationem fuisse caussam mortis Adamo; idque duabus rationibus comprobamus, quarum ex Dei verbo sumpta hæc est: Dicebat enim Deus Adamo; *quo die comederis tu de arbore, mortem oppetes.* Altera hæc est: Si Diuinitatis spe oblata, dæmon non quiuisset Adamum atque Euam seducere, proculdubiò immortalitate promissa impulisset ad præuaricandum; atque ita quouis tandem modo, illi incidissent in mortem violato Dei imperio, quam ipse fuerat eis comminatus: Fregisse ergo præceptum Dei, fuit ipsis exitij caussa. Sed cur, inquiunt, imposuit Deus Adamo Legem, quam præsciebat ipsum non esse obseruaturum? Profectò nisi lex illi fuisset data, in multò maius malum incidisset, quàm incidit Satan; præsertim cùm in tam regali versaretur palatio, ipso Paradiso omnibus delicijs affluente, imperata est ergo illi lex cui non erat obsecundaturus, ne in maius malum prolaberetur, quàm data Lege ruit. Sunt verò aliæ complures rationes præscribendæ illius Legis; quas, volēte Deo, post sumus explicaturi. Verùm enim verò quærat aliquis, cur Adami peccatum, quod quidem non videbatur grauissimum, durissima sit pœna consecuta, ipsa mors. Huic primò respondemus, maius illum admisisse flagitium, quàm pependisse pœnam: multiplici enim noxarum genere rebellio illa cōstabat, inscientia, errore, superbia, incredulitate, calumnia, contemptu denique. Inscientia quidem, quia iumentis, bestiisque similis euasit, qui alioqui sapientia atque ratione pollebat. Errore verò, quippe insidiosi Impostoris sui verbis seductus est. Superbia quoque, nam Diuinitatem affectabat. Insuper incredulitate, non credebat enim euentura ea quæ sibi suus Conditor Deus erat interminatus. Calumnijs denique, vt quibus ille suum est insectatus Parentem. Postremò etiam contemptu; nam imperatam sibi legem vilipendit, spreuit, neglexit. Neq; enim sceleris illius existimatione spectandus est cibus quem sumsit, sed quòd spreto suo effectore Deo, huius iussa violarit; contrà verò insidiosi Hostis sui verba magni fecerit; id verò in rationem vocandum est, inde flagitium. Illud magnū fuit & grauissima pœna piandum, non in Adæ caput solùm, sed in omnem prorsus posteritatem propagata. Sicut & *Esaü*, qui (vt ait Apostolus) *non inuenit locum pœnitentiæ:* non sanè, quia rem quampiam insusitatam comedisset (lentes enim modò ederat) sed quòd esset suæ obsecundatus cupiditati, auctoremque suum Deum contempsisset.

Cur Adamo peccaturo, lex à Deo posita fuerit.

Peccatum primi parentis grauem pœna illi inflicta.

Peccatum primi Parentis quàm graue fuerit & multiplex.

Capvt xx.

Gen. 2.

Scriptum est in libro Geneseos; *Et procreauerat Dominus Deus è terra omnem arborem visu appetibilem, & in cibum pulchram; ipsam etiam arborem vitæ in medio Paradisi, & arborem scientiæ boni & mali, &c.* De arbore scientiæ boni & mali satis à nobis iam dictum est; superest igitur vt de Arbore vitæ nunc disseramus, de qua duo hæc veniunt disquirenda: cur vitæ Arbor vocetur, & cuiusmodi arbor ipsa sit. Sunt autem qui ideò Vitæ Arborem appellatam putent quòd ea esset ipsius conditio atque natura vt vitam immortalem ijs cōciliaret qui se vescerentur: enimverò hi Arborem Scientiæ boni & mali, pari quoque ratione dictam volunt, quia cognitionem boni malique ijs pareret qui ipsam ederent, cibúmque ex ea caperent; nam Deum, per eum cibum qui ex illa arbore esset, in animas eorum qui illo alerentur, vim quandam efficaciámque indere Diuinam, à cæteris animæ viribus diuersam; sicut carnis ac vini alia est in humano corpore efficientia, alia leguminum: quæ vis diuina efficacitásq; bonum à malo secernat. Eadem igitur etiam ratione Arborem vitæ vocatam, quia vitam immortalem suppeditaret ijs qui ex ipsa cibum nutrimentúmque caperent; idque diuina quapiam efficientia. Hanc sententiam firmat Numysius Philosophus Christianus sic scribens: *En Adam euasit*

Quæ fuerit Arbor illa vitæ in medio Paradiso, & cur vitæ Arbor sit vocata.

Arbor vitæ & Scientiæ, vnde sic appellata sit.

Numysius Philosophus. Gen. 3.

A *qualis vnus è nobis ad cognoscendum bonū & malum; Ne igitur extendat manum suam & sumat de Arbore Vitæ, vescatúrque, & viuat perpetuò.* Non hæc dicebat Deus per odium atque inuidiā; sed quia indignus esset Adamus qui vitam sempiternam consequeretur, quippe contra quem iam ante lata fuerat sententia, *In puluerem reuerteris.* Semouit itaque illum ab Arbore vitæ, ne de illa cibum sumeret: qui cibus Diuino decreto illi esset aduersus. Hæc ille Philosophus, quibus satis innuit existimare se, eiusmodi fuisse eam Arborem vt vitam daret ijs qui ipsam gustarent. Dominus verò Iacobus Sarugensis Oratione sua de eiecto Adamo ex Paradiso, dicit fieri posse vt Arbor illa vitam allatura fuerit immortalem Adamo si de ea edisset, propterea quòd mysterium Christi in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipsius fructus ramique pollerent, B cùm Christus ipse suapte natura vita sit, ac vbicúmque ille adest in propinquo, illinc longè absit mors. Et verò hanc sententiam ait Philoxenus Mabugensis se nolle oppugnare, cùm credat Deo omnia esse factu facilia. Cæterùm alij Doctores quos nos libentius sequimur, aiunt, haud ideò quòd vitam ipsa conciliaret vescentibus, vocatam esse vitæ Arborem (perinde enim rudis ac stulti ingenij esse, existimare arborem vllam boni malique cognitionem largiri posse ijs à quibus ederetur; & esse Arborem, qua si vescare, euadas immortalis) sed ob id, hoc illi nomen à Deo datum esse, quò Adamus ad parēdum præscriptæ sibi Legi animaretur. Nam cùm soleat quæuis lex duabus ferè muniri rebus: pœnæ scilicet denunciatione, & præmij C pollicitatione; quarum illa præuaricationem, hæc obseruationem comitetur (neque enim minus deberi videtur præmium ijs qui obtemperant, quàm mulcta ijs qui rebellant) latáque à Deo lex esset, ne Adam de ea arbore quæ scientiæ boni & mali dicebatur, gustarer, & præuaricanti pœna præstituta ipsa mors: *qua enim die, inquit, de illa ederis, mortem obibis:* reliquum erat, vt præmium etiam promitteretur, obseruanti Legem. Itaque Deus commonstrata alia arbore quæ in meditullio Paradisi sata, magno extabat insignis decore; vitæ eam appellauit, quasi diceret: Si ab illa Arbore scientiæ boni & mali tete continueris, Legique meæ obtemperaueris, en tibi Arborem vitæ de qua edes, viuésque in perpetuum. Pro cohortando igitur Adamo ad obsequendum D Legi, vocata est Arbor illa, Vitæ Arbor; vt quantùm mortis nomine à rebellando deterreretur, tantùm vitæ vocabulo ad parendum impelleretur; eáque gratia, præmium quoque planè ex aduerso pœnæ responderet, & vita morti. Hanc sententiam probat etiam diuus Seuerus Oratione xxxiij. de Epithronio, vbi de Cruce Christi loquens ait: Altera verò illa (Vitæ Arborem dico) gloriam Adæ paritura erat, nisi ille intempestiui cupidine cibi victus, non paruisset edicto, &c. At enim quæret aliquis; cur non potius regnum, aut incorrupta immutabilisque conditio vitæ promissa sit Adæ, si foret morigerus. Sed respondemus, capacem illum perfectæ disciplinæ, simul atque conditus erat, esse non potuisse. Si enim post vniuersam illam Legis & Prophetarum doctrinam, Iudæorum quidam in Sadducæorum, vt vo- E cant, sectam prolapsi sunt, mortuorúmque Resurrectionem & alia sana dogmata negârunt: quantò magis existimandum fuerit, Adamum in ipso statim Creationis suæ rudimento incapacem fuisse absolutæ illius doctrinæ qua persuaderi quiuisset, manere aliquod sublime præmium eos qui Deum amarent, præceptorúmque eius obseruantes essent; ipsum nempe cœleste regnum? Profectò vt filios nostros quos tenellos ad ludum litterarium mittimus erudiendos, quia ingenio adhuc rudi sunt, & nondum absoluto, non huiuscemodi verbis prosequimur: I, da operam litteris, vt in virum prudentem atque doctum, & popularium tuorum primatem euadas: sed meris blanditijs ad frequentandum ludum discendásque litteras cohortamur, & inducimus: ita Adamo quoque, Deus, recens à se condito Legem præscri-

Arbor vitæ.

Legis, duo munimina.

Fallitur Barcepha. Nam vera Theologia docet Adamū conditū à Deo in statu perfectarum scientiarū & cognitionū tā naturalium, quā supernaturalium, quæ principem & caput humani generis decebat S Thom. 1. par. qu. 94. art. 3.

Præmiū obseruationis Præceptorū Dei.

Pueri quomodo ad studia impellendi.

præscribebat, per quam se reuereri disceret; eámque Legem si transiliret, mortem denunciabat: sin obseruarer, concessurum se ipsi promittebat Arborem Vitæ; de qua vbi gustasset, adeptus immortalitatem victurus esset vitam sempiternam. Non ergo rudi adhuc & indocili homini dicebat: Daturus sum tibi iussibus meis parenti, celeste regnum; sed Arborem veluti digito ostendebat amœna specie appetibilem, fructúmque comptam suo, quam vitæ Arborem vocabat, morigeróque illi promittebat forè vt ea vesceretur & euaderet immortalis. Neque est quòd quis hæc miretur in Adamo, quando ipsis etiam Iudæis post omnifaria Legis præcepta atque instituta, non cœleste regnum à Deo promissum est si dictis eius obsecundarent; sed terra lacte melléque affluens, & arborum fructuúmq; ferax, quales sunt mali punicæ, oleæ, palmæ, &c. Quid igitur mirum si Adamo, cui nuper adeò legem imposuerat, edulem Arborem ostendit, quam Vitæ appellauit, ea promissione adiecta, vt si in obsequio duraret, hac gustata euaderet immortalis? Igitur ex ijs quæ iam dicta sunt, clarum est, ideò vitæ nomen à Deo Arbori illi esse inditum vt eo non minus Adamum ad obseruandam iam tum præscriptam à se Legem animaret atq; propensum redderet, quam paulò antè mortis nomine à rebellando deterruerat. Sed hæc de nominis ratione satis sunto. Quod porrò restat, cuius ea Arbor generis fuerit, neminem adhuc Doctorum omnium legimus qui qualis teipsa atque adeò corporis habitu fuerit, explicarit; nam qui mysticè interpretarentur, inuenimus complures: & nos quoque Deo freti, quando in Operis huius progressu Paradisum figuratè explicabimus, ea quæ ad arcana huius Arboris sensa spectant, exponemus. Ingenuè igitur fatemur nondum didicisse nos qualisnam arbor fuerit quæ Vitæ vocabatur, interim corporatam reuera extitisse certò persuasi sumus, ipsúmque vocabulum ex Creationis libro didiscimus, quod pro incitando Adamo ad obedientiam datum illi esse iam demonstrauimus: verùm speciem ipsam, & fructus quales fuerint, quibúsq; compta fuerit frondibus, nondum discendo sumus assecuti.

Exod. 5. 13. & 33. Num. 13. & 16. Leuit. 20.

Arbor vitæ qualisuel quæ fuerit, nondum constat.

CAPVT XXI.

De fluuio qui Paradisum rigabat, & de quatuor fluuijs qui ex illo diducebantur Diuus Moses. Gen. 2.

Paradisus erat pars Edē.

Porrò de flumine quod Paradisum irrigat, hæc scripta nobis reliquit diuus Moses. *Et flumen egrediebatur ex Eden ad irrigandū Paradisum, atque inde diuisum euasit in quatuor capita.* Est autem à nobis iam dictum capite 16. Eden esse regionem spaciosam, amplam, amœnam, variam. Paradisum verò locum esse, pulchris, fructuosis, præstantibus, laudabilibúsque arboribus, præ quibusuis alijs in tota Eden locis ornatum: Paradisum enim eius regionis quæ Eden dicitur, partem esse inter alias omnes præstantissimam, laudabilissimam, atque cultoribus suis commodissimam. Igitur illud flumen reuera ingens, amplum, copiosum, insigne, ex terra Eden scaturiens atque promanans, in medium penetrat Paradisum; eúmque vniuersum irrigat: quo perluto, finditur in quatuor deinde fluuios, & ipsos grandes; qui ab illo diducti, simul atque Paradisum reliquêre, sub ipsa Maris Oceani vada delabuntur, atque inde rursus in hac à nobis habitata emergunt terra. Neque verò hæc nobis ipsi fingimus, sed tanquàm Mosis Prophetæ verbis consentanea pronunciamus, quæ sancto Spiritu auctore scripta sunt. Nam flumen illud ex terra Eden originem ducere, atque profluere his verbis affirmat: *Flumen egrediebatur ex Eden.* Rursus quod Paradisum perluat atque irriget, his: *Ad irrigandum Paradisum.* Præterea deriuationem illam quam ingentes fluuios fieri diximus, irrigato iam tum Paradiso, hæc verba significant: *Et illinc finditur, & euadit in 4. capita*: denique cùm addit Moses vnius fluuij nomen esse Phison, eúmque circuire vniuersam terram Heuila, alterius verò Gehon, qui peruadat totam regionem Æthiopię, tertium porrò Diclat appellari, eúmque contra Attur ire; denique quartum vocari Euphratem: satis indicat quatuor eos fluuios posteaquàm Paradisum

Flumina Paradisi fluere sub Oceano.

reliquerunt, sub terram delapsos, tandem in hoc à nobis culto Orbe prorumpere, scaturiréque. Ea igitur quæ A rum de vno illo flumine, tum de quatuor alijs ab illo deriuatis diximus cum Mosis diuini hominis sententia congruunt. Sed vrgebit aliquis: Quî possit fieri vt quatuor illi fluuij Paradiso egressi præcipitentur sub Oceani vada, atque inde tandem in hac nostra terra erumpant? Huic primò respōdemus, ea quæ à nobis fieri non posse existimantur, facilia esse Deo: illum verò quem diximus quatuor fluuiorum cursum, atque eius generis alia, diuinum esse opus non humanum. Deinde hoc quoque responsum volumus, Paradisum multò sublimiore positum esse regione, atque hæc nostra exster terra; eóque fieri vt illinc per præcipitium delabantur fluuij tanto cum impetu, quantùm verbis exprimere non possis; B eóque impetu impulsi, pressíque sub Oceani vada rapiantur, vnde rursus prosiliant ebulliántque in hoc à nobis culto Orbe. Nam qui aquas in sublime ducere, atque ex altis erectisque canalibus veluti siphonibus profundere laborant, ij ex longo interuallo Cataractam siue præcipitium ipsis quoddam alta deuexitate abruptum atque difficile comparant, per quod deturbatæ magno cum impetu sub terrā condantur: sub qua postquàm coactæ, atque suo ipsarum impetu pressæ aliquousque fluxere, tandem per canales illos magna vi qua ex præcipiti illo casu vrgentur, sursum emicant. Hæc ita se habere dominus etiam Ephræm, & cum eo Doctores alij affirmant; quare nos quoque libenter assentimur. Cæterùm quod ad saporem spectat, idémne illis aquis maneat apud nos, qui fuerat in Paradiso, an minimè: nos C pronunciare non dubitamus, in Paradiso esse gustatu gratissimas, suauissimásque, inde autem progressas, plurimum suauitatis amittere, acredinis verò contrahere, cùm illud Paradisi solum læta Dei precatione beatum & felix sit; at hoc nostrum contrà, execratione infelix & triste. Quantùm igitur interest inter eum fontem cui benedicunt omnes, & eum quem nemo non detestatur; tantùm differt suauitate atque amœnitate, illorum fluuiorum sapor quem in Paradiso, ab eo quem apud nos obtinent. Nam si nostrates aquæ, vnius eiusdémque naturæ cùm sint, pro soli indole per quod fluunt, dulciores, amariores, insulsiores, salsiores euadunt; cur non existimabimus illos quoque fluuios tantisper dum per beatissimum ac fœlicissimum locum Paradisum fluunt, D iucundissimo atque suauissimo sapore esse; in hoc verò execrabilis nostræ tractu terræ de illa suauitate plurimū remittere? Porrò beatus Moses & nomina illorum quatuor fluuiorum, & loca per quæ feruntur, aliáque eodem spectantia disertè explicauit, vt quæ illa ætate non ignota essent: ait enim, *Nomen vnius Phison, qui perlabitur vniuersam terram Hauilæ; illic est aurum, & eius regionis aurum præstans est; illic Bedolach, gemmaque Beryllì*: quasi dicat; Vnus illorum quatuor fluuiorum Phison vocatur; qui vbi ab ingenti illo flumine medium perluente Paradisum deriuatus est, atque in terram sub Oceani vada se recepit, rursus prosilit, emicat, scaturítque in occidua Mundi regione, vnde Septentrionalem petens, totam Indorum ditionem alluit, (hæc enim Hauilæ nomine E significatur) ac tandem in Mare desinit. Græcè Phison † Dijobis vocatur. Ferunt autem plerámque ripæ huius fluuij arenam, atque etiam aluei, præstante auro abundare, & gemmis preciosis; nam vox Hebræa, *Bedolah*, Margaritas significat. Secundi fluuij nomen est Gehon, is peragrat vniuersam terram Chus, id est, Æthiopiæ: Hic à nonnullis etiam † Sichor appellatur; Græci, Nilum vocant: qui à magno flumine digressus, atque sub Maris fundum delapsus, prosilit tandem ebulitque in plaga meridionali, atque vniuersam Æthiopum regionem peragrans, demum in Adriam † exoneratur; quod Mare, Ægypti fines alluit. Tertius fluuius Diclat, hoc est, Tigris, cōtra † Attur fluit. Quartus est Perath, id est, Euphrates. Et hi quoque duo, ab illo grādiore diducti, & sub Mare mersi prodeunt tandem in medio

De fluxu 4. fluminū è Paradiso.

Deo facilia, sunt nobis difficilia.

Aquarum ducendarum modus.

Aquarum gustus ex soli natura contrahitur.

† Vnde hoc nomen habeat nescire me fateor: infra autem habet Dijabu. Cap. 28.

† Sichor vox est Hebraica significans nigrū ac rubidū: Quòd autem Nilus etiam à veteribus μέλας dictus sit testatur Plutarch. libello de fluminibus.

† Melius, in Mediterraneū. Cap 18.

† Ascur, infrà. Tria loca pro Adamo cognita à Deo. Tygrim etiam hodie Syri, Diclat vulgò vocāt, Et Plinius affini vocabulo, Diglitū appellatū memorat, quà lenior fluit, lib. 6. Cap. 27.

hoc nostro Orbe vicinis inter se fontibus perluitque. Diclat Orientalem Mesopotamiæ regionem; quem, vt Perath tractu vicino aliquamdiu comitatus est, labuntur ambo in magnum Mare australe * Bosiæ.

*Bosrā aiunt Syri vrbē esse ad sinum Persicū, alioqui. Amos 2. in Idumea recēsetur. Et apud Ieremiā, c. 48. in Moabitide.

CAPVT XXII.

Solent quidam percontari, quid Adamo Euæque futurum fuisset, si impositam sibi à Deo Legem in Paradiso non fregissent. His respondemus, subuehendos fuisse ex Paradiso suprà hoc cœli Firmamentum quod suprà nos positum intuemur, atque in cœlesti regno voluptate incredibili, & immortalitate prorsus beandos; hoc enim præmij atque precij pro obseruata lege dandum illis fuisse. Tria enim loca condiderat pro Adamo, Deus; Cœlū, Paradisum, & hanc quæ extra Paradisum est, terram: idque hac iustissima ratione, scilicet vt illum à se effectum oblectaret in Paradiso, simul & periculum faceret, morigerus ne foret in obseruanda Lege, an rebellis: & morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cœleste, in quo ex Paradiso sustolleretur, vt ibi omnis expers mortalitatis in summa voluptate vitam agitaret; rebellis verò atque præuaricator, è Paradiso in hanc maledictam terram detruderetur. Nam & Angeli iussa peragunt, diuinæque volūtati obsequentes sunt, non absque spe præmij quod ipsis dabitur post generalem mortalium Resurrectionem: igitur si Angeli ca cum spe, Dei cultum exequuntur: Adam quoque atque Eua cum omni sua posteritate Legi diuinæ in Paradiso hac spe paruissent, virtutémque excoluissent, quòd inde ad cœli regnum essent euehēdi. Efficitur ergo vt quemadmodum abiecti sunt in hanc detestabilē terram propter suum peccatum legémq; Dei violatam, ita si Legis obseruantes mansissent, futurū fuisse vt cœleste regnum conscenderent, atque inibi in delicijs perpetuum degerent æuum. Hæc ita esse testatur Gregorius Theologus ea Oratione quam scripsit in Dominicam nouam, his verbis: Si mansissemus id quod eramus, Legémque Dei obseruassemus, id facti essemus quod nō fueramus, per accessum nimirū ad lignum vitæ post lignum scientiæ: Sed quid facti? facti immortales, atque ad Deum propius admissi. Philoxenus præterea Oratione de contemplatione ligni Vitæ sic scribit: Deus non solùm per naturæ instinctum & Scripturæ auctoritatem ducit nos in agnitionem mysteriorum Crucis, sed per ipsum etiam quem conseruit Paradisum, quæ prima fuit generis nostri habitatio. Nam vt Angelorum sedes est Cœlum; dæmonum verò post ipsorum casum, aër (nimirum medio positus loco) insuper animantium brutorum & hominum post violatam Legem, hæc terra in qua nunc versamur, denique piscium & natatilium omnium, aquæ; postremò Animæ, corpus in quod primum est inspirata: sic quoq; destinatus fuerat Paradisus vt esset hominum, prius quam peccassent, domicilium. Cùm porrò meo leue atque obseruatu facile mandatum accepisset Adamus; cui si paruisset, in cœlum illinc euehendus erat: illo spreto, Deique neglecto verbo, non modò caruit Cœlo, quod sibi alioqui cum incorporeis illis Copijs commune futurum fuisset, verùm etiam Paradiso, qui medius erat locus, per ignominiam deiectus est in hanc terram peccato obnoxiam, vt in ea cum brutis pecudibus versaretur. Præterea dominus Ioannes Otanone contra eos qui Mundū gubernari à dæmonibus putant, scriptum reliquit in hanc sententiam: Si eijciendus erat Adam de Paradiso; cur ab initio donatus est à Deo, Paradiso? nostra certè caussa hæc ita euenire oportebat. Nam si primi illi Parētes nostri cauissent sibi atque Dominum suum agnouissent, eiúsque paruissent iussis, & animi modestiam humilitatémque retinuissent; nequaquam amisissent id quo præditi fuerant, decus atque ornamentum. Denique dominus Iacobus Botnanensis, Oratione de eiecto Adamo extra Paradisum, hæc scripta reliquit: Condiderat Deus Adamum, non quò Paradiso pelleret; sed vt Paradisum veluti iure hæreditario possideret, in eóque dominaretur, eò hominem finxerat; quippe cuius gratia etiam Mundū ipsum creauerat: quamobrem simul atque conditus est, incolere Paradisum cœpit, quādo adhuc nulla Nuptiarum mentio erat. Tum mox subijcit: Et vt in Paradiso, ita in Cœlo quoque victuri erant in suauissima cum Deo consuetudine, atque familiaritate; &c. Colligitur itaque ex his sanctorum Patrum atque probatorum Auctorum dictis, Adamum & Euam, si mandati diuini obseruantes mansissent neque deliquissent sustollendos fuisse in cœleste Regnum suprà Firmamentum vbi prorsus immortalitate donari, in sempiterna vixissent voluptate. Quin hoc ipsum rationi, æquæ certè, consentaneum est: vt enim propter violatæ legis peccatum Paradiso eliminati sunt, atque in hanc maledictā detrusi terram; ita si diuinis iussis obtemperauissent, eóque iusti effecti fuissent, hoc erant præmio afficiendi; scilicet vt ex Paradiso in cœleste regnum emigrarent, quod inde ab Orbe condito ipsis fuerat paratum, vt ait Dominus, ad Adæ & Euæ posteritatem.

Cautè lege, nihil enim præmij essentialis Angelis obuenit aut accrescit post generalem hominū resurrectionem, nisi tantum accidentale. Vide Sixtum lib. 5. Biblio. annot. 126.

CAPVT XXIII.

Sed iam quæstio oritur de temporis spatio quantisper scilicet in Paradiso fuissent commoraturi primi nostri Parentes, antequam ad cœleste regnum emigrassent, si paruissent diuinæ Legi: Tantisper sanè dum pro diuina benedictione, *Crescite & multiplicamini*, aucti prole atque multiplicati homines numerum æquassent Satanæ & earum Copiarum quæ cum ipso exciderant Cœlo. Eo enim numero expleto, qui numerus in Dei cognitione fuit definitus, elapsóque iam tum iusto tempore; traducturus erat ipsos Deus in Regnum cœleste. Eius enim rei gratia tam spaciosum, amplum, capacem condiderat Paradisum, vt vniuersæ posteritati Adæ satis in ipso esset loci ad morandum. In hac etiam sententia est Gregorius Theologus, dum ait, Mundum superiorem expleri debere: Vocat enim Mundum superiorem, ipsas cœlestes Copias, quarum numerum, diaboli & eius sociorum casu diminutum, censet instaurandum esse atque supplendum, ascitis totidē in illorum qui excidêre locum; hoc est, traductis in cœleste regnum hominibus. Gregorius quoque Nycænus commentario de compositione Hominis, cap. 18. ad hunc modum scribit: Sed modus ille multiplicandi qui in Angelorum natura est, in ijs etiam qui paululum diminuti sunt ab Angelis (hoc est, in hominibus) viam suam exercuisset ad multiplicandum genus humanum vsque ad definitum Opificis consilio numerum.

Matth. 25. Quamdiu in Paradiso mā-sissent prius-quam ad cœleste regnum traducendi fuissent, si nō deliquissent primi Parentes.

CAPVT XXIIII.

Solent porrò hoc etiam quærere, qui rerum cognoscendarum desiderio tenentur; fuissentne primi Parentes soli in Paradiso moraturi, si Legem obseruassent; an verò sobole procreata nihilominus creuissent numero homines: Quibus responsum volumus generaturos, maximóque numero multiplicandos fuisse: idque vel ex ipsa benedictione qua ipsos prosecutus fuerat Deus, constare, cùm diceret; *Crescite & multiplicamini, terrámque replete & eam subigite.* Ea enim verba cùm simul cum fausta precatione mandatum contineant; quis ambigat, quin Dei & apprecatio & mandatum prorsus præstanda fuerint? Conficitur itaque, Adamum & Euam sobolem numerosam propagaturos fuisse; neque solos illos Paradisum habitaturos, si obedientes mansissent.

Adamum & Euā non solos in paradiso mansuros fuisse sed sobole multa augendos, si mandatum Dei non violassent.

Cautè lege hoc caput, nā dissonat à communi sensu theologorū de coitu in statu innocētiæ futurā fuisse tamen generationē per commixtionē maris & fœminæ. Vide S. Th. 1. p. q. 98. art. 2. eiúsque interpretes Bānez, Cumel, Valētiā, Molinā, & Sixtū Senen. li. 5. Bibl. annot. 10.

CAPVT XXV.

Cæterùm, quod quæri solet, per Venercúmne complexum, operam liberis gignendis daturi fuissent homines in Paradiso, an absq; nuptijs: dicimus, vt ipsa nostra natura arcano conditoris sui Dei consilio scitè fœcundatur, augetur, multiplicatur; ita vniuersum quoque humanum genus fœcundandum, augendum, multiplicandum fuisse, & quidem absque concubitu. Nam & Angeli multi euaserunt quidem, sed absque nuptijs: & Adam

Propagationū sine Venere, Exempla.

Adam atque Eua sine Venere nati fuerant: ad hoc, etiam nunc videre est multa animalium genera absque coïtu propagari; quale est Vermium genus, & Culicum, aliáque complura. Hanc sententiam adprobat quoque Gregorius Nysæus Commentarij de hominis compositione, cap. 18. inquiens: Aiunt quidam, si nullus fuisset in Paradiso complexus, humanas animas in magno numero futuras non fuisse. Nos verò dicimus, hominem ante peccatum admissum, quasi Angelum fuisse, sed per peccatum fuisse; ipsa enim Resurrectio, reditus est ad pristinam conditionem: ergo si post Resurrectionem erimus veluti Angeli: consequitur tales quoque fuisse ante peccatum. Atqui Angeli non iunguntur amplexu; ergo neque homines iuncti fuissent nisi peccassent: sed sicut Angeli absque nuptijs millies mille sunt, & myriades myriadum numero superant; ita nos quoque, nisi Angelicus ille status in nobis mutatus fuisset, connubio ad nostri multiplicationem minimè opus habuissemus, sed idem ille modus quo Angelorum natura multiplicata est, in humano genere quod *paululum ab Angelis minutum est*, efficax fuisset, vt ad eum augesceret numerum qui Dei consilio definitus erat. Quòd si quis verò quærat procreandarum animarum absque Nuptijs rationem modúmque; is vicissim nobis dicat, quo subsistant modo Angeli: sic enim homines sine complexu fuissent multiplicati vt Angeli. Idem Nysæus cap. 14. eius Operis sic habet: Si me interrogaueris, quî potuissent tot hominum millia procreari, si concubitus nullus fuisset, ego mutuum ex te petam, quî sit prognatus Adam; qui Eua, quando nullæ interuenerant nuptiæ? Quid ergo? ad eúmne modum quo illi sunt effecti, nascituri erant deinceps omnes mortales? Sanè genituræ modus talísne an alius fuerit futurus, id tam mihi non est explicandum: hoc enim modò quæritur, connubióne opus fuisset Deo ad humanum genus multiplicandum in terris, an minimè. Hactenus ex Nysæo. Sed & dominus Iacobus de Botnam; Ex quibus (inquit) quæso Nuptijs editus est Adã? quos passus ipse dolores vt Euam pareret? Millies Angelorum millia stant coram Deo, nec tamen eorum vllus vtero gestatus, aut grauida aluo cum doloribus in lucem editus est: multò ergo magis existimandum est opificem Deum, homines absq; nuptijs procreaturum fuisse sicut primos quoque illos Parentes è quibus vniuersa hæc generis humani posteritas nata est, procreauit. Et paulò inferius: Quid ergo? dicito mihi; Abrahamo profuítne concubitus ad procreandam sobolem? minimè sanè: quippe qui tot annis operam frustrà huic dedisset, hisce apud Deum verbis etiam tùm vsus est: *Domine quid mihi daturus es qui liberis careo?* Igitur vt tunc ex mortuo effœti senis illius corpore edidit Deus tam multa hominum millia: ita si inde ab initio Dei præceptis acquieuissent Adamus vxórque Eua, atque ab arbore appetenda se abstinuissent; non defuisset Deo fœcundandi generis humani ratio. Conficitur ergo ex ijs quæ adhuc dicta sunt, homines in Paradiso absque vllo nuptiali complexu reipsa fœtificaturos fuisse, sed eo modo quem solus opifex Deus nouit.

Nysæi Comment. de hominis compositione.

Luc 20.

Psal 8. Gen. 15. a

Qua voluptate adfecti fuissent Adam & Eua in Paradiso cũ omni sua posteritate si non deliquissent.

Capvt xxvi.

Sicut autem absque concubitu fuissent prognati, auctíque numero homines in Paradiso, ita in vera voluptate, atque infinitis partibus maiore quàm est ea qua hodie mortales fruũtur maxima, illic ætatem agitassent, vtpotè omnis laboris, perturbationis, molestiæ, doloris, morbi denique atque ægritudinis expertes. Edissent enim de Paradisi arboribus, & suauissimum ex maximo illo dulcissimóq; Paradisi flumine potum bibissent absq; omni inter se dissidio, rixâue; qualem Angeli ipsi, & qualem Adamus cum Eua ante factam Legem, vitam viuentes in perfecta pace, Charitate, concordia. Quippe his quibus tam mortales fruimur voluptatibus, sua cuique molestia cohæret; veluti cibo largiori, cruditatis malum; potui copiosiori, nausea; bonæ valetudini, aduersa; robori, imbecillitas; bonæ formæ, deformitas; atque ita in alijs quoq;. At in Paradiso nulla fuisset eiuscemodi rerum vicissitudo; mera enim illic voluptas fuisset molestiæ verò prorsus nullæ, vt quæ post violatum Dei mandatum tandem enatæ sint. Maioribus ergo delicijs ex cibo potúque illic adfecti fuissent, quàm quibus hodie mortales demulcentur.

Voluptati vnicuique sua cohæret molestia.

Capvt xxvii.

Porrò de Serpente sic locutus est diuus Moses: *Et Serpens callidior erat omnibus animantibus agri, quæ condiderat Dominus Deus: dixitque Serpens mulieri: Vere dixit Deus, ne vesceremini de omnibus Paradisi.* Hic decem nobis expendendæ atque examinandæ quæstiones occurrunt; quarum prima est fueritne corporatus Serpens ita vt oculis esset aspectabilis qui cum Muliere colloquebatur, an verò Satan corporati Serpẽtis speciem præ se ferens, illam sit affatus; an denique Satan intra Serpentem latens, verba illa ad Mulierem fecerit. Sanè dominus Ephræm quodam suo Cõmentario ait corporatum Serpentem fuisse, qui Mulierem allocutus est: Satanam enim à Deo petiuisse, vt Serpenti, sermonis facultatem concederet ad tentandum Adamum; sicut opes Iobi quoque sibi permitti postulauit, quò de eius patiẽtia faceret periculum. Ex quo consequitur, ita illi corporeo Serpenti sermonis vsum fuisse datum, vt Asinæ Balaam; imò verò non solam elocutionem, verum etiam intellectum illi Serpẽti inditum fuisse affirmat Ephræm, cùm Deus ipsum vt intelligentem sit affatus, his maledictis perstringens: *Puluerem edes, & super ventrem tuum ambulabis.* Cyrillus verò Oratione tertia aduersus Iulianum perfugam ait ipsum Satanam se in Serpentem transformasse, atque ita cum muliere collocutum esse; ac proinde ipsum quoque sub Serpentis persona diuinis maledictis esse perculsum. Existimat enim Cyrillus, dæmonem posse pro arbitrio, aut Serpentis aut alius animalis speciem quam voluerit, sumere. At dominus Iacobus Sarugensis Commentario suo de pulso Adamo extra Paradisum, dicit, Satanam se in corporatum atque aspectabilem Anguem insinuasse, & inde cum muliere esse collocutũ: quam opinionem nos etiam adprobamus atque amplectimur. Hanc enim veram esse vel id arguit, quòd Paradisus duplex erat; corporeus & spiritalis, vt magnis rationibus est à nobis demonstratum: Adam item Euáque duplicis & compositæ fuère naturæ, quippe qui ex corpore constarent & anima; quare Serpentem quoque duplicem fuisse existimandum est: corporeum quidem, si ipsum aspectabilem Anguem; spiritalem verò; si sensum omnem effugientem Satanã qui intra illum latebat atque inde verba faciebat, consideres. Altera quæstio est. Ex genere ne Reptilium, an verò cæterorum animantium fuerit ille Serpens, in quem se Satanam insinuasse, atque ita cum muliere collocutum diximus: Existimamus verò ex bestiarum non repentium numero fuisse, idque his ducti argumentis. Primò Moses ait Serpentem fuisse astutiorem omnibus bestijs; non autem dixit, omnibus reptilibus. Et paulò post ipse Deus ad Serpentem verba rursus faciens; *Maledictus es* (inquit) *præ omnibus bestiis agri, & præ omnibus animalis*: &, *præ omnibus reptilibus*, dictum non est. Ad hoc; Adamus in ipso initio nomina bestijs auibúsque indiderat, vt testatur Scriptura, non etiam Reptilibus: ac proinde Eua à viro edocta bestiarũ nomina Serpentem, quòd ex bestiarum genere esset, *Heuio*, hoc est, bestiæ nomine appellauit; quod nomen ab Adamo didicerat scilicet. Erat igitur Serpens ex bestiarum genere, non autem eorum animantium quæ reptilia dicuntur. Quæstio tertia est, An pedes habuerit Serpens: &, si habuit pedes; bipes ne, an verò quadrupes fuerit. Ad hanc quæstionem respondemus, quadrupedem fuisse, cùm ex bestiarum genere (Mose teste) fuerit; easque animantes quas bestias solemus vocare, quadrupedes esse videamus. Et verò dominus Ephræm dum hæc in suis Commentarijs explicat, inter alia ait: Itáne volebas,

De serpente qui Euam ad ortum decepit. Gen. 3.

Iob. 2.

Num. 22.

Cyrilli Oratio 3. contra Iulianum perfugam.

Iacobi Sarugensis Comment. de Adamo pulso extra Paradisum.

Primorũ parentũ natura duplex.

2. Quæstio de primo Serpente.

Serpentẽ fuisse quadrupedem. Commentaria O... Ephræm.

vt Adam amitteret gloriam suam; Serpens verò, ne pedibus quidẽ mulctaretur? Erat ergo quadrupes Anguis: sed quia fuit Satanæ organum, & inhæsit ipsi diuina execratio, ex bestia factus est reptile animal: & cùm antè pedibus gradiretur, deinceps prono ventre prorepsit: sicut & Satan, quia præuaricatus fuerat, ex Angelo euaserat dæmoniũ: & vt vxor Loth, quia respexit, ex muliere quæ antè erat, trãsformata est in statuam salis. Quarta quæstio est, si Satanas in anguem se insinuauit, atque ex eo ipse ad Euam verba fecit, cur id à Mose scriptum non sit, sed solius Anguis facta mentio. Hîc respondemus. Mosem rei gestæ scriptorem, non interpretem egisse: ac proinde qualis quæque res visa est, talem ab ipso esse descriptam; non item explicatum qui se reuera haberet. Eua autem Serpentem videbat, serpentem secum loquentem audiebat: hoc igitur ipsum Moses suo scripto prodidit; quemadmodum alibi tres illos quos videbat Abrahamus, viros appellauit, cùm viri nõ essent. Ad hoc, si diuus Paulus, qui tanto temporis interuallo Mosem secutus est, cùm res iam tum explicatæ essent, Serpenti non Satanæ imposturam attribuit, inquiens; *Vereor sicut serpens decepit Euam, &c.* cur non meritò Moses, qui tam multis ætatibus Paulum præcessit, fraudem Serpenti adscripsisse videatur? Scriptoris enim est, res gestas narrare; at Interpretis munus, à scriptore prodita explicare: ac proinde Moses, qui scriptor, nõ interpres esse voluit, rectè narrauit Serpentem cum Eua collocutum esse non autem dixit Satanam intra Serpentem fuisse occultatum. Quæstio quinta est, quamobrem Satanas Adamum cum Vxore seduxerit. Nos existimamus, causam Satanæ fuisse Inuidiam qua illos prosequebatur. Nam cùm ille sublimi sua dignitate gloriáque excidisset, videretque porrò Adamum ex luto conformatum, ad Imaginem tamen similitudinémque Dei factum esse, atque omnium rerum quæ in terris essent, imperio potitum; prætereà Paradisum delicijs omnibus plenum incolentem, atque Angelicarum copiarum fruentem societate; se verò contra deturbatum atque deiectum; maxima permotus aduersus Adamum & Euam inuidia, ipsos seduxit. Nimirùm huiuscemodi cogitationibus exagitatus est: Ego qui spiritalis sum, exulo; at Adam qui corporeus est, intrò est receptus: ego profligatus, omníque gloria exutus; ille gloria indutus vestitúsque: ego in imo, ille in summo; ego apud bestias, ille apud Angelos; ego in vasta Solitudine, ille inter amœnissimas Paradisi arbores versatur. Huiuscemodi (inquam) cogitationes ad prosequendos illos inuidia, fallendósque, ipsum impulerunt: quippe intelligebat ex eo quod sibi acciderat, si peccaret Adam, futurum vt rueret sicut ipsius prior ceciderat: atque ex peccato, horum planè alterum Adamo euenturum esse, vt vel moreretur, pro lata iam antè sententia, *quo die comederis de illa, mortem oppetes*; vel Paradiso expelleretur, atque deinde sobole procreata multiplicaretur secundum faustã illam apprecationem qua Deus ad illos vsus dixerat, *Crescite & multiplicamini*: hoc verò si illi contingeret, tum fore vt ipse & in illum ipsum, & in illius omnem posteritatem imperium exerceret. Igitur ad illum fallendum percitus est mera inuidia. Sexta quæstio est, cur non apparuerit Satan primis Parentibus humana specie, vel diuina (quali Dominus noster in monte) aut figura maiorum bestiarum, quales sunt cameli, elephantes, & eiusce generis aliæ: aut deniq; cur non suo ipsius proprio atque natiuo habitu, sed organo opus habuerit. Sanè humana specie nõ apparuit, quod sciret Euam non ignorare alium, præter se suúmque maritum hominem nullum esse: neque verò Deus ipsi permittebat vt hominem simularet, ne iustam haberet Eua erroris sui excusationem, cõspicata hominem sibi similem à quo falleretur. Porrò Diuina, vel maiorũ bestiarum figura non apparuit, quòd hæ species nimio metu cõcussissent perturbassentque Mulierem, nedum ad auscultandum verbis suis induxissent. Sua denique ipsius naturali specie

Gen. 19.

4 Quæst. cur Moses solius Serpentis, non autẽ dæmonis meminerit.

Gen. 18.

2. Cor. 11.

Quæst. 5. cur dæmon tentauerit primos Parentes.

Dæmonis & Adami in primo statu, Comparatio.

Quæstio 6. Cur dæmon potissimũ serpentis forma, Euæ apparuerit, nõ autem hominis.

A

B

C

D

E

non est illam adortus, quia magis etiam consternata ipsa fuisset si eius qui videndi sensum falleret, verba audisset; eóque minus obsecuta fuisset dictis. Igitur vt suæ fraudi locus esset verbísque fides, induit corporatum illud organum, Serpentem, eóq; habitu visendum se exhibuit. Septima quæstio est, cur præ cæteris bestijs, Anguem sibi Satanas in organum delegerit. Huius rei caussas multas esse dicimus: Primò enim nullum erat, Angue, animal ad fallendum astutius; Id quod diuus Moses quoque his verbis significat; *Et Serpens erat callidior omni bestia agri.* Nã & animantium alia, vafritie excellunt, vt Vulpes; alia, rudi simplicitate sunt, vt Oues. Deinde cum Anguis letali veneno plenum animal sit; cõsentaneum erat, vt vel propter naturæ congruentiam, mortiferum suum toxicum commisceret Satanas cum Serpentis veneno. Tertiò vt idem vsuueniret Satanę quod Filio illi prodigo: is enim postquam summo honore excidisset, in eas redactus est vitæ miserias vt porcos pascere cogeretur: sic scilicet Satan ex sua delapsus gloria, in Anguem se insinuauit. Quartò, vt cùm esset aliquando Anguis super ventrem suum prorepturus; idipsum, humi serpere, diaboli qui in Angue latuerat, nobis casum ob oculos poneret. Denique ita natura comparatum est Serpentum genus, vt occulta quædã veluti fraterna indolis coniunctio ipsi cum dæmonibus intercedat, etsi ea nos lateat. Octaua quæstio est, cur permiserit Deus Satanæ & Serpenti in Paradisum introire: imò verò Satanæ, Adamum cum vxore fallere? Ad hanc quæstionem respondemus; varias ob res, permissa illa esse. Permisit enim, dum Satanæ libertatem non impediuit quominùs suopte arbitrio vteretur, sicut neque Oziam prohibuit à sanctissimis Adytis, ne pro voluntate in ea penetraret. Prætereà siuit Deus illa euenire, quò ostenderet, quemadmodum fieri potuit vt Adamum sui imaginem similitudinémq; de terra aboleret; ita rursus se huic ipsi permisisse vt posset per superbiam atque fastum affectare diuinam maiestatem. Insuper vt ne nihil esset cum quo Adami libertas arbitrij posset decertare: denique vt periculum fieret de Adamo obseruánsne mandati diuini esset; an minimè. Erant igitur cùm arbor ipsa, tum Satanas atque Serpens ad explorandam Adæ arbitrij libertatem accommodata instrumenta. Nona quæstio huiusmodi est; cur Angui maledixerit Deus, qui nullum scelus patrârat, Satanæ verò, flagitij reo noxióque nihil mali imprecatus sit? neque enim libero vtebatur Anguis arbitrio, vt posset se Satanæ pro instrumento non præstare. Ad hæc dicimus, detestatum esse Anguem vt hoc ipsum Satanæ molestum accideret, qui illo vtebatur instrumento; veluti si quis Musicum instrumentum confringat, quò cum qui illo canebat, exerceat: Equum nimirùm grauiter prostrauit, vt sessorem simul consterneret; Nauémque subuertit, vt nautam mulctaret. Serpentem ergo maledictis ferijt Deus, vt Satanam dolore angeret qui in Serpente loquebatur; sicut & Legionem afflixit perdendo Porcos: simulátque enim Satanas conspexit Anguem amissis pedibus humi volutari, acerbo angôre excruciatus est. Prætereà ideò quoque maledixit Serpenti, quòd Adamo atque Euæ peccandi caussa extitisset; sicut iumentum lapidibus obruebatur cum quo corpus miscuerat homo, eo quòd caussa mali fuisset: scriptum est enim; *Ex malum venit, sed væ illi per quem venit.* Ad hæc ita maledixit Serpenti propter Satanam, vt terræ propter Adamum. Insuper hac etiam de causa maledixit Serpenti, quò Adam Euáque (vbi viderent quantam sustineret Serpens ex diuina maledictione mulctam, pedibus orbus atque super ventrem proreptans) animaduerterent atque intelligerent in quàm grauem incidissent errorem, quantúmque flagitium admisissent Serpenti obtemperantes; ac proinde in posterum magno metu continerentur. Sed iuuet apud eos qui hanc mouent quæstionem hac mutuum quæstione vti: Itáne vos, Serpentis vindicandi gratia quæritis cur exsecratione perstrictus sit qui Arbitrio libero minimè donatus mali nihil

Quæst. 7.

Gen. 3.

Luc. 15.

Cautè lege, nã similitudo quædã indolis non fraterna coniunctio inest celebre cũ diabolo.

Quæst. 8. Cur Satanæ permissus sit tentare Adamũ.

2. Par. 26.

Gen. 6.

Adami libertas arbitrij.

Quæst. 9.

Marc. 5. b. 13

Leuit. 20.

Matth. 18.

Bruta ob hominum peccatum pereunt.

nihil patrarat? dicite, quæso, vicissim mihi; cur feræ iumēta, volucres diluuio periêre, quæ nō deliquerūt? aut quid meruêre oues, bouésque & aues quæ quotidie insontes ad sacrificia dedebātur? quid commiserant pecora Iob, quæ innoxia cùm essent, igni sunt tradita deuorāda? Cur Christus, Legioni permisit porcos in mari suffocandos, qui non peccârant? Cur sacrificabantur, offerebantúrq; columbæ ac turtures pro expiandis peccatis quorum ipsæ expertes erāt? Cur ouis pro populi redemptione immolabatur, aut hœdus mactabatur pro Ecclesiæ impietate, vel bos pro sacerdote improbo; cùm neq; ouis, neque hœdus, neq; bos deliquissent? Cur contumelijs, immò etiam morte adfecti sunt pro propulo Prophetæ innocētissimi? Quid Christus? nōne suppliciū Crucis sustinuit pro nostris peccatis? Cur ergo Serpētis mulctā suggillatis? Nūquid æquius esse duceretis si Adamum Deus maledictione mulctasset, Serpentē verò interim ab omni noxa liberum atque impunē habuisset? Destituendúsne tibi videbatur Adamus tanta gloria, tantóq; honore; Anguis verò ne pedibus quidem mutilandus? Sed iam dicent: Cur saltem non etiam Satanam simul est exsecratus cum Serpente? verùm respondemus, Deum idcirco non maledixisse Satanæ, ne Adamus Euáq; animaduerterent Spiritū aliquē non aspectabilē intra Serpentem esse, eóque in multò maiores raperentur errores: Neque enim adhuc sciebāt aliquid esse præter Deū, quod oculis cerni non posset; ad hæc propter Hebræorum quoq; imbecillitatem noluit Moses Spiritum, intra Anguem, latentem prodere; ne scilicet illi aduersariam Deo Potestatem esse vllam opinarentur, quæ maioribus freta viribus posset aliquid inuito agere Deo. Nam ideò etiā Angelorum nulla est à Mose facta mentio ad Agaris vsque ætatem, ne Iudæi suspicarentur plures esse Deos. Insuper quamuis non apertè maledixerit Satanæ Deus; tamen occultè atque abscondité id ab illo maximè actum esse affirmamus. Dum enim expressè Anguem execrabatur, tacitè Satanam maledictis perstringebat; quod post probabimus, Deo iuuante. Hanc enim Satanæ maledictionem clarè arguunt illa Christi verba in Euangelio; *Quia Princeps Mundi huius iam iudicatus est*: Et alibi; *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Decimo quæstio est, cur Moses Serpentem scripserit astutiorem fuisse bestijs agri, non autem prudentiorem. Ad hanc respondemus, prudentiam virtuti affinem esse; astum verò, vitijs. Sunt inter bestias aliæ hebetiores, aliæ callidiores: neque hîc Moses, Anguem, hominum comparatione, callidissimum pronunciauit, sed cum cæteris collatum bestijs; hominibus verò propriè sapientia prudentiáque tribui solet, qui alioqui non solùm cæteras animantes, sed ipsos etiam Angues astu atque solertia longè anteeunt.

Gen. 8. *Iob. 1.* *Mar. 5. a.* *Cur Deus non maledixerit Satanæ.* *Temerè ista adstruit Bar-Cepha cùm certum sit Adamum in Paradiso excellenti quadam cognitione nouisse substantias spirituales, id est Angelos. S. Thomas 1. par. quæst. 94 art. 2. ad finē corporis art. Gen. 25. b. 27.* *Ioan. 16. Matth. 25. Quæst. 10. de Serpentis calliditate.*

CAPVT XXVIII.

Hoc capite verba Mosis de Paradiso, rebúsque eò spectantibus, non mystico sensu, sed ipsis accommodata rebus explicantur. Gen. 2.

Scripsit autem beatus Moses de Paradiso ad hunc modum: *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio.* Et si Paradisus ante Adamum conditus esset, tamen Moses creato iam Adamo agit de consito Paradiso, nimirùm quia reuertitur ad superiorem historiam. Nam cùm ab ijs de quibus in sex diebus loquebatur, nondum perfecta narratione digressus fuerit; redit nunc ad absoluendam illam narrationem, eáq; ratione agit hîc, post creatum Adamum, de Paradiso qui alioqui ante illum fuerat cōditus. Iam verò quid sit Paradisus, & cur à Deo consitus, quo item die, & vbi locorum, in terra ne an in cœlo, & in qua tādem Mundi regione positus, tum quæ huc spectāt alia; suprà sunt à nobis, suis disceptata rationibus. Cæterùm Eden locus est amœnus atque omnis generis arboribus varius, in quo loco Deus Paradisum conseuit atque disposuit. Hæc enim verba; *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum*; apertè ostendunt, nequaquam ab homine illum esse consitum dispositúmque; perinde ac Noë vineam plantauit, aut vt iam conserunt mortales, Paradisos hortósq; sed Deum ipsum, suo ipsius studio & mandato illum plantasse sicut ait Psaltes Dauid

Edē quid sit. *Gen. 9. d.*

de Deo verba faciens: *Et cedri Libani quas plantauit.* Et verò hinc etiā constat, Paradisum ab ipso Deo esse plantatū; quod Scriptura dicat, *ab initio.* Sequitur apud Mosen: *Et posuit illic Adamum quem finxerat*: Quod ait; *Et posuit illic Adamum*; argumentum est gloriæ quam Deus Adamo attribuit, dum ipsum collocaret in Paradiso varijs arboribus amœno, vt se inibi ipse oblectaret; neque siuit in terris, more cæterorum animantium quæ ratione carēt, pabulum carpere. Quod porrò additur; *quem finxerat,* * in hæc nos sensa ducit: primò ex sola terra Deum non condidisse Adami corpus, sed ex quatuor elementis finxisse atque composuisse (certè figlina absque aqua non fit) deinde non ita solo verbo progenuisse Adami corpus ex terra, sicut ex hac solo suo iussu herbas produxerat, animaliáq; cætera, atq; ex aquis varia piscium genera; sed suis illud manibus finxisse atque cōformasse, quæ res amplissima sanè, hominem præ reliquis rebus, gloria à Deo ornatum ostendit. Præterea Adamum non vtero conceptum partúque deinde editum esse, vt hodie homines procreari videmus; sed Dei manibus conditum extitisse. Insuper vt iumentorum & ferarum, eorúmque quæ volatu & quæ natatu vtuntur animantium corpora simul & animas ex terra & aquis condiderat, quæ omnia ratione carent; non sic Adamum etiam effecisse, sed huius corpus quidem ex humo composuisse, cæterùm Animam ex nihilo creauisse, Denique non eam fuisse ab initio hominum, populorum, nationum turbam in terra quam hodie videtis; sed Deum primò finxisse personam vnam (ipsum dico Adamum) deinde ex illa formasse Mulierem; atque ita deinceps per virum & fœminam procreatum esse genus humanum: atque hæc omnia intelligimus ex verbo illo, *Finxerat*, quo vsus est Moses. Sed enim operæprecium fuerit cognoscere quo habitu apparuerit Deus Adamo, siue dum ipsius corpus fingeret siue dum Legem ipsi imponeret, siue quādo ex ipsius costa ablata conderet Euam, siue denique vbi in Paradiso obambulans suam illis vocem ingereret, inclinante die. Philoxeni Mabugensis sententia est, priúsquàm deliquisset Adam aduersus Dei mandatum, Deum neque per Angelum neque per rem aliquam corporatam illi apparuisse, sed ipsum sese illi repræsentasse; non quòd corporis sui sensibus, Adam, apparentem Deum percipere posset, sed mentis intelligentia. Nam etsi habitabat quidem intra corpus, Adami Anima; tamen non secùs atque incorporei Angeli, ea cernere illam quiuisse, quæ supra omne corpus materiémq; corporatā feruntur: itaq; cùm integri etiam tùm essent animæ Adami sensus, neq; abs peccato contaminati, Deum se mentis illius oculis ingessisse; suamque vocem ipsius intelligentiæ repræsentasse, quando, vt dictum est, fieri non potuit, vt in corporis sensum aliquem, apparēs Deus incurreret. Sed aliorum opinio est, Deum se corporeis Adami sensibus corporaliter (vt sic dicam) obtulisse; eò quòd hac modò ratione, neque præterea alia vlla assequi ille mente posset diuinas apparitiones, eásque intelligere: ipsum enim illius conditorem Deum, sese ad eius humilitatem demisisse, ipsique ita apparuisse, cæteroqui immensum; vndè consequens est, hi vt vlteriùs dicant, Deum humana, eáque regia & prorsus augustissima specie se Adamo exhibuisse aspectabilem & quamquam neque manus habeat, neque pedes, aut vultum, vel os; tamen demittentem se quasi his omnibus esset præditus, ab Adamo visum esse, atque ita manibus suis illum formasse; quod (vt diximus) ad eius qui formabatur, gloriam dignitatémq; spectat. Sed expendat suo iudicio Lector has duas opiniones; ac vtrā malit, altera omissa, retineat. Porrò fuêre ex hæreticis qui dicerent, duos Adamos à Deo creatos fuisse; idque ex eo colligi, quòd Moses duorum meminerit dicens alterum die sexto conditum esse, alterum hic post diem sextum: ad illum enim spectare ea verba; *Et finxit Dominus Deus Adamum puluerem è terra*: At hunc, neque ex puluere dicere Mosen; sed simpliciter, Adamum illic posuisse quem finxerat. Sed nos illis

Psalm. 130. *Gen. 2.* ** Quod verti finxerat, est verbum Gabal, quod planè respondet Græco πλάττειν.* *Quo habitu Deus apparuerit Adamo & Euæ.* *Quomodò Adam viderit Deum.* *Duos à Deo creatos esse Adamos, Hæresis.*

respondemus; ex eo quòd antè dixerat Moses Adamũ die sexto esse creatum, deinde omissa illa narratione A etiam tùm imperfecta transiuit ad mentionem diei septimæ, vnde rursus ad absoluendam illam ante cœptam historiam reuertitur haud quaquàm consentaneum esse vt existimemus duos à Deo effectos fuisse Adamos, sed vnicum. Nam idem quoque de bestijs, de arboribus, de Paradiso, & flumine hunc rigante fecit. Cùm enim historiam illarum rerum nondum perfectam reliquisset; hic iam redit ad eam absoluendam. Præterea hoc quoque illis respondemus, neque Mosen, neque quemquam Prophetarum, aut Apostolorum, vel Euangelistarum vnquam memorasse, duos à Deo Creatos effectósque fuisse Adamos sed vnum solum.

Argumentum ii non Scriptu.

Porrò sciendum est, vetus Testamentum pluribus tralationibus ex Hebræa in Græcam linguam esse transpositum: Syricè verò redditum esse vna quidem interpretatione ex ipso Hebræo, B altera verò ex Græco. Cæterùm quæ fuerit tam multarũ tralationum caussa, & quæ inter ipsas cæteris probior existimari debeat; cum alijs eius generis argumentis disseruimus in eo libro quem de Sex diebus præmisimus. Igitur in ea Græca Traductione quæ est septuaginta Interpretum, sic scripta extant illa Mosis verba: *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab Oriente, & posuit illic hominẽ quẽ finxerat.* Orientẽ igitur appellant illi interpretes, eam terrarum regionẽ ex qua Sol oboritur; nam in illo tractu orientali plantauerat collocaueratque Paradisum, vt Basilius, & eius frater Gregorius attestantur, & Dominus Seuerus quoque.

Testamenti veteris plures Translationes.

Quod verò ad ipsum nomẽ attinet, quo illi LXX. Interpretes hic Adam vocant, (vocant enim Bar-noso*) tria sunt vocabula quibus ferè C Scriptura & hoc loco & superiùs vtitur pro Adami appellatione; Noso, Bar-noso, Adam. Et Noso quidem vocat, dum ait *Faciamus Noso* (id est hominem) *ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.* Adam verò dum dicit; *Et creauit Deus Adam ad imaginem suam, Et posuit illic Adam quem formauerat:* Denique Bar-noso, hic (si sequamur LXX. Interpretum Tralationem) *Posuit illic Bar-noso* (id est, filium hominis) *quem finxerat.* Atque hæc tria nomina inter se ita differunt, vt Noso propriè vniuersum genus hominum ostendat; Bar-noso verò eum qui ex homine prognatus sit; hoc est, filium hominis significet: & Noso quidem pluraliter, Bar-noso verò singulariter (vt sic dicam) accipiantur, specténtque, Noso ferè ad ipsam speciem Bar-noso verò ad indiuidua. D Porrò de voce Adam dicunt apud nos Syros plerique appellationem esse particularem hominis, personámque vnam repræsentare: verùm alij existimant, apud Hebræos nomẽ esse specificum, & totum genus humanum sua notione amplecti, sicut antehac diximus in Commentario nostro de Sex diebus. Rursus alij sunt, qui putant nomen Adam, sumptum esse ex ipso hominis corpore; & ei propriè impositum esse eò quòd ex terra quæ Adamotho dicitur cõformatum sit Noso verò ad Animam peculiariter spectare. Cæterùm quid sibi velit illud terræ vocabulum, Adamotho: illic quoque à nobis est explicatũ.

**Apud LXX in Græco est ἄνθρωπος quod Syrus interpres, quem auctor sequitur, reddidit illic Bar-noso.*

Trium nominum Adami, differentia & ratio.

Adam, an sit nomen specificum.

Verùm enimverò operæprecium est vt expendas hic accuratè apud animum tuum, quàm multis modis cohonestauerit Deus Adamum: primò enim cùm in re- E rum natura prorsus non esset, procreauit, effecitque ipsum ex nihilo vt aliquid esset: deinde ad suã ipsius imaginem & similitudinem condidit: tertiò, cùm ipsius longè præstantior esset natura quàm cui manus vocísque vsus attribui deberet; tamen illum & manibus suis finxisse, & voce affatus esse dici voluit. Quartù, conditum ratione ornauit, qua cæteris animantibus illa carentibus præstaret. Quintò, sui cognitione ipsum dignatus est. Sextò admisit ipsum veluti in suam familiaritatem, vt cá sese pro Arbitrio oblectaret, meditationibus contemplationibúsque diuinis vacans atq; indulgens. Septimò, immortalitatem promisit. Octauò, maxima ipsum sapientia imbuit. Nonù, Prophetiæ dona in ipsum contulit; Prophetam enim fuisse Adamum vel hinc constat quòd per vaticinium dixerit; *Hæc iam caro de carne mea &* A *os de osse meo, hæc vocabitur mulier, &c.* Decimò, auxit ipsum sacerdotij munere; nam fuisse sacerdotem, ex Dauidis Psalmistæ verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cum Deo inducens ait; *Finxisti me, & posuisti super manum tuã:* Sacerdotium enim manuum impositione confertur, sicut & Baptismus. Vndecimò, regia atque principali ipsum dominatione amplificauit; ait enim: *Et dominamini piscibus maris, & volucribus cæli.* Duodecimò, ita ipsum comparauit vt Animo atque intelligentia sua Angelis esset familiaris. Decimotertio, condidit ipsum corpore leui atque expedito, non autem graui quale demùm euasit post violatam legem. Decimoquartò denique posuit ipsum in Paradiso, vt inibi oblectaretur; neque cum cæteris animalibus mentis expertibus in terra pascendum reliquit.

Dei 14. beneficia in Adamum.

Adamum fuisse Prophetam.

Adam fuit Sacerdos.

Psalm. 139.

Manuum impositio in Sacerdotio.

Adam fuit Rex.

Adami Corpus leue.

Et enasci fecerat Dominus Deus è terra B *omnem arborem ipso aspectu expetendam, & pulchrã ad vescendum*: die scilicet tertio produxerat Dominus eas arbores ex terra, cùm diceret; *Producat terra herbam viridem semen fœtificans, & arborem fructiferã, &c.* Verùm hic ad priorem illam narrationem regreditur, ipsam absoluturus; quin ipse etiam Paradisus die illo tertio consitus fuerat. Cæterùm Deo attribuit Moses verba illa, *Et enasci fecerat arbores*; vt intelligeremus non ab homine satas fuisse, vt Noa vitem seuit, aut alias arbores, alij; sed ipsius Dei cura ac nutu præceptóque extitisse, iuxta illud Psalmistæ; *Et Cedri Libani quas plantauit.* Sed videri possunt verba potiùs ad hunc modum esse legenda; *Omnem arborem pulchram ad spectandum, & expetendam ad vescendum*, pulchritudo enim ad videndi sensum pertinet, appetitus verò C ad cibum spectat. Verum consueuit Scriptura appetentiam referre ad oculos, quale est illud Ioannis Euangelistæ in Epistola: *Omne quod est in Mundo, Concupiscentia corporis est, & concupiscentia oculorum. Et arborem vitæ in medio Paradiso, & arborem scientiæ boni & mali.* Duas ait Dominum enasci fecisse arbores in medio Paradiso, alteram Vitæ, alteram scientiæ: videndum igitur quî fieri potuerit, vt duæ arbores in ipso extarent Paradisi meditullio: vnam enim solam posse medium obtinere locum nemo negauerit, at duæ vt simul medio quopiam loco existãt, non fas est. Sunt igitur qui dicant vnicam fuisse in ipso medio consitam, eam quæ vitæ vocatur, alteram verò quæ appellatur Scientiæ iuxta illam Vitæ extitisse satam. Sed his obijcimus ipsam Scripturam, quæ verba illa, *in* D *medio Paradiso,* ad vtramque arborem accommodat, non autem ad eam quæ Vitæ est, solam. Hoc enim inde cognoscitur, quod Eua ad Serpentem diceret, *De fructu arboris quæ est in medio Paradiso, nolite comedere, ait Deus.* Erat enim arbor scientiæ, ea qua illis fuerat interdictum, non arbor Vitæ. Conficitur ergo ad vtramque arborẽ pertinere quod dicitur, *in medio Paradiso.* Igitur Gregorius Nyssæus dicit, duas hasce arbores spiritales fuisse, soláq; ratione potuisse intelligi, quales nõ duas modò, sed plurimas vno eodémque loco medio esse posse, nemo dubitauerit. Nam animi nostri vis facilè ea coniungit quæ alioqui vel à pluribus simul comprehendi nequeant. At nos dicimus arbores illas corporatas extitisse; idque nuper ostendimus, atque vtrasque in Paradisi medio qui- E dem fuisse positas sed non vt in vno eodémque particulari loco, qui locus fuerit Paradisi meditullium. Nam id haud fieri potuit, & si in eo altera extabat, alteram extrà eum locũ fuisse necessum est, cùm profani etiã Philosophi affirmẽt impossibile esse vt duo corpora contineãtur vno particulari loco simul: sed ita ambas fuisse in medio Paradiso, vt quis vtráuis dicere rectè posset, respectu extremarum Paradisi partium fuisse in medio Paradiso. Medium igitur in contextu ita accipiendum est, non vt particularem aliquem locum significet, sed quasi dicat, cùm Paradisus frequentissimus esset varijs arboribus atque plantis, hasce duas arbores non in eius angulo quopiam satas fuisse, sed in medio Paradiso inter alias arbores extitisse. Sed & hoc scire operæ precium fuerit; num duæ istæ arbores, altera iuxta alteram positæ exti-

Gen. 9.

forte.

Nyssenus.

Medium, quomodo significet.

exstiterint, an scorsim: De hac re nos pronunciamus, iuxtà positas fuisse. Neque enim dixit Scriptura de Adamo; Ne fortè adeat arborem Vitæ, capiátque de ea, ac vescatur, & viuat perpetuò: sed habet ad hunc modum; *Ne fortè extendat manum suam, & capiat:* Is verò qui manũ suam ad rem quampiam protendit, necessum est vt ei rei proximus adstet. Prætereà hinc credibile est, ei loco, in quo Adamo certamen & lucta erat aduersus arborem scientiæ, proximam exstitisse arborem vitæ, ceù victoriæ præmium; vt si vicisset per continentiam neque edisset de hac, mox permissa fuisset ipsi illa altera gustanda, quippe solet victori palma in promptu esse. Insuper illud quoque quæri potest, cur Deus produxerit duas illas arbores in medio Paradiso, ac non potiùs in quopiã eius angulo. Hic respondemus, ideò id factum esse quia in medio Paradiso habitaturus erat Adam, accepto Dei imperio de edendis fructibus arboris scientiæ boni & mali. Cæterùm qualisnam fuerit arbor vitæ, & cur sic sit dicta; deinde qualis arbor scientiæ boni & mali, & quam ob rem eo nomine appellata, vnà cum alijs eius generis rationibus supra à nobis satis explicatum. *Et fluuius egrediebatur ex Eden vt rigaret Paradisum.* Eden locus erat magnus atque amplus, cui id nominis dabatur propterea quòd amœnus & multarum arborum varietate spectabilis esset: huius pars ea quæ cæteras omnes pulchritudine atque decore anteibat, Paradisus dicebatur; accommodatissimus ad habitationem oblectationémque hominum. Sed quanta fuerit huius amplitudo, satis arguit fluuius ille magnus, qui ex ipso affluebat, & postquã elapsus esset diuidebatur in quatuor flumina: si enim fluuius ipse magnus erat, manifestũ est Paradisum quem rigabat, magnum spatiosúmque fuisse. *Et illinc diuidebatur, & euasit in quatuor capita.* Postquàm is fluuius rigasset Paradisum, diductus diuisúsque est in quatuor fluuios quos Moses (quia ipsius sæculo noti erant) suis & nominibus, & locis describit, inquiens: *Nomen vnius Phison; is est qui circuit vniuersam terram Hauilæ.* Nomen igitur vnius horum quatuor fluuiorum est Phison; siue, vt Græcus vocat, Duabis: qui fluuius postquàm auulsus ab illo maiore & primario Paradisum pelluente, in terrámque demersus est; sub ipsis etiam Oceani vadis fluit, donec ebulliens prorumpat in Occidentem, vnde versus Septentrionem regyrans delabitur per vniuersam regionem Indorum (quam vocat Moses terrã Hauilæ) ac tandẽ desinit in mare Indicum. Sunt autem qui putent, Phison appellatum esse à verbo *Phas*, propterea quòd cesset à fluxu aspectabili, quippe qui sub multis pelagis maiorem cursus sui partem peragat. *Et ibi est aurum, & aurum eius terræ præstans est; ibi Bedolah, & lapides Beryll.* Ferunt in pleráque huius fluminis arena atque in ipsa ripa, aurum probum admirandásque Margaritas hubertim reperiri. Hebræum enim, Bedolath, gemmas vocat; Beryllos verò, lapides preciosos. Alij, Bedolath, candidos Vniones significare existimant; Beryllos verò, Sardos, Topazios, & cæteras id genus gemmas. *Et nomen fluuij secundi Gihon; is est qui circuit omnem terram Chus.* Secũdus fluuius nomen habet Gihon: Græcus Nilum appellat; alij, Sichor vocant. Et hic quoque fluuius vt separatus est ab illo maiore; sub Oceanum descendit, donec scaturigine euomitur in plaga Australi, atque gyrãs perluit terram Chussiorum (Æthiopas vocamus) & Ægyptiorum, tárdémque desinit in mare Adriaticum, quod est apud Ægyptum. Cæterùm nomen Gihonis obtinuit à fluẽdo cum inundatione; hac enim, ripa sua supergrediens, irrigat terras sibi circumiacentes. *Et nomẽ fluuij tertij DiKlat, qui it aduersus Assur. Quartus denique fluuius est Perath.* DiKlat appellatus est tertius fluuius, quòd impetuosus ac rapidus sursum deorsum feratur quasi homo violentus ac feruidus qui ad perrumpẽdas angustias aliquas nunc se subrigit nunc demittit. Quartus denique fluuius dicitur Perath, quia fœcũdissimus est. Et hi quoque duo fluuij simul atq; deriuati sunt ab illo principaliore flumine; absorpti sub Oceanũ, tandẽ prosiliunt in

Phison, Superius, Cap. 21. dixit Græci vocare Duabis per quartam vocalem in secunda syllaba.
Phas, cessare significat Syris.

medio terrarũ Orbe, frontibus non procul inter se dissitis ac prolapsi desinunt in Mare Australe ipsius Bosræ. Porrò Assur vocat regionẽ Atrur & Nineuitarũ ac Bethgarine, aliaque circũquaque his adiacẽtia loca. Sed enim quærũt hic homines, qui possit fieri vt hi quatuor fluuij veniãt è Paradiso, & absorpti sub Oceanum intra terræ viscera meẽt, ac tandẽ emergãt, effundãtúrq; in hac nostra terra? Verùm hanc quæstionẽ, & eius generis alias iã satis dissoluimus. Porrò Moses, explicata narratione earũ rerum quæ ad Paradisi laudẽ magnificentiáque; item earum quæ ad flumen ingens quo ille rigatur; denique ad sedulitatẽ Dei cõditoris illius atque satoris spectant; trãsit ad dicendum de inducto Adamo in Paradisum his verbis: *Et accepit Dominus Deus Adamũ, & posuit ipsum in Paradiso Eden.* Quo habitu apparuerit Deus Adamo, diximus nuper: Iam verò hoc videndũ est, vnde, & quò sustulerit ipsum quãdo Scriptura ait, *Et accepit Dominus Deus Adamum.* Igitur quidã putant ex Ierusalem sublatũ transtulisse in Paradisum: nam in Ierusalem formatum esse; vbi & mortem etiam obierit. Alij verò existimant, ex loco humiliore atq; viliore sustulisse in locum sublimem magnificúmque; & veluti creatum à se regem induxisse in regalem sedem. Sed quónam illum modo sustulit? Respondent nonnulli, id quod Scriptura ait; *Et accepit*, nihil aliud sibi velle quàm Deum dixisse ad illum; Abi, ipsúmque continuò profectum esse. Sed his obiiciunt alij, incertum fuisse Adamo, vnde, & quò abire deberet. Quibus illi respondent, ipsi in mentem venisse, vnde & quo abeundum sibi, atque vbi habitandum esset, sicuti Visa Prophetis solent euenire. Verùm alij malunt existimare, Deum Adamo humana specie apparuisse, ipsúmq; apprehensum transportasse in Paradisum. Sed dices: siue per mentis visionem, siue per humanam figuram illi apparuerit, atque ita transtulerit, magno fuisse opus temporis spacio ad iter hoc conficiẽdum. Igitur nostra sententia est, Deum formasse Adamum extra Paradisum, atque illinc arreptum sustulisse in Paradisum, ibique dimisisse, cæterũ eo accepisse modo, quo & Enoch, & Philippum. Nam vt de Enoch scriptum extat, *Et tulit ipsum Deus:* item de Philippo: *Et Spiritus Domini rapuit ipsum:* sic & dicimus Adamum esse à Deo raptum ex eo loco, quo fuerat formatus, atque in Paradisum trãspositum. *Dimisitque ipsum in Paradiso Eden, vt eum coleret & custodiret.* Eo quod dicit, *Et dimisit ipsũ in Paradiso*, declarat Deũ sublato Adamo non ostendisse modò Paradisi pulchritudinẽ magnificentiámque, & mox inde abripuisse, sed inibi relicto, facultatem manendi séque oblectandi permisisse vt in loco illius ipsius gratia condito concinnatóque: nam quod illic haud diu mansit, sua, non Effectoris sui culpa euenit. Quod porrò sequitur, *vt eum coleret & custodiret*, quánam sententiam erit accipiendum? nunquid Paradisus cultore egebat, in quo siluosa senticosáque materies non succrescebat? hæc enim postea per exsecrationem cœpit in ea terra quæ extrà Paradisum erat, enasci. Præterea qui potuit cultore opus habere Paradisus, omnis generis arboribus abundãs? denique quomodò coluisset, quãdo neque sarcula, neque scopæ, aut alterius generis instrumenta culturæ facta erant. Similiter quorsum habebat custodia opus, Paradisus, cùm nulli vsquã existerent egeni homines? Quid ergo sibi volunt illa verba, *vt coleret & custodiret*? Respondemus non id significare, fodiendas illi fuisse scrobes in quibus plantas consereret, vt Noa vineam, aut laboriosis ipsum instrumentis operando molestiam vllam subire debuisse, sed in eo positum fuisse cultũ illum vt inibi locum sibi pro habitatione aptaret, viásque ac semitas quibus cõmodè posset obambulare, cõplanaret, ne scilicet ociosus esset, quando ex ocio plurima enascantur mala, iuxta illud Sapientis cuiusdam, Ocium malum est, & fraudem parit pigritia. Et diuus Paulus dicit, *Nisi aliud quam ocium agentes.* Et alibi ait, quasdam fœminas non solùm ociosas esse verùm etiam quarundam malarum rerum occasionem dare. Cæterùm quod de custodiendo Paradiso dictum

Gen. 5.
Act. 8.
Gen. 9.
2. Thess. 3.
1. Timot. 5.

est,id ad arcendas inde bestias spectat:Paradisi enim vi-
neæ,hortique alij quando ab hominibus deserri manēt,
conculcantur, opprimuntúrque à feris. Igitur & colere A
& custodire,ad curam habitationis Adami spectat: Ne-
que enim ad exiguum duntaxat tempus datum fuerat ei
illud domicilium,in quo maneret,sed an diuturnum lō-
gúmque. Insuper huc quoq; cultus ille & custodia per-
tinent, vt esset Adamus vigil & cautus; agnosceretque
Parentem suum ex ipsis plantis fructibúsque Paradisi,
Nazianzenus. ceu colonus plantarum immortalium, hoc est,diuinarū
cogitationum, vt ait Gregorius Theologus. * Denique
illis colendi custodiendiq; verbis ostenditur etiam,lon-
gè aliter homines vitam suam instituere debere quàm
pecudes rationis expertes degant: hæ enim ad colēdum
custodiendúmq; Paradisum minimè sunt destinatæ, sed
homo est illius cultor & custos designatus,eáque re plu-
rimùm iste ab illis differt,quod ipsum quoque,dum ho- B
minem proprijs manibus formaret Deus,ostendere vo-
luit.Porrò postquā de introducto in Paradisum Adamo
disseruit,& cur eum Deus illuc intulisset, explicauit,di-
greditur ad dicendum de Lege illi imposita his verbis:
*Et præcepit Dominus Deus Adamo,dixitque ipsi; De omnibus ar-
boribus quæ sunt in Paradiso,edendo edes, at de arbore sciētiæ boni
& mali non edes de ipso.* Hoc igitur est præceptum, hæc lex
quam Deus Adamo imposuit, ne ederet de arbore sciē-
tiæ. Sed iam in disquisitionem venit,quot modis dicatur
Legis vocabulum, & cuiusnam generis Lex imperata
fuerit Adamo; denique cur vllam illi Deus Legem sta-
tuerit. Dicimus igitur, Legem duobus dici modis; vni-
uersaliter,& particulariter: verbi gratia vniuersalis lex,
est cognitio illa naturalis quæ nobis insita est, & vis in- C
genij qua diiudicamus bonū à malo: eam enim indidit
Deus omniū hominū animis,laudans ipsos, si quod bo-
num est id operentur, & vicissim culpans damnánsque
Rom. 2. si malum patrent,quantúmuis occultè ea peragātur. Nā
& in gentium,vt ait Paulus, *cordibus scripta Lex est, & est ip-
Matth. 7. sis sua conscientia testis*, &c. Eius generis est illud Domini
dictum; *Sicut vultis vos vt faciant vobis homines, sic facite etiā
Gen. 9. vos ipsis.* Particularis Lex autem est,qualis ea quam Deus
Num. 6.d. præscribebat ipsis Noachitis, ne vescerentur sanguine;
item qualis imposita erat Iudæorum Nazaræis, de non
bibendo vino, aut sicera, neque admouenda capiti no-
uacula, quales denique Iudæorum statutæ fuere sacer-
dotibus, de rebus, alijs omittentis, alijs agendis. Cum
igitur Legis vocabulo duobus vtamur modis; & parti- D
culariter, & vniuersaliter: respondemus ad alterā quæ-
stionem, non fuisse Legem vniuersalem sed particula-
rem illam; ne gustaret de arbore scientiæ: soli enim
Adamo eiusq; coniugi eā imperauerat Deus non etiam
vniuerso generi humano. Iam superest vt & hoc disqui-
ramus,qua de caussa dederit Deus Adamo legem. Cen-
semus autem ob bene multas caussas id factum à Deo
esse. Primò enim,vt sciret se Dominum conditorémque
habere qui sibi eam Legem imperauisset, nam domino-
rum est Leges sancire: deinde vt se creatum effectúque
agnosceret; quippe lex creaturis atque effectis statui so-
Psal. 9. c. 21. let,vt ait Dauid: *Statue ipsis legislatorem, vt sciant gentes se ho-
mines esse.* Ad hoc, vt intelligeret libertatem sibi faculta-
témque arbitrij à Deo datam esse cùm ab illo cōderetur: E
Arbitrij libertas. neq; enim Legē ipsi imposuisset particularem & quæ ex
voluntate pēderet, ne de Arbore ederet scientiæ,nisi an-
tè libertate potestatéq; arbitrij proprij ipsum donasset,
qua (si vellet) obseruaret Legē, sin nollet, non obserua-
ret. Præterea Legem ideò posuit Adamo Deus,vt libero
ipsius arbitrio esset materies & veluti clibanus quo pro-
baretur,sicut ait Gregorius Theologus: Dedit (inquiēs)
Oratione in Natali Christi. Legē, materiē libero arbitrio. Sicut enim per ligna peri-
culū fit de arte fabri lignarij, an probè atq; exactè eā te-
neat,an minimè, item per aurū argentūque de aurifabri
arte,ita per Legem Adamo constitutā probatum est ip-
sius liberum arbitrium, compertúmque libertatem ipsius
remissam solutámque esse ac magis propendēte ad præ-
uaricandum peccādúmque. Nam valuisset quidem ob-
seruare Legem & tamen non obseruauit, qualis sanè fa-
cultas brutis animantibus quæ ratione vacant, haudqua-
quam est concessa. Postremò ob hoc quoque lata est A-
damo lex à Deo,vt ille sciret atque intelligeret, alterum
Deo superesse sæculum in quo dignum precium soluet
vtrisque & iis qui obseruant & iis qui violant Leges.
Sed pergunt quærere nonnulli vlterius, cur legem tule-
rit Deus Adamo quam præsciret ipsum non esse obser-
uaturum. Ad hoc primò respondemus, non ideò Con-
ditorem Deum Legem Adamo imperauisse, vt eam ob-
seruaret,neque rursus, vt violaret (quò vestra hæc quæ-
stio spectat cùm dicitis, Cur, quam præsciret illum Le-
gem non præstiturò,præceperit) sed eas ob causas quas
nuper commemorauimus. Quippe aliud est obseruare,
aliud non obseruare Legem, & aliud, scire se habere
Creatorem séque esse creatum & præditum arbitrij li-
bertate,huiúsq; generis cætera cognoscere. Præterea di-
cimus,sicut præsciuit illum non obseruaturum Legem,
itapræsciuit quoque futurum vt postquàm Legem ille *Liberum Arbitrium.*
transiliuisset & per peccatum cecidisset, ipse veniret,re-
dimeret, subleuaret illum à casu peccati. Insuper Le-
gem ideò tulit (etsi violatam iri non ignoraret) quò in-
telligeretur, ipsum esse Dominum, qui condendarum
Legum haberet potestatem, Adamum verò creaturam,
& eum qui merito Legibus parēre deberet: Præterea
quò constaret Liberum arbitrium eis peculiariter con-
cessum esse rebus creatis quæ ratione pollent, vt penes
ipsas esset vel seruare vel frāgere Leges. Ad hæc sanciuit
Legem Deus iam tum præsciens futurum vt violaretur,
quò,ea,obsequiosi à rebellibus secernerentur,amicique
ab hostibus, & Legum cultores à preuaricatoribus, at-
que cùm illorum virtus,tum horū vitiositas manifestaria
fieret,cognosceretúrque: sublata enim Lege, nullum in-
ter vtrosque discrimen fuerit. Et verò hanc etiam ob
rem lata à Deo lex est,quam tamen non nesciebat transi-
liendam, vt ne nesciremus ipsum merito iure iis qui Le-
gi parērent,retribuere delicias Mundi,contráque rebel-
libus æternas Mundi. Præterea vt ij qui ratione vtun-
tur, intelligerent quòd alium ille habeat Mūdum in quo
merita in quemque cōferet præmia. Denique non alia
ratione præscripsit illam Adamo legem, quam sciebat
ipsum transgressurum, atque post,alijs mortalibus, fidei
leges, non nescius, plurimos fore incredulos. Vlterùs
quærunt, cùm esset Adamus naturali Lege informatus *Lex Naturalis in Conscientia iudicio posita.*
quæ in conscientiæ iudicio posita est bonum à malo di-
stinguente, cur hanc alteram particularem etiam Deus
ipsi imperauerit, ne ederet de arbore scientiæ? Hic re- *Cur lex particularis præter naturalem Adamo posita sit.*
spondemus, id factum esse quò illustrior esset bonitas
Creatoris Adami, vt qui non siuit ipsum rebus maiori-
bus animum suum occupare: deinde ne per errorem ille
existimaret,se rerum conditarum esse Dominum,neque
suprà se,dominū alium esse. Nam verbi gratia, cùm ani-
maduertisset, omnia illa quæ sub aspectum cadunt sua
caussa esse effecta à Deo,séque naturali præditum ab illo
cognitione, atque omne genus delicias sibi absque vllo
molesto labore in promptu esse, denique res aspectabi-
les sibi seruientes quasi ancillas, & vt semel dicam, cùm
vidisset omnia illa bona quibus absque molestia aut cura
oblectabatur: facile ipsius animus ex his rebus per arro-
gantiam confidentiámque mutatus sibi persuasisset, res
omnes quæ cōditæ essent,ad se spectare, neque alius do-
minationi esse subiectas: nisi hanc alteram à Deo legem
accepisset,de non gustanda arbore, quæ perpetuò ipsis
obseruata oculis in memoriam mentémque ipsi reuoca-
ret seruilem humilémque suam conditionem, séque ha-
bere Dominum à quo eiusmodi lex de arbore sibi esset
imposita, atque eas ipsas creaturas quæ sibi seruiunt, ad
illum suum spectare Dominum. Nam si cùm Legem
haberet naturalem, & insuper hanc de arbore, quæ ve-
luti adiutrix illius esset, tamen deliquit suapte volun-
tate, atque seductus est: quantò magis peccasset, lapsús-
que esset, si hæc de arbore lex posita ipsi non fuisset?
Rursus, si præter illam naturalem Legem nō etiam hanc
interdictæ

interdictæ arboris accepisset; mussitassent morosi homines, cur non dedisset illi Deus legem aliam, eáque subsidium attulisset priusquàm laberetur per peccatum! A Rectè igitur Deus Adamo antequàm peccaret, hanc Legẽ de Arbore scientiæ imposuit, licet præterea naturali Lege informatus esset. Quin hoc insuper scire conuenit, non iam tùm inquinato Adamo positam esse à Deo Legem, sed adhuc puro probóq; & veluti ab omni vitiositate percolato; sic enim ipsum condiderat. Ad hæc illud etiam quæritur, cur Deus Adamo Legem de arbore illa imperauerit, & non de alia re quauis! Respondemus autem; quò cognosceretur illius amor erga suum parentem Deum. Omnis enim Lex vel ad amorẽ in Deum, vel ad amorem aduersus proximum spectat: iam verò nulli adhuc homines vsquã erant, vt mandare Adamo posset ne occideret, aut ne committeret Adulterium, vel ne furtum faceret; & quæ sunt huius generis alia. Huiusmodi B enim præceptis nullus tunc locus esse potuit, quando nulli erãt alij homines, ideóq; Legem de arbore ferebat, qua obseruanda pietas Adami aduersus suum Conditorem agnosceretur. Deniq; & illud solet quæri, cur Deus legem Adamo imperauerit, quæ ad cibi concupiscẽtiam spectaret, non ad aliam rem quampiam! Potuisset enim illi lata Lege mandare vt quosdam nominatim præscriptos dies ieiunus aut precibus vacans transigeret, vel se vno eodémque loco per eos, immotus contineret, aut huiusmodi aliud quippiam agendum omittendúmue. Ad eam quæstionem respondemus, eam concupiscentiam quæ circa cibum versatus primum esse animi nostri adfectum, eóq; rectè primã primo homini Adamo Legem de illa esse impositã. Sed vt clarius euadat quod di- C cimus; multi & varij sunt adfectus quibus nostra libertas impellitur, quorum omnium præcipua, & veluti radix est Concupiscentia. Hæc porrò trifariã diuiditur: nã aut ad ventris ingluuiem pertinet, aut ad opum pecuniarúmq; auaritiam, aut ad gloriæ ambitionẽ. His enim tribus adfectionum generibus comprehensæ tenentur omnes prauæ cupiditates: & his adortus est quidem Satanas Dominum nostrum in deserto, & in Vrbe; verùm, succubuit. Cæterùm ventris cupiditas, reliquis duabus violẽtior difficiliórq; mortalibus incũbit; quod vel hinc cõstat, quia absq; pecunia & gloria viuere homines possunt; at sine cibo non possunt sicut apud Ieremiam Prophetã scriptum extat; *Dederũt res suas pretĩs pro cibo, vt instaurarẽt animam suã*. Neq; enim aduersum nos facit illud D Domini nostri dictum; *Non in solo pane viuit homo*. Igitur quoniam Gula, prima est in nobis perturbatio animi; consentaneum erat, vt primæ Legis Adamo primo homini ferendæ esset occasio. Et verò quia per ventris ingluuiem, cibique appetentiam Satanas Adamum vicerat, idcircò & Christus inde victoriam suam aduersus illũ in Deserto est auspicatus cùm illi diceret, vt est apud diuum Matthæum: *Si filius Dei es, dicito, vt lapides isti panes fiant*. Porrò sunt qui Deum culpent, quòd Adamum cõdiderit cibi auidum ac voracem, & interim, Lege lata, à cibo cohibuerit. Sed nos ad hæc dicimus, nullam hic in Deum Creatorem posse culpam conferri, sed in ipsum Adamum iustissimè; cuius rationẽ audi. Cupidine quæ est in nobis, est quatenùs liberè vti permittitur, est etiam vbi coërcenda cohibendáque est. Ea igitur pars illius E quæ nostro vsui permissa est, culpa vacat neq; Lege inhibetur; qualis est, vt edamus, vt bibamus, vt dormiamus; atque huius generis alia faciamus. Refrenanda verò coërcendáque illa est, quam lex vetat exerceri; veluti si quis gulosus sit, aut ebriosus, vel scortator, & huiusmodi aliis vitiis deditus. Conficitur ergo, Deum Adamo Legem illam perscripsisse, non vt prorsus nihil ederet sed vt de vna illa arbore non ederet. Nam si nulla illi per eam Legem re vesci licuisset, culpandus tenera fuisset Deus legislator qui illam ita condiderat vt edendo vitam sustinere deberet. At quando ab vnica ipsum dumtaxat arbore prohibuit, neque id vel per inuidiam vel per odium; sed vt ex eius Legis obseruatione causam haberet permittendi deinde ipsi gustare Vitæ Arboreus, quo vita deinceps frui sempiterna posset: haud insons sanè videri ille debet qui non satiauerit suam cupiditatem ab reliquis arboribus; neque vnicam illam vitarit, qua fuerat sibi interdictum. Nam vt cæteræ omnes vetitæ fuissent, soláque vna concessa; nulla tamen ipsum subegisset necessitas de reliquarum vna quapiã gustare quãtò minùs cùm omnes præter solam vnam permissæ essent, vlla ipsum compulit vis eam vnam arborem vetitam attingere! Certum igitur ex his euadit, culpam in Adamo hærere, non in ipsius effectore Deo. Sed & illud disquirendum est; soli-ne Adamo legem imperauerit Deus, an verò etiam cæteris rebus dum ipsas cõderet, suas cuique Leges dederit? Dicimus autem, omnibus rebus esse positas Leges; ratione præditis, & rationis expertibus, mortalibus, & immortalibus, animatis, & inanimatis; quæ sensu percipiuntur, & quæ sensum omnem effugiunt. Nam (verbi gratia) Angelis primam Legem dabat cùm ipsos crearet, aduersus quam præuaricatus Satan, cum suis Copus lapsus est; deinde alteram illis rursum dabat Legem, vt res natura corporatas administrarent; atque hæc interiora & cognoscerent & gubernarent; ipsa scilicet naturæ elementa & quæ ex elementis composita sunt corpora, vt ait Philoxenus Sermone de arbore vitæ: Similiter & cœlo & Terræ legem posuit, vt in rerum natura perdurarent, vt ait Dauid; *Stabiliuit terram super fulcra sua*. Rursus Soli & Lunæ cæterisque Stellis suas præscripsit Leges, quibus motus ipsorum æquabilitas regitur, dum nunc accedunt propiùs nunc recedunt; iuxta illud eiusdem Dauidis: *Statuit ipsam in sæculum sæculi, Legem dedit, & non præteribit*. Denique & Mare suam à Deo legem accepit, ipsam arenam; ad quam dum inundans atque procurrens pertingit, sistitur neque ipsam præterit. Quin & herbis, seminibus arboribus lex data est, vt pullulent, augescántque. Postremò animantia omnia quæ ratione carent, generali hac lege informauit, vt res sensu suo percipere & motu sese agitare queant. Cæterùm Leonibus particulariter audaciam pro Lege dedit; Leporibus, timiditatem; Pãtheris, vnguenti amorem, Vulpibus, fraudulentiam atq; astutiam; Agnis, puram simplicitatem; Aquilis, sæuam rapacitatem; Columbis, innocentiam; atque ita de cæteris Legibus particularibus quæ à Deo, bestiarum, auiũ, reptilium denique naturis sunt impositæ, sicut prolixè antehac in eo libro quem de sex diebus fecimus, à nobis est ostensum. Denique interrogari solet, quibus in rebus differant eæ Leges quas Deus imposuit animantibus rationis expertibus, rebúsq; aliis corporatis quæ & anima & sensu carent; ab illis Legibus quas hominibus præscripsit & aliis creaturis ratione præditis: Ad hoc respõdemus, plurimis eas inter se modis differre. Nam legum quæ hominibus latæ sunt, in ipsa volũtate posita est obseruatio; earum verò legum custodia quæ nec anima nec sensu præditis rebus impositæ sunt, in ipsa earum natura est sita. Tum homines doctrina formantur ad præstandas Leges quas debent; at ea quæ ratione & quæ anima carent, naturæ impetu atque efficientia ducuntur vt Legibus suis obsequantur. Ad hæc; homines, si volunt, seruant; si nolunt, non seruant suas Leges: pendent enim ex Libero hominum arbitrio. At aliter se habent earum rerum Leges, quæ ratione & quæ sensu vacant: neque enim Leo, & audax & timidus esse potest; neque lepus, pauidus & impauidus: sed vna audacia leonum est, pauor verò solus leporum: neque vt leo non sit audax; vel lepus, non fugax fieri potest. Consentaneum igitur est, hæc si suis legibus pareant, non ideò digna esse præmio, quando nulla arbitrij Libertate pollent, sed naturæ vinculis cõstricta tenentur: nos verò vel obseruare, vel violare Leges nobis imperatas quimus. Postremò hoc etiã addendum huc duximus, nobis insuper esse inditas etiam Leges, illis Legibus creaturarum ratione & sensu carentium similes. Verbi gratia; oculis nostris insita est à Deo lex videndi; auribus, audiendi; palato, gustandi;

Cur de cibi Concupiscentia, Lex Adamo posita sit.

Concupiscentia triplex. 1. Ioh. 2.

Matth. 4.

Thren. 1.

Matth. 4.

Matth. 4.

Cupiditas, licita est vel illicita.

Suas cuique res Leges, vt Adamo, ab initio fuisse positas.

Philoxeni Sermo de arbore vitæ. Psalm. 103.

Psalm. 148.

Mosis, Bar-Cepha, Hexaemeron.

Hominis Liberum arbitrium.

Arbitrij Libertas.

naribus, odorandi; ventriculo, concoquendi; atque ita cæteris membris suas indidit rerum Opifex efficacitates pro Legibus. *Quia quo die comedes de ea, mortem morieris,* Hæc oratio minas terrorémque continet, vt qua Deus Adamo, si præuaricaretur & de arbore illa ederet, obnũciauit periculum. Sed quæritur, qua de caussa illi sit interminans? Facilis est responsio; vt à violanda Lege, illiusmodi minis, & pœnæ periculo cohiberetur, quam sibi delinquenti præstò adfuturam præsciret. Leges enim per tres caussas ferè obseruantur: aut per amorem quo Legislatorem prosequimur, aut per præmij spem quod parentibus nobis propositum est, aut denique per metũ pœnæ quæ peccãtibus est præstituta. Huc igitur spectat illa comminatio qua vsus Deus ait: *Quo die comedes de ea, mortem morieris*; vt si ille prioribus duabus caussis haud induceretur ad parendum, postrema saltem hæc (supplicij metum dico) in officio ipsum contineret. Nam & illud quoque intelligimus, vt pœnam minatus est peccãti Deus, ita & præmium esse pollicitum obsequenti, quãuis hoc neque dixerit neque scripserit diuus Moses, sed contentus pœnæ meminisse, de præmio tacuerit. Promiserat enim, si positæ Legi parêret, permissurum se illi vt de Arbore vitæ ederet, atque ita vitam viueret sempiternam, immortalísque euaderet, idque hinc constat, quòd vbi edisset Adamus de arbore scientiæ, dixerit Deus: *Ne fortè extendat manum suam, & sumat de arbore vitæ, edatque ac viuat perpetuò*: præterea, quòd morte vt pœnæ opposita si ex aduerso vita æterna quasi præmium, & mortali conditioni quam minabatur Deus, immortalis quam promittebat. Porrò vbi de Lege quã Adamo imperauerat Deus, locutus est Moses, progreditur ad dicẽdum de concinnata formatáque Eua, déque bestiarum & pecudum procreatione, & de nominibus quibus has appellauit Adam, inquiens: *Et ait Dominus Deus; non est bonum Adamum esse solum.* Sunt ex Doctoribus interpretibus qui dicant, ea verba à Deo pronũciata esse voce quę in audiendi sensum caderet, ad erudiendum Adamum docendúmque quòd Deus creator sit, ipse verò cum vxore rebúsque alijs quæ vsquàm essent, creaturæ. Cæterùm cur cùm finxisset Deus Adamum, non dixerit, videre se id quod condidisset esse bonum, sicut de reliquis rebus à se effectis dixisse memoratur; duplicem existimamus esse caussam esse: alteram, quia hic dicturus erat non esse bonum, parùm enim illa duo inter se consentanea fuissent; alteram, quia in libertate arbitrij Adæ positum erat, vt aut bonus aut non bonus esset. *Non est* (inquit) *bonum, Adamum esse solum.* Quid igitur facto opus est vt faciat ei adiutorium? Nam si id quod non est bonũ reijciẽdum est; Illud sanè quod bonum est, planè vt cõstituatur conuenit: negatio enim si falsa sit, affirmationẽ esse verã necessum est; sunt enim illa sibi inter se ex diametro opposita; *Faciam ipsi adiutorium qualis ipse est:* Nuper dicebat Deus, *Faciamus hominem*; hic verò dicit, *Faciam.* Nimirùm illud nobis oraculum numero plurali prodit Tres sacrosanctas Personas; hoc verò, singulari, vnam essentiã; vt ex his duobus Oraculis intelligamus, Deum esse vnam Essentiam, & Tres personas. Ad hoc, suprà de formatione Adami agens dicebat; *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, quo significaret per verbum numeri pluralis, consultationem quandam deliberationémque idque ad eius qui formãdus erat, dignitatẽ spectabat, vt qui non conderetur absque verbo & consilio deliberationéque Dei, contrà atq; bestiæ rationis expertes quæ solo iussu extiterunt: hic verò vbi de formanda Eua tractatur, ait; *Faciam*: Et hæc variantia, complures habet rationes. Primò enim ostendit, vnam esse viri fœminæque naturam; Deinde Dei studium aduersus Adamum & Euam explicat clariùs: Ad hoc, prodit Euæ conditionem minimè superuacaneam esse. Insuper docet, Deo non tandem aliquando in mentem venisse de conformanda Eua, sed in ipso statim initio simul atque Adamum conderet. Et hæc quidem sensa ex verbo, *Faciam*, commentando elicere possumus. Porrò cùm

Quod Leges obseruentur, vnde fiat.

Cur Adamo creato non dixerit Deus bonum esse quod fecisset.

Trinitatis mysterium.

A Adiutorij vocabulum varijs vsurpetur modis, illud quæritur, qua in re adiuuare debuerit Eua Adamum; hoc est fœmina virum. Statuimus autem in plurimis. Primò in procreandis liberis, hoc est, vtero gestandis. Præterea in educanda prole prognata. Insuper vt ad virum spectat ea quibus opus est colligere comportaréque aliũde domum, ita fœminæ est, domi omnia ordinare, atque vt in promptu sint disponere administraréque. Ad hæc, fœmina vt in lætis ita & in aduersis ferendis sociam se viro præstare, vnáque, onera omnia subire debet. Denique & in reuerendo, colendóque numine, & in aliarum virtutum exercitio virum ipsa adiuuat: nam vt Paulus ait; *Christi salus, & viris & fœminis ex æquo est communis.* Quod porrò addit, *qualis ipse est*, perinde est ac si dicat, quæ, eadem naturæ conditione cum viro prædita sit, nõ autem quæ vt bestia vel iumentum, operam illi præstet, **B** quæ humana carent indole. Præterea paritatem quoque naturæ, illa verba, & consimilitudinem in vtroque sexu ostendunt, ita vt neutrius, vel præstantior vel desertior existimari debeat. Denique cùm tribus fere modis, eos qui alios adiuuant distinguere soleamus (aut enim maior opem fert minori, aut minor maiorẽ iuuat, aut æqualis æquali operam commodat: Verbi gratia, interdum Rex opitulatur humilis conditionis viro, est etiam vbi pauper subsidio est diuiti, sæpe quoque vir princeps principi viro, aut plebeius plebeio suppetias venit) possunt addita videri verba illa, *qualis ipse est*, vt æqualem æquali auxilio esse intelligamus, dum Eua Adamum adiuuat. Quòd si verò quis obijciat, Euam Adamo plus angustiarũ quàm opis attulisse: ei respondebimus, culpam **C** eius rei nõ in Euæ conditorẽ Deum, sed in ipsam Euam esse conferendã. Sicut hodie videmus multas fœminas triste viris suis connubium reddere; sed id illarum ipsarum vitio fieri, non autem ipsarum opifici Deo hoc crimini posse verti. Nam & manus nostræ eò effectę sunt, vt quæ proba sunt ea agant, iam si ipsis ad patranda mala vtamur, erit sanè nostra ea culpa, non conditoris illarum Dei: & oculos nostros formauit Deus vt viderent quæ recta sunt teste Dauide, si tamen ad ea quæ impura sunt ipsos intendamus, quis id effectori Deo, ac non potius nostræ vitiositati adscribat? *Et formauerat Dominus Deus è terra omnem volucrem cœli.* Non iam formasse Deum alios animantes aliásque volucres post superiores affirmat, sed de illis ipsis prorsus hîc agitur, atque ad eadem effe- **D** cta, redit oratio, quod ideò fit, vt intelligamus Adamum solum & absque vllo adiutorio quod consimilis esset cũ ipso naturæ, formatum primò fuisse, cùm bestiæ, iumenta, aues gemino sexu simul condita essent. Cæterùm formandi verbum, hic non ita accipiendũ est quasi ex terra sint coagmentata animantia, feræ, aues, hæc enim ipsa produxit natura, sicut & reptilia progenuêre aquæ, vt ante est à Mose dictũ: sed ideò formandi siue fingendi verbo vtitur Scriptura, vt sciamus non solam terram illa procreauisse, quod Mosis verba, *Producat terra animam viuentem, iumenta, & reptilia, &c.* videbantur sonare: sed ex terræ simul & aquarum coagulo enata esse, aut ex quatuor potiùs elementis. Nam ex his, vt Adami, ita cæterorum corpora quoque animantium, ferarum, auium, repti- **E** lium corpora sunt composita: sed illius corpus, Dei ipsius est manibus informatum, horum verò corpora non manibus sed sola iussu Dei coaluerũt. *Et duxit ea ad Adamum.* Vnde adduxit feras, iumenta, aues, ad Adamũ? nimirùm è montibus, solitudinibus, alijsque locis passim collecta, solo nutu suo ad Adamum egit, sicut ad Noam quoque diluuij tẽpore. Nam vt hic, ita volente Deo, nihil sibi ab illorum feritate metuebat, ita neque Adamus, eò quòd adhuc non deliquisset aduersùs Dei mandatũ: immò verò ipsa Adamum reuerebantur, pauebántque ac tremebãt ad ipsius conspectum. Sed & hoc animaduertendum est, hic prorsus atque omnino effectum dari quod antè dixerat Deus ad homines, *Dominamini piscibus Maris & volucribus cœli, omníque animanti terræ*: Et rursus; *Dominamini piscibus Maris*; &c. Quòd autem illa ad

Quibus in rebus fœmina sit Viri adiutorium.

Mulieris Officia.

An Eua adiumento fuerit ipsi Adamo.

Gen. 9.

Bruta, Adamum initio reuerebantur.

ad Adamum, non Adamus ad illa ducitur, amplificandæ huius dignitatis caussa fit; A quasi res possessæ transferantur ad possessorem, aut mancipia ducantur ad Dominũ: ostenditur enim, illa obsequium debere Adamo, eiúsque caussa esse condita. *Vt videret quibus illa appellaret nominibus.* Non hæc eò dicuntur, quasi Deus illorum nomina ex Adamo discere opus habuerit, sed vulgari hominũ more loquitur Moses; quippe solemus quæ alioqui nobis etiam perspectissima sunt, ea tamen proponere alijs vt ipsorum sententiam quoque de illis audiamus: Deus enim ab omni æternitate cuncta nouit priúsquam existant. *Et quodcúmque appellauerit Adamus animam viuentem, id erit ipsi nomen.* Cùm dicit; *appellauerit*; ostendit nomina illis esse ab Adamo indita. Cùm porrò addit; *animam viuentem*; arguit ea modò id temporis ad Adamum producta esse, quæ animali anima (vt sic dicam) fuêre B prædita. Denique dum dicit; *id erit ipsi nomen*; demóstrat, ea singulorum esse nomina quę ipsis sunt ab Adamo posita. Conficitur itaque, pisces, reptilia, arbores, semina, virgulta, herbas, cæteràque ex terra nascentia, & res prætereà alias inanimas, non hoc loco neque hac vice nomina sua ab Adamo accepisse, sed alio post tempore: neque enim illa omnia potuêre vnà cum feris, iumentis, volucribus ad Adamum adduci; átque hæc prima est de illis verbis Doctorum sententia. Cæterùm alij sic existimant, dicta illa Mosis non eò spectare quasi Adamus nomina iumentis, feris, volucribus posuerit, sed ad imperium Adami, quod ei & simul vniuerso generi humano in illa datum est, pertinere. Nam penes quos est rerum quarundam Dominium, ij quibus volunt nominibus res eas cẽsent, sicut possessor ea quæ possidet. Quid C enim alioqui profuisset, inquiunt, hàc aut illam bestiam volucrémve hoc vel illo nomine nuncupasse, quod nomen neque ipsæ agnoscere quiuissent, neque eo sæculo vllus mortalium ab Adamo discere? Ad hoc videmus singulas gentes sua quámque lingua sermonéque ac vocabulis proprijs, animantes auésque nominare; non Adami autem lingua, nominibúsque ab ipso datis vti: vnde conficitur, illa Mosis verba ad imperium quod Adæ eiúsque posteritati in feras, iumenta, volucres à Deo cõcessum fuerat, spectare; vt pro illo, quibus collibitum esset nominibus, ea appellare posset. Est & tertia sententia eorum, qui verba illa referunt ad ipsam rationem qua Deus humanum genus ornauit: ea enim dum homo vtitur; appositis, & feras, & volucres cæterásque res crea- D tas, nominibus appellare potest. *Et imposuit Adam nomina omnis animalis, & omni volucri cæli, & omni bestiæ agri.* Quidam putant, Adamum voce quæ sensu percipi audirique posset, pronunciata; singulis animantium speciebus volucrúmque nomina indidisse, cùm eidem colliculo terræ pro Paradiso insidentem augustáque amictum maiestate & splendore quem habitu præ se ferebat, & Solis radios superantem; illa summissis capitibus prona, neque præ nimio decore quo ille splendebat, intueri ipsum audentia singulatim præterirent, suísque ab illo appellarentur ex ordine nominibus (nam neque Israëlitæ quiuerunt Mosis vultum inspicere ob fulgorem quo collucebat, neque nos valemus oculorum aciem intendere in Solem propter resplendens iubar quo circundatus est) veluti verbi gratia, cùm Taurum ille nomine E cieret, audito nomine suo Taurus transibat coram illo, capite demisso, neque obtueri ipsum potens: similiter nominatim citatus Equus agnoscebat nomen, præteribátque deiecta ceruice, neque Adami conspectum sustinens: atque ita de nuncupato Asino, alijsque singulis animalium & bestiarum volucrúmque speciebus. Sed dicet aliquis; Vnde didicerat Adamus, quo genus quodque nomine esset vocandum? Ad hoc respondent, quibus hæc interpretatio placet; Spiritus sancti fretum gratia, instinctu, atque efficientia; illum proprijs appellasse quæque vocabulis: quippe sicut Apostoli impulsi sunt ad loquendum alijs linguis, pro eo ac Spiritus sanctus suggerebat ipsis vt loquerentur; ita etiam Adamum ab

Nomina rebus singulis ab Adamo imposita.

Exod. 34.

Act. 2.

eiusdem sancti Spiritus benignitate efficacitatéque accepisse & scientiam & vocem & orationem, atque ita singulis animalium generibus sua attribuisse nomina. Porrò ijsdem illis ab Adamo positis nominibus vsam esse vniuersam hominum posteritatem vsque ad illud tempus quo sunt confusæ linguæ: & sicut ille fœminam vocabat mulierem, & Euam, ita omnes illius sæculi fœminas ad confusas linguas vsque, appellatas esse mulieres, & Euas; quando etiam hodie multi mortalium ijs vtuntur vocabulis, quæ sunt ab Adamo primùm prodita. At alij Interpretum, vt nuper ostensum à nobis est, dicere malunt, Mosen significare illis verbis, imperium Adamo eiúsque posteritati concessum; pro quo, nomina animantibus cunctis rebúsque alijs imponere possint. Alij verò existimant, hæc ad ipsam rationem spectare, qua donati ab opifice Deo homines, suis res quasque vocabulis queunt appellare. *Et Adamo non inueniebatur adiutorium qualis ipsius erat.* Haudquaquam existimanda sunt hæc verba pro responso data esse cuipiã: quis enim interrogare potuisset num Adamus haberet subsidium sibi simile, quando præter illum etiam tum nemo erat hominum? Verùm spectant ad cognoscendum discrimẽ inter Adæ conditionem & cæterorum animantium ratione carentium in eo positum quòd in his mas & fœmina pari ortu simul extiterint; in genere verò humano Adam solus primùm conditus sit, & deinde ex ipso fœmina. *Et immisit Dominus Deus in Adamum, quietem, & obdormiuit.* Notandum est, pro quiete in Græco, ἔκστασιν: hoc est, mentis stuporem, esse scriptum; in Hebræo verò, somnum. Cæterùm eò quòd ait, Deum misisse in Adamum, quietem siue mentis stuporem; arguitur, non naturæ necessitudine somnum illum Adamo accessisse, sed Deo conciliante. Qualis verò fuerit illa quies, aut ἔκστασις, si quis quærat; respondemus haud similem consuetis illis fuisse quibus vti solemus, naturæ indulgentes. Primum enim eo sopore immisso, obduxit Deus Adami mẽtem à rebus omnibus quæ visu vel alio quouis sensu percipi possint, atque ita somno eo adfecit vt illarum rerum prorsus nullam sentiret: nimirùm ipsius cogitationes penitus ab occupationibus rerum mundanarum omnibus ita collegit vt aliò mẽtem suam ille, quàm in seipsum ac circa sese, non intenderet aut verteret: deinde reuelationem ipsi indidit, qua veluti diuina quapiam efficientia sic ille comparabatur vt per animæ suæ motus virésque, videret atque audiret cuncta quæ in seipso ac circa se agebantur. Permisit enim ipsi vt non aliter apud animum suum versaret reputarétque ac certus redderetur quòd costa sibi eximebatur atque in mulierem concinnabatur, quàm si oculis auribúsque corporeis vsus rem ipsam vidisset & audiuisset. Nam eo captu animi, qui videndi audiendíque sensibus responderet, ideo ipsum informauit Deus, quò penitus cordi ipsius fixa hæreret mentíque certa constaret res illa quæ agebatur; intelligerétque ille se non fantasia quapiam atque vana imaginatione seductum à vero esse, sed rem ipsam percepisse: non aliter atque nobis accidit, qui dum oculis aliquid cernimus auribúsque audimus, verè nos quod res est didicisse scimus: sũt enim duo illi sensus (visum dico, auditúmque) in omni re certissimi veritatis testes. Et verò vt hic cum Adamo, ita aliàs cum sanctis Prophetis agebat quoque Deus quando ipsorum pectora diuinis suis reuelationibus illustrabat: ante omnia enim abducebat ipsorum mentes cogitationésque ab omnibus rebus spectabilibus aut in quemuis alium sensum cadentibus atque materiatis, & planè ab omni mundanarum rerum occupatione; quò, mentis agitationibus animíque cogitationibus intentè contemplarentur ea quæ apud se gerebantur: eáque nõ aliter intelligerent quàm quæ oculis auribúsque corporeis coram fieri viderent atque audirent, deinde radijs diuinarum reuelationum pectora ipsorum collustrabat reuelationum (inquam) earum rerum quæ aut euenturę erant, aut iam tum acciderant. Verùm illiusmodi reue-

Qualis fuerit Adami somnus.

Quomodò Prophetæ adfecti in suis visionibus.

lationes diuinæ & Spiritus sancti efficaces actiones, Prophetis vigilantibus contingebant; at Adamo dormienti obuenit sacra illa reuelatio rei quæ circa illum agebatur in condenda ex ipso Eua. Fuit igitur ea siue quies siue ἔκστασις, qua Deus Adamum deuinciebat quando ipsius detractam corpori conformabat Euam, illi similis sacræ visioni qua Abraham cernebat lampadem ignis incedentem inter frusta; qua Ezechiel inuectos Cherubinos; qua Isaias Deum sedentem in sede sublimi, Seraphinósque stantes circùm ipsum; denique qua Petrus descendens è cœlo velum contuebatur. Atque hæc hactenus de quiete siue Ecstasi, quam Deus Adamo inijciebat, dicta à nobis sunto. Illud porrò quod scribitur, *dormiuisse Adamum*, ostēdit ipsum adhuc ignarum quid rei esset Somnus, se nudum humi abiecisse, atque stertuisse; sed indutum interim gloria, splendentémque Solis in morem. Porrò in disquisitionem autē hic venit, num per insomnium viderit costam quæ sibi subtrahebatur, atque conformabatur in fœminam; an verò reipsa eam costam intuitus sit? Respondemus verò, cum minimè costam ipsam reuera adspexisse, cùm dormierit; neque etiam per Insomnium (quanquàm non negandum sit esse quædam Insomnia vera, cuiusmodi fuere illa quæ Iosepho euenerunt & Pharaoni, item Danieli & Nabuchodonozori, atque etiam Iosepho Mariæ sponso, denique vxori Pilati, compluráque alia huius generis) sed per diuinam relationē, cùm somno tamen interim esset ipse occupatus. Cæterùm diuinæ reuelationes non vno omnes modo hominibus offerri solent; sed partim repræsentatis rebus ipsis, aliæ per insomnia; denique nonnullæ etiam neque per res ipsas neque per insomnia, sed per Animæ sensus; occlusis scilicet sensibus corporis: sicut nobis vsuuenit, dum clausis oculis, obturatísque auribus cogitationem nostram ita intendimus in rem quampiam remotam, vt neque audiamus illos qui nos ex propinquo alloquuntur, neque videamus. Sunt autem reuelationes, quæ per res fiunt, cuiusmodi fuit illud Mosis visum, quo ignem Rubúmque ipsum, & cætera videbat: eæ verò quæ per Insomnia; quales fuere, Iosephi & Pharaonis, atque Danielis & Nabuchodonozoris. Quæ neque reipsa neque per Insomnium accidunt, illius sunt generis cuius erant quas videbat Abraham, Isaac, Petrus, & hoc loco Adā. Solet & illud quæri, cur non vigilanti Adamo, sed dormienti costam Deus subtraxerit? Atqui si vigilanti exemisset, horum ipsi euenisset alterutrum, vt aut doloris sensu aliquo afficeretur in auferenda costa; aut nullo. Iam verò si doluisset, odium aduersùs coniugem suam Euam concepisset: sin nullo tactus fuisset dolore, existimasset falsam duntaxat imaginationem fuisse eam quæ de Euæ conditione suo animo obuersabatur, neque reipsa & verè accidisse. Imbuit igitur illum somno Deus ne quid doloris sentiret dum costam amitteret: rursúsque effecit vt intellectus sui motu, costam sibi adimi inque Euam concinnari, videret; quò ea res ipsius animo impressa fixáque penitus mente hæreret, neque falsa rei imago existimaretur: hæc verò animi intelligentia atque notio, ex diuina est orta reuelatione, & instinctu. Igitur non naturalem somnum & vsitatum illum immisit Adamo Deus, quo effectum est ne sentiret dolorem, & ægréque haberet dum sibi costa demeretur; ex quo dolore subinde in memoriam sibi recurrente, hostis aduersus eam mulierem fieri potuisset, quæ ab ipso Deo erat conformata, sed ea ipsum quiete, siue Ecstasi deuinxit, in qua scire posset atq; intelligere, illud rem ipsam esse, quod in se, & circùm se agebatur à Deo, nullo tamen interim doloris sensu tactus. Ad hæc sciendum est, quòd Prophetis, cùm imbuerentur diuinis reuelationibus dabatur simul mentis contemplatiua vis quædam, qua sacras illas reuelationes penitus intuerentur atque expēderent; qua contemplationis vi alioqui non semper sed solo illiusmodi reuelationum tempore mens ipsorum illustrata manebat; auferebatur verò ea ab ipsis post reuelationes, sed remanente interim fixa in ipsorum mente, vera contemplatiuæ illius virtutis memoria, etiam posteàquam euanuissent ipsæ reuelationes simul cum vi illa contemplatiua. Ita enim accidit Abrahamo Ecstasi correpto, Elisæo visum videnti, item Isaiæ cùm cerneret Deum sedentem super solium; præterea Ezechieli intuenti Cherubinos inuectos, denique Petro contemplanti velum. Igitur sic Adamus quoque affectus erat cum quietem siue ecstasim ipsi immisisset Deus: apparuit enim ei Deus, datáque est ipsi simul vis ea mentis contemplatiua quà cernebat eximi è suo corpore costam, & fœminam formari: sed postquàm abscessit ab ipso reuelatio, atque ablata simul est mentis illa vis contemplatiua; mansit tamen nihilominùs firma in ipsius animo, rei de se gestæ vera recordatio. *Et accepit vnam è costis ipsius, clausitque carne eius locum.* Cur ex ipso Adamo formauerit Deus Euam, & non ex terræ puluere finxerit sicut ipsum Adamum; variæ sunt caussæ. Prima, vt vna eadémque radix, & nascendi principium esset omnibus hominibus ipse Adam. Altera ne dicerent contentiosi homines, alium fuisse Adami, alium Euæ conditorem sed fateri cogerentur, ab vno eodémque Deo ambos esse formatos. Tertia, vt arctiore constringeret amore virum & fœminā, eò quòd hæc ex illo esset orta. Quarta, vt effectum redderetur quod Moses de Adamo dicit; *Masculum & fœminam creauit ipsos.* Quinta denique, ne fœmina principatum affectaret, qui viri est. Quæri porrò potest, cur Deus Euam non sumpserit ex parte corporis Adami anteriore, aut infima, aut posteriore, aut denique suprema, sed ex medio corpore. Dicimus verò ex anteriore parte acceptam non esse, ne vellet potior haberi virúmque imperio premere; neque rursus ex posteriore, ne viro esset contemptui: ex capite verò ablatam non esse, ne primas quæ viro debentur fœmina sibi vendicaret; & verò neque ex vltima parte corporis formatam esse, ne vir fœminam multò se inferiorem humilioremque æstimaret; sed ex medio corpore, vt mediocri apud virum dignatione haberetur. Solet vlteriùs hoc etiam quæri, cur è sinistra potiùs corporis parte, quàm dextra sit ablata; possumúsque respondere, ideo è dextra parte sumptam non esse ne cum viro conferri æquaríque se vellet: duas verò esse rationes, cur è sinistro latere sit formata, alteram, vt sit viro obsequiosa eiusque imperio obtemperans; alteram, vt sciatur infirmioris eam naturę esse. Nam sinistrum latus dextro imbecillius est; neque enim sese potest absque dextri auxilio subrigere, vt neque fœmina se absque viro sustentare valet. Et verò sinistrum arguere imbecillitatem, vel ipsa animantium natura monstrat; quorum omniū sinistra pars imbecillior est quàm dextra. Est itaque in fœminis temperamentum corporis frigidius, imbecillius, crudius, vt in parte animantium sinistra. Quin inter ipsos viros reperias cuius dextrum latus sit calidum, vegetúmque; sinistrum verò, frigidum ac flaccidum. Ad hæc masculus in dextro latere concipitur, femella in sinistro. At enim ex ipsa imbecillitate quam in sexu fœminino palam cernimus, satis arguere liceat, Euam è sinistro Adami latere, vt minus valido, esse acceptam. Porrò cur costam & non aliam corporis partem Adamo detraxerit Deus, quam concinnaret in fœminam, plurimas habemus rationes: nam cùm in costa & carnem & ossa, & neruos, & sanguinē inuenire sit; ex ipsa, vt perfecto absolutóque membro, perfectam numerisque omnibus absolutam esse formatam fœminam rectè colligitur. Præterea eò etiam significatum est, ita fœminam protectore viro opus habere sub cuius vmbra tuta lateat, vt costæ brachijs contectæ proteguntur. Denique eodem spectat quoque mysteriū perfossi lateris Domini nostri in cruce, ex quo profluxit sanguis & aqua, vt hac renascerentur Fideles per Baptismum, illo vero expiarentur. Ideò enim lancea Domini nostri latus pertusum est, vt lueret expiarétque fœminæ illius scelus, quæ ex latere viri per costam fuerat enata. Porrò ideo expleuit carne locum exem-

Marginalia: Gen. 15. — Ezech. 1. — Isa. 6. — Act. 10. — Vera sunt ex insomnis nonnulla. — Gen. 37. & 41. — Dan. 2. 4. & 7. — Matt. 1. d. — Matt. 27. c. — Reuelationū diuinarum plures modi. — Exod. 3. — Gen. 37. & 41. — Cur Adamo dormienti potiùs quàm vigilanti erepta costa. — Adami somnus primus non fuit naturalis. — Rom. 15. — 4. Reg. 8 c. — Isa. 6. — Ezech. 1. — Act. 10. — Cur Eua ex ipso etiam vt Adamus ex puluere formata sit. — Viri & fœminæ concordia. — Viri, non fœminæ, est principatus. — Cur ex sinistra parte potius, Eua formata sit. — Cur Eua formata sit ex Costa. — Ioh. 19.

Cur Deus Costæ locum carne expleuerit. Viri & vxoris concordia.

exemptæ costæ, ne dolore adficeretur experrectus Adam, eò quòd parte ea corporis esset mutilus; simultatémque aduersus detractam sibi partem conciperet. Et verò duo sunt quæ expeditè Deus peregit in Adami corpore; alterum quòd costam absque dolore exemit, alterum quod pro costa carnem suffecit; & quidem neutrũ horum sentiente Adamo, rem tamen ipsam intelligente atque cognoscente per diuinam reuelationem, quam mentis contemplatione intuebatur. *Et concinnauit Dominus Deus è costa quam sumpserat ex Adamo, fœminam.* Hæc nõ sunt à Deo tribus diuersis peracta vicibus; neque id dicit Moses, sumpsisse Deum primò costam, post expleuisse locum eius carne, ac tunc demùm concinnasse fœminam: verùm subitò, & oculi breuissima nictatione exempta est costa, suffectáque caro, & conformata fœmina. Nam si intra oculi momentum resurget vniuersum genus humanum, vt diuus Paulus ait, multò faciliùs intelligere possumus, simul illa tria apud Adamũ à Deo peracta esse: verùm quando nõ potuit Moses simul omnia hæc verbo vuo complecti atque enunciare & describere, coactus est ex ordine dicere Deum cœpisse costã, & costæ loco carnem supposuisse, ac fœminam concinnasse. Rursus quæritur, cur Moses de Adamo vsurpet, *Gebal*; hoc est, fingendi siue subigendi verbum: at de Eua, *Tacan*, hoc est, concinnandi. Respondemus, fingendi subigendiue vocabulum luto conuenire, ex quo Adam formatus est; subigi enim lutum debet, vt quippiam ex ipso fiat: at costa cùm iam tum subacto ex luto formata existeret, sola concinnitudine opus habebat, vt in fœminam euaderet. Iam verò hoc quoque interrogari potest, cur non sit dictum de Eua, quod insufflauerit Deus in ipsam, Animam, sicut de Adamo scriptum est; *Et insuflauit in faciem ipsius animam vitalem*: Respondemus nequaquam eò istud factum esse quòd Eua non fuerit prædita rationali anima perinde ac Adamus; aut non composita ex corpore & anima, vt ille: neque verò etiã quasi anima ex corpore nascatur, sicut os ex osse & caro ex carne: sed duabus de causis illud prætermissum in historia esse, quarum altera est, cùm ante esset de Adamo explicatum, humanam naturam ex corpore & anima in ipsius faciem insufflata constare, minimè erat necessarium idem de Eua hic repetere; altera, quia cùm costam temperasset Deus rebus omnibus quibus opus erat cõformassétque in fœminam, dubium esse nõ potuit quin simul Animã in ipsius faciem inspirasset idque vel hinc intelligitur quòd & si alio modo Adam alio Eua orti sunt (Adam enim ex luto factus est, Eua verò ex Adamo concinnata; atque Adam, non generatus extitit; Eua verò ex Adamo est producta) tamen consimilis prorsus ambo sunt naturæ, parique compositione naturali constant, quæ est corporis & animæ commixtio. *Et adduxit ipsam ad Adamum.* Vnde, & quò duxit illam? sanè non ex vno loco ad alterum; sed cùm antè in rerum naturà non fuisset, produxit in rerum naturam. Cæterùm ideò dicitur ad Adamum ducta esse, quia eius gratia ipsam condiderat, concinnarátque Deus: ait enim Scriptura; *Faciam ipsi adminiculum qualis ipse est.* Sed non est, vt ab ipso ablata fuerat rudis atque informis costa, ita & restituta; verùm iam concinnata, effectáque fœmina. *Et ait Adam; Hac vice os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Hîc vaticinãtis Adami verba nobis prodit diuus Moses: nam qui sopore atque quiete obrutus iacebat, animæ verò suæ interim agitationibus mentísque cõtemplatione rem ipsam quæ in eximenda costa concinnandáque Eua agebatur, considerabat; subitò experrectus, cùm eam ipsam mulierem quam per somnium conformari animaduerterat, coram se stàtem vigil inueniret; diuina sancti Spiritus gratia impulsus vaticinabatur, inquiens, *Hac vice os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Quod ait; *Hac vice*; ad illius temporis spectat discrimen, quo Deus bestias ac iumenta volucrésque ad illum egerat, imponendorum nominum caussa: perinde ac si Deo dicat Adamus. Quã nunc ad me adduxisti mulierem, lõgè alia est atque fuere animantia illa quibus ad me actis nomina indidi: neque enim illa ex me sumpta, aut meæ fuerunt naturæ; at hæc os est ex ossibus meis, & caro ex carne mea; hoc est, ex meipso accepta est, meæque est penitus naturæ particeps: vnà quippe eádemque natura constamus ego illáque. Cæterùm duabus id Orationibus sciebat Adamus quod hîc pronunciabat, & mentis suæ contemplatione quã dormiens cernebat, & Spiritus sancti benigna efficientia qua intus illustrabatur. Sed animaduertendum est, Adamum quoque ex Euæ compositura suam ipsius intellexisse agnouisséque: cum enim per Animi sui cõtemplationem intueretur Creatorem eum qui Euã concinnabat efficiebátque, agnoscebat simul & suam ipse cõditionem & eum qui se creauisset: sicut etiam Angeli cùm viderent animas Adami & Euæ à Deo creari præditas ratione & intelligentia, & immortales; hoc est, sibi similes; tunc demum intelligebant, qua ipsi essent conditione naturæ creati; & à quo Opifice. Possumus etiã aliter verba illa; *Hac vice os*; &c. in hanc sententiam interpretari: Hac duntaxat vice mulier ita formatur, vt sit os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; in posterùm verò non sic formabuntur mulieres, sed per maris cum fœmina connubium procreabuntur. *Hac vocabitur mulier, quia è viro accepta est.* Videtur quidem hæc oratio hunc præ se ferre sensum, quòd ideò dicta sit mulier quia ex viro sumpta est, cùm tamen propter legitimum cum viro coniugium mulier appelletur. Nam si inde quòd sumpta sit ex viro, hoc nominis sortiatur; planè aut cæteras mulieres omnes ex suis maritis acceptas fateri oportebit, aut earum nullam mulieris nomine dignam esse. Quòd autem vocabulo fœminas nuncupemus ob legitimas cum maribus nuptias, ipse nos vsus docet quo eas consueuimus solas sic appellare quibus legitimum intercessit cum viris matrimonium. Quin diuus Paulus quoque vbi virginem secernit à muliere, ostendit eam quæ non est secundùm Legem nupta viro mulierem vocari non oportere; sed eam quæ legitimis nuptijs cum viro sociata sit. Insuper, hanc esse illorum verborum sententiam, ipsius Adami quæ subsequuntur verba arguunt; *Propterea relinquet vir patrem suum & matrem, & adhærebit mulieri suæ.* Nam nisi legitimo nuptiarum vinculo coniuncta fuisset sibi sua fœmina, planè nõ vocasset eam suam mulierem siue vxorem. Denique sunt quidam Interpretum, qui, *Itto*; hoc est, mulierem siue vxorem vocatam tradant illam hoc etymo; quasi ipsa ad maritum suum dixerit, *Atta Ta Zaedi*; hoc est, tu accede ad me, nimirùm si velis mihi ritè sociari, paterque liberorum fieri conseruandi generis humani gratia. Cõficitur itaque his omnibus, ideò Euam dictam esse *Itto*; hoc est, mulierem siue vxorem, quia Lege viro coniuncta erat; omnesque ac solas fœminas ritè nuptas, illo nomine dignas esse: atque in eam sententiam Adami verba illa esse explicanda, quantumuis aliam præ se ferant. Verùm enimuerò sunt qui dicant, duo ista nomina, viri & mulieris, magis inter se conuenire in lingua Hebræa, quàm Syra, aut Græca, aut Armeniaca, aut denique alia quauis: in illa enim virum, *Is*; mulierem, *Issa* enuntiari, quod perinde est ac si Syrus, vt virum, *Gabro*, ita mulieré *Gabirro* vocet; de qua re nos, volente Deo, dicturi sumus in eo Commentario, quem scribere constituimus in reliqua libri Geneseos capita, si vita superet, erit enim eius tractandæ congruus locus, vbi ad illa verba peruentum fuerit; *Et erat omnis terra linguæ vnius, & sermonis eiusdem. Ideò relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori* (siue mulieri) *suæ.* Iam diximus, ex his verbis facilè intelligi, mulieris nomen à legitima coniunctione, qua viro sociatur, dictum esse. Nam eò spectat quòd hîc dicit, virum ita mulieri mutuum cohærere debere, vt patrem matrémque sibi præ illa deserendos statuat. *Et erũt ambo, caro vna.* Multis modis vir & vxor vna caro censentur; per coniugij necessitudinem, per sobolem ambobus communem: denique eo etiam quòd parentis filiique ratio ex ipsa muliere pendeat atque ex ea constituatur,

1. Cor. 15.

Cur non dixerit Moses, inspiratam in faciẽ Euæ, animam, vt de Adamo dixit.

Adam per Sõnum didicerat quæ deinde Prophetauit. Errat planè Bar-Cepha, nã plenissimã rerum humanarum supernaturaliúmq; cognitione qua imbutus fuit Adam, rectè originẽ suam nouit S. Thomas 1. par. quæst. 99. art. 3.

1. Cor. 7.

Eua vnde dicta Syris, Itto.

Vel si Latinus virũ dicat hominẽ: Mulierem verò, hominam.

Gen. 11. *Gen. 2.* *Matt. 19.* *Mar. 10.* *Ephes. 5.*

quantùm ad ipsa corpora quæ progignuntur, pertinet: ex cõnubio enim viri mulierisq; fit vt concipiat pariátque mulier: iam verò per conceptum partúmque parentes & filij efficiuntur. Porrò certum est, Adamum hæc verba per vaticinium ex diuinis reuelationibus pronunciasse. Nam illa ipsa Christus in Euangelio quasi ex Dei Patris persona dicta profert: quandoquidem Prophetarum verba, etsi ex ipsorum oribus emanârint, tamen vt ab ipso Deo pronunciata accipimus; Dei enim ipsius organa, Prophetæ habẽdi sunt. Cæterùm quæri potest, cur de viro dicat Scriptura, quòd relinquere debeat patrem matrémque, & adhærere vxori; quando ipsæ potiùs mulieres, patre, ac matre, familiáque, ac rebus suis omnibus relictis, ad viros accedunt ipsísque adhærent. Ad hoc respondendum est, multis id rationibus fieri: & quia vir mulieris caput est, & quia ille per coniugium liber primùm euadit solutúrque patria potestate in qua tantisper erat dum vxorem duceret; eà enim dictà ipse fit pater familiâs, Et quia non parentem esse sed corpora miscêre, tempore priùs est: neque enim quia parentes sunt, Venere vtuntur; sed quia hac vsi sunt, parentes fiunt. Nam Adam & Eua priúsquam mutuis amplexibus consociati essent, haudquaquam parentes dicebantur, verùm vbi cõnubio cohæsissent filiósque procreassent, tùm demùm parentes sunt meritò cognominati. Porrò posteàquam de condita Eua locutus est Moses, procedit ad explicandum quomodò vitam agitauerint suam primi Parentes his verbis; *Et erant ambo nudi, Adam & vxor ipsius, neque pudebat ipsos.* Sed cur non pudebat? Non profectò quia pueruli essent, aut quia rustica simplicitate atque imprudentia: fuêre enim à Deo effecti ætate iuuenilli, non puerili; & prudentes, non stolidi aut inurbani. Sed ideò pudore non afficiebantur de sua nuditate, quia adhuc non peccarant neque deliquerant, eóque nulla animum cogitatio subibat esse aliquam in nuditate culpam. Præterea amicti erant gloria, atque idcircò non verecundabantur: sicut enim Mosis faciem gloria contectam intuêri non potuerunt Israëlitæ; & vt in Solem stola gloriæ vestitum mortales oculorum aciem intendere nequeunt; præterea vt Corpus Domini coopertum gloria, Solem ipsum fulgore candoréque superabat cùm in montem se recepisset; denique vt ipsius diuinitatis vestimentum spectabile non est: ita Adam Euáque quia vestiti erant gloria, nihil verecundabantur. Nam nuditas ea de qua hîc Moses agit, ad vestem spectat non item ad gloriam qua etiam tùm contecti erant. Insuper est vbi nuditas pudoris sensum generet; est etiã vbi nulla verecundiæ cogitatio animum ob nuditatem subeat. Illius exemplum habemus in Adamo atque Eua, qui posteàquam deliquissent, existimabãt suam sibi nuditatẽ pudori esse debere; huius verò in puerulis, quos nihil pudet esse nudos; idem accidit, cùm res ipsa pudorem in se nullum habet, veluti cùm quis secretò, & absque testibus, se vestibus exuit: Fit hoc etiam longa consuetudine magistra, sicut ijs euenit qui assiduè in balneis nudi versantur. Denique vbi rei necessitas quædam incumbit, veluti si quis vlcere laboret in ea corporis parte quam alioqui absque pudore non retegat; ipsa tamen necessitate adactus, eam, exuto pudore, medico aperit. Duas igitur ob res non verecundabantur Adam & Eua cùm essent nudi; & quia amicti erant gloria, & quia adhuc non deliquerant. Nam & in futuro Mundo sublatus erit omnis pudor ex hominibus, qui ex nuditate possit gigni; tùm quia vestiti erunt gloria quali erat indutus Adamus atque ipsius vxor Eua inter arbores antequam violassent mandatum; tum quia ipsa pudoris caussa, peccatum dissolutum erit irritúmque. Cæterùm diuus Moses dum perseuerat, Adamum Euámque nihil puduisse suæ nuditatis; confert id sæculum quo ea scribebat, cũ eo quo illi fuêre procreati à Deo, quasi dicat: Non vt iam videtis homines ob nuditatem pudore adfici, ita Adamo Euæque accidit; neque enim illos puduit ob duas quæ dictæ iam sunt, rationes. Porrò absoluto ser-

Matth. 19. Mar. 10.

Exod. 34. S gloriæ stola vestitus.

Matt. 17.

Nuditas non pudenda.

Cautè lege, nam Adam non habuit corpus gloriosum vt beati in patria, sed forsan intelligito denũ illud splendidũ statum innocentiæ, quo ex

nuditate corporum nullus oriebatur rubor, quale quoque erit in patria.

mone de creato Adamo Euáque, & de vitæ ipsorum
A instituto; pergit diuus Moses commemorare fraudem qua seducti sunt à recto, nimirùm vt nos doceat ex quãta libertate in quàm grauem simus delapsi seruitutem per peccatum, inquiens: *Et Serpens astutior erat omni bestia agri, quam effecerat Dominus Deus.* Num de corporato Serpente hîc agat diuus Moses, an verò de Satana qui Serpenti similis apparuerit: &, si Satanas in Serpentis corpus se insinuauerat, cuius generis fuerit is Serpens; præterea pedes ne habuerit an minimè, ille Serpens; & quæ huc spectant alia, pridem sunt à nobis diligenter pertractata. Commemorauimus etiam cur Serpentem astutiorem dixerit, non prudentiorem cunctis bestijs agri! de his enim omnibus egimus capit. xxvii. quæstionibus decem in medium propositis. *Et ait Serpens ad mulierem:*
B *Verè dixit Deus ne comederetis de omnibus arboribus Paradisi.* Dubitari potest, an audierit Diabolus mandatum Legémque, quæ Deus Adamo imperauerat; cúmque minimè ignoraret quod res erat, dixerit ad fœminam: *Verè ait Deus ne comederetis*, &c. an verò suspicans modò Legem illi à Deo positam fuisse, mulierísque animum tentans; illa ad ipsam verba fecerit. Dominus Ephræm, aliíque Interpretes complures censent Satanam audiuisse mandatum quod Adamo dabatur; eiúsque conscium accessisse interrogasséque fœminam illis verbis; *verène ait Deus*, &c. quò per eam interrogationem sibi captaret colloquendi ansam. Philoxenus verò & Theodorus Nestorianus multíque cum his alij dicere malunt, Satanam non audisse Legem dum Adamo imponebatur, sed coniectura atque suspicione præscriptæ cuiuspiam
C Legis ductum, mulierem adortum esse vt ex ea interrogata disceret qualisnam lata lex esset; atque inde captato fallendi argumento aduersus ipsam abuteretur. Nos porrò putamus, cuiusque harum duarum sectarum sententiam versari in tribus hisce quæstionibus; vtrum cõdita sit Eua simul cum Adamo, an post: deinde, acceperítne vnà cum Adamo mandatum illud ab ipso Deo, an verò post ab Adamo: denique sitne per vocem quæ in sensum caderet, data lex ea à Deo, an verò absque voce menti impressa, cognoscibilísque reddita: ac proinde censemus has quæstiones accuratè expendendas esse priúsquàm de illis sententijs rectè possis existimare. Igitur Dominus Ephræm & qui cum ipso sentiunt Interpretes alij ipso freti Scripturæ tenore seriéque ducti, di-
D cunt primò Adamum esse conditum extra Paradisum, & deinde in Paradisum introductum accepisse à Deo mandatum ne vesceretur arbore cognitionis, post indidisse nomina animantibus, ac tunc demùm conformatam esse Euam ex ipsius corpore, atque de præcepto edoctam ab ipso Adamo voce eiusmodi quę audiri posset, eamque vocem exaudisse Satanam cùm ad vxorem loqueretur Adamus; itaque Satanam mandati minimè ignarum, sed bene conscium aggressum esse Euam, eamque pacatè interrogasse; *Verène dixit Deus, ne comederetis de arboribus Paradisi?* nimirùm vt ea sibi interrogatione aditum ad colloquium pararet. Theodorus verò & eius Sectatores aiunt, simul Adamum esse conditum & Euam ipsi detractam eodem quo creatus erat loco, atque hanc
E vnà inde in Paradisum cum illo esse subductam, vnáque Legem accepisse ab ipso Deo; non quidem voce quæ audiẽdi sensum moueret, latam, sed menti ipsorum impressam consignatámque quodam cognoscendi modo. Nam simul vtrique Legem hanc imperauisse Deum, vel inde se comprobare satis posse putant, quòd scriptum sit; *Masculum & fœminam creauit eos*: item; *Dominamini piscibus Maris, & volucribus cœli*; quæ plurali numero dicta sunt: præterea, quia Eua ob fractam Legem magis etiam culpabatur quàm Adam. Neque verò absurdum est, si hæc aut illa quæ ad Adamum modò locutus videri potest Deus, ea sub Adæ persona ad vtrúmque ipsorum dicta putemus. Nam quod scriptum est in Psalmo, *Beatus vir, qui non ambulauit in via impiorum*; profectò ad vtrúmque sexum sub solius viri nomine spectat. Et quæ in Ec-
clesia-

An Satanas audiuerit Deum Adamo præcipientem ne comederet.

Theodorus Nestorianus.

Historia Adami ordo.

Eua didicit ab Adamo Præceptum Dei.

Dei Praeceptum, voce an inspiratione, Adamo sit datum.

Cur serpens verba diuini Praecepti male retulit.

clesiasticis consilijs cœtibúsque, de viris disceptamus cōstituimúsque, sanè ad fœminas ex æquo pertinet. Cæterùm quòd non voce quæ exaudiri posset, latam esse Legem aiunt; sed quodam reuelationis modò immissam in ipsorum animos, simile esse dicunt illis visis quæ Prophetis apparent. Nam simul inditam fuisse illorum mentibus vim quandam intelligendi ac veluti intuendi atque ita certò cognoscendi id quod iubebantur, nulla intercedente voce quæ audiendi sensum moueret; quū Serpens, quando de Lege lata interrogabat, perperam ipsa Legis verba retulerit; nimirùm quia non Legem ipsam auditam cùm ferretur, tenebat, sed suspiciens coniectabat modò; vt qui cùm videret animátia passim carpere pabulum, Adamum verò Euámque etsi corpore constareot, nondum tamen vesci, facilè venerit in suspicionem, imperatam his esse Legem quampiam quà vescendi modus aliquis esset præscriptus. His ergo inducuntur isti rationibus, vt putent Dæmonem ignarum mandati, mulierem illa interrogatione esse adortum, quò ex ipsa Legem disceret; eáque cognita, & ijs quibus imperata erat & ipsi Legislatori insultaret. Esto autem iudicium penes Lectorem, vtram harum duarum opinionem approbet; potest enim in vtrauis acquiescere.

Serpentis verba, cum Dei verbis pugnant.

Superiùs, auctor citat, Ne de omnibus arboribus Paradisi, &c. cū signo vniuersali vt est in Hebræo.

Cæterum Satanæ verba illa in ipso statim exordio, Dei verbis aduersantur; mandarat enim Deus Adæ atque vxori vt de omnibus arboribus Paradisi vescerentur, sed de sola arbore scientiæ boni & mali non vescerentur: at ille contrà; *Vere* (inquit) *dixit Deus ne de Arboribus Paradisi vesceremini.* quæ oratio prorsus cum Dei oratione pugnat. Videtur verò in ipso sermonis initio dæmō ideò verba sua ad multas Arbores extendisse, vt occasionem sibi compararet in progressu vnam illam vetitā arborem calumniandi. Nam cuius studia in vniuersum omnia improba sunt atque peruersa, haud mirum est si ab improbitate auspicetur. *Et ait mulier ad Serpentem: De fructibus arborum Paradisi omnium comedimus, de fructibus arboris quæ est in meditullio Paradisi dixit Deus; Ne edatis de ea, neque tangatis eam ne moriamini.* Non, inquit, ô Serpens, iussi sumus ab omnibus abstinere arboribus, vt tu dixisti; sed ab vna sola quæ in Paradisi medio extat, interminatúsque est nobis Deus futurum vt moriamur, si de hac ederimus. Cæterùm existimandum est, mulierem non modò arborem in medio sitam Paradiso apud Serpentem nominasse, sed addidisse etiam, *scientiæ boni & mali*; tametsi hoc Moses prætereierit: credibile enim est, ipsam mandati verba omnia recitasse, inter quę etiam illa sunt. *Et ait Serpens ad mulierem; non mortem moriemini, sed nouit Deus quòd quo die ederitis de ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes boni & mali.* Cùm ait Serpens; *non mortem moriemini*; audet Dei verbum contemnere, falsique arguere: dixerat enim ille morituros nisi ab illa arbore abstinerent, & simul summouet metum mortis quo ab ea gustanda illi abstinebant. Cætera verba eò spectant vt persuadeat, Deum per inuidiam ea illis arbore interdixisse; nempe ne dij fierent, qualis ipse esset. Nimirùm vt princeps solet non facilè atque amicè ferre æquales suos principes; ita neque Deum deos pati alios posse: præterea vt incitet ad vescendum vetito fructu; quasi dicat, non modò nō moriemini verùm etiam plurimùm crescetis, quippe in deos euasuri qualis ille conditor vester est: nam in ipso fructu, intérque ramos illius arboris latet Diuinitatis vis, ita vt quisquis vescatur, ille pro Deo fiat, boníque ac mali gnarus: Per oculos autem aperiendos, cognitionis acumen, perspicacitatem, atque boni malique experientiam pollicetur. Denique quòd Deos fore, numero multitudinis, promittit; huc facit, vt ipsorum animis inserat opinionem, non maximum numen esse eum Deum qui ne de Arbore illa ederent, interminatus fuerat; sed esse etiam deos alios illi pares. Præterea vt improbam illam existimationem, quàm esset aliquádo gentibus persuasurus, complures Deos esse in Orbe; ab ipso statim initio, primorum Parentum auribus instillaret, atque ita ad omne malum, genus humanum

Verbum, Sot, Syris ac Chaldeis significat, recedere, desciscere, vnde hic deducit Satanæ nomē quod verum ab Hebræo Satan venit; Sanè Syri, Ochal carzo, eodem etymo vocant quo Græci, διάβολον.

auerteret. Quapropter rectè admodū Satanas ille etiam

A Diabolus * est appellatus: Satanas quidem, & quia ipsus à Deo recessit, & quia mortales à Deo abducit vt secum eos qui iram patraot: Diabolus verò, hoc est, calumniator; quia Deum per calumniam culpabat apud Adamum & Euam, quasi per caussam inuidiæ interminatum ne de arbore illa gustarent; & quia vicissim homines traducit apud Deum, vt de Iob scriptum extat: de hoc enim sic ille apud Deum verba faciebat; *Extende manum tuam, & tange carnem ipsius, nisi in faciem tuam maledicat tibi*: denique quia persuadere mortalibus laborat Deo ipsos curæ non esse. Cùm verò lex omnis aut ad prohibendum peccatum, aut ad promouendam iustitiā pertineat; atque vel formidine pœnæ quæ rebellātibus, vel spe præmij quod parentibus præstitutum est, obser-

B uetur: Serpens iste; hoc est diabolus, eo quod ait; *non moriemini etiam si ederitis*; pœnę metum submouere conatur, quo illi prohibebantur à transgrediendo legem Dei. Rursus dum addit, *eritis sicut dij*; maximæ etiam mercedis spe lactat, si vescantur fructibus à Deo vetitis. Est verò existimandum, Euam neque ita accepisse verba Serpentis siue diaboli, tanquam quæ disputari possent; alioqui enim multis illi modis, aut vno saltem quopiam respondisset; neque rursus ceu dubia & ambigua; nam ita quoque non defuisset ipsi quod contrà diceret: potuisset enim respondere; vnde tu nosti hoc mysterium? sanè qui arborem conseuit, maior te est: præterea, quid sibi vult quòd meos oculos apertum iri ais gustato fructu? quando etiam nunc neque lippiunt, neque clausi sunt? nam nisi aperti essent; quî possem ego te aspicere, Ser-

Dæmon quomodò tentat hominem.

C pentemque te agnoscere? itum illud, quòd boni malique peritos fore nos asseueras, nisi ego iam nunc quid bonū & quid malum sit intelligam; qui possim scire, consiliū tuum esse probum, aut diuinitatem bonam; mortem verò malam? Ad hæc, illud etiam obijcere quiuisset: Si vera narras, abi tu, & prior aufer de Arbore illa ac vescere, vt aperiantur tibi oculi fiásque Deus sciens boni & mali, tum deinde ego quoque accedens vescar. At cùm horū nihil illi responderit, satis colligere est, neque vt disputabilia neque vt incerta Serpentis verba ab Eua esse accepta: neque enim præ imprudentia aut infantia, hæc tacuit; quippe quæ ratione prudentiáque in ipso suo ortu prædita fuerat, & si parumper aduersus illum argumentata fuisset, victrix euasisset: Sed ita illius verba accepisse, tanquam quæ procul dubio vera essent: nam per

D Dæmonis nequitiam simul cum illis verbis, *& eritis sicut dij*, iniectum est ipsi desiderium arboris gustandæ, incensáque est cupidine Diuinitatis: solet enim peccatum, mentem eorum qui eius sunt studiosi, captiuam sibi mancipare. Tu verò Lector, hîc mihi Mariam apud tuum animum contendito paulisper cum Eua; atque illius quidem fortitudinē, huius verò socordiam ac ignauiam animaduertito. Maria enim quæ sæpissimè audierat promissum esse à Deo, Patribus, nasciturum Christū, neque ignorabat quæ de ea re essent vaticinati Prophetæ; cùm eius nūcij gratia ad ipsam venisset Angelus specie humana, dixissétque; *Concipies & paries*; nequaquam subitò fidem illius verbis adhibuit, eò quòd inauditum anteà esset, Virginem peperisse; sed cum ipso, disceptā-

D. Mariæ & Euæ comparatio.

E do rem expendere occœpit, dicens: *quomodò fieri potest vt hoc eueniat, quando vir mihi notus non est?* siue, *virum non cognosco?* vt alia habent exemplaria. Ad hoc, abijt visum etiā illud signum quod Angelus dederat, quò de ipsius verbis inde certior fieret; grauidam scilicet Elisabetam, sterilem alioqui anum. At Eua quæ nunquam audierat, Deum inuidia laborare, aut se Dijs pares futuros si de vetita arbore gustarent; simul atque loquebatur cum ipsa, non iam humana aliquis specie apparens sed Serpens, nihil disputat de arbore, sed diuinitatis ambitione incenditur, vilipendítque Dei mandatum, quare cōsentaneè de ea dictum est à diuo Mose: *Et vidit Mulier quòd pulchra esset arbor ad vescendum, & expetibilis oculis, atque desiderabilis spectatu.* Viderat quidē fœmina arborem

Luc. 1. c.

illam etiam priùs quàm illam Serpens adijsset ; neque enim poterat Lege inhiberi ipsi arbor non visa. Quod

Eua, alio atque alio modo vidit arborẽ.

verò Moses iam ait, *vidisse mulierem quòd pulchra esset arbor ad vescendum*, & quæ sequuntur alia ; ostendit alio modo ante Dæmonis accessum visam ab illa fuisse arborem, alio pòst: antè enim simpliciter intuita ipsam fuerat ; at posteaquam à Serpente decepta est, atque ad fidem huius verbis habendam inducta, tùm demùm vidit arborẽ esse pulchram ad vescendum, & spectatu expetibilem ; quippe immoderato dissolutóque appetitu tunc arborem aspexerat : solet enim huiusce modi cupidinis immoderatio, si quando animum inuasit, ea in quæ intenditur, omnium pulcherrima grauissimáque ducere ; sicuti euenire videmus ijs qui improbo fœminæ alicuius amore detinentur : ea enim, etiam si sæpè sit fœdissima deformissimáque, tamen bene pulchra ac venusta in illorum oculis habentur, adeò vt illorum cæcitas ijs sit ostentui qui ab ea permotione animi aduersus illam fœminam vacui sunt. Igitur quia Mulieri, cupido illius Ar-

Eua 3. vicibus aspexit arborem Scientiæ boni & mali.

boris per Serpentis fraudem iam iniecta erat, ait Moses ; *ipsam, vidisse arborem quòd pulchra esset ad vescendum*, &c. Sed vt res magis illustretur, dicimus, tribus, omnino vicibus alio atque alio modo Euam vidisse illam arborem : primò quidem, quando Lege eam vetabat Deus ; iterum à Satana in fraudem illiciebatur ipsa ; tertio postquam de illa edisset: Et primò quidem simpliciter intuitam esse vt cæterarum arborum vnam quamlibet ; secundò verò non simpliciter aspexisse, sed cum cupidine qua iam tũ tenebatur, quáque censebat omnium pulcherrimam esse ; sicut Thamar formosissima videbatur in oculis

2. Reg. 13.

Ammonis amore eius impediti: tertiò denique, simulátque gustasset ; tùm verò demùm pro valde fœda ditáque habuisse, sicuti etiam Amnon sororem suam Thamar, vt violauerat, inuisam habebat: quamuis enim vna eadémque manebat ipsius Thamar forma antè & post admissum stuprum ; tamen quam priùs frater ob venustatem adamârat, postquàm per peccatum esset abusus, odio prosequebatur. Itaque arbor illa quæ pari pulchritudine fuit cùm de ipsa ferretur lex & cùm esset Dæmoni fraudis materia, ac denique post decerptum gustatúmque à muliere fructum ; tamen primò neque pulchra neque fœda visa primis nostris Parentibus est, mox verò pulcherrima, sed postremò planè detestabilis est habita postquam peccatum per ipsam admisere. Vidit igitur quòd pulchra commodáque esset ad vescendum præ cæteris Paradisi quibuslibet arboribus, eóque acriore in ipsam appetitu rapta est quàm in cæterarum aliquam, non quod arbor ipsa, sed quia fœminæ animus esset mutatus per Serpentis fraudem, qui mulierem credulitate atq; effreni libidine ipsam agebat præcipitem, ad eam arborem. Cæterùm aptior videri possit verborum structura, si sic legatur: *Et vidit mulier quod pulchra esset arbor oculis, & expetibilis ad vescendum*, pulchritudo enim ad spectandi sensum pertinet, vt appetitus ad cibum. Sed hoc alibi iam à nobis est tractatum. Est verò & hoc animaduertendum ex illis verbis, *Et vidit mulier*, &c. colligi ipsam non subitò ac properè de arbore gustasse, sed multa priùs secum meditatam ; atque cùm illam, iuxta insistens ob oculos haberet, aspectantem, alia atque alia animo voluisse. *Et accepit de fructibus ipsius & edit.* Quæ-

Cur Eua ante vocatum Adamum gustauerit de arbore Scientiæ.

rat aliquis, cur non vocârit Adamum, vt is prior ederet! nimirùm transformari ipsa prior cupiebat in Deum, virúmque suum Diuinitate anteuenire qui se humanitate præcesserat, quò hac ratione administrationem rerum præ illo atque imperium obtineret: existimabat enim simulátque gustaret, è uestigiò in Deam se trãsformatum iri pro fallacis Serpentis consilio. Rursum quæri potest, quamobrem non sunt aperti mulieris oculi, agnoueritque suam ipsa nuditatem mox vbi edisset eum fructum, sicut accidit vtrique postquam edissent ambo. Huius rei hæc reddenda est ratio : si illa simul atque prior edisset, verecundiæ sensu fuisset perculsa, metuisset Adamus atque abstinuisset, neque tamen ea sibi abstinentia iustitiæ laudem vllam meruisset, vt qui non diuinæ legis reuerentia & respectu sed per vxoris pudorem fuisset cohibitus. Igitur quando certamen ex æquo ad vtrumque spectabat, faciendúmque erat periculum de vtriúsque simul indole ac voluntate, distulit Deus Euæ verecundiam, effecítque ne ipsam simul cum gustato fructu puderet nuditatis. *Et dedit etiam viro suo secũ, & comedit.* Existimandum ne est hîc mulierem simpliciter viro porrexisse, virum verò edisse, cum neque illa verbum vllum ad ipsum faceret, neque ipse rursus apud illam de eo cibo disquireret ? Sanè nos censemus & virum de cibo disquisiuisse, & mulierem ipsi tũ ea verba retulisse quod Serpens dæmon sibi dixerit tum alia prætterea ex suo ingenio adiecisse quæ ad persuadendum Adamum facere putaret ; idque his rationibus demonstrari posse existimamus. Primò enim cum ante violatam Legem, magnæ

Euam multa addidisse vt suaderet Adamo gustare de Arbore.

curæ fuerit vtrique ne quid aduersus Dei iussa committerent, non potuit profectò Eua porrigendo modò cibum vetitum neque verbum vllum addendo inducere Adamum ad vescendum, nihil prorsus de eo quod porrigebatur, disquirentem : deinde si simpliciter acceptũ cibum edisset, ignarus cæteróqui quamobrem ederet, à quo ante iussus fuerat abstinere, nulla meruisset culpa notari ob id quod simpliciter atque inscienter inconsideratéque fecisset ; cùm verò culpatum constet proptereà quòd edisset facilè intelligimus, rem ipsam antè ab ipso atque vxore fuisse accuratè expensam. Postremò si Eua mulier vsa est verbis aduersus Serpentem, dixitque ; *Lege Dei interdictum nobis est ea arbore* ; quantò magis existimãdum est, Adamum curiosè priùs de cibo quem vxor porrigebat, inquisiuisse, quàm gustaret ; vxorem verò & ea respõdisse quæ à Serpente acceperat ; futurum, vt non solùm non morerentur, verùm etiam deorum similes euaderent, & alia insuper affinxisse quibus maritum ad vescendum pelliceret, atque ita vtrumque edisse, facinúsque pessimum admisisse. Quin dominus Ephræm scribit, Euam multa pollicitatione solicitasse virum, atque ad vescendum induxisse ; cæterum Mosen, quibus vsa ipsa sit verbis, prætermisisse, cùm esset contentus docuisse nos fœminam viro caussam violandæ Legis fuisse, eò quòd vetitos fructus ipsi edendos subministrârit, & simul animos edendi addiderit: Serpentis verò verba literis prodidisse, vt eum intelligeremus ipsum esse generis nostri communem hostem, eóque insidias improbitatémque ipsius, euitãdi, maior nobis cautio esset. Porrò quæ fuerit arbor de qua ederunt Adam & Eua, & quemnam fructum gustarint, suprà est à nobis pertractatum. Ad hæc illud etiam operæprecium fuerit animaduertisse: cùm quisquis re aliqua vescitur, aut famis necessitate impelli, aut rei eius libidine effrenatáque cupiditate ; Adamum nulla fame cogente sed libidine suadente, de illa arbore edisse, ac proinde ei concupiscentiæ cohæsisse peccatum. Nam vt Apostolorum quidam ait, *concupiscentia concipit & parit peccatum*. Si enim nõ

Iacob. 1.

per libidinem sed vt qui nutrimẽto opus haberet, edisset, de cæteris edisset arboribus sibi in pastum permissis, non de ea autem quæ sola sibi fuerat vetita : itaque fames extra noxam futura erat, cùm concupiscentia cum peccato coniuncta sit ; quippe hanc ciborum luxuries comitatur, qui verò ingluuiei indul-

Libido ex ingluuie.

gent, ad venerem proni fiunt, vtpote gulosi, ventri mãcipati, proiecti denique ad ebriositatẽ, quæ vitia atque peccata maxima sunt. Veneris porrò comites sunt scortari, adulterari, cum maribus corpus cõmiscere, quæ & ipsa flagitia sunt. *Et aperti sunt oculi amborũ.* Sunt qui temerè atque etiam impudenter dicant, iam nunc illud euenire quod Serpens (hoc est, Satanas) fore prædixerat ; nempe, si Adam Euáque ederent de illa arbore, apertum iri ipsorum oculos : id enim hîc narrat Moses post gustatum cibum vetitum ipsis accidisse. Verum nos respondemus, aliter Mosen, aliter Serpentem de aperiẽdis oculis esse locutos: Serpẽs enim volebat oculorũ apertura significare futurum vt acri atque perspicaci essent ingenio,

Mosis & Serpentis dicta de aperiendis primorum Parentum oculis.

ingenio, bonúmque ac malum perinde ac dij possent dignoscere; at Moses apertis oculis nihil aliud vult, quã suæ ipsos nuditatis sibi conscios esse factos; hoc est, pudore verecundiáque affectos. *Et cognouerunt quod nudi essent:* hoc est, pudurt ipsos suæ nuditatis. Cùm enim peccatum detraxisset ipsis vestem gloriæ quã adhuc fuerant amicti, denudati sunt puduítque illos violatæ Legis, atque amissa omni fiducia qua antè pollebant peccatóque iam corpus ipsorum occupante, cœperunt erubescere ob nuditatem, metúque concuti ac pauere. Nam ante admissum scelus, gustatámque arborem, nulla verecundia tenebantur ob nuditatem idque duabus de caussis; & quia amicti erant gloria, & quia nulla pudoris cogitatio animos ipsorum subibat priusquã peccassent? at postquam facinus commisere, Deus ipsos gloria illa exuit, & simul pudoris sensum indidit vt eo perstringeretur peccatum, eiusque impetus ac feruor restringeretur. Igitur quod ait; *Cognouerunt*; perinde est ac si dicat; *pudore affecti sunt.* Porrò si quærat aliquis, ad quænam corporis membra potissimùm spectauerit iste pudor? dicimus ad genitalia membra; idque hanc ob rẽ, quia cùm acrior vehementiórque sit iste cæteris omnibus adfectibus (quippe qui in animantibus rationis expertibus quoque dominetur) voluit rerum opifex Deus primùm pudore effrenem illum atque indomitum feruorem cohibere. Insuper id quoque obseruatu dignum est, primos Parẽtes antequàm deliquissent; & animum, ingenio; & corpus, gloria excultum comptúmque habuisse: postea verò quàm peccauerant, exutos quidem esse corporis gloria, cæterùm animi intelligentiam retinuisse; nimirùm vt per hanc agnoscerent suum peccatum, atque pœnitentia ducerentur: hinc enim euenit, vt simul atque facinus fecissent, agnouerint suam nuditatem, erubuerintque, ac horrore tremoréque correpti mortem expauerint, antè sibi per minas denuntiatã. Vnde & Iacobus Sarugensis ad hunc modum scribit: Peccatum initio supra modum placet; at in fine luctum parit patranti. Cũ enim primi parentes cupide ferrentur in illam arborem, de ipsa edendi; & Deum ipsum & Legem, præ illa parui pendebant: vbi ediderunt, nudatique erubuissent, odio ipsam sunt prosecuti; memoréſque illius præcepti, *quo die ederetis morte moriemini*, pauore capalluerunt. *Et consuerunt folia ficulnea, feceruntque sibi subligacula.* Nimirum folia folijs consociantes, cinẽti formam quandam * concinnabant; vestis genus parum decens atque infirmum etiam, vtpotè quod Solis vi arefactum facilè emarceret dilaberetúrque, & quo neque satis pro voluntate & commodè neque diu multumque vti possent. Credibile est autem Euam eiusmodi subligaculum priorem fecisse, suáque eo pudenda velasse tempore quo prior Legem violauerat, Adamóque nuditatis caussa fuerat; tum etiam illius cõsilio factum esse vt iste folia indueret, quia marito suo vestem olim ipsa cõtextura esset. Sed cur non aptárunt suis oculis velamen ex illis folijs, aut manicas manibus, vel caligas pedibus tegendis? aut denique cur non alio modò alia corporis membra affecerunt, sed solis genitalibus contegẽdis subligacula compararunt? Ad hoc faciles est respõsio; quia verecundiam primũ his partibus indidit Deus, ideò cõsentaneum erat vt prima cinctis obducta contegerẽtur. Sed cur verecundia his partibus à Deo est insita, ac non potiùs auri, quæ serpentis consiliũ auscultauit; aut oculo, qui arboris pulchritudine victus est; aut manibus, quæ fructus decerpsere; aut oti quod vorauit; aut denique ventri, qui excepit? Hic respondemus; cùm is adfectus qui circa mẽbra genitalia versatur, pertinacior difficiliórque sit cæteris omnibus animi perturbationibus quæ in nobis sunt, opus erat verecundia tanquàm freno iniecto quo peccatum ea in parte cohiberetur: & simul vt nos ipsi ad habendum odio peccatum induceremur, vt ex quo illiusmodi verecundia in nobis nata sit. Et vero quum arbitrij nostri libertas non satis valeret sola hunc adfectum domare, atque ad se reuercundum adige-

De primorum Parentum pudore post Peccatum.

Libidinis affectus omniũ vehementissimus.

Peccatũ initio placet quidẽ, sed in fine luctum parit.

vestis.

Eua prior Adamo vestem sibi fecit.

* *Cur primi Parentes, genitalia tantũ, primò operuerunt.*

Libidinis adfectus, cæteris omnibus Perturbationibus pertinacior est.

Verecundia homini data pro auxilio.

A re; adiunxit ei Deus verecũdiam, quò saltem communi vtriusque opera cohiberetur, exerceretúrque: arbitrij quidem liberi iudicio, in Anima; verecũdiæ vero frenis, in corpore. Quippè multos mortales pudor atque verecundia magis deterret prohibétque à patrãdo eo quod improbum est, quàm Legis aut iudicij subeundi metus: éstque eius rei argumentum, quòd bruta animantia quæ omni pudore vacant, prorsus non refrenant libidinis suæ impetum quo in fœminas rapiuntur victa ab ingenita suæ ipsorum naturæ, cupiditate. At homines etiam si non minore atque illa libidinis vi vigeantur, tamen ab ea explenda, pudore quo apud alios homines verecundantur, reuocari videmus; adeò vt ne legitimo quidem connubio propalam vtantur sicut alijs rebus, sed latentes tectique. Conficitur itaque, verecundiæ adfe-
B ctum ideò ab rerum opifice Deo inditum esse genitalibus hominum potiùs quàm alijs membris, vt peccatum in illis partibus moderetur; simúlque id nobis inuisum faciat, nósque ab ipso admittendo deterreat, vt ex quo ipsa verecundia in nostris animis orta. Sed quis hic interrogent, cur Deus, Adamum à peccando non absterruerit: Nos respondemus, id nequaquam eò factum esse quòd eius faciundi facultas Deo defuerit, sed ne vim adferret Libertati Arbitrij Adæ, eámue opprimeret. Deinde frustra Legem illi præscripsisset si insuper à peccãdo coërcuisset, veluti manu iniecta. Præterea ideò etiam noluit illum à flagitio admittendo arcere, vt gratiã præmiúmque demereri posset tanquàm qui sua ipse voluntate à scelere patrando esset retentus, non autẽ per vim impeditus. Ad hæc, quò imbecillitatem suam agnosce-
C rent primi nostri Parentes, neque per vanam gloriam elati præcipites ruerent, sicut Satanas. Nam quòd sciẽtes peccassent, conscios reddidit suæ ipsos infirmitatis; atque vt humiliter de se ipsi sentirent, effecit. Denique vt cùm suapte sponte deliquissent, atque è Paradiso excidissent in hunc Mundum rebus aduersis molestijsque refertissimum, facta vtriúsque mundi inter se collatione, illum omnibus bonis & gaudio plenum apud mentem suam semper versarent: nam nisi experientia cognitum hunc alterum habuissent, nunquam ille quantum huic præster, exactè intellexissẽt. Postremò, vt dum subinde à peccato interpellaretur Adami Euæque voluntas, eruditentur ipsi ad peccati odium atque fugam, tanquàm eius à quo ingẽtes accepissent calamitates; atque
D ea doctrina ab illis ad nos vsque propagaretur, quasi manu tradita. Eo itaque quoties peccandi occasio sese nobis offert, præstò adsunt nobis Leges quas Deus nobis imperauit vt ipsis coërceamur à patrãdo peccato: Quin legibus ipsis etiam subsidium addidit eam quæ doctorum verbis fit redargutionem, vt si quãdo flagitium admiserimus, tum latis legibus tum ea etiam increpatione qua peccata verbis perstringuntur, inducamur ad pœnitentiam dignique reddamur quibus fiat admissorum gratia. Sicut Paulus suum Timotheum scripto hortatur, vt simul cum Legibus iam tum positis redarguat etiam atque reprehendat peccatores, quò sua peccata agnoscant & pœnitudine ducantur. Ad hunc etiam modum cum primis parentibus actum est: cùm enim ipsis obre-
E psisset peccatum, ipse Deus eos verbis reprehẽdit; cúmque pœnitere se admissi flagitij ostenderent, quadamtenus ignouit; quãdo non quo die ederunt de vetita arbore, eodem & vita defuncti sunt, sicut per minas ipsis obnunciatum fuerat. Sed iam alia oboritur quæstio; cur non sit mortuus Adam quo die edit fructum vetitum, sicut interminatus ipsi fuerat Deus! Sed priusquàm ad hanc respondeamus, operæpretium fuerit illorum hominum argutias dissoluere qui hoc loco aiunt serpentis (hoc est, satanæ) verba rata fieri, quibus prædixerat non morituros etiamsi vescerentur prohibitis fructibus; Deus verò irrita falsáque qui eodẽ cum pãnato facinore diè morituros minatus fuerat. Atqui haudquaquam mentitus est Deus, sed præstitutam pœnã misericordia mitigauit: solet enim ille maxima grauissimáque supplicia

Liberi Arbitrij Verecundia frenum vehemens.

Cur Deus ferret Adamũ peccare. Arbitrij Libertas.

minari, vt sibi caueant mortales; verùm deinde illa per suam misericordiam moderati, leniorâque sumere. Nã
A
Iob.3.
& Niniuitis cùm interminatus esset exitium, illi verò ab incœptis reuocati pœniterent; nulla ipsos mulcta affecit.
4.Reg.20.
Ezechiæ quoque cùm moriturum neque victurum pronunciasset, eúmque peccati sui pœnituisset; impendenti pœnæ iam addicto gratiam fecit; & tamen nemo, ob hæc mendacij Deum accusauerit. Sic igitur etiã cum Adamo & Eua egit; præmonuit enim ne de illa arbore ederent, simúlque minas addidit fore vt nisi parerent, eodem die mortem oppeterent: cùm porrò iam præceptum violassent atque peccassent, miseratus ipsos est culpámque remisit, & supplicium ita est moderatus vt eo ipso die mortem non obierint quo impositam sibi Legem fregerant. Imo verò aduersus Niniuitas totum omnino supplicium reddidit irritum: at primos hosce nostros Parentes parte dumtaxat pœnæ absoluit;
B
hoc est, ne eo ipso die morerentur; cæteróqui non sustulit prorsus mortem. Non est itaque falsi insimulandus Deus qui per suam misericordiam venia dignatus est nostros primos Parentes, meritámque pœnam partim remisit, neque eo ipso quo dixerat die peremit. Sũt quidem qui Dei verba sic tuentur vt obijsse mortem illos contendant quo die deliquerũt; non quidem corporis mortem sed animi, quæ ex peccato nascatur. Verùm frustrà est hæc excusatio, quando non mortem animæ sed corporis; hoc est, quæ ipsam animam à corpore dissociaret; interminatus illis fuerat Deus. Iam verò illud restat dicere, cur non obierit Adam quo die edit fructum Lege prohibitum, vt minæ futurum denunciarunt, sed extenderit posteà vitam suam ad nouies centesimum & tricesimum annum.
C
Gen.5.c.6.
Huius rei variæ sunt caussæ: potuit enim Deus illius misereri, commeritámque pœnam, si non omnem, at partim saltem remittere; qui magna quidem duráque minari, at minora molliorâque infligere solet vt nobis Niniuitæ exemplo fuêre. Deinde si illi mox cum admisso peccato vita defuncti fuissent, nulla relinquebatur propagandi generis humani origo. Præthereà illa Dei benedictio; *Crescite & multiplicamini*; præcesserat diras istas minas; *quo die ederitis, mortem morte moriemini*: Insuper dilata est mors peccãtis Adæ, ne si iusto initio mors imperiũ suum auspicata esset in genus humanum, prorsus hoc indissolubile deinceps obtinuisset. Iustum autem fuisset mortis imperij principiũ, si Adam, qui violata lege deliquerat, primus morte concidisset:
D
At enim postcaquã ille primus est morte extinctus qui præ cæteris mortalibus Deo placebat & omnino morte indignus erat, atque ita improbo principio mors suam occœpit tyrannidem; meritò ea tyrannis olim dissoluenda fuit per Christum qui suo illam aduentu viribus cassam reddidit.
Gen.4.
Hinc Dominus Ephræm in illud Dei dictum; *Sanguis Abel clamat ad me ex terra*, sic scriptũ reliquit: Vlulat mors in suo initio, ostendens quem sit habitura finem. Prætereà etiam si non illicò peccantem Adamum morte mulctauerit Deus, tamẽ mortalem esse, & à se olim perimendum iam tum ostendit his verbis; *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Denique cùm ille gustata arbore vetita, pœnæ obnoxius factus esset, habuit ipsum Deus pro mortuo, etiãsi viuus esse videretur. Si enim diuus Paulus Apostolus eos qui mortui sunt, rectè vocat dormientes propter certissimam
E
Resurrectionis spem; cur non Adamus posteàquã peccato mancipatus atque noxæ deditus esset, perinde atque ob noxã mortuus vocari debuit? Hinc est quòd dominus Iulius Commentario suo in Euangelium Ioãnis, ait: Adam itaque eo die mortem obijt, quo die de arbore prohibita edit, eò quòd sic haberet sententia; *quo die comederis de arbore, morieris*: atqui viuebat etiam tum; quî ergo potuit mortuus esse? sanè per sententiam ipsam atque per patratum facinus, iam tum mortuus erat. Nam simul atque se quis subiectũ culpæ fecit, supplicia quodammodo patitur, tametsi adhuc non reipsa ductus, sed per solam pronunciatam sententiam iudicatus sit. Et dominus Ephræm vbi iterum tractat locum illum de Adamo vescente fructus vetitos, morientéque eo ipso die; scriptum reliquit in hanc sententiam: Sicut qui sanus est, priusquàm incidat in morbum, bona fruitur valetudine quæ morbo potior est; verùm vbi letalis eum iniuit ægritudo, iam in mortis potestate esse censetur etiamsi complures dies ægrotus transigat priùs quã moriatur: ita & Adam, fœlicem atque incolumẽ vitam agitabat in Paradiso priùs quàm peccaret; at vbi admisisset peccatum, sententię obnoxius factus est, & proinde pro eo æstimatus qui mortis execrationi imperióque subiectus esset: itaque multis pressus miserijs, tanquàm perpetuò letalem sustinens morbum, ad ipsam vsque mortem perrexit.

Adam quomodo mortuus eodie quo de Arbore Scientiæ gustauit.

Rursus sicuti si quis alium mortifero vulnere sauciet, quantumuis ille post acceptam plagam multos superstes maneat dies, tamen perinde ac si mox vbi percussus fuerat obijsset, sic vindicant Iudices eam cędem: ita quo die vulnus excepit Adam, ab eo die censetur iudicatus obijsse, vt qui inde vsque dum moreretur, letali morbo & ægritudine fuerit implicitus. Igitur etsi reipsa non oppetiuerit mortẽ Adamus simul vt fructum edit, tamen pro mortuo habitus est eò quòd capitali culpa se obstrinxisset, atque iam tum per sententiam noxæ deditus esset. Sed dices: Cur non prorsus aboleuit Deus mortem quam pro maxima sua misericordia non intulerat eo die quo peccauerat Adamus? Atqui eius rei multæ possunt reddi caussæ; abolita enim prorsus morte, huius quoque Mundi cõpositio frustra fuisset, immò sæculum etiam quod futurum vocamus. Ad hoc, sublata mors simul sustulisset aduentum Filij Dei. Prætereà peccatum Adami & Euæ atque omnis posteritatis, immortale futurum fuisset, vt est peccatum diaboli. Denique ideò reliqua mors fuit, vt primi Parentes animum aduerterent ad suum ipsorum facinus, & animi pœnitudine afficerentur: neque mortis securi & suis seducti erroribus peccata leuia ducerent, atque ita omnibus flagitijs adulescerent. Hanc enim ob rem Deus non simpliciter ad Adamum Euámque accedebat in Paradiso: sed maximo cum terrore, vt ait Moses: *Et audierunt vocem Domini Dei gradientis in Paradiso, inclinante die.* Sæpè quidem aliàs apparuerat Deus Adæ & Euæ: primò cùm Adamum conderet, conformaret, componeret, erigeret; secũdò, cùm Lege imperata vetaret ne de arbore cognitionis ederet; tertiò cùm Euam illi detraheret, secundũ eam sententiam quam dominum Ephræm & qui hunc sequuntur, pro Scripturæ tenore amplexatos esse suprà demonstrauimus.

Deus, Adamo sæpè visus.

Porrò siue per cõtemplationem quãdam apparuerit tunc illis, vt Philoxenum existimare diximus, siue ita vt ipsos eorum sensus forma corporea moueret, vt illi volunt; sanè cuiuscúnque hæc modi res fuerit, pacatè ac blandè illis vicibus apparuerat ipsis: at iam ita planè se repræsentat, vt suis illi sensibus percipiant; nimirùm humana specie formidabilis, turbidus, difficilis, & quasi peregrè adueniens, Iraque tumens, furensque, & suo incessu concutiens terram, atque adeò ipsas Paradisi arbores pressis vestigijs tremefaciens: huiusmodi, inquam, habitu hîc nunc videtur ab illis; nimirùm vt pauidi confiteantur sua delicta, atque illius misericordiã veniámque implorent: eò enim spectat quòd ambulantis vocem audijsse dicuntur. Quippe voluit audiri ab ipsis suum incessum, & ipse ceù corporatus spectari humana forma, vt prę motu festinarent ad eius gratiam, ignoscentiámque. Cæterùm diei inclinationẽ vocat Scriptura tempus illud diei quod circiter hora nona est post meridiem, Sole ad occasum spectante. Sed enim Hebræos aiunt, pro inclinatione diei dicere spiritum siue ventum diei. Cæterùm quòd ad inclinatum vsque diem distulit se illis exhibere, id eò fecit vt spaciũ haberent intereà, quantùm patrassent facinus animo secum agitandi. Sed & hoc disceptandum est, de quo hîc die agat Moses. Sunt autem qui dicant, de eo quo cõditi fuêre primi Parentes: illo die enim & peccasse ipsos Lege violata, qui dies erat sextus. Secundùm hos, vno eodèmque

Deus, humana specie formidabilis visus Adamo.

Quo die Deus primos Parẽtes, Paradiso eliminauerit.

démque die creatus est Adam & conformata Eua, latáque lex & violata, atque primi Parentes ob hoc tantùm facinus obiurgati & Paradiso eliminati. Sed aliorum sententia est, alio die creatos illos esse, alio peccasse, hîc verò, de eo loqui Mosen, quo peccarunt. Præter hos alij putant, hunc diem neque eum fuisse in quo fuerant formati Adam & Eua, neque eum in quo peccarunt; sed post illos, alium: neque enim satis consentaneum esse, vt hæc tanta vno accidisse die existimentur. Sed nos hæc inferiùs, Deo volente, explicabimus dilucidiùs. *Et occultabantur Adam & Vxor ipsius à conspectu Domini Dei inter Arbores Paradisi.* Fugiebant igitur tum à Deo qui vocem incessus sui, ipsorum auribus ingesserat; tum ab arbore de qua improbè ederant, atque in locis densis frequentibúsque multa variáque arbore abscondebant se, nimirùm quia & peccati sibi conscij erant & nudi, hoc est, quia horrebant conspectum Dei, & quia verecundabantur. *Et vocabat Dominus Deus Adamum & dicebat ei, Vbi es Adam?* Iam diximus corporata atque humana figura Deum hîc apparuisse primis Parentibus; ipsósque voce quæ audiendi sensum mouebat compellasse. Solet autem dictum illud; *vbi es*; multis vsurpari modis: nam est quando qui nescit vbi is sit quem vocat dicit; *vbi es?* est etiam eùm qui alterùm interrogat, *vbi es*, non nescit vbi locorum sit; veluti cum aliquem procul à nobis agentem, cuius opera indigemus, sic interpellamus, *Vbi es?* denique vtimur quoque ea interrogatione cùm cuipiam suum errorem in memoriam adducere volumus: nam illud, *vbi es*, perinde tunc valet ac si dicamus, vide quò impietatis recideris! postremò animos addere cuipiam, atque manum ad audendum porrigere volentes, dicimus, *Vbi es?* ad hæc de re amissa quam quærimus, vsurpamus quoque hoc dictum. Igitur dum Deus Adamum interrogaret, vbinam esset, nō quidē id ignorabat; vt neque cùm ex Cain quæreret, *vbi est frater tuus?* neque cum ex Mose, *Quid hoc est quod manu tenes?* aut ex Ieremia, *Quid vides?* aut denique ex Satana, *Vnde venis?* sed habent illiusmodi interrogationes, suas caussas, sicut & illæ, Filij in nouo Testamento, dum ait ad discipulos suos; *Quot panes habetis?* & rursus; *Quid dicunt de me homines? Esse me filium hominis?* Et; *Simon, Reges terræ à quo capiunt tributum & censum?* & ad Legionem; *Quod est nomen tuum?* denique ad Iudæos, *Vbi posuistis illum?* Lazarum scilicet. Hæc enim & huius generis alia quæ interrogauit Christus, non ignarus sed probè conscius interrogauit; vtpote Deus qui omnia videt nouitque; verùm iustis de caussis, hisce & alijs interrogationibus vsus est: Pater quidem, in veteri; Filius verò, in nouo Testamento. Quamuis enim dominus Seuerus, & Philoxenus multis in locis affirment Filium fuisse qui & in Veteri & nouo Testamento mortalibus apparuit séque exhibuit conspiciendum (Seuerus enim in eo Sermone quem de Genitrice Dei composuit, ait: Verbum enim Dei Patris erat quod super sublimem montem Sinaï descendebat, vt ferret legem Mundo, &c. alij tamen probatæ doctrinæ Magistri existimare malunt, Deum Patrem in Veteri ** Filium verò in Nouo apparuisse. Sed tua esto, Lector, existimatio, vtrum horum verius sit quódque magis probaueris, id amplectitor retinetóque, quādo vtrúmuis probabile est atque credibile: vna est enim eadémque Patris, & Filij & Spiritus sancti natura, ac voluntas vna, vnáque operatio; sed tres Personę distinctæ. Igitur vt eò vnde digressi sumus, redeat oratio; non propter ignorationem sed alias ob caussas quærebat ex Adamo Deus, vbinam esset: nimirùm vt ipsi suum errorem ob oculos poneret, perinde ac si diceret, quomodò agis Adame? apertósne oculos habes, vt te habiturum promisit serpens? an etiam num cæcus es, contrà atque ille est pollicitus? vbi es? Deinde; locum iam obtines pro serpentis promissis; an sub imperio es quod ille tibi minimè prædixit? vbi es? magnáne fiducia pollens, apertam frontem sustollis; an pudore cōfusum vultum deijcis? vbi es? cur me non, vt soles, aperte incurris; sed in latebras, te, à me subducis? Deinde vt ipsa interrogatione animum illi adderet ad colloquendum, atque ad pœnitentiam inuitaret: Ad hoc, vt ostenderet se ita Adamum quærere vt pater amissum filium solicitem vestigat. Atque hæc posteriora duo inde comprobantur, quod non quasi supplicium de illis sumpturus se iam ipsis exhibuerit in primo hoc congressu; alioquì enim nō tam blandè suo illum nomine nuncupasset. Est enim hæc illi Paulinæ similis interpellatio; *Saule cur me persequeris?* cùm non perdendi ipsius caussa se illi offerret Iesus, nominéque compellaret; sed vt ad sermonem excusationémque prouocaret. Tum etiam si per caussam perdendi, illis apparuisset; vtique per didisset; vel aquis, vt prisca Noe sæcula; vel igne, vt Sodomitas, vel terra dehiscente, vt Dathanam & Abironem: erant enim eiusmodi exitio primi Parentes quoque iam tùm digni, quippe qui salutari doctrina reiecta, perniciosam fuerant amplexi & eam quæ cum Dei verbo prorsum pugnabat. Dixerat enim Deus; *Mortem morsemini qua die ederitis de arbore:* ille verò alter; *Non moriemini.* Neque verò multa Deo defuissent quæ aduersus illos potuisset dicere, si expostulare tanquàm cùm hostibus libuisset; quale est illud: Annō ego; improbe Adame, te condidi ex terra ad meam imaginem & similitudinē, meísque te manibus conformaui, & vxorem dedi vitæ tuæ subsidium? annon in Paradiso te collocaui omnibus delicijs referto? annon caput imperatorémque te rerum omniū quæ in terris sunt, constitui? quid est ergo cur me criminareris, calumniatorique aures præberes? verùm prorsus nō infremuit, sed suauiter ac blandè appellans; *Adame* (inquit) *vbi es?* nimirum vt colloquendi fiduciam ipsi faceret; ostenderetque, se illum non iam insolito adfectu vocare. Quapropter ipsa etiam voce animatus Adamus respondit dicens; *Vocem tuam audiui in Paradiso, & vidi quod nudus essem, atque occultaui me.** Duas reddit Adamus se occultandi rationes: alteram, quia timuerit: hoc enim sibi vult, *vocem tuam*; id est, strepitum incessus tui audiui in Paradiso: alteram, quia puduerit illum nuditatis. Sed hæc Adæ Apologia excusatione plane improba est, quū & metus ille & ipsa nuditas ob violatam à se Legē euenerint. *Et ait ad illum Dominus; Quis ostendit tibi quod nudus sis?* Neque hoc interrogat vt ignarus, sed vt per culpæ confessionem illum inducat ad reprehensionem lubenter suauiterque admittendam: quasi dicat; fuisti quidem semper nudus neque tamē te eius puduit antehac, quid est ergo quod nunc adeo erubescas, atque timeas? *Num de arbore de qua iusseram ne ederes, edisti?* Etiam nunc pergit pacatè cum illo colloqui, quasi cōiectora quapiam modo fretus illud dicat; *Nū de arbore,* &c. Est autem hîc animaduertendum ex adscriptis, aut duobus punctulis, aut vno solo, ad illud; *Ne ederes*; orationem hanc vel affirmatiuè, vel per interrogationem efferri posse. Cęterùm dominus Ephræm & qui cùm ipso sentiunt, ex his & similibus verbis singulariter ad Adamum factis confici putant, soli Adamo imperatam à Deo legem esse, eámque, ipsum deinde Euæ vxori retulisse: verùm alij respondēt, Deum sub Adæ persona cum Eua quoque colloqui, pro Scripturæ more. *Beatus Vir* (inquit Dauid) *qui non ambulauit per viā improborum.* Quis verò nō hîc eam beatitudinē ęquè ad mulieres spectare dicat? nimirū ideo viri persona lubentiùs vtitur Scriptura, quòd vir mulieris caput sit. *Et ait Adam: Mulier quam attribuisti mihi ipsa dedit mihi de arbore, & comedi.* Prorsus vana est & inanis etiā hæc Adami defensio; quippe qua minimè præ se fert demissum humiliatúmque animū, sed in ipsum quodāmodò Deū culpam auertit, quasi dicat: Mulier quā tu apud me esse voluisti, ea mihi caussa fuit transiliendi Legem, illáque arbore vescendi. Sed aduersus hæc, multa à Deo ad illum arguendum dici potuissent. Verbi gratia: Non quia mulierem ego tibi adiunxi, iusta tibi ratio erat vt ei auscultans, mea iussa violares. Tum si me accusas quia vxorem tibi dedi, cor non etiam, quia te condidi? nisi enim te creassem non peccasses, quia tibi oculos indidi

Gen. 4. Exod. 3. Ierem. Iob. 1. Matt. 15. Marc. 16. & 17. Ioan. 11.

An Christus in vtroque Testamento sit locutus. Seuers Sermo de Dei Genitrice.

** Christum Abrahæ visum, & colloquutum, Gen 18. disputat Iustinus Martyr in colloquio cum Tryphone. Euseb. Eccl. hist 1 1. lib c. 2. de vita Cōstantini. lib 3. c 50 & 51. & plerique alij.*

Act. 9.

Gen. 7. Gen. 19. Num. 16.

Dei expostulationes cum primis Parentibus.

In Hebræo est, Et timui, legit ergo Syrus interpres perperàm.

Lex soli Adæ tradita a Deo.

Psalm. 1.

sine quibus non eras arborem visurus? quia manus tibi apposui, sine quibus non decerpsisses vetitus fructus? quia os tibi dedi, sine quo non edisses? frustra igitur illa excusas, cùm eam mulierem quam tibi sociam dedi, ita comparauerim vt tibi ipsa esset in manu, atque subiecta; non autem vt te tuásque actiones regeret, gubernarétque. His, inquam, atque huiuscemodi alijs verbis expostulare cum illo potuisset iure Deus; verùm omnibus abstinuit, quia non accusationibus perterrere hominem sed patrati facinoris pœnitentia reuocare cupiebat, quare mox quæstionem ad mulierem conuertit; sic enim sequitur; *Et ait Dominus ad mulierem; quid hoc est quod fecisti?* Rursus cum muliere quoque non acerbè atque iracundè sed sedatè & blandè loquitur Deus, ac quasi nescius interrogat ob easdem rationes quas nuper de Adamo interrogato protulimus. *Et ait mulier; Serpens decepit me, & comedi.* Mulier enim omnia Serpenti adscribit, non Satanæ; eò quòd Serpentem quidem qui se interpellauerat, nosceret, at Satanã intra Serpentem occultatum, à quo omnis impostura processerat, ignoraret. *Et ait Dominus ad Serpentem: quia fecisti hoc maledictus es præ omni animante, & præ omni bestia agri.* Nulla vtitur apud Serpẽtem, hoc est, Satanam, interrogatione, quà ad se excusandum ille prouocetur, ac ita tandem iudicetur condemnetúrque, sicuti apud Adamũ & Euam vsus fuerat. Cuius hãc putamus reddi posse rationem; quia Adamo vxorique locus erat pœnitentiæ: at in Serpentis Dæmonísque arbitrio nõ erat vt pœnitere posset. Porrò multa hîc quæri solent, cuiusmodi sunt; præditúsne fandi facultate à Deo, Serpens locutus sit, an Satanas intra Serpentem latens, cùm ille hunc suopte arbitrio subterfugere nequiret, vt non ipsi pro instrumẽto esset. Ad hoc, cur nõ execratus sit Deus Satanam, vt Serpentem: Præterea, cur Moses, cùm hunc librum multis post sæculis cõscripserit, quando iam tum satis cognitus erat mortalibus Satanas, non clarè dixerit, Satanã fuisse qui intrà Serpentẽ loquebatur? Sed nos has & huius generis alias quæstiones altiùs inuestigatas dissoluimus c. xxvii. Verùm quãdo sunt qui illam, cur non execratus sit Deus Satanam sicuti Serpentem, iterum atque iterũ vrgent, nos præter ea quæ antè respondimus hoc etiam addere hîc voluimus, Deũ non minùs maledixisse Satanæ non aspectabili quàm Serpenti qui oculis cernebatur, atque perinde inhæsisse execrationẽ mysticè arcanóque modò, illi, vt huic apertè & in ipso corpore; quod cuiusmodi sit velim te apud tuum animum pensitare. Habebat enim Deus Serpentem veluti medium inter Satanam primósque Parentes interuenientem: nam sicut hi per Serpentẽ seducti sunt, ita ille per Serpentẽ execratione perstrictus est: & vt serpens fuit Satanæ instrumentum illiciẽdi primos Parentes ad peccandũ, ita personam quoque gessit sub qua Deus Satanã est detestatus. Vtrique igitur, & Satanas & Serpens diuinã execrationẽ sunt passi. Nã vt ad Serpentẽ dictum est; *Maledictus es præ omni bestia & animante, ex quorum numero tu es* ita aduersus Satanam pronunciatum esse existimandũ est; Maledictus es præ omnibus copijs spiritualibus atque Angelicis ex quarũ genere tu es. Animalium enim nomine vocari in Scriptura sacrà Copias Angelicas, apertè arguunt ea Animalia quæ vidit Ezechiel: & sæpe alibi Satanã, animal appellatum esse in Sacris literis notũ est. Sed cur auspicatus est execrationem Deus à Satana? nimirùm quia ille primus admisit peccatum prima est meritò detestatione percussus. Cæterùm serpentem ex animantium genere fuisse, non autem reptilium (quod quidam autumauêre) cùm dicat; *Maledictus es præ omni animante,* memorauimus etiã c. xxii. *Et super ventrem tuum gradieris;* quasi dicat: amissurus es pedes tuos quibus ad prauitatem cucurristi, ambulabísque ac repes super ventrem tuum, quia ventrem primorum parentum inescasti. Pedibus igitur Serpens ante execrationem incedebat, vt cætera animãtium genera, pòst verò, illis amissis, proserpere cœpit ac ventre promoueri. Et hæc quidem apertè ad ipsum spectãt Serpẽtem, cæterùm Satanæ sic accommodetur eadem ista execratio: Quoniam spiritale munus tuum, quo fungebaris in cœlo vnà cum reliquis copijs Angelicis quæ in sublimi versantur, deseruisti atque amisisti; ad hoc, primos Parentes seduxisti: non erit tibi in cœlo, vt antè, habitatio; sed humi incedes, proreperésque, malis studijs addictus. *Et puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Nempè, in puluerem redegisti primos parentes puluere igitur vesceris tota vita. Obijciunt quidam, quî possit illud consistere, quod ait; *Puluerem comedes;* quando videmus, Serpentes vermiculis in aqua degentibus pasci, atque passerculos quoque, columbásque, & huius generis alia vorare. Sed etiam si hæc quoque deuorent, interim absque puluere vitam sustentare nequeunt. Et verò licet Adamo dictum sit; *In sudore faciei tuæ comedes panem tuum;* tamen carne vescitur etiam, & terræ frugibus, fructibúsque alijs. Sed hæc ad ipsum Serpentem pertinent, eadémque verò possunt ad Satanam in hanc sententiam dicta videri: Priusquã delabereris, diuinis oblectabare meditationibus, atque cœlestibus; sed postquã te præcipitem dedisti atque descendisti, totus terrenis humilibúsque studijs deditus eris, atque ad perficiendam nequitiam tuam cogitationes tuas omnes exercebis. *Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen eius.* Quoniam, inquit, aduersus mulierem fuisti amicus fraudulentus, atque inimicitias seuisti ei cum Deo; ergo inter te & ipsam, intérque tuum semen & ipsius semen, inimicitiæ quoque vt constent efficiã. Certè factos à Deo nobis inimicos Serpentes, res ipsa docet: neque enim Anguem vllum aspicere sustinemus, vt nobis non caueamus ab ipso, ceù hoste nostro; nósque non comparemus ad pugnam vt illum perimamus, tanquàm eum qui nos lædere cupiat. Hæc eadem ad Satanam sic transferantur: Te, Satana adhuc ea cura studiúmque exercuit, vt primos Parentes vnà cum ipsorum posteritate amicos facere tu tibi posses; ego verò iam efficio, vt perpetuò hostilia omnia sint inter te atque illos. *Et ipsum conteret caput tuum.* Quia per superbiam elatum fuit caput tuum, & impenba locutum est; semẽ fœminæ (hoc est, qui ex ea nascetur) cõculcabit caput tuũ, téque perdet. Præterea quia tu Adamum atque Euam de gradu dignitatis quem quasi principes obtinebant, deiecisti; semen posteritásque ipsorum, tuum caput vicissim conculcabit, & te interficiet. Sed cur caput illius præ reliquis membris attritum iri dicit? Nimirùm quia contrito mortuóque capite in Anguium genere, totum corpus extinctum est. *Et tu illud feries in calce ipsius.* Quia calcibus suis properaruut primi Parentes ad arborem prohibitam, tu seminis ipsorum calces feries. Sed & ideò dicit, Angues percussuros calces hominum, quia quum pedibus careant & super ventrem serpant, neque se subrigere dum cæduntur aliásque superiores corporis partes inuadere possunt ipsa calcanea lancinãt: Sed de satana interpretari possunt verba ad hunc modum. Homines dum per virtutes vitam agitant, facilè discutiunt irritósque reddũt varios tuos conatus, quos tu primarios atque insuperabiles esse putabas. Obseruabis tu quidem illorum calces, vt ipsos subuertere atque in peccata præcipitare possis; verùm nihil efficies, nisi sua ipsi sponte atque suapte voluntate se tibi prodant. Sed & hoc sensu rectè accipiantur ea verba: Tu, Dæmõ, obseruas calcanea hominũ, hoc est, ipsorũ dicta factáque, vt in peccata deijcere, atque à Deo procul ipsos abducere queas: verùm Christus vbi aduenit, nobis exemit hunc tui metũ, secundũ illa ipsius verba; *dedi vobis potestatem calcandi Serpẽtes, & Scorpiones, omnéque robur aduersariorum.* Cæterùm ex his verbis intelligere est, non ad solum corporatum serpentem, verùm etiam ad satanam pertinuisse diuinam execrationem; quãdo non sola capita serpentum ferimus dum perimere ipsos volumus, sed reliquum etiam corpus: neque rursus Anguis, solos calces hominum percutit, sed alias etiam quas potest corporis partes. Si verò quis denique quærat, cur Deus

Mulier viro subiecta.

Cur Deus serpentem nõ interrogauerit.

Quomodò serpens locutus sit.

Satanã maledixit Deus.

Ezech. 1.

Animantes vocat quadrupedes.

Satanam mystica maledictio.

Serpẽtes vesci puluere.

Satanã vesci puluere, mysticè quid.

Serpentum inimicitia cũ hominibus, mysticè quid.

Serpentem insidiari calcaneis hominum mysticè quid sit.

Deus, Satanæ simul & Serpenti maledixit.

cur Deus Serpenti simul & Satanæ maledixerit, respondebimus; quia vtérque execratione dignus erat, pro maximo, quod patrârât ambo, maleficio: deinde vt primi Parentes, audita ea tam dura detestatione diuina, ad pœnitudinem reuocarentur; nam si pœnituissent veniáque implorassent, licet ea re neque mortem effugissent neque Paradisum retinuissent, tamen diras illas Dei euitassent quas memorat Moses; *Per dolores atque angores paries, per dolores & sudores faciei panes comedetis.* Postquam verò iam Serpentem & Satanam, maledicto perstrinxit Deus conuertit sermonem ad mulierem his verbis: *Et ad mulierem ait: multiplicando multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos, & in angoribus paries filios.* Non iam dicit, eos fœtus quos aut concipiet aut edet mulier, fore maledictos. Nam pridem benè precatus illis fuerat, dixeratque; *Crescite & multiplicamini:* sed feres, inquit, vterum non sine dolore, producésque ipsos tuos fœtus per ærumnas. Videre est enim fœminas varijs doloribus affici quando vterum gerunt, & rursus duris torqueri angoribus dum pariunt; id quod etiam memorat Dominus noster, dicens: *Mulier cum parit, dolorem habet.* Neque enim quisquam mortaliũ satis existimare potest, quam difficiles duròsque sustineat mulier dolores atque ærũnas in partu, præter ipsas fœminas. Equidem audiui mulierem quum diceret, earum quæ pariunt, pupillas oculorum præ nimio doloris sensu adeò obfuscari, vt nihil cernant. Et hæc quidem de ea anxietudine quam dum vterum gerunt, dúmque pariunt, tolerant fœminę, dicta sunt: quod si verò vniuersum illud tempus repures quòd à concepto fœtu ad morientem vsque hominem extenditur; tùm sanè intelligar, mulierem multis difficultatibus, doloribus, ærumnis subiectam esse pro ipsa Dei execratione: nam editum infantem laboriosissima cura excipit, deinde per summam molestiam atque angorem educat, ad postremum anxio vlulatu morientem deflet. Igitur quia noluisti, inquit, ô mulier, in Paradiso liberos parere immortales absque omni dolore, iam ipsos paritura es per maximos cruciatus atque miserias, posteàquam peccatum admisisti. Et quia diuino quodam modo Deos edere cupiuisti absque vllo doloris sensu, Serpentis auscultans verbis; iam humano more homines procreabis per acerbissimum dolorem. *Et ad virum tuum respicies.* Quasi dicat; quia cupiuisti vt vir tuus te obseruaret, atque ex te penderet, perinde ac si in tua manu posita essent quibus ille ad vitæ vsum opus haberet, eóque illum in fructu gustando anteuenisti, ideò tu viri tui obseruans eris, vt tuis ipse necessitudinibus faciat satis. *Et ipse dominabitur tui:* Optauisti quidem caput esse viri tui, imperióque in illum potiri, atque ideò de arbore pro Serpentis consilio edisti; at ille contrà, in te imperium exercebit tibique pro capite erit. *Et ad Adam dixit; quia auscultasti voci vxoris tuæ & edisti de arbore de qua iussi tibi dixique ne ederes; maledicta terra propter te.* Dorotheus Ephræm cum suis, vult idcircò Legem Adamo reuocari hîc in memoriam, quia ei vni à Deo fuerat præscripta, ab ipso verò deinde, vxori exposita. Verùm, vt iã aliquoties memorauimus, alij existimare malunt, sub Adæ persona ad Euam quoque Legis verba fieri. Igitur quia, inquit, non meæ voci sed fœminæ auscultasti; maledicta terra propter te. Nimirùm nõ est execratus Deus Adamũ ipsum, quò suæ ipse imagini honorem conseruaret; tum etiam quia ex Adamo nascituri erant multi mortales probi iustique, vt Prophetæ atque Apostoli, ne per illum hi quoque execrabiles atque detestabiles haberentur: sed maledixit terræ propter illũ, quippe ex qua ipse esset procreatus. Itaque conseruata est humano generi illibata ex ea Benedictio quæ ante peccatum facta fuerat, quàmuis dolores atque calamitates plurimæ accesserint. *Per dolores comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia existimasti te Deorum more in terra mansurum, pérque quietem & ocium vitam agitaturum; tu contrà, per dolores, labores, ærũnas, pérque culturã difficilem vescêris frugibus terræ. Nam ne Reges

Ioan. 16. c.

Mulierum dolores in partu.

Mulierum ærumnæ pro infantibus.

Respectus mulieris ad virum.

Cur Deus terram, non autem Adamum sit execratus.

A quidẽ absque molestia & cultura, terræ muneribus frui possunt: atque hoc ipsum est quod Ecclesiastes ait; *Rex agrum colit*; quippe si non suis, at aliorum certè manibus agros subigunt Reges. Obseruandum porrò est, terræ vocabulum hîc pro ijs quæ ex terra nascuntur, acceptũ esse. *Spinas & carduos proferet tibi*; quos, nisi tu peccasses, illa productura non fuerat: conficitur ergo, hæc post detestationem orta esse, vel fortasse spinas & carduos vocat laboriosum terræ cultum, quem ipsa flagitat: quasi dicat; magis durísque laboribus constabunt tibi terræ fructus: vel hoc dicit, sæpè euenturum vt non ea quæ excepit semina, reddat; sed pro illis, sentes tribulósque. *Et comedes herbas agri.* Pro gratissimis arborũ Paradisi fructibus quos tibi edendos concesseram, vesceris herbis pecudum more, eò quòd aduersus Legem meam fecistis: *Et cum sudore faciei tuæ comedes panem.* B Tu qui Deus esse voluisti, Serpẽtis consilio auscultans, cum sudore faciei tuæ; hoc est, aspero & difficili labore duráque cultura, quæres victum. Etsi enim quis Rex sit aut alioqui opibus magnis pollens, dum alios in cultura exercet, ipsa quoque non sine sudore faciei suæ vescitur pane; *Donec reuertare in terram ex qua acceptus es, quia puluis es, & in puluerem redibis*: Quasi dicat; postquàm ærumnosam laboriosámque toleraueris vitam, sicut prædixi, moriturus deinde es, atque in id dissolueris quod ante fueras. Animaduertendum hîc est, Adamum ante hoc oraculum: *Quia puluis es*; nesciuisse, ex puluere se esse conformatum, genúsque suum vnde esset, ignorasse. Igitur hisce verbis multarum rerum commonefacit Adamum Deus: Primò enim docet, ipsius corpus ex puluere fictum esse; & simul C redarguit etiam quasi dicat; Quî potuisti affectare diuinitatem, vt plueres, vt fontes dispensares, vt pelagis imperares, totus ex puluere compositus cùm sis? Rursus sicut conditionem Adami mirificè extulerat dum ipsum crearet, vt quem se ad suam ipsius imaginem similitudinémque fingere diceret; ita, vt affectauit diuinitatem pro fallacis Serpentis consilio, illam eandem ad terram vsque deprimit, demonstrans ex puluere constare. Prætereà ostendit, quæ, cum quibus, ille commutarit. Insuper docet, quantis ipsum malis implicauerit peccatum, atque ideò hoc prosequendum odio esse fugiendũque meritò. Denique monet si imperatam ille obseruasset Legem, non abrũpendam fuisse ipsius vitam sed immortalitate donandum ex Dei liberalitate, sicut ait Grego- D rius Theologus; Si perdurassemus, id quod non fueramus, facti fuissemus: nunc verò posteàquàm Legẽ transiluit, morti obnoxium esse factum dissoluendúmque in terram vnde traxit originem. *Et vocauit Adam, nomẽ vxoris suæ Euam, eò quòd ipsa esset mater omnis viuentis.* Obseruauit quidẽ diuus Moses adhuc in rerum gestarum narratione, ordinem seriémque temporum quibus quæque actæ sunt; at quod hîc iam narrat, num ordine suo narret dubitari potest. Quippe est vbi, res suis quásq; locis describat; est etiã vbi hoc illi modò curæ est vt id quod gestum est, commemoret neque per silentiũ transmittat; cæterò qui in tempore quo actum est, obseruando, nihil sollicitus. Enimuerò, aut quãdo costa sibi subtrahebatur atque in mulierem concinnabatur, appellabat Adamus E vxorem per vaticinium duobus nominibus; *Ischa*, scilicet (hoc est, mulierem, siue vxorem) & Euam: illo, quia viro cohæreret per legitimum connubium, vt antè est à nobis explicatum; hoc, quia mater esset futura omnis viuẽtis: aut hoc loco nomen Euæ, ipsi eam ob caussam indidit postquam à reo prolapsa damnatáque per sententiã esset dolorum in partu ferendorũ, aut denique postquã eiecti sunt ambo è Paradiso, Euam appellare cœpit quia viuentiũ matrem videret. Iam verò si vel primo vel postremo tempore hoc nomen ab Adamo datum est vxori, neglecta est à Mose temporis ratio; sin medio, accuratè obseruata est. Cæterùm, viuentium vocabulo hîc soli homines non etiam bruta animalia significantur, sicuti illic quoque; *Effundam spiritum meum super omnem carnem*; de hominibus solis, nõ de pecudibus loquitur Scri-

Ecclesi. 5. vers. 8. est ad verbũ, Rex agrô seruit siue, agro seruus est factus: Vulgata tamen Editio longe alio sensu legit, insuper vniuersã terram Rex imperat seruienti quod nisi de diuina Prouidentia dictum, meo iudicio, intelligi non potest.

Hoc Gregorij dictum, suprà explicatum habes.

Rerum gestarum tempora & ordinem non semper obseruat Moses.

Ioel. 2.

ptura. Sed enim sciendum est, vi quadam fatidica atque diuino instinctu Adamum appellasse vxorem suam Euam; A sed ea verba quæ subijciuntur, *Eò quod ipsa esset mater omnis viuentis*, non Adami sed Mosis esse, Euæ vocabulum ea interpretatione explicantis. Sed dices, cur nô perinde Adamum scripsit Moses esse patrem omnis viuentis, sicut Euam prodidit esse matrem? Respondemus, quia vir dum rem cum muliere habet, semen inijcit neque vita neque forma præditum: at fœmina, exceptũ illud, postquàm in suo vtero infantis formam induit atque in humanam figuram conformatum est, tum demũ non quale vir iniecerat sed viuens, partu edit. meritò ergo mater omnis viuẽtis Eua appellatur à Mose. Ad hoc; Adam sumptus fuit, cùm esset puluis vitæ expers ac deinde diuino flatu vitam, animámque accepit; Eua quoque iam tum inanimis costa, detracta fuit Adamo: pòst B verò dum à Deo concinnaretur, vitam est adepta atque animam: at mortales reliqui alio modo nasciturі erant, nempe ex fœmina, & absoluti viuẽtes. Rectè igitur etiã ob hanc rem vocata est Eua mater omnis viuentis. Sed & hoc quæri potest; Adamus, quãdo morte damnatum se à Deo esse moriturúmque intelligebat, cur augusto & fœlici illo nomine vxorem vocarit, quo mater omnis viuẽtis futura significabatur: quod planè diuinæ illi sententiæ aduersum esse videri poterat? Ad hæc dicimus; Adamum illam aduersum se prolatam mortis sententiã accepisse quidem pro nota accusatoria sibi inusta, sed interea Deum pro sua misericordia in illius mentem eam indidisse opinionem vt iam tum existimaret genus humanum in vita permansurum esse super terrã, procreatáque ex concubitu viri ac mulieris sobole auctum iri; & C per hanc caussam specioso illo nomine vxorem vocasse Euam; hoc est, omnis viuẽtis matrem. Suprà memorauimus, tria esse nomina, quibus Adam in hoc libro appelletur; *Noso*, hoc est, vir; & *Bar-noso*, filius viri; ac denique *Adam*, quasi dicas, homo: vbi quantùm ipsa inter se distent, etiam explicauimus. Iam verò Euam quoque duobus vocatam nominibus intelligimus; nempe *Itto* (hoc est, mulierem siue vxorem) & Euam; quorum illud, ad vniuersam fœminarum speciem accommodatur; hoc, vnius personæ propria est appellatio. *Et fecit Dominus Deus Adamo atque vxori ipsius tunicas pelliceas, & vestiuit ipsos.* Quinque sunt quæ se hîc nobis explicanda offerunt: nempe cur induerit Deus Adamum & Euam, tunicas, deinde quales fuerint eæ tunicæ; tertium, vnde comparatæ; D quartum, cur sint appellatæ *Chutinsæ*; quod idé est ac si dicas, gossipinas siue xilinas vestes; quintum, cur opus habuerint veste, mortales. Cur igitur illos tunicis vestiret, dicimus, summã Dei erga ipsos misericordiã in caussa fuisse. Quippe cũ Deus colloquium cũ primis parentibus longius haberet, atque ad Adamũ inter alia diceret; *Quis significauit tibi quod nudus esses?* similiter alia atque alia ad fœminã & Serpentem verba faceret; intereà arefacta ea quibus se illi contexerant, folia ficulnea defluere cœperunt. Cùm itaque nudati iam tũ illi pudore afficerentur; non erat consentaneum diuinæ misericordiæ, nudos prorsus eliminare Paradiso. Miseratus ergo ipsorum conditionem, pro sua clementia ipsis opem tulit, factísque tunicis nuditatem velauit. Præterea voluit ipsos vestibus indutos, à cæteris animantibus brutis segregare: E Denique nuditatem seu libidinis illecebram putauit tegendam. Quòd verò ad ipsas tunicas attinet, cuiusnam modi res fuerint; Gregorius Theologus quodam loco fuisse ait cortices arborum, quos ipsis Deus in mentẽ miserit ceù idoneos ex quibus sibi vestis quandam formam aptarent, éque ea amicirent, sicut antè ex folijs ficulneis fecerant subligacula: At idem Oratione quam scripsit de natalibus Christi; dicit eas tunicas fuisse carnem crassiorem, ignauiorémque qua sumus contecti. Gregorius verò Nyssæus scribit, tunicas eas fuisse libidinem; coïtum, conceptum, partum, educationem qua minutatim augescimus, alimẽtum, morbum, iracũdiam, mortem denique; his enim omnibus malis illos

Eua, Hebræis, à vocab. verbo. Haua, dicta est.

Cur Deus vestierit primos Parentes.

Quales fuerint primorũ Parentum vestes.

indutos esse simul atque donis Spiritus sancti sunt exspoliati. Huic Philoxenus Mabugensis ferè subscribit, dum ait eas tunicas fuisse curas, corruptionem, morbos dolores, anxietates, metum; & in summa, quæcunque primis Parentibus post violatam Legem acciderũt cùm antè ijs non fuissent obnoxij, & à quibus nos quoque post Resurrectionem erimus immunes: quippe per has tunicas significari maximam illam mutationem quæ illorum euenit corporibus post admissum peccatum. At Athanasius Oratione de Cruce, & dominus Ephræm vbi hunc locum interpretatur; aiunt, has tunicas ex animantium pellibus confectas fuisse. Denique D. Iacobus Sarugẽsis dicit, vestis quoddam genus fuisse; quod quia tactu crassum densúmque erat, tunicæ pelliceæ fuerit appellatum. De tertio, vnde fuerint tunicæ illæ comparatæ; Gregorius Theologus, & cum eo alij qui arborum cortices fuisse volunt; arbores deglubijsse Adamum & Euam dicunt: cæterùm Mosen ideo factas esse à Deo dicere, quia hîc illis in mentem immisit vt arborum corticibus se vestirent. At Gregorius Nyssæus & Philoxenus, quorum sententiã nuper recitauimus, aiunt ea mala primos Parentes (quia peccati, à Deo dãnati essent) inuasisse; idque esse quod Moses scribit, Deũ induisse illos, eas tunicas. Denique Athanasius & dominus Ephræm qui animalium pelles fuisse autumant; dicunt, mactatis eas pecudibus detraxisse primos Parẽtes atque concinnasse in vestem Dei nutu. Postremò dominus Iacobus Sarugensis dicit, Deum ea indumenta ex nihilo creauisse; scribit enim in hęc verba: Contexuit tunicas ex nihilo, & vestiuit ipsos. Et rursus: Quia, inquit, tactu rudes & crassæ erant, appellauit pelles; attexuit autem ipsas paulatim corporibus ipsorum, suo nutu atque ita dum non sentiunt induuntur tunicis, sed eas iam vestiri vidẽt tandem. Porrò nos cùm Athanasio, atque Domino Ephræm censemus animalium pelles fuisse. Si verò id redarguere quis conetur, quia nullum animal iugulari adhuc potuerit, quando è singulis generibus par vnicum conditum fuerat, eóque sine generis vnius interitu nullum animal mactatum fuisset; negamus vnicũ duntaxat par in animaliũ generibus singulis fuisse effectum, neque enim hoc sacris literis proditũ est. Enimuerò Deus qui permisit Adami arbitrio vt peccare posset opúsque haberet indumẽto, creauerat complura animalia: cúmque ille violata Lege peccasset humana se specie primis Parentibus ostendens, induit ipsos, pelles solo eius nutu pecudibus detractas; atque verbo, in tunicas conformatas. Et verò dominus Ephræm ait fortasse coram illis iugulatas esse pecudes, vt earum carnes ipsi vescerẽtur, earúmque nuditatem suam cooperirẽt; denique ex ipsarum morte se quoque mortalia habere corpora intelligerent. Est porrò & hoc notandũ; esse ex Interpretũ numero qui dicat, inde ab Adamo & Eua cũctos mortales pellibus animantiũ vestitos fuisse ad inuentam vsque ab hominibus texendi artẽ, De quarto dicimus, eas vestes appellatas esse à Mose, *Chutinitas*; quia ipsius ætate, hoc vocabulo hominum amicula significabantur, vt videre est de veste Iob, Ioseph, Thamar, denique Domini nostri Iesu Christi: vsus est igitur sui sæculi vocabulo Moses. Quintũ ac postremũm erat, cur opus fuerit Mortalibus veste: Hîc dicimus, vt angustiore atque elegantiore cultu essent, eóq; à brutis animãtibus differrẽt, tũ etiam vt armati essẽt aduersus frigora, & æstũ; ad hæc, vt laterẽt libidinis irritamenta. *Et ait Dominus Deus; En Adã factus est vt vnus è nobis in cognoscendo bono & malo.* Contẽptim & ironicè hæc à Deo dicuntur de Adamo qui Dęmonis fallacibus verbis auscultãs captus fuerat; sicut Dauid inducit Deum despicientẽ gentes quæ aduersum se insurrexerãt: *Qui sedet* (inquiens) *in cælis, deridebit, et Dominus illudet ipsis.* Nã per illusionem, atque deridẽs, ait accidisse Adamo quicquid Satanas ipsi promiserat; vt qui iã similis Deorũ cuipiam factus sit; scilicet qui quæ bona maláque sunt, cognita habeat. Cæterũ vsurpat pluralem numerum, *vt vnus è nobis* (inquiens) siue propter Trinitatis sacro-

Athanasij Oratio de Cruce.

Vnde sumpserit Deus primorum Parentum vestes.

Plura animalia cuiusque generis creata fuisse.

Deus humana specie se ostẽdit primis Parentibus.

An mactata coram primis Parentibus, pecudes.

Vestes primorum parentũ Chutinita.

Syri vocant tunicam, Cothontho, ab Hebræo vocabulo, Cetoneth, siue Cuttoneth, à quo & Græcum, χιτών.

Nam ita verto ego conijcio.

Psalm. 2.

Cur Deus dixerit, vt vnus è nobis.

facrosanctum mysterium, siue quia Diabolus itidem plurali numero dixerat; *Eritis sicut dij, scientes boni & mali.* A Possunt etiam hæc verba pro ea consuetudine dicta accipi, qua solent homines domini seruos suos acerbè alloqui, si quando contumaces conferre se per temeritatem cùm ipsis audent: dicunt enim; En iam mihi par euasisti. Aduersum enim iussa Effectoris sui, Dei Adamus fecerat; cupiueràtque illi æqualis euadere. Tale etiam illud Christi est ad Iudam proditorem: *Cuius rei causa venisti, socie mi*? Possunt præterea in hanc quoque interpretari sententiam: Adã postquàm edit de arbore vetita, ipsa rei experientia didicit quid bonum esset & quid malum, sicut & Deus illa cognita habet; non quidem, hic, per experientiam sed vt is qui omnia nouit, præterita, præsentia, futura. Adamus enim priusquàm fructum quo sibi interdictum erat, gustasset, per solam B cogitationem intelligebat quid bonum esset quidque malum; pòst verò, per ipsam etiam experientiam: sed Deus exactissimè atque intimè omnia cognoscit cùm sit conditor effectórque omnium. Denique ita possumus intelligere dicta ista, ac si Deus ipse accuset voluntatem arbitriúmque Adami qui affectauerit Deus esse, quod fieri prorsus nequiret; nam mortalium nemo per tantas virtutes vitam agere potest, vt Dei naturam assequatur. Erit itaque hic verborum sensus; en Adam cupiuit quidem esse qualis vnus nostrûm, verùm neque factus est, ac neque etiam vt fiat fas est. Itaque illud; *En factus est*; perinde erit ac si negatiuè dicas; Non est factus vt vnus nostrûm. *Iam verò, fortassis extendat manum suam & sumat de arbore vitæ, & edat ac viuat in æternum.* Hîc caussa profertur, cur non sit relictus Adamus in Paradiso postquã C aduersum Legem Dei fecisset, deliquissetque: éstque hîc collatio Arboris vitæ cum Arbore scientiæ, quasi dicat Deus; sicut protendit manum, sumpsítque de arbore scientiæ & comedit, quã interdixeram ei, protensurus est manum sumpturúsque etiam de arbore vitæ atque esurus, ac proinde victurus in perpetuum si in Paradiso relinquatur. Nam si vetitam arborem tangere, vescíque ausus est; quantò magis non vetitam contingere, ederéque audebit? Porrò illud; *Ne fortassis*, non accipiendum est quasi dubiè dictum à Deo quem nihil omnium latet, siue præteritum, siue præsens, siue futurum: quippe enim vt rem certissimam affirmat sumpturum illum de arbore vitæ, comesturúmque, atque perpetuò victurum nisi Paradiso eiiciatur. Ceterùm quænam D fuerit illa vitæ Arbor, & cur eo nomine appellata, antè commemorauimus; vbi illud quoque diximus quã de caussa interdixerit Deus Adamo, Arbore vitæ. *Et immisit ipsum Dominus Deus extra Paradisum Edem, vt coleret terram ex qua sumptus fuerat.* Suprà memoratum est, Dominum accepisse Adamm, atque in Paradisum misisse; hic verò emisisse narratur extra Paradisum: quasi dicat, eum quodam cum impetu ab se propulisse atque eliminasse, neque comitatum esse abeuntem, quippe ex iucundissima quiete, qualis intra Paradisum fuerat amandabat ipsum ad colendam terram, asperam sanè ac difficilem operam, vt quæ prorsus omni ocio ac requie careat. Addit porrò, *Ex qua sumptus fuerat*, quia de ea terra ad quam exercendam remittitur, acceptus fuerat puluis fingendo conformandóque Adæ corpori, vt antè est memoratum his verbis: *Et finxit Dominus Deus Adamum puluerem de terra.* Ac rursus, *Donec reuertare in terram, de qua sumptus es. Et eliminauit ipsum Dominus Deus*: Nimirùm extra Paradisum, quem alioqui illius oblectandi gratia condiderat. Existimant nonnulli, Deum, quòd Adamum prohibuit à gustanda vitæ arbore & Paradiso eiecit, denique quòd morti addixit, iratum fecisse: verùm nos contrà per Dei misericordiam atque curam illa facta esse dicimus; quamuis enim contraria inter se videantur, inducere in Paradisum, & eiicere, tamen vtrúmque iuxta diuinæ clementiæ opus & curam quam erga genus humanum gerebat fuisse, ex his cognoscas licet: idcircò enim prohibitus est ab arbore vitæ ne quid inde quod

Gen. 2. — *Math. 26.* — *Adam eiectus è Paradiso.* — *Gen. 3.* — *Dei misericordia fuit eiectus Adam è Paradiso.*

cum diuina sententia pugnaret, accideret, verbúmque Dei falsum haberetur: comminatus enim fuerat Deus, moriturum illum quo die gustaret de Arbore scientiæ, igitur si post hanc gustatam, etiam de Arbore vitæ edisset, aut falsos nomine ista vitæ arbor appellata à Deo fuisset, aut mendaces fuissent illæ eius minæ. Ad hoc, si ad arborem vitæ fuisset admissus, vt nec vitæ, ita neque dolorum ærumnarúmque quibus hæc fuisset plena, vnquam finem assecutus fuisset, iam enim pronunciauerat Deus, cum doloribus anxietatibúsque illum victurum: quare si æterna fuisset ea vita, fuissent & miseriæ immortales. Præterea ideò etiam ab arbore vitæ illum coërcuit ne immortalitatem adeptus, per confidentiam agitaret omnem vitam, sed animum ad pœnitentiam induceret, hancque curam haberet donec tandem de vitæ arbore posset edere, ipso Christo qui vitæ arbor est mystico sensu. Denique ne ipsius prauitas perpetua esset, cuiusmodi est diaboli. De hisce igitur caussis prohibitus est Adam ab Arbore vitæ. Cæterùm aliæ sunt, cur Paradiso sit eliminatus. Nempe æquum non erat vt locum obtineret sacrum, posteaquàm illum Lege violata, per peccatum profanasset, & erat illud tantum delictum, hoc exilio dignum. Præterea erudiendus erat, perperam se, contemptis Dei iussis, obsecutum esse consilio fraudulẽti hostis, atque edisse de vetita arbore. Insuper dum ille eiicitur, verbum Dei ratum fit, quo prædixerat ipsum ea die moriturum qua ederet de Arbore scientiæ; contrà verò mendacij arguitur Dæmon qui spem illi atque fiduciam fecerat fore vt Deus euaderet si vesceretur quippe non modò non euasit in Deum, sed ipso etiam Paradiso extorris factus est. Ad hæc, si in paradiso mansisset suspectum fortassis inuidiæ Deum habuisset, qui sibi vitæ arboris esca interdixisset. Denique dum solum vertit, intelligit tandem in quanta fœlicitate versatus sit priusquàm peccaret; & rursus in quàm multas miserias præcipitatus sit, eò quòd aduersùm Dei Legem fecerit. Postremò idcircò est paradiso eiectus vt peccatum suũ agnosceret, sedulámque operam pœnitentiæ daret, & supplex à Deo contenderet, vt se in pristinum restitueret locum. Conficitur itaque ex his quæ iam commemorauimus, nequaquam per iram prohibitum illum à Deo esse ab arbore vitæ, neque paradiso eiectum, vel morti etiam addictum; sed ex mera Dei misericordia, & solicita eius cura. Sed enim sint hæc, dicet aliquis, ita cum Adamo acta ab ipso Deo, vt illi prodessent; at labores, dolores, sudor faciei, in quæ mala illum coniecit paradiso pulsum, quas tandem commoditates, vtilitatésue adferre illi potuêre? Respondemus, Deum non frustrà quietem illi nullam concessisse, vt est humanum ingenium: nam si tantis condemnati malis non desinimus peccare; quid non patrassemus in ocio deliciísque vitam agitare permissi? certè huius rei exempla nobis suppeditant homines, qui ociosi ac desides atque à labore & molestijs vacui molliter ac delicatè agũt: ocium porrò, desidiam, delicias mala esse; certissimis Scripturæ testimoniis comprobatur. Nam libro secundo * scriptum est; *Consedit populus ad edendum, & ad bibendum, surrexitque ad ludendum*: & libro quinto, *Pinguis factus est Israël, & calcitrauit*: & quidam ex Sapientibus scriptum reliquit; E *Malum est ocium, atque pigritia fraudem parit.* Contrà verò, labores, turbulentáque exercitia bona esse, attestatur Dauid, cùm de Israëlitis loquens ait: *Cùm occideret ipsos, quærebant eum, & conuertebantur, atque maturabant ad ipsum*: & alibi, *Bene*, inquit, *mihi est, quod sim humiliatus, vt discam mandata tua*: Et Deus per Ieremiam ad ciuitatem Ierusalem; *Per plagas*, inquit, *erudita es, ô Ierusalem*: Rursum Paulus, *Datus est*, ait, *mihi stimulus in carnem meam, Angelus Satanæ, ne efferar.* Conficitur itaque, homini ex vsu fuisse quod doloribus, laboribúsque, & sudoribus obnoxius est redditus à Deo, postquã eliminatus esset paradiso. *Et versari fecit ad Orientem Paradisi ipsius Eden, Cherub, & aciem gladij versatilis, ad custodiendum iter arboris vitæ.* In Hebræo est: *Et manere fecit ab Oriente Paradisi Cherubim.*

Cur non concessa Adamo post peccatum immortalitas. — *Cur è Paradiso eiectus Adam.* — *Cur Adamus perpetuis laboribus addictus fuerit.* — ** [Syri libros Mosis ex ordine numeris notant sæpius quàm nominibus.* — *Exod. 32. b. 6.* — *Deu. 32. b. 15.* — *Prouerb. 12. & 19.* — *Ezech. 16.* — *Psalm. 77.* — *Psalm. 118.* — *2. Cor. 12.*

Reg. 7.
Porta Paradisi sita ad Orientem.

Græcum verò habet: *Et collocauit Cherub, & gladium flammeum ad custodiendum iter arboris vitæ.* Significatur autem his verbis, custodiam Cherub & aciem gladij collocatam fuisse à Deo ad latus Orientale duntaxat Paradisi, quasi ex ea parte solùm prohibere Adamum voluerit non item ab aliis lateribus. Quippe existimandum est, ab ortu Solis portam fuisse aditúmque patuisse in Paradisum; atque illac introductum, illáque rursus exactum Adamum esse: inde etiam semitam fuisse ductam in medium Paradisum vbi sita erat vitæ Arbor, atque ideò ne reuersus aliquando Adam, illac se intro reciperet, custodiam ibi esse collocatã. Cæterùm cur custodiédam vitæ Arborem, arcendúmque ab ea Adamum voluerit Deus, antè est à nobis dictum; quò hoc etiam addendum putamus, eò quoque spectasse custodiam vt intelligeret Adamus prorsùs præclusum sibi aditum esse per peccatum; eòque pertinaciore, hoc, odio prosequeretur; maioréque cura vitandum sibi in posterum putaret quasi fontem tantorum malorum, in quæ mala ex vitæ aute peccatum actæ, cum ea in qua nunc versetur, comparatione facilè intelligeret. Prætereà magnifica illa custodia (Cherub dico, & aciem Gladij versatilis) ob oculos nobis ponit præcellentem Arboris vitæ dignitatem. Quòd verò versatilem Gladium dicit; perpetua cum agitatione huc illuc vibratum esse significat, coruſco fulgore inde emicante quo obtuentium oculi non fine horrore perstringerentur. Superest vt de Cherub & Gladio videamus, cuiusmodi res fuerint. Dominus Iacob Sarugensis ea Oratione quam de Passione; & rursus ea quam de Ascensu scripsit; & cum eo alij dicunt custodem Paradisi Cherub fuisse vnum quempiam ex cœlestibus Angelis incorporeum: aciem verò Gladij versatilis fuisse figuram quandam igneæ lanceæ quam Cherub manu tenens atque coruscans, proterrebat primos parentes à Paradiso, arcebátque ab Arbore vitæ. Cæterùm lanceæ formam inde arguunt, quòd eò mysticè spectasse videatur Lancea illa quam Christus suo latere excepit, quasi iam tum erepta esset de manu Cherub, illa lancea; patefactáque ad arborem vitæ, via. Alij dicunt aciem Gladij vocatam esse, non ferrum neque ignem, sed figuram quandam ensis, quæ ignea specie collucere atque fulgere videbatur: Cherub verò non cœlestem aliquem spiritum atque incorporeum Angelum fuisse, sed spectrum quoddam vehemens; idque Cherub nomine vocatum esse, quia soleat Scriptura quæ magnis viribus magnáque vehementia pollent, ea hoc nomine vocitare: quale est illud; *Qui equitauit super Cherubos, & volauit*: significat enim, Deum magna vi aduenisse, & veluti insidentem Cherubis, apparuisse; hoc est, potenter exercuisse imperium. Secundùm hos habent ista Mosis verba hunc sensum, quòd Deus constituerit spectrum quoddam vehemens ac terribile pro foribus inque ipso aditu Paradisi, specie animantis cuiuspiam, deterrendi coërcendíque Adami caussa. Adferunt autem hi, suæ sententiæ hanc rationem: nomen, inquiunt, Cherub ad iuuenile quoddam robur propriè spectat, ac proinde Cherubini spiritus Deo viciniores adsistunt, nec ad terras demittuntur: neque enim Scriptura iis procurationem aliquam in terris assignat, sed Angeli sunt qui ad terram ablegantur, résque in ea administrant & dispensant. Verùm priores illi, inter quos dominum Iacobum Sarugensem esse diximus, negant hanc esse nominis Cherub notionem: immò Ordinem quendam cœlestium spirituum non aspectabilium significare id vocabulum aiunt; quales apparuerunt Ezechieli, & quorum simulachra quædam erant in Adytis Tabernaculi posita. itaque Geniorum cœlestium aliquem potiùs fuisse autumant ipsum Cherub: qui Genij cœlestes dolent si quando peccent mortales, ac rursus gaudio afficiuntur cùm illos delictorum pœnitet, vt ait Dominus. Erat igitur Cherub custos Paradisi, cœlestiũ Spirituum vnus aliquis tenens lanceam igneam, eámque vibrans atque coruscans, & primos Parentes deterrens ab excessu; vt sensit dominus Iacobus Sarugensis; & plerique cum eo eiusdem sectæ viri. Sed iam & locus, & tempus postulant, vt disputando inuestigemus, vnóne eodémq; die an pluribus hæc omnia gesta sint; creatus Adam, immissus in Paradisum, lata lex, indita nomina bestiis & volucribus, condita Eua, decepti per Serpentem primi Parentes, violata lex, vindicatum in noxios, eiectíque denique illi extra Paradisum. De hac re ita sentit Philoxenus, Oratione quam scripsit de Arbore vitæ; & dominus Ephræm Commentariis in Genesin; atque etiam dominus Iacobus Sarugensis, Oratione de Passione; & cum his, alij; omnia hæc eodem vno die qui sextus erat à condito cœlo terráque, acta atque confecta esse; eiúsque rei, duo faciunt argumenta: alterum, quod adhuc nihil edissent Adam vxórque; nam si vescentes antè vidisset Serpens, minimè dixisset ad Euam: *Veréne iussit Deus, ne ederetis de omni arbore Paradisi?* iam verò si multò antè conditi fuissent, nequiuissent adhuc absque fame & cibo vitam tolerare. Alterum petitum est ex iis quæ passus est Dominus noster Christus; ea enim emendando Adami delicto, exacto tenore respõdere aiunt. Verbi gratia: Sexto (inquiunt) die creatus est Adam, eodem excruciatus est Dominus noster, in eius diei initio ille est ex luto compositus, hic item ad tribunal raptus; hora illius diei tertia inductus est Adam in Paradisum, & Seruator noster tertia hora extractus est ex vrbe Ierusalem, humeris Crucem suam baiulans: & quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negatos, eodem Christus suas distendit super lignum. Rursus à Sexta ad Nonam horam exutus est Adam sua gloria, noxæque deditus; itaque & ob Crucem Christi, Sol à Sexta ad Nonam, amisso splendore obscuratus est, atque vniuersa creatura luctu cooperta, quasi refricata pristini Adæ casus memoria. Elapsa deinde nona hora, dissipatæ atque abactæ sunt tenebræ; qua re significabatur soluta iam tum esse ea mala quæ genus humanum circundederant, atque occupârant propter Legem Dei ab Adamo violatam. Insuper quo tempore confossus Dominus noster Lancea, eodem à Cherub custode Paradisi & Arboris vitæ ablata est lancea. Denique qua hora pulsus est Paradiso Adamus à Deo, eadem prorsus à Christo immissa est in Paradisum Anima Latronis: ac proinde quo tempore Dæmon videns eiectum Paradiso Adamum gauisus est, eodem & doluit cùm cerneret Latronis animam in Paradisum reductam. Quippe cùm Christi Anima in Cruce esset à corpore separata, ipsa diuinitas simpliciter, neque corpus neq; animam deseruit, sed & vna cum corpore sepulchrum subijt, & simul cum Anima Inferos correxit, atque ad eas animas quæ inibi tenebantur, cõcionem habuit sicut ait Petrus Apostolus in sua epistola. Itaque anima Christi eas animas quæ in se credebant, ab Inferis sustulit, subuectáque induxit cum latronis anima in Paradisum vnde expulsus fuerat Adamus. Verùm sententia aliorum Doctorum est, nequaquam vno die omnia illa esse peracta: non quia non potuerit Deus tam breui ea spacio conficere, cuius potentia prorsus voluntati respondet, sed quia non satis consentaneum videtur ea sic acta esse. Et verò si Adam etiam tum nullum Paradisi fructum gustasset præter vetitum illum, neque satis adhuc, aut locum ipsum, aut eius delicias expertus, solum vertisset: quî potuisset per comparationem, ex eius terræ vnde exciderat fœlicitate, eam in quam detrudebatur, duram, horridam, atque infœlicem existimare? Sed dices: Audiuêre vocem Dei gradientis per Paradisum die iam tum inclinato; pulsi ergo sunt eo die atqui Scriptura non dicit, eum fuisse diem quo conditus fuerat Adamus. Pari ergo confeceris ratione, eodem die & Ioannem Baptistam & Christum venisse, quandoquidem historiæ series, eis diebus quibus apparuit ille, huius diem subiungit. Sed neque illud satis firmum est argumentum, cur præpropera festinatione cõturbemus rerum gestarum seriem, atque vnius eiusdémque

Iacobi Sarugensis Orationes de Christi Passione & Ascensu.

Ioh. 19.

Cherub ad Ostium Paradisi, qualis fuerit.

Psalm. 17.
Interpretatio nominis Cherub.

Ezech. 1.

Exod. 25.
Cautè lege, nam Angeli propriè non dolent aut tristantur de peccatis hominum. S.

Thom. 1. par. quest. 113. art. 7. sed tantum Metaphoricè, cum vniuersè salutem nostram cupiãt.
Luc. 15.

Adami peccatu, & Christi patientis, analogia.

Non in terrestrem paradisum immissa est latronis anima, sed in gloriam.
Luc. 23.
Christi diuinitas, neque corpus eius neque animã deseruit.
Christus correxit Inferos.
1. Pet. 3. d.
Adamum, eodem die creatum & è Paradiso eiectũ non fuisse.

Matth. 3. 4.

que

que diei spacio tam multa concludamus, quòd de Christi cruciatibus allatum est. Nam vt lubentes fatemur, Christum die sexto emendasse atque expiasse quæ ab Adamo admissa fuerant; ita fieri potuisse contendimus vt Adamus, cùm die conditi Orbis sexto esset creatus atq; eodem etiam deliquisset, alio die sexto, pro ea dierum serie qua recurrentes recensentur, sui flagitij condemnatus à Deo sit atq; eliminatus Paradiso. Enimuerò quis credat (cùm amplissimum esset Paradisi spaciū) vno die Adamum esse egressum ad imponenda animátibus nomina, eodémque reuertisse in medium Paradisum: hoc est; multorum dierum iter confecisse? eodē etiam exemptam ipsi costam esse, & in mulierem transformatam; eodem, de vetita arbore ambos edisse Paradisóque esse extrusos! Sanè, & exire, & reuerti, & præterea tantis alijs interesse rebus, haud est pro vnius diei spacio; & quidem non integri sed à diluculo ad nonam duntaxat horam vsque, vt illi aiunt. Denique dicimus, haud verisimile videri, eodem die & conditum esse Adamum & animantibus sua eum indidisse nomina. Nam si quo tempore sunt procreata animalia, eodem simul & nomina Adamus dedisset; profectò non memoraret Scriptura, Deum illa ad Adamū adduxisse. Neque enim ante eum diem quo creatus est Adam illa fuêre orta; sed eo ipso quo Adamus, etiam illa sunt procreata: quarè parùm congruenter ipsa dicantur eodem vno cum Adamo die in distitis regionibus orta, & simul ad Adamum acta esse; quamuis id in volucres quadrare possit, quippe quæ iam antè fuerant enatæ. Quod enim memorantur animalia ad Adamum à Deo esse adducta, significat varijs alioqui locis illa procreata, dispersáque agitasse. Verùm enimuerò liberum esto Lectori, vtram velit harum duarum inter se aduersariatum opinionum, amplecti atque retinere. Nam certa earum rerum cognitio in futuro æternum sæculo iis absolutè continget qui anteà virtutis exercitijs se ipsi hic à peccati tenebris perpurgauerint. Iam verò hoc quoque expediamus; quātò tempore manserit Adam in Paradiso. Hic quidam existimant, triginta annos inibi fuisse, nempe quot Dominus noster in mundo egit pro expiando illius scelere: vt quàmdiu primi homines magnificentia Paradisi sunt potiti, tamdiù iste Mundi huius humilitatem tolerauerit. Alij putant, quadraginta diebus Adamum illic hæsisse; eóque Christum dies totidem ieiunium durauisse, nimitùm vt huius ieiunium remedio esset illorum ingluuiei per quam admisêre peccatum in Paradiso. Sed Dominus Ephræm, Philoxenus, & D. Iacobus Sarugensis aiunt, Adamum in Paradiso commoratum esse horas non amplius sex; à tertia scilicet ad nonam vsque diei sexti: idque tribus rationibus demonstrare nituntur; quarum prima est, quia multò faciliùs decipi potuit Adamus in ipso statim initio quàm si longiore tempore Paradisum incoluisset: altera, quoniam si diutiùs apud animum suum meditando expendisset imperatam sibi Legem, cautior factus fuisset: verùm quando exiguum illic temporis spacium egit, simul vt mandatum à Deo acceperat, fraudem etiam sibi facile fieri passus est. Tertia, credibile est, Deum, quem Paradiso pulsurus erat, eum haud longo tempore tantâ fœlicitate frui siuisse ne nimiùm excruciaretur; sed molliùs minúsque ægrè ferret, se tantis delicijs spoliari: solet enim Deus clementer castigationem exercere. Atque hic finis esto primi Commentarij.

Paradisi spacium amplissimum.

Animalia eo ipso die quo Adam creatus fuit, orta esse.

Quanto tempore Adam vixerit in Paradiso.

Deus clementer castigat.

MOSIS BAR-CEPHA SYRI, EPISCOPI COMMENTARIORVM DE PARADISO PARTIS SECVNDÆ PROOEMIVM, interprete Andræa Masio.



Vperioris Commentarij, pie Ignati, primo capite, differendo ostendimus, Paradisum duplicis esse conditionis; corporeæ, & spiritalis: atque ad id comprobandum adduximus argumenta firmissima; tum ab ipsa rerum natura petita, tum eorum virorum auctoritate nixa qui fidem in iis rebus merentur. Prosecuti porrò illic sumus corporatum Paradisum, quæque eo cùm spectarent, memoratu digno esse videbantur, explicantes, non modo res ipsas sed nomina etiam rerum, pro tenore eorum verborum quibus diuus Moses in describendo Paradiso vsus est. Iam verò in hoc secundo Commentario constituimus, adiuuante operam nostram Spiritu sancto qui omnia perscrutatur etiam arcana atque intima Dei, de eodem Paradiso differere mysticè; &, vt sic dicam, spiritualiter: vt quemadmodùm ipse Paradisus duplex est, ita à nobis duplici modo tractetur. Consentaneum porrò est, vt in huius quoque secundi Sermonis principio, ipsa septem capita quibus totum Opus à nobis absoluetur, summatim proponamus. Primo igitur capite ostenditur, qua ratione inducti sint Doctores Ecclesiæ, vt de Paradiso mysticè loquerentur; & quibus vocabulis appellauerint mysticum Paradisum. Secundo capite explicabitur, quid sit Paradisus mysticus. Tertio, quænam sit terra mystica. Quarto, quales fuerint arbores atque plantæ in hoc mystico Paradiso. Quinto, quæ fuerit arbor scientiæ boni & mali in hoc Paradiso mystico sata. Sexto, quæ fuerit arbor vitæ in hoc Paradiso mystico. Septimo, exponentur mysticè verba Mosis quæ de Paradiso scripta ille reliquit.

Argumentū Lib. 2.

CAPVT PRIMVM.

DOctores Ecclesiæ sacræ, qui præcipui, certissimæque fidei habentur; alias atque alias opiniones habuêre de Paradiso mystico. Quidam enim ipsorum sacrosanctam Ecclesiam existimauerunt mysticum Paradisum esse; atque huius figuram mysticam fuisse olim corporatum illum Paradisum in quo erat Adamus. Alij Paradisum mysticum fecerunt eam Christi doctrinam quam baptizatus diuulgabat, cuiusmodi sunt illa: *Ne irascaris tuo fratri gratuito; Ne intuearē fœminam per cupidinem; Si quis percusserit maxillam tuam dexteram, obuerte ei alteram, quoque, Vade, vende quidquid habes, & dato pauperibus*, & huius generis alia. Rursum alij putant, mysticum Paradisum esse animæ typum, arborésque in illo satas, animæ facinora per virtutem facta significare: hi, quatuor Paradisi flumina ad quatuor animæ virtutes naturales accommodant: nempe ad eam quæ rationalis partis animæ propria est, & prudentia vocatur, & ad temperantiam; item ad eam quæ animosam siue irascibilem partem animæ spectat, atque nunc fortitudo, nunc lenitas, mansuetudoue appellatur; deniqueadiustitiam: hæ enim quatuor, cæteras animæ virtutes omnes veluti rigant, fouent, augent. Sunt præterea qui arbitrentur, mysticum Paradisum esse Sensus quosdā figuratos siue parabolicos (vt vocamus) aut anagogicos: ea enim quæ à Mose de Paradiso dicta

Variæ sententiæ Doctorum Ecclesiasticorum de Paradiso mystico.

Mysticus Paradisus multiplex Matth. 5. Luc. 6.

Quatuor, Animæ, Virtutes naturales.

Sensus Parabolici, siue Anagogici.

sunt, partim de rebus ipsis quæ vocabulis subiectæ sunt, accipienda esse; partim verò per similitudinem aliò accommodanda. Verbi gratia; quòd ait Dominum Deum formasse Adamum, & quæ sunt huius generis, de rebus ipsis esse intelligẽda dicunt: Illud verò, quod Dominus Deus consceuerit Paradisum in Eden ab initio, alio sensu esse accipiendum quàm verba ipsa ostendunt; Nempe Deum comparauisse spiritualem quãdam atque fœlicem viuendi rationem. &c. Præter hos sunt qui velint, mysticum Paradisum esse ipsum corporatũ Paradisum, dum eum animo contemplamur spirituali ratione. Postremò sunt alij Doctores, quorum sententiæ nos quoque subscribimus, qui ipsum Paradisum duplicis conditionis esse aiunt: partim enim ex rebus corporatis, partim ex spiritualibus constare; sicut & ipse Adam cuius gratia ille conditus erat, ex corpore & Anima siue spiritu fuerat compositus: corporatásque Paradisi partes esse arbores, plantas, & eiusce modi res alias; partes verò spirituales, vitam beatam atque secundùm virtutem actam, *&c.* sicut prioris Commentarij secundo Capite explicauimus.

Paradisus partim spiritualis, partim corporeus.

CAPVT II.

Quæ res sit Paradisus mysticus.

Paradisus spiritualis siue mysticus, vita est spiritualis quæ animo agitatur, plena summæ temperantiæ atque sanctitatis, & perpetuis meditationibus rerum diuinarum earúmque quæ sunt à Deo conditæ, addicta; atque omnino vita beata & Angelica, procul ab omnibus animi perturbationibus, anxietatibus, suspirijs, luctu remota, atque cum gaudio, lætitia, exultatione coniuncta, itaque pollens potẽnsque vt radios atque splendorem diuinatum Notionum concipere queat; quippe, qui in hoc Paradiso versantur, in summa viuunt beatitudine, atque creatorem Deum eiúsque creaturas, mente contemplantes oblectantur. Nam & supernæ copiæ Angelicæ illic habitant, & Adam Euáque, antequàm aduersum Dei mandatum fecissent, ibidem morabantur.

CAPVT III.

Qualis fuerit terra mystici Paradisi.

Terra mystici Paradisi fuit animus & mens Adami, hoc est, hominis inibi agentis. Nam inde pullulant atque oriuntur meditationes non modò rerum spectabilium, sed & earum quoque quæ nullo sensu percipi queunt.

CAPVT IIII.

Quales arbores & plantæ in Paradiso.

Igitur huiusmodi cogitationes meditationésque ex animis & hominum & Angelorum, quasi arbores è terra, procreatæ, arbores & plantæ Paradisi mystici haud absurdè dicuntur.

CAPVT V.

De arbore scientiæ, boni & mali in Paradiso mystico.

Quidam è numero Doctorum Ecclesiæ dicunt, Arborem scientiæ boni & mali mysticam & in mystico Paradiso consitam, esse animi motum quẽdam quo homo ceù peculiari mentis suæ indole inclinatur; eo enim sentiri, quæ inter malum bonúmque est differentiã: Quantisper enim hæc Adæ animi vis sibi constabat, tota in vnum suum Creatorem intenta, iugíque contemplatione ei alligata, tantisper in solo bono ille versabatur, idque vnũ sentiebat: verùm postquàm illa indè mota est, seséque demisit, sensit etiam alterum illud; id est, ipsum malum. Alij autumant, scientiæ boni & mali Arborem, fuisse typum legis Mosaïcæ: vt & reliquas Paradisi arbores, singulorum eius legis Præceptorum figuras, eò quod lex Mosaïca inter bonum malúmque diiudicet; eósque qui benè agunt, bonis; & qui malè, malis adficiat; atque ideò hanc Arborem iuxta vitæ Arborem sitam fuisse: vt nisi quis ipsam priùs Legem coluisset, hoc est, Legis mãdata obseruasset, ad vitæ Arborem pertingere nequiret, id est, ad eam libertatem quæ apud Christum est: quãdo ipse etiam Redemptor noster tantisper dum Legem obseruabat, libertatem suo vitæ genere minimè præ se ferebat. At nos definimus, Arborem sententiæ boni & mali mysticam, esse cognitionem & meditationem quæ circa Deum rerum omnium cõditorem versatur: scientiámque boni, esse eam cogitationem quæ vnum solum Deum agnoscit atque profitetur, mali verò, quæ multos esse Deos putat, atque hac Adamum Euámque per dæmonis consilium fuisse distentos. Insuper hoc quoque dicimus, eam Commentationem pro iis qui pollent atque exercitati sunt Meditatione rerum diuinarum, scientiam boni & vocari & esse, pro ijs verò qui neque satis firmi sunt neque exercitati, & tamen audent de Deo altiùs commentari, appellandam esse scientiam mali.

Arboris sciẽtiæ, iuxta vitæ Arborem sita, Mysteriũ

CAPVT VI.

De Arbore vitæ mystica.

Sunt inter Doctores Ecclesiæ, qui arborem vitæ, mysticè, dicãt esse humanæ mentis proprietatẽ quæ cum eis cogitationibus quæ circa vnum suum Effectorẽ versantur, alligata est, neque huc illuc circumagitur aut in alias res requirit, præterquàm in solum Conditorem suum, sicut etiam sancti Angeli solius Creatoris sui meditationibus distinentur. Horum sententia est, Adamum, simul atque creatus esset flatúque Conditoris sui excepisset, ad Deum rapi cœpisse à quo effectus fuerat, atque in hac vna contemplatione totum fuisse mansisseq́, horas non ampliùs tres, tantisper scilicet dum Legem imperatam transiliret, ita vt intereà nullam de rebus alijs cogitationem cum illa miscuerit. Igitur hi meditationem eam mentis, quæ de vno suo Parente Deo agitatur, proprietatem mentis vocant: est itaque his Arbor vitæ mystica, sacer ille gradus in quo per Baptismum collocamur matrem mysticam quã iterum gignimur ad vitam. Alij dicunt, hanc Arborem vitæ spiritualem, esse nouum vitæ genus quod repræsentauit Dominus noster indè ex quo Baptisatus fuit vsque dum Cruci esset affixus; de quo genere vitæ dictum est: *Conuertimini per pœnitentiam, propinquat regnum cœli.* Atque hanc vitam (inquiunt) agimus, postquàm per Baptismum, veterem exuimus hominem: éstque ea ceù quædã figura eius nouæ vitæ quæ in regno cœli nobis est promissa. Alij porrò vitæ Arborem mysticam definiunt, immunitatem libertatémque quam dedit nobis Christus à constitutionibus, & pœnis Legis. Lex enim delinquentibus pœnam præstituerat, à qua nos asseruit Christus qui de hac libertate his verbis est concionatus; *Redite per pœnitentiam, propinquat regnum cœli.* Rursum alij aiunt, Arborem vitæ esse hominem nouum qui per Baptismum natus est. Alij, hominem nouum qui obseruatis Dei iussis exuit vitia quæ vocantur vetus homo, induítque virtutes quæ nouus homo appellãtur. Alij mortem esse volunt spiritualem qui nascitur ex securitate, obseruandis Dei mandatis comparata. Alij meditationem quæ Christi personam contemplatur, quia per ea conditæ sunt omnes naturæ participes vitæ atque rationis. Alij crucem Christi putant Arborem vitæ dici quia ex ea promanant omnia bona spiritualia, abolito peccato atque execratione. Alij sacram aram in qua administrantur diuina Sacramenta. Alij denique, Corpus & Sanguinem Christi Dei nostri Arborem vitæ vocari putant. Sed enim nos post has & inter has sentẽtias, nostram quoque proferentes, statuimus arborem vitæ mysticam esse meditationem atque cognitionem qua profitemur sacrosanctam Trinitatem: hoc est, vnũ esse Deũ, & Tres Personas sanctas, siue Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate. De hac porrò Arbore non comederunt Adam & Eua, neque ad eam accedere siue de ea cogitare quiuerunt, vt qui adhuc non satis pollebant, potentésque ad id non erant: At nos Christiani, nõ quidem ipsi satis pollentes sed per Christum, illustratum hoc arcanum & amplectimur & profitemur. Cæterum existimandum est, multitudinem dissimilitudinémque harum inter se interpretationum quas de Arbore vitæ adduximus, argumento esse quàm sit res ipsa explicatu difficilis: alioqui enim tam multis varijsque verbis ad eam enucleandam minimè opus fuisset.

Angeli solius Dei meditatione distinentur.

Adami priuma contemplatio.

Vitæ arbor mystica, multiplex.

Baptismus est mater mystica: sic etiam infra, Cap. 7.

Matth. 3. a.

Matth. 4 c.

Eph. 4. e. Col. 3. b.

Crux Christi est Arbor vitæ.

Corpus & Sanguis Christi.

Trinitas in Vnitate.

CAPVT VII.

Complectitur interpretationem mysticam verborum Mosis de Paradiso.

Scripsit diuus Moses de Paradiso in hæc verba: *Et plantauit Dominus Deus Paradisum in Eden, ab initio.* In his verbis, Paradisi vocabulo, vita significatur spiritualis, hoc est,

est, quæ secundùm Animam agitur, & Beata. Plantare verò idem est quod facere, siue instituere. Hoc itaque dicit Moses; Dominum Deum comparauisse viuendi modum secundùm spiritum, ita vt ea vita esset plena sanctitatis & meditationis rerum diuinarum & earũ quæ à Deo conditæ sunt, fœlix & ab omnibus animi perturbationibus anxietatibúsque remota, quam comitentur gaudiũ & exultatio, quæque capax sit radiorum diuinæ notionis. Illud verò quod ait; *Ab initio*, est, ac si dicat eã vitam spiritualem atque beatam ab ipso Deo institutam fuisse ante conditum hunc corporatum Mundum; hoc est, antè eam machinam quæ ex cœlo terráq; & ijs quæ inter hæc media sunt, constat: atque in ea vita versatos oblectatósque fuisse Angelos ante hanc Mundi aspectabilem & corporatã molem creatos fuisse, & si Syri hoc negent. Cæterùm in Tralatione LXXII. Interpretum habentur illa verba ad hunc modum: *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab Oriente*; vbi, per Orientem, lucẽ eam accipias licet quæ ratione sola intelligitur, procúlque à rebus corporatis semota est: hæ enim in Occidente; hoc est, caligine versantur. Est igitur eorum verborũ hæc sententia; Deum vitã fœlicem atq; Angelicam parasse in luce agitandam, quæ lux sola mente cernitur. *Et posuit illic Adamum quem finxerat:* Postquàm (inquit) finxisset Adamum, induxit ipsum in eam spiritualem ac fœlicem vitam, lætum & mirifica adfectum voluptate, per meditationes cogitationésque nulli perturbationi aut anxietati obnoxias, in morem Angelorum & spiritualium Copiarum, recipientémque radios diuinarum notionum non aliter atque Angeli capiunt. *Et fecit Dominus Deus è terra omnem arborem pulchram ad spectandum, & expetendam ad vescendum:* Hoc est; ita comparauit Deus Adæ mentis sensum, vt procrearet atque expullulare faceret omnis generis probas cogitationes meditationésque tam de rebus quæ videndi sensu possunt percipi quàm ijs quæ eum sensum effugiunt. *Et Arborem vitæ in medio Paradiso, & Arborem scientiæ boni & mali:* Hæ duæ arbores quando spirituali modo spectantur, ambæ in medio paradiso consistere queant; hoc est in medio animi siue mentis, vt altera alteram non angat aut trudat, sicut ait Gregorius Nysæus. Sed suprà à nobis, dum mysticè accipiuntur, vbi multorum sententias in medium adduximus. *Et fluuius egrediebatur ex Eden vt rigaret Paradisum, & illinc diuidebatur & euadebat in quatuor capita.* Priúsquam violasset Adamus Legem, promanabat fluuius; hoc est, deliciæ ex meditatione rerum spectabilium & non aspectabilium natæ: rigabátque; hoc est, oblectabat vniuersum corporis temperamentum quod ex quatuor constat humoribus, ex sanguine, pituita, atque vtraque bile. Nam & ex illius modi meditationibus, non minùs quàm de corporatis Paradisi arboribus recreabatur Adamus animo. Sunt qui hoc quoque modo interpretentur ea verba: *Promanabat fluuius*; hoc est, deliciæ ex rebus conditis, ijs quæ spectari queunt & ijs quæ videri nequeunt: *& rigabat*, id est, oblectabat quatuor animæ virtutes, eam quæ rationi propriè attribuitur, hoc est, prudentiam; tum temperantiam, fortitudinémq;, & iustitiam; ac proinde virtutes animæ cæteras quoque fouebat, augebátque. Sunt præterea, qui sic, vt per fluuium intelligatur Christus qui sua doctrina Ecclesiam rigabat: Collegium dico Apostolicum quod erat veluti Paradisus, deinde euadebat sectus in quatuor capita; hoc est, ipsos quatuor Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, atque hi deinde vniuersum Orbem habitabilem proluebant. *Nomen vnius Phison, is est qui circuit vniuersam terram Hauilæ: & ibi est aurũ; & aurum eius terræ bonum est; ibi Bdellia, & lapides Berylli.*

Per Phisonem fluuium intelligi potest flaua Bilis qui humor in corporis humani constitutione laudabilis est. Nam qui eo largiùs præditi sunt, ingenio pollent acri atque arcanorum Dei mysticorum cognitione, & rerum conditarum scientia; hoc est, & diuinarum, & humanarum rerum capace; quod profectò multo auro & margaritis, lapidibúsque pretiosis anteferendum est,
A sicut ait Psaltes Dauid; *Propterea amaui mandata tua multum supra aurum, et multum supra lapides pretiosos.* Potest etiã per Phisonem accipi ea virtus animi quæ rationis propria est; prudentiam dico. Potest quoque Marcus Euangelista Phisonis nomine signatus intelligi, vt in quo robur fortitudóque enituit res superas explicandi. *Et nomen fluuij secundi, Gihon, is est qui circuit omnem terram Chus: & nomen fluuij tertij, Diklat, qui it aduersus Assur: & fluuius quartus est, Perath.* Gihonem vocat, humorem eum quem sanguinem dicimus; Diklat, eum quem pituitam vocamus; denique Perath, illum quem appellamus bilem atram, vt ait D. Iacobus Orrohaïta. Possumus quoque per Gihonem intelligere eam animæ virtutem quæ temperantia dicitur, per Diklat, eam quæ ad partẽ
B animæ irascibilem siue animosam pertinet; hoc est, fortitudinem, & lenitatem per Perath denique, Iustitiam. Rursus Gihon potest Matthæum significare Euangelistam, Diklath, Lucam; Perath, Ioannem. *Et accepit Dominus Deus Adamum, & posuit ipsum in Paradiso Eden.* Postquàm condidisset Deus Adamum, sustulit ipsum illinc vbi creatus fuerat, & traduxit in Paradisum spiritualem hoc est, in vitam felicem, vt voluptatem caperet ex meditatione rerum conditarum, atque ex diuinæ notionis radiis quibus ipsius mens illustrabatur Angelorum more, quemadmodũ in ipso quoq; corporato Paradiso oblectabatur. Cùm enim duplicis esset conditionis Paradisus; quatenùs spiritualis erat, delectabat Adæ animum contemplationibus; quatenùs verò corporatus, arboribus fructibúsque, illius corpus recreabat. *Vt eum coleret*
C *& custodiret.* Idcirco (inquit) traduxit illum in eum spiritualem & beatum viuendi modum, vt in ipso sese exerceret per probas cogitationes & rectas meditationes quæ circa res conditas versentur, ipsúmque obseruaret omni proposito animi sui, séque eo vno oblectaret. *Et mandauit Dominus Deus Adamo, dixitque ipsi: De omnibus arboribus quæ sunt in Paradiso, edẽdo edes; at de ipsa Arbore scientiæ boni & mali, ne edas,* hoc est, exerce te cogitationibus de rebus omnibus tum aspectabilibus tum quæ sola mẽtis intelligẽtia percipiuntur; apúdq; tuum animũ meditare quisnam sit illarum effector & parens, & quomodò sint conditæ; totúsq; esto in meditando ea quæ sibi illis mysticè latent: cúmque ex rerum illarum pulchritudine raptus fueris in admirationem, tunc ipsarum Conditori
D gratias agita, cúmque laudibus efferto. Quod porrò sequitur, ab arbore scientiæ boni & mali abstinẽdum esse; significat, illum curiosiùs inquirere non debuisse in Deũ ipsum, quid esset & quomodò existeret, & vnicusne an plures essent dij: huc enim penitùs procedendum illi non fuisse, propterea quod adhuc ad illius-modi res capiendas non satis polleret illius mens. *Quia quo die comedes de ea, mortem morieris:* Acsi dicat; quo die rerum ambigere cœperis vnus ne Deus sit an plures, atque in opinionem plurium incideris; mortem oppetes, & peccando & te, à me, subducẽdo alienandóque, qui sum verus Deus. Quippe id illi euenit, vnà cum vxore Eua Diaboli fraude seducto; qui non modo escæ illecebris ipsos fefellit, sed persuasit etiam plures esse Deos, dum dice-
E ret: *Si comederitis de ea arbore, eritis sicut dij.* Hic illud etiam obseruandum est; Adæ atque vxori, Arbore tantùm scientiæ interdictum esse ne ad eam accederent, nempe quia nondum eius capaces erant: at de Arbore vitæ nihil esse præceptum quidem Lege, sed pro custodia eius positum Cherub & aciem gladij, nimirùm vt ea re significetur, eos mortales (siue pristini illius siue huius temporis, qui non satis firmi sunt ad commentanda ea quæ ad sacrosanctam Trinitatem spectant; vnum scilicet esse Deum personas verò tres, atque ita Trinitatem esse in Vnitate & rursum Vnitatem in Trinitate; hanc enim esse arborem vitæ, suprà memorauimus) si conentur per temeritatem illò penetrare, déque arcanis illis & cogitare & loqui;

Cautè lege, & vide notã superius ad 1. lib. in Hexamer. S. Thostasij Sinaïtæ. Negant Syri Angelos ante Mundũ fuisse conditos.

Fluuius Paradisi Mysticus.

Quatuor animæ virtutes.

Flaua Bilis, laudabilis est in corporis humani constitutione. Phison mysticè quid. Psalm. 119.

S. Marcus Euangelista.

Adam & Eua persuasi, plures esse Deos.

Mysteria S. Trinitatis cautè non inquirenda.

eos, inquã, coërceri repellíq; quasi à custode Cherub & lanceà quadã igneà fulgoribus micante ipsósque deterrente atque accessu prohibente. *Et formauit Dominus Deus è terra omnem bestiam agri, & omnem volutrem cœli:* Hęc verba, atq; hæc oratio de rebus ipsis duntaxat interpretari possunt, non etiã ad spiritum accõmodari. Igitur quæ commentario superiore de ipsis sunt à nobis dicta, sufficiant. *Et immisit Dominus Deus quietem* (aut, vt habet Hebræum, *somnum*) *in Adamum, & dormiuit: & sustulit vnam è costis ipsius, clausitque carne eius locum; & concinnauit Dominus Deus ex costa quam sumpserat ex Adamo, fœminam:* Quòd ex Adamo sopore obruto sumpta est costa, atque ex hac facta Eua, sacramentum est Sanguinis & aquæ ex Christi latere profluentium, postquàm in Cruce obdormiuisset; quibus constituta est sacrosancta Ecclesia: Tum, quòd ex latere Adami excipiebatur Eua; typus fuit fodiendi olim lateris Christi, ex quo essent effluxuræ aquæ vitæ & vitales salutarésque: aquæ (inquam) sacri Baptismi qui est mater mystica, ex qua vna procreantur filij noui ad vitam spiritualem atque sempiternã; sicut Eua quoque quæ ex Adami latere prodiit, mater omnis viuentis est appellata. *Et Serpens astutior erat omnibus animalibus agri, quæ fecerat Dominus Deus.* Serpentem vocat diabolum; illum Deo rebellem, mendacij patrem, humanæ naturæ impostorem: Nam etiam alibi in sacris Literis, ille Serpens * appellatur: *Ecce*, inquit Dominus, *vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones.* Et alibi scriptum est; *Occidit manus ipsius Serpentem transfugam, siue fugitiuum.* Angelicæ verò virtutes appellantur animalia, quo nomine illas Scriptura apud Ezechiëlem quoque vocat in Ostento illo. Dicitur autem Serpens astutior omnibus animalibus, quia Angelicæ virtutes prorsus ab omni malitia atque astu vacuæ sunt; at diabolus vafer est & improbus prorsus. *Et ait Serpens ad mulierem; Verè dixit Deus, ne comederetis de omnibus arboribus Paradisi:* hoc est; planè dixit vobis Deus; nolite meditando expendere rerum conditionem, siue aspectabilium siue earum quæ in sensus non cadunt. *Et ait mulier ad Serpentem: de fructibus arborum Paradisi omnium comedemus; de fructibus arboris quæ est in medio Paradisi dixit Deus, ne edatis de ea neque tangatis eam, ne moriamini.* Iussit quidem Deus vt rerum omnium tam quæ cerni non possunt quàm possunt, contemplatione nos exerceamus, atque ea nosmet oblectemus; at in se (est enim ipsius, arbor illa spiritualis) noluit nos altiùs curiosiúsque inquirere vnicus ne sit Deus an plures, ne dum ad eiuscemodi indagationem mens nostra parùm pollens poténsque est, per peccatum occidamus. *Et ait Serpens ad mulierem; Non mortem morituri estis.* En vt nihil pudet Dæmonem planè Deo contradicere: ille mortem obnunciat si quis altiùs in ipsum inquirat; hic, prorsus mortis securos facit eos qui arcana Dei audeant scrutari. *Et vidit mulier quòd pulchra esset arbor ad vescendum, & expetibilis oculis, atque desiderabilis arbor spectatu.* Quòd mulierem dicit vidisse arborem, non ita accipiendum est quasi Deum illa viderit quem mysticè per eam arborem significatum esse diximus; sed ipsam auscultasse consilio Dæmonis, eiúsque verbis persuasam curiosiùs in Deum inquirere conatam esse significat. *Et accepit de fructibus ipsius & edit, deditque etiam simul viro suo & comedit.* Ipsa cùm animo suo reputare atq; disquirere cœpit de Deo vnusne esset an plures, & quam ob caussam sibi maritóq; suo interdixisset escam Arboris scientiæ; atque simul Adamum maritum suum vt idem faceret hortata est, is verò vxoris dictis est assensus, atq; in easdem cogitationes incubuit: *aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi essent.* Euestigiò violata Lege Dei, patefacti sunt ipsorum oculi: non quod in deos iam tum euasissent, in quam spẽ ipsos adduxerat dæmon; sed ita, vt animaduerterent suã nuditatem: hoc est, adempta est ipsis prior illa cernendi facultas spiritualis atque Angelica qua fuerant præditi, intellexerúntque, se iam felici illa Dei gratia esse spoliatos qua antequàm aduersus Legem fecissent, sua ipsorum corpora veluti velata fuerant. *Et conglutinauerunt folia ficulnea fecerúntque sibi subligacula:* Folia ficulnea vocat ipsorum manus; referunt enim manus eorum foliorum figuram: quasi dicat; cùm se nudos esse animaduerterẽt, manibus sua contexêre pudenda: atque ita etiam nunc se mores mortalium habent. Neque enim aut amictum aut tunicas, sibi, ipsos fecisse dicit; sed perizomata: hoc est; quæ sola genitalia membra tegerent. *Et audiuerunt vocem Domini Dei gradientis in Paradiso, ad inclinationem diei:* Inclinatio diei moram temporis significat: quasi dicat non simul atque mandatum transiliuissent deliquissentque apparuisse ipsis Deum; sed interiecto temporis spacio, nimirùm quo ipso apud animum suum sibi conscios puderet interim pœniterétque admissi flagitij. Porrò descensus & aduentus Dei in Paradisum, figura erat quæ descensurum atque venturum olim in Mundum Dei Verbum significabat. Diei inclinatione verò mysticè ostendebatur forè vt hoc Dei Verbum in fine temporum carnem indueret, sicut ait Paulus: *Cùm venisset finis temporũ, misit Deus Filium suum, & factus est ex Muliere.* Deinde gradientis Dei audita per Paradisum vox portendebat Verbum Dei aliquando apud nos in carne versaturum ambulaturúmque, quemadmodùm de ipso prædixit Vates; *Et super terram visus est, & apud homines versatus est. Et abdebant se Adam & vxor ipsius à conspectu Domini Dei, inter arbores Paradisi.* Abdebant quidem inter arbores Paradisi sua corpora: verùm conscientiam admissi facinoris tegere à conspectu Domini atque dissimulare, ipse prohibebat pudor. *Vocem tuam audiui in Paradiso, & vidi quod nudus essem, & abdidi me.* Et quia (inquit) vocem tuam gradientis per Paradisum audiui, & quia nudum me esse animaduerti; ab ea maxima atque saluberrima gratia qua antè fueram indutus; ob has ego duas caussas metu perculsus me occultaui; hoc est, rem ipsam commissam, apud animum meum expendens timui. *Et ait ad illum Dominus: Quis significauit tibi quòd nudus esses? nam de arbore de qua iussi ne ederes, edisti?* Ac si dicat: En mei cogitationibus tete occupasti, qualibus abstinere te iusseram. *Et ait Adam, Mulier quam attribuisti mihi, ipsa dedit mihi, & comedi:* Mulier (inquit) quam mihi sociam fecisti, ea mihi meditationis de te instituendæ caussa fuit. Nimirùm facit Adam quod mortales omnes solent; si quando enim errant atque peccant homines, caussas quasuis arripiunt quibus à culpa se & pœna vindicent. *Et ait Dominus ad Serpentem; Quia fecisti hoc, maledictus es præ omni animali, & bestia agri:* Hoc dicit ad Satanam Dominus; quia Adamum & vxorem ipsius seduxisti, iumenta quidem bestiásque cæteras dignabor mea cura; id est, sufficiam ipsis cibum in tempore: at tu mea cura indignus habeberis. *Et super ventrem tuum gradieris:* Extorris enim à cælesti Repub. repes humi atque in terrenis rebus volutaberis. *Et puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ:* homines perire (quod est veluti in puluerem reuerti) tu tibi pro esca & cibo duces, propter summum tuum aduersus illos odium. *Et inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum & semen illius:* Id odium (inquit) quo tu gaudes, ponam ego inter te & illos, & inter semen humanum atque rebelles dæmonas tuos socios. *Et ipsum conteret caput tuum:* hoc est; irritum faciet tuarum astutiarum initium. *Et tu illud feries in calce ipsius:* hoc est; tu peccati vulnus ipsi infliges, vt perdere possis in extremo eius vitæ actu. *Et ad mulierem ait: multiplicando multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos:* hæc mysticum sensum non admittunt; cæterùm rem ipsam suprà * pertractauimus. *Et fecit Dominus Deus Adamo, & vxori ipsius tunicas pelliceas, & vestiuit ipsos* Cùm (inquit) adempta illis esset vita illa spiritualis, beata, gaudiíque plena; propter sua ipsorum errata inducti sunt in vitam hanc corpoream, ærumnosam atque anxiis rebus refertam. Cæterùm tunicis pelliceis, maxima vitæ commutatio quæ ipsis violata Lege accidit, significatur. Propter sua ipsorum

Jo. 19.

Baptismus est mater mystica nouorum filiorum ad vitam spiritualem.

*Isa. 27. a. 1. cor. 11. a. Ap. 11. b. 20. a. Luc. 10. b.

Ezech. 1.

Dæmon impudenter Deo contradicit.

Eua, de Deo, curiose voluit inquirere.

Dei aduentus in Paradisum

Galat. 4.

Baruch. 3.

Homines solent excusare excusationes in peccatis.

Serpentis maledictio.

* Parte 1. Cap. 28.

A B C D E

sotum igitur peccata eas pœnas dederunt, vt spiritualem cum corporea; hoc est, fœlicissimam cum infœlicissima vita mutarent. Et ait Dominus; *En Adam factus est qualis vnus nostrum in cognoscendo bono & malo.* Hæc suprà abundè explicauimus. *Iam ne fortassis extendat manum suam, & sumat de arbore vitæ & edat, ac viuat in æternum.* Posteaquàm admisso flagitio excidisset genus humanum illo secundùm animum viuendi modo, illáque vita beata & Angelica; indignum iam euaserat atque etiam inualidum vt cogitatione assequeretur agnosceretque vnum Deum & tres Personas, atque vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate: & vt Verbum Dei, olim carnem esse assumpturum nostræ salutis & redemptionis gratia, prospiceret: non satis (inquam) pollebat deinde genus humanum ad huiusmodi sublimes meditationes exercendas, tantisper dum flagitium illud & prauitas per Satanam sub Serpentis specie (quo vtebatur ceù instrumento) iniecta delerentur atque abolerentur penitùs. *Et misit ipsum Dominus Deus extra Paradisum Eden, vt coleret terrã ex qua sumptus fuerat. Et eliminauit ipsum Dominus Deus:* Propter violatam Legem mulctauit Adamum Deus fœlicissima illa vita in qua mentem suam ille omnem perpetua contemplatione rerum & quæ videndi sensui subijci & quæ non subijci possunt, antè pertractabat. Atque insuper à vitæ etiam Arbore prohibuit; ait enim Moses: *Et versari fecit ad Orientem Paradisi Eden, ipsum* A *Cherub & aciem gladij versatilis, ad custodiendum iter Arboris vitæ.* Ad Orientalem partem Paradisi solam, non etiam ad reliquas collocata est custodia; quia Orientis regio præstituta erat vt esset olim locus adorandi Dei. Porrò Cherub & Gladius igneus terrificúsque, custodiç caussa positi sunt inter Adæ ingenij captum & ipsam sacrosanctam Trinitatem; ne scilicet mens humana altiùs curiosiúsque inquireret in tres Personas Diuinitatis quæ prorsus est incomprehensibilis. Sunt autem quæ hic à Mose scribuntur, pro nostris motibus dicta. Nos enim; si quam rem saluam cupimus; ei custodem solicitum, sedulum, prudentem præficimus terribili aliqua lancea munitum; qui procul arceat accedentes. B Huc animum attendant quotquot aut non satis firmi cùm sint, aut non satis exercitati atque eruditi, aut denique nullum virtutis cum habeant vsum; audent tamen per temeritatem subitò prosilire in medium atque loqui, disceptatéque de sacrosanctæ Trinitatis Personis; & his Mosis dictis tantam suam audaciam refrænare discant, atque ita se in hac vita expurgent obseruandis Dei iussis vt in altera illa futuri sæculi, donentur cognitione meditationéque rerum à Deo conditarum atque ipsius etiam summæ Trinitatis, quatenus certè hanc res creatæ atque externæ per virtutem omnipotentis Dei comprehendere poterunt; & hic finis esto Sermonis secundi.

Cur positus sit Cherub ad Orientem Paradisi.

De nõ curiosè inquirendis S. Trinitatis mysterijs.

MOSIS BAR-CEPHA, SYRI EPISCOPI, COMMENTARIORVM De Paradiso, interprete Andræa Masio, pars tertia.

SVperiore proxima Oratione; ô pie & venerande frater noster, domine Ignati; egimus de Paradiso & arboribus mysticis, pro serie atque tenore Scripturæ: at præsenti sermone dissoluemus, Deo manum nobis porrigente, hæreticorum calumnias quas aduersum nostra dicta proferunt; ac simul nonnullas quæstiones à quibusdam alijs viris quæsitas explicabimus.

Contra calumnias Simonis Magi, de primi parentis [illegible]ate.

CAPVT I.



BIICIT Simon Magus, inquiens: Deus ille qui Adamum cõdidit, impotens erat atque imbecillis; neque enim efficere potuit vt maneret Adamus, qualem esse volebat. Ad hæc respondemus, mansisse Adamum qualem ipsum & esse & manere volebat Deus conditor effectórque ipsius: volebat enim Deus ipsum pollere suopte arbitrio, atque liberum esse; non autem naturam habere vinctam & obnoxiam, qualem habent bruta animãtia & eæ res quç animæ expertes sunt. Atqui profectò si voluisset Deus Adamo liberum esse suum Arbitrium, hic verò non obtinuisset Arbitrium liberum, neque is fuisset quem esse volebat eius parens Deus, sed prorsus alius; ac tum demum isti calumniæ locus fuisset. Sed instat Simon: Deus volebat ne ederet Adamus de illa arbore: at is edit; non ergo mansit qualem manere volebat Deus: conficitur ergo parum potentem fuisse D Adæ Creatorem. Imò verò id ipsum quod edit de Arbore, argumento est mansisse qualem volebat Deus manere: ea enim erat Dei voluntas, vt constaret, Adamum esse liberum atque cum libero arbitrio conditum; idque certò ita se habere inde potissimum sciri potuit quòd appareret in ipsius esse positum facultate & edere & non edere de illa Arbore, Legémque vel obseruare vel violare. Posteaquàm igitur iussus abstinere non abstinuit, libero prorsus Arbitrio se ostendit præditum esse, qualem ipsius effector Deus & esse & manere voluerat. Neque verò Adamus vescebatur ea Arbore, victa superatáque Conditoris Dei voluntate; sed Creatore ipsi permittente, vt quod Arbitrij eius libertas dictaret id porrò ageret, faceret, patraret. Præterea, nisi liberi Arbitrij Adæ facultatem rebellio illa prodidisset, qua re tandem perspici potuisset maxima præstantia obsequij C quod postea ille amplexus erat, & per id rediturus ad pristinum suum ordinem, gradúmque? quippe cum esset bonum quod ipse patraret, nõ solum Creatoris sui munus verum etiam ipsius proprium opus. Porrò ampliùs etiã vrget Simon, aítque: Volebat Deus Adamum manere in Paradiso, at ipse per suum flagitium inde excidit; erat ergo impotens Adæ effector Deus vt qui pro sua voluntate illum in Paradiso retinere nequiuerit. Sed respondemus, Deum, vbi Adamum condidisset atque in Paradiso posuisset, prorsus liberum ipsi fecisse vt vel obseruata Lege inibi maneret, vel fracta inde exiret. Igitur cùm ea illi voluntas fuisset vt imperatam Legem transiliret, meritò extrusus est Paradiso & morte etiam damnatus, propter admissum peccatum scilicet; & simul nç ipsius prauitas foret immortalis, qualis est diaboli. Accedit huc, vt metu mortis cuius per sentẽtiam reus erat, caussam mortis peccatum vitaret, & huic contrariæ Iustitiæ operam daret: denique cùm olim ex ipsius posteritate futuri essent Martyres, lata est aduersus illum mortis sententia, vt hi per mortem pro sua in Deum pietate atque reuerentia obitam, coronas adipisci possent Iustitiæ. Sed vt reuertamur vnde paululum digressi sumus: Si propterea (Simon Mage) Deũ inualidum vocas quia Adamum cum libero Arbitrio creauit, quo ille prçditus, aduersus edicta Creatoris sui facere posset; vt etiã hodie imbecillum Deum esse dicas, necesse fuerit: iussit enim ne homicidia, adulteriáue cõmitterent mortales; & tamen hæc atque alia aduersum Legem Dei patrant. Sed enim vtáre vt lubet eo tuo argumento, Simon; at interim nobis respondeto: volenténe Deo faciunt homines aduersus Legem ipsius, an nolente? Sanè si nolente; consequens est, imbecillis eum etiam nunc viribus esse; quippe quo nolente, quæ præscripsit violantur.

Simon Magus.

Humani Arbitrij libertas.

Cur dãnatus morte Adamus post peccatum.

Volente an inuito Deo fiant mala.

Sin volente; erit ipse sibi aduersus vt qui ea verbis iusserit quæ reipsa fieri noluerit; & mortales voluntati illius paruisse dicentur qui contra mádata fecerint; quòd profectò absurdum est. Rursus; libenténe an inuito Deo patrant homines quæ improba sunt? Si libente, erit ipse quoque improbus qui vitijs delectetur: Sin inuito, cur nō impedit? At si coërcere illos ab eo quod prauum est, dignando non potest; conficitur certè, viribus ipsum etiam nunc non pollêre: vel si non vult, rursum prauus vt ipsus sit consequitur, qui praua dissimulet. Est porrò etiam aliud Simonis Magi argumentū quo Deum Adami conditorem, improbitatis atque inuidiæ arcessere nititur: Nam interdixit, inquit, Adamo, Arbore scientiæ boni & mali; quæ gustata potuisset ille inter bonum malúmque dijudicare; atque, hoc fugere, illud persequi. Sed respondemus, Deum haud ideò vetuisse Adamum vesci fructu Arboris scientiæ ne bonum amplecteretur malúmque vitaret, vt calumniatur Simon; ipsa enim res, Simonis verba redarguit mendacij: nam edit quidem de arbore sciétiæ Adamus; & quid bonum, quid malum esset, facto periculo didicit: & tamen non modò nullo inde commodo vtilitatéue auctus est, sed etiam magno damno mulctatus, quippe qui acerba pœna est condemnatus. Sed pergit impius ille Magus; At nisi, inquit, Creator ille, Adæ edixisset ne ille ederet de ea arbore, haudquaquam iudicium hoc pœnámq; subiuisset; inde enim hoc malum, quod contra Dei edictum ille fecerat: Deus enim iusserat ne ederet, ipse verò edit. Sed respondemus, Deum neque voluisse vt ille ederet de ea arbore. Nam si voluisset vt ederet, duo hæc absurda conficerentur: alterum, Deum verbotenus mandasse quod reipsa fieri noluisset; alterum, eum qui aduersus Conditoris sui iussa propalam agebat, volūtati ipsius fecisse satis, quantumuis nescium atque imprudentem. Sin voluisset ne ederet, videri poterat imbecillus, vt cuius voluntati Adamus repugnare potuerit: sed h[illegible] spectasse Deum dum Legem Adamo præscriberet, [illegible]uarétne an violaret ille eam, non autem ederet an non ederet de illa arbore, atque ideò quoq; de duabus illi habitationibus prouidisse, vt alteram si Legi paruisset, alteram si non paruisset haberet. Idque ita esse vel hinc ostendatur quòd duo hæc inter se paria sunt; Deū iussisse vt ederet, illum verò non edisse; & Deum vetuisse ne ederet, sed tamen illum edisse: par enim violatæ Legis culpa in vtrouis futura erat. Igitur non eò spectabat Deus dum legem conderet, ederet ne ille an non ederet quem Arbitrij libertate donârat; sed obseruaret, an non obseruaret Legem quam liberi eius arbitrij materiem esse voluerat: Simúlque eò etiam pertinebat Legis cōstitutio, vt intelligeret Adamus se ab alio conditum eíque suo Conditori, vt Domino, subiectum se esse. Sed supra à nobis, hæ atque aliæ, ferendæ Legis caussæ satis tractatæ explicatæque sunt. Ad hoc, quî potest verò simile videri, Deum Adamo escâ illâ interdixisse ne inde boni maliq; sciēs fieret; alterúmque amplecti, fugere alterum nollet, quando nulla ei arbori vis inerat quæ boni malíque dijudicandi scientia edentes informaret: imò verò iam tum eius iudicij expers Adam minimè esset (quippe Lex ijs non præscribitur qui malum à bono secernere non queunt, sed qui antè probi improbique, discernēdi iudicio præditi sunt) sicut oculus, quàmuis non visu atque functione, re tamen ipsa, tum visione tum rebus aspectabilibus prior est; quæ supra quoque à nobis sunt tractata. At verò ideò illum iussit ab Arbore abstinere vt euaderet immortalis, agerétque vitā perpetuam; hoc enim donum à diuina gratia retulisset. At enim Deum nō improbum pro Simonis calumnijs, sed bonum benignúmque natura esse, his colligitur argumētis: Condidit enim Adamum, cum antè neq; ille existeret neque alius quispiam qui ipsum, ad illum condendum, vel hortatu vel precibus moueret; ad hoc contulit illi imperium in pisces Maris & volueres cœli: Insuper bene precatus est ipsi, vt cresceret numeróque augesceret. Præterea dedit illi omnem herbam proferentem semen, & omnē arborem fructiferam, pro cibo. Denique nos ipsos etiam nunc, & si peccemus atq; aduorsum ipsius mandata faciamus, tamen non modò sustinet neque nostri obliuiscitur sed etiam conseruat, pascit, gubernat, & omnino nostri curam gerit. Sunt porrò alia plurima quæ testentur Deum natura bonum esse, atque ea mera gratia Adamum cæterásque res effecisse. Pugnat porrò Simon Magus aduersus Deum, etiam hac via: Per inuidiam, inquit, prohibuit Adamum ab Arbore vitæ gustanda, nempe ne immortalis fieret. Atqui si ea inuidia laborasset Deus prorsus ab initio non creauisset Adamum. Neque enim vlla eum vis ad creandum illum impulit; sed sua voluntate, gratuitò illum condidit: ad hoc, Paradisum illius caussa; hoc est, vt in eo ille & habitaret & voluptate frueretur, non fecisset si inuidisset, aut saltem ipsam vitæ Arborem quam illi inuidisset non procreasset in Paradiso; neque tanto etiā imperio in pisces, volucres, iumenta, feras illum amplificasset; denique non condidisset illum ad suam imaginē & similitudinem: Sed ea de caussa ab arbore vitę coërcuit, ne perpetuò viueret in peccato, essétque ipsius malitia vnà cum ipso immortalis, cuiusmodi est diaboli prauitas. Atque hoc ita se habere vel inde certum est quòd olim concessurus est nobis vitam perpetuam in futuro sæculo, nullis peccatis aut delictis obnoxiam, sed sempiternis atque immortalibus delicijs plenam. Rursus sic arguit Deum idem Simon Magus Qua tandem ratione, inquit, execratus est Deus Serpentem? Nam si vt eum qui damnum dederat, cur non coërcuit ne daret; hoc est, ne seduceret Adamum? Si verò ceù eum qui vtilitatem attulerat, quippe qui Adamo auctor fuerat vt de bona illa Arbore ederet; sanè improbum atque inuidum fuisse illum necesse est: denique cùm neutram harum causarum haberet, illum est detestatus ac proinde sanè imperitiæ atque vecordiæ meritò accusetur! Ad hæc respondemus, Deum execratum esse Serpentem vt rei malæ auctorem, & tamen non coërcuisse machinantem qui se alioqui qui non latebat, eadem ratione qua neq; hodie eos cohibet qui improbis rebus intenti sunt, ne eas patrent: Tum etiam, ne ea re diaboli libertatem impediret, qui per Serpentem verba faciebat: Denique vt periculum fieret de Adamo ipsiúsque libero Arbitrio, ea pugna atque certamine in quo illic versabatur. Postremo si Serpentis conatum impeduisset Deus, data fuisset mortalibus querendi ansa; dixissent enim, Deum per inuidiam abstinuisse Adamum à breuis tentationis periculiq; momēto, ne eo superato vitam adipisceretur sempiternam: neque enim ipsum Serpentis verbis, si fallendi caussa illum adortus esset, concessurum fuisse. Porrò de Simone Mago illud scire operæpretium est, esse qui dicant, ipsum in speciem quidem assensisse Mosis Legi, sed plures interim Deos posuisse quorum vnus sit imbecillus atque impotens, is qui Adamū finxit fecitque, alter verò hoc superior, maior, potentior. Alios autem putare Simonis Magi sentétiam fuisse, Mundum à mala caussa ortum esse, atque ideò illum huiusmodi absurda turpiáque dictu collegisse, quibus apud eos qui in vera fide durarent, Mundi auctorem Deum suggillaret: Propterea corporum quoque Resurrectionem perfidè illum negasse. Verùm hæc omnia ex eo libro cognosci possunt, quem de multitudine differentiáque Sectarum conscripsimus.

Lex, Arbitrij liberi materia est.

Diuinæ bonitatis demonstratio contra Simonem Magum calumniantem.

Deum, non ex inuidia interdixisse Adamo esum ligni vitæ.

Obiectiones impij Manetis, & eius Sectæ hominum.

CAPVT II.

Manes homo improbissimus, & qui eum sectantur, dicunt Legem Adamo imperatam plurimis rebus absurdis plenam esse, atque iode multa suppeditari argumenta quibus meritò accusetur ipse Legislator: verbi gratia; iussit Adamum abstinere ab Arbore scientiæ boni & mali, minatus mortem quo die illius fructu vesceretur; quod edictum, harum rerum omnium arguit Deum; inscientiæ, iracundiæ, pœnitentiæ, mendacij denique.

Manetis calumnia in legem Adamo primū à Deo positam.

Inscientiæ

Inscientiæ quidem, quod Legem imperauerit quam puturit obseruãdam, ea verò obseruata non sit. Iracundiæ, quod eum qui cõtra suam Legem fecisset, per iram condemnauerit. Pœnitentiæ, quia latam sententiam, per misericordiam (vt vos dicitis, inquit, Manes) irritam habuerit. Denique mendacij, quia mortem non oppetiuerit Adamus quo die edit de illa arbore. Aduersum hæc respondemus, Deum inscientiæ culpari non posse, qui ab æterno omnia nouit priùs quam fiant; ac proinde illud etiam clarè præsciuit, Adamum, quæ ipse imperaturus esset, ea non facturum; nec tamen ideò non imperauit, quia illum pariturum non esse præsciuit: consentaneũ enim erat, vt nihilominus illi præscriberet Legem, & quidem ob multas caussas. Primùm vt constaret esse qui dominatione potestatéq; rerum poteretur (est enim dominorum, Leges statuere) scirétque Adamus & cæteræ res cõditæ, se creaturas esse & seruos, quibus solent Leges dari. Ad hoc, data Lege certiorem reddidit Deus Adamum & reliquos Mortales ratione præditos, se Arbitrij libertate ipsos donasse dum conderet, qua freti possent vel obseruare vel transilire Legem præscriptam. Nam si Legem tollas, nihil erit vnde eam libertatem, summũ profectò Dei donum, cognoscas. Insuper Lex, & si ab Adamo violanda erat, tamen vtilis fuit ad probandos segregandósq; morigeros à rebellibus, bonos à malis, amicos ab hostibus, aliorumq; virtutem ab aliorũ prauitate; quorum nihil sublata Lege, cognosci dijudicarique à nobis posset. Iam verò qui constaret iustè alijs præmium à Deo dari ipsum cœleste regnum qui obsequiosi seruanda Lege officium colunt; alijs calamitates meritò infligi qui latæ legi non parent; nisi lex esset lata? Quòd si verò ideò ferri non debuit quia eam fracturus erat Adamus cum vxore, haud sanè rectè præscripta iam fuerit Mortalibus fidei norma, quando maxima pars hominum eam non colit. Postremò, præscripta Lege monemur alterum esse sęculum in quo sua præmia & ijs qui obtemperant & ijs qui rebellant sint præstituta; alteris perpetuæ deliciæ, alteris cruciatus sempiterni: Lex enim omnis, & promissa & minas secum adfert; vt illa, si seruetur; hæ, si frangatur, præstò sint. Quod porrò ad iracundiam spectat, respondemus, Deum non per iram pronunciasse aduersus Adamum illam talem sententiam, sed per meram misericordiam, quod hinc cognoscitur quia haudquaquam illo die obijt mortem quo facinus fecit, pro sententiæ verbis: nimirum verba eò fecerat Deus rigidiora, quò posteritatem venturósque nepotes, per metum, à frangendis legibus rebellandóque contineret. Rursus de pœnitentia, cuius accusat Deum Manes; dicimus illorum esse dolere atque pœnitere qui nescij rerum euentus, ea faciunt quorum exitus parum respondeat ipsorum commodis: at Deum, cùm pręsciat omnia quem sint quæque habitura finem, prorsus pœnitere vllius non posse; aut pigere. Non igitur latam à se sententiam aduersus Adamum, quasi eius pœnituerit, dissoluit, sed per suam misericordiam atque clemẽtiam; quæ ipsius virtutes, ea re sunt luculenter patefactæ. Nam alioqui etiam quoties relicta impietate redit, eum excipit; atque quæ aduersus illum decreuerat, mutat; vt ait Propheta Ieremias. Et Niniuitas exitio damnatos, postquàm commutârunt vitam, supplicio exsoluit. Neque Ezechiam de admisso peccato dolẽtem, morte, vt comminatus fuerat, mulctauit. Imò verò quotidiè videre est, illum non perditum ire eos qui sui mandatis non parent, sed expectare vt resipiscant. Postremò ad mendacij calumniam respondemus, planè Deum mentitum non esse, cùm Adam, quo die de vetita arbore edit, eo mortem quoque (si animum spectes) obierit; quippe qui abalienatus sit à Deo, qui vnus vità vera, certáq; est: rata igitur fuit Dei, eo die, aduersus illum lata sententia. Et verò ipso etiam corpore, illo die mortuus est quadam affectione turbulenta quę mortis esset efficiens; vt à quo simul prorsus auferebatur immortalitatis gratia, ac proinde morti iam tum fiebat obnoxius, & omnino mortalis. Et his ergo omnibus conficitur, Manetem & reliquos eius factionis homines improbè Deum suggillare eorum criminum, quæ iam vidimus.

Ier. 1 & 18.

Ion. 3.

Isa 38. a Adam mortuus eo die quo Dei præceptum est transgressus.

Rursus aiunt ijdem Manetis assensores: Quãnam prohibitus est Adamus caussa ab Arbore scientiæ gustanda? an quia mala ea esset, an quia bona? Si quia mala; an mala arbor sata erat in Paradiso? Sin quia bona; per inuidiam prohibitus est! Contra hæc dicimus, eam Arborẽ suapte natura neque bonam neque malam fuisse, sed perinde atque ipsa quis vteretur abuteretúrue. Vsum autem atq; abusum, in libero primorum Parentum fuisse arbitrio positum; vt iam non ex ipsa arbore malum, sed ex Arboris abusu prouenisse existimandum sit. Idem de bono dicendum fuisset, si Adam, Mandatis quæ de ea Arbore acceperat paruisset. Quemadmodùm cibus quà cibus est, nihil vllus ab alio differt, sed pro ætate atque viribus vescentium maximè. Nam qui vescentis viribus respondet atque congruo tempore sumitur, bonus; qui verò vires superat aut nõ in tempore capitur, malus habetur: sic vsus Adæ atque Vxoris in permissa quidem Arbore, bonus; at in vetita, malus erat: neque enim in ipsa arbore boni maliue efficientia inerat; sed ipsum violare Dei Legem, id verò erat quod Adamum occidebat, non arbor. Veluti contumeliosum in parentes, non ipsa contumelia mulctat morte, sed fracta Lex: neque mons Sinai eos interficiebat qui se contingebant quo tempore certi fines præscripti fuêre vltrà quos nemo accederet, sed Lex violata. Non igitur illa arbor Adamo malum dedit, sed amissa per fractam Legem noxa. Enimuerò per inuidiam non esse prohibitum Adamum ab vna ea Arbore satis arguit, quod cæteræ omnes ipsius vsui permissæ fuêre. Sed eò spectabat mandatum, vt de Adæ obsequio periculum in via arbore fieret, eòque si obtemperasset, summum precium referret, nempe vt posset vesci Arbore vitæ, atque immortalis fieri. Sed alijs prætereà rationibus supra ostendimus, nihil horum per inuidiam à Deo gestum esse.

Cibus vnde bonus aut malus.

Leuit. 20.

Exod. 19.

Iterum instat Manetis Secta, inquiens: Aut præsciebat Deus Adamum non obtemperaturum, aut non præsciebat cùm legem ferret. Si hoc dederis; absurdum est: sin illud, vecordiæ est arguendus Deus. Nos verò respondemus quod super: pręsciuisse quidem Deum, non obseruatum iri mandatum ab Adamo: id tamen cur minùs mandaret, nihil obstitisse. Quis enim stultum vocet Deũ, quia Legibus vetuit peccare, cùm sciret plurimos fore qui essent peccaturi? Sanè si nullas Leges condidisset aut nihil imperauisset; neque penes illum dominationem, neque penes nos Arbitrij libertatem esse resciturm esset. Verùm enim verò ille cùm præsciret cuncta quæ euentura essent, Leges nobis dedit ceù liberis & libero Arbitrio præditis, vt quod luberet id ageremus. Nos verò pro suà quisque voluntate & Arbitrij libertate, erga Leges, aut obseruando eas aut frangendo, nosmet gerimus. Neque aliter quoque cum Adamo actum est: penes illum enim erat & edere & non edere de Arbore vetita; atque si non edisset, ex gratia immortalis euasisset; posteaquam verò edit, mortuus est. His itaque argumentis colligere est, neque malè satam fuisse arborem scientiæ ab initio neque Adamo inuidiosè illa interdictum esse: ne illò mittant linguas suas Manetis asseclæ, Dei hostes, dum pro duabus rerũ caussis astruendis contendentes (quarum altera bona, mala altera sit) huiusmodi argumentis nos lacessunt, qui vnum Deum profitemur: Si inquientes, mala erat arbor; cur eam seuit Deus in Paradiso, quæ Adamo ruinam esset illatura? Sin bona, prorsus per inuidiam prohibuerit illum necesse est.

Cur peccaturos, Deus leges posuerit.

Contra Iuliani Apostatæ, de Arbore vitæ, Calumnias.

CAPVT III.

Satiùs fuisset (ait Iulianus) arborem illam vetitam, aut in angulo Paradisi aut loco aliquo obscuriore extare, ne dum perpetuò ob oculos esset, nimium sui desiderium in animis Parentum nostrorum excitaret. Huic

Iuliani Apostatæ calumnia.

respondet diuus Cyrillus Oratione tertia quam aduersus eum conscripsit, in hanc sententiam: Studio Creatoris factum est, ne arbor illa in occulto baberetur: Consentaneum enim fuit vt spectatores, ipsa Arboris aspectione, mandatum Dei atque Legem in memoriam reuocarent, & simul Domini sui qui legem tulerat, recordarentur: quarum rerum obliuio ipsis facilè potuisset obrepere si in angulo quopiam Paradisi illa sata fuisset.

Sequuntur quæstiones, quæ à multis quæri solent: ac primum. Cur Deus creauerit Adamum quem peccaturum præsciebat.

CAPVT IIII.

Cur à Deo creatus fuerit Adam peccaturus.

Quærunt nonnulli, cur creauerit Adamũ Deus, quem præsciebat peccaturum? Respondemus, minimè conditum à Deo esse Adamum vt peccaret vel vt non peccaret, siue vt iustus esset aut vt iniustus, sed neque vt Legem obseruaret vel vt non obseruaret, nam si horum alicuius gratia illum condidisset, magna sanè caussa hoc ab illis quæreretur; sed pro sua bonitate, gratiáque mera illum effecit, hæcque prima Deo illius creandi caussa fuit: cætera porrò illa, secundaria existimanda sunt, vt quæ ex ipsius Adæ Arbitrio pepẽderint, cùm hoc penes solum Creatorem esset. Quapropter potiùs sic illi quærere debuerunt; cur creauerit Adamum Deus ita enim responsum tulissent; propter suam ipsius probitatem. Nam reliqua illa, peccare aut non peccare, & quæ addebantur cætera; ex Adæ libera pendebant Voluntate. Huc addimus etiam illud; Deum, vt præsciuit peccaturum Adamuum lapsurúmque, priùs quàm conderet; ita præsciuisse quoque se olim venturum, redempturúmq; illum à peccato in quod incidisset, ipsiúsque vetustatem instauraturum, atque collapsum subleuaturum; vt eo minùs mirum videri debeat, si creauit quem paulò post peccaturum præsciret. Ad hæc nisi creasset quod non nesciebat peccaturos, frustrà creandi operam sumpsisset; quippe qui nec blasphemum in ventre matris suæ finxisset, neque hypocritæ permisisset vt adspiceret lumen. Denique eo luculentissimè Dei probitas & gratia apparet, quòd quos sibi non obtemperaturos nouit, eos progignere non dedignatur. Nam solos morigeros, sua caussa, hoc est, vt suæ voluntati imperióque obsecundarent, & sibi gratum facerent; genuisse videri poterat: at quãdo iam pro sua bonitate, & bonos creat, & malos; non ignarus, alteros per virtutem, per improbitatem alteros ætatem acturos (quemadmodùm etiam Solis sui lumen, iuxtà bonis & malis impertit, & pluuiam iustis iniustísque) clarissima profectò euadit ipsius probitas atque benignitas quę profusè defluens, vniuersa amplectitur. Verùm hanc quæstionem dissoluimus quoque in nostra intepretatione quam in diui Matthæi Euangelium fecimus.

Mortalis an immortalis creatus sit Adam?

CAPVT V.

Quærunt alij, mortalem ne natura, an immortalem genuerit Deus Adamum? Sed principio expendendum hic est, quid sibi illud velit, Adamum natura mortalem esse ortum: spectet ne ad vniuersam ipsius compositionem: quasi dicas, naturæ Adæ inditum fuisse vt anima dissocietur à corpore, quæ disiunctio mors sit; an verò mortalitas ad corpus solum referatur, vt huic naturale fuisse statuatur, interire atque occidere. Respondemus igitur, nos corpus solum spectare, cùm dicimus, Adamum natura mortalẽ fuisse creatum: hoc enim ita còmpositum fuit, vt suapte natura, passioni, corruptioni, morti denique esset subiectum atq; opportunũ. Interim à corpore ad totum hoc transfertur, dicimúsque, hominem natura mortalem esse natum: nam in rebus compositis ita fieri assolet vt quod partis est vnius, toti attribuatur. Sunt tamen qui negent, Adamum natura mortalem esse procreatum; sunt etiam qui mortalem & immortalem natura effectum esse velint; sunt denique qui neque mortalem neque immortalem natura conditum affirment. Qui negant mortalem natura creatum à Deo esse; dicunt, morti obnoxium esse factum per diuinam sententiam qua ob peccatum est morte damnatus; atque id peccatum illi mortis caussam fuisse secũdùm illa Dei verba; *Quo die ederis de illa arbore, mortem morieris.* Alteri, quos diximus mortalẽ atque immortalem natura illum facere; hoc ad animum, illud ad corpus referunt. Tertij denique qui vtraque, & mortalitatem & immortalitatem, natura, illi ingenita fuisse negant; arbitrantur media conditione ortum fuisse, vt si corpori deditus vitam agitaret, mortalis; sin animæ suæ præclara studia sectaretur colerétque, immortalis euaderet. Nos verò statuimus, Adamum natura mortalem esse progenitum, idque his colligimus argumentis. Primò, quia compositus est ex puluere vt materia; id verò quod ex puluere conformatum fictúmque est mortale esse suapte natura, certum est. Secundò, quia cum virilis ac muliebris sexus discrimine conditus est, quod mortalibus congruit, immortalibus nequaquam. Tertiò, quia procreatus est cum oculis qui escam appeterent, & manibus quas illius sumendi gratia protenderet, denique cum vasis quæ alimentum exciperent continerénque: hæc enim ijs modò quibus mortalis natura obtigit, vsui esse possunt; immortalibus frustrà dentur. Quartò, cæteræ res quas Adami gratia condidit Deus, satis arguunt illum natura mortalem esse factum. Quorsum enim terra opus erat? quorsum Firmamento? (vt vocant) quorsum lucentibus in hoc Stellis? quorsum piscibus volucribúsque quæ mactantur? quorsum iumentis, alijsque animantibus quæ partim seruiunt, alia eduntur? Sanè hisce omnibus non vtuntur qui vita fruuntur immortali; sed illi soli qui fluxam atque caducam sustinent. Quintò, ex Lege quæ Adamo est à genitore Deo præscripta, conficitur illum mortali conditione ortum esse: vesci enim ac non vesci hac aut illa re, mortales iubentur, non immortales. Sextò idem colligitur ex verbis Dei quæ ante mãdatum ad Adamum faciebat inquiens; *Crescite & multiplicamini & dominamini piscibus maris & volucribus cæli*: Et; *Dedi vobis omne semen quod seminatur, & omnis arbor erit vobis pro cibo.* Septimò, nisi mortali statu effectus fuisset etiam vt Legem fregisset non obiuisset mortem; vt obijt: neque enim Diabolus, quamuis peccauit, immortalitatem amisit quam in suo ortu acceperat. Octauò, compositus est Adam ex rebus diuersis: id verò compositis omnibus peculiare est, vt in ea dissolubilia sint ex quibus colligata existunt. Nonò, à nobis stant Doctores classici, probatæq; fidei. Nam dominus Ioannes ea Oratione quam ad Sitigrium monachum scripsit, sic habet: Nondum certam habebat Adamus immortalitatis spem. Et rursus Oratione quam de Arbore scientiæ boni & mali composuit: Anima (inquit) natura immortalis, est, at mortale natura corpus. Ad hoc vbi tria verba explicat quæ in libro Iob scripta extant; *Qui seruus est non fidelis*: sic ait: Si homo cùm immortalitatem suapte natura non haberet, centuices iactauit; quid non fecisset, si illam habuisset? Athanasius quoque Oratione de ortu corporali, scribit fuisse hominem natura mortalem, vt qui ex rebus fluxis esset colligatus. Deniq; Cyrillus Oratione octaua aduersus impium Iulianum in hunc modum loquitur: Cùm Adam contra Dei Legem fecisset, morte est damnatus, qua re quòd natura mortalis esset, arguebatur. Cæterùm dominus Iacobus Sarugensis ea Oratione qua disserit, fuerit ne Adam mortalis conditus an immortalis scribit, Adamum mortalem & immortalem fuisse conditum, cùm ipsius libero Arbitrio permitteretur à Deo vt vel obseruata Lege immortalis esset, vel fractã moreretur. At Philoxenus Capitulis quæ aduersus Diodorum composuit; Temeraria (inquit) audacia est, Adamũ immortalem dicere suapte natura, siue tum cum gignebatur siue postquã resurrexerit. Qui potest enim ea natura immortalis haberi quæ ex nihilo creatur,

Adam mortalis an immortalis sit conditus.

Adam, natura mortalis creatus.

Extat locus hic apud Chrysostomũ, 1. lib. de Prouidet. Dei, ad Stagirium.

Fortè: vbi seruus liber à Domino suo. Iob 3.

persic,

perficitúrque alterius iussu? Nam etiam si gratuitò ipsi concessum fuisset, vt vitam sempiternam ageret, non ideò immortalis natura dicẽdus erat; quippe cuius vita in alterius esset potestate. Igitur & si in æternum non fuisset moriturus, mortalis tamen erat; nempe immortalitas ad solum Deum spectat: & si vlla sit natura quæ non dissoluitur nec vllo mortis fato perimitur, id ex gratia donatum sibi ab illo habet: quod autem alteri acceptum fertur, id rursus pro illius arbitrio adimi potest. Cæterùm de Adamo clarum est, si mandato obtemperauisset, futurũ fuisse vt non obîret mortem: non quòd tali conditione esset genitus, sed pro Effectoris sui mera benignitate; rursus postquàm resurrexit, deinceps quoque non moriturum: sed & id quoque per gratiam opificis Dei. Neque enim absque periculo, aut tum cùm gigneret aut cum suscitabit à mortuis, fecerit natura immortalem. Ex his omnibus conficitur, Adamum mortali conditione procreatum esse: interim fatemur, immortalitate donandum à suo Genitore fuisse, non quidem naturali, sed gratuita si Legi paruisset.

Obiectio Iuliani Halicarnassei, & eius assectationis hominum.

CAPVT VI.

De Iuliano Halicarnasseo vide Suidam prolixè.

Iulianus Halicarnasseus, & qui eius sectæ sunt, dicunt, Adamum natura conditũ esse immortalem; sicut anima, cum naturali immortalitate creata est, non autem gratuita: & nisi peccasset, mansurum fuisse, passionis, corruptionis, mortis exsortẽ; & quidẽ hæc omnia ex suapte natura, quippe qui in ea rursus dissolubilis non fuerit ex quibus erat coagmentatus. Porrò quia aduersus Legem Dei fecit atque deliquit, ideò mulctatũ esse tum animæ morte quæ est ab alienatio à Deo per peccatũ; tum corporis, quæ est dissociatio ab hac vita quæ ipsis corporeis sensibus percipitur. His nos respondemus: Si naturam Adamus cùm procrearetur, accepisset immortalem vt vos dicitis; ea sanè haud mutata esset in mortalem per peccatum, vt neque Satanæ immortalitas naturalis, cum mortalitate est commutata postquàm aduersus Deum deliquit. Rursus; si vt anima (quod vos adfirmatis) ita & corpus natura immortale procreatum fuit; atque ipsum violare Legẽ, non modò corpori, sed magis animæ cuius imperio illud regebatur imputandum fuit; cur patrato flagitio, corpus quidem mortalem naturam induit, anima verò suam sibi natura insitam immortalitatem retinuit? Sed dicetis; etiam animam per peccatum obijsse mortem! Sed quid corpus? an non ipsum quoque per peccatum obijt? Si negatis, falsi estis: sin fatemini, cur cùm pariter ambo natura essent immortalia paritérque peccârint, corpus duplici morte adfectum est; animam verò ea sola quæ peccati mors dicitur, inuasit? Profectò nihil hic illis reliqui est quod respõdeant: verùm enimuerò conficite, aut ab ipsa natura, aut à ratione petitis argumẽtis aut denique sanctorum Patrum testimonijs, nisi corpus sua natura factum esse immortale iuxta ac animam, neq; in ea dissolubile esse ex quibus colligatum est, & subscribemus lubentes vestræ sententiæ neque contendemus ampliùs gratuita immortalitate donandum fuisse à suo Genitore, si præcepto paruisset.

Mors animæ.

Altera eiusdẽ Iuliani obiectio.

Audent idem lanistæ lacessere eos qui carnem corruptibilem natura dicunt, quasi hi & ipsam carnem malam & carnis simul Opificem malum faciant. Nos verò aduersus ista producimus Doctores Ecclesiæ priscos, gloria & laude dignos; qui & si carnem esse natura corruptibilem dixêre, non tamen idcirco malam esse professi sunt. Gregorius enim Oratione quam de virtute scripsit, ad hunc loquitur modum. Corpus omni ex parte compositum est; quod autem compositum est, id nemo indissolubile esse dixerit: at quod dissolui potest, corrũpi potest; est igitur caro corruptioni subiecta. Rursus Cyrillus Tomo tertio Commentarij in Epistolam ad Corinthios. Est quidem (ait) caro, natura sua corruptioni obnoxia: sed tamen per virtutem Dei cui planè nihil est

Nazianzenus, Oratio de virtute: posset etiã reddi, de dignitate vel præstantia.

difficile, ipsam superasset naturam atque in vita sempiterna fuisset conseruatus Adamus, si legem impiè non violasset. Dominus Seuerus item Oratione quã aduersus Felicissimum scripsit, hæc summatim habet: Suapte quidem natura mortale & corruptibile erat corpus, atq; in ea dissolubile ex quibus fuerat coniunctum; verùm nulla erat mortis in ipso efficientia: neque enim vt mortis laqueis subigeretur, conditus fuerat homo ab initio, sed neque rursus vt naturæ sortem superaret essetque immortalis, sed per gratiam atque benignitatem voluntatis diuinæ seruabatur ad vitam sempiternã & immortalem; voluntati autem diuinæ, natura rerum obsistere nequit. Igitur & si natura ipsa quod coagmentatum est, rursus dissoluere cupiar, tamen in homine, hoc malum minimè quîuisset efficere, impedita per diuinam voluntatem atque gratiam ipsa enim mortalitas absorpta fuisset à vita, & naturam refrenasset diuina gratia. At verò mortalitatis corruptricis corporis, quæ efficienter est consecuta, fons & origo fuit peccatum atque aduersus Legem admissum facinus. Tunc enim occepit mors ea quæ quod compositum est dissoluit, vim suam atque efficacitatem in homine reipsa exercere, quãdo anima per fractam Legem necessariò est à Deo abalienata atque perturbationibus varijs adfecta implicatáque: ex quibus naturæ perturbationibus, ipsum etiam corpus (nam & in illo enatæ atque effectæ sunt) corruptibile esse intelligimus, & pronunciamus. Concludimus ergo, mortis corruptionisque debitum ex violata Lege natum atque contractum esse; nõ autem inde, quod corpus Adæ esset cõpositum, atque in ea ex quibus constabat, dissolubile. Neque enim difficile erat omnium rerum parenti Deo, eius qui corruptioni subiectus fuit pro naturæ suæ conditione, vitam corruptionis fato eximere, atque in vita sempiterna tueri cõseruaréque. Ad hunc igitur modum Doctores carnem quidem suapte natura dissolubilem fuisse dicunt, nec tamen proinde aut ipsam aut corpus à malo Effectore procreatum esse.

Voluntatis Diuinæ potentia.

Mortis debitum ex peccato natum est.

Alia obiectio Iuliani impij.

CAPVT VII.

Ridebat quidem impius Iulianus quòd Mosem, Ecclesiæ Doctores dicerent hominem corruptibili natura prognatum fuisse, & tamen non fuisse mortuum, ita volente Deo. Sed ei respondet Cyrillus Platoni (inquit) tuo licet dicere quasi ex Dei persona, ad Solem, Lunam, cæterásque Stellas; Quoniam orti estis, immortales vos quidem esse & indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissoluemini nec vos vlla mortis fata perimenr, propter consilium nostrum quod maius est vinculum quàm vis vlla quæ vobis accidat. Tu Platonem vis vera dicere, & nos Mosi nõ credemus, qui ait hominem non fuisse dissoluendum, ita volente Deo? Profectò haudquaquã difficile Deo fuisset, eum qui à corruptione occupabatur, quantùm ad ipsam eius naturam spectabat, prorsus à corruptione vindicare, atque asserere in vitam sempiternam. Igitur nisi de Arbore edisset: mortem nõ obiuisset Adamus: & quia edit, obijt. Cæterùm Plato haud rectè ait, Solem, Lunam, Stellas cæteras immortales esse, quippe quæ Anima vitáque careant.

Obiectio Theodori & Nestorij, atque eius factionis aliorum.

CAPVT VIII.

Aiunt Theodorus & Nestorius aliíque qui hos sequuntur, mortem non ob peccatum Legémue Dei violatam, inuasisse genus humanum; sed mortali nos conditione à Deo genitos esse; neque quemquam vlla ratione mortis terminũ quem ille nostro generi naturæq; præstituerat, viuendo transgressurũ fuisse, etiam si Adamus non deliquisset: multa enim absurda consequi, nisi id ita esse statuamus. Qui enim inquiunt, conueniet dicere, Deum, cuius consiliũ erat nos efficere immortales, propter peccatum fecisse mortales? deinde si propter

Adamum nõ factum mortalem propter peccatum Argumenta Hæreticorum.

Adæ peccatum nos occidit Deus, conficitur, & iustos eum occidisse propter peccatores, & patrum supplicia ad filios extendisse, quorum vtrumque improbum est: ait enim neque patres morituros pro filijs, neque filios pro patribus. Tum vt demus Adamum obijsse, quia de arbore gustauit; quam dicemus, Noë, Melchisedeco,

Ezech. 18.

Abrahamo mortis fuisse caussam? Profectò hodie nullum est scelus, aut grande aut leue, quod à patribus admissum in filijs vindicat, quis igitur existimet ob leue illud Adæ peccatum, quia de fructu vetito gustauisset, vniuersam posteritatem morte mulctari? Et verò is Deo mos est vt malis ignoscat bonorum gratia non autem vt probos improborum caussa perdat, atque vt pro sua misericordia, grandium flagitiorum gratiam hominibus faciat, tantùm abest, vt leue piaculum grauissima pœna vindicet. Ad hæc si propter peccatum amandati sumus in hunc Mundum dissolubilem, magnæ profectò gratiæ debeantur peccato, vt quod creandæ huius mortalis machinæ caussa fuerit. Præterea si Adamus occidit, quia peccauit; cur non occiderunt dæmones longè maioris flagitij rei? Si dicat quis, hos animo occidisse: atqui cur Adamus etiam corpore? Ex his confecisse putant, Adamum, siue abstinuisset ab arbore qua sibi fuerat interdictum, siue non abstinuisset prorsus moriturũ fuisse, cùm esset natura mortali conditus. Cæterum in eius Scripturæ verbis tropum esse, quæ ita loquitur ac si Adã propter peccatum obiuisset mortem, nimirùm vt cùm ille audiret peccatum sibi mortis caussam fuisse, odio haberet, vitarétque peccatum: quemadmodum multis alijs locis tropo vsa est Scriptura, vt cùm habet; *& tentauit Dominus Abrahamum*: neque enim Deum facto periculo opus habere. Rursus vbi ait, Deum voluisse interficere Mosem, vxoris tamen opera placatum dimisisse illum impunem. Et cùm narrat, Christum Iesum inde à mane ieiunum atque famelicum accessisse ad ficum arborem, alieno à ficis nascendis tempore. Hæc enim, atque huius generis alia, diuersum quid ab eo significare quod verba audita præ se ferunt. Itaque per tropũ similiter accipienda esse ea verba quæ nobis Adamum à Deo mortalem natura procreatum memorant, ac deinde Legem ipsi impositam fuisse, vt si ederet de arbore illa, moreretur: nempe vt cùm audiret Adamus se ob violatam Legem atque rebellionem Paradiso pulsum mortique deditum esse, odio haberet fugerétque peccatum rebellionémque. Sed nos ad hæc respondemus: Non ita profectò, viri, sacra Scriptura loquitur vt vos existimans, quippe quam omnibus locis disertè pronunciantem offendimus, peccatum Adami caussam fuisse mortis, cùm illi ipsi, tum vniuersæ posteritati, secundùm illud, *Quo die comederis de arbore, mortem oppetes.* Et rursus: *Quia auscultasti voci vxoris tuæ atque edisti de arbore quã tibi interdixeram, maledicta esto terra propter te.* Et apud diuum Paulum legimus; *sicut per vnum hominem peccatum introiuit in Mundum, & per peccatum mors; &c.* Et alibi: *Nam absque Lege peccatum erat mortuum, ego vero viuebam quondam absque Lege* (hoc est, cùm nihil mortale cogitatem) *porrò cum venisset Mandatum* (ipso scilicet violato) *reuixit peccatum, ego vero mortuus sum, & inuentum est Mandatum quod vt vita esset, datum fuerat* (et qui ipsi pareret) *mihi* (qui fregi) *mortem adferre.* Alia præterea plurima sacræ Scripturæ loca facilè inueniás, quæ cum his congruant, atque disertè mortem per peccatum nos inuasisse testentur. At si hæc non recipitis, proferte nobis vnum aliquem locum in quo Scriptura dicat, nos non mori propter peccatum: verùm quando illiusmodi locus nusquàm est, alterum illud verùm sit necesse est. Neque enim consentaneum est, vt eo repudiato quod sacris Litteris proditum inuenimus, id amplectamur quòd nusquàm scriptum extat. Nam ad ea duo quæ vos ceù absurda ex nostra illa sententia colligebatis, nempe Deum occidere iustos propter iniustos, & patrum scelera punire in filijs; dicimus ea haud inde consequi: neque enim Deum propter Adæ impietatem occidere ipsius posteros siue probos siue improbos, vt neque filios ob ea quæ patres patrauêre flagitia. Sed fuerat Adamus natura quidem mortalis genitus, conseruabatur tamen in immortalitate per effectoris sui benignitatẽ & gratiam: Sed vbi Legem violasset atque deliquisset, remouit ab ipso Deus suam immortalitatis gratiam, atque tum ille talis mansit qualis alioqui natura fuerat; hoc est, mortalis. Sed enim si ante amissam immortalitatis gratiam ille filios procreasset, tum verò dici potuisset, eos illius filios qui nihil peccassent, immortalitatis gratia meritò destituendos non fuisse. Verùm quando post adeptam sibi demum immortalitatis gratiam prolem gignere cœpit; id quod ipsius natura habebat, transmittebat in filios: id verò quod antè amiserat neque iam tum habebat, conferre in hos non potuit. Mortalis itaque mortales procreauit; atque hinc omnium nepotum mors consecuta est, non autem ex illius delicto. Imò verò si accuratè sacras Litteras perlustreris; erit, vbi & quando Deum permisse filios per patrum caussam inuenians. Nam apud Samuelem scriptum est; *Quia recordor eius quod Amalec fecit Israeli exeunti Ægypto, vade tu Saül & pugnato aduersus Agag populúmque ipsius: &c.* Et alibi scriptum extat, propter Dauidis peccatum vxores ipsius constuprandas esse. Et rursus in Gabaonitarum gratiam peremptos esse suspẽdio à Dauide filios Rephæ, filiæ Aiæ, porrò quòd ceù absurdum colligitis; peccatũ, creandi huius Mundi caussam fuisse; respondemus, id prorsus falsum esse atq; abominandum. Interim hoc libenter fatemur, Mundum esse hominis peccatoris caussa conditum; idque hac ratione: nam Adam simul atque formatus erat, traductus est in Paradisum, ceù locum medium; vt si parẽret Legi, in cœleste regnum subueheretur) sin minùs parẽret detruderetur in hunc Mundum, id quod alibi est à nobis explicatum. Est igitur hominis peccatoris gratia, non autem peccati, effectus iste Mundus; vallis nempè lachrymarũ & locus dolorum vmbræq; mortis non deliciarum vt vos existimatis. Denique quod à dæmonibus collegistis argumentum; qui etsi deliquerunt etiam grauiùs, non tamen sunt morte mulctati, sic dissoluimus: Dæmonas, quia sese extulissent atque per superbiam iactassent, ideò detruthatos esse; non autem ob peccatum mortuos, quia à rerum Parente Deo, natura immortali fuerant prædit tum cùm gignebantur; priùs nempe quàm peccassent: Adamum verò mortuum esse, quia adempta ipsi erat immortalitatis gratia ob admissum peccatum. Neque verò iisdem omnibus rebus præditi sumus nos, Dæmonésque: nos enim sua Deus gratia dignatur: illos verò minimè, tametsi plurima ratione polleant. Igitur ex his omnibus dilucidè conficitur, nos ob peccatum mori. Verum enimuerò si propterea regnauit in nostra natura peccatum, quia Adam præuaricatus est contra Legem Dei; quantò magis iustificabimur & seruabimur per vitam Christi, qui & mortem superauit & naturam nostram vicit, viámque nobis aperuit salutis cùm de cœlo ad nos descenderet, quà pergentes perueniremus in beatas habitationes domus Patris illius: qui cum Patre & Spiritu sancto laudetur, gloriosè prædicetur & adoretur pro tantis beneficijs quæ in humanum genus contulit, hinc vsque in generationes generationum. Amen.

Marginalia: *Gen. 22.* — *Exod. 4.* — *Marc. 11.* — *Adam factus mortalis ob peccatum.* — *Rom. 5.* — *Rom. 7.* — *Adam natura mortalis creatus.* — *Quod homines mortales fiunt, non est ex Adami peccato.* — *Sam. 15. a* — *2. Sam. 12. e* — *2. Sam. 21. b* — *Nestoriani putabãt Mũdum esse locum deliciarum.* — *Dæmones gratia sua non dignatur Deus.*

FRVCTVOSA

FRVCTVOSA VRBANI QVARTI

P. MAXIMI EXPOSITIO SIVE METAPHRASIS

IN PSALMVM QVINQVAGESIMVM.

FORTISSIME Deus spirituum vniuersæ carnis: qui vinci non potes quia es omnipotens, & rex potens; falli non potes quia sapiens es, scrutans corda & renes Deus; corrumpi non potes quia iustus Dominus & semper iustitias dilexisti: qui non parces in die vindictæ nec acquiesces cuiusquàm precibus, nec recipies pro redemptione dona plurima: Ego reus & miser peccator in conspectu diuinæ maiestatis tuæ; in qua qui verè confitetur absoluitur; recognosco quia peccaui super numerum arenæ Maris, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ: Incuruatus sum multo vinculo meę ferreæ voluntatis, & non est mihi respiratio. Et quia ex indiscreto processu negotij vitæ meæ, sentio quia tua iustitia in extremo tuo iudicio manifestè debeat me grauare, ab ipsa tanquàm meritò mihi suspecta, ad tuam misericordiam confugio & appello. Et ne appellatione ista pendĕte intres in iudicium B cum seruo tuo, sed potiùs tua misericordia me præueniat & sequatur me; & sensus & actus, cogitationes, affectiones, & opera mea, protectioni eius supponens; ipsam misericordiam postulans, & iudicium non requirens; corde compunctus humiliter tibi dico:

Miserere. Quia tempus est miserendi, non iudicandi, qui dixisti in Euangelio tuo sancto quòd non venisti vt iudices Mundum, sed vt saluifices Mundum. Et in tua pietate confido quòd appellationi meę deferre debeas; quam ego (qui tremĕs factus sum & timeo à tua iustitia) tanquàm ab inferiori ad superiorem sedem tuæ misericordiæ interpono, sciĕs quòd misericordia superexaltat iudicium & quòd misericordia tua est super omnia tua opera constituta: Ideóque appellationi meæ est à te meritò deferendum. Nec indignetur contra me clementia tua, Deus, si videns animæ meæ periculum imminere; C à te irato ad te placatum ausus sum taliter appellare, cum æquo animo tuleris vt Apostolus tuus Paulus timens ne à Festo præside corporaliter grauaretur, Cæsarem appellaret. Adeò igitur cum fiducia, gratiæ tuæ thronum vt misericordiam consequar & gratiam inueniam in auxilio opportuno. Et quia miser sum & miserabilis, ideò gemens spiritu iterum tibi dico:

Miserere. Est enim tua misericordia, miserorū chorda qua de lacu fecis & miseriæ extrahuntur. Quia igitur soluendo non sum passionis condignè ad futuram gloriam quam expecto: Et tua misericordia, non meritum sed solam miseriam intuetur: de profundis fluctibus interioris & exterioris miseriæ quibus imago Dei atteritur in meipso, ad misericordiam tuam clamo lachrymabiliter tibi dicens. *Miserere mei.* Subticeo nomĕ meū: nam si illud tibi dixero, per id me forsitan non agnosces D eò quòd post recuperatam aliàs sicut spero innocĕtiam baptismalem, ab illa dulci familiaritate tua me elongaui nimium imprudenter in qua, quando in montem orationis ad te olim aliquando ascendebam; tecum quasi amicus cum amico familiariter locuturus; me pluries dulciter recipere voluisti: & tunc me ipsum cum Moyse *ex nomine* cognoscebas. Et gaudebam in te cum alijs seruis tuis quorum scripta nomina sunt in cœlis: Et erat, coram te, honorabile nomen meū. Nunc autĕ quoniam peccata nomen meum de libro viuentium deleuerunt, & cum iustis non est scriptum; ideò illud non audeo nominare vel ad tuam memoriam reuocare: sicut ille vir beatus quem inuenisti virum secundum cor tuum, qui & nomen suum & suam mansuetudinem tuæ beatæ memoriæ fiducialiter cōmendabat. *Memento Domine, Dauid & omnis mansuetudinis eius.* Non enim tibi blandiens siue

A mihi, audeo dicere sicut ille: Da imperium puero tuo, siue seruo tuo, vel filio ancillæ tuæ: Quia hæc familiaritatis nomina, me reum rogantem, ampliùs accusarent. Sed appellationem meam prosequens tactus dolore cordis intrinsecus, eo quòd suam iracundiam contra me excitaui, suspirans, iterum & iterum tibi dico:

Miserere mei Deus. Non audeo dicere; meus: solum modò te Deum agnosco; sed meum dicere non præsumo. Nam cùm esses puer mihi natus, & paruulus Dei filius mihi datus: Datus inquam à Patre, qui sic dilexit Mundum vt te Vnigenitum suum daret. Datus à matre, quæ quasi altera mulier Samaritana, vt aleret nos in fame, in igne passionis te filium suum coxit: & in Sacramento Altaris ad comedendum nobis dedit. Datus insuper à teipso qui dedisti temetipsum pro nobis vt nos ab omni iniquitate redimeres & mundares. Cùm inquam sic esses ab omnibus quorū intererat, mihi datus; B & ideò propriè proprius Deus meus: Ego infœlix propter peccata mea te perdidi: nam te illum esse veraciter recognosco qui conquerendo de me & alijs peccatoribus dicis, *Me expectauerunt peccatores vt perderent me.* Et si te perdidi, omnia perdidi, atque etiam memetipsum: sed tu Deus qui à me imprudenter factus es tanquàm vas perditum; & qui à dolente Matre tua, quæ te in templo perdiderat, inueniri per tuam magnam misericordiam misericorditer permisisti, ita quod amplius te non perderet, sed sollicitè custodiret; sic & tu,

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Non dico secundùm meam miseriam, sed secundùm tuam magnam misericordiā, quæ longè maior est quàm mea miseria magna nimis. Non peto secūdùm meritum meum, vel secundùm iustitiam tuam vel meam siue secundùm desiderium meum, vel secundum opera mea quibus ego miser deuiaui à te; sed secundum magnam C misericordiam tuam. Magnam quæro misericordiam, quia non decet tuam magnificentiam parua dare. Imò exaudiri dignus non essem, si à magno parua peterem. Ego enim te illum alterum magnum existimo Alexandrum qui non attendis quid me oporteat accipere, sed quid deceat te dare. Nec magna petens, de meritis meis præsumo; sed confido de tua misericordia magna, quæ quasi soror tua ab infantia tecum creuit, & de vtero matris tuæ egressa est tecum. Magnā igitur misericordiam tuam peto, qui tribularer plurimum si nescîrem misericordias tuas Domine. Sed per experientiam sentio in me ipso, tres misericordias te habere. Prima est qua me & alios peccatores ad quamlibet offensam (qua oculos tuę maiestatis offendimus) non continuò consumpsisti: sicut & nos, conseruos nostros quando nos offendunt consumere statim volumus & punire. Sed tam diù su- *Triplex Dei misericordia.* D spendisti gladium vltionis quòd verè dicere possumus cum Propheta: *Misericordia Domini quia consumpti non sumus.* Et hæc quidem tua prima misericordia parua esset; nec, si sola esset, mihi sufficeret ad salutem: sed potiùs damnationis accumulans, diuitiarum bonitatis tuæ & patientiæ & longanimitatis me faceret contemptorem, vt secundùm duritiam meam & cor impœnitens thesaurizarem mihi iram in die iræ & reuelationis iudicij iusti: in quo, mihi improperando, omnia mala mea inferres. Hæc fecisti & tacui. Ideóque mihi tuā secundam & maiorem primam misericordiam porrexisti: qua me miserum peccatorem (tibi Domine sit inde gratiarum actio & vox laudis) ad pœnitentiam reuocasti. Neque enim cùm essem mortuus in peccatis, mouere poteram pedem affectus mei vt me ad te conuerterem pœnitendo, nisi me tua misericordia adiuuisset. Sed, *si dicebam*

motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Nec istis duabus misericordijs sum contentus. Nam licet in A se magnæ sint: tamen paruæ sunt comparatione illius tuæ magnæ misericordiæ quam tequito. Abuti quidem possem patientia misericordiæ tuæ pnmæ; & pes meus, (qui per secundam mouetur vt ad te cõuertatur) iterùm labi posset, & esset *nouissimus error* meus *peior priore*. Et idcircò scio ô summa Sapientia, te docente; scio quid peto, quando peto misericordiam tuam magnam, qua cordis & corporis mei terram, à stabilitate virtutum in diuersas concupiscentias liquefactam, spiritu tuæ fortitudinis ita corrobores & confirmes vt tuá clementiã de cæterò non offendam. De cæterò te non perdam; sed semper teneam nec dimittam donec introducas me in domum illius supernæ Ierusalem matris meæ: & tunc glorificabo nomen tuum in æterοum & dicam; *Quia misericordia tua magna super me, & eruisti animam meam ex Inferno inferiori.* B Et hęc est illa misericordia tua magna quam peto: qua non solùm expectas ad pœnitentiam peccatores, nec solùm das eis gratiam pœnitendi; sed qua, sic pœnitẽtes, virtute ex alto induis & confirmas vt non labatur ampliùs pes eorum. Res planè difficilis & homini impossibilis: possibilis soli tibi; susceptum videlicet semel peccati iugum, sic à ceruice sua excutere quod nõ potest facere nisi adiutus misericordia tua magna quæ hoc modo in cœlis Angelos confirmauit, & homines in Resurrectione in hoc faciet pares illis: ideóque *confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in gentibus*, quoniam magnificata est vsque ad cœlos imò & super cœlos misericordia tua: & sic indignum saluabis me secũdùm C magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: Quas in exhibitione bonorum antiquis Patribus ostendisti; qui nunquàm, pœnitenti homini, in tuis miserationibus defecisti. Sed cùm ille populus cõtumax & rebellis quem de seruitute Ægyptiaca in signis & portentis terribiliter eduxisti; quem per medium Maris rubri, sicco vestigio deduxisti; cui locutus de cœlo, in montem Synaï descendisti; cui panem de cœlo, habentem omne delectamentum, sine labore mirabiliter præstitisti; Cui sitienti, aquam de petra largissimè produxisti. Cùm inquam populus ille durus post tantorum magnalium, tot mirabilium, tot terribilium saluationis suæ beneficia & salutis, quæ ei misericorditer impenderas; oblitus esset te: & D contra te superbè agens ceruicem suam durissimam indurasset: Et ne te (qui eum de terra Ægypti eduxeras) ingratus populus adoraret, eum minis & terroribus, ab Aaron resistente, Deos petens alienos, Vitulo conflatili, mane surgens, hostias obtulisset: Et à te recedens, post terga sua, Legem & cerimonias quas ei dederas, proiecissem: Prophetas tuos qui contestebantur eum vt redirent ad te inhumaniter occidissem: & hęc & alias grandes tibi blasphemias irrogasset vt te ad iracundiam prooocaret; Et propter hæc eum in manus suorum hostium tradidisses: Post hæc tameo cum ad te in tempore suæ tribulationis & angustiæ clamauerunt; tu Deus misericors & multæ misericordiæ & verax, de cœlo exaudisti eos secundum miseratiooes tuas multas. Cúmque rursus peruersos eos, in manus inimicorum suorum ite- E rum reliquisses, & ipsi ad te iterum atque iterum clamauissent; tu de cœlo liberasti eos in miserationibus tuis multis, & in misericordijs tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem quoniam Deus miserationum & clemens tu es. Quia igitur minor sum cunctis miserationibus tuis; Memento mei Deus & parce mihi secundùm multitudinem miserationũ tuarum quæ superant quamlibet magnitudinem peccatorum. Non enim in iustificationibus meis prosterno preces ante faciẽ tuam; sed in miserationibus tuis multis. Reminiscere ergo miserationum tuarum Domine, à te, antiquis peccatoribus operibus misericordiæ efficaciter impensatum; & misericordiarum tuarum tibi naturaliter insitarum quę à sæculo sunt. Et sic in me misero peccatore deficiat quod ab initio sæculi incepisti, secũdùm multitudinem A miserationum tuarum,

Dele iniquitatem meam; quia ipsa me, heu! de Libro vitæ deleuit; sic & tu Deus meus qui nomen impiorum delesti, vt lutum platearũ dele eam; vt ea abolita & deleta, nomen meum cum Iustis in libro Viuentium de quo illud deleuerar, indelebiliter rescribatur. Dele obsecro omnipotentissime illud quod aduersum me est, chirographũ decreti tui. Decreueras enim Pater, vt si vellem mortem euadere; non peccarem. Et quia ego infœlix contra tuum decretum, indiscretè; corpore & corde peregi; ad insipientiam magnã mihi, tu (qui scientiarum es dominus) inde chirographum memoriæ, in tua scientia & mea conscientia conscripsisti: vt cùm sederet tremendum iudicium tuũ magnum apperirentur isti scientiæ tuæ & conscientiæ meę libri, & alius ille Liber quem B habet contra me humani generis Accusator, & ex his quæ inuenirentur in istis codicibus, iudicaret. Sed ne tunc inueniatur in me iniquitas; amator hominũ Deus, dele iniquitatẽ meam, qui semper iniquos odio habuisti, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Sed Domine qui non despicis gemitus Contritorum, tu nosti quòd sicut super deletas litteras quædam ex ipsa littera remanet turpitudo per quam adhuc perpendi possint ipsarum deletarum vestigia, & significatio litterarum, nisi ipsæ litteræ & litũra penitus eradantur: ita & deleta à te iniquitas, in anima mea quandam deformitatem reliquit: per quam à te qui solus es inspector cordium & cõscius secretorum, & ab illo qui est animarum improbus Accusator, potest adhuc perpendi quanta fuit mea C iniquitas, nisi post deletionem à te amplius abluatur. Et ideò peto humiliter;

Amplius laua me ab iniquitate mea. O nitidissima lotrix nostra quæ ad hoc aquam gratiæ Deitatis misisti in peluim mundissimæ tuæ carnis, vt nos à peccatis nostris in sanguine tuo lauares; *laua me ab iniquitate mea.* Et ita perfectè laua, qui imperfectionis opera non nouisti, vt in me peccati vestigium non relinquas. O humilis sublimitas & sublimis humilitas, quæ ad designandam illam lotionem interiorem animæ quam requiro, vsque ad lauacrum pedum Discipulorum tuorũ tuam altitudinem inclinasti; laua me vt in ęternum habeam partem tecum; laua non solùm pedes affectuum meorum, sed etiam & manus operum & caput sensuum. Et quoniam anima D mea vilis facta est, iterans pessimas vias suas; laua à malitia cor ipsius, vt in eo cogitationes noxiæ non morentur: laua lachrymarum lixiuio calido & amaro; per singulas noctes, conscientiæ meæ stratum: laua pedes interioris mei hominis, butiro deuotionis laua & renoua Sacramentis. Et quia aliqua aliquãdo sic lauantur, quòd post ablutionem adhuc impura remanent & immunda; ideò sic laua vt mundes.

Et à peccato meo munda me: Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? O benignissime medice Iesu bone qui solo verbo restauras vniuersa: scio & verè scio, & hoc ipsum tuæ bonitati confiteor, quoniam si vis, potes me mundare: ergo bone Deus, bone homo, bone Domine, per E misericordiam tuã magnam dic animæ meæ, multorum peccatorum lepra infectæ, dic, *Volo, mundare*: Et vt hic sanari valeam & mundari, hic vre, hic seca, hic fiat expiatio mei, hic emundatio meî; vt cùm in tuo districto examine aream tuam ventilare veneris & mundare animam meam, pœnitentiæ veræ scopis mundatam inuenias & ornatam. Interim autem non paream ori meo; sed ibo & sacerdotibus me ostendam quatinus fiat & mihi vt dum iuero sim mundatus: sed quia animæ meæ lepram non possum verè ostendere sacerdoti nisi priùs eam tibi ostendero, vel tu mihi; Ideò tibi summo & æterno sacerdoti, veraciter me ostendo;

Quoniam iniquitatē meam ego cognosco. Cognosco Domine iniquitatem meam: sed ex parte cognosco, & non sicut tu cognoscis eam; neq; sicut ego cognitus sum à te cuius oculi

oculi suot multò lucidiotes Sole, circumspicientes vias hominum & profundum abyssi, & homiuum cotda intuentes. Cor autem meuu patuum est & insetutabile, uec ego ipse cognosco illud: sed tu Domine qui cognouisti figmentum nostrum; & intueris abyssos, intuėris & cognoscis illud, & iniquitaté meá quæ in eo est, & sicuti est. Quam si ego ita nudè & apettè cognouissem, sicut & tu ante cuius oculos omnia nuda sunt & aperta; certè erumperent lachrymæ de venis intimis cordis mei, & continere non possem quin super meipsum flêrem ne tu Deus patientiæ & solacij iterùm super me flêres. Qui olim in diebus carnis tuæ, sub figura illius materialis Ierusalem, vidisti Ciuitaté animæ meæ, & cognoscens iniquitatem meam compatiendo fleuisti soper eam dicens:

Luc. 19 f

Quia si cognouisses & tu iniquitatem tuam flêres: adijciens quamdiù super me flere deberé, cùm mihi subsequenter

B

dixisti: *Et quidem in hac die* præsentis vitæ in qua facis pro voluntate tua non mea: & quæris *quæ ad pacem* sunt *tibi* non mihi. O sermo qui veritas es; quàm in veritate timaris intimè intima cordis mei. Et verè si cognouissé sicut

Matth. 7. b

& tu, peterem à te (à quo, omnis qui dignè *petit, accipit*) vt aperirentur catharactæ capitis mei, & diluuium lachrymarum mearum faceres abundare, ita vt anima mea tota esset lachrymis liquefacta, & iniquitas mea (quę repleuit cordis & corporis mei terram) in hoc diluuio deleretur.

Psal. 39. c

Nunc autem abscondita sunt mala mea *ab oculis* meis, & *non potui vt viderem*; quia veterunt dies in me; quos tu (qui aperuisti ora omnium Prophetarum) prophetice prædixisti. Nam circumdedêrunt me inimici mei spirituales, vallo occupatioonm mundanarum laceràtium mentem

C

meam; ita quòd oon permittunt me exteriùs egredi ad vtilem actionem, nec interiùs ad contemplationem. Circumdedetunt me (inquam) & coangustauerunt me vodique tot angustijs & pressuris quod angustatum est & arctatum à Deo conscientiæ meæ stratum, vt necesse sit vt alter decidat: videlicet vel tu Deus qui es legitimus animæ meæ sponsus, vel adulter Mundus quem ego iuxta te in idem cubiculum introduxi, quàmuis scirem te Dominum zelotem: vt cum ipso in oculis tuis (O nimium audacem & impudentem peccatorem!) fornicarer. Et ad terram prostraui me per amorem terrenorum; & filios meos cogitationum & affectionum quę in me sunt; ita vt possim meritò deplorare illud carmen

Thren. 2. d
Genes. 31. f

lamentabile Hieremiæ, *Effusum est in terra iecur meum*: &

D

cum deberem esse quasi lapis in aceruo testimonij positus iuxta viam, vt eam per exemplum viatoribus demonstrarem, non remansit in me lapis boni exempli super lapidem fortitudinis vel virtutis. Et hæc omnia mala in me pariter coofluxerunt eò quòd non cognoui (tibi debitas gratias referendo) tempus visitationis meæ quando tu Oriens ex alto, me (carnem assumendo) vtiliter, & mentem illuminando, delectabiliter visitasti, *&*

Iob 10. c

visitatio tua custodiuit spiritum meum. Et ex illo tantillo spiritu quem in me tua visitatio reseruauit; cognosco iniquitatem meam, vt tu Deus qui solus peccata remittis eam mihi ignoscas.

Non leue est, nec omnino stupidú quod hic docet de pronominibus possessiuis.

Et peccatum meum contra me est semper. O possessor cœli & terræ! tu scis quòd ego in mea dicici iuuentute quòd

E

meum & tuũ sunt pronomina possessiua; vnde si meum est peccatum, vt meum possideo peccatum meum. Sed heu quàm misera possessio peccati mei, quæ suum facit miserum possessorem! O peccatum meum! quomodò

Infælicissimè possidetur peccatum.

sustinui, quomodò silui, quomodò dissimulaui vt tu me potius possideres? Non enim sic meum es peccatum meum: sicut mea est, cappa mea: neque ita te possideo, quomodò possideo cappam meam cuius possessionem & proprietaté omnino possum à me excutere vna vice. Te enim non sic, sed ita à me infeliciter possidêris, vt derelictum à me animam meam non velis desinere possidête, Sed nihilominus si consentiatur tibi, eam quæris: sequeris, & persequeris etiam per angustissimá portam mortis, vt ipsam tradas flammis & cruciatibus sempiternis. Quomodò meum es, peccatum meum, nisi quia te

feci? & ideò meum es, sicut factura est factoris. Heu

A

horribile & abominabile factũ meum! peccatum meum quare te feci? Quare per te meam animam interfeci? Quare eam de tam mortifero veneno interfeci? Quæ insania me ducebat? Quæ furia me cogebat? Sciebam enim quòd *stipendia peccati mors*. Sciebam quòd peccatum quod *consummatum fuerit, generat mortem*, & nõ solum momentaneam corporis huius mortem quæ per peccatum intrauit in Mundum; sed etiam mortem animę, per substractionem vitæ gratiæ in præsentiæ priuationé gloriæ, & obligationé pœnæ perpetuæ in futuro. Et hoc ipsum didiceram te docente; *quia anima quæ peccauerit, morietur.* O vita æterna! statue cõtra faciem animæ meæ, mortem illam æterná qua moritur immortalis anima per peccatum; vt ipsa anima mea coram se semper videat, & fugiat

Rom. 6. d
Iac. 1. c
Ezech. 18. a

B

quasi à facie colubri, mortem illam. Audiui enim à quodam familiari amico tuo cui tu (Deus meus qui reuelas cõdensa) diuturnitaté & acerbitatem reuelaueras huius mortis; quòd hæc est mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia mors illa semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit; hæc est *mors peccatorum pessima*. De hac morte, misericordissime tu dixisti? *Nolo mortẽ peccatoris*: Sed heu! ego & alij miseri peccatores, cõtra voluntaté tuam volumus propriam mortem nostram. Tu autem Deus meus qui *mortem* animæ *nõ fecisti*; vidisti & *siluisti* quamdiu *post tergum* meum *omnia peccata mea* proieci ne viderem illa & pœniterem de illis. Nunc autem omnipotentissime; peccatum meum & sequela peccati mei quæ est mors æterna, contra me est

Psal. 33. d
Ezech. 33. c
Sap. 1. d

C

semper: & super hoc tibi (gratiarum optimo largitori) refero grates multas, quia non *posuisti me* amplius *contrarium tibi*, sed peccato meo. Quod quamdiù mecum fuit, contra me non fuit; *Nunc autem* quia *non est mecum, contra me est semper*, & ego volo esse in perpetuum contra illud; quia quando illud feci, *Tibi soli peccaui*: Quia tu solus es sine peccato: etsi dixeris toti Mundo, *vt qui sine peccato est primus* me arguat de peccato, & primus *lapidem* in me *mittat*. Tu Iesu bone qui peccatum non fecisti *nec inuentum est dolus in ore tuo*, solus me potes arguere de peccato: & vniuersis, vno post alium exeuntibus, tu solus Deus meus, Dominus meus, sine peccato in medio remanebis; & solus me potes de peccato meo soluere & dãnare. Et si me condemnaueris, nemo poterit me condemnare

Iob 7. d
Matth. 11. g
Ioan. 8. a

D

quia *Tibi soli peccaui, Et malum coram te feci.* Heu heu mihi Domine! heu mihi! quia quando malum feci; de me (quem tu, qui solus bonus es, bonũ in baptismo feceras) malum feci. Nunc auté timor & tremor venerunt super me quia audiui tuam veritatem in Ecclesia exclamãtem quòd malos male perdes; inter quos, nec mihi parces, nisi placabilis fueris super malitia mea Deus. Exaudi ergo Domine, placare Domine: attende & fac mecum misericordiam tuam magnam, quia, & quando coram te malum feci; nimium audax fui qui feci coram te quod coram hominibus non fecissem. Illi auté, Domine Deus meus, in quibus coram te iustitia inuenitur, Lætabuntur *coram te sicut qui lætantur in messe*. Sed ego iniustus qui *coram hominibus iustitiam* meá, & malum coram te feci, nunc de

Nimia peccatoru audacia.
Isa. 9. a

E

malis meis coram te erubesco. Parce igitur mihi Deus meus: parce mihi, amarissimos gemitus pœnitentiæ, & profunda suspiria ab imo pectore proferenti: vt tu qui dixisti per Spiritum sanctum tuum; *In quacunque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum cius quas operatus est amplius non recordabor; iustificeris*: Et iustus & verax, sicut es, inueniaris. *In sermonibus tuis*, quia sermo tuus veritas est; ac eos mendaces ostendes qui dicunt quòd mihi ingemiscenti non parces. *Et* (eos) *vincas cum* ab ipsis, tu (cui proprium est misereri semper & parcere) immisericors *iudicaris*. Considera misericors Deus substantiam infirmitatis & paupertatis meæ & ostende super me magnitudinem pietatis tuæ, & in immensum misericordiæ tuę pelagus me attolle, & tua benigna clemẽtia omnia peccata mea remitte, quæ mihi ex Originali peccato adhæserunt aut ex prauitatibus meis postcà supercreuẽrunt:

Ezech. 18. f.
32. c

& ab his, Domine, me clementer emunda, & omnibus parentibus meis concede gaudia sempiterna. *Ecce enim in iniquitatibus* Originalibus & Actualibus, *Conceptus sum:* Ne intelligas, Deus meus qui gallo intelligentiam contulisti, quod ego intelligam dicere in parentum meorum Originalibus & Actualibus me conceptum, cùm credam quòd & eorũ Originalia deleueris in Baptismo, & ipsorum Actualia mihi tu Domine iuste iudex imputare non velis, nisi ipsorum Actualium fuero imitator, quoniam tu dixisti *quod iniquitatem patris filius non portaret.* Sed hæc est intentio mea, Deus, in iniquitatibus Originalibus & Actualibus me conceptum: hoc est, in illa Lege nostræ originis vitiosa, in qua omnes corrũpimur & nascimur in vtero & ex vtero Filij iræ tuæ; atque per traducem, libidinosa carnis concupiscentia, etiam antequam peccemus actualiter, constituimur peccatores & ad Actualia proniores. Sed cum non sit nisi vnum & solum Originale peccatum quod à parẽtibus trahitur; pro quo, non baptisati paruuli damnabuntur: non me velis Domine arguere in furore si plurali numero vsus sum in hac parte dicendo, quod in iniquitatibus Originalibus & Actualibus sum conceptus: cum dixerim hoc, pro eo quod illud vnum Originale peccatum plures habet effectus; & quia in illo vno Originali peccato intelligi plura possũt, si (quasi per membra) singula diuidãtur. Et maximè quia in hoc plurali numero intelligo, sicut & tu ipse Deus intelligis singularem cùm Angelus tuus in somnis apparuit Ioseph dicens, *Tolle puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt qui quærebant animã pueri. Defuncti,* pluraliter dixisti per Angelum, non defunctus, quamuis intelligeres singulariter de Herode qui tunc solus quærebat te Puerum, ad perdendum. Sed & Moyses dum staret in confractione in cõspectu tuo vt auerteret iram tuam, designauit in plurali numero singularitatem cum dixit; *peccauit populus iste peccatum maximum,* fecerúntque sibi Deos aureos; licet vnum solum Vitulum conflauissent. De quo etiã Vitulo singulari, pluraliter addiderũt: *isti sunt dij tui Israel.* Ita & ego, Domine mi colende, dicẽdo pluraliter, in iniquitatibus Originalibus & Actualibus me conceptum; intelligo dicere, me conceptum de illo vno & singulari Originali peccato in quo *omnes in Adam peccauerunt,* vt in materia, vel in massa. Nam in eo seminaliter omnes erant quando ipse naturam corrupit humanam; & ab illo vno homine qui omnium nostrum fuit materia & origo, omnes concupiscẽtialiter descendunt; & per propagationis successionem & carnis concupiscentiam occultè illa corruptio in Posteros demigrauit. Nec tamen hoc fecit propagatio sed libido; non naturæ humanæ fœcunditas, sed libidinis fœditas quam homines habent ex illius primi iustissima tua (Deus) condemnatione peccati. Non enim quia ab Adam per carnis propagationem descendimus, ideò Originali peccato tenemur; cum & tu ipse Domine Iesu Christe qui omni peccato Originali & Actuali penitus caruisti, in medicamentum nostri vulneris sine opere concupiscentiali in sola materia corporali per diuinam conceptionis formationísque rationem descẽderis ab eodem. Sed quia concepti sumus illa vitiosa Lege concipiendi nobis ex peccato Primi hominis occultè & miserabiliter accedenti, ideò Originalis peccati, ex tua iustissima (Deus) sententia rei sumus. Nam quemadmodum tu Deus omnipotens cognitor occultorũ, occultissimam gratiam Spiritus sancti tui latenter infundis tuis Fidelibus & etiam paruulis in baptismo; sic & homo ille per quem hoc peccatum originale intrauit in Mundum; in se, omnes de stirpe sua venturos, occulta tabe & fœditate suæ libidinosæ concupiscẽtię adeò tabificauit quod anima à te (Deus) creando infusa corpori taliter tabefacto maculatur, polluitur, & fœdatur, sicut in vase non sincero vinum infusum licet optimum inficitur & acessit. Et in illa infusione, ipsa anima dãnationis sententiam in se iustam excipiens, culpam contrahit & reatum, pœnæ perpetuæ obligatur. Et hæc recordatus sum & effudi in me coram te animam meam (Deus) vt intelligam miserabiliter in me factum quod ille primus *homo cum in honore esset;* in se, *non intellexit* à te iustissimè faciendum. Tu autem Deus qui diues es in misericordia, dimittens Originalia & Actualia non propter meritum nostrum sed propter nimiam charitatẽ qua dilexisti nos; cum sic essemus mortui in peccatis, conuiuificasti nos per tuam gratiam in baptismo animam à vetustate culpæ mũdando, reatum eius soluendo, ac ipsum à pœna perpetua liberando. Et propterea tibi Domine semper in populis confitebor. Veruntamen adhuc in carne mea (Domine) sentio incessanter etiam post baptismum, concupiscentiam illam carnis, quæ est fomes peccati, languor naturæ, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum repugnans Legi mentis meæ & captiuans me in Lege peccati, super me tam violentum dominium exercentis quod ingemiscens sub onere isto graui necesse habeo exclamare; *Infelix ego homo* qui per me de crudeli dominio isto carnis liberari non possum: quis me liberabit de corpore mortis huius! Certè non Lex Moysi, non Prophetæ, non propriæ vires meæ, sed gratia tua Deus per Iesum Christum Dominum nostrum, quem tua (Pater) misericordia mihi dedit, vt per eum remissionem accipiam peccatorum. In hoc autem considero & suspiro iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam & in eius Posteros ratione illius inobedientiæ protulisti: quòd videlicet non est aliquis si post Baptismum vixerit in hac carne, qui non ab huius hostili concupiscentia affligatur; nisi fortè ineffabili miraculo ab omni potentia tua (Deus) Lex peccati quæ est in mẽbris, in eo penitus extinguatur; quod valdè magnum priuilegium, est paucorum. Inde tamen gratias ago tibi gratiarum optimo largitori, quia etsi iste domesticus Hostis meus, hic stimulus, hic tyrannus in me maneat post Baptismum; non tamen adeò dominatur & regnat vt antè: sed per Baptismi gratiam debilitatur, minuitur, mitigatur, vt in me non valeat dominari, nisi ego in vacuum suscipiens gratiam tuam (Deus) & post concupiscentias meas vadens, restituam vires hosti; eidem, me, per consensum illicitum supponendo. Sed heu mihi misero peccatori, mi Domine metuende! cum scirem quod tu me velles spectare luctantem, iuuare deficientem, subleuare cadentem, coronare vincentem: Ecce Domine tu vidisti quoties in me insilijt subitò hostis iste, impulsus ab illo cuius *halitus prunas ardere facit;* & quietem cordis mei & corporis perturbauit. Quotiens obscœnis & immundis ac vanis cogitationibus me turpiter blasphemare fecit; quotiens aduersum phalanges cordis mei manè & vesperè exclamaui vt ad singulare certamen descenderem contra ipsum, vel vt pusillanimis non certaui, vel omnino solui militiæ meæ cingulum indecenter antequàm recederet aduersitas præliorum. Vidisti insuper (Domine ne sileas, nec propter hoc finaliter discedas à me) quomodò, cum humiliatus non mea sed tua virtute sileret & relinqueret me in pace; ego illum ipse aduersum me ad prælium excitaui, & vires reatus mei, quas in Baptismo & in prisca Pœnitentia mea perdiderat; ei reddidi: & sic coronam (væ mihi!) perdidi, quam non nisi legitimè certãtibus præparasti. At si recuperatis per te viribus, aliquando prædicti Hostis desiderijs viciosis viriliter restiti vel restitero in futurum, cúmque superaui vel superauero te iuuante: licet hostem ipsum tyrannum domesticum de carne mea in hac misera vita non possim omnino expellere, velut alterum Iebusæum; prouidisti tamen mihi ei non consentienti quòd quantùm ad actum tantum & non quantum ad reatum in me remanet post baptismum. Nam de tua pietate confido quod ea quæ inuitus & renitens patior ab hoc hoste, mihi imputare non debeas ad peccatum. Et in hoc (Deus meus) parcendo maximè ac miserando tuam omnipotentiam manifestas: quòd sicut alia mala prætereunt in nobis actu & remanent reatu; vt homicidium, adulterium & similia:

Ita

Ezech. 18.

Pluralis numerus pro singulari, frequens in Scriptura.

Quomodo omnes peccauerunt in Adam.

Psal. 48.

Carnis concupiscentia, hostis domesticus.

Iob. 41.

Ira è cõuerso operatur in nobis mirabiliter omnipotentia tua (Deus) vt carnalis concupiscentia cuius non consentitur desiderijs viciosis, in Baptismo prætereat reatu, & in pœnam peccati, in nobis remaneat semper actu: & hoc est *iugum graue quod creatum est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium*. Sub hoc iugo grauissimo ingemiscunt omnes qui eius sentiunt grauitatem. Sub quo Tobias ingemuit, ingemuit & Susanna: Sed & *omnis creatura* sub hoc iugo *ingemiscit & parturit vsque adhuc*. Ingemisco & ego sentiens in meipso quia circumdederunt me gemitus mortis, & Torrentes iniquitatis alienæ & meæ conturbauerunt me; propter quæ possum lachrymabiliter dicere cum Propheta: *Multi sunt gemitus mei & cor meum factum est in me mærens.* Porrò cùm oppressus hoc iugo, aliquando recogito (Deus meus) quòd peccatum illud Originale in quo conceptus sum in Baptismo (tibi sit inde gratia) deleuisti; etiam gemendo ac suspirando in meipso, requiro cur pœnalitates istas quas quotidiè occasione dicti Originalis peccati patior, in eodem Baptismo pariter non tulisti. Certè inter ipsas pœnalitates & pressuras fateor quòd ex dispensatione maxima eas in me voluit tua admiranda prouidentia remanere; vt videlicet sagittæ tuæ (Domine) in me essent, quæ me docerent quòd humiliatio mei in medio esset meî. Item vt terrores tui contra me quotidiè militarent qui timorem tui mihi insererent & amorem. Item *vt vexatio* mihi daret *intellectum* cognoscendi quòd à nobis nõ à te mali sumus. Item vt Adam exemplum meum ab adolescentia mea esset; & peccatum inobedientiæ meæ euitarem. Item vt sic traheres me ad te (Deus) in funiculis Adæ, & in vinculis charitatis; vt cognoscerem quòd tu Pater, me quem diligis filium sic arguis & castigas. Item vt semper haberem contra Spirituales nequitias consuetudinem præliandi; & me sacris virtutibus exercerem. Et maximè ne si liberatus fuissem ab istis pœnalitatibus in Baptismo; ego & alij homines hoc esse Baptismi pretium vel præmium putaremus, & non gloriá regni tui. Ideóque soluto reatu ab anima, prouidentia tua (Deus) temporalem pœnam tamen in me manere voluit in hac vita, vt à me alia vita studiosiùs quæreretur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Exurge ergo Domine adiuua me: Indue me thorace iustitiæ, & accinge fortitudine lumbos meos; vt inter tot insultus hostium, in acie stem securus. Et per parentes campos humilitatis in virtute patientiæ & longanimitatis accensus, impugnantes me constanter valeam expugnare; & procacis Milinæ turbinem sapienti moderatione discutiens, innocentia vitæ & deuotæ orationis suffragio mihi cõtinuare valeam gratiam tuam Deus. Et cum Iosue clypeum non dimittam quoúsque obediente te Deo, voci hominis; diem vitæ meæ protrahas ad triumphum, nec recedam ab acie donec pariat mihi congressio cœpta victoriam & coronam: alioquin quicquid ago sine te, mihi vertitur in ruinam. Nam adhuc macula Originalis peccati teneor; & ideò (vt prædixi) existo ad Actualia magis pronus. Nec hoc dico (Deus meus) ad excusandas excusationes quibus à te de peccatis meis possum meritò accusari vel vt in parentes meos velim refundere culpam meam, cùm nunquam crediderim peccatum esse si coniuges causa sobolis procreandæ carnaliter misceantur: sed vt tu (Deus) quia ea quæ sunt in homine cognouisti, ad miserandum mei faciliùs inclineris si ab ipsa radice mea, me coram te confiteor peccatorem. In omnibus enim trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum peccati & propago mortis, te solo excepto (Domine Iesu Christe) qui natura mirante de sancto Spiritu es conceptus. *Et in peccatis*: libidinis: *Concepit*, & aluit *Me*; in vtero, *Mater mea*. Hæc est concupiscentia libidinis, quæ peccatum est nisi per bona coniugij excusetur: & licet in vtróque Parente meo qui te (Domine) timuerunt & non me in adulterio sed in casto cõiugio genuerũt, culpam non habuerit opus illud; tamen origo peccati, in prole, secum debitam pœnam traxit. Ne reminiscaris ergo Domine peccata mea vel parentum meorum; neque sumas vltionem de peccatis meis si de me peccatore, tibi (qui omnia scis) totam quam scio profiteor veritatem, quia veritas es non fallens, via non errans vita non deficiens. O vera charitas & chara veritas, qui in hoc natus es & ad hoc venisti in Mundum vt perhibeas testimonium veritati; in veritate tua exaudi me & in tua iustitia! Et quia scio quòd tu iudicabis populos in veritate, & perdes omnes qui loquuntur mendacium; ideò priùs hic in veritate coram te dijudico memetipsum: vt cum Deus meus, tempus acceperis & ipsas iustitias iudicabis; non in iudicium cum seruo tuo, cui tamen (tibi sit inde gratiarum actio & vox laudis) manifestasti veritatem beatæ Incarnationis tuæ quæ adhuc per sapiẽtiam tuam Infidelibus incerta est & occulta; & veritatem remissionis peccatorum meorũ, de qua similiter incertum est & occultum, cuius misereri velis & quem volueris iudicare. Et tamen hæc duo, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi.* Primum per fidem, tanquàm per alios Esaiam & Gabrielẽ testes mirabiliter concordantes, & dicentes mihi, *Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Secũdum, per spem quasi per alterũ Natham Prophetam dicentem mihi vt Dauidi veraciter pœnitenti; *transtulit à te Dominus peccatum tuum & non morieris.* Et si dixi corde contrito & humili, confiteor; tu propitius remisisti: & quia in sermone tuo manere volo & verè discipulus esse tuus, ideò te manifestante cognoui hanc duplicem, & in sapientia tua à sæculis absconditam veritatem. Tu autem Deus qui superbis resistis & humilibus das gratiam in præsenti, & cuius gloria humilem spem suscipiet in futuro; ex quo cõfidenter mihi tua prædicta occulta & abscondita reuelasti, confido quòd hoc donum tuum semiplenum non relinques: Sed, *Asperges me Domine hyssopo.* Sancti tui (Domine) per quos nobis tuas etiam parabolas edisserere voluisti, dicunt nobis quòd hyssopus est herba humilis & medicinalis; cuius radix petræ dicitur adhærere & pulmones inflatos reprimere & purgare & ideò quando hic locutus es (Domine) de hyssopo, de humilitate intelligis nobis loqui, quæ in consideratione sui est modica illa virtus quæ in conspectu tuo & totius cœlestis Curiæ maxima reputatur. Cui tu (Deus) summus medicus magnam contulisti cõtra tumorem superbiæ medicinam; quando tu (qui de excelso gloriæ tuæ throno humilia respicis & ponis humiles in sublimi) cùm esses immensus & excelsus, inclinasti cœlos & descendisti in terrá formam serui accipiens vt humilitatis exemplum humano generi exhiberes; & esset medicina tumoris in homine, humilitas tua, Christe. Vbi enim (Domine) tua se exinanîuit maiestas, indignum est vt vento superbiæ infletur vermiculus & tumescat. Quid enim magis mirandum; quid ampliùs detestandũ; quid grauiùs puniendum quam quod videns Dei Filium summum in regno cœlorum, nouissimum factum in regno hominum; *& apponat adhuc magnificare se homo super terram?* O Magister & Domine (& bene dicimus) tunc nobis humilitatis tuæ librum & magisterium ostendisti, cum lectionem illam, nobis, memoriæ perpetuæ commendandam, legisti dicens: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* O humilis celsitudo; quàm verè, si voluisses dicere potuisses; discite à me, fabricari Auroram & Solem vel totam fabricam huius Mundi; siue discite à me triduanos mortuos suscitare! Sed quia potentior est solidissima humilitas quàm ventosissima celsitudo; ideircò tu humilitans Doctor egregius potius dicere voluisti; *discite à me* nascẽte, moriente prædicante, miracula faciente; *quia mitis sum & humilis corde.* O si cordis mei intima aspergeres hac ysopo; certè tibi qui es firmissima petra Christe, toto corde radicitùs adhærerem ita quod vnus spiritus essem tecum; & præ gaudio exclamarem quòd tibi Domino Deo meo bonum est adhærere. Et quoniam hæc ysopus est inflatis omnibus nobis, opus; idcirco te, cui humilium & man-

Eccl. 40. a
Rom. 8. d
Thren. 1. g
Cur post Baptismum permaneat Originalis Peccati pœna.
Esa. 28. e
Is. 7. c
Matth. 1. d
2. Reg. 12. d
Psal. 9. d
Matth. 11. d

ſuetorum ſemper placuit deprecatio; deprecor humiliter & deuotè vt me interiùs & exteriùs digneris aſpergere hac yſopo; *& mundabor.* (Pſal. 18. d) Ac penitus emũdabor *à delicto maximo;* quod eſt ſuperbia. Quæ inter magna, non ſolùm maius ſed primum & maximum eſt delictum. Et poſt hanc emundationem; *Lauabis me:* Per gratiam tuam (Baptiſmus fluminis & flaminis.) ſanctã in Baptiſmo ſanguinis animæ meæ, per pœnitentiam renouando quem in baptiſmo fluminis & flaminis (tibi ſit inde laus & iubilatio) iam lauiſti. *Et ſuper niuem dealbabor.* Ex hoc audeo dicere cõfidenter quia Domine tu dixiſti; (Iſa. 1. e) *Si fuerint peccata veſtra vt coccinnum* ſanguinea, *quaſi nix dealbabuntur* in pœnitentia: Et ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, ſicut lana alba erunt: & ſic opera ſanguinis in veſte tua (Domine) miſericorditer mutabũtur: ita quod de me, cum alijs ſanctis tuis quibus quaſi præclara veſte in gloria veſtiris; facies veſtem tuam, quam dealbatam mirabiliter deſignaſti cum in trãsfiguratione *veſtimenta tua facta ſunt alba ſicut nix qualia non poſſet fullo facere ſuper terram.* (Marc. 9. a; Matth. 25.) Et, ſi me cum illis qui viderunt te nudum & veſtierunt, vnquam permiſeris illam Lætabundam vocem tuam audire; *Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis datũ eſt ab origine Mundi; Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* O vox exultationis & ſalutis, quæ audientibus te dabis in Chriſto lætitiam ſempiternam; ſona in auribus meis! Tu es enim vox valde dulcis, & facies ſonãris decora. Sona altiſonans, vt ſic auditu auris audiam te, vt oculus meus videat te, quem videre, idem eſt quod habere. Interim autem pro reuerentia tua (Deus) audiam tacens quod in me loquetur ſpiritus tuus ſanctus, quoniam in me iam non *loquitur* niſi *pacem,* (Pſal. 84. b) quantumcũmq; inquietet & perſtrepat ſonis Mundus: & audiendo, quædam in cor meum veritas indicibilis ſtillabit quæ (ſi tu non es) neſcio quid ſit. O ſecretiſſime animæ meæ Sponſe, fac me audire interius in ſilentio vocem iſtam, vt quaſi amicus Sponſi ſtem & non cadam per multiloquium & gaudio gaudeam propter vocem Sponſi, ita quòd Anima mea quæ adhuc eſt quaſi nix in monte ſuperbiæ congelata ad calorem tui eloquij quod vehementer *ignitum* eſt, (Pſal. 118.) liquefacta in vallem humilitatis celeriter & hilariter condeſcendat: *Et exultabunt oſſa humiliata.* Oſſa animæ meæ (Domine) ſunt virtutes; quibus ipſa interiùs, ſicut corpus exteriùs oſſibus, ſupportatur, vt ſtare poſſit ante te ſuprà pedes affectuum ne labatur. Tu autem (Deus qui omnia noſti) ſcis; & ego, nec volo, tibi nec valeo diffiteri quòd hæc animę meæ oſſa pluries diſſipaſti quæ placere hominibus quæſierũt; adeò quòd medulla deuotionis à qua totum recipiunt robur ſuum, arida eſt & ſicca, ita vt poſſim dicere cum Propheta: *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* (Pſal. 101. a) Sed quia tu es Deus virtutum; cuius *os* (vel virtus) in Cruce non fuit, confractis aliorum duorum oſſibus, comminutum: Idcirco ſupplico tuæ ineffabili pietati vt de excelſo, ignem amoris tui in oſſibus meis mittas; quia tibi ſoli deſidero, beneplacitis, actibus de cæterò complacere; vt *holocauſta tibi offeram medullata:* (Pſal. 65. e; Pſal. 50. b) & ſic prædicta animæ meæ *oſſa humiliata* per aſperſionem yſopi & gaudium vocis tuæ auditui mandatũ, in te Domine *exultabunt* gaudio magno valde. Et ne hæc exultatio de cæterò in triſtitiam conuertatur, *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Hactenus mentionem tibi feci Domino Deo meo, de vna iniquitate & de vno peccato meo quod eſt ſuperbia & arrogãtia mea magna: de qua timeo mihi valdè, attẽdens quòd nec ſuperbientibus Angelis pepercisti, ſed illum Cherub qui erat *ſignaculum ſimilitudinis,* (Ezech. 28. e) plenus ſapientia & perfectus decore, propter ſuperbiam de delicijs Paradiſi ad inferos detraxiſti. Idcirco à te Domine petij tam inſtanter vt hanc iniquitatem & peccatum meum deleres, lauares, mundares; quia maculam valde hærentem in anima mea fecit. Nunc autem quia intelligo quod ex hoc peccato meo, tanquam à quadam virulenta radice, multa in me peccata & iniquitates alię pullulãrunt, cùm ſuperbia fundamentum & *initium ſit omnis peccati,* (1. Tim. 6. b) & Angelum & hominem apoſtatare à te fecerit nimiùm impudenter: Ideò imploro humiliter tuam Deus ineffabilem pietatem ne lætitia & exultatio quas auditui meo & humiliatis oſſibus meis infudiſti, in lamentũ vel vocem flentium conuertatur. Auerte faciem tuam non ſolùm ab illo peccato meo ſuperbiæ, ſed etiam ab omnibus peccatis meis: Ita tamen quòd à me tuam faciem non auertas; qui in hac vita volo quærere tuã faciem, hoc eſt, iucundam pręſentiam tuam, ſemper. Scio enim Domine quod tua facies in iubilo cõtemplatur; &, ſi eam mihi oſtendens, ſaluus ero; *auertente autem te faciem tuam* à me, inconſolabiliter cõturbabor. (Pſal. 29. c) Ne auertas igitur Deus meus faciem tuam à me, ſed *à peccatis meis.* Et auertas, ne animaduertendo in me punias me pro illis, à quibus auerſus ſum, & quæ ego habeo; & habebo de cætero (te iuuante) ad te faciem meam. *Et omnes iniquitates meas dele,* De notitia tua (Deus) & radicem, & progeniem, & germen, ſicut omnino deleſti *memoriam Amalec de ſub cœlo.* Et deletis meis iniquitatibus & peccatis, *Cor mundum crea in me Deus.* O Deus cordis mei, qui intellectum das paruulis; da mihi intus legere in meipſo quid peto quãdo peto vt *cor mundum* crees in me Deus; Ne, ſi petiero quod ignoro, dicas mihi quod dixiſti matri filiorum & filijs Zebedæi, *Neſcitis quid petatis.* Ecce enim cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo & *in Angelis* tuis reperis prauitatem; quanto minus homo putredo, & filius eius vermis poterit dicere, *mundum eſt cor meum?* Et non oportet me habere cor & illud mũdum, antequam videam te quem ſoli viri cordati videbunt qui fuerint mundo corde. Nunc autem, Lux intelligibilis (cuius *inuiſibilia per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*) intelligo, te magiſtro intimo in ſchola mei pectoris intimè me docẽte, quòd ſicut corpus meum, vitam, ſaporem, gaudium & dolorem habet à carneo corde meo; quo ſeparato ab ipſo corpore, priuatur ijs omnibus ipſum corpus: Sic (imò veraciùs atque viuaciùs) tu es cor & vita animæ meæ, Deus. Qui quandiu ipſam inhabitas, vita gratiæ tuæ viuit, guſtat ſpiritualiter dulcia & amara: nam ei dulceſcunt cœleſtia & virtutes, & terrena ac vitia, ſunt amara. Et etiam quaſi vnum myſtici corporis tui membrum ſi proſperitate membrorum aliud gloriatur, congaudet: Et, ſi aduerſitatem patitur, quodam cõpaſſionis participio moleſtatur & dolet. Et ſic animam meam ſentio cor habere. Cùm autẽ propter iniquitates meas, ab anima mea fueris ſeparatus; tunc nec vitam, nec ſaporem, nec gaudium, nec dolorem ſentit vel habet ſuper aliquo de præmiſſis; ſed velut mortua, ſine corde in loculo corporis ſui iacet, & tunc verè poteſt dicere cum Propheta; *Cor meum dereliquit me:* Et quòd *facta eſt quaſi columba seducta non habens cor;* Nam & verè miſerabiliter ſeductus eſt omnis homo qui propter tanti & talis cordis inopiam, animam ſuam perdit. Nã hoc eſt pro nihilo; hoc eſt, pro peccato quod nihil eſt; pro quo nihilo perit cor impij peccatoris. Et, heu mihi Domine Deus meus ſine te per quem omnia facta ſunt, à me factum eſt, iſtud nihil; & pro iſto nihilo perij & *ad nihilum redactus ſum & neſciui.* Sed tu creator omnium rerum Deus qui de nihilo cuncta creaſti; cor mũdum crea in anima mea Deus: ad ipſam in miſericordijs reuertendo, ſuſpirantem, & clamãtem ad te *velociter exaudi me Domine defecit ſpiritus meus.* Ne auertas ergo aurẽ tuam à ſingultu meo, ſed propter temetipſum Deus & propter nomen ſanctũ tuum, reuertere ad animã meam vt viuat: tu es enim propriæ proprium cor ipſius & vita. Ergo miſericordiſſime, ſecretiſſime, intime, qui cuſtodis pactum & miſericordiã ſeruis tuis; qui promiſiſti quod dares nobis *cor nouum,* & ſpiritum nouũ poneres in medio noſtri ſi rediremus ad cor, & plantares nos in corde tuo & in anima tua tota: da te ſolùm mihi, & te in anima mea planta, & plenus ſum. Ego autem præuaricator, ad vocationem tuam, redire volo ad cor: hoc eſt, ad te qui es cor quo viuit, ſapit, gaudet, dolet, ſcit, intelligit anima mea, Deus. Et hoc eſt cor mundum quod vt crees in me Deus, requiro à te. Veruntamen attende Domine quod intendo: non eſt enim intentionis meæ (Deus meus) petere

(Deus meus) petere à te qui semper es creans omnia non creatus; vt te crees in me (cùm in tuam æternam essentiam creatio nulla cadat) sed tuum sanctum Spiritum emittendo in me; qui si charitatem non habuero, nihil sum: me de hoc nihilo crees in te qui verè es cor animæ meæ verùm & viuum & mundum: Qui attingis vbique propter tuam munditiam. Qui effundis super nos aquam mundam; & Mundum istum, ab omnibus inquinamentis suis abluis & emundas: Et propter reuerentiam tui vitalis & mundi Animæ meæ cordis, concede mihi per tuam ineffabilem bonitatem vt cor meum mundum sincerum & purum ab immundis & vanis & noxijs cogitationibus sic valeam custodire, vt propter munditiam cordis mei te Regem gloriæ habeam amicum. Et quoniam dum anima mea fuit absque te (corde suo) *Miser factus sum & curuatus sum*, & inclinata est à terrena mea specie, rectitudo: ideò; *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis*: Tu es enim rectus Dominus Deus noster qui ad hoc hominem rectum facere voluisti, vt spectantibus terram pronis animantibus vniuersis, ista exterioris figmenti corporea rectitudo hominem illum interiorem ad imaginem tuam factum spirituali suæ rectitudinis admoneret; & rectitudo limi curuitatem argueret animi, si videret animum in Cant.1.a. corpore recto curuum. Et quia innocentes & *recti* adhæserunt tibi, eò quòd *diligunt te* & bonus es his quæ recto sunt corde, idcircò imploro humiliter rectitudinem tuam Deus, vt Spiritum rectum velis in meo pectore innouare; vt sicut incensum, in conspectu tuo mea oratio & intentio dirigatur. Et non solùm in spiritu me innoua; sed etiam, *In visceribus meis*: Vnde exijt peccatum Iob.40.b. immunditiæ carnis meæ. In visceribus enim renum, sedes est voluptatis. Et quia diaboli *fortitudo* est *in lumbis eius* & in vmbilico ventris illius; idcirco lumbos meos nisus est pluries illusionibus adimplere, vt infirmam affligeret carnem meam. Et quoniam in vtróque peccaui; in anima scilicet & in carne; nec amplius aliquid tale cõmittere volo; ideò à te (clementissime Domine Deus meus, qui quem sanas in anima & corpore, simul sanas) vtroque ardenter desidero expiari. Porrò si peccaui; imò quia peccaui, & propter hoc *oculus meus in amaritudine* Iob.10.a. pœnitentiæ commoratur: de venia tamen spero, sciens quòd maior est tua bonitas quàm mea iniquitas quæ est magna nimis. Veruntamen si malum coram te feci, & faciem tuam non erubui vt debebam, *Ne proijcias me à facie tua*: Sicut Caim perpetrato fratricidio, à facie terræ & à tua facie proiecisti. Nec mirùm, quia intima sua Gen.4.b. proiecit; & desperans de venia, noluit pœnitere; sed dixit quòd *maior* erat sua *iniquitas quàm vt veniam* mereretur. Non sic Domine, non sic proijcias me à facie tua; Psalm.1. neque sicut puluerem *quem proijcit ventus à facie terræ*: Sed per tuam superfluentem & ineffabilem bonitatem, ad illam me facias beatitudinem peruenire; in qua, non si-1.Cor.13.d. cut in hac vita *per speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem* videbimus te finem desideriorum nostrorum: quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus: hoc munus, hic affectus, hic actus profectò sine fine erit omnibus qui tibi reuelata facie te videbunt. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Quem; ex quo mihi irascor, confiteor mea præterita mala & plango, & iterum non committere propono, iam me, quasi pignus gloriæ habere confido. Sciens quòd Eadem est fides Patrum & nostra. 1.Tim.1.c. hæc non possem habere pariter ex meipso. Ergo Deus, cuius iræ resistere nemo potest, ne irascaris mihi in æternum: & non solùm à me non auferas Spiritum sanctum tuum, sed etiam, *Redde mihi lætitiam salutaris tui*: Christi saluatoris mei; qui est gaudium meum, qui est futurus præmium, qui est res mea, lux mea, laus mea, domus mea, patria mea, vita mea, salus mea, & salutare meum. Hoc Salutare, spectauêre futurum illi qui fuerunt antè nos Patres nostri, & in hac spectatione fidei sunt saluati, & in illo Saluati est & erit eis lætitia sempiterna. Et quia per eandem fidem (rei tamen iam fa-

A ctæ; nec fide, sed temporibus variatis) saluari expecto ab eodem Saluatore qui *omnes homines vult saluos fieri* & neminem vult perire: idcircò Pater & Domine vitæ meæ prædictam sempiternam lætitiam quam per peccata mea perdidi, redde mihi; *Et spiritu principali confirma me.* O Deus qui es maximus Spiritus, maxima regio Spirituum beatorum; in quo sanctorum animæ requiescunt: te primò superiùs inuocaui Spiritum rectum; secundò, Spiritum sanctum; & hic tertio Spiritum principalem; intendens, totam quæ in te est Trinitatem, in meum auxilium inuocare ad hoc vt quod in me operatus es confirmetur. Nam Filium, Spiritum rectum dico; qui est Psal.91.d. *Rectus Dominus Deus noster & non est iniquitas in eo.* Spiritum sanctum tuum, nomine suo intelligo. Et te Patrem hic accipio per Spiritum principalem, quia tibi est potestas principaliter attributa, Bonum gratiæ quod B in me operatus es, confirmandi. Confirma ergo illud, Pater: &, si me confirmaueris sicut opto & sicur me scit tua supereminens scientia indigere, confirmatus, non ego ingratus. Sed, *Docebo.* In quo tu Deus meus doces me vtilia, mirabilis atque laudabilis apparebis eò quòd repentè me Doctorem feceris de plorante, de lupo agnum, De altero Saulo Paulum: & alij Peccatores videntes quòd mihi peperceris, proficient per exemplum, & sic verbo & exemplo docebo, *Iniquos*: Qui in fide manentes, peccatis suis mortificant fidem suam. *Vias tuas*: Quæ sunt misericordia & veritas; per quas ad nos venis, & nos, ad te possumus peruenire. *Et*, ipsi, Impij, peccatores, *Ad te conuertentur.* Et per te Domine qui conuertis *petram* (scili-C cet cordis duritiam) *in stagna aquarum*, hoc est, in flumina lacrymarum: Lex ei tua, Domine, est immaculata, conuertens animas. Ego autem paratus sum, ad exequendum tuum ministerium, exhibere cor, linguam, & labia, deuotissimè supplicando vt tu (mi Deus & Domine Iesu Christe, qui in diebus carnis tuæ, verba vitæ æternæ adeò mirabiliter loquebaris quòd mirabantur omnes de verbis gratiæ quæ de tuis labijs procedebant) sic cor meum aperias, linguam erudias, labia circundes, vt impij ab errore viæ suæ per te sic ad te meo exemplo & ministerio conuertantur, quòd anima mea saluetur à morte, & tu, meorum aperias multitudinem peccatorum, ita quòd nec à te, nec à Diabolo de cætero cognoscantur. Quod vt mihi efficaciùs concedatur; *Libera me* D *de sanguinibus Deus.* Spiritus sancte Deus, qui ad hoc in linguis igneis dispertitis voluisti apparere vt nobis dares intelligere quòd omnia linguarum genera cognoscebas audi efficaciter & exaudi nouam & antiquam grammaticam linguæ meæ, in qua, quasi meorum peccatorũ doloribus inebriatus, peto à te de sanguinibus liberari. Ecce enim tu scis (qui scientiarũ es Dominus) quòd in Latino nostro idiomate apud grãmaticos, sanguines pluraliter non dicuntur, Sed, sanguis. Et tamen ad confitendũ nomini tuo altissime quòd ex carne per peccatum Originale corrupta, non solùm vnum sed plura contraxi peccata, magis propriè & expressè intendo à te petere Deus meus, non de sanguine sed de sanguinibus liberari: Hoc est, de omnibus peccatis carnalibus quæ sunt E multa, & ita libera me de illis, vt iam ab illis te adiuuãte desinam penitus & desistã. Scio enim quòd caro & sanguis nõ possidebũt gloriã regni tui, & quòd nil iniquius quàm quod excogitauit caro & sanguis. Non enim caro & sanguis beato Simoni Barionæ reuelauit Christum esse filium Dei viui: Sed potiùs eum ad vocem ancillæ vnius adeò excæcauit, vt, se eius habere notitiam denegaret. Sed tu ei Domine reuelasti, qui es firmamentum meum & liberator meus; qui Daniëlem de lacu Leonum, Susannam de falso crimine liberasti. Et idcircò à te Liberatore meo, peto suppliciter & requiro vt liberes me de sanguinibus antedictis, & ab omni corruptione pœnæ & culpæ, & des mihi incorruptionem quam dabis tuis Fidelibus in futuro, Deus, dator *Salutis meæ.* Quæ salus, erit in illa corruptione Psalm.34.a.

cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Tunc veraciter mihi dices; *salus tua ego sum*, quando plenam & certam, securam & sempiternam fœlicitatem mihi concesseris & salutem. O quando ad illam incorruptionem veniam & sic saluus ero! verè tunc sanabor cum manifestabitur salus & fœlicitas illa mihi ad quam peruenire non possum nisi priùs à te fuero de dictis sanguinibus liberatus; à quibus si liberatus fuero, te & nullo alio liberante. *Et exultabit*: Hoc est; cum exultatione & gaudio nunciabit; *Lingua mea iustitiam tuam.* Non illam Domine à qua superiùs appellaui; eò quòd dominam meam misericordiam (in qua spero) non permittet secum in tuo finali iudicio considere; nam illam iustitiarum iustitiam, cùm non possem cum exultatione ad memoriam reuocare; quia valde contremiscit cor meum, nimiùm illam timens. Sed illam potiùs tuam iustitiam lingua mea cũ exultatione & lætitia nunciabit; qua in præsenti vita, ex virtute ipsius tuæ præsentis iustitiæ me teneris suscipere confitentem; eo quod sacræ Leges tuæ iustitiæ in hac vita non dedignantur sacros canones tuæ misericordiæ imitari, quantumcumque in peccatores impœnitentes sæuire debeant in futuro. Si autem Deus meus & liberator meus, me (quod absit) non liberaueris de sanguinibus sicut opto; quæ temeritate præsumeret lingua mea tuam iustitiam (remordente me conscientia) exultare vel cum exultatione animi nunciare? Certè potiùs formidaret ne tu Deus mihi diceres peccatori, *Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. 49.c.) Sed quia istæ duæ res, misericordia & iustitia, semper in tuo iudicio sunt adiunctæ; ex quo de sanguinibus confiteor, & pœnitentiam beneplacitam tibi ago, de liberatione mea non dubito quia, ô *Domine labia mea*, clausa, propter peccata; *Aperies.* Qui aperuisti os Zachariæ Prophetæ; quod nemo claudere potuit quin te benediceret Dominum suum: Qui è conuerso ora Leonum in lacu adeò conclusisti quòd nemo potuit illa aperire vt læderet Danielem. Tu (inquam) qui sic *aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit*; (Apoc. 3. b.) aperi labia mea Deus, & non solum labia corporis mei sed etiam cordis; quæ sunt eius desideria & voluntates. Nam sicut in os corporis mei non potest cibus aliquis introire & cedere in ipsius corporis nutrimentum nisi priùs apertis labijs ruminetur dentibus & teratur: Sic intrare non potest magna multitudo dulcedinis in cor D meum, nisi priùs tibi omnino ipsius volũtas, quasi labia; & quasi dentes, virtutes & desideria reserentur; vt per aperta tibi labia voluntatis, in cor & in animam meam intres: & vt tu animæ meæ cibus, ei spirituale tribuas nutrimentum inter dentes virtutum & desideriorum feruentium: Qui propter scelera nostra attritus es, viriliter atteraris, & reuoluendo frequenter tua beneficia, rumineris: Ita quòd anima mea, huiusmodi labijs & dentibus degustata suauitate indicibilis bonitatis; de te quasi de altero illud Canticum câticorum valeat decantare. *Guttur eius suauissimum dignum dilecto* ad potandum, labiisque & dentibus ad ruminandum. *Et.* Si sic labia mea aperueris, qui aperuisti Discipulis tuis sensum vt intelligerent Scripturas: (Luc. 24.) *Os meum*; Cordis & corporis: *Annuntiabit laudem tuam.* E Quia iam te non poterit non laudare de bonis & beneficijs quæ à tam bono Domino Deo suo se cõfitetur & percipit recepisse: (Dei beneficia in Peccatores.) videlicet quòd me creasti quòd me peccantem non reliquisti, quòd cum peccassem ignouisti, quòd confiteri monuisti, quod cõuersum iustificasti, quod a meis iniquitatibus me mundasti, quòd me per tuam gratiam visitasti, quod perseuerãtem corona iustitiæ coronabis quam perseuerantibus præparasti. Hæ sunt laudes quas os meũ interius & exterius nunciabit de te, qui in sancto habitas laus Israël, qui maior es omni laude. Et vt laus tua semper sit in ore meo; repleatur quæso os meum laude. Nam si os meum tuis laudibus non repleueris; desiderium non ardebit, nec erit speciosa laus in ore peccatoris. Sed quia iucunda est decoráque laudatio tuæ ineffabilis bonitatis; ego, quan- A tum in me est, te iuuante dilatabo os meum vt tu adimpleas illud; de cuius plenitudine accepimus omnes laudationémque tuam loquetur os meum vt laudem te in vita mea præsenti pariter & futura. Et quia tu dixisti quòd sacrificiũ laudis honorificabit te; ideò scio quod nunc (videlicet in plenitudine temporis gratiæ) sacrificia pecudum non requiris.

Quoniam si voluisses sacrificium; Legale, quod secundùm Legem Moysi antiqui tibi pro expiatione suorum peccaminum figuraliter offerebant, & nunc est in laudis sacrificium commutatum. *Dedissem vtique*: Et ad immolandum tibi tauros & arietes, totam meam substantiam hilariter expendissem. Sed quia audiui te Domine in Ecclesia exclamantem; (Isa. 1. c. Psal. 49. b.) *holocausta arietum, adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hyrcorum* B *nolui*; & quod *non* acciperes *de domo* mea *vitulos neque de gregibus* meis *hircos*, nec me in huiusmodi sacrificijs non oblatis argueres cùm carnes non manducares, Taurorum & hyrcorum sanguinem non potares; idcirco sacrificium hoc non dedi sciens quòd huiusmodi *Holocaustis non delectaberis.* Spernis enim Domine taurum & hyrcum & aliarum pecudum holocausta, quæ tempus habuerunt dum futurum aliquid promiserunt: at postquàm venit plenitudo temporis, & misisti Filium tuum in Mundum qui per Spiritum sanctum tibi Deo viuenti immaculatam hostiam obtulit semetipsum, & nostram conscientiam ab operibus mortuis emundauit; ex tunc holocausta & sacrificia animalium respuisti, cùm pretio immolationis Christi nulla possit oblatio compensari. C Sed quærenti mihi à te, quid à me tibi sit offerendum; te audio, de te quasi de alio respondentem:

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. (Spiritus contribulatus quis sit.) Peccatoris sacrificium quod placet Deo, est spiritus contribulatus: hoc est; spiritus cum patientia tribulatus; spiritus quem & si fornax tribulationis exteriùs tribulat & exurit, patientia tamen interiùs mitigat & delinit (nam sicut *vir iracundus suscitat rixas*, (Prou. 26.) ita patiens mitigat suscitatas) vt tibi Domine qui es spirituum ponderator spiritus cum patientia tribulatus in sacrificium offeratur. Et hoc est illud sacrificium quod inter alia holocausta tibi oblata à peccatoribus, præ cæteris est beneplacitum tibi semper. Nam cum aliæ oblationes & sacrificia de extrinsecis offerãtur, istud cum offertur, offertur de proprij cordis intimis medullis. Cùm enim spiritus, tribulationibus D quatitur; cõtumelijs agitatur, & nihilominus totius charitatis igne succensus & virtute patientiæ intus in peccatore integer reseruatus, non cogitans de vindicta; tibi Domine qui es Deus patientiæ & solatij, inter illatas iniurias tenetur, restringitur, & mactatur; tũc in furore tuo ponitur thymiama, tunc holocausta medullata tibi cum incenso innocentum arietum offeruntur. Tunc in homine, omni bestiali ferocitate destructa, boues totius ceruicositatis; cum hircis petulãtiæ, immolantur. Et idcircò vt puto per quendam sapientem docere voluisti quod *melior est vir patiẽs viro forti*; (Prou. 16. f.) & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Innumerabiles enim viri, in potestate, vrbes & populos habuerunt; paucissimi verò & rarissimè semetipsos. Et cum quis contra populos vel E vrbes decertat totus simul interior & exterior homo pugnat: Et si expugnat, non magnam videtur coronam de tali victoria meruisse eò quod extra illum sunt quæ vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute sapientiæ in se certat; non totus sed minor quàm dimidius dimicat. Et si per patientiam, malitiam suam vincit, & repugnanti sibi animo dominatur; hostem iracundiæ qui iam intrauerat castrum suum & ascenderat secum in arcem, sine armis & manibus prosternendo; Vir ille verè melior est quàm vrbium expugnator, & est longè gloriosior hic triumphus. Et sic patet quod maxima virtutum patientia, vincit inermis, Armatósque solet vincere sæpè viros. Quocirca tu Deus electus ex millibus, hoc sacrificium contribulati spiritus,

præ

præ cæteris elegisti. Elegi & ego peccator tuus hoc idem tibi de meis intimis, læto animo immolare, si dares mihi vnde tibi sacrificium offerrem. Sed ecce qui tribulant me inimici mei, spirituales & corporales; *exultabunt si motus fuero* per impatientiam vel per iram. Et certè confido in te qui es patientia mea Domine, quòd quando tribularer patientiam mihi dares, si runc ad meipsum reuersus, cum fratribus Ioseph humiliter cogitarem; *meritò hæc* patior quia peccaui & aliquando *in fratrem* meum. Et si dicerem cum Michea; *Iram Dei portabo quia peccaui ei.* Et tunc illatam contumeliam leniter tolerarem, cùm in secreto mentis ad mala recurrerem perpetrata. Nam sicut patiens tanto patientiùs medici ferrum tolerat quantò putridius esse conspicit hoc quod secat; ita & ego quantò plus pondus cognoscerem culpæ meæ; tantò tribulationis pœnam leuius sustinerem & tibi Domino Deo meo sacrificium contribulati spiritus feruentiùs immolarem. Sed, ô Deus fortis, & patiens qui, *iuxta es eis qui tribulato sunt corde*, vt in re si velint accipiant patientiæ documenta; quotiens in fornace tribulationis (in qua examinas vasa tua) per iracundiam crepui & defeci? Quotiens oblitus quod in tribulationibus mecum esses; per impatientiam, in Fratres incandui? Quotiens cor meum perdidi in furore; & de tribulationis collirio excæcatus, non potui ostium inuenire per quod reuerterer ad meipsum vt tribulatum spiritum interiùs continerem ne per verba vel verbera exterius mugiret vt tonitru vel vt fulgur corusçaret? Et si aliquando (licet rarò) inter aduersa vel prospera, meo tribulato spiritui patientiam tribuisti; visum fuit mihi, Domine Deus meus, quod Angelus ille tuus qui descendit cum Azaria in fornacem & excussit flammam ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, descenderet in cor meum; & in tribulatione, meum contribularũ spiritum in illo interiori sacrificio; sic tua gratia interiùs impinguaret, sicut asinus exteriùs tribulis impinguatur. Et tunc me omnino ignis iracundiæ non tetigit neque contristauit, nec quidquam mihi molestiæ intulit. Sed probaui per experientiam in meipso quod etsi Persecutores pugnant, posteà tamen non sibi mellificant, sed patienti: propter quod, Dauid exemplum, de se ponens, vt me ad patientiam inuitaret, de Persecutoribus suis dicit;

Circumdederunt me sicut apes. Apes enim etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen quia mellis dulcedinem administrant: sic & persecutores meos Domine amare volo; & punctiones quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, vt mellita iocunditas subsequatur. Nam per quendam Sapientem audio Domine, te dicentem quòd *vsque ad tempus sustinebit patiens & posteà redditio iocunditatis.* Ergo, bone Domine, bone Deus qui: *& contribulasti capita Draconum in aquis*, & rogationem contribulati non abijcis, contribula venenatæ superbiæ meæ caput in Diluuio lachrymarum vt tibi sacrificem meum spiritum cum patientia tribulatum. Nam &,

Cor contritum: Hoc est; cum gratia tua tritum vel strictum, multi enim sine gratia tua (Deus) diuersis doloribus & solicitudinibus teruntur in cordibus & stringuntur; & tamen corpora eorum despicis, & contemnis; *quia contritio & infœlicitas in vijs eorum*, & ideò *præ contritione spiritus vlulabunt.* Cor autem contritum pœnitentia de peccatis; quod Iudas confitendo arat, & Iacob subsequitur sulcorum duritiam conterendo; cuius *magna est contritio velut Mare. Et humiliatum*; Non elatum, peccata excusando: *Non despicies.* Qui non despicis loquelam gemitûs, sed humilia respicis in cœlo & in terra. Ad quem enim respicies Domine Deus meus, *nisi ad humilem & contritum, & trementem sermones tuos?* Sed & anima mea quæ tristis est super magnitudinem mali sui, & incedit curua in infirmitate; desiderat gloriam dare tibi. Et vt ista sacrificia spiritûs contribulati & cordis

Psalm.12.b.
Gen.42.d.
Mich.7.b.
Psalm.33.d.
Psalm.117.b.
Eccl.1.d.
Psalm.73.c.
Isa.65.c.
Thre.2.d.
Isa.66.a.

contriti tibi Domino Deo meo dignè valeam & iugiter immolare; tu benigne Domine, cuius benignitas ad pœnitentiam nos perducit.

A

Benignè fac Domine Sion. Hoc est, illi superiori animæ meæ parti: quæ per arcem Sion olim sitam in eminentiori loco illius materialis Ierusalem, designatur: in cuius fastigio sicut speculator excubans visis hostibus corporalibus, exclamabat; sic pars illa superior rationis, quasi in eminenti animæ meæ solio constituta, spirituales nequitias meam interiorem Ierusalem impugnãtes, præuidens venientes; contra eas semper remurmurat & reclamat. Et ne ista Sion in me Domine dormiat vel dormitet, cùm tecum meam custodire debeat Ciuitatem, fac ei bone Domine, bone Deus: *In bona voluntate tua.* Non in mortua voluntate mea quæ mihi adiacet: hoc est, quasi per illicita, iuxta latus animæ meæ iacet: fac (inquam) benignè Domine, dictæ Sion quæ ijs quæ sperat iam aliquid speculatur: & in bona voluntate tua fac ei vt ego semper tuam habeam bonam & faciam voluntatem; & probem quæ sit *voluntas* tua *bona, beneplacens, & perfecta:* bona in se; placens in affectibus; beneplacens proficientibus, & perfecta perfectis & nihil ampliùs quærentibus. Et verè benigne Domine si mecum egeris sic benignè, maiora te dedisse mihi beneficia existimabo quàm si omnes præbendas & dignitates totius militantis Ecclesiæ mihi dares. Nam ipsa bona voluntas tua; si tu Deus meus (vt opto) dederis eam mihi; dictam meam Sion non permittet præ tedio dormitare: sed eam sic faciet iugiter super custodiam suam stare quod ipsa speculans spirituales hostes contra meam interiorem Ierusalem irruentes, & videns vrbem illam quam seruat, absque murorum virtutum ambitu patentem vndique & apertam; tacere non poterit propter pericula imminentia quæ videbit: quin mecum clamet in excelsis & dicat; benigne Domine, fac benignè in bona voluntate tua Sion.

B

C

Vt ædificentur muri Ierusalem. Illius scilicet interioris Ierusalem, quæ est anima mea. Hæc est enim illa: *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas*, pro qua supplico tibi animarum benignissimo Amatori. Scio enim quod benignus es Domine & placabilis super malitia, & quod benigna est misericordia tua Domine: & ideò fac benignè, & in bona voluntate tua: quam tua benignitas gratis & absque meis meritis mihi dabit vt ædificentur animæ meæ muri qui stabiliuntur principaliter & consurgunt de fide viua, spe certa, charitate non ficta: fac etiam vt & muri huius mundanæ Hierico, in me funditus destruantur, & nunquam de cætero reparentur; quoniam tu Domine, per Iosue, maledictionis sententiam protulisti in eos qui muros huius Hierico suscitarent. Ædificat enim diabolus muros istos de luto voluptatis, palea vanitatis, & latere cupiditatis. Per te ergo (Domine) muri istius Hierico destruantur in me, & ædificentur muri Ierusalem supradicti: quos nisi tu ipse ædificaueris, *in vanum laborauerunt qui* eos ædificare putant. Tu enim Domine solus es qui fidem quasi fundamentum murorum istorum infundis; Spem veluti parietem erigis; Charitatem, tanquam inexpugnabilia propugnacula quæ nunquam excidunt, construis & largiris. Et hic est inexpugnabilis ille murus, quem, per te (qui es ædificator & custos Ierusalem ciuitas supernæ) ædificari desiderant desideria cordis mei, & clamans, *muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine & armis tuæ potentiæ protege nos semper.* Et hoc est Domine Deus meus pernecessarium mihi; vt in me ædifices dictos muros: Nam antequam ædificati fuerint, gratum nõ accipies de manibus meis quicquam. Sed ædificatis firmiter in mea interiori Ierusalem dictis muris; *Tunc acceptabis*: Quia, antè, acceptabile non habebis; *Sacrificium iustitiæ:* In quo meipsum puniens, tibi per pœnitentiam victimabo. Quid enim iustius quã vt meis irascar iniquitatibus & peccatis

D

E

Rom.12.a.
Iosu.6.d.
Psalm.126.a.

opera iustitiæ faciam per pœnitentiam & lamentum? Et verè iustum est vt de veteri vita mea in nouam transeam A vitam; vt extincto Veteri homine per pœnitentiam, in reipso sacrificium iustitiæ secundùm regenerationem Noui hominis tibi sacrificem Domino Deo meo. Acceptabis etiam, *Oblationes*. Eleemosynarum, tibi (domine) à me, per manus pauperum oblatatum; qui reputas tibi specialiter esse factum, quod vni ex minimis quorum Angeli semper faciem Patris vident: à me collatum fuerit vel oblatum, dummodò non fiat hæc oblatio de iniquo: Hoc est, de malè acquisito, vel malè retēto. Quia tu Deus qui ad Cain & eius munera respicere noluisti eò quod tibi praua munera offerebat; non respicis in oblationibus iniquorũ, sed illas oblationes dignas te reputas & acceptas quæ fiunt de substantia illa bona cuius non est peccatum in conscientia. Et has à me oblationes per sapientē requiris, dicens; *Fili, si habes, benefac tecum et Deo dignas offer oblationes.* Tunc etiam acceptabis: *Et Holocausta*: Mea scilicet, hoc est, non solū de meo, sed de me toto facta: Ita quoq; spiritus dolore, & corpus laborē afficiatur, & omnia mea interiora & exteriora, igne charitatis inflāmentur pariter & crementur. Nā hæc illa esse intelligo Holocausta de quibus tu Domine mihi dicis, *Holocausta autem tua in cōspectu meo sunt semper* beneplacita & accepta. Postquā etiam in me ædificati fuerint dicti muri; *Tunc* Cum auxilio Angelorum & consilio Prælatorum quos vnà cum prædicta Sion super dictos muros constitui vigiles & custodes, omnes animæ meæ vires, *Imponēt super altare tuum*: Scilicet cor meum, quod est altare tuū & meum, quod tu qui es summus Pontifex futurorum bonorum, tibi vis singulariter dedicari: & in C quo quicquid boni, deuotionis, & internæ dulcedinis habeo, à te accipio & tibi offero, & tu mihi. De quo altari sapientia tua dicit; *Oblatio iusti impinguat altare.* Hoc est altare quòd Noë tibi ædificauit spiritualiter in seipso, tollénsque de cunctis suis pecoribus, scilicet corporalibus, & de volucribus spiritualibus purificatis & mundis super illud altare tibi obtulit holocaustum. Hæc est area Templi sancti tui quod sum ego; iuxta quam stat *angelus* ad custodiam deputatus, *Habēs thuribulum aureum in manu sua*, vt cum incenso multo orationes coram te Domine fusas cum lachrymis, repræsentet, hoc est, *altare concauum* & inane; à cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum; quod tibi fieri mandauisti ad reponendum cineres memoriæ nostræ mortis. De hoc altari, amabilis amice (cu- D ius dicere, est facere) tu dixisti vt ignis amoris tui semper in hoc altari arderet; quem nutriret sacerdos subijciens per singulos dies, ligna. Desiderate cordis mei, qui *ignem* istum *in terram mittere*, vt arderet, venisti; veni, & in hoc altari cordis mei, tui amoris ignem accende. O summe *sacerdos in æternū, et pontifex futurorum bonorū veni.* Et ad nutriendum ignem istum ne deficiat in Sion, donec fiat caminus in illa quæ sursum est Ierusalem mater nostra, subijce ligna incentiua ac nutrientia ignem istum. Primùm videlicet temetipsum qui es, iis qui te apprehenderunt, lignum vitæ: lignum (inquam) vitæ positum in medio paradisi; vt ex omni parte currentes ad te, possint te apprehendere vitam suam & vitarum vitam: lignum etiam vitæ proferēs per singulos menses nostrorum defectuum, fructus suos, exercitatis per disciplinam, dul- E cissimos, pacatissimos, & suaues quibus sanctorum animæ reficiuntur sine fastidio & fruuntur. Secundùm lignum subijce viuificæ tuæ Crucis, quod est illud dulce lignum per quod aquæ amaræ in dulcedinem sunt conuersæ: lignum benedictum, per quod factum est iustitia de Maligno: lignum exiguum cui fideles homines suas animas cōmiserunt, cōmisi & ego meā quia fidele inuētum est in Cōmisso; eò quod saluæ factæ sunt omnes salnatæ animæ per hoc lignum. Hæc verè sunt duo ligna in altari cordis mei, nutrientia tui amoris ignem saluificū. Tu ergo solus sine peccati macula sacerdos, in altari cordis mei per singulos dies subijce ligna ista *vt & ego inde faciam, mihi & filio*; hoc est, affectui meo; panem vitæ & intellectus, vt comedamus & moriamur, vt videamus & cognoscamus *te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum*, Super hoc altare imponent omnes animæ meæ vires; *Vitulos*, Orationum & laudum, gratiarum actionum & benedictionum, charitatis & honoris, fortitudinis & virtutis. Et sic reddam tibi quamdiù fuero, meorum vitulos labiorum, à iugo peccati liberatos tua gratia & solutos. Et quia tu es dominus virtutum, rex meus & Deus meus qui & alia altaria adhuc habes, suppliciter omnipotentiam tuam rogo vt iubeas hæc omnia ante dicta (videlicet sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta & vitulos) super altare cordis mei imposita, perferri per manum sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vbi est iugis laus, vbi beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te: ad quorum consortium nos faciat peruenire Christus Iesus Filius tuus Dominus noster qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Denique quia te Domine faciente (qui omnia benefacis) inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac, inde fit *Gloria Patri*, Ingenito; patri futuri sæculi, patri pauperum, patri orphanorum, patri misericordiarum, patri spirituum, patri luminum, patri sancto, qui *proprio Filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Hic verè & solus est pater noster, à sæculo nomen eius. Attende ergo pater & Domine, attende de cœlo & habitaculo sancto tuo & de solio gloriæ tuæ, & vide & *visita vineā* animæ meæ quæ in baptismo plasmasti vbi est Domine zelus tuus & fortitudo tua qui me nō retrahūt violēter & pœnitus à peccato? Heu mihi Domine, multitudo viscerum tuorum continuerunt super me. Quare me errare permisisti de vijs tuis, Indurasti cor meum ne timeret te? Et nunc Domine, pater noster es, nos omnes, lutū, factor noster es, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatum meatū: ecce enim omnia desiderabilia mea versa sunt in ruinas. Nūquid super ijs continebis te Domine, tacebis & affliges me vehementer? Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, sed propter tuam inestabilem pietatem fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Cuius rei gratia flecto genua mea ad te patrem Domini mei Iesu Christi, à quo in cœlo & in terra omnis paternitas nominatur: vt des mihi secundùm diuitias gloriæ tuæ constantiam & virtutē, corroborari per Spiritum sanctū tuū in interiore homine, & potestatem habitare in corde meo per fidē quæ per dilectionem tibi beneplacita operetur. Tibi autem Patri qui potens es omnia nobis facere abundanter plus quàm petimus vel intelligimus, sit gloria in Christo & in Ecclesia & in omnes generationes sæculi sæculorum. *Et Filio*, Tuo vnigenito cuius gloriam vidimus, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Et cum Deum videtit nemo vnquam: ipse tamen vidit eum vnigenitus Filius qui est in sinu Patris. In quē ego ex toto corde meo firmiter credo & simpliciter cōfiteor: nā qui non credit in eum, iam iudicatus est quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. In hoc enim apparuit charitas Dei in nobis quoniā Filium suum vnigenitum misit Deus in Mundum vt viuamus per eum qui fuit obediens Patri vsque ad mortem Crucis. Tu ergo Fili Dei viui vnigenite, redemptor mundi Deus, miserere mei. Tibi enim dedit Deus Pater potestatem omne iudicium facere. Sed supplico tibi, vt priùs mihi peccata mea dimittas quàm ad iudicandum me venias, & tunc, sic *Iudica me Deus*, vt discernas & separes animæ meæ *causam de gente non sancta*. Tu es enim quem Deus Pater ante Luciferum in cœlis genuit vnigenitum, & beata Virgo Maria fœlix mater tua in terris peperit primogenitum, post quem, nullum. In cuius natiuitate subitò facta est multitudo cœlestis exercitus laudantium & dicentium, Deo gloria in excelsis. *Et Spiritui sancto*, Non facto, non creato, non genito, sed à Patre & Filio procedenti; qui ferebatur in principio super aquas, Qui est Deus spirituum omnis carnis, qui

Marginalia (left): Eleemosyna ex male Parto Deo ingrata. Gen. 4. a. — Eccl. 14. b. — Isa. 62. b. — 2. Reg. 24. c. — Exo. 38. a. — 3. Reg. 17. b.

Marginalia (right): Ioh. 17. a. — Rom. 8. f. — Psal. 79. c. — Luc. 15. — Psal. 42. a.

qui locutus est per prophetas; qui est spiritus sapientiæ, intelligentiæ & salutis, qui repleuit Orbem terrarum; qui nos facit gemitibus postulare; qui discipulos Dei & Domini nostri Iesu Christi, seipso repleuit & in linguis igneis apparuit super eos eos. O spiritus sancte Deus qui es ignis non consumens sed lucens, non comburens sed vrens; vre renes meos & cor meum vt tibi casto corpore seruiam & placeam mundo corde. O ignis diuine qui amor es afficiens & ardor indeficiens, charitas Deus meus, accende me; quis mihi det vt venias in cor meum & inebries illud, & obliuiscar omnia mala mea, & amplectar vnum & summum bonum meum quod tu es? mihi Domine miserere, vt loquar cum sim puluis & cinis. Quis enim sum ego vt amari, à me, te iubeas, & nisi faciam irascaris mihi & mineris ingentes miserias? Parua ne est miseria mea si non amem te? O amator Deus meus qui promittis mihi multa bona si amen te; da te solum, & sufficit mihi da quod iubes, & iube quod vis: amore amoris tui hæc peto à te; qui es Spiritus super mel dulcis. Tibi ergo Patri & Filio & Spiritui sancto, trino & vni Deo, magno immenso, æterno, omnipotentissimo, & excelso, sit de oratione hac, gloria & iubilatio, laus & gratiarum actio; honor & imperium sempiternum. *Sicut erat in principio.* Immo ante principium; quia priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, à sæculo & in sæculum tu es Deus superlaudabilis & gloriosus in omnibus sæculis. *Et nunc.* Et iam præsenti clarificatus es in nobis qui semper in te claritate quam habuisti antequam Mundus fieret, apud te. Et ex illa claritate qua in me per fidem coruscasti, & splenduisti, radiasti, tibi sit gloria; quia in hoc præsenti nunc, cupio sequi te in toto corde, & timere te, & quærere faciem tuam. Ne confundas me ab expectatione mea; sed fac mecum secundum mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ: & erue me de fornace peccati, in mirabilibus tuis: & da nunc nunc gloriã nomini tuo, quia tu es Dominus Deus solus gloriosus super Orbem terrarum. *Et semper.* Quia omnis sapientia à Domino Deo est, & fuit semper, & est ante æuum. Sempiterna quoque est virtus tua atque diuinitas; quæ cum me possit dare in opprobrium sempiternum, imploro tuam omnipotentiam sempiternã vt mihi concedas potiùs gaudia sempiterna. Tu es enim Deus sempiternus, qui creasti terminos terræ, qui nec incipis nec desinis, sed est tibi gloria. *Et in sæcula sæculorum.* O rex sæculorum, immortalis, inuisibilis; quod ætates elapsæ sunt; quod sæcula transierunt & quod futura sunt; mutabis ea, & mutabuntur: Tu autem qui dixisti ego sum qui sum; idem ipse es in æternum, immutabilis & omnipotens apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Licet enim omia sint ex te & per te & in te; non tamen sunt quod tu es, qui es mutans non mutatus, faciens non factus, mouens sed manens. Et cum beatus Apostolus tuus dicat quod nos sumus, *in quos fines sæculorum deuenerunt*, (1. Cor. 10. c.)

A æternitati tuæ supplico Deus meus, vt in me sic digneris implere Apostolicum istud verbum, vt sæculum vel sæcularitas qui me Canonicum vel Monachum adeò facit sæcularem quod hoc adiectiuum totum suum in me absorbet & destruit substantiuum, in me taliter finiatur quod de cætero negotia sæcularia me non trahant: sed exemptum à iurisdictione sæculi huius nequam, ad illa infinita sæcula me facias cogitare: & postea cum viuis & confessionem dantibus peruenire: quæ sunt partes Sæculi sancti, & sæcula sæculorum. Didici enim Domine quod illud sæcula sæculorum, à Latino Interprete ponitur pro æterno: & quod repetitio dicentis *sæcula sæculorum*, ad æterna transmittit animum cogitantis: (Psal. 83. b.) & hæc sunt illa æterna immortalia Infinita sæcula sæculorum quæ Iusti post ista sæcula præsentia &

B mutabilia immutabiliter consequentur. In quibus sæculis sæculorum, tibi Factori Sæculi, sit gloria sempiterna. *Amen.*

O Deus Hæbreorum, scire me voluisti quod, *amen*, nec Græcum est nec Latinum, sed est Hebræum: & propter sui excellentiam translatum non fuit ab interpretibus vel mutatum, vt nomen tuum quod est mirabile & immutabile designaret, vnde tres significationes hoc vocabulum habere voluisti. Nam quandoque *amen* accipitur nominaliter & est nomen, & significat sanctum & terribile nomen tuum, vt cum in Apocalypsi legitur. *Hæc dicit amen testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei.* (Apoc. 3. c.) A te ergo Domino Deo meo qui solus hoc nomine designaris, ex totius cordis mei affectibus postulo & requiro vt propter reuerentiam huius nominis sancti tui, nomen meum in libro vitæ rescribas: & cum illis qui

C custodierunt Sabbata tua & elegerunt quod voluisti & tenuerunt fœdus tuum, des mihi in domo tua & in muris tuis locum, & nomen melius à filijs & filiabus & nomen sempiternum quod cætero non peribit. Secundò accipitur *amen*, aduerbialiter, vt cùm tu Deus meus quoniam in terris visus & cum hominibus conuersatus es, veritatem aliquam asserere voluisti pluries adiunxisti, *Amen dico vobis*: (Matth. 5.) hoc est, verè vel veraciter seu infallibiliter dico vobis quod ita est sicut dico. (Ioh. 1.) Et nonnumquam, *amen amen* ingeminasti, vt ipsa ingeminatio, maior esset expressio veritatis: vnde tu qui es chara veritas quæ non fallit, exoro suppliciter vt veritas tua semper in corde meo refulgeat, & omnis mundana & diabolica falsitas destruatur. (1. Cor. 14. a.) Tertiò, *amen*, accipitur verbaliter, & est verbum, vt cum in orationibus optatiuis: (Psal. 40. a. 7. b. c. 5.) *amen*, hoc est, *fiat*, ab optantibus & desiderantibus quod petitur

D respondetur quod & Psalmista in fine quorundam Psalmorum ingeminasse legitur, vbi dicitur *fiat*, *fiat*. Et in hoc sensu, in fine prædictæ orationis, mea vota & desideria continentis, dico *amen*; hoc est, ita fiat, vt videlicet tibi Patri & Filio & Spiritui sancto, trino & vni Deo, sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

DE SALONIO ET VERANIO; EX S. EVCHERII LVGDVNENSIS GALLIARVM EPISCOPI EPISTOLA DEDICATORIA, 2. LIBRORVM DE INstructionibus siue quæstionibus difficilioribus veteris & noui Testamenti, ad Salonium: Item etiam ex Saluiano, per M. D. L. B.

DIgnum est quacunque cura mea ingenium tuum remunerari qui vixdum 10. *natus annos Eremum ingressus, inter illas sanctorum manus non solum imbutus verùm etiam enutritus es sub Honorato patre, illo inquam primùm Insularum, posteà, etiam Ecclesiarum Magistro; cùm te illic beatissimi Hilarij tunc Insulani tyronis sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritualium rerum disciplinas; ad hoc etiam te posteà consummantibus sanctis viris Saluiano atque Vincentio, eloquentia pariter scientiâque præminentibus. His igitur tot ac talibus vsus magistris, &c.* Hactenus sanctus Eucherius; Qui cùm Veranio item filio in Christo, Librum Formularum intelligentiæ spiritualis pro studio paternæ erga illum solicitudinis composuisset ac misisset, Saluianus in ea Epistola quæ ad finem illorum S. Eucherij librorum habetur; *admirandissimos illos iuuenes (sic enim Salonium & Veranium appellabat) multis ac magnis laudibus prosequitur, & esse magistros Ecclesiarum iam cœpisse ait: Vide itaque illam Saluiani Epistolam qui plura scire voles. Salonium fuisse Episcopum certum est; at fuisse Viennensem Episcopum magnis argumentis in dubium reuocat Baronius Tom. 6. Annal. anno 441. Cap. 12.*

SALONII VIENNENSIS GALLIARVM EPISCOPI OPVSCVLA. SALONII, GALLIARVM EPISCOPI, VIENNENSIS in parabolas, Salomoniis, Explicatio mystica, Interloquutores.

VERANIVS, ET SALONIVS.

VERANIVS.] Parabolæ qua lingua dicuntur? S. Græca: Latina verò interpretantur, Similitudines. V. Quare Salomon huic libro nomen istud imposuit? S. Vt per hoc demonstraret quia non iuxta literam, sed aliter & spiritualiter intelligere debemus, quod dicit. V. Quid significat Salomon quod per Parabolas locutus est? S. Dominũ Iesum Christum qui per Parabolas locuturus erat turbis Iudæorum: Nam & ipso nomine suo, eundem Dominum Iesum Christum significat. V. Quomodò ergo interpretatur Salomon? S. Pacificus, siue amabilis: Significat autem illum de quo dicit Apostolus; *Christus pax nostra, qui fecit vtrâque vnum:* Et item, *Pacificans per sanguinem suum, siue quæ in cælis sunt siue quæ in terris.* Item quod Salomon, amabilis interpretatur; aptissimè illum significat cui loquitur Pater dicens; *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* V. Quid significat ipso pacifico regni sui statu? S. Perenne Christi & Ecclesiæ regnum de quo scriptum est; *Et regni eius non erit finis.*

[Eph. 2. Col. 1. c. — Matth. 3. d. Luc. 1. c.]

V. Quare iuxta LXX. Interpretũ translationem, hæc dicta Salomonis, non Parabolæ sed Prouerbia nominantur? S. Sicut Parabolæ dicuntur, quia occulta sunt & secreta mysteria significant; sic & Prouerbia congruè vocantur quia talia sunt quæ sæpiùs in ore Fidelium versari & memoriæ commendari ac retineri debeant. V. Quid vtilitatis Parabolæ Salomonis tribuunt? S. Sapientiam videlicet & disciplinam; & hoc est quod ait: *Ad discendam sapientiam & disciplinam:* V. Quid distat inter sapientiam & disciplinam? S. Sapientia, est Diuinarum rerum cognitio; Disciplina verò, est sanctæ & puræ vitæ conuersatio. V. Quid est ergo discere sapientiam? S. Scire & intelligere, quomodò rectè credere debeas. V. Quid est discere disciplinam? S. Cognoscere, qualiter vnumquemque oporteat viuere, & quid operando conueniat agere, & quò debeat intentionem cordis dirigere. Sequitur; *Timor Domini principium sapientiæ.* V. Quot sunt timores Domini? S. Duo, hoc est, seruilis & sanctus. V. Seruilis quare dicitur? S. Quia veluti serui Domino seruimus timore Gehennæ, ne ad tormẽta ducamur. V. Sanctus timor quare dicitur? S. Quia sicut bonus filius timet, ne vel in modico offendat oculos amantissimi Patris; sic & qui perfecti sunt in Ecclesia, timent, ne peccãdo offendãt oculos Dei. V. quis ex illis duobus sapientior? S. Seruilis: quia quicunq; sapere incipit, hoc est, post peccata se cognoscit errasse; primò, diuino timore corripitur ne ad tormẽta trahatur. V. Timor verò sanctus quid operatur? S. Auget sapientiã, quoniã *perfecta Charitas foras mittit timorem* illum seruilem; *Timor* verò *sanctus permanet in sæculum sæculi.* V. Quid est quod Salomon dicit; *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum?* Nunquid nõ solent aues sæpè retibus capi? S. Solẽt vtiq;. V. Qui sunt ergo isti pennati? S. Sancti & electi viri, qui habent pennas fidei, spei & charitatis, cæterarúmque virtutum quibus ad cœlestia contemplanda volant: habent & spiritales oculos quibus & insidias Hostis antiqui præuident, & peccata præcauent. Frustrà ergo; id est, in vanum; iacitur rete ante oculos pennatorum, id est, Laqueus insidiarum Diaboli obijcitur sanctis & electis viris, quia facilè in terra superare possunt insidias Diaboli, qui suã conuersationem habent in cœlis: V. Quæ est sapientia de qua dicit Salomon, *Sapientia foris prædicat, in plateis dedit vocem suam?* S. Christi Iesu qui est Dei virtus & Dei sapiẽtia, sicut dicit Apostolus. V. Hæc ergo sapiẽtia quomodò foris prædicat? S. Intus prædicauit; id est, in secreto, antequam pateretur, quia paucis (id est, solis Discipulis) mysteria suæ diuinitatis ostẽdit: post resurrectionem verò suam, foris prædicauit, quia misso desuper Spiritu sancto, apertè se per Apostolos, quòd Dei Filius esset, Mundo declarauit. V. Quomodò in plateis dedit vocẽ suam? S. Quia quæ antè in secreto & in occulto, & in vno tantũ Iudæorum populo docuerat; posteà in latitudine plebiũ, & corã omnibus gentibus manifestè prædicat per Apostolos; iuxta hoc quod eis præcepit, dicens:

[Prouer. 1. a. — De Timore seruili, & filiali. — 1 Ioh. 4. d. Psalm. 18. c. Prou. 1. a.]

Quæ

Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; hoc est, in manifesto; *& quæ in aure auditis, prædicate super tecta*; id est, apertè & coram omnibus. V. Quid est quod ait; *In capite turbarum clamitat*? S. Per caput designantur principes Iudæorum. In capite turbarum clamitabat, quia principibus Iudæorum, homicidium quod in eum patrauerant, palã per Apostolos ad memoriam reducebat, & eosdem ad pœnitentiæ remedium vocabat. V. Quomodò intelligendum est quod sequitur: *In foribus portarum vrbis profert verba sua*? S. Per Vrbem, sancta designatur Ecclesia, congregata de vtroque populo; Iudæorum videlicet & Gẽtium. Foras portarum huius vrbis, sancti Doctores fuerunt qui verbum Euangelij prædicando, credentes in eam introduxerunt. Sapientia ergo in foribus portarum vrbis verba sua proferebat, quando Christus in Apostolis suis loquebatur. V. Quid est quod ait, *Inclina cor tuum ad intelligendam prudentiam*? Quomodò potest homo inclinare cor? S. Ille inclinat cor suum ad cognoscendam prudentiam, qui humiliat se & emundat animum suum à peccatis, vt dignus fiat ad percipienda mysteria Diuinitatis. V. Quid est quod dicit; *Ne innitaris sapientiæ tuæ*? Quis enim innititur sapientiæ? S. Ille, qui sua sapientia aut suis viribus cõfidit se posse implere diuina mandata. V. Ecce iterum dicit; *Ne sis sapiens apud temetipsum*. Quis enim est sapiens apud semetipsum? S. Ille certè qui se prę cæteris quasi doctor extollit, & iactat de his quę ex dictis Patrum rectè cognoscere ac intelligere potuit. V. Quæ est sapientia vera hominis? S. Timere Dominum & recedere à malo; & hoc est quod mox sequitur: *Time dominum & recede à malo*. V. Vnde scis, quod hæc vera sapientia hominis? S. Quia in libro Iob scriptum est, *Ecce timor Domini ipse est sapientia, Et recedere à malo, intelligentia*. V. Quis ille homo de quo Salomon dicit; *Beatus homo qui inuenit sapientiam*? S. Christianus fidelis & catholicus. V. Quando iste inuenit sapiẽtiam? S. Cùm doctrinam veritatis; id est, Euangelij, corpore simul & corde percipit, & in Scripturis sanctis, Domini voluntatem studet cognoscere. V. Quandò affluit prudẽtia? S. Quãdo cum magno amore & sui Conditoris dilectione audit præcepta diuina, & opere studet implere. V. Quid est quod ait; *Viæ eius pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ*? Quæ sunt istæ viæ sapientiæ; aut quæ sunt semitæ eius? S. Viæ sapiẽtiæ sunt actiones Domini quas gessit in carne, siue doctrinæ ipsius quæ continentur in libris Euangelij; quæ viæ pulchræ sunt, quia diuinæ. Semitæ sapientiæ, sunt præcepta & mandata Domini, quæ ad pacem æternam: pacificæ; quia omnia præcepta Domini ad pacem æternam perducunt. V. De qua Lege, aut de quo consilio dicit Salomon, cùm ait; *Custodi legem atque consilium*? S. De Lege videlicet ac consilio sapientiæ Domini Iesu Christi. V. Quæ est lex sapientiæ? S. Lex sapientiæ est, quæ dicit: *Si vis ingredi ad vitam, serua mandata*; *id est, non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, &c. V. Quod est consilium sapientiæ? S. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. Quid est quod ait; *Abominatio Domini est omnis illusor*? Quis est illusor, S. Illusor est qui verba Dei peruersè intelligendo & docendo corrũpit. Illusor est, qui suos proximos simplices & pauperes, insultando contemnit. Illusor est, qui magna Dei promissa quasi parua despicit, & pœnam æternæ damnationis quasi tolerabilem spernit. Omnes hos tales abominatur Dominus; & cum simplicibus est sermocinatio eius, quia illos gratia cœlestis sapientiæ illuminat, quia nihil in se duplicatum habent. V. Quare Salomon dicit; *Et ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea*? Quomodò vnigenitus fuit coram matre sua, cũ præcessisset eum frater vterinus, sicut Scriptura sancta libri Regum, testatur. S. Verum est quia præcessit eum frater vterinus, sed ille mox mortuus est: quasi nunquã fuisset, sine nomine ab hac vita discessit, propterea se vnigenitum appellat. V. Quare dicit; *Ne declines ad dexteram neque ad sinistram*; Quis enim se ita continere poterit, vt corpus suum in dexteram partem aut in sinistram nõ declinet; S. Nemo; sed per dexteram designatur via bona, per sinistram via mala & reproba. Non prohibet ambulare in dextera via, sed declinare ad dexterã? V. Quis ergo declinat ad dexteram vel ad sinistram. S. Iustus declinat ad dexteram, qui de sua iniustitia & suis viribus præsumit: Iniustus declinat ad sinistrã, qui propter carnis fragilitatem saluari se posse desperat. Declinat ad dexteram, qui vult *plus sapere quàm oportet* sapere: Declinat ad sinistram, qui seruit stultitiæ? V. Cur ergo dicit paulò inferiùs; *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus*? S. Per vias quæ à dextris sunt, designantur sanctæ actiones & opera bona: Hæc enim nouit Dominus; id est, dirigit, & placent illi. Vnde & econtra in iudicio dicturus est Reprobis, *Non noui vos*: hoc est; non vos elegi, non enim mihi placetis, quia non vos video in luce mea non vos video in iustitia mea. V. Quid est quod dicit; *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli*. De quo honore dicit? aut quos vocat alienos? S. De honore dicit, quo factus est homo ad imaginem Dei: Alienos, dæmones appellat, & est sensus: Ne honorem tuum, quod ad imaginem Dei creatus es, malè viuendo subdas immundis Spiritibus. V. Quem appellat crudelem; aut de quibus annis dicit? S. Annos vocat spacia vitæ, Crudelem diabolum, & est sensus: Spacia vitæ, quæ tibi dedit Deus malè viuendo ne tradas diabolo. V. De qua cisterna docet Salomon bibere aquam, aut de quo puteo fluenta, cùm dicit; *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*? S. Cisternã vocat, Catholicam; id est, Veteris & Noui Testamenti doctrinam: puteum verò profunditatem & altitudinem eiusdem Catholicæ doctrinæ: aquam, scientiam: fluenta copiam & abundantiam scientiæ; id est, varios sacræ Scripturæ appellat intellectus: Docet enim his verbis, cauere à doctrina hæreticorum & attendere lectionibus sacrarum Scripturarum, & est sensus: *Bibe aquam de cisterna tua*; id est, serua & opere imple doctrinam quam alijs prædicatis. *Et fluenta putei tui*; id est, abundantiã sermonis tui seu scientiæ affluenter in te redundet operibus bonis. V. Quare dicit Salomon; *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*; cùm statim subiungat: *Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui*? Si fontes nostros foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus; quomodò soli eas habere possumus. S. Quãmuis in verbis sonare videatur, tamen nulla est contrarietas quia hæ sentẽtiæ non possunt nisi spiritualiter intelligi. Fontes ergo nostros foras deriuamus, cùm alijs vim prædicationis infundimus, cum verba sacræ Scripturæ alijs annunciamus In plateis aquas diuidimus, cum populis prædicamus. Platea námque dicta est à latitudine; est enim græcus sermo. In plateis ergo aquas diuidimus, quando in multitudine Auditorum, verba scientiæ dilatamus, & iuxta vniuscuiusque qualitatem diuina eloquia dispensamus. V. Si aquas in plateis diuidere debemus, quomodò ergo eas soli habere possumus? S. Aquas in plateis diuidimus, quando alijs verba diuina latè prædicamus, & tamen soli aquas habemus, quia de ipsa prædicatione humanas laudes non quærimus. V. Quid est quod dicit: *Ne sint alien. participes tui*. S. Alienos vocat dæmones, de quibus dixit Psalmista: *Alieni insurrexerunt super me, et fortes quæsi animam meam*, &c. Tunc enim malignos, id est, immundos spiritus in prædicatione participes & socios nobis facimus, quando per superbiam intumescimus, & de prædicatione nostra inanem gloriam desideramus. V. De quo homine dicit Salomõ; *Nam Apostata vir inutilis graditur ore peruerso*? S. Apostatam hominẽ appellat schismaticum, qui laborat scindere vnitatẽ Ecclesiæ. V. Qua lingua dicitur apostata? S. Græca; quod interpretatur in Latino sermone, refuga & recedens à veritate. V. Quare ergo schismaticus dicitur apostata? S. Quia more superbientis Angeli, intùs priùs intumescit & cadit à mentis suæ statu, quia sic ab amore sui Cõditoris & à veritate recedit: Nisi enim priùs à veritate recederet, in Ecclesia iniustitiã nõ disseminaret. V. Cur ergo de illo dicitur; *Annuit oculis, terit pede, digito lo-*

PROV. CAP. 2. Cordis flexus.

PROV. CAP. 3.

Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Illusor, proprie quis sit.

PROV. CAP. 4.

2. Reg. 12.

Dextera vel sinistra quæ sit, mysticè.

Ro. 12. a.

Matt. 7.

PROV. CAP. 5.

Psal. 53.

PROV. CAP. 6.

Schismaticorum ingenia.

quitur? S. Interior mentis custodia, quæ membra exteriùs seruat ordinata: hîc ergo apostata quia statum & custodiam perdidit, idcircò dominica membra exteriora habet ex motre, & tulit inordinata. V. Quid est quod de Lege sua dicit; *Liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui?* Quis enim Legem in digitis ligare potest? aut si fecerit, quæ vtilitas erit? S. In digitis dicit; id est, in actibus: Legem enim in digitis ligat, quicunque in bonis operibus eã studet implere & exornare. In tabulis cordis, dicit; id est, in latitudine cogitationis. Scribit ergo Legem in tabulis cordis sui, qui eam cum gaudio suscipit & memoriæ commendat. V. Quid est quod sapientia dicit; *Per me Reges regnant, & conditores Legum iusta decernunt; Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* S. Christus Dei virtus & Dei sapiẽtia. V. Nunquid Christus omnibus tyrannis impijs & principibus dat regnũ & imperium? S. Non vtique, verumtamen ipso permittente, impij Reges & principes suscipiunt regna vel imperia, quia scriptum est in libro Iob; *Permittit regnare hypocritam propter peccata populi.* Sed in hoc loco, Reges, sanctos dicit Apostolos qui primùm semetipsos deinde Ecclesiam sibi commissam, fideliter regere nouerunt. Siue Reges appellat omnes sanctos, qui seipsos & alios bene regere sciunt. V. Quos appellat conditores Legum. S. Vtriusque Testamenti Scriptores. V. Quos vocat principes & potentes? S. Cæteros Doctores & rectores Fidelium: Omnes enim isti per sapientiam Dei Patris habuerunt regnum, principatum & imperium; id est, per Christum acceperunt vt aliquid boni essent, vnde ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere.* V. Quid est quod sapientia dicit; *Delectabar per singulos dies ludens coram eo*; id est, coram patre omni tempore ludens in Orbe terrarum. V. Nunquid Sapientia; id est, Dei Filius; pueriliter ludebat coram Patre? S. Absit: Sed quod dicit, *ludens*, intelligendum est, gaudens. Ludebat enim per singulos dies; id est, gaudebat se esse vnum; id est, vnius substantiæ cũ Patre, à principio, ex diebus æternitatis. V. Quomodò ludebat omni tempore in Orbe terrarum. S. Quia cùm tempora, Orbis, & creaturæ esse cœpissent; ipse Filius gaudebat, quia ipse quod erat, semper in Patre manebat. V. Quid est quod ait; *Sapientia ædificauit sibi domum*, & quam domum ędificauit sibi Sapientia, id est, Dei filius, ædificauit sibi domum, qui ipse creauit hominem in vtero Virginis, quem in vnitate suæ Personæ assumpsit. V. Quomodò excidit columnas septem. S. Septem columnas excidit, quia per septiformem gratiam Spiritus sancti erexit Ecclesias per Orbem terrarum, quæ sicut columnæ sustentando contineant memoriam eius; id est, mysterium Incarnationis ipsius. V. Potest aliter intelligi. S. Verè potest: Sapientiæ domus, Ecclesia Christi est; Columnæ autem domus huius, sancti Doctores; quæ columnæ bene esse septem dicuntur, quia sancti Doctores repleti sunt septiformi gratia sancti Spiritus. V. Quomodò ergo excidit Sapientia has columnas? S. Excidit Columnas, quia mentes prædicatorum ab amore præsentis sæculi separauit, & erexit eos ad portandam eiusdem Ecclesiæ fabricam. V. De quibus Ancillis dicit paulò inferiùs: *Misit Ancillas suas vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis?* S. Ancillas vocat sanctos Apostolos. V. Quare vocat, eos, ancillas? S. Propter insipientiam, infirmitatem, & paupertatem; idiotas enim, infirmos, pauperes & despectos elegit Apostolos, quos ad prædicandum misit in Mundum vt fideles populos vocarent ad arcem æternæ beatitudinis & ad mœnia cœlestis Ierusalem. V. Quis est *filius sapiẽs* qui *lætificat Patrem*; aut qui est *filius stultus* qui *mœstitia est matris suæ?* S. Ille qui accepta fidei ac Baptismatis mysteria bene seruat & opere implet, filius sapiens est: ille proculdubio lætificat Deum Patrem: qui verò accepta fidei ac Baptismatis sacramenta, malis operibus vel hæretica prauitate corrumpit, filius stultus est; hic nimirùm est mœstitia matri suæ, videlicet Ecclesiæ; quia contristat eam. V. Quid est quod ait; *Stultus labijs verberabitur*; Quomodò potest homo stultus

Prov. cap. 3.6.

Permittitur Deo regnare impij principes.

Iob. 34.

Iob. 15.4.

Prov. cap. 9. Christus assumpsit hominem in vnitate Personæ.

Prov. cap. 10.

A labijs verberari? S. Verberatio in hoc loco, damnationem significat. Stultus ergo labijs verberabitur, quia propter verba iniqua & mala quæ locutus est, condemnabitur. Vnde & alibi dicit * Moses, *Et vita in manibus linguæ, quoniam vnusquisque aut ex verbis suis condemnabitur, aut ex verbis suis iustificabitur.* V. Cur dicitur habere manus, lingua; cùm manus habere non possit? S. Metaphoricè dictum est; id est per translationem; quemadmodũ Venti dicuntur habere pennas: Manus enim linguæ, ipsa verba sunt quibus aut bona loquẽdo meretur vitam, aut mala loquendo meretur mortem: aliter per manus sæpè in Scripturis sacris opera designantur, vt illud, *Labores manuum tuarum quia manducabis.* In manibus linguæ, dicit, id est, in operibus: Opera enim linguæ; sunt colloquia bona vel mala, ex quibus mors nascitur aut vita.

B V. Quis ille piger, de quo dicitur; *Sicut acetum dentium, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum?* S. Piger est malè viuens Catholicus qui non laborat nec operatur vt ad æternam beatitudinem peruenire mereatur: Per acetum & fumum, hæreticorum designatur perfidia: Per oculos & dentes, Prædicatores sanctæ Ecclesiæ, qui bene oculi dicuntur, quia recta itinera præuident: Pulchrè etiam dentes, quoniam spiritualia alimenta Fidelibus ministrare solent. Ergo sicut acetum dentibus, & fumus oculis; id est, sicut perfidia hæreticorum est contraria bonis Doctoribus, quia contristat eos & molestiam illis gignit & lachrymas; sic piger; id est, Catholicus malus, grauis est eisdem bonis Doctoribus qui miserunt eum, hoc est, qui iusserunt vt fidem suam operibus impleret. Ideò etiam grauis est, quia fidẽ suam prauis

C operibus destruit. V. Quid est quod ait; *Manus in manu, non erit innocens malus?* Quomodò malus homo manus est in manu, & idcò non erit innocens? S. Qui manum iungit ad manum, nihil vtique operatur: malus ergo quàmdiù fuerit manus in manu, non erit innocens; quia etsi ad tempus subtrahit manus ab opere malo, tamen quandiù malus est, innocentiam cordis habere non potest, vnde superiùs dicit: *Abominabile est Domino cor prauũ.* V. Quid est ergo manus in manu? S. Conscientia praua in opere malo. V. Quomodò intelligendum est quod ait; *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua?* S. Quomodò circulum aureum si infixeris in naribus suis; id est, in naribus porci; ille dum pergit terram vertere ac fodere naso immergit circulum aureum in volutabrum luti, & tunc perdit circulus aureus decorem quem habuit: Si-

D militer mulier fatua, si habet pulchritudinem vultus, vel si accipiat ornamenta inaurium, monilium, simul & vestimentorum, sordidat pulchritudinem suam & amittit decorẽ si se cœno libidinis coïnquinare diligit, & adulterijs corrumpit. V. Spiritualiter autem quomodò intelligenda est hæc sententia? S. Quicunque sacras Scripturas intentè meditatur, & iugiter perscrutatur diuina eloquia, accipit ornamenta scientiæ: Quòd si malè viuendo corrumpit & destruit quod bene intelligit, circulum aureum habet in naribus; sed more porci, terram fodit, coïnquinat & luto immergit: quia ornamentum quod per notitiam Scripturarum adeptus erat immunda actione sordidauit, Talis Anima, est mulier pulchra & fatua: pulchra per scientiam, sed dedita carnalibus de-

E lectationibus, fatua est per actionem. V. Quid est quod dicit; *Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Plures namque sunt qui alios inebriant, sed ipsi nõ inebriantur. S. Non dicit hoc de corporali ebrietate, sed de spirituali Anima; quæ si benedicit, impinguabitur, quia quæcùnque exteriùs prædicando benedicit, spiritualem benedictionem accipit; id est, gratia spirituali augetur & crescit. Similiter qui sacro eloquio mentes auditorum studet inebriare, inebriatur & ipse, sanctique Spiritus infusione repletur. V. Quare non dixit; *homo*; sed, *anima quæ benedicit impinguabitur?* S. In Scripturis diuinis sæpiùs poni solet pars pro toto, aut totum pro parte, secundum speciem Grammaticæ artis, quæ dicitur Synechdoche: sic ergo in hoc loco, pars

Meliùs Salomon. Prov. 18. Matth. 12. Psa. 17.103. & alias in Scriptura, frequentissime. Psal 127. Prov. 10. vers. 26.

Hæreticorum perfidia contraria est bonis Doctoribus.

Prov. cap. 11.

Prov. 11.

Synechdoche frequens in Scripturis Iob 10. Prov. 11.

pars posita est pro toto homine. Totum verò ponitur pro parte, vt illud: *Tulerunt Dominum de monumento*: Dominum dicit, pro corpore Domini. V. Quis est ille, de quo dicit; *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis?* Nunquid propterea maledicendus est aliquis, quia nō in omnibus frumenta sua ministrat? S. Frumenta, verba sunt sanctæ prædicationis: ergo quicunque abscondit hæc frumenta; id est, verba sanctæ prædicationis apud se retinet & non vult annunciare alijs eloquia; iste *maledicetur in populis*, quia pro culpa silentij condemnabitur quoniam multis prodesse potuit; sed quia noluit, ideò pro multorum pœna iustò punietur. V. Qui sunt illi qui vendunt frumenta, de quibus mox sequitur; *Benedictio autem super capita vendentium?* S. Illi vendunt frumenta, qui verba vitæ & sanctæ prædicationis suis auditoribus annunciant. V. Quod precium accipiunt ab eis? S. Precium fidei, & confessionis sanctæ. V. Quomodò veniet benedictio super eorum capita? S. Quia singulis eorum dicturus est Dominus; *Euge serue bone & fidelis, quia; &c.* (Matth. 25.) V. Quid est quod ait; *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos?* Quomodò potest aliquis possidere vētos? S. Domum, in hoc loco, mētem appellat, in qua vnusquisque veluti in domo habitat per cogitationes: Ventos, immundos Spiritus appellat. Qui ergo domū, id est, mētem suam; malis & noxijs cogitationibus perturbare non timet, iste nimirum possidebit ventos, quia per malas cogitationes viam fecit Dæmonibus vt ingrediantur & habitent in ipso. Possidebit ventos; id est, dæmones ad condemnationem sui. V. Quomodò *mulier diligēs corona est viro suo, & putredo in ossibus eius quæ confusione res dignas gerit?* (Prov. Cap. 12.) S. Mulier bona & casta honorem viro suo præbet in omnibus; & quia diligit eum & bene regit domū ipsius, Corona illi est quia eius virtutibus addit gratiam, vnde coronatur à Domino: Adultera verò mulier, quāuis foris videatur speciosa, putredo tamē est in ossibus, quia intus fœtore luxuriæ suæ membra coïnquinat. V. Quomodò intelligendum est quod ait: *Melior pauper est & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigus pane.* S. Verè melior est frater idiota & simplex qui operatur bona quæ nouit, vnde vitam æternam mereatur habere in cœlis, quàm gloriosus, id est, clarus doctrina & eruditione Scripturarum, vel comptus Doctoris officio, qui indiget pane dilectionis, quia neque Dominum diligit neque proximum. Vel certè ideò pane indiget, quia non operatur quæ intelligit, aut docet. V. Quis est homo versutus qui cælat scientiam? Sic enim dicit: *Homo versutus cælat scientiam.* S. Versutus hoc loco in bona significatione ponitur, id est, sapiens & prudens, vir ergo versutus id est sapiens & prudens aliquando de industria cælat scientiam, duabus videlicet de causis: vna quia infirmis Auditoribus nō potest *loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus*, (1. Cor. 3.) id est, magna sacratum Scripturarum mysteria quæ nouit, non audet illis manifestare, ne fortè scandalizentur: altera, quia non vult *sanctum dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos.* (Matth. 7.) V. Quid est quod ait; *Vult & non vult piger?* (Prov. Cap. 13.) Si vult, quomodò ergo non vult; S. Per pigrum, ille designatur qui se non vult exercere in bonis operibus: Vult ergo regnare piger cum Deo, & nō vult laborare pro Deo, Vult peruenire ad beatitudinem, & tamen non vult præcepta Christi implere vt beatitudinem mereatur obtinere. Dè hoc enim Iacobus dicit; *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.* (Iac. 1.) V. De quibus operibus dicit; *Anima autem operantiū impinguabitur?* (Prov. 13.) S. De illis dicit, qui bona operantur, qui Domini studēt implere præcepta; illorum anima impinguabitur gratia spirituali, & dulcedine regni cœlestis. V. Quare impinguabitur anima qui illorum bona operantur. S. Quia post labores vitæ præsentis, immarcessibili mercede remunerabitur. V. Quis est nuncius impij, de quo dicit; *Nuncius impij cadit in malum?* S. Nuncius impij; id est, Angelus diaboli; Arrius fuit & Sabellius, cæterique hæretici Angeli satanæ: isti nimirum ceciderunt in malum, id est, æternæ Gehennæ tormentum. (Hæretici sunt Angeli satanæ.) V. Quis est legatus fidelis, de quo sequitur; *Legatus fidelis sanitas?* S. Legatus fidelis est vnusquisque Catholicus Prædicator & Doctor, qui sibi suisque auditoribus sanitatem & salutem acquirit æternam. (Prov. 14.) V. Quare dicit; *latebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum*; cùm in hac vita magis boni soleant iacere ante malos, & iusti ante portas iniquorū? S. In nouissimo Iudicio coronatis iustis, impij condemnabuntur, qui eos in præsenti vita affligebant, & idcircò dicit; *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum*; Attamen quod dicit; *ante bonos, & ante portas iustorum*; non ad vicinitatem loci pertinet, quoniam mali & boni non sibi erunt tunc vicini; sed pertinent ad visionem bonorum, quoniam boni semper videbunt tormenta malorum; vnde Deo liberatori suo maiores sine fine referant gratias. V. Quid est quod ait, *Pondus & statera iudicia sunt Domini, & opera eius omnes lapides sæculi?* (Prov. 16. Sap. 11. d.) Quomodò pondus & statera iudicia sunt Domini? S. Quia Dominus *omnia in pondere, & mensura, & numero* constituit. Pondus & statera iudicia Domini sunt, quia sicut ipse voluit, vnicuique mensuram fidei & gratiam Spiritus sancti distribuit. V. Quos appellat lapides sæculi? S. Iustos & fortes in fide: omnes enim lapides sæculi, id est, sancti & electi viri; opera sunt Domini, quia nemo sua virtute, nemo suo merito electus est à Domino, vt cœlesti ædificationi esset aptus, sed sola gratia & misericordia ipsius. V. Quid est quod dicit; *Corona senum, filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum?* (Prov. 17.) Si mali sunt filij filiorum quomodò sunt gloria in hoc loco, Patriarchas vocat & Prophetas quorum filij sunt sancti Apostoli: & filij filiorum, successores Apostolorum videlicet sancti Prædicatores. Omnes enim isti corona senum sunt; id est, Patriarcharum & Prophetarū; quia digna laude celebrant eos per quorum exempla & vaticinia ad cognitionem gratiæ peruenerunt. V. Quomodò patres sunt filiorū? S. Magna quippe est gloria Prædicatoribus Noui Testamenti, filij veterum Patrum; id est, Patriarcharum & Prophetarum; esse meruerunt. V. Quare dicit; *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*; Nunquid ille qui clausam aquam decurrere dimittit, iurgia concitat? aut nunquid non magis vinum quàm aqua iurgia concitare solet. S. Figuratè hoc dictum est: Nam per aquam designatur lingua leuis, & fluxa; & qui immodicè linguam suam relaxat, caput est iurgiorum; quia qui linguam suā non refrenat, iurgia & lites concitat & concordiam dissipat. V. Dic mihi, quæso, quomodò *in facie prudentis lucet sapientia*, sicut ait Salomon; *Oculi autem stultorum sunt in finibus terræ?* S. Prudens homo sæpè in ipsa vultus claritate faciei suæ, solet præmonstrare grauitatem sui sensus & claritatem intellectus: Stulti verò ad hanc imitandam & sectandam; videlicet grauitatem; oculos mentis non possunt attollere, sed tota admiratione perquirunt, qualiter ad finem (hoc est, ad impletionem carnalium voluptatum) pertingere valeant. V. Nunquid ita solummodò intelligere debemus? S. Specialiter hoc de Christo debemus dictum intelligere: In facie námque prudentis (videlicet Saluatoris) lucebat sapientia diuinitatis; quam ipse in carne apparens, virtutum & doctrinæ testimonio demonstrabat & confirmabat. Oculi verò stultorum (id est, Iudæorum non credentium) magis incendebantur terrenis desiderijs, quam salutaribus eius monitis atque doctrinis. V. Quid est hoc quod ait; *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei facit:* (Prov. 18.) Quod est hoc donum quod dilatat viam hominis, & quod ante principes facit illi spacium. S. Donum hoc, donum est charitatis siue aliarum virtutum quas à Domino fideles accipiunt: hoc videlicet donum hominis, dilatat viam eius; id est, actionem; quia vnusquisque Fidelis quantò amplius gratia sancti Spiritus intus repletur, tanto magis viam suam foris dilatat; id est, bonorū operum gressum multiplicat, quia quotidie in sanctis desiderijs & bonis operibus crescit & augetur. V. Hoc donum quomodò facit homini spatium ante Principes? S. Quia inter magnos Ecclesiæ rectores, in foro tri-

Prou. 19. & 26. buit illi culmen honoris, & gloriam æternæ beatitudinis. V. Quare dicit; *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam*? Quis enim est tam piger qui comedendo vel bibendo, manum ad os suum non applicet? S. Qui abscondit manum suam sub ascella, non vult vtique ad aliquod opus vel laborem extendere illam: ergo per pigrum designatur vnusquisque segnis & desidiosus Prædicator qui non vult opere implere quod dicit: Manũ quippe ad eos porrigit, qui studet opere implere quod docet. V. Quis est ille piger, de quo dicit;

Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei?* Quod si piger tempore frigoris arare noluerit, nunquid æstatis tempore, qui sibi aliquid tribuat inuenire non poterit? S. Sæpè namque pigri, & frigoris & æstatis tempore inueniunt qui sibi tribuant eleemosynam, Fideles: sed piger in hoc loco, illum significat qui propter desidiam & huius Mundi aduersitatem (quæ per frigus designatur) in Dei seruitio negligit laborare, & idcirco in futuro die Iudicij mendicabit, quia non habebit opera bona pro quibus mereatur accipere beatitudinem, quoniam *quicquid seminauerit homo, hoc & metet*. V. Cur ergo dies Iudicij & regnum Dei, æstati comparatur? S. Quia tunc omnia nostræ tristitiæ nubila transibunt; & vitæ illius dies, æterni Solis claritate fulgebit. V. De quo Rege dicit, *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*? S. De illo qui est Rex Regum & Dominus Dominantium, videlicet Domino Iesu Christo qui sedet in solio iudicij, quia *Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit Filio*. Ipse nimirùm dissipat omne malum intuitu suo, quia respectu potentiæ, omne malum, etiam secretarum cogitationum penetrabit, vt reddat vnicuique secundùm quod egit; vnde in Euangelio dicit: *Nihil est tam opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur*. Tunc iustis cum Domino coronatis, soli Reprobi pœnas subibunt æternas. V. Quid est quod ait; *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile apud Deum*. S. Pondus & pondus, mensuram & mensuram dicit, diuersum pondus & diuersam mensuram. Quantùm ergo ad literam; quicunque in domo sua varium habet pondus variámque mensuram, propter hoc vtique habet vt aliter libret metiatúrque sibi, atque aliter proximo, quod est vtique abominabile Domino; vnde in Lege Moysis Dominus præcepit, dicens: *Sit tibi æquus modius, iustúsque sextarius*. V. Quomodò autem spiritualiter intelligi debet? S. Ille in domo sua diuersum habet pondus & diuersam mensuram, qui semper in suis actibus quærit vnde ipse laudetur, & in aliorum actibus perscrutatur vnde ipsi vituperentur. Iste vtique talis abominabilis est Deo, qui nimirùm quantùm sibi placere desiderat, tantùm displicet Deo qui omnia cordis secreta rimatur. V. Quomodò intelligendum est quod ait; *Malum est malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur*? S. Secundum literam; solet emptor vituperare quod emere desiderat, & dicere; *Malum est malum est*; veruntamen si bene emerit, gloriabitur cum recesserit. V. Spiritualiter autem quomodò intelligis? S. Ille veraciter est emptor, qui sibi æterna in cœlis præmia comparare desiderat. Ipse nimirùm emere studet terrenis cœlestia, caducis mansura, temporalibus æterna. Talis ergo emptor, quicquid patitur in præsenti, malum esse dicit quia malum esse intelligit. Attamen quia omnia aduersa pro Deo patienter sustinet, cùm recesserit de Mundo, tunc gloriabitur quia perueniet ad beatitudinem. V. Item, quomodò intelligẽdum est quod paulò post dicit; *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit*? S. Hæreditas hæc acquisitio auaritiæ potest intelligi: ergo quicunque per auaritiæ nequitiam in hac vita sibi diuitias multiplicare desiderant, necesse est vt in futuro æternæ hæreditatis Beatitudinem amittant. Aliter: Quicunque pro bonis operibus humanam laudẽ quærere desiderant, in principio quasi hæreditatem festinant, ideóque, in nouissimo benedictione carebunt, quia nullam remunerationem percipient à Deo: de talibus enim scriptũ est, *Amẽ dico vobis, quia receperunt mercedem suam*. V. Quid est quod ait, *Ruina hominis est deuorare sanctos, & post vota tractare*, Quid est hoc, *deuorare sanctos*? S. Deuorare sanctos, est voto se obligare. Impij autem deuorabant sanctos, quãdo voto se obligabant vbi persequerentur Sanctos & occiderent eos, quemadmodùm quadraginta viri Iudæi, sicut in Actibus Apostolorum loquitur, *Deuouerunt se non manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum*. Et Pagani, vt sæpe legimus, Dijs suis deuouerunt sanguinem Christianorum. V. Quid est quod ait; *Et post vota tractare*; S. Post vota promissa tractare, est sanctos persequi & distrahere, & quasi vile mancipium contemnere. V. Quomodò ergo *ruina est hominis; deuorare sanctos, & post vota tractare*? S. Si enim peccatum est alicui homini nocere, multò magis peccatum est cum aliquis sanctos Dei persequitur, aut offendit, aut lædit, & idcircò ruina est illi qui persequendo sanctos, æternæ damnationis sibi præparat interitum. V. Quomodò intelligendum est quod ait; *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei*, Quarè dixit cor Regis tantùm esse in manu Dei; & non omnium hominum; cùm alibi scriptum sit: *In manu eius sunt omnes fines terræ*. Si omnes fines terræ in potestate Dei sunt & corda omnium hominum sunt in manu eius. S. Regem in hoc loco non illum debemus intelligere, qui Rex est solo nomine & temporaliter alijs imperat, sed vnumquemque virum sanctum, fidelem atque religiosum Christianum cuius milites sunt sacræ virtutes, & ipse vitiorum bella in in se bene vincere nouit. Sicut ergo Deus multifarijs diuisionibus aquarum, latè fines terrarum & aëris implet ita cor Regis quocunque voluerit, inclinabit, id est, ad quodcunque bonum voluerit, conuertet: quoniam sicut diuisiones gratiarum Angelis & hominibus iuxta voluntatem suam tribuit, ita corda Regum (id est, sanctorum) varijs donis replet, & diuersis ornat muneribus. V. Quid est quod ait; *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur*? Qui sunt isti Gigantes, in quorum cœtu morabitur qui errauerit à via doctrinæ? S. Gigantes appellauit immundos Spiritus; id est, dæmones; de quibus beatus Iob dicit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cùm eis*: id est, dæmones, & omnes quos ipsi deceperunt & qui illis consenserunt, sub pœnis torquentur. V. Quare dæmones appellantur Gigantes? S. Quia dæmones superbi & elati sunt, & mali ac fortes, sicut olim fuerunt Gigantes. In cœtu ergo istorum gigantum, id est, dæmonum; cõmorabuntur omnes qui errauerunt à via doctrinæ; id est, à via veritatis; quia simul cum dæmonibus torquebuntur in pœna æternæ damnationis. V. Quæ est ciuitas fortium, vel quis est sapiens de quo dicit; *Ciuitatem Fortium ascendit sapiens, & detraxit robur fiduciæ eius*? S. Ciuitatem appellat Mundum; fortes, dæmones. Mundus iste quondam ciuitas fortium erat, quia Idolorum cultui deditus, dæmonibus seruiebat, & fiduciam vitæ habebat in cultu eorum qui non sunt dij sed opera manuum hominum. V. Quis est ergo ille sapiens qui hanc ciuitatem Fortium ascendit? S. Ille Filius Virginis, Dei virtus, & Dei sapientia; qui tunc ciuitatem hanc ascendit, quãdo natus in carne, visibilis Mundo apparuit. Ipse nimirùm destruxit robur fiduciæ eius, quia subuertit & abstulit de Mundo cultum deorum, in quibus confidebant gentiles. V. Quid est quod ait prouerbium; *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*? Nunquid non multi recedunt à via sua mala quam ambulauerunt in adolescentia? S. Verè plurimi, inspirante diuina gratia, in senectute conuertuntur à vitijs quæ habuerunt in adolescentia; nec Salomon hoc fieri posse negat: sed frequentiùs hoc contingere solet, vt mores quos homo discit in adolescentia, non eos mutet in senectute, attamen non semper ita euenire confirmat: & idcirco ponit huiuscemodi prouerbium vt omnes admoneat, quatenus à prima ætate; virtutibus & bonis operibus studeant insudare, ne fortè in senectute non possint

Margin notes (left): Prou. 19. & 26. — Prou. 20. — Bonis Operibus beatitudinem mereri. — Gal. 6. b. — Iob. 5. — Luc. 12. — Prou. 20. & 21. — Leuit. 19. — Prou. 20.

Margin notes (right): Matth. 6. & 10. — Prou. 26. — Act. 23. — Prou. 21. — Psal. 94. — Prou. 21. — Iob. 26. — Prou. 21. — Prou. 22.

possint studia bonorum operum discere quæ neglexerint in tenera ætate. V. Quid est quod dicit; *Fouea profunda os alienæ?* quæ est hæc aliena, cuius os est magna fouea? S. Os alienæ dicit os meretricis: qui ergo verba meretricis libenter audit, & oscula eius delectabiliter suscipit, quasi ianuam pulsat profundæ foueæ, id est, inferni, & nisi citò se ab eius colloquio vel osculo subtrahat, deserente se Deo, illicò mergitur in foueā mortis: & hoc est quod dicit; *Cui iratus est Dominus, incidet in illā.* V. Quid est quod ait; *Appone cor ad doctrinam meam?* Et paulò pòst subiungit; *Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, vt ostēderem tibi firmitatem & eloquia veritatis?* Quomodò Tripliciter descripsit doctrinam suam & scientiam? aut quid est apponere, & intelligere doctrinam? S. Tripliciter verò doctrinam suam describit, qui vnicuique præcipit eam vt studeat implere cogitatione, locutione, & opere. V. De quibus terminis dicit; *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui?* S. Terminos antiquos dicit terminos veritatis & fidei; quos statuerunt ab initio, Catholici Doctores. Hoc ergo præcepit, vt veritatem sacræ fidei & Euangelicæ doctrinæ nemo aliter suscipiat quàm à sanctis Patribus est tradita. Siue hoc præcepit, vt eloquia sanctarū Scripturarū nemo aliter interpretetur, nisi iuxtà vniuscuiusq; scribētis intētionem. V. Quæ sunt opes illæ de quibus ille dicit; *Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia facient sibi pennas & volabunt in cælum?* Quas pennas sibi, opes, id est, diuitiæ seu copiæ, facere possunt? S. Opes istæ sunt arcana Diuinitatis, & secreta cœlestium mysteriorum, & est sensus: Ne erigas oculos tuæ mentis ad perscrutanda diuinitatis arcana, & mysteriorum cœlestium secreta quæ penetrare non potes nec intelligere vales, quoniam solis Aquilis hæc patent; id est, supernis ciuibus tantum manifesta sunt. V. Quæ sunt cellaria, de quibus dicit; *In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa substantia & pretiosa & pulcherrima.* S. Cellaria sunt corda iustorum qui per doctrinam sapientiæ replentur substantia pretiosa, & pulcherrima; id est, donis virtutum atque bonorū operum. V. Quid est quod dicit; *Septies enim cadit iustus, & resurget?* si iustus est, quomodò cadere; id est, peccare dicitur? S. Loquitur hic Salomon de leuibus & quotidianis peccatis sine quibus nullus Iustorum in hac vita esse potuit nec esse potest, vt alibi dicit; *Benedicam Dominū in omni tempore.* Septies, etiam significat aliquando, sæpè & frequenter; quod aptissimè hic intelligi potest: *Septies*; hoc est, sæpè cadet iustus & sæpè resurget: aut certè omni tempore cadit & resurgit, scilicet gratia diuina, secundū quod suprà dictum est. V. Quomodò intelligendum est: *Præpara opus tuum foris; & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam?* Quod est hoc opus quod foris præparare debemus? S. Opus vocat bonam actioné; ideóque addidit, *tuum*; hoc est, tibi vtile & necessarium: Opus ergo nostrum foris præparamus, cum actionem nostram benè exteriùs componimus: & vt Deo placeat, ordinamus. V. Quomodò agrum nostrum diligenter exercemus? S. Agrum diligenter exercemus, si à spinis vitiorum, corpus nostrum purgamus. V. Post agri exercitium, domum nostram quomodò ædificabimus? S. Si primò exteriùs actus nostros benè componimus; domum nobis benè ædificamus, cùm puritatem vitæ & munditiam etiam cogitationum seruamus, & habitaculum nostræ mentis, pijs cogitationibus exornamus. V. Quis est dominus, aut qui sunt Reges de quibus dicit, *Gloria Domini est, celare verbum, gloria Regum, inuestigare sermonem?* S. Dominus iste, Dei Filius est; videlicet Dominus Iesus, cuius gloria fuit celare verbum; id est, se esse Dei Filium: quia dum in carne apparuit, magis se hominem quàm Dei filium confiteri voluit vt diabolus eum non cognosceret, & ita passione sua genus humanum redimeret; quoniam si eum diabolus cognouisset Dei Filium esse, nūquam crucifixisset. Gloria itaque Domini fuit celare verbum; id est, in forma hominis, Diuinitatis suæ occultare potentiam; vt dum infirmitatem carnis

Prov. 20. & 23. — *Prov. 22.* — *Prov. 23.* — *Prov. 24.* — *Peccata leuia & quotidiana.* — *Psal. 33.* — *Prov. 25. Christus non hic agnis, diuinitatem suā celauerit.*

ostenderet, diabolus eum à passione retrahere non festinaret, quatenùs per ignorantiam passionis perueniret ad gloriam Resurrectionis. V. Qui sunt ergo reges quorū gloria est, inuestigare sermonem? S. Reges isti, sancti fuerunt Apostoli qui diligenter sermonem Domini inuestigare studebant, quò se Domini fore significabant. Nam vbi non apertè se Dominum esse monstrabat, sed mysticè volebat intelligi; eius sermonem summa perscrutabantur diligentia, quale est illud: *Ego & Pater vnum sumus*, &c. Nam cùm celaret Verbi diuinitatem & ostēderet carnis infirmitatem, interrogauit hos Reges, dicens; *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Cui Regum eximius, videlicet beatus Petrus Apostolus, inuestigans sermonem illius, quem anteà sæpè audiuit, continuò respondit; *Tu es Christus filius Dei viui.* V. Quid est quod sequitur; *Cælum sursum, & terra deorsum, & cor Regū inscrutabile esse dicunt.* S. Reges vocat Prophetas & Apostolos, qui reuelante sancto Spiritu arcana diuinitatis cognoscere meruerunt. Per cor Regum designatur scientia, & intellectus Prophetarum & Apostolorum. V. Quomodò ergo intelligendum est quod ait; *Cælum sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile.* S. Sicut altitudo cœli & profunditas terræ comprehēdi non potest ab hominibus, ita nostræ fragilitatis capacitas nō valet comprehendere neque penetrare altitudinem scientiæ & intellectus Prophetarum & Apostolorum. V. Quomodò sibi concordant, aut quomodò sibi conuenire possunt ea quæ dicit; *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; Et, *Responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi sapiens esse videatur?* Istæ nimirùm sententiæ valdè sibi videntur esse contrariæ? S. Verè benè sibi concordāt, si eas diligenter consideremus. Per hoc enim quod ait; *Ne respōdeas stulto iuxta stultitiam suam*, nos admonet, vt quia stultus sapientiam non percipit, nos eius stultitiam nō imitemur sed potiùs contemnamus & despiciamus; & quoties ei loquimur, non turpiter, nō furiosè, non superbè, sed honestè, patienter atque humiliter hoc loquamur & sapienter, ne illi similes efficiamur: Per hoc verò quòd sequitur; *Responde stulto iuxta stultitiā suam*; nos admonet, vt sapienter increpemus & redarguamus stultum, & manifestè demonstrēmus quanta sit in eo stultitia, ne fortè si non agnoscat stultitiam suam se putet esse sapientem. V. Quis est ille susurro, de quo dicit; *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad interiora ventris?* S. Susurronem appellat incētorem litis & bilinguem, qui laudes verborum simulat; & ideò quasi simplicia esse videntur verba ipsius; Sed perueniunt ad interiora ventris, quia susurro semper quærit audire vndè possit iurgia seminare quibus stomachus indignetur & omnia interiora perturbentur. V. Quis est ille amor absconditus de quo dicit, *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus?* S. Amorem absconditum in hoc loco, amorem vocat illicitum; id est, libidinosum; vt est amor adulterinus qui pro sua turpitudine absconditur, ne à sapientibus redarguatur. Melior est ergo manifesta correptio quàm amor absconditus, quia multò melius est, aliquem vt corrigatur manifestè increpare, quā studio simul peccandi occultè diligere. V. Quid est quod ait: *Anima saturata calcabit fauum; anima esuriens, amarum pro dulci sumet?* Quomodò anima saturata fauum calcat? S. Iuxta literam, anima saturata fauum calcat, quia quicúnque cibis repletus est dulcé contemnit ac despicit escam: Qui verò esurit, licet aliquam in cibis amaritudinem sumat, paruipendit. V. Spiritualiter autem, quomodò intelligenda est hæc sententia? S. Anima saturata, est anima diuitum qui in præsenti vita habent consolationem suam, quoniam rerum temporalium copijs abundant: Vnde Dominus in Euangelio ait; *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Anima ergo diuitum calcat fauum, quia pro terrenis bonis spernit dulcedinem regni cœlestis: Anima verò esuriens etiam amarum pro dulci sumet. quoniam *qui esurit & sitit iustitiam*, omnem amaritudinem pro dulcedine sumit quia patienter sustinet omnem præsentis vitæ aduersitatem

Ioh. 10. — *Prov. 25.* — *Prov. 26.* — *Prov. 27.* — *Luc. 6.* — *Matth. 5.*

pro amore supernæ dulcedinis; id est, æternæ beatitudinis. V. Cui loquitur Salomon, cùm dicit, (*Prou. 27.*) A *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera?* Nunquid lanigeros docet cōsiderare greges? S. Non: loquitur enim Pastori Ecclesiæ, & est sensus: Diligenter curā impende ijs quibus præpositus es, & agnosce animos & actus singulorum; & si aliquam sorditatem vitiorum inueneris, citiùs castigare & emendare stude. V. Quare mox subiungit; (*Eccl. 8.*) *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generationem generationum?* S. Vt Pastor Ecclesiæ, ouibus sibi commissis incessanter curam adhibeat; & est sensus: Non enim tu semper habebis potestatem pascēdi Oues dominicas, sed corona tribuetur in generatione generationū: id est, æterna præparata est corona, quam & tu percipies si bene paueris dominicas Oues. V. Quid necesse fuit Salomoni dicere, (*Prou. 27.*) *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virētes, & collecta sunt fœna de mōtibus?* B Quis enim hoc dicit aut ignorat? S. Verè nullus, si hæc verba tātùm iuxta literam accipimus. V. Quomodò ergo intelligēda sunt? S. Verè, tantùm spiritualiter. V. Quid ergo prata significant? S. Per prata designātur cœlestia mysteria, quæ ideò prata dicuntur quia pascua sunt animarum fideliū. Hæc enim prata; hoc est, diuina mysteria; diù clausa fuerunt sub typis ac figuris legalibus. V. Quomodò & quādo aperta sunt hæc prata? S. Aperta quippe sunt prata, quia per gratiam Domini Saluatoris reuelata sunt cœlestia sacramenta, quando *aperuit* discipulis suis *sensum, vt* (*Luc. 14.*) *intelligerent Scripturas*. Tunc apparuerūt & herbæ virētes; hoc est, nouæ sententiæ, Euangelicæ veritatis & gloriæ. V. Quid significant fœna quæ collecta sunt de mōtibus? S. Per montes designātur sancti Patres veteris Testamēti C scriptores: Per fœna, scripta eorum. Collecta sunt fœna de montibus, quia scripta Sanctorum veterum Patrum collecta sunt ad pabulum & ad refectionē Ouium dominicarum; id est, Animarum fidelium. V. Quid est quod ait; (*Prou. 22.*) *Pauper & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Dominus?* Quis est iste pauper & iste creditor, qui sibi obuiauerūt? S. Pauper est humilis, verbi auditor: creditor autem est, qui pauperi; id est, humili auditori; pecuniam verbi Dei, prædicando cōmittit. V. Quādo pauper & creditor obuiāt sibi? S. Quando in vnā eamdémque Auditor simul & Prædicator diuinæ pietatis gratiā conueniunt: vnde pulchrè sequitur; *Vtriusque illuminator est Dominus*; quia sine gratia diuinæ pietatis, nec ille potuit prædicare, nec iste credere. V. Quid est quod ait; D (*Prou. 29.*) *Cū prophetia defecerit, dissipabitur populus?* Quæ est hæc Prophetia; qua deficiente, populus dissipabitur? S. Prophetia est sacerdotalis eruditio atque doctrina: Ergo cū cessauerit doctrina & eruditio Sacerdotum, populus dissipabitur; quia cum deest admonitio & increpatio Sacerdotum, suæ voluntati & arbitrio relinquitur, & cōtinuò varijs peccatis vitiísque corrūpitur. V. Quomodò ignitus clypeus est omnis sermo Dei: sic enim dicit Salomō; (*Prou. 30.*) *Omnis sermo Dei, ignitus clypeus est sperātibus in se?* S. Omnis sermo diuinæ autoritatis, idcircò ignitus clypeus dicitur quia corda electorum qui spem suam in Deo ponunt, & igne charitatis accendit & scientia veritatis illuminat, & sordes vitiorum quas in eis reperit, cōsumit & purgat, & ab insidijs hostium cūctísque defendit aduersitatibus. V. Quæ est Sanguisuga cuius duas dicit esse E filias? sic enim ait: *Sanguisugæ, duæ sunt filiæ dicentes; affer, & nunquàm satiantur?* S. Sanguisuga, diabolus est qui semper sanguinem sitit; id est, ad peccata homines trahere cupit, & sitim peccandi incessanter accendit. V. Quæ sunt illæ duæ filiæ sanguisugæ, dicentes; *affer affer*, & nūquam satiantur? S. Luxuria videlicet & auaritia: istæ nimirùm spiritualiter diaboli sitim & ardorem imitantur, quia sicut nunquàm peccando satiatur, sic nec auaritia nec luxuria. (*Luxuria & Auaritia, peccando nūquàm satiantur.*) Nam quātò quisque magis luxuriatur & fornicatur, tantò ampliùs delectatur. Similiter quantò quisque sibi diuitias accumulat, tantò magis eas semper augmētare desiderat. V. Quare posuit Salomon exemplū Stellionis, dicens; (*Prou. 30.*) *Stellio nititur manibus, & commoratur in aedibus Regis?* S. Vt pigros & ingenio tardos, ad operandū & A benedicendum prouocaret. V. Quod genus animalis est Stellio? S. Genus Lacertæ, valde pigrum & colore vario; vnde nomē accepit Stellio, quia quasi stellis (id est, guttis) distinctus & variatus est. V. Quid ergo significat Stellio? S. Illos significat qui tardi sunt ingenio, & tamē quotidiano studio & diligentia, manibus æternam aulā conscendunt; hoc est, quàmuis cum magno labore ad notitiam sacrarum Scripturarū perueniunt, & penetrare valēt secreta cœlestium mysteriorum: De talibus scriptum est in Euangelio; *Qui habet, & dabitur ei & abūdabit:* (*Matth. 13.*) quoniam qui habuerit studium legēdi, dabitur ei facultas intelligendi. V. Quæ sunt illa tria de quibus Salamō dicit; *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum incedit fœliciter?* Leo fortissimus bestiarū, qui ad nullius pauet occursum: Gallus succinctus lumbos: & Aries, nec est Rex qui B resistat ei. Ista sunt quę bene gradiuntur. V. Quem significat iste Leo? S. Illum de quo scriptum est; *Vicit Leo de tribu Iudæ*; &c. (*Apoc. 5. b.*) Dominum scilicet Iesum Christum; qui fortissimus bestiarum dicitur, quia *quod infirmum est Dei fortius est hominibus*. (*1. Cor. 1. d.*) V. Quod est illud infirmum Dei? S. Infirmum fuit Dei, carnem nostræ mortalitatis assumere: sed hoc fortius est hominibus; quia ipse homo natus ex Virgine, perfectus extitit Deus. V. Quare iste Leo ad nullius pauet occursum? S. Quia *peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius*; (*1. Pet. 2. d.*) vnde ipse dicit in Euangelio: *Ecce venit Princeps Mūdi, & in me non inuenit quicquā*. V. Quid significat Gallus succinctus lūbos? S. Sanctos Prædicatores. (*Prædicatores dicūtur Galli succincti lumbos.*) V. Quare Galli, prædicatores dicūtur? S. Quia inter præsentis vitæ tenebras, verū manè; hoc est, verā lucem; C prædicando, annunciāt gloriā videlicet æternæ beatitudinis. V. Quare isti Galli succincti lūbos dicūtur? S. quia sancti Prædicatores in mēbris suis luxuriā & libidinē restingunt. V. Quid significat Aries, cui nō est Rex qui resistat? S. Per Arietē, sancti designantur Cōfessores & Sacerdotes (*Confessores & Sacerdotes, Arietum nomine designantur.*) qui veluti arietes gregē præcedunt, quia populū fidelem per exēpla sua gradientē ducunt. Isti nimirū Arietes (si spiritualiter & rectè viuāt) nullus est Rex qui eis resistere valeat; quia nullus est tam sæuus persecutor qui eorū intentionem valeat impedire, quia etsi eis mala ingerūtur, omnia patienter sustinēt pro Christo. V. quid est illud quartum quod incedit fœliciter? S. Ille qui stultus apparuit postquā erectus est in sublime. V. Quis est ille? S. Antichristus qui reuelabitur in sublime: hoc est, D in excelsum: qui cum fuerit homo nequissimus, dignabitur se filium Dei nominare, & mentietur se esse Deū. V. Eleuatus in sublime quomodò stultus apparebit? S. Quia in ipsa elatione & superbia sua, subitò diuino gladio percussus interibit. V. Quare de illis superioribus, dicit; *Tria sunt quæ bene gradiuntur*: de isto verò; (*Prou. 30.*) *Quartum quod incedit fœliciter?* Quare similiter de isto non dixit, incedit bene; sed dicit, *fœliciter?* S. Quia omne quod fœliciter incedit: non semper bene incedit; neque omne quod incedit bene, semper fœliciter. V. Quæ sunt ergo quæ incedunt bene, aut quæ fœliciter? S. Illa bene incedunt quæ ambulant sanctè & iustè; illa incedunt fœliciter, quæ in hac vita habēt prosperitatem suam. Leo Gallus, & Aries bene gradiuntur, sed non fœliciter, quia & Christus Dei Patris volūtatem in omnibus compleuit, E sed multa aduersa & mortem sustinuit: Similiter sancti Prædicatores & Confessores diuinam student adimplere voluntatem, sed multas in hac vita sustinent persecutiones. (*Prædicatores & cōfessores, multa in hac vita patiuntur.*) Antichristus verò non benè incedet, quia superbus contra Dei voluntatem omnia faciet: Sed incedet fœliciter, quia (quamuis ad breue tempus) in magna erit gloria & prosperitate. V. Quis est ille Rex Lamuhel, de quo dicit, *Verba Lamuhel Regis, visio qua erudiuit eum mater sua*. S. Lamuhel, Hebræa lingua dicitur; Latinè interpretatur: *in quo Deus*. Ipse nimirum est Salomon Rex Israël, in quo fuit Deus; quia nisi Deus in eo mansisset, tot & tanta diuina mysteria nec intelligere nec scribere potuisset. V. Quæ fuit mater eius quæ erudiuit eum & docuit visionem? S. Secundùm literam potest intelligi car-

nalis

nalis eius mater Bersabea Regina, quæ prudenter illum docuit: Sed mater in hoc loco nulla melius intelligitur A quam spiritualis & diuina gratia quæ illum in corde inuisibiliter erudiuit, & docuit intellectum sapientiæ; quã ipse foris, hominibus & prædicauit & scripsit. V. Quæ est mulier illa fortis de qua dicit; *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretiũ eius?* S. Mulier fortis appellatur sancta Ecclesia Catholica; quę ideò mulier dicitur, quia Deo spirituales generat filios ex aqua & Spiritu sancto. Fortis ideò dicitur, quia cũcta sæculi huius aduersa simul & prospera, propter fidem & amorem sui Conditoris ac Redemptoris contemnit & despicit. V. Quare dixit Salomõ; *Mulierẽ fortẽ quis inueniet?* S. Quia per Spiritum sanctum cognouit, quomodò nullus Prophetarũ nullus omninò Electorũ sufficeret ad redẽptionem humani generis, nisi solus mediator Dei & hominũ B homo Christus Iesus; ideòque ait: *Mulierem fortem quis inueniet*; subauditur; nisi Christus. V. Quare mox addidit; *Procul & de vltimis finibus preciũ eius?* S. Vt ostenderet quia non suo tẽpore, sed longè post eũ, nec similis illi vẽturus erat Christus; id est, homo purus à peccatorũ sordibus: sed in fine sæculorũ descensurus erat de cœlis Filius qui natus ex Virgine, perfectus esset Deus & homo: & hoc est quod ait; *Procul*, id est, longè post. Significat autẽ tempus quòd fuit à diebus Salomonis vsque ad partũ Virginis. *De vltimis* vero *finibus*, dicit, quia *a summo cœlo egressio eius*. V. Quod precium dedit Dominus pro hac muliere? S. Semetipsum; sicut dicit Apostolus: *Qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam in odorem suauitatis*. V. Mulier fortis quomodò facta est quasi nauis institoris? sic enim dicit Salomon: *Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum*. S. Institor dicitur negociator, propterea quòd semper instat vt acquirat & multi- C plicet merces & lucra sua. Nauis ergo Institoris onusta diuersis mercimonijs quæ in sua patria magis abundant, per Mare pergit ad loca peregrina vt illic venditis omnibus illis quæ attulit, chariora domum reportet. Sic ergo mulier fortis; id est, sancta Ecclesia; semper desiderat onerari virtutum diuitijs & abundare bonis operibus nauigans per Mare sæculi huius, vt per ea mereatur; id est, acquirat; maiora; id est, diuinæ gratiæ dona. V. Quis est huius nauis Instructor? S. Dominus Iesus Christus qui dedit precium Sanguinis sui, & redemit Ecclesiam. Sancta ergo Ecclesia ad exemplum Instructoris; hoc est, Domini ac Redemptoris sui; semper sibi multiplicare D laborat virtutum atque bonorum operum lucra, vt per ea mereatur maiora acquirere; id est, æternæ beatitudinis præmia: & hoc est quod ait; *De longe portans panem suum*; quia in omnibus bonis quæ temporaliter agit, solam tantùm vini panisque satietatem desiderat, quia æternam solummodò retributionem expectat. V. Quid est dicere, *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo?* S. Sindonem fecit Ecclesia & vendidit, quia fidem quam credendo texuerat, loquendo dedit; ac ab Infidelibus, fidem rectæ conuersationis accepit: quare & Chananæo cingulum tradidit, quia per vigorem demonstratæ iustitiæ, fluxa opera Gentilitatis astrinxit, vnde hoc quod percipitur, viuendo teneatur. V. Quid est quod ait; *Stragulatam vestem fecit sibi, Byssus & purpura indumentum eius?* Quæ est stragulata vestis? S. Stragulata ve- E stis est, quæ variata textura firmissima fieri solet. V. Quid ergo significatur per stragulatam vestem? S. Fortia opera sanctæ Ecclesiæ, & diuersa virtutum ornamenta de quibus Propheta dicit; *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. V. Byssus & purpura quomodò indumentum eius mulieris; id est, sanctę Ecclesiæ est? S. Byssus est genus lini candidissimi: vnde pulchrè per byssum designatur corporis castitas, & sanctæ conuersationis puritas; per purpuram verò, sanguinis effusio designatur. Fortis ergo mulier; id est, sancta Ecclesia, induit se bysso Dei: id est, seruat corporis castitatem, & sanctæ conuersationis rutilat nitore. Induit & se, purpura, quãdo in ea sancti Martyres pro Christi nomine sanguinem fundunt. S. Si byssus & purpura indumẽtum est A sanctæ Ecclesiæ cur ergo dicit in sequentibus; *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo?* S. Nulla est contrarietas quia fortitudo refertur ad purpuram, decor verò ad byssi candorem. Est ergo fortitudo indumentum Ecclesiæ sanctæ, quia propter fidem Christi & iustitiam, patienter sustinet malorum hominum improbitatem & persecutionem. Est & decor indumentum eius, quia operatur iustitiam, & se Virtutum gratia ornat. V. Quare autem dicit; *Ridebit in die nouissimo, cum Dominus dicat in Euangelio; Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis?* S. In Scripturis sacris, risus; gaudium significare solet: vnde Dominus in Euangelio; *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*; id est, gaudebitis: Et beatus Iob dicit; *Os autem veracium replebitur risu*; id est, gaudio. Mulier ergo fortis: id est, sancta Ecclesia: ridebit in die nouissimo: id B est, gaudebit in retributione regni cœlestis. V. Quid sunt filij mulieris qui eam beatissimam prædicauerunt? aut quis est vir eius, qui laudauit eam? sic enim dicit: *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt filij eius, & vir eius laudauit eam?* S. Filij huius mulieris: id est, sanctæ Ecclesiæ: sunt omnes electi: vir eius, Dominus est Iesus Christus. Surgent enim filij Ecclesiæ: videlicet omnes Electi: de puluere terræ in nouissimo die Iudicij & immortalitatis gloria decorati, Matrem suam beatissimam prædicabunt: id est, laudabunt sanctam Ecclesiam quæ illos genuit Deo, ex aqua & Spiritu sancto. Surget & vir eius, Dominus videlicet Iesus Christus, cũ in die Iudicij manifestus apparuerit in potentia diuinitatis, & laudabit eam dicens in iudicio: *Venite benedicti* C *Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab initio Mundi: Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. V. Cur ergo posuit præteritum, dicens: *Surrexerunt?* debuit enim dicere, *surgent*. S. Quod ergo Salomon futurum nouerat, certissimum tenebat: & ideò more Prophetico, pręteritum posuit pro futuro. V. De quibus dicit quod sequitur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas?* S. Multas filias appellat Ecclesias hæreticorum, & turbas malorum Catholicorum. V. Quæ filiæ dicuntur Christi vel Ecclesiæ? * quare dicuntur filij Christi aut Ecclesiæ? S. Propter fidei ac Baptismi sacramentum, & adoptionem filiorum quam in Baptismate perceperunt. V. Istæ filiæ quas diuitias congregauerunt? S. Orationes, ieiunia, eleemosynas, afflictionem & castimoniam carnis, linguæ refrenationem, meditationem Scripturarum, & cęterorum bonorum operum diuitias: quæ veræ diuitiæ sunt D si spirituali fiant intentione, videlicet propter regni cœlestis retributionem: aliter nihil prosunt agentibus. Vndè, *filiæ*, videlicet, hæreticorum aut malorum Catholicorum turbæ frustrà congregauerunt sibi diuitias, quia vel in fide errauerunt vel certè huiusmodi bona opera non spirituali fecerunt intentione: de quibus in Euangelio Dominus: *Multi dicunt mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*. Sancta verò Ecclesia Catholica *supergressa* est: hoc est, transcendit: omnes illas, quia quicquid agit, in fide tantum recta & spirituali operatur intẽtione. V. De qua gratia, & de qua pulchritudine loquitur cum dicit: *Fallax gratia, & vana pulchritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur?* S. Fallax gratia humanæ lau- E dis, quam hypocritæ ab omnibus exquirunt: Pulchritudo vana, est pulchritudo castitatis vel bonæ operationis, quam hypocritę hominibus ostendere cupiunt vt ab eis laudentur. V. Quare hæc gratia & hæc pulchritudo, fallax dicitur & vana? S. Quia fallit: hoc est, decipit, simulatores: quoniam dum in hac vita quærunt mercedem, in futuro nullam recipient remunerationem; &, si castitatem seruant vel aliqua bona operantur, vana sunt omnia quæ faciunt. V. Quæ est *mulier timens Dominum*? S. Sancta videlicet quæ in hac vita semper manet Ecclesia in timore Domini quæ semper eius desiderat præcepta implere. V. Quomodò ergo laudabitur hæc mulier?

Ecclesia Catholica est mulier fortis.

Psal. 18.
Ephes. 5.

Nauis Ecclesia.

Prou. 31.

Psal. 44.
Byssus & purpura, quid sit.

Prou. 31.

Luc. 6. d.

Ibidem.

Prou. 31.

Math. 25.

Mos Prophetarum præteritis vti pro futuro.

Prou. 31.

* *Videtur hic deesse Salomonis responsum ad illam quæstionem.*

Diuitiæ Christianorum.

Bonorum operum retributio.

Hæretici, frustrà, benè agunt.

Matth. 7.

Prou. 31.

Hypocrisis, est vana pulchritudo.

Prov. 31.

S. Idem Salomon in fine huius Libri manifestè demonstrat, cùm dixit; *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* V. Cuius sunt hæc verba? S. Viri illius, Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi. V. Quãdo hæc verba dicturus est? S. In die Iudicij quando præcipiet Angelis vt post finem huius vitæ, Ecclesiam ad Regni cœlestis gaudia introducãt: Sic enim præcipiet Angelis; *Date ei de fructu manuum suarũ*, hoc est, bonorũ operum. Nam per manus, opera designantur; ac si patenter dicat; quia bonorum operũ facere curauit; hoc est, charitatem, gaudium, pacẽ, benignitatem, bonitatem, modestiam, continẽtiam, fidem, patientiam; hoc fructu dignam illi reddite mercedem. *Et laudent eam in portis opera eius:* hoc est, in iudicio, siue in ingressu patriæ cœlestis laudent eam opera ipsa quæ fecit; hoc est, remuneretur pro bonis operibus quæ gessit.

Merces digna fructu manuũ nostrarum nobis reddetur in iudicio.

B

SALONII VIENNENSIS GALLIARUM Episcopi Doctissimi, Dialogus alter, ad Veranium fratrem; in quo Ecclesiastes, Mysticè exponitur.

Interloqutores.

VERANIVS ET SALONIVS.

Salomon's triplex nomẽ.

VER. Quot nominibus vocatus est Salomon? S. Tribus, sicut Scripturæ sacræ manifestissimè docent: id est, Salomon, Ydida, & Ecclesiastes. V. quare his nominibus appellatus est? S. Salomon, id est, pacificus; dictus est, eo quòd in regno eius pax fuit. Ydida vocatus est; id est, dilectus Domini; quia dilexit eũ Dominus. V. Ecclesiastes qua lingua dicitur? S. Græca; nam Hebraïcè Cohelech dicitur. V. Quomodo sonat in Latino sermone, Cohelech, aut Ecclesiastes? S. Ille propriè dicitur Ecclesiastes, qui cœtũ; id est, Ecclesiã; congregat: Vnde Latino sermone rectè Ecclesiastes dicitur Concionator, quia concionatur, id est, loquitur ad populũ, & sermo eius non ad vnũ specialiter, sed generaliter dirigitur ad omnes. Cõcionator ergo in Ecclesia sancta dici potest Prædicator. V. Quot libros ædidit Salomon? S. Tres tantùm iuxta numerũ vocabulorum suorum: Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica Canticorũ. V. Quid ait Salomon in Prouerbijs, aut quid docet in Ecclesiaste, vel Cantica Canticorũ? S. In Prouerbijs docet paruulũ, & per varias sententias instruit quasi filium: In Ecclesiaste verò iam perfectæ ætatis virum imbuit, vt intelligat quia in huius Mũdi rebus nihil est perpetuũ, nihil gloriosum aut magnũ; sed omnia sunt breuia, caduca, & vana, quæ cernimus: In Cantico Canticorum, iam cõsummatum virum atque perfectũ in omnibus, & varijs exornatum virtutibus; Spõsi, id est, Domini nostri Iesu Christi amplexibus iungit. V. Spiritualiter autẽ quid significat ille Salomon; Ydida, & Ecclesiastes? S. Dominum Iesum Christum qui est noster Salomon; id est, *pacificans omnia per sanguinem suum fecit vtraque vnum*; id est, de duobus populis vnam sibi cõstruxit Ecclesiam: Vnde Apostolus; *Christus*, inquit, *pax nostra, qui fecit vtraq; vnum.* Ipse est Ydida; id est, dilectissimus Patris filius, de quo ipse Pater ad discipulos ait; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Ipse nimirùm est Ecclesiastes, id est, Concionator noster qui congregat cœtum videlicet sanctam Ecclesiam de vniuerso Orbe terrarũ, ad quem loquitur, dicens; *Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hic est filius Dauid, ad quem cæci in Euangelio clamabant dicẽtes; *Miserere nostri fili Dauid.* Hic est etiam Rex Ierusalem, non terrestris sed illius cœlestis quæ est *mater* omnium nostrum. V. Quid est quod dicit Ecclesiastes; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; cùm scriptum sit in libro Genesis; *Vidit Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona?* Si cuncta quæ fecit Deus, valde bona sunt; quomodò ergo *omnia*

Ecclesiastes quid sit.

Trium Salomonis librorũ argumenta.

C

D

Salomon, Christi typus.

Eph. 2.

E

Matth. 3. Marc. 1. Luc 3.

Matth. 11.

Matt. 9. 15. & 20.

Eccles. 1. Gen. 1.

vanitas; & non solùm vanitas, sed etiam *vanitas vanitatum*? S. Cœlum & terra, Maria & omnia quæ in hoc circulo continentur, per se quia bona sunt quoniam à bono Deo creata sunt, sed comparata Deo, vtique pro nihilo habenda sunt, quia semper Deus permanebit id quod est, illa verò omnia transibunt. Nam quæ videntur, temporalia sunt, quia transitoria; quæ autem non videntur, æterna sunt. V. Quare bis replicauit sententiam suam dicens, *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum & omnia vanitas*? S. Ad exaggerandam magnitudinem vanitatum iterauit sententiam suam, vt per hoc demonstraret quia omnis Mundi gloria sicut flos fœni marcesset, & sicut fumus pertransibit. V. De quibus generationibus dicit; *Generatio præterit, & generatio aduenit*? S. De generatione Iudæorum, & generatione Gentium: Recedit enim generatio prima Iudæorũ, quoniam perijt propter infidelitatem, & succedit ei generatio de Gentibus, congregata videlicet sancta fidelium Ecclesia quæ per fidem Christi saluatur. Potest & sic intelligi: *Generatio vadit, & generatio venit*, id est, alijs morientibus alij nascuntur, & quos priùs videras iam nõ vides, & incipis videre eos qui ante non fuerãt. V. Quare Salomon dicit; *Terra in æternum stat*, cùm Dominus in Euãgelio dicat; *cœlũ & terra transibunt*? S. Verũ iuxta Domini sentẽtiam, *Cœlum & terra transibunt* per meliorationem sed non per ablationem; quia igne Iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur sed penitùs nõ destruentur. Tantùm quippe ardebit cœlum sursum & terra deorsum, quantùm malitia hominum simul & dæmonum coïnquinari potuit. Ergo iuxta sententiam Salomonis, *terra in æternum stabit*, quoniam nunquàm destruetur; verùmtamen renouabitur & meliorabitur. V. Quid significare voluit Salomon, cum ait; *Oritur Sol & occidit & ad locum suum reuertitur, ibique renascens girat per Meridiem & flectitur ad Aquilonem?* Quis enim nescit quòd oritur Sol & occidit, & per incognitas nobis vias regreditur ad locum suum vnde ortus est, vt iterũ oriatur? S. Hoc ideò Salomon dicit, vt ostenderet quia Sol ipse qui hominibus in lucem diei datus est, sua mutabilitate; id est, ortu suo & occasu; quotidie huius sæculi mõstraret interitum. Per has námque mutationes temporum, & per ortum Syderum & occasum, docet Salomõ quòd humana ætas quotidie oritur & occidit. V. Quid Sol in hoc loco spiritualiter significat? S. Illum verum Solem, Dominum videlicet Iesum Christum qui est Sol iustitiæ, de quo dicit Propheta, *Vobis qui timetis Deum, orietur Sol iustitiæ.* Iste Sol iustitiæ quotidie oritur timentibus se; id est, Fidelibus suis, sanctis videlicet & pijs hominibus. Occidit etiam Meridie, Pseudoprophetis; id est, hæreticis & malis Catholicis, quia propter peccata sua, lumen gratiæ ipsius amittũt. Occidit & Infidelibus; quia luce fidei non merentur illustrari. Quid est quod ait: *Omnia flumina currunt in Mare & non redundat, ad locum vnde exeunt, reuertuntur vt iterum fluant?* Quis enim nouit quòd ad locum suum flumina reuertuntur, vt iterum fluant? S. Nouit Ecclesiastes ille; scilicet Salomon; per gratiã S. Spiritus: Sed iste noster Ecclesiastes, videlicet Iesus Christus qui est ipsarum aquarum cõditor; per potẽtiam diuinitatis qua æqualis est Deo Patri, plenissimè nouit, quæ flumina (quia in Mare currunt) in Abyssum defluunt & per occultas venas ad capita fontium reuertũtur, & de matre Abysso iterũ ebullire incipiũt. V. Spiritualiter autem quid significant hæc flumina? S. Per hæc flumina designantur sancti Prædicatores, qui cùm virtutibus emicant & doctrinis coruscant, verè flumina sunt, quoniam aridam terram carnalium cordium, sancta sua prædicatione simul & operatione irrigant, vt auferant bonorum operum fructus. V. Quomodò ergo vt iterum reuertantur hæc flumina ad locum vnde exeunt, refluunt? S. Quia sancti Prædicatores in omni doctrina & opere quod faciunt, ad laudem sui Creatoris recurrunt, vt Domino autori suo laudes & gratias referãt, per quem, vt talia facerent, & omne bonũ suum acceperũt.

Eccles. 1.

Eccl. 1. Matth. 5. & 24. Marc 13. Luc. 21.

Eccles. 1.

Ibidem.

Solis orientis & occidentis vicissitudine admonẽt nos, Mundũ aliquando interiturum.

Mal. 4.

Eccles. 1. Aquarũ fluxus in Abyssum, & inde Renascentia.

Prædicatores sunt vera flumina.

Semper

Semper etenim ad fontem veri Luminis reuertuntur ne fortè arescant & exsiccentur, vt ex eo aquam scientiæ & gratiam virtutum accipiant, vt iterum fluant; hoc est, vt & se metipsos bonis operibus repleant, & aliorum cordibus fluenta doctrinæ spiritualis infundant. Omnes etiam Fideles flumina sunt, & hæc flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur, quoniam per sancta desideria ad amorem sui Conditoris redeunt; & de omnibus bonis laudes & gratias illi referunt à quo ea perceperunt. V. *Quare dedit Salomon cor suum*; hoc est, sollicito corde studuit; *scire prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam?* Bonum quippe est scire prudentiam atque doctrinam; quid autem boni est scire errores atque stultitiam? S. Sicut bonum est scire prudentiam & doctrinã; ita verè bonum est, errores scire & stultitiam, quoniam prima sapientia est, carere stultitia; Carere verò stultitia nemo potest, nisi qui intellexerit eam. Similiter nemo errores vitare potest, nisi qui eos intelligit: propterea in rebus terrenis plurima sunt noxia creata, vt dũ ea vitamus erudiamur ad sapientiam. V. Quare fuit æquale studium Salomoni scire prudentiam & doctrinam; & ecõtrariò, errores & stultitiam? S. Vt dũ appeteret alia, & ad alia declinaret; id est, apprehenderet bona, & deuitaret mala; vera eius probaretur sapientia. V. Quid est quod Salomon dicit; *quia in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam addit & laborem?* Quomodò multa est indignatio in multa sapientia? S. Ideò in multa sapiẽtia multa est indignatio, quia quantò quisque maiorem sapientiã percipit tantò amplius sibi indignatur & dolet se vitijs & peccatis subiacere & non habere virtutes. Nam quantò quisque plus in sapiẽtia proficit, tantò magis sibi irascitur de malis operibus quæ gessit, & contristatur & dolet super peccatis suis; ideóque addit & laborem, quia quantò amplius cœlestia & æterna cognoscit tãtò magis dolendo & flendo laborat vt errorũ laqueos euadere possit, & liberari valeat de huius sæculi miseria. V. Quare dicit; *Risum deputaui errorem, & gaudio dixi cur frustra deciperis*; cùm hominum naturale sit ridere; & Dominus in Euangelio dicat, *Gaudete & exultate quoniã merces vestra magna est in cælis?* S. Non reprehendit Salomon, risum naturalem; id est, modestum & honestum: vnde alibi dicit; *Vir sapiens tacitè ridebit*. Sed risum dissolutum & immoderatum atque perstrepentem appellat errorem; talis nempe risus vocatur Cachinnus: Similiter non spirituale sed temporale gaudium vocat deceptionem. Illi verò qui præterita mala sua non plangunt, neque intelligunt ruinam peccatorum suorum, & cachinnant & gaudent in rebus temporalibus, quia noua & breuia, putant esse bona perpetua, & idcirco suauitate præsentis vitæ decepti quotidie huius sæculi errore vexantur. V. Quid est quod ait: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi & nihil permanere sub Sole?* Quomodò dicit nihil permanere sub Sole cùm superiùs dixerit; *terra autem in æternum stat?* S. Nihil enim permanebit sub Sole quod non transeat, quoniam omnia vana sunt: Vnde in Euangelio ait Dominus; *Cælum & terra transibunt*; attamen terra in æternum stabit, quia non funditùs destruetur sed meliorabitur, sicut dictum est superiùs. V. Quare dicit: *Sapientis oculi in capite eius, stultus autem in tenebris ambulat?* Nunquid oculi stulti non sunt in capite ipsius? S. Oculi in hoc loco non possunt corporales, sed spirituales intelligi: oculi videlicet mentis; id est, sensus & intentiones animi. Per caput verò designatur Christus; vnde Apostolus ait: *Caput viri Christus*. Oculi viri sapientis in capite sunt, quia vir sapiens omnem intentionem suã ad Christũ dirigit, & in Christo collocat, & oculos suæ mẽtis semper ad cœlestia meditanda subleuat: stultus verò in tenebris ambulat, quia & stultitiæ simul, & peccatorum suorum tenebris obscuratur, & amore huius Mundi obscuratur; odit enim cœlestia, & ideò non potest sicut vir sapiens, ad cœlum oculos suos erigere, quia non cogitat ea quæ Dei sunt sed quæ huius sæculi. V. Quid ergo distat inter virum sapientem & stultum? S. Hoc distat, quia iste sapiẽtia & claritate illustratur & exornatur; ille verò errore stultitiæ suæ obtenebratur & deturbatur. Tantùm quippe distat inter sapientem & stultum, quãtùm inter diem & noctem, lucẽ & tenebras. V. Quomodò tantùm distat inter sapientem & stultum, cùm *vnus sit interitus vtriusque? sic enim moritur doctus vt indoctus, sapiens vt insipiens?* S. Quamuis vnus sit occasus, & similis mors sapientis & stulti, & sæpè in hac vita magis affligatur sapiens quàm stultus; tamen non erit similis memoria in futuro nec æqualem percipient remunerationem, quoniam sapiens in die Iudicij ad regni cœlestis eleuabitur gloriam, stultus verò demergetur in æternæ damnationis tormenta. V. Quis est ergo iste sapiens qui tantum distat à stulto quantùm lux à tenebris? Nunquid ille qui philosophicæ tantum disciplinæ pollet affluentia, vel liberalium artium splendet eloquentia? S. Nonnunquam sæcularis prudentia inimica Deo est, & carnalis sapientia (quamuis eloquentiæ floribus exornetur) nullum tamen in se spiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet: Sed ille veraciter est sapiens qui Dominum diligit, qui eius mandata custodit, & quantùm possibile est humanæ fragilitati, eius voluntatem in omnibus studet implere, de quo paulò inferiùs dicit, *Homini bono, in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam & lætitiam*. V. Quare statim subiungit; *Peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam?* Si enim Deus peccatori homini dedit curam & solicitudinem superfluam habere; quid ergo ipse peccat, si curis superfluis atque sollicitudine rerum temporaliũ affligitur? S. Caussa superfluæ curæ atque malæ sollicitudinis non est in Deo, sed in illo qui antè sponte sua peccauit, quia peccans suis exigentibus promeruit vt haberet curam superfluam & sollicitudinẽ: & ideò quod ait; *Peccatori autem dedit curam superfluam*, intelligendum est, suis meritis exigentibus dari permisit; videlicet quia peccator fuit. V. Quid vult demonstrare per hoc quod ait, *Omnia tempus habent?* Quod si omnia tempus habent, ergo æternæ Diuinitatis substantia, tempus habet? S. Absit; illa quippe ineffabilis æterna maiestatis diuinæ Essentia quæ omnia creauit ex nihilo, non loco clauditur, non tempore coangustatur, non vllo spacio terminatur: Et idcircò Salomon, vt ostenderet de quibus hoc dixerit, statim subiungit dicens: *Et suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo*. Vult enim demonstrare quòd contraria sibi sunt omnia quæ in Mundo sunt, & nihil est perpetuum ex omnibus quæ sub cælo sunt, & ista tempus continent. V. De qua plãtatione ait, aut de qua euulsione loquitur cùm dicit; *Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est*, Nũquid de plantatione aut euulsione arborum aut herbarum dicit? S. Non; sed de natiuitate & morte hominum: nam quod superiùs dixit; *Tempus nascendi*; hoc est quod sequitur; *& tempus plantandi*: hoc est enim plantare quòd nascitur. Quòd supra dicit, *tempus moriendi*; hoc est quod hîc sequitur; *tempus euellendi id quod plantatum est*: Nã euelli; hoc est quod & mori. Soli quippe Deo notus est ortus & occasus hominum; id est, tempus nascẽdi & tempus pereundi, & tempus plantandi, & tempus euellendi: Quoniam ipse instituit & tempus in quo vnusquisque nasceretur & plantaretur ad vitam, & tempus in quo moreretur & de hac vita euelleretur; hoc est, per sẽtentiam mortis eradicaretur. V. Quid est quod iterum dicit; *Tempus occidendi & tempus sanãdi?* Nulli quippe dubium, quòd tempus sanandi à Deo conceditur, sed nũquam Deus instituit tempus occidendi alium; aut eum quem semel occiderit homo, poterit vnquam sanare? S. Non vtique; sed illi soli est tempus occidendi & tempus sanandi, qui per Mosen loquitur, dicens; *Ego occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo*. Ipse nimirùm statuit tempus in quo peccatores occidantur, & sanentur infirmi, hoc est, peccatis languidi. Tũc enim occidit, cùm vel corporis infirmitate vel aliqua Mũdi huius aduersitate peccatores affligit vt corrigantur & mortificatur peccatis, & viuant Deo. Sæpe namque Deus ideò

Marginalia: *Eccles. 1. Stultitiam & errores scire bonum est.* — *Noxia, cur à Deo creata sint.* — *Ibidem.* — *Sapiens dolet se subditum esse peccatis.* — *Eccles. 2. Risus, non omnino illicitus.* — *Matth. 5.* — *Luc. 6.* — *Eccles. 21. Vulgata Editio, vix tacitè ridebit.* — *Eccles. 2. 4. 6. 8. & 11.* — *Eccles. 1. Nihil enim, pro, quia nihil.* — *Matt. 24. Terra in æternum stabit.* — *Eccl. 2.* — *1. Cor. 11.* — *Eccles. 2.* — *Ibidem.* — *Eccl. 3.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Deut. 32.*

flagellat sceleratos, vt eos occidat & sanet; id est, vt desinant esse quod sunt, & incipiant esse quod non sunt. *Est ergo tempus sanandi*, cùm Deus omnipotens eos quos occidit; id est, aduersitatibus misericorditer afflixit; per occultam inspirationem compungit, & ad pœnitētiam prouocat. V. De qua destructione vel ædificatione loquitur, cùm dicit; *Tempus destruendi, & tempus ædificandi?* (Ibidem.) Nunquid de ædificatione ac destructione domorū loquitur? Quid enim nobis prodesset, si hoc diceret? Quis enim nescit quod alij destruunt, & alij ædificāt domos? S. Non hîc loquitur Salomon de domorum sed de malorum destructione, & ædificatione bonorum; quoniā necesse est priùs mala destruere, & sic bona posteà ædificare, iuxta illud Psalmistæ; *Declina à malo, & fac bonum.* (Psal. 36.) Hoc ergo dicit, quia tempus est destruēdi mala & tempus est ædificandi bona, quoniam in præsenti vita concessum est nobis tempus à Deo vt destruamus mala & ędificemus bona: id est, priùs in nobis per pœnitentiam deleamus peccata; posteà verò per sancta desideria, virtutum construamus ædificia. V. Quare dicit; *tempus flendi, & tempus ridendi; tempus plangendi, & tēpus saltandi?* (Eccl. 3.) Quis enim ignorat, quia alio tempore flemus, alio autem ridemus? aut quid profuit dicere, *tempus saltand*? Nunquid forsitan ostēdere voluit, quia oportet nos saltationum exercere ludicra? S. Absit; nihil oportet nos scurriliter agere: (Nihil agendū est scurriliter.) sed tempus flendi, est in vita præsenti; tempus ridendi, in vita futura. Qui ergo in præsenti vita, quotidianis fletibus & lachrymis se purgare studuerit, in vita futura ridebit? id est, gaudebit. Similiter, *tempus plangendi*, est vita præsens; *tempus saltandi*, est vita beata: In motu nàmque saltationis; homo, suæ mentis gaudium, & animi demonstrat affectum. Qui ergo in hac vita, plāgendo studet abolere peccata, in futura vita saltabit; id est, lætabitur & exultabit in gloria æternæ fœlicitatis. V. Quid est quod ait; *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi?* (Eccl. 3.) Quid enim prodest lapides spargere, aut quid prodest colligere; nisi fortè domum aliquis velit ædificare? S. Non de hac causa loquitur Salomon; sed de Gentium dispersione & collectione. Nam per lapides, Gentes adsignantur: Vndè Ioannes; *Potens est*, inquit, *Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* (Matt. 3.) Tempus enim fuit spargendi lapides ante Aduentum Domini, quia Gentiles non permanserunt in vnitate Fidei, sed recedentes à Deo dispersi sunt quia varios Deos adorabant, & diuersa Idola colebant: Tempus autem fuit colligendi lapides post Aduentum Domini, quia sicut Apostolus dicit; *Vbi venerit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex Muliere factum sub Lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* (Gal. 4.) Tunc quippe cœpit colligere lapides, quia peracto Passionis ac Resurrectionis suæ mysterio, direxit Apostolos suos in vniuersum terrarum Orbem dicens; *Ite, docete omnes Gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* (Matt. 28.) Deinde celebrato quadragesimo die, mysterio Ascensionis in cœlos; mox vt ab Apostolis fama nominis eius diffusa est, lōgè latéque per Mundum, lapides; id est, Gentiles qui erant dispersi per variam Idolorum culturā; collecti sunt, quia resipiscentes & abominantes Idola in vnitatē Fidei conuenerunt. V. Cur iterum dicit; *Tempus dilectionis & tempus odij*; tamen Ioannes Apostolus dicit; *Qui oderit fratrem suum, homicida est*: (1. Ioh. 3.) Et in Euangelio dictum est; *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit*: (Ioh. 12. d.) Item; *Qui non odit patrem suum & matrem, fratres & sorores, vxorem & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* (Luc. 14. c.) Dic ergo, quando tempus est dilectionis, & quando tempus odij? S. Et nunc quidem tempus est dilectionis, quoniam post Dominum diligere debemus patrem & matrem, vxorem & filios, & cæteros propinquos: Odij verò tempus, quia pro Christi confessione contemnere simul & odisse debemus & patrem & matrem, omnésque propinquos: (si nobis in via Domini fuerint contrarij) sicut sancti Martyres sæpè fecisse leguntur. V. Quid est quod rursum dicit; *Tempus belli & tempus pacis?* (Ecclef. 3.) Quomodò tempus est belli, cùm Dominus in Euangelio dicat; Esto consentiens aduersario tuo citò, (A) dum es cum illo in via: Et item; *Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; & qui voluerit auferre tunicā tuam, dimitte ei & palliū.* (Luc. 6. d.) S. Verè nobis semper est tēpus belli & pugnæ quandiù in præsenti vita sumus, quoniā sēper necesse est nobis pugnare aduersus insidias hostis antiqui; & aëreas (id est, malignorū spirituum) debellare potestates. Pacis verò tēpus erit, cùm de præsenti sæculo migrauerimus; quoniam si bene pugnauerimus in hoc sæculo, in futuro coronabimur, & in cœlesti Ierusalem in æterna pace requiescemus. V. Quarè dicit; *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo*, cùm superiùs dixerit, omnia vanitatem esse? Si omnia vana, quomodo ergo bona sunt? S. Omnia vana sunt, quia transitoria: verùmtamen cuncta bona sunt, quoniam à Deo bona creata, (B) & bona quidem sunt non tamen semper, sed in tempore suo. Nam bonum est vigilare, bonum etiam est dormire; attamen semper vigilare, aut semper dormire non est vtique bonum. V. Quare dubitando loquitur Salomon, dicens; *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* (Ecclef. 3.) Quis enim ignorat, quia spiritus iumentorum (id est, pecorum, cūctorúmque brutorum animalium) simul cum corpore dissoluatur? Spiritus verò filiorum Adam (id est hominum) non simul cum corpore dissoluitur; sed mox vt egreditur de corpore, aut deducitur ad gloriam aut demergitur in pœnam? S. Paulò superiùs ostendit Salomō, quia quantùm ad corporis vtilitatem nihil distat inter iumentum & hominem; quia sicut moritur iumentum, (C) moritur & homo: Sed vt ostenderet, quia secundùm Animæ dignitatem multùm distat homo à iumento & pecore, idcireò disiunxit dicens: *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* (Eccl. 3.) Ostendit enim quia hæc sola differentia est inter homines & bestias, quoniam hominis spiritus ascendit in cœlum & spiritus iumenti seu pecoris descendit in terram quia moritur & simul dissoluitur cum carne. V. Cur ergo dicit Salomon; *quis nouit?* quasi nemo sit qui hoc cognoscere possit? S. Ideò ait; *Quis nouit?* vt difficultatem rei demonstraret: nam, *quis*, in Scripturis sacris non impossibilitatem sed difficultatem aut raritatem significare solet, sicut est istud; *Generationem autem eius quis enarrabit?* (Isa. 53. c.) hoc est, aut nullus, aut perrarus. Nam quod impos- (D) sibile est fieri, nullatenùs potest, etiam cum magno labore. Ergo ideò dicit; *Quis nouit?* quia perrarus, aut certè difficilè inuenitur ita spiritualis homo qui tunc perfectè comprehendere valeat cùm de corpore spiritus egreditur, vtrùm ascēdat an ducatur ad pœnam. V. Quid significant spiritualiter isti filij Adam, aut illa iumenta? S. Filij Adam significant sanctos & electos viros qui meritò appellantur homines, quia rationaliter, sanctè, & spiritualiter viuunt: per iumenta verò designantur carnales, qui propterea iumenta vocantur quoniam bestialiter & carnaliter, sicut iumenta & pecora viuunt. Hinc enim sanctus Propheta Daniel dicit; *Homines & iumenta saluabis Domine.* (Psal. 35. a.) Solet enim fieri vt illi qui videntur homines iusti, peccent & conuertantur à iustitia sua, & faciāt iniquitatem: (E) Econtrariò illi qui sunt mali & impij, conuertantur ab iniquitate sua, & faciant iustitiam & æquitatem: Ideò dicit Salomon; *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descēdat deorsum?* quia tam incertus est vitæ huius status, vt & peccator qui iumentum vocatur, per pœnitentiam conuersus surgat & ascendat in cœlum; & iustus à iustitia sua ruat in peccatum, & demergatur ad Inferos. V. Quid est quod ait; *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas.* (Ecclef. 4.) Quis est enim tàm stultus, qui carnem suam comedat? S. Stultus iste, piger ille debet intelligi de quo in Prouerbijs dicit; *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicuit eam.* (Prou. 19. d.) Iste piger & stultus complicat manus suas & comedit carnes suas, quia magis eligit in ocio & torpore viuere & habere pugillum farris, quàm laborando acqui-

acquirere vndè pascatur. Illud autem, *comedit carnes suas*, dictum est per hyperbolem. V. Quid est hyperbole? S. Hyperbole dicitur, quando aliquid incredibile profertur. V. Quomodò ergo dictũ est hyperbolicè, *comedit carnes suas?* S. Quia incredibile est vt homo comedat carnes suas: Sed ad exaggerandam pigritiam huius stulti, ait; *comedit carnes*, vt ostenderet, quia magis stultus desiderat vt caro eius tabescat inedia & miseria famis deficiat, quàm vt manuum suarum laboribus sustentetur. V. Quis est vnus de quo dicit Salomon; Vnus est & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat nec satiantur oculi eius diuitijs? S. Ille est qui cùm sit vnus; id est, solus; non habet secũdùm: hoc est; filium, non fratrem aut aliquem propinquum: & nunquam cessat laborare; hoc est, diuitias congregare; nec tantas congregat vt ei sufficiant: Erideò maxima vanitas est congregare diuitias & ignorare cui eas relinquant. V. Quem significat spiritualiter ille vnus qui non habet secundum? S. Dominũ Iesum Christum qui naturaliter solus est Dei Patris Filius, & solus descẽdit de cœlis ad redimendum genus humanum. V. Quomodò nõ habet filium vel fratrem, cùm in sacro baptismate omnes Christiani, filij Dei efficiãtur & fratres Domini nostri Iesu Christi? S. Ille solus proprius & naturalis Filius; cęteri verò omnes sunt adoptiui; & ideò fratres eius sunt, non natura sed gratia. V. Quomodò ergo iste vnus laborare nõ cessat? S. Quia peccata nostra patiẽter sustinet & misericorditer ad pœnitentiam expectat, & pro nobis quotidie apud Deũ Patrẽ interpellat. V. Quomodò non satiantur oculi eius diuitijs? S. Quia nostram semper desiderat salutem. V. Quis est iste funiculus triplex de quo dicit Salomõ; *Funiculus triplex difficilè rumpitur?* (Ecclef. 4.) S. Vnitas Patris & Filij & Spiritus sancti; quia in diuinitate tres sunt Personæ, sed tantùm vna est natura. V. Cur ergo ait, *difficilè rumpitur?* Illud enim quod difficile est, fieri potest quámuis cum magno labore: nũquid ergo potest iste funiculus rumpi? S. Verè nunquã, quia indiuidua est sanctæ Trinitatis natura: sed, *difficilè*, in hoc loco, pro impossibili accipiendum est; quia non potest fieri vt diuinitatis scindatur natura. V. Quis est ille puer pauper & sapiens, de quo dicit Salomon; *Melior puer pauper & sapiẽs, Rege stulto & sene?* (Ibidem.) S. Dominus Iesus Christus; qui puer dictus est propter innocentiam & simplicitatem, *quia peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*. (1. Pet. 2. d.) Iste puer cùm esset diues, pro nostra salute factus est pauper. (Cor. 2. b.) Iste veraciter est sapiens, quia in *ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. V. Quis est ille rex senex & stultus? S. Diabolus; qui penè ab ipso Mũdi exordio regnauit in genere humano, & ideò senex vocatur. Et verè stultus rex, quia quantò plures decipit, tantò sibi pœnam accumulat maiorem. In regno quippe huius Regis senis & stulti, id est diaboli, natus est puer optimus, Dominus videlicet Iesus Christus qui factus est rex regum & Dominus dominantium. V. Quid est quod ait; *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei?* Nunquid ab offensione lapidum monet custodire pedem, quando ingredimur domum Dei; id est, Ecclesiam? S. Quámuis semper honestè & cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum sed pedem animæ; id est, gressum mentis; vt in conspectu Dei, mundas preces effundamus: & est sensus; quando ingrederis domum Dei (videlicet Ecclesiam) custodi pedem tuum; id est, gressum mẽtis tuæ; ne offendas in malis cogitationibus, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum. V. Quid est quod ait; *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam?* (Ecclef. 5.) Quomodò dat homo os suum, vt peccare faciat carnem suam? S. Quando loquitur vanitates & verba libidinosa quibus caro incitetur ad peccandum. Sed iste est proprius huius loci sensus; *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam*; hoc est, noli quærere vanas excusationes quibus des occasionem carni tuæ ad peccandum: hoc est, noli dicere; Non ego pecco, sed quod in me habitat peccatum; id est, fra-

gilitas carnis meæ: Quia si hoc dicis, Dominum prouocas ad iram; quasi ipse sit autor malitiæ atque peccati. V. Quid est quod ait; *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur?* (Ecclef. 6.) Quomodò potest fieri, vt omnia quæ laborat homo sint in ore illius? S. Vir Ecclesiasticus, sapiens & doctus, omnem laborem suum habet in ore suo; quia omnia quæ in scripturis sacris discit, quotidiè meditatur prædicat & docet; & anima illius non implebitur, quia nõ sufficit sibi quod didiscit, sed magis ac magis semper discere cupit & studet. V. Quid est quod ait; *Melius est videre quod cupias quã desiderare quod nescias?* (Ibidem.) Quomodò videt homo quod cupit, aut quomodò desiderat quod nescit? S. Ille qui oculis mentis discernit inter bonum & malũ, videt quod cupiat bonũ & quod repudiet malum: qui autem sequitur voluntatẽ cordis sui & concupiscentias, sæpè desiderat quod nescit, quia vult comprehendere quod non potest. V. De quo dicit Salomõ; *Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius & scitur* quòd homo sit? S. De Domino Iesu Christo, cuius nomen antè vocatum est in Scripturis sacris, quia ipse carnẽ de Virgine sumpserit, & cognitũ est Prophetis & sanctis Dei, quòd verus homo erat venturus. V. Si hoc de Domino Iesu Christo dictum est, quid est quod sequitur: *Et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere?* Quis est ille fortior, contra quem Dominus Iesus contendere nõ possit in iudicio? S. Deus Pater qui fortior est, quia Filius secũdùm humanitatẽ minor est Patre. V. Quid est quod ait; *Melior est ira risu*; cùm risus naturalis sit, ira verò sit vitiũ? (Ecclef. 7.) S. Ira non semper est vitium, sed aliquando est virtus, quando irascimur nobis ipsis vel alijs peccantibus: hæc ergo ira melior est risu, quia risus dissoluit mentem, & lætitia corrumpit hominis animum; hæc autem ira corrigit & emendat peccatum. V. Quid est quod ait; *Calumnia conturbat sapientem & perdit robur cordis illius?* (Ibidem.) Qui enim verè sapiens est, nulla turbatur calumnia, nulla deijcitur aduersitate. S. Sapiens in hoc loco non intelligendus est ille qui perfectus & consummatus in sapientia est; sed qui iam cœpit habere sapientiam, & tamen adhuc nõ est perfectus. Talem sapiẽtem calumnia hominum siue aduersitas aliqua facilè conturbat & perdit vigorẽ ac fortitudinem animæ illius qui dum patienter non sustinet aduersa, vexatur impatientia. V. Quid est, malè dicere quia priores dies meliores fuerunt quàm isti qui modo sunt? S. Ideò malum est hoc dicere, quia ipse ait; *Stulta est talis interrogatio*. (Ibidem.) V. Quare stulta interrogatio est, si quis dicat; *Quæ causa est, quia priora tempora meliora fuerunt quàm nunc sunt?* S. Ideò stulta interrogatio est, quia vnus Deus conditor est omnium temporum, cunctorúmque dierũ. V. Quamuis enim vnus sit Deus, conditor omnium tẽporum cunctorúmque dierum; nunquid non fuerunt tempora bona & mala? S. Verè fuerunt: sed virtutes, faciunt nobis tempora bona; vitia & peccata faciunt tempora mala; (Tempora vnde bona.) & idcircò nos ita semper bene viuere debemus, vt dies præsentes nobis meliores sint quàm præteriti. V. Quid est quod ait Salomon, *Noli esse iustus multùm, neque plus sapias quã necesse est?* (Ecclef. 7.) Quid enim mali est si homo sit multum iustus; aut quis potest plus sapere quàm necesse sit? S. Ille multum & nimis iustus est, cuius iustitia sæua & crudelis, etiam alios excitat ad querelam & murmurationem; verbi gratia: Qui videt fratrẽ suum peccare, & magis vult eum condemnare atque punire quàm per pœnitentiam corrigere & emendare, ille nimirùm, multũ & nimis est iustus. V. Quomodò sapit homo plus quàm necesse est? S. Quãdo superbe sapit: vnde monet Apostolus; *Noli altum sapere*: id est, noli superbè sapere, *sed time*. (Rom. 11.) Ille etiam plus sapit quàm necesse est, qui ea vult intelligere quæ non potest comprehẽdere neque penetrare. V. Quare Salomon dicit; *Qui timet Dominum, nihil negligit*; cùm Iacobus Apostolus dicat; *In multis offendimus omnes?* (Ecclef. 7. Iacob. 3.) Nunquid Iacobus aut cæteri Apostoli non timebant Deum; qui se in multis offendere confitebantur? S. Timebant vtique, & in multis offendebant, quia non est homo super terram qui faciat bonũ, & non pec-

cet. V. Quomodò ergo verum est quod dicit; *Qui timet Dominum, nihil negligit?* S. Qui enim sanctum & castum Dei timorem habet, nihil omnino negligit, quia neque prosperis eleuatur, neque aduersis deijcitur, quoniam quicquid illi accidit non eum contristat. V. Quis est ergo ille qui sanctum & castum Dei timorem habet? S. Qui Dominum in nullo vult offendere, & quantùm ipse adiuuare dignatur, eius voluntatem & mandata ipsius in omnibus vult & studet adimplere. V. Quid est quod ait, *Sapientia confortabit sapientem super decem Principes ciuitatis?* Quæ est hæc sapientia, aut qui sunt isti principes? S. Sapiẽtia in hoc loco Dominum Iesum Christum significat, qui est virtus & sapientia Dei: Decem Principes ciuitatis, sancti Angeli sunt intelligendi, qui sunt principes ciuitatis, id est, cœlestis Ierusalem. Sunt & principes Ecclesiæ, quia ipsi quotidie regunt eam, & custodiunt. V. Cur ergo decem dicuntur? S. Quia decem fuerunt ordines Angelorum, sed vnus cecidit per superbiam: & idcircò boni Angeli semper ad hoc laborant, vt de hominibus numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum; id est, denarium. V. Quomodò ergo sapientia confortat sapientem super decem Principes ciuitatis? S. Quia maius est auxilium sapientiæ; id est, Domini Iesu Christi; quàm sit Angelorum. V. Quid est quod Salomon dicit; *Virum vnum de mille reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni?* Nunquid non multæ mulieres sanctæ fuerunt, virgines simul & viduæ; quæ pudicitia ac castitate, ac bonis operibus Deo placuere, ex quibus plurimæ illarum Martyrio coronatæ sunt? S. Verè fuerunt & vsque nunc sunt plurimæ virgines ac viduæ Deo acceptæ: sed hoc dicit Salomon, quia suo tempore de multis viris vix potuit inuenire bonũ; de mulieribus verò nullam inuenit, quia omnes eum non ad virtutem sed ad luxuriam traxerunt. V. Potest hæc sententia spiritualiter intelligi? S. Verè potest, nam per virum designatur bonus animi cogitatus, per mulierem verò carnalis & dissoluta cogitatio. De mille ergo vir vnus inuenitur; id est, vnus cogitatus mundus & purus; qui peruersa cogitatione non turbetur, id est, polluatur extrinsecus: de mulieribus verò nulla inuenitur quæ placeat Deo, quia carnalis & peruersa cogitatio nõ est accepta Deo. V. Quid est quod ait; *Qui custodit præceptum Dei, non experietur quicquam mali?* Quomodò nihil mali experietur qui præcepta Dei custodit, cùm sancti viri qui præcepta Dei custodierunt, multa perpessi sint in hoc sæculo? S. Verum est, quia qui præcepta Dei custodit; id est omne quod iussit & præcepit Deus; non experietur quicquam mali in futuro, hoc est, nullum malum patietur, nullum malum sustinebit in die Iudicij. Quamuis enim aliqua mala patiatur in hac vita, leuia sunt & transitoria; in futura autem vita nihil mali patietur, qui peruenerit, ad æternæ beatitudinis gloriam. V. Quid est quod ait; *Melior est canis viuus, leone mortuo?* quid per canem viuum aut leonem mortuum, Salomon vult intelligi? S. Canis viuus significat populum Gentiũ, leo mortuus populum Iudæorum à Deo derelictum. Melior est ergo apud Deũ Canis iste viuus quàm leo ille mortuus; quia nos qui de Gente credimus viuentes, per fidem cognoscimus Deum Patrem, & Filium & Spiritum sanctum. Aliter Canis viuus est peccator qui se peccatis mortuum confitetur; & per pœnitentiam resurgens, incipit per iustitiam viuere: Leo mortuus, est iustus quia in sua iustitia confidit, & de meritis suis gloriatur; & idcircò superbia elatus, mortuus est apud Deum. Melior est ergo peccator humilis & per pœnitentiam correptus, quàm iustus superbus; quia ille abominabilis, iste Deo acceptus est. V. Quid est quod dicit; *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat?* Nunquid potest aliquis candida vestimẽta semper habere? Et si forsitan ita est diues vt semper vestimẽta cãdida possit habere, quod omninò difficilè est; quomodò fieri potest, vt de capite ipsius nunquàm deficiat oleum? Quis namque ferre potest, vt semper habeat caput oleo perunctum? S. Hæc sententia, non historialiter sed spiritualiter debet intelligi. Nam per vestimenta, virtutes designantur quibus anima vestitur & ornatur: Per oleum verò designatur opus misericordiæ; id est, Eleemosyna, vel certè spiritualis lætitia, & est sensus; *Omni tempore sint vestimenta tua candida*; id est, quæcúnque bona egeris, sint munda & pura, vt possint Deo esse accepta; & nunquàm deficias ab operibus misericordiæ, & semper habere stude spiritualem lætitiam. V. Quæ sunt muscæ de quibus Salomon dicit, *Muscæ morientes exterminant suauitatem illius?* S. Verè certè Salomon spirituales Muscas intelligit. V. Quæ sunt illæ spirituales Muscæ? S. Dæmones, vitia, & peccata: hæc enim omnia exterminant hîc suauitatem vnguenti; id est, gratiam Sãcti Spiritus. V. Quid est quod ait, *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius?* Quis enim habet cor suum carnale in dextera vel in sinistra manu? S. Verè nullus; & ideò hæc sententia spiritualiter debet intelligi. V. Quomodò spiritualiter debet intelligi? S. Per cor designatur intentio seu cogitatio: Per dexteram manum, opus bonum; per sinistram verò, malum. Cor igitur sapientis in dextera eius, quia intentio & cogitatio viri sapientis ad hoc tendit & ad hoc laborat vt semper bona operetur; quatenùs in die Iudicij, ad dexteram Domini; id est, in sorte iustorum stare mereatur, & cũ ipsis in æterna beatitudine gloriari. Cor verò stulti in sinistra illius, quia & mala quæ cogitat & malis operibus accumulat, pro quibus in die Iudicij, à sinistris; id est, in sorte reproborum ponetur, & cum eis in æternum punietur. V. Quis est ille spiritus de quo dicit; *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris?* Quis est iste qui habet potestatem; cuius spiritus si ascenderit super nos, locum nostrum dimittere non debemus? S. Diabolus, princeps huius Mundi; spiritus eius, est maligna suggestio. V. Spiritus Diaboli quomodò ascendit super nos? S. Quia persuadendo facit vt mala cogitemus: si ergo suggerente Diabolo, mala cogitatio ascenderit in cor nostrum; non ei locum dare debemus, sed contra ipsam fortiter pugnare ne fortè opere compleamus malam cogitationẽ. Potest & sic intelligi: si habes in te humilitatem, munditiam, castitatem, patientiam, charitatem; & Diabolus suggerit tibi superbiam, libidinem immunditiam, iram, odium: *ne dimiseris locum tuum*; id est, ne dimittas humilitatem & efficiaris superbus Sic & de cæteris est intelligendum. V. Quare dicit Salomon; *Væ tibi terra, cuius rex iuuenis est, & cuius Principes manè comedunt?* Nunquid non beata fuit terra Israël, quæ iuuenem habuit regem, Dauid scilicet qui fuit triginta annorum quando suscepit regnũ? Nunquid non bonus rex Iosias, qui regnare cœpit in adolescentia? S. Verè bonus rex Dauid, bonus & Iosias. Sed væ terræ cuius rex iuuenis est; hoc est, in quo parua & infirma est sapientia, & carnalis prudentia quæ iuuenilia desideria sequitur, odit iustitiam, veritatem, & iudicium. V. Quomodò Principes manè comedunt? S. Principes manè comedunt quãdo luxuriosam vitam ducunt: & idcircò væ terræ cuius Principes manè comedunt, quia magis amant huius sæculi voluptates & carnis delectationes quàm populi salutem; ideóque luxuriosè viuendo peruertunt iudicium. V. Quomodò beata est terra cuius rex est nobilis, & cuius Principes comedunt in tempore suo? S. Si rex nobilis est; hoc est, decorus sapientia, splendidus iustitia, ornatus bonis moribus & actibus; verè beata est terra cui præest, quia regit eam in iudicio & æquitate, & exaltat iustitia. V. Qui sunt illi Principes, qui in tempore suo comedunt, S. Illi nimirùm qui non luxuriantur, qui non amant huius sæculi voluptates, qui non viuunt in crapula & ebrietate; sed cibos quærunt tantùm ad corporis sustentationẽ: Ideóque beata terra quæ tales habet Principes; quia dum iustitiam & æquitatem diligunt, vtique non peruertũt iudicium. V. Quid est quod ait; *Da partes septem nec non & octo?* Quæ sunt illæ septem partes vel octo, quas dare nos iubet? S. Per septenarium numerum, vetus Testamẽtum pro-

Eccl. 7. Sanctus & castus Dei timor quis sit.

Eccles. 7.

Impropriè vocat decimum ordinem, numerum illum Angelorum, qui ex nouem ordinibus cecidit, nam nouem tantũ esse Angelorũ ordines, & ex quolibet ordine aliquos cecidisse, docent Theologi Vide S. Thomã 1 par. q. 63. art. 9. ad 1 & quæst. 108.

Eccles. 8.

Eccles. 9.

Ibidem.

Ibidem.

Eccles. 10.

Ibidem.

Dextera mysticè quid sit.

Eccles. 10. Dauid 2. Reg. 5. 4. Reg. 23.

Rex nobilis quis sit.

Eccles. 11.

propter Sabbatum, qui est septimus dies sanctificatus in Lege; per octonarium verò, designatur nouum Testa- A mentum propter diem Dominicam, qui est octauus, Domini Christi resurrectione sanctus. V. Quomodò ergo intelligendum est quod ait; *da partes septem, nec non & octo?* S. Hoc modo: id est vtrumque Testamentum (Vetus scilicet & Nouum) pari veneratione credendo suscipe, & præcepta eorũ diligenter implêre stude. V. Quid est quod ait; *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quocúmque loco ceciderit, ibi erit?* Nunquid quod cadit lignum ad Aquilonem, aut ad Meridiem, non sæpè mouetur in alias Mundi partes? S. Nulli hoc dubium est sed hæc sententia spiritualiter intelligi debet. Nam per lignum, homo designatur: quoniam vnusquisq; est quasi lignum syluæ generis humani. Per Austrum qui est calidus ventus, designatur requies Paradisi. Per Aquilonem qui est frigidus, designatur Inferni supplicium; Et est sensus: Vbicúmque sibi homo locum ad futuram sedem præparauerit, siue ad Austrum, cùm ceciderit (id est mortuus fuerit) in requie Paradisi & gloria regni cœlestis permanebit in æternum.

Dies Dominicus Resurrectione Christi sanctus.

Ibidem.

Si verò malè viuendo sibi locum præparauerit ad Boream; Inferni pœnas luet in sæcula sæculorum. V. Quid est quod ait, *Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes numquam metit?* Quis enim est tam stultus, qui semper obseruet ventum, vt non seminet; & semper consideret nubes, vt numquam metat? S. Hæc sententia spiritualiter intelligenda est: Nam vt per ventum & nubes sæpè tempestas generari solet; sic per ventum etiam designatur Diabolus, per nubes præsentis sæculi aduersitates. Quicunque igitur timet Diaboli persecutionem aut Mundi huius aduersitates, non seminat; id est, verbum Dei non prædicat, nec operatur bona quæ valet. Etiam nunquam metet; quia & si aliqua bona inchoat, ad perfectionem non ea perducit. V. Quid ergo agendum est? S. Sine consideratione nubium & timore ventorum, in medijs tempestatibus seminare debemus; id est, in omnibus aduersitatibus verbum Dei prædicare, & bona opera quæ valemus agere semper oportet. V. Quid est, *Manè semina semen tuum, & vesperi ne cesset manus tua?* Quis enim semper & mane & vesperi seminare potest, maximè cùm glaciali tempore nullus audeat seminare? S. Semen hoc loco non intelligendum est frumẽti vel alterius cuiuslibet grani, sed semen boni operis ex quo nascitur fructus iustitiæ, & merces æternæ remunerationis. V. Quid ergo docet cùm dicit, *Manè semina semen tuum, & vesperi ne cesset manus tua?* S. Vt nullo tempore, nulla ætate, à bonis operibus cessemus, & nostram D matutinam iustitiam vesper inueniat, & vespertinam misericordiam iterum Sol ortus accumulet: In adolescentia pariter & senectute virtutum copia nos semper Deo commendet. *Manè* ergo *semina semen tuum, & vesperi ne cesset manus tua:* hoc est, semper te in bonis operibus exerce. V. Quid est quod ait, *Et florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis?* Quid enim profuit hoc dicere, cùm nulus ignoret quia & Amygdalus florêre solet, impinguari Locusta, & dissipari Capparis: S. Hæc sententia spiritualiter est intelligenda, & magnum in se continet mysterium.

Eccles. 11.

Eccles. 11.

Merces æternæ remunerationis.

Eccl. 11.

Nam per Amygdalum designatur Dominus Iesus Christus: quia sicut nux Amygdali constat ex corio, osse & nucleo, ita Christus ex carne, anima, & diuinitate, Quoniam per os amygdali, diuinitas designatur. V. Per Locustam & Capparim quid significatur? S. Per Locustam, populus Gentilis, per Capparim populus Iudaïcus. V. Quomodò ergo intelligenda est hæc sententia? S. Florebit Amygdalus, id est, nascetur Christus & coruscabit miraculis: *Impinguabitur Locusta*, id est, credet Gentilis populus, & replebitur donis spiritualibus: Dissipabitur Capparis, hoc est, peribit propter infidelitatem populus Iudaïcus. V. Quare verba Sapientum stimulis & clauis assimilantur? Sic enim dicit Salomon, *Verba Sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* S. Aptissimè verba Sapientum, clauis & stimulis comparantur, quia peccatorum culpas nesciunt palpare, sed pungere: qui enim veraciter sunt sapientes, eorum proculdubiò verba claui sunt & stimuli, quia peccatores non blandi- B mentis fouent sed aspera increpatione redarguunt, & eorum secretas conscientias quasi pungendo, ad dolorem & lamenta exercent vt corrigantur. V. Quid est quod ait, *Quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno?* Qui sunt illi magistri per quorum consilium data sunt Sapientum verba, aut quis est vnus ille Pastor, à quo data sunt? S. Magistri, sunt sancti Prophetæ & Apostoli: Pastor vnus est Deus, à quo data sunt omnia verba sapientum, quia ipse docuit magistros (id est, Prophetas & Apostolos) & restruxit eorum consilium, quoniam ipse dedit verba in corde & ore ipsorum. V. Quid est quod Ecclesiastes in fine Libri sui dicit, *Deum time & mand. ita eius custodi, hoc est enim omnis homo?* Quomodò fieri potest, vt hoc tantùm sit homo, id est, timere Deum & mandata eius obseruare? Multo quippe maior est pars C eorum hominum qui nec timent nec custodiunt. S. Verè maior pars est malorum quàm bonorum, quia sicut Dominus dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, & incomparabiliter maior infidelium multitudo quàm fidelium. V. Quid ego vult in hoc loco Salomon demonstrare? S. Hoc námque demonstrat in his verbis, quia nõ est homo, qui Deum non timet & mandata eius non custodit. V. Quare non est homo? S. Quia non custodit modum rationémque suæ naturæ. V. Quæ est ratio & modus naturæ humanæ? S. Rationabiliter viuere, quia inter animantia omnia solus homo creatus est rationale animal, & solus accepit à Deo rationem & intellectum ita vt agnosceret suum Creatorem & diligeret eum ac timeret, & corde & ore simul laudaret. V. Quid est Deum timere? S. Volũtatem eius implêre, & bona quæ facienda sunt facere. V. Si ergo qui non timet Deum & mandata eius non custodit, nõ est homo, quid ergo est? S. Bestia est. V. Quomodò bestia est, cùm in eo videatur humana substantia & persona? S. Quámuis enim videtur habere humanam substantiam & personam, tamen quia non rationabiliter sed bestialiter viuit, non homo sed bestia dicendus est. V. Quomodò bestia vocatur? S. Si est crudelis, suis domesticis & subiectis aut vicinis, leo est, non homo: si autem raptor est, Tygris vel Lupus, si verò est adulter aut fornicator aut immundus, Canis est aut Porcus, aut si stultus, Asino comparatur: fraudulentus itaque aut simulator, congruè vulpeculæ assimilatur, & sic de cæteris intelligendum est. V. Quis est ergo veraciter homo, S. Ille qui Deum timet, & mandata eius custodit.

Amygdali cũ Christo, similitudo.

Eccles. 12. Sapientum verba similia stimulis.

Eccl. 12.

Matth. 20.

Bestia est non homo qui Dei non seruat mandata.

OLYMPIODORI, IN ECCLESIASTEN SALOMONIS, ENARRATIO, ZENOBIO ACCIAIOLO, FLORENTINO, INTERPRETE.

EX SIXTI SENENSIS, BIBLIOTHECÆ SANCTÆ, LIBRO IIII.

Olympiodorus Monachus natione Græcus, Philosophus Peripateticæ scholæ, cuius extant præclari in Aristotelis Metheora Commentarij; scripsit Græcè iuxta triplicem sensum, Enarrationem in Ecclesiasten, succinctã, eruditam, breuem & elegantem; quam Zenobius Acciaiolus Florentinus in Latinum transtulit: eius initium est; Rerum certam cognitionem. *Sed & de Olympiodoro & alijs eiusdem nominis consule sacrum apparatum Posseuini.*

PRÆFATIO.

3. Salomonis librorum argumentum.



Erum certam cognitionem cùm à Deo Salomon accepisset, qui fuit filius Dauid non solùm carnis progenie sed imitatione virtutis, triplici ipsas diuisione partitus est: in Morales scilicet, ac Naturales, & eas quæ intellectu solo percipiuntur, Ac Morales quidem tradidit in Prouerbiis; Naturales autem in Ecclesiastæ Sententiis; Intelligibiles verò in Canticis canticorum. Est tamen inuenire & in Ecclesiaste, Moralium interspersam doctrinam; & rerum Naturalium, in Prouerbiis: cùm tamen suæ propriæ singulis discretæ sint. Cantica verò Canticorum, totum prorsus vbique de intellectualibus differit, spectátque ad allegoricum sensum: Sed & in Ecclesiaste ac in Prouerbiis est item inuenire quæ intellectualia sunt. Se verò ipsum Ecclesiasten; hoc est, Concionatorem, Salomon nominauit; tanquàm cunctos mortales in Ecclesiæ cœtum vocans & in concordiam nectens, ac in communi Physicarum rerum speculationem tradens. Illud quoque sciendum est, sapientem hunc nostrum Ecclesiasten, modò è sua ipsius loqui persona, modo eius personam gerere qui ea quæ in Mundo sunt, attonitus admiretur. Atque hæc quidem vt in præuio quodam prospectu dicta à nobis sint: Primum verò caput, hæc fermè complectitur. Ecclesiastæ genus narrat & dignitatem, tum verò & ciuitatem ipsam in qua, Regia illi constituta erat. Decernit autem atque ostendit quæcúmque in hoc Mundo sunt, vanitatem esse: non quod omnia damnet atque accuset, verùm potiùs consilia hominum reprehendit qui in hoc Mundo spem suam collocasse videntur. Docet autem & de Solis ipsius motu; primo quidem Lectionis occursu, physicè loquens, cùm tamen ad Theologicam allegoriam eius mens intentióque pertineat. Idem inquit & de Fluminibus, quæ in Mare prorumpunt neque illud complent. Hinc etiam docet in rebus quæ creârit Deus, nihil esse recens ac nouum; sed eas cum tueri locum quem ab Opifice Deo semel sortitæ sunt. Neque verò oculum expleri posse aspectu; neque penitus scire homines prima præteritorum, neque futurorum postrema, laboriosámque occupationem filiis hominum Deum dedisse: Agere autem homines quæcúmque agant, nulla quidem necessitate, electione autem spiritus, hoc est, propriæ libertatis: Quodque peruersum est, donec in sua prauitate persistat, concinnari corrigíque non posse. Vt autem sermoni suo fidem autoritatémque conciliet, vtpote qui omnia quæ in Mundo sunt vana esse affirmat, docet se sapientem & Regem diuitémque fuisse, vt ita faciliùs in animos legentium irrepat, vanitatem cuncta appellans. Docet etiam in multitudine sapientiæ, multitudinem esse cognitionis, meminitque de Mundi huius lætitia: contendítque, si fieri possit, vi rationalis substantiæ quæ nobis inest, saluam fieri carnem.

Argumentum Libri Canticorum.

CAPVT PRIMVM.



Erba Ecclesiastæ filij Dauid Regis Israël in ierusalem: Vanitas vanitatum; omnia vanitas. Verba) Cuncta scilicet hæc verba sapientis Ecclesiastæ erudientis nos aspernari vitæ huius vanitatem, auditorem conuertunt atque hortantur ad verbum Fidei, quæ est in Christum Deum nostrum. *Ecclesiastæ*) Tanquàm in Ecclesia Dei, verba sapientiæ custodiantur; Ecclesiasten se Salomon nominauit. *Filij Dauid.*) Suum genus ac dignitatem refert Ecclesiastes vt ad personæ autoritatem animum conuertẽtes, promptiores reddamur ad doctrinam suscipiẽdam. Quod autem spectat ad latentem sensum, ita intellige: *Dauid*, interpretatur manu fortis; manu autem fortis est omnia continens Deus. Huius verò Filius Dominus noster Iesus Christus, verus est Ecclesiastes qui ex omnibus gentibus populisque duobus vnam sibi fecit Ecclesiam, quique regnat in vero Israël. *Israël* námque interpretatur, mens videns Deum in visione pacis regiam sedem habens, iuxtà quod scriptum est: *Et factus est in pace locus eius*; Ierusalem siquidem pro visione pacis accipitur. Ipse igitur manifestè nos docet voluntatem hominum qui circa mundana versantur, vanitatem esse; quam & diffusiùs, vanitatum vanitatem appellat. *Quid habet homo amplius in omni labore suo quo laborat sub Sole.* Omnes quidem homines sub eodem Sole versamur: eorum verò qui laborant, alij quidem vires intẽdunt suas ob ea quæ Solem supereminent, vt cœleste regnum in hæreditatem accipiant, alij verò ob ea laborant quæ sunt sub Sole, vt inanem scilicet gloriam, vel pecunias dignitatémque acquirant. Quid igitur (inquit) homine homo amplius habet in eo labore quo laborat sub Sole, quando omnes relicta præsenti vita communem mortem subimus? *Generatio præterit & generatio aduenit, terra autem in æternum stat*

Ecl. 6.

Psalm. 75.

A

Eccl. 1.

Ibid.

Eorum quæ creata sunt; alia quidem durant absque successione, cum præsenti sæculo simul extantia, veluti Cœlum, Terra, Astra, & Sol, alia verò corrumpuntur ac pereunt, sed generis successione seruantur; vt homines

B

sunt, vt aues, vt pisces ac plantæ. Quid igitur homines laboratis

laboratis circa terrena; quando ipsa terra sensu carens elementum, in longinquum tempus perdurat; vos autem secundùm generationem peritis? Aut ita intellige: Terra quidem in æternum stat, accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis. Mystico autem sensu: *Generatio præterit*, Iudæorum scilicet, eiecta & repulsa; *Generatio* verò *aduenit*; eorum scilicet qui in Christum crediderunt. Sacra verò Scriptura, terra nuncupatur; instar enim terræ, immobilis est, fructûs gignit, omnibus patet, ac omnes accipit, veterique ac Nouo Testamento subnixa manet in sæculum, immobiles habens & iustorum promissiones, & quæ peccatoribus reposita declarantur supplicia. *Oritur Sol & in locum suum aspirat.* Certum Solis cursum dispositionémque ostendit, vt nos ad illius contemplationem attolat qui fabricatus est Solem. Mouetur autem circulari motu vt nonnulli arguūt ex verbis Esdræ ita dicentis; *Magna est terra, & excelsum est cœlum, & velox cursu est Sol, & vertitur in circulo cœli, & in vna die ad locum suum reuertitur.* Quasi dicat: hic etiam Sol quamlibet magnus; ad Solem iustitiæ comparatus, vanitas est. Mystico autem sensu ita intellige: Oritur Sol in cordibus Fidelium dirigens adhuc proficientes, ad ea quæ agenda sunt; sed & in ipsis occidit quando altitudines sententiarum inquirunt, atque ita maius desiderium cognitionis illis accendit. Aliter: Oritur Sol, vnigenitum Dei Verbum è paterno sinu: occidit in nouissimis diebus, ad occasum vitæ eius, carne assumpta, suã quodammodò diuinitatem occultans: Ipsis quidem fidelibus Deus immutabiliter factus homo cognoscebatur, ab Infidelibus autem simplex & verus esse homo putabatur. Oritur insuper ex Deipara Maria secundùm carnem; occidit autem Inferni ima descendens: Sed & rursus exoritur, à mortuis surgens. Quibuscúmque autem modis hunc Solem consideres, omnes fideles trahit ad regnum cœlorum, verissimè testatus; Cùm autem exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. *Ibi ipse oriens transit ad Notum, & flectitur ad Aquilonem.* Climata explicat quæ Sol percurrit: Symbolicè autem contemplando, poteris Notum intelligere qui à calida Mundi regione spirat; pro insita hominibus rationali prudentia quæ nequaquam torpet, sed quia ignea feruénsque est. Aquilonem verò pro fortitudine; est enim ventus hic acer & expeditus. Liben, pro temperantia quæ infrigerat voluptates corporis & exsiccat: Apelioten verò seu Subsolanum, pro ipsa iustitia quæ per omnes commeat extenditúrque virtutes.

1. Esdr. 4.

Ioh. 12. c.

Ventorum Symbolica interpretatio.

Omnes igitur animæ regiones illustrãs, interno splendore radiat Sol iustitiæ. Aliter: Deus Verbum carne assumpta, villas & ciuitates ad Notum constitutas ipse suis pedibus circuiuit; per Apostolos autem, Boreales plagas. Egentibus itaque Ecclesiam congregans, omnia denium collustrans; omnes ad salutem conuertit. *Lustrans in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Literali quidem sensu; spiritum vocat Solem propter motus velocitatem; Nonnulli tamen è Gentilium opinione ita etiam exponunt, quoniam ij putāt Solem anima præditum esse animal. Mystico autem sensu; Spiritus sanctus Apostolis infusus, circuire illos terras omnes faciebat; & Euangelium prædicare: sed & Apostolus induxit, vt conuerso itinere redeuntes, eos inuiserent quos priùs in doctrina fidei erudierant, vt in Actis Apostolorum planè inuenies. *Omnes Torrentes intrant Mare, & Mare non redundat.* Mos est diuinæ Scripturæ, vt *omnes* pro plerisque accipiat, iuxta illud; *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt:* neque enim Iusti neque Prophetæ declinauerunt. Est igitur admirari sapientiam Creatoris, quonam pacto hoc fiat vt plerisque fluuijs Mare intrãtibus, ipsum tamen in terminis suis consistat. Mysticè autem; flumina sunt Apostoli, iuxta quod scriptum est: *Et Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Mare autem intelligitur præsens vita, iuxtà illud; *Hoc Mare magnum & spaciosum.* Euangelici itaque Apostolicique sermones in dulcorem mutant huius vitæ salsedinem: verum Mare hoc

Psalm. 13.

Psalm. 35.

Psalm. 103.

nequaquam impletur; neque enim omnium fides est. Moraliter autem, quasi proposito exemplo subinnuit
A eos homines qui inexplebilis auaritiæ morbo laborant; insatiabile namque illorum desiderium non expletur, quanquàm more Torrentum vndique ad illos diuitiæ confluant.

Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluãt. Amos Propheta inquit: *Qui vocat aquas Maris & effundit eas super faciem terræ.* Videtur itaque hoc loco physicas adducere rationes: quòd videlicet aqua Maris, à nubibus inde attracta, & in terram effusa faciat ipsos Torrẽtes. Inquit igitur: E Mari Torrentes fluuijque exorti rursus in illud reuertantur. Mystico autem intellectu; ad locum vnde Apostoli exierunt, illuc fecerunt vt Fideles conuerterentur: ad Deum videlicet, vt in lumine Domini posteà ambularent. Aliter: Qui è virtute in vitium
B ac malitiam decidunt, Torrentum ac fluuiorum more ex alto quodam loco in præceps concauúmque ac terrestre delabuntur. Possunt tamen & cùm ad ipsum iam vitæ terminum peruenerint, resipiscere, ad pœnitentiam redeuntes; & per conuersionem reuerti iterùm in viam quæ perducit ad Paradisum vnde homo primus eiectus fuit. *Cunctæ rationes difficiles, non poterit homo eas explicare sermone.* Rationes quæ de certa rerum cognitione afferendæ sunt, magnam difficultatem habẽt eò quòd non possunt homines quantúmuis magna pollentes ingenij vi, rerum omnium absolutam consequi cognitionem. Aliter: Omnes rationes, tam quæ ad sæcularem quàm quæ ad diuinam sapientiam pertinent, non sine labore tradi possunt; sæculares tamen ac mundanæ scientiæ plerúmque discentibus detrimentum adducunt. Scientia verò
C Dei ac diuinus sermo semper est vtilis; quem tamen nõ poterit homo pro dignitate explicare, licet alioquin prudens sit, nisi qui accepit donum doctrinæ sapientiæque sermonem. Aliter: Semper ferè diuini verbi doctores laborant, atque in angustia sunt, ac plerúmque ab ipsa doctrina retrahuntur, cùm frustrà se videant operam insumere ac laborem solum lucrari, ob Auditorum inobedientiam ac desidiam. Prædicationis itaq; officium deterret eos qui cùm negligentia audiuntur. Aliter: Oportet priùs facere ac deinde alios docere. Labor est itaque non vulgaris atque exiguus sed valde periculosus, quemquam alios ea docere quæ priùs ipse non fecerit. Quapropter homo perfectus ac prudens cùm rei magnitudinem contemplatur, ab ipsa prædicatione resilit
D ac retrahitur.

Amos 5. & 9.

Rerum rationes non facile tradi posse.

Prædicationis officium magnitudine sua deterret prudentes.

Labor est valde periculosus alios docere quæ prius non fecerit.

Non saturabitur oculus visu, neque auris auditu implebitur. Verba hæc secundum physicam rationem ita exponi possunt, videlicet: Neque oculus vniuersam sensibilem creaturam Mundique machinam potest complecti, neque cuiusquam mens omnes capere rationes atque sermones qui de illa explicari possent; quia videlicet deest homo qui de ijs loquatur ac doceat. Aliter: Oculi hominum cùm valde agiles sint ac quodammodò lubrici, ad concupiscentiam proni sunt neque expleri possunt. Sed & qui pruritum aurium patiuntur, semper quidem res nouas discere gestiunt & affectant; nunquàm tamen curant ad veritatis notitiam peruenire: quapropter & diuini verbi Præcones non laborant vt aures oculósque
E discentium modestos temperatósque efficiant. Aliter; audiendi sensus ac videndi, principales regijque sunt ac cæterorum sensuum maximè rationales; proprias nãque operationes humanæ vitæ perutiles ac necessarias sine vlla satietate efficiunt. Gustus autem, Odoratus ac Tactus, citiùs fatigantur ac tædio afficiuntur. *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Creatarum rerum aliæ quidem æternæ sunt; id est semel creatæ, successionem non habituræ; vt Sol, vt Luna; perpetuò durant. Aliæ verò per successionem conseruantur, quæ videlicet sunt sub Sole vt animalia ipsa ac plantæ quæ generationi subiacent & corruptioni. De huiusmodi ergo Creaturis quas successio seruat, habetur hic sermo; homo siquidem natus

Visus & auditus, omnium sensuum maxime rationales sunt, ibidem.

est olim fuitque ab initio, quo defuncto alius generatur. Item & planta fuit, planta nascitur, *Et non est aliquid recens sub Sole; neque qui dicat ac loquatur, ecce hoc nouum est, iam enim præcesserunt in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Sæculum quandóque spacium vitæ humanæ significat, iuxta illud; Non comedam carnem in sæculum; id est, in tota vita mea: Et alibi; Erit tibi seruus in sæculum: Quandóque autem perpetuum, temporariam durationem Mundi huius ab initio Creationis vsque ad finem. Dicit ergo nihil esse nouum in successionibus hominum, animalium ac plantarum. Aliter etiam: Qui probi officiosíque fuerint in hac vita, in futuro sæculo coronantur, puniũtur autem scelesti. *Quid est igitur quod fuit? ipsum quod futurum est:* Quasi dicat; officiosè quispiam vixit? præmia virtutis accipiet; sceleste alius vixit? sui flagitij pœnas dabit. Quæ igitur in futura vita & sæculo nobis aduenient, præmia illorum erunt quæ in hac vita sæculóque præcesserint. *Non est primis memoria, sed nec eorum quidem qui postremo futuri sunt erit recordatio cum iis qui futuri sunt in nouissimo.* Particularia singulorum hominum facta, quæ in tota vita gesserunt, sunt quodammodo infinita, vt eorum meminisse nequaquam possimus: sed neque scimus ea quæ posteri ac venturi facient; hoc est, ignoramus quæ sigillatim cuncti homines ab initio Mundi fecerint. Neque enim cum illis in vita fuimus, sed neque eorum qui post nos futuri sunt cognitionem habemus. Vniuersalia enim fortasse quodammodò possumus, particularia verò cuncta scire non possumus. Non est igitur primorum memoria; neque in nouissimis futurorum. Aliter: Qui officiosè vixerunt in hoc Mundo, mox cœlestis regni præmium consequuti non habent in sensu memoriam laborum quos in præsenti vita pertulerunt; sed neque sensu animóque percipiunt damnatorum pœnam: non erit itaque ipsis memoria cum illis qui futuri sunt in nouissimis; hoc est eorum qui tunc punientur: Non quòd vlla obliuio animas occupatura sit; sed quia ex præsenti voluptate, dolorum memoria cessabit, iuxta quod scriptum est, *In die bonorum: obliuio est malorum, Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Ierusalem.* Quia nos adhortatur sensibilia cuncta despicere; faciliùs autem consilio illius creditur qui ea contemnenda proponat quæ ipse possederit ac expertus fuerit; ideò suam nobis exposuit dignitatem vt cum attentione verba eius accipiamus. *Et dedi cor meum ad quærendum, et speculandum in sapientia de omnibus quæ sunt sub Sole.* Et cùm Dei munere sapientiam accepissem, totam meam mentem dedi in cõsiderationem rerum quæ sunt sub Sole. Aduerte autem quod Ecclesiastes non contemplatur inaccessibilia quæ sunt super cœlum, sed quæ sub Sole sunt: Inquit igitur; non humana intelligentia speculatus sum, sed vtens sapientia quæ mihi dono Dei tradita fuit. *Quoniam laboriosam distentionem dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* Filios hominum vocat, qui ad hæc terrena & vana hiant attoniti, iuxta illud quod in Psalmo legitur; *Filij hominũ vsquequo graui corde?* Vide igitur in sapientia quòd laboriosam occupationem dedit Deus filijs hominũ; ad magnam enim illorum vtilitatem factum est, quod in comparandis diuitijs & in acquirenda inani gloria, ac etiam in ijs quæ ventri ac gulæ gratificantur, summopere laborãdum sit. Si enim labores & angustias tantas subîmus ac patimur vt possideamus quæ vana sunt; quonam flagitij ac sceleris progrederemur, si hæc ipsa ociosis nobis vltro aduenirent? Vtiliter igitur data est hominibus hæc difficilis distentio vel occupatio. Si autem & ipsa virtus cum labore perficitur, & hoc item homini perutile est. Si enim quoquò te vertas, & circa bonum & circa malum laborare oportet; consequitur verò malũ punitio, bonum autem fruitio voluptásque ineffabilis; sine vlla cõparatione præoptandus est labor & occupatio circa bonum. Præsertim verò officiosus vir qui verè vacat virtuti, circa multa occupari non debet, iuxta illud Euãgelij dictum: *Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima;* paucis verò est opus ac vnum est necessarium: Quo loco

Sæculum pro humana vitæ spacio.

Beati quo sensu percepturi sint Damnatorum pœnam.

In die bonorum nesci is immemor malorum. Eccl. 11.c.

Psalm. 4. Dei sapientia est factum quòd virtutes & vitia, homini, labore constant.

intelligit de præceptis; aut de Charitate, præcepta omnia continente.

A Vtiliter itaque data est hominibus laboriosa atque difficilis occupatio. *Vidi quæ fiunt cuncta sub Sole, & ecce omnia vanitas & electio spiritus.* Quæcunq; (inquit) faciunt homines non quæ operantur eorum bonorum gratia quæ sunt super Solem, atque cœlestium; sed eorum gratia quæ sunt sub Sole corruptibilium ac terrestrium omnia vidi quòd vanitas sunt: præter hoc enim quòd elabuntur ac euanescunt, etiam disponunt se homines ad supplicia post præsentem vitam futura: quandoquidem nulla coacti necessitate hæc faciunt: sed præuia electione certóque cõsilio. Spiritum verò, hoc loco, animam intelligit rationalem quę liberi arbitrij potestate decorata est. *Quod deprauatum est, adornari non poterit; neq; quod deficit, poterit annumerari.* Si ex persona Ecclesiastę verba hæc accipis, ita intellige. Qui prauè obliquatus est &

B in vitium cecidit, dũ in peruersitate sua perdurat, virtutẽ resumere non poterit: si autem à vitio recedat, tunc virtutem resumit iuxta illud; *Declina à malo, & fac bonum.* Sed neque is cui deficit gratia Dei; donec est in hoc defectu pœnitentiámque non subit, potest inter pios annumerari. Aliter: Fuerunt nonnulli qui dicerent casu fortuito Mundum factum esse, ac imperfectum existere; ad quos Salomon se conuertit dicens: Quid nam deprehenditur in hoc Mundo quod imperfectum sit atque peruersum, vel ita vt emendari illud oporteat? Quid verò etiam deficit in vniuerso Mundo, vt addendum annumerandũque sit? Quod si verba hæc accipis ex illorum persona qui perpendunt naturam hominum, & qui dicunt quosdam esse ita naturã peruersos vt emendari non possint;

C in multis redarguimus eorum stultam opinionem: Nullus enim naturã est malus. Igitur & Matthæus de Teloneo ad Euangelistæ dignitatem vocatus est. Sed & plurima in hoc Mundo quæ ignaris videntur noxia & mala; vt Serpentes, vt Leones, & his similia; hominibus cõducunt ad salutaria pharmaca, & vt conuertantur prudentioréśque fiant animalium illorum exemplo & comparatione cùm dici sibi audiunt: *vade ad formicam ô piger:* nec non vt verecundia afficiãtur, cùm comparari illis se sentiunt, vt; *Comparatus est iumentis insipientibus.* Nihil est itaq; in hoc Mundo malum, sed omnia commoda & vtilia: *Vidit enim Deus* (inquit scriptura) *Omnia quæcũnque fecerat, et erãt valde bona.* Ne igitur dicatis ô stulti; Quod prauum est concinnari non poterit, nec quod deest annumerari.

D *Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & apposui sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem, & cor meum vidit multam sapientiam & cognitionem, parabolas & scientiam, Cognoui ego quod & hoc electio spiritus, quoniam in multitudine sapientiæ multitudo cognitionis; & qui addit cognitionem, addit dolorem.* Loqui aliquis dicitur in corde suo cùm mentem ad cogitandum applicans, secum disputat & ratiocinatur. Collegi itaq; (inquit) & subducta ratione apposuisse me vidi sapientiam super omnes qui me præcesserant natu. *Apposui* autem, significat profectò magno auctam in eo fuisse sapientiam. Sapientia verò, est cognitio diuinarum humanarúmque rerum & causarum quæ ad easdem res pertinent: cognitio verò, est speculatio de natura rerum. Et qui in hac quidem prædi-

E ti sunt cognitione, seseipsos erudiunt atque ab ignoratione vendicant; qui verò sermones sapientiæ discunt, alios quoque homines veritatem subinde edocent. Sapientiam verò & cognitionem non iam vanitatem esse dixit, sed spiritus electionem, monens nos nequaquam Fati beneficio nasci aut fieri homines sapientes, sed sapientiæ desiderio ac labore, petitámque à Domino Deo sapientiam consequentes. Quòd si quis adhuc scientiæ plus habere desiderat, addat (inquit) & studiosos labores. At etiam sic intellige qui adeptus scientiam cognitionémque, delinquit, longè ampliùs puniẽdus est: ideo *qui addit cognitionem, addit & dolorem.* Cui autem sapientia sit amplior quàm ipsa cognitio, siue scientia, meritò (inquit) in multitudine sapientiæ contineri multam cognitionem.

Liberi Arbitrij potestas.

Psal. 36.

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Etiam quæ noxia videntur hominibus prosunt.

Prouerb. 6. Psalm. 48. Genes. 1.

Sapientiæ definitio.

CAPVT II.

Dixi in corde meo: Age iam; periculum faciam in lætitia & in bonis; & ecce hoc quoque vanitas. Risus dixi circuitum, & dixi lætitiæ, quid ita hic facis? Mundana, inquit, mecum gaudia reputans, inspexi numquid haberent boni: & vidi demum quòd lætari vel ob affluentiam diuitiarum vel propter gloriam aut aliquid eorum quæ in Mundo sunt mera est vanitas. Dixi autem huiusmodi lætitiæ (risum enim, hîc, lætitiam intelligit) dixíque huiusmodi gaudio; Circumuagare à me longiùs & absiste; Quid ita hoc facis? hoc est; quid me allicis vt huiusmodi rebus gaudeam? Etenim vanitas mera est ac nihil penitus aliud, istis de rebus lætitia & voluptas. *Et consideraui si cor meum traheret vt vinum carnem meam*, Poculum quod bibentes haurimus, à conspectu nostro tollitur & euanescit. Consideraui itaque num in prosperitatibus mundanis voluptatibúsque, humana mens esse possit ita virilis ac fortis vt absumere ac delere valeat quasi epotum vinum concupiscentias carnis. *Et cor meum processit in sapientia & pollens in lætitia, donec viderem quale bonum filiis hominum quod facient sub Sole in numero dierum vitæ ipsorum.* Ecclesiastes noster cùm à Deo sapientiam accepisset vímque prudentiæ, sicut arenam Maris, acutissima mentis acie præditus; poterat quidem diuinos tractare sermones ac magna loqui mysteria, quod ipsum sanè cernitur pulchrè efficere. Poterat autem & ingenij acumine, ad quæcunque libuisset commodè vti. Sicut enim aliquis acuto præditus visu, eadem oculorũ vi, modò ad honesta & necessaria vtitur modò & lasciuè abutitur, nulla quidem oculorum culpa & causa sed effectu & intẽtione peccante: ita & is, cui Deus mentem sapientia exornauit; si quidem vt decet dono Dei vtatur; res diuinas cõmodè contemplatur: sin verò ad terrena depriorātur, elanguescit ac degenerat in Dei dono; optimè tamen ac perspicacissimè terrena quoque percipit, ac intellectu consequitur: neq; verò mentis acies sed animi intentio prout benè vel malè Dei dono vtitur, digna laude vel vituperatione cẽsetur. Dedi igitur, inquit, cor meum (hoc est, mentem meam) & reputaui qualẽnam bonum esset in hominibus, & quid nam operati possunt dum in hoc Mundo sunt, ex quo perpetuam in hac vita lætitiam voluptatémque consequantur. Qualia itaque sunt humana facinora contemplatus, & rationali quadam sapientia vsus; dedit seipsum ad ea peragenda quæ subinde enumerat. *Magnificaui opus meum, ædificaui mihi domos, plantaui mihi vineas, feci mihi hortos & paradisos, & plantaui in eis lignum omnis fructus. Feci mihi piscinas aquarum vt rigarem ab eis syluam producentem ligna. Magnificaui* inquit, *factũ meũ*: non opus Dei, sed meum ipsius; operibus enim Dei nullus quicquam potest adijcere. *Ædificaui mihi domos*: In Hebraïco suo sermone commodam dictionem nactus, propriè ac perargutè locutus est; *Domificaui mihi domum, Plantaui mihi vineas.* Regia potestate vsus, diuitiarúmque copia, circa omne possessionum genus effusus sum. *Feci mihi hortos & pomaria.* Hortus est oleribus consitus, pomarium verò varijs plantis atque arboribus; ideóque additur: *Et plantaui in ipsis lignum fructiferum, Feci mihi piscinas aquarum, vt ex ipsis irrigarem syluam germinantem ligna.* Splendidè ac sumptuosè pomaria concinnaui, procerásque arbores quæ spontè quodammodò sua in mõtibus enascuntur: vt palmas, salices, quercus ac piceas in pomarijs suis conseuit; ideóque meminit syluæ studio comparatæ; in quá irrigandá, magná aquarum copia opus erat. *Possedi seruos & ancillas, & vernæ nati sunt mihi.* Cùm enim vernæ minùs sufficerẽt in familiari ac domestico ministerio, venalitios quoque sibi seruos comparauit. *Possedi quoque armenta & greges super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem.* Superaui, inquit omnes ante me Reges in armentis & gregibus vel in reliquis omnibus quæ superius enumeraui; potest enim ad illa quoque accommodari. *Congregaui mihi aurum et argentum.* Quia multi stabilem quidem possessionem habere solent, repositis tamen

A pecunijs destituti sunt; addit, & harum quoq; fuisse copiam. *Et regum substantiam, & regionum.* Sed & regiones (inquit) & Reges habui stipendiarios ac tributa mihi soluẽtes. & fructiferas regiones; hoc est, agros: regiones enim in sacra Scriptura, fertiles agri intelliguntur iuxta quod in Euangelio legitur; *Leuate oculos vestros et videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Et hinc quoque, inquit, magnam habui rerum copiam. *Feci mihi cantores et cantatrices & in delicias filij hominum.* Sed neque posthabui, inquit, ac neglexi demulcẽre cantibus aures meas: delectantur enim huiusmodi cantibus, non filij quidem Dei sed filij hominum. *Propinatores & propinatrices.* Vel vt ex vario propinantium aspectu ac alternata mutatione, appetitum sibi ad pocula prouocaret; vel tãquàm valde mol-

Ioh. 4.

Filij Dei non delectantur Musicis cantibus.

B lis existens, ac mulierosi hominis ingenium exprimens. *Et magnificatus sum & apposui super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem. Sapientia quoque stabilis mihi fuit.* Adeò, inquit, exaltatus sum vt in nullo vnquam consilio rationéque aberrauerim. *Et omne quod appetiuerunt oculi mei, non abstuli illis; neque prohibui cor meum ab omni lætitia.* Inquit igitur: Omnem oculi concupiscentiam & animæ appetitum circa voluptatem (quam & lætitiam vocat) ad executionẽ perduxi. *Quoniam cor meum lætatum est in omni labore meo.* Cũctis (inquit) studio ac electione susceptis laboribus, hanc cœpi portionem ac sortem quòd illorum fruitionẽ consequutus sum, compósque votorum factus sum. *Et inspexi ego omnia opera mea quæ fecerant manus meæ, & laborem quem laboraui vt facerem, & ecce omnia vanitas, & electio spi-*

C *ritus.* Hæc (inquit) omnia operatus, per actiuas factiuásque facultates, inueni quod cuncta humana studia vanitas sunt, nihilque amplius lucro apponitur illis qui laborant circa omnia quæ videntur sub sole, eò quòd omnes æquè communem subeãt mortem; diuites simul ac pauperes. At qui laborãt ob ea quæ sunt super Solẽ, supplantatores omnia quæ videntur, habent aliquid ampliùs iuxta Saluatoris sententiam dicentis; *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*: quasi dicat; careant pœnis, & fruantur promissa beatitudine. Notandum quoque quòd qui student circà ea quæ vana sunt & sese voluptatibus tradunt, excusare non possunt (cætẽris ratione) fortunę motũ, neq; Fati necessitatem: humanæ siquidem actiones proficiscuntur ab electione, & ab insita nobis

Ioh. 10.

Fortuna & fatum, excusare non potest homines voluptuarios, Libera potestas nobis insita.

D libera potestate. *Et inspexi ego vt viderem sapientiam & circuitum & stultitiam, quoniam, quis est homo qui sequi possit consultationem quæcunque hæc operata est?* Cum nobis spectandam proposuerit auari hominis personam, circáque terrenas substantias occupati; nunc nos conuertit ad sapientiam: & comparatione proposita, periculum facit quid inter se differant sapientia & voluptas: quam & errorem vocat atque circuitum; vel quòd ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena quæ materiam suggerunt lætitiæ ac voluptatis: vel ς. mutato in α, non περιφορὰν legimus sed παραφορὰν; hoc est insaniam extasin mentísque excessum; Insanire enim videntur ac esse sui obliti qui in loco miseriæ & lacrymarum, lætãdum sibi esse falsò existimant. Inquit igitur: quæramus an pós-

Mera stultitia vel etiam insania est, rebus terrenis lætari.

E sit homo qui elegerit sibi secundùm hanc stultitiam viuere, complere sua desideria: hoc enim significat, *sequi possit consultationem.* Mox autem inuenit homines perquàm rarò fieri desiderij sui compotes: eà propter addidit, *Quis est homo?* quasi dicat, rarus est valde. Neq; enim quicunque ditescere appetit, penitus hoc consequitur, nec qui gloriæ cupidus est, voti prorsus efficitur compos, & eadem ratione in cæteris sese habet: qui verò sapientiam adamãt, Deo duce fœliciter ductus, sequitur penitus consultationem, hoc est, inueniet quòd affectabat. Vel aliter: Attonitus erumpit in interrogationem, quis nam est (inquiens) homo qui possit respicere ac cõuerti à desiderijs suis & inspicere motûs electionis suæ propositúmque finem vt diiudicet iterum, sapienter viuat an stultè? Aliter; Eleuatus, inquit, extra corpus, & per

sapientiam videns quòd post exitum huius vitæ nemo potest redire ad vitam & iterum frui eisdem rebus quas, A dum viueret, certo consilio exercebat (quis, enim, persæpè pro *nullus* accipitur) præposui sapientiam stultitiæ. *Et vidi quod amplius esset sapientia suprà stultitiam, sicut amplius est luci quàm tenebris.* Tenebræ ipsæ per priuationem lucis fiunt, ita vt lux quidem reuera existat; tenebræ verò nihil penitus sint. Ita (inquit) igitur est sapientia ad stultitiam: opera enim stultitiæ transeunt, perpetuam punitionem conciliantia suis cultoribus, opera verò sapientiæ in perpetuum durant, æternáque cultores suos lætitia afficiunt. Quod autē inquit, *amplius sapientia super stultitiam*; non est per comparationem dictum: quæ enim sese mutuò tollunt ac destruunt (sicut sunt lux ipsa & tenebræ) inuicem non comparantur. Huius generis est sapientia & stultitia. Nō est itaque in genere malorum re- B ponenda stultitia, sed ob affectionem eligentis. Addit illud, ampliùs, hoc est, sine vlla comparatione multò meliùs facit qui sapientiam præponit stultitiæ. *Oculi sapientis in capite ipsius, stultus autem in tenebris ambulat.* Caput eminentia quædam est & suprema totius corporis pars, pedes verò infimi sunt, terrámque contingentes. Quando itaque præsidēs intellectus purgatus fuerit, superna speculatur non quæ sunt super terrā, ac tunc in capite oculos verè habet: quādo verò mens ad terrena conuertitur tunc in pedibus habere oculos videtur, circa limum terræ occupata. Aliter: Caput Ecclesiæ Christus est ad quē si sapiens dum ambulat, oculos intēdit sicut & Christus perambulauit; oculos habet in capite: Stultus autē ambulat in tenebris, semper declinans in terram, tenebri- C cosóque intellectu. *Et cognoui etiam ego quòd occursus vnus occurret omnibus ipsis. Et dixi ego in corde meo; sicut occurret stulto, occurret etiam mihi: Et, vt quid sapiens factus sum?* Omnia secum meditans, sapiens noster Ecclesiastes, quæ adferre aduersarij contra ipsum possent; è propria loquitur persona. Cùm igitur inueniat multa & varia quæ communia omnibus sunt quæ occursus appellat; qualia sunt ægrotare, benevalere, ditescere, paupertatem pati, & præcipuè communem omnibus mortē, aduersarij subiens personam, inquit: si hæc communia sunt stultis & sapientibus, quæ vtilitas demùm erit suscepisse labores officiosos, & sapientem fieri? Mox autem hoc refutato sermone, ostendit quale sit nobis à sapientibus lucrum. Ait ergo: *Tunc abundanter loquutus sum in corde meo, quoniam* D *stultus ex abundantia loquitur, quia & hoc vanitas.* Adducta stulti illatione, tanquam ex illius persona eandem nunc illationem per seipsum dissoluit; inquit enim: Et ego abundantiùs loquutus sum in corde meo, quòd vana & superflua est talis cogitatio, & insanæ mentis est talia verba effundere. Stultus enim furore efferuens quæ temerè cogitauit, per os effundit: quoniam *stultus ex abundantia loquitur*; hoc est, supereffluente in ipsa stultitia. Mox & causam docet redarguens illationem Stulti cùm dicit, *Quoniā non est in memoria sapientis in sæculum.* Et si enim (inquit) quæ varia & differentia sunt in hac vita, stultis æquè ac sapientibus communia sint; at in futuro tamen sæculo sapiens erit in memoria æterna & immortalem habet fruitionem, stulti verò memoria deletur, iuxtà id E quod est in Psalmo: *Perijt memoria illorum cum sonitu*; hoc est, non fuit existimandi memoria digni. *Secundùm quod aduenientibus diebus omnia obliuione tradita sunt.* In venturo, inquit, sæculo quęcunque nobis in hac vita occurrerint; siue infirmitas, siue prospera valetudo, siue diuitiæ, siue etiam paupertas, in obliuionem ibunt. Tum verò concludens solutionem, inquit: *Et quomodò moritur sapiens sicut & stultus?*

Tenebræ nihil sunt.

Quæ semutuo tollunt, non comparantur inuicē.

Oculos in capite habere, quid sit.

Quomodò, inquit, dicetis ô stulti quòd propter communem omnibus, mortem, nihil sapiens stulto plus habeat; quandóquidem sapientis memoria perpetua sit apud Deum, stulti verò nequaquam. Si enim quæ in hac vita occurrunt omnia sunt communia, tamen in futura vita vnumquémque opera sua sequentur. *Et odio habui vitam, quoniam malum aduersum me facinus quod factum est sub Sole, quoniam omnia vanitas & electio spiritus.* Propterea, A inquit Sapiens, odio, habui laboriosam vitam, & quem laboraui laborem meum, ob ea quæ sunt sub Sole: malum enim facinus, laboriosam vitam peccatorum hominum intelligit: Hic autem sapiens odit impuram & impollutam vitam, & mensuram in perpetuum quærit, & stulti subiens personam, inquit, Quoniam malum aduersùm me facinus quod factum est sub Sole: Sapiens enim non testatur se laborare ob ea quæ sunt sub Sole. Quamquàm enim propter necessarios vitæ vsûs laboret etiam sapiens, non principalem operam consumit circa hæc mundana atque præsentia, sed laborat quod satis est ad necessaria vitæ, summum verò suum studium virtuti impendit, transeuntia hæc & temporaria cōtemptui ducens, studens autem ea sibi comparare quæ sunt B futura æterna, quæque sunt ab oculis nostris procul remota.

Et odio habui omnem laborem meum quem laboro sub Sole, quoniam relinquam ipsum homini post me venturo. Et quis scit, sapiens ne sit futurus an stultus, & si dominabitur in omni labore meo quē laboraui & in quo solicitus fui sub Sole? & hoc etiam vanitas. Prorsus Sapiens noster laboriosam collectionem pecuniarum & possessionum, & huic impensum laborem, cum testatione odij, prudēs dicit Dictum. Primum quidem quòd huiusmodi rerum possessio perpetuò nō durat apud habentem, sed ipse quidem vitam egreditur nihil secum portans, alter verò possidenda accipit quæ ipse labore multo comparauit. Alterum etiam memorabile verbum inquit, quòd videlicet ignorat diues quali C successor suus futurus sit vita: intemperatè ne ac luxuriosè victurus, an prudenter ac sobriè diuitias expensurus. Tertium notatu dignum est, quod licet demùm tēperatum ac prudentem successorem futurum sciamus, ignoramus, perpetuò ne sit futurus relictæ hæreditatis possessor, cùm pecuniæ ad alios atque alios continuè deuoluantur, multis variisque casibus commutatæ. Inquit igitur: Licet concedamus prudentem fore hæredem qui parcè, relictis vtatur, hoc ipsū nunque est vanitas. Quare autem hoc dicat, contemplandum nobis reliquit, quoniam videlicet meliùs est nosipsos dum sumus in vita dispensare diuitias nostras in pauperum ac egenorum necessitates, vt ita thesaurum habeamus indeficientem in cælis, quàm alios in hæreditatem transmittere qualescúnque demùm illos fore contingat. *Et conuersus sum vt* D *renunciarem cordi meo in omni labore meo quem laboraui sub Sole.* Matth. 19. Detestans Ecclesiastes quæ superiùs dicta sunt, conuertitur ad Euāgelicam vitam quasi & ipse cum Petro Apostolo Saluatori dicat, *Ecce omnia reliquimus, & secuti sumus te:* Subinde autem prædictam indignationis causam resumit, quam contra tempora concepit. Ait ergo. *Quoniam est homo, quoniam labor ipsius in sapientia & scientia & in fortitudine, & homo ei qui non laborauit in ipso dabit partem ipsius, & hoc etiam est vanitas, & magnum malum.* Quæ enim, inquit, vtilitas homini in humana sapiētia & prudentia & fortitudine laboranti, & malignè se gerenti, hoc est, suarum rerum partem alijs non ponenti, sed semper ampliùs suis bonis addenti, quādoquidem alius E qui nihil in ea substantia laborārit, omnes suas diuitias accipit? Est autem & intelligere: Conuersus ego sum vt renunciarem cordi meo in omni labore meo quem laboraui sub Sole, cogitans quòd alius quidem diuitias meas accipiet, ego verò curas labotémque subiero. Interposita verò illa verba videlicet, *quoniam est homo, quoniam labor ipsius in sapientia & scientia & fortitudine,* hoc significant: Contempsi (inquit) laborare circa res vanas, rationibus colligens quod est alter labor dignus laude, qui stabiles congregat virtutum diuitias. Est autem huiusmodi labor quem laborat homo, vt acquirat sapientiam, scientiam, & fortitudinem. Hunc igitur laborem ego potiorem ducens, conuersus sum vt renunciarem cordi meo in omni labore quem laboraui sub Sole, hoc est, circa res vanas. *Quoniam fit homini omni labore suo electio cordis sui, pro eo quod ipso laborat sub Sole.*

Sole. Quoniam omnes dies eius in doloribus & in distentione animi sui, neque in nocte dormit cor suum, & hoc etiam vanitas est. A Aduenit, inquit, homini labor quem laborat, siue bonus sit siue malus, ab electione consilij. Quòd si operam virtutibus impendat, laudandus hic labor; sin verò circa vitium occupetur, omnes illius dies transeunt in plenitudine dolorum, iracundiæ, occupationis solicitæ, ac vigiliarum: Hæc enim omnia consequuntur eos qui circa inane studium vitæ huius versantur, quare & hoc etiam vanitas est. *Et non est homini bonum nisi quod comedit & bibit, & ostendit animæ suæ bonum in labore suo. Et hoc etiam vidi ego quod est de manu Dei. Quis enim ex seipso bibit & comedit?* Quæ media, inquit, sunt & indifferentia, nec mala per se nec bona ab ipso Deo hominibus tribuuntur, qualia sunt diuitiæ, bona valetudo, autoritas. Sumpta igitur aduersarij persona, inquit Ecclesiastes: Quòd si B hæc dantur ab ipso Deo, hominibus; nihil ergo in hominibus inuenitur boni, præter edendi bibendiq; voluptatem: Tum verò soluens obiectionẽ, inquit: *Quod homini bono, in conspectu suo dedit scientiam, sapientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit occupationem addendi & congregando, vt tradat ei qui est bonus in conspectu Dei; Quoniam & hoc vanitas est & electio spiritus.* Nolite, inquit, dicere (ô insani) quòd transitoria & corruptibilis hæc cibariorum voluptas bona sit: homini enim bono Deus scientiam & sapientiam dedit, vt in ijs lætetur in conspectu Dei; hoc est, custoditus & aspectus à diuina prouidentia. Homini autem peccatori negocium dedit circa hæc sensibilia, vt laborans & congregans affligatur. Quòd si in hoc laborandi studio & congregandi persistat, & hoc sanè ipsum C est vanitas & electio spiritus. Sciendum verò est, Deum hanc dedisse homini peccanti & congreganti occupationem, non vt peccet quidem ac congreget: sed magis vt contemplatione ac tædio vnitatis mundanæ, in cognitionem veniat laboriosæ huius vitæ, desiderétque immortalem ac iucundam vitam quæ in futuro sæculo Sanctis in præmium danda est.

Electio consilij.

Cur peccatoribus varias curas tribuerit Deus.

Capvt III.

OMNIBVS *est tempus & occasio est omni rei quæ sub Sole est.* Rerum aliæ quidem temporariæ sunt, aliæ verò æternæ quidem, & inuisibiles sunt, supráque Solem constitutæ. Hîc autem D est sermo de ijs quæ sunt sub Sole ac tempori subijciuntur, quandoquidem & temporaliter esse cœperunt, suóque tempore; hoc est, opportuno; fiunt. Et tempus quidem, spacium illud significat in quo fit aliquid: Occasionem verò dicimus, commodum tempus ac opportunum aliquid faciendi. Potest itaque & tempus esse occasio; sed occasio est rebus peragendis temporis opportunitas, & tamen tempus non est, sed illa quam nanciscimur. Cuncta quidem quæ fecit Deus, opportuno prouenïunt tempore; vt æstas, autumnus, hyems ac ver: quæ verò homines facimus, laudabilia quidem sunt si fiant tempore opportuno; sin verò antè tẽpus fiant aut præter tempus, iure damnantur. Opportuno quis tempore suæ commiscetur vxori, cùm appetit filios procreare; præter E tempus verò, cum voluptatis & concupiscentiæ causa hoc facit. Qui æstate seminat, antè tempus seminat, quis etiam hyeme ad messem sese accingit, præter tempus hoc ipsum aggreditur. Ex disciplina autem horum verborum docemur, omni in re defectus vitare atque excessus, eò quòd res fermè omnes, hinc atque hinc assistentes ac propinquas enormitates habeant. Nam qui deficit à medio Fortitudinis statu, labitur in timiditatem; qui verò illum excesserit, audax efficitur. Potest itaque & alia significatione accipi tempus, pro ipsa mediocritatis norma; occasio autem, pro tempore, opportuno: nam qui & ad normam & suo tempore, actiones omnes suas moderatur; hac veluti regula & Amussi vtens, facilè in omni virtute consummatus euadet. *Tempus gignendi & tempus moriendi.* Sæpe contrariarum rerum

Occasio quid sit.

Opportunus Matrimonij vsus.

Enormitates, rerum ipsarũ fermè sunt comites.

Virtutis regula.

distincta sunt tempora; contingit tamen quandoque, & A eodem tempore vtraque fieri. Corporalis itaque natiuitas & generatio aliud habet tempus, & aliud corporalis interitus; spiritualis verò natiuitas, per lauactum regenerationis, vnum & idem tempus habet cum morte. Nam qui renascũtur in diuino lauacro, consepulti sunt in Christo in Baptismate. Et corporaliter quidem nasci ac mori in nostra potestate non est; sed arbitrio Dei & generamur & morimur: spiritualis verò natiuitas & interitus pendet à nobis; opus enim est cum diuina operatione & gratia, nostra quoque electione, vt moriamur quidem peccato, nascamur autem iustitiæ. Sapienter autem ac notanter Ecclesiastes à natiuitate cœpit & morte temporariæ huius vitæ nos admonens. Propterea enim & Moses (vt aiunt) primum quidem suum volu- B men Genesin inscripsit, Exodum verò secundum nominauit, vt in historia figuratè nobis hanc temporariam vitam describeret. *Tempus plantandi, & tẽpus euellendi quod plantatum est.* Præter literæ sensibilem ac manifestum intellectum, mysticè sic intellige. Sæpè quidem vno eodémque tempore plantat aliquis & euellit videlicet cùm euellit *Zizania quæ seminauit malus homo*, plantat autem siue serit legitima verbi semina, amputans vitium, inserens virtutem: Sæpè verò hæc facit alio tempore; vt cùm Paulus abscindit fornicarium à communione Ecclesiæ, plantat verò eundem pœnitentia emendatum. *Tempus occidendi, & tempus sanandi.* Occidendi quidem peccatum; sanandi verò animam cuique suam, pœnitentiæ medicina. Huiusmodi verò actio, suo semper & oppor- C tuno fit tempore, præsertim verò nunc dum sumus in præsenti vita & Testamento gratiæ; Paulo testante qui ait; *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Corporalibus, autem ita mysticum sensum accommodabis; Principi ac Domino tempus est perdendi homicidam, curandi verò ac fouendi eum qui bene de se meritus fuerit, minúsque etiam ac clementiùs corrigendi eum qui leuius in se deliquerit. *Tempus destruendi, & tempus ædificandi.* Diuina ędificatio diuiditur in practicam theoricámque virtutem. Qui igitur officiosè operatur & ex virtute; moralem domum practicámque ædificat: Qui verò spiritualia & inuisibilia contemplatur, speculatiuam sibi construit domum; atque is quidem vtcúmque ædificat, domum non manufactam semper sibi parat in D cœlis. Qui pœnitentiam facit, demolitur ac destruit anteactæ vitæ peccatum: Et bonum quidem nobis pulchrúmque est tolli procul à peccato, *superædificari* autem *super fundamentum Apostolorum. Tempus flendi & tempus ridendi.* Est tempus quoddam non secũdùm spacium temporis motúsque sumptum, sed à rebus ipsis. Nam quis non in profundo cordis, sed in superficie vultus fleuerit; audire poterit illud de se dici quod dictum est olim Ierusalem; *Voce sua serò lamentata, & lachryma eius in maxillis eius.* Qui verò decenter lachrymas fuderit & tactus dolore cordis intrinseco pœnitentiam fecerit, exaudietur vtique iuxta illud; *Planctum planxit Ierusalem, clamorem lachrymarum tuarum quando vidit misertus est tui.* Et est etiam in tempore spacium significante, lugere in hac vita vt in futura rideamus: Nam & ob peccata, ac ruinam disci- E pulorum vel fratrum opportunè lugemus; de profectu verò illorum meritò ridemus & exultamus. *Tempus plangendi, & tempus saltãdi.* Plangunt ac se percutiunt qui pœnitentiæ student; at verò saltant, qui præcincti sunt temperantia, excultique prudẽtia, immoti fortitudine, perfecti iustitia. Saltauit itaque Dauid in cõspectu Domini; sed nõ temerè. Ideò & Prophetæ facti velut pueri in plateis ac foro vitæ huius, propter immunitatem malitiæ infantiléinq; simplicitatem, dicebant Iudæis; *Luximus vobis & non planxistis*; hoc est, tristitia vobis prædiximus, & pœnitentiã non egistis. Apostoli quoque ad eosdem dixerunt, *Tibia vobis cecinimus, & nõ saltastis*; hoc est regnum cœlorum annunciauimus, instar tibiæ sonoram vocem fundentes; neque tamen tripudium duxistis, neque præ lætitia doni huius saltastis. Hæc enim nos docet

Nostra electione opus est cum operatione diuina vt spiritualiter nascamur.

Genesis & Exodi nomen admonet nos huius vitæ mortalis.

Matth. 13.

1. Cor. 5.

2. Cor. 6.

Virtus practica & theorica.

Ephes. 2.

Lachrymarũ fructus.

Thren. 1.

Isa. 30. d

2. Reg. 6.

1. Par. 15.

Matth. 11.

Luc. 7.

Euangelica Saluatoris parabola. *Tempus iaciendi lapides, & tempus colligendi.* A Qui mortaliter peccauit sine proposito emendationis & pœnitentiæ, eijcitur è spirituali domo; qualis est lapis scabiosorum, de quo symbolicè & figuratè apud Mosen scribitur: qui verò peccat vt curari velit, colligitur per pœnitentiam in ædificationem Apostolorum & Prophetarum. Omnis itaque qui saxeo est corde, ducitur foras; preciosi verò lapides colliguntur. *Deut. 22. Ioan. 8.* Lege etiam cautum erat lapidari adulteram. Et magister quidem lapidibus cædit discipulos peccantes; hoc est, correctiuis sermonibus: cùm verò satis illos erudierit ac reprehenderit; cessat à correctiuis sermonibus, colligitque quos iactasse visus fuerat lapides. *Tempus vxoris amplexus. 1. Cor. 7. a* *Tempus amplectendi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Iuxtà litteram, tempus amplexandi propriam vxorem, quando tempus orationis non impediat, aliáue honesta B necessitas. Tempus est, inquam, licétque id nobis facere, vel propter filios procreandos, vel vt consulamus fragilitati atque innocentiæ nostræ; ne videlicet libidine succensos, callidus Hostis ad adulterium nos prouocet: Tempus verò abstinendi à complexibus; vel propter orationes Deo fundendas, vel vt grauidæ vxori parcamus. Aliter: Tempus amplectendi erat in principio creati Orbis, vt multiplicantes impleremus terram; nunc verò tempus absistendi à complexibus, quandoquidem extrema hora diei nos occupauit, & ad finem sæculorum Mundus festinat. Spiritualiter verò ac mysticè ita intellige: Honora sapientiam vt te amplectatur, atque hic quidem amplexus semper est opportunus. Cùm verò in sacris Scripturis, lex per læuam manum significetur; per dextram verò Euangelica do- C ctrina; ipsáque mens, nomine capitis innuatur, totius verò corporis appellatione intelligatur Ecclesia; *Cant. 2. & 8.* meritò canit Sponsa in Cantico Canticorum: *Laua eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me*; hoc est, ipsa quidem lex ad sapientiorum quorundam tantummodò peruenit intellectum, ipsúmque perficit; Euangelica verò doctrina, diuino quodam complexu totam Ecclesiam comprehendit: Ab hoc quidem complexu, nullum vnquam tempus est absistendi. *Genes. 7.* Cùm tamen Arca iam fabricata esset, ac terris diluuia imminerent; tempus erat abesse procul à complexibus matrimonij; ideóque hinc masculi, hinc verò fœminæ seorsum disiunctæ intrarunt in arcam: *Genes. 8.* Postquàm verò aquæ Diluuij iam resederant; Noë cum vxore sua exiuisse arcam D narratur, tempus enim tunc erat coniugalis amplexus. Semper autem tempus est elongari à vino & peccato, agglutinari autem Deo illique perpetuò adhærere. *Tempus quærendi, & tempus perdendi.* Si literalem sonum ordinémque inspicias, videtur hæc sententia ordine præpostero esse accipienda: nemo enim quærit, nisi quod priùs perdidit. Mystico tamen sensu, nihil immutando lectionem, ita intelliges. Qui est in ignorantia constitutus, tempus tunc habet quærendi veritatem; qua inuenta tempus aliud sibi aduenit, vt ignorantiæ perdat tenebras & relinquat. Aliter: Quærit aliquis animam suam quæ perijt; ea verò inuenta, ab errore resipiscens, debet quantùm ad priorem spectat iniquitatem perire prorsus ac mori: Ingruente verò martyrio, tempus est E perdendi animam vt ipsam inueniamus. *Tempus custodiendi & tempus abijciendi.* Qui pecuniarum dispensator est, nouit quo tempore pecunias vel apud se custodiat vel expendat. Mysticè autem, tempus est custodiendi sacram doctrinam, ne illam temerè, quibuscúmq; nullo delectu habito profundamus. Tempus verò effundendi, cùm dociles fuerint ac bene dispositi auditores: *Oportet* enim (inquit) *abijcere argentum meum trapezitis, non autem sancta dare Canibus neque Suibus Margaritas.* *Matth. 7.* Aliter: Tempus est seruandi Euangelica præcepta, idem quoque tempus est abijciendi Legales vmbras. *Tempus scindendi, & tempus suendi.* Qui Ecclesiæ hostes aduersariósque conciliat, & ad vnitatem Catholicæ fidei perducit; ille *1. Cor. 5.* proculdubiò consuere dicitur: qui verò fornicantem cum vxore patris sui ab Ecclesia eijcit, opportunè hic A scindit. Aliter: Qui coram Domino per contritionem ac pœnitentiam cor suum discindit, seipsum assuit in Ecclesia primogenitorum Fidelium. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Qui in silentio & sub Monasterij disciplina doctrinam sacram fuerit predoctus cum authoritatem consequutus fuerit loquendi & prædicandi, tunc Dominus illi præbet opportuno tempore linguam eruditionis, vt cognoscat quando verbum proponi oporteat; atque ita fit, vt tempore suo tunc loquatur. Audituro enim populo dicitur in veteri Lege; *Audi Israël & tace*: senior autem prudens, ita ad loquendum excitatur; *Eccles. 32. a* *Loquere senex, tibi enim hoc conuenit. Tempus amandi, & tempus odio prosequendi.* *Luc. 7. f*

Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, magna cum dile- B ctione Saluatoris pedes osculata; hoc est, semitas pietatis ac veræ fidei ingressa; magno se prorsus studio ab iniquitate auertit; vt iam vtriúsque rei atque effectus, vnum tempus idémque fuerit. Aliter: Semper quidem anima in amore versari debet, atque in odio: vt amet quidem secundùm opera Sponsum suum, ac dicat; *Osculetur me ab osculo oris sui*; oderit autem Inimicum hominem; hoc est, diabolum qui zizania seminat. *Tempus belli & tempus pacis.* *Cant. 1. Matth. 13. e Ephes. 6. b*

Qui bellum gerit *contra spiritales nequitias*, Pacem cum Deo habet. Et in hac quidem vita, tempus est assiduè pugnandi contra Principatus & Potestates: qui verò palmam consequetur, deinde in futuro sæculo lætabitur in delicijs & in multitudine pacis. *Eccl. 3.* *Quid habet amplius homo in ijs quæ laborat?* Postquàm ea persecutus est quæ ad actionum tempora occasionésque pertinent; iterum C redit ad personam hominis contemplandam, docétque laborantem circa res humanas nihil denique plus cæteris habiturum: quandoquidem & aduersa & prospera omnibus fermè communia sint; præcipuè verò mortalis vitæ interitus. Solus itaque sapiens qui hæc cognoscit, ampliùs nonnihil cæteris hominibus assequutus fuerit. *Vidi igitur occupationem quam Dedit Deus filijs hominum vt occupentur in ea, omnia quæ fecit, bona sunt in tempore suo.* Iam superiùs dictum est quòd filijs quidem hominum, hoc est, secundùm passionem carnis viuentibus; sapientibus verò nequaquam, Deus occupationes & difficultates dedit, vt dum occupantur circa ea quæ media quadam ratione indifferẽter se habent tam ad malum quàm ad bonum, penitus ad alteram partem (hoc est, ad iniquitatis viam) non delabantur. D Omnia igitur media & indifferentia bona sunt, modò suo tempore exerceantur, & ad necessarios vsus; sicuti est agrum colere, opibus comparandis studere, bibere, & comedere, atque (vt semel dicatur) operandi bonum, tempus est; sicut, contrà, semper tempus est à flagitijs abstinendi. Aliter; Tempus hic appellat vsum ipsarum rerum; hoc est, cùm quis rebus vtitur quantùm naturæ Leges iuráque permittunt. Ait itaque Ecclesiastes: Contemplatus ego hominum mores; quo pacto videlicet occupentur & conuertantur ab ijs quæ natura permittit, ad ea quæ sunt præter naturam: Hic (inquit) prudenter considerans, vidi quod natura quidem nihil est malum; sed omnia quæ secundùm naturam mouentur ac fiunt, per se bona sunt. Oculi enim boni sunt, qui sine praua intentione E aliquid intuentur: sed cùm occupantur & conuertantur à simplici operatione naturæ ad curiosa spectacula, non iam ampliùs boni sunt. *Bona sunt quæ sunt secundum naturam.* Omnia igitur bona in tempore suo; hoc est, si secundùm simplicem naturæ operationem, & iuxtà quod decet, vsurpentur & fiant. *Et sæculum tradidit Deus in cordibus eorum, vt non inueniat homo opus quod fecit Deus ab initio vsque in finem.*

Permisit, inquit, Deus solicitos esse & occupari Sapientes Mundi huius, ne si assiduè & tranquillo animo attendissent ad fabricam & structurã Mundi huius; perspecta & cognita illius pulchritudine, visibilia hæc Deũ esse vel deos arbitrarentur. In multiplici tamen occupatione, non reliquit illos sua prouidẽtia destitutos, sed humanæ naturæ communem mortis cogitationem adiunxit,

iunxit, vt scientes quòd hic perpetuò futuri non sumus, æternæ vitæ curam habeamus. Aliter: Sæculum significat temporale spacium, complectitúrque omnia quæ in ipso fuerint. Inquit ergo: Deus filijs hominum Sæculi præsentis dedit cognitionem; videlicet quòd temporale initium habuit cœlum & terra & quæcúmque conspicimus, & quòd hæc ipsa tempore immutantur. Eorum verò quæ ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc sæculum futura sunt certam & manifestam scientiam non habemus; ideóque nobis dicitur ab alia Scriptura: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne scrutatus. Et cognoui quod non est bonum in ipsis, nisi lætari & facere bonum in vita sua.* Sapiens cognoscit quod natura bonum est: Natura autem bonus solus est Deus, qui omnia protulit ex sua ingenua bonitate. Qui tamen quantùm in se est, quantúmque sua facultas patitur, bonum operatur erga Deum & proximũ charitate seruata; hic ineffabili & vera lætatur lætitia. Cognoui igitur, inquit, quòd nihil est boni in vita nisi hoc ipsum, bonũ operari & in bona operatione lætari. *Et omnis homo qui comedit & bibit & videt bonum in omni labore suo; hoc donum Dei est.*

Eccles.3.c

Sapiens quidem nouit quod bonum est: omnis autem homo, hoc est, vulgaris, & in multitudine media sumptus; qui aberrat à cognitione veri boni, cum voluptate sola bonum diffiniat & metiatur, comedere ac bibere bonum esse existimat. Et sanè manifestum, quòd sensibilium rerum copia, Dei munere hominibus data est, non tamen vt cõcessis rebus abutamur; sed vt eas communicemus, in proximos, liberales; Deo gratias de acceptis muneribus. Commiscuit autem hoc loco personas, Ecclesiastes; eius scilicet qui verè sapiens, quod propriè bonum est cognoscit; & eius qui errore malo ductus, fallitur circa ipsius boni cognitionem. *Cognoui quòd omnia quæcunque fecit Deus, ipsa erunt in sæculum; ac ea non est addere, & ab ipsis auferre non est, vt timeant faciem eius.* Rerum aliæ quidem visui sunt obnoxiæ, aliæ verò videri non possunt. Hic autem sermo habetur de visibilibus rebus; & harum quidem aliæ semper eodem modo perdurant (vt terra, cœlum, Sol, Luna) aliæ verò per successionem seruantur in specie, vt homines, plantæ, & similia. Noui igitur (inquit) quòd non est apponere ad ea quæ in Mundi constitutione Deus creauit, cùm eiusmodi compositio perfecta sit & indeficiens: sed neque ab ea quicquam, vt superuacaneũ, est auferre. Qui verò ad speculationem Mundi animum adijciunt, rationésq; singularum rerum (quantùm in se est) consequuntur; timore Dei occupantur attonitíque redduntur Authoris omnium sapientiam demirantes. In omni itaque hominum mente insitus est à natura Dei timor, vel legitima quædam ratio quę ab ordine ac pulchritudine Vniuersi, hominum corda conuertit ad Creatoris sapiẽtiam contemplandam. Sciendum verò est, hæc quæ videmus, esse veluti symbola quædam ac signa spiritualium rerum. Quare si finem spectes ob quem facta sunt, omni prorsus carent defectu. Nam siue quid eorum principaliter Deus produxit, siue quid in secundas causas referendum est; non est in eis apponere quicquam nec demere. Omnia igitur bona & pulchra; perfecta omnia sunt, ac necessaria Dei opera. *Quod est factum, iam est; & quæ futura sunt, iam fuerunt; & Deus quæret eum qui persecutionem, &c.* Si quid olim fuit, nunc etiam est. Homo fuit homo & est; arbor fuit arbor, & etiam est: sed pari ratione fuerũt, & quæ futura sunt. Homines futuri sunt post nos, & iam priores illis fuerunt alij: *Deus autem quæret persecutione affectum*, hoc est, innocuum, *qui alij persecutionem non inferat:* & seruabit eum. *Et etiam vidi sub Sole locum iudicij, ibi impius; & locum iusti, & ibi pius. Dixi ergo in corde meo, Simul iustum & impium iudicabit Deus, quoniam suum tempus est omni operi.* Ab his sensibilibus ad spiritualia nos attollens, ait se prognosticè ac puro mentis intuitu contemplatum esse locum Iudicij, qui repositus est impijs sub Sole, quasi dicat infernum: Sed & locum iusti se vidisse commemorat. Addidit autem & ad *locum Iusti*, particulam illam videlicet, *sub Sole*. Quòd si secundùm litteram simpliciter accipiatur, nulli dubium quin in Paradiso, & in cœlis futuri sin Iusti. Sin autem ad vtrumque inferas, *sub Sole*; ad Iustum videlicet atque ad Impium; contemplatum fuisse intellige eos qui nunc ex hac vita decedunt, qui nondum ad regna peruenerunt cœlorum. Digna sanè inquisitu res est, vbinam sub Sole Iusti vita functi collocentur. Constat autem quòd in Paradiso, cùm dixerit Christus Latroni; *Hodie mecum eris in Paradiso:* sciendúmque est quòd literalis Traditio Paradisum docet esse in terra. Nonnulli verò dixerunt quòd Paradisus etiam est in inferno; id est, subterraneo loco: ad quam suam opinionem illud accommodant Euangelium; Diues Lazarum vidit; ipse tamen in inferiore demersus, cùm Lazarum eminentiore esset in loco, vbi esset Abraham. Verùm quomodocúmque se habeant; illud proculdubiò constat, tum ex præsenti Ecclesiastæ nostri loco tum ex omni sacra Scriptura, futuros pios in prosperitate ac pace, iustos verò in supplicijs ac tormentis. Alijs autem placuit Paradisum esse in cœlis: bonus autem ac ingenuus Ecclesiastes historiæ sensum potiùs consectabitur. Tum verò secundum examinans ita infert. *Dixi intra meipsum: Nunquid cum impio damnatur & iustus?* Hæc sanè verba disquisitionem ambiguam habent; non absolutam affirmationem. Semel enim docuit alium esse locum Iusti, alium Impij; sed posteà nos admonet & in metum adducit, cùm Deus sit omnes homines iudicaturus, nostrásque res omnes diligenti examine discussurus. Inquit ergo: *Tempus erit omni rei & omni operi.* Hoc est, erit vniuersalis Iudicij tempus. Mystico autem intellectu sic accipe: Vidi sub Iustitiæ Sole Dominum Iesum Christum; qui scilicet venturus est iudicare viuos & mortuos. Vidi inquam locum impij; à sinistris videlicet constitutum; & iusti: item vidi locum qui est à dextris eius, & dixi in corde meo quòd Deus omnes ad iudicium conuocabit, pro dignitate vnicuiq; distribuens; illud tempus definiens ac decernens in quo nostra omnis actio & operatio districto examine perpendetur. *Ibi dixi in corde meo de sermone filiorum hominum, quod iudicabit illos Deus.* Simile est hoc illi quod in Euangelijs legitur; *Omne verbum ociosum quod loquentur homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Intellige autem cùm hoc loco dicit sermonem; subintelligi & internum mentis verbum occultámque cogitationem; nam & de his quoq; ratio à nobis diligens exigetur. *Et vt ostenderet quòd ipsi iumenta sunt, & vt ostenderet occursum filiorum hominis, & occursus iumenti; occurrit enim æquè his. Vt mors huius, ita & huius mors. Et spiritus est in cunctis, & nihil plus habuit homo quam iumentum.* Propterea, inquit, vidi & considerauì rationes iudicij quod exercetur sub Deo, vt ostendam hominibus; hoc est, vt homines doceam; nihil eos à iumentis differre secundùm corporis rationem vitámque illam quæ tota corpori vacat & indulget. Eundem námque aërem cum brutis animantibus homines respiramus, eundémque interitum subimus; & in his sanè rebus, homo, iumento ampliùs nihil habet. Iumentorum itaque brutalis vita quæ Veneri indulget, vanitas mera est. Monet autem nos per hæc, Ecclesiastes, ne corpori indulgeamus; sed anima quæ prædita est ratione, virtutibus excolamus; hac enim similes Angelis sumus, cùm vis ipsa sentiendi; nobis cum iumentis brutisque animalibus sit communis. *Omnia pergũt in vnum locum quæ de terra facta sunt, & omnia in terram reuertuntur. Et quis nouit spiritum filiorum hominis, & si ipse ascendat sursum, & si spiritus iumenti descendat ipse deorsum in terram.* Manichæi, animas huc & illuc transferri asserentes, immortales quidem illas esse aiũt, sed omnia subire corpora tam hominum quàm brutorum, reptilium quoque ac plantarum. Nos Christiani, quos diuinæ Scripturæ meliora erudiunt, iumenta accepimus pro ijs hominibus qui non vtentes munere rationis, comparãtur iumentis insipientibus: Homines autem, meritò illos esse cognoscimus qui distincti à bestiali ritu viuendi, secundùm rationem

Luc.23. Paradisus est in terra.

Luc.16.

Paradisus vbi sit.

Matth.12.c

Manichæorum metempsychosis.

Iumenta Mystice, qui sint.

se moderantur. Quis igitur scit num ij qui apud multos videntur prudentiores, in ipso Iudicij tempore digni censebuntur regno cœlorum; an potiùs ad Inferni barathrum demittentur? Quis item contrà, illud scit, an qui carere quodammodò ratione videntur, occulto Dei iudicio ad superna tollentur? Quod enim rationalis anima sit immortalis, brutorum verò anima corpori immoriatur, cuius planè manifestum est qui paulùm modò rationis sit particeps. Aliter: Multis in locis Ecclesiastes, voluptuarij hominis personam subiens, conuenientes susceptæ personæ sermones loquitur; quasi dicat: quis nouit quæ futura sunt? *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Explicans autem Apostolus qualia sint quæ ad præsentem vitam pertinent, inquit; *Si in hac vita, in Christo tantùm* sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Vbique igitur Ecclesiastes per ænigmata nos erudiens, ad futuræ vitæ cogitationem transmittit. *Et vidi quod non est bonum, nisi cum lætabitur homo in operibus suis; Quis enim adducet illum, vt videat quæ post se futura sunt?* Si è persona voluptuarij hominis intelligantur hæc verba; ita intellige: Vidi (inquit) ego voluptati addictus, quòd nihil sit boni in vita præter quàm lætari in ijs operibus & voluptatibus, & quod hæc portio est homini hæreditásque concessa. Quæ verba cùm voluptuarius temerè effuderit, docet subinde Ecclesiastes vnde sit id quòd huiusmodi cogitationes huic hominum generi innascãtur, quia videlicet nemo illis potest (intellectum cæcum habentibus) ostendere quæ futura sunt eis, post illas quibus nunc fruuntur, voluptates; æterna scilicet tormenta suppliciáque grauissima. Sin autem verba eadem è persona Sapientis dicta intelligantur; altior quidam ac nobilior illis inerit sensus. Non est (inquit) homini bonum excepta illa lætitia ac fœlicitate, quæ illum excipiet ex operibus quæ fecerit in hac vita. Actio enim ex qua lætitiam habere expectat, ipsa scilicet secundum virtutem; hæc erit portio eius & sors. Eum namque qui officiosè non vixerit; non continget, vita perfunctum redire huc ampliùs, vt per pœnitentiam emendet quæ perperam gessit.

1. Cor. 15.

Ibidem.

Lætitia maxima, in altero sæculo, ex bonis operib. quæ hic gesserimus.

A B C

Capvt IIII.



Et conuerti ego me, & vidi calumnias quæ fiunt sub Sole: Et ecce fletus, calumnias patientium; & non est qui eos consoletur, neque potestas quæ liberet eos à manu calumniantium, & non est qui consoletur eos. Ad alia, me (inquit) examinanda conuerti: & contemplatus homines; vidi calumniatores iniustos, & qui calumniam patiebantur lugentes ex infirmitate, eò quòd nullus pro illis contra calumniãtes, vindictæ potentiam exerceret, atque ita eos consolaretur. Calumniatores autem sunt, alij quidem in pecunijs, alij verò in opinionibus Sectarum; sicut hæretici contra Fideles. Quin & ipse princeps auctórque malorum diabolus, cum apostaticis Potestatibus, assiduè calumnias texunt, mendaciáque moliuntur. *Et laudaui mortuos qui iam decesserunt, magis quàm eos qui viuunt vsque nunc. Et fœlicior mihi vtrisque, qui nondum natus est nec vidit opus malum, quod patratur sub Sole.* Mortuos viuis putat beatiores. Quid ita? Nempe quia iustitiam laborum omnium desiuerunt, peccatores autem lassati sunt in peccatis; vtiliter itaque vtrisque mors communis aduenit. Mystico autem sensu ita intellige: Qui peccato mortui sunt viuentes in Christo, longè meliores sunt illis qui viuunt in peccato. Tum sequitur. *Et fœlix mihi super vtrosque, qui nondum natus est neq; nouit laboriosam hanc vitam*, quam opus malum nominat. Ab ijs autem verbis Ecclesiastæ, quidam adducti sunt vt dicerent animam præexistere ante corporis institutionem. Quomodò enim, inquit, vocari potest beatus ac fœlix, qui nihil scit? Quibus ita respondemus: Si quemadmodum ipsi dicitis, anima in corpus hoc detruditur, vt tanquàm in carcerem coniecta corripiatur & castigetur ob ea delicta quæ antequàm subiret corpus, admisit, quomodò tunc fœlix esse poterat, cùm peccaret, neque argueretur? *Quem* enim *diligit Dominus arguit, & castigat omnem filium quem suscipit.* Si autem à Deo diligi bonum est, si etiam bonum est corripi; descendit autem anima in corpus vt corripiatur: ergo bona erit corporea hæc vita, & in corpore hoc fœlicior erit anima, illis quæ antequàm subirent corpus, peccabant, neque dignæ habebantur correptione diuina. Facilè est itaque euertere illatam ab illis rationem. Neque enim anima, corporis constitutione prior existit: & Salomon, fœliciorem vocat vtrisque qui nondum natus fuerit; hoc est, qui in existentiam nullam venerit, nihilque fuerit; vt sermo hic cum Domini verbis prorsus conueniat: *Bonum illi erat si natus non fuisset homo ille.* Hac autem absoluta quæstione, alia nos & quidem grauior quæstio suscipit: Si meliùs sit homini non natum ipsum esse, quàm natum, ob malum igitur contigerit homini natum esse: Erit ergo malorum causa Deus qui hominem produxit in vitam: Quomodò itaque *vidit Deus cuncta quæ fecit, & ecce erant valde bona?* Cui quæstioni sic respondemus: quòd cùm duas hoc loco personas attulerit noster Ecclesiastes; alteram quidem, calumniam inferentis, alteram verò patientis; non simpliciter loquitur de calumniam patiẽte, sed lugentem illum inducit pro ijs quæ iniustè patitur. Verba igitur hîc expressa non prodeunt à persona sapientis aut fidelis hominis, sed eius qui in hoc Mundo pacem habere percupiat. Philosophus enim neque si iniustè quid patiatur lachrymas fundit, quin lætatur potiùs & exultat, sicut & Apostolus scribit; *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Cùm itaque Ecclesiastes, duas hoc loco personas induxerit, ad Philosophiæ normam nequaquàm se moderantes, quarum altera est inferentis, altera verò calumniam patientis ac (præ dolore nimio & ignorantia rerum) lachrymas effundentis; subiunxit quod in comparatione horum duorum hominum carentium Philosophia, bonum sit in natura rerum non esse; quam sententiam benè facilè posset experientia ac exemplo nobis veram ostendere. Si quis enim interrogaret sanctos Martyres, Apostolos, aut Prophetas, vel cunctos homines qui secundùm virtutem vixerunt: Agite, nobis hoc dicite sancti viri, proposita vobis optione vel nascendi autore Deo, vel non nascendi; vtram in partem propensiores fuissetis? Nónne illicò responsuros putas: Gratias agimus Deo nostro qui secundùm bonitatem suam nos fecit; quique nos in virtutis gymnasio voluit decertare, vt has nobis æternæ gloriæ coronas plecteret & imponeret? Satis itaque ostensum est, quòd de peccatoribus & imperfectis hominibus loquitur Ecclesiastes. *Et vidi ego omnem laborem & omnem fortitudinem operis, quòd æmulatio est hominis; hoc vanitas & electio spiritus.* Fortitudo & industria, digna vituperatione censetur cùm quis vires suas circa vanitates intendit, & voti tamen compos efficitur. Zelus autem vituperabilis est, qui proximè vicinam habet inuidiam. Vidi igitur, inquit, laborem hominum circa res vanas, & alios homines vidi illis inuidere. Vt exempli gratia: iniustè aliquis diuitias sibi comparat? ecce alij statim huic inuidere incipiunt; vel ipsi, similes consequi diuitias affectantes, idem & ipsi studium æmulantur. Huiusmodi igitur occupatio hominum, vanitas est, & vt sæpè iam diximus, electio spiritus. *Stultus complicuit manus suas, & comedit carnes suas.* Manus homini datæ sunt, vt illis, opportuna sibi & conuenientia operetur. Ociosus itaque cessator, manus clausas & complicatas tenens, cùm subinde pœnitentia tangitur ac dolore distabescit, dicitur meritò carnes proprias deuorare. Mystico autem sensu; qui operationes suas non exercet in virtutibus, carnes deuorat suas cùm ipse sibi sit suppliciorum mediator & tormentorum Proxeneta. Aliter: Complicare manus suas, significat complecti ob dilectionem, & salutando blandiri: Stultus itaque cum diligat turpes suas operationes & amplectatur; proprias deuorat carnes, ipse sibi iustum supplicium parans.

Calumniatorum varia genera.

Animam non existere ante corpus.

Hebr. 12. Apoc. 3.

Matth. 26. Vtrum homini melius sit, natum an nõ natum esse.

Gen. 1.

Hebr. 10.

Zelus vituperabilis.

D E

Ibid. *Bona est plenitudo pugilli cum requie, super plenitudinem pugillorum duorum cum labore & electione spiritus.* A *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Psal. 36. Mystico autem sensu; pugillus, est indeficiens fides quæ est in Dominum Iesum Christum. Duo autem pugilli intelligendi sunt, cùm quis *duobus dominis seruire* studet; Math. 6. 3. Reg. 18. d *Deo* scilicet *& Mammonæ*; & opprobria illa pati quæ Propheta commemorat; Vsquequò claudicabis in vtrúmque poplitem? Melius est ergo sine vlla controuersia quod hic priùs ponitur. Aliter: Pugillus vnus est Vnitas ipsa quæ materia caret; pugilli duo materialia quæ diuidi possunt. Habetur præterea ipsa dualitas in Scripturis sacris immunda atque impura. Nam immunda animalia bina ingrediebantur in Arcam Noë. Gen 7 & 8. Melius ergo est Vnitatem sequi, ac officiosam vitam ducere cum quiete, hoc est, sine inanis gloriæ fuco; quàm occupari circa dualitatem; B hoc est, res materiales. Aliter: Contemplari possumus hominem fuisse olim pugillum, cùm videlicet Deus Gen 2. puluerem de terra accipiens ac veluti pugillo concludens, plasmauit hominem. Pugillus etiam fuit mulier; à latere námque Adam, costam manu Deus apprehendens, Euam plasmauit. Melior ergo est cœlibatus, pugillis duobus; hoc est, dualitate & copula coniugali. Cœlibatus caret molestia. Quamuis enim coniugium damnandum non sit, cœlibatus certè est laudabilis & molestia carens. *Et conuersus sum, & vidi vanitatem sub Sole.* In circuitum, inquit, mouens oculos mentis meæ; nihil vidi eorum quæ huius Mundi gratia fiunt ab hominibus, quod non vanitas mera sit: Per hæc autem verba, intellige significari nequitias hominum & peccata. Eccles. 4. *Est vnus & non secundus, nec filius nec frater; nec est finis in omni labore eius, nec oculus eius* C *impletur diuitijs: & cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? hoc etiam vanitas est & occupatio mala.* Ampliùs, inquit, res humanas considerans vidi quosdam qui legitimos non habent hæredes, insanabili affectu circa diuitias occupari, oculum habentes inexhaustum & inexplebilem. Quod cùm satis contemplatus sit, introducit inexplebilem huius hominis personam ex auaritiæ pœnitentia ita loqui; *Et cui ego laboro & fraudo animam meam bonis?* Iure ergo, & huic labori, vanitatem attribuit. Aliter: Mysticè sic intellige: *Est vnus.* Vnum, hoc loco accipit, qui seipsum tantummodò fouet ac diligit; qui ne habere quidē velit filios ac fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamuis natura nullos affines & cōsanguineos habeat, quia tamen secundum Dei præcepta charitatem D sectatur; omnes homines quamuis externos, esse sibi filiorum loco putant & fratrum, iuxta illud: Eccl. 4. b *Esto orphanis tanquam pater, & tanquam maritus matri eorum.* Hic itaque vnus ac solus qui habere nō curat filium neque fratrem, laboriosa quadam electione viuendi ac sollicitudine fraudat animam suam bonis, neque ad futura attendens neque in vita quicquam boni efficiens: Huic ergo & vanitas attribuitur. *Boni duo super vnum, quibus est bonum precium in labore ipsorum.* Concordiam duorum in operibus bonis laudat, hæc namque precium consequitur apud Deum. Marc. 6. Itaque Saluator benè concordes Apostolos binos misit antè faciem suam. Eos verò qui turrim superbiæ fabricantes in malo opere conueniebant, dissi- Luc. 10. pauit Deus atque dispersit. Mysticè autem sic accipe: E Gen 11. Laudabilis est & apud Deum preciosa, duorum (hoc est, animæ corporísque) in bono concordia. Quomodò autem meliores sint duo quàm vnus exemplo nunc proposito planè intelliges. Si corpus quidem voluptatibus abstineat & temperanter se gerat, anima verò ipsa inani gloria capiatur, irrita quodammodò vanaque redditur corporis temperantia: Rursúsque si anima quidem humilitatem colat, libidinetur autem corpus; animæ vana est humilitas. Vna enim parte compositi hominis delinquente; aut anima videlicet, aut corpore; necesse est & partem alteram comprehendi. *Bona itaque duorum copula & concordia, si conueniant ad preciosam virtutem; quoniam si cadant, vnum eriget participem suum: Et væ vni si cadat, neque sit alter ad illum erigendum.* Qui bonis de rebus

conueniunt, mutuum sibi auxilium præstant. Si enim A accidat vt alter ex humana fragilitate omittat aliquid quod faciendum sit, alterius consilio emendabitur. Quod autem dicit, *si cadat;* non est accipiendum de ambobus eodem tempore, sed modò de hoc, modò de illo. *Et si dormierint duo, calor ipsis erit, vnus autem quomodo calefiet?* Ex eo quòd corpori solet accidere, spiritualiter erudimur. Qui enim simul cubant & dormiunt, magis quam qui solus iaceat, calefiunt; ita etiam qui spiritualiter conueniunt & concordant: *Vbi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi & ego sum in medio ipsorum,* Math. 18. dicit Dominus; qui videlicet sancti Spiritus ignem calorémque Fidelibus suis gratificatur. *Et si quispiam præualuerit contrà vnum, duo resistent aduersus eum.* Iterum per ea quę sensibiliter solent accidere, spiritualem nobis tradit doctrinam. Sicut enim duo concordi animo vel forum B plateásque ciuitatis ambulantes, vel per desertas Eremi solitudines, tutiùs ac faciliùs repellunt irruentis contrà se alterius impetum, ita & futurum intellige in spirituali pugna. Nam cum Ecclesiastes edocere nos velit, quæ ad corpus animámque pertineant, sicut etiam Paulus Apostolus fecit: quo loco & ipse trium quæ homini insunt rerum mentionem facit, cum ait; *Integer vester* 1. Thess. 5. *spiritus & anima conseruetur;* tria nobis latenter contemplanda proposuit videlicet quòd si vnus quispiam nobis insurgat; hoc est, superbia carnis; tunc anima spiritui amicè coniuncta, carnem compescat ac frenet, vt spiritualibus animæ motibus subijciatur, & pareat. Sciendum namque est (quod ad hunc locum pertinet) hominem tribus ex rebus constare; Anima scilicet, corpore, C ac spiritu; non quod secundum substantiæ vim, aliud sit spiritus, aliud anima (neque enim duo rationalia insunt homini) sed quod ratione sola, ea seorsum considerātes, aliud esse spiritum dicamus, aliud animam. Vocamus enim spiritum, actum animæ ipsius dexteriorem, sublimiorémq; vim: qui spiritus est idem (putò) qui & intellectus siue ipsa mens, sicut in Esdræ libris accipi animaduertimus. Aut intellige: Spiritus & ipsum charisma spiritus, quod animam lętificat & illustrat, diuina nobis insufflatione transmissum. Itaque si impollutum seruemus quod nobis inest ad imaginem Dei factum, integrum habemus charisma spirituale: Sin verò ad peccatorum semitas declinemus, donum sancti Spiritus violamus in nobis. Hoc est (putò) quod Apostolus nos precatur ma- Ibidem. D nere integros sicut ab initio fuimus, immaculatum habentes corpus & animam, purúmque seruantes charisma spirituale. Aliter quoque ita potest intelligi; Motus 1. Cor. 12. animæ diuiduntur in rationabilem, irascibilem, & con- Motus Animæ triplex. cupiscibilem. Si igitur tria hæc ex virtute officióq; conueniant, tunc secundùm rectam naturæ normam ira excandescit contra malas affectiones ac dæmones, concupiscentiæque ipsa vis potiora tantum desiderat; vnde & Daniel vir concupiscentiarum vocabatur: Rationalis Dan. 9. & 10 autem pars omnia iustè moderatur, irascibilē vim concupiscibilémque compescens. Sin autem cōtra eueniat, vt præter Legem rationis, altera illarum virium; vel ira scilicet, vel appetitus, quod delectat persequatur: tunc duæ reliquæ partes concordi fœdere puritatem seruantes (vt pura rationalis concupiscendíque vis) iracun- E diam deprimunt ac sibi obedire cogunt; aut contrà, iracundia rationi adiuncta, concupiscentiam sedat. Ita ergo fit vt concordes duo, tertium reluctātem redigant in seruitutem. *Funiculus triplex non citò rumpetur.* Rursus Ecclesiastes, exemplo triplicis funiculi, ad spirituales nos euehit contemplationes; ac primùm quidem charitatem nos docet, in concordiæ nexum nos vocans. Inquit ergo: Si anima, corpus, & spiritus in bonum conueniant; non facilè dissoluuntur ab hostis incursu. Aliter: Cùm rationalis animæ vis, irascendi ac concupiscendi potentiæ, vnitatis puritatem custodiunt, animam seruant prorsus innoxiam. Aliter: Qui credunt inconsubstantialē Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum; à resistentibus hæreticis & aduersarijs expugnari Trinitas consubstantialis.

non possunt. *Bonus est puer pauper & sapiens, super Regem senem & stultum qui nescit prouidere in posterum, quod & è carcere vinculisq; interdum quis egrediatur ad regnum; quódque in regno ipsius natus sit pauper.* Pueri fermè non eo digni sunt honore quo senes, neque ita pauperem veneramur vt Regem. Comparās igitur Ecclesiastes stultitiam cum sapientia; quantùm hæc ipsa præstet, ostendit. Inquit enim, longè potiorem esse puerum & pauperem (modò sit sapiens) eo qui sit senex & ornatus regia potestate, sed stultus. Amens enim non intelligit; sapientiam, è seruili quandóque conditione, atque in vincula coniectum hominem, ad fastigium regium euehere. Cuius rei exempla sumi poterunt ex Ioseph quem Dei munere insita sapientia, & adolescentem & precio coemptum & in carcerem detrusum, totius Ægypti gubernatorem constituit. Hæc eadem sapientia si Regi insideat, modestiam tueri docet ac frugalitatem; ita vt Regia dignitate qua pollet, nequaquam extollatur, ac tumeat. Nam Dei gratia & sui cognitione, pauperem se esse intelligit, neque in regno neque in diuitiarum copia, paupertatis humilitatem deponit; vt beatus & ipse sit quemadmodum & *pauperes spiritu.* Aliter senescens ac stultus, Hebræorum populus dici potest, cui iunior successit in Dei cognitionem populus ex Gentibus conuocatus; verè sapiens ac redemptus à diabolica seruitute, & per fidem Christi Saluatoris consequutus regale sacerdotium, spiritu quidem paupet sed Euangelica beatitudine decoratus. Exemplar autem ac dux huiusmodi pauperum est ipse Christus Saluator noster; qui sapientia quidē Patris Dei est, iuuenis autem si corporeæ geniture tempus consideres. Idem quoque Rex dignitate diuina, pauper factus propter nostram salutem, quanquam per se ditissimus. Euasit idem catenas mortis, & inferni carcerem fregit ac soluit; suo nos erudiens exemplo mediocritatem sectari, cum dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub Sole, cum adolescente secundo qui exurget pro eo. Non est terminus omni populo omnibus, inquam, qui fuerunt ante eos; Et postremi non lætabuntur in eo: Sed & hoc vanitas & electio spiritus.* Totus hic locus ad allegoricum intellectum mysticúmque pertinere putandus est, quandoquidem nullus est qui corporali intuitu cunctos possit videre homines qui ambulant sub Sole. Cum verò mysticum sensum alij alio referri contendant (nam adolescentem secundum, alij Christum Dominum volunt intelligi, alij autem Filium perditionis Antichristum) nos vtrámque prosequemur expositionem. Vidi, inquit, cunctos iuuenes qui ambulant sub hoc visibili Sole; hoc est, ipsos peccatores; cum adolescente secundo; hoc est, Antichristo qui exurget *pro ipso;* Domino videlicet nostro Iesu Christo. Non erat finis multitudinis peccatorum; eorum scilicet qui ab initio sæculi præcesserunt: Sed & postremi qui temporibus Antichristi scilicet in eum credent, non lætabuntur in eo; neque enim seruare potest impietas, adhærentes sibi. Vt autem doceat hunc errorem Infidelitatis non necessitate, nec casu, sed electione liberæ voluntatis esse populus aduenturum, adiunxit dicens: *Sed & hoc vanitas est & electio spiritus.* Aliter: Vidisse se, inquit, ambulātes sub iustitiæ Sole; omnes scilicet qui verè viuunt ex fide; cum adolescente secundo qui proculdubiò est Saluator noster, homo de cœlo cœlestis, qui nobis natus est ac surrexit pro adolescente primo Adam qui fuit homo *de terra terrenus.* Et infiniti erant, inquit, sub hoc Sole in anteriora progredientes; hoc est, secundùm viuentis fidei disciplinam, præteritæ quidē vitæ obliti tanquàm mortui peccato, tendentes autem de virtute in virtutem, semper oculos mentis ad propositam vitæ æternæ gloriam dirigentes. Sed quinam sunt postremi ipsorum qui non delectabuntur in adolescente secundo Domino nostro Iesu Chisto? Nimirùm vel Iudæi fuit qui cùm primi essent, facti sunt nouissimi; vel qui in fine sæculi credent in Antichristum; vel generaliter omnes qui post primos officiosè piéque viuentes, ipsi cùm sensus & voluptatis illecebras consectentur, meritò postremi ac nouissimi & habendi sunt & vocandi. Sed hos quoque nouissimos ostēndit electione propriæ voluntatis non gauisuros esse in adolescente secūdo, ideóque tritum iam sibi verbum illud adduxit: *Sed & hoc vanitas & electio spiritus.* Sciendum est autem (quòd ad prædictorum enarrationem pertinet) Adam hominē primum, adolescentem vocari sub intellectu eius temporis quo recēs creatus adhuc in Paradiso voluptatis, vigore iuuentutis suæ strenuus erat operando virtutes. Vocatus adolescens & Christus Saluator, propter magnum robur diuinæ virtutis: Vocatur & Antichristus, qui iuuenili temeritate feruidus est in malo, robustúsque nequitiæ innouator. *Custodi pedem tuum cum ingrederis in domum Dei, & propinquus esto vt audias.* Æquiuoca quadam ratione loquendi, exterioris hominis membra de interiore dicuntur, vt oculos putà, manus ac pedes, & membra reliqua? Non tamen contrà contingit, vt interioris hominis partes de exteriore dici consueuerint. Dicuntur enim pennæ alæque de anima, iuxta illud: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ:* inquit ergo, Custodi animæ tuæ pedem in omni opere tuo cùm incedis, vt in conspectum veniam domus Dei, hoc est cœlestis Ierusalem. Qui verò custodit pedē animæ suæ, propè est vt audiat; hoc est, vt obediat verbo diuinæ præceptionis, & proficiendo mandata Legis exequatur. Quod si de corporali pede dictū intelligas; custodi, inquit, totum corpus tuū (à parte enim totum significauit) ne instrumētis eisdem quibus in bono vtimur, abutamur in malo; quasi dicat: Ne quæso pedibus eisdem quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos & obscœna spectacula. De alijs quoque humani corporis membris idem intellige faciendū. Et profectò qui impolluto pede subeunt Ecclesiam Dei, debent ab impijs locis & profanis se penitus, vt Deo contrarijs, continere. *Super donum stultorum sacrificium tuum, quia ignorant quid faciant mali.* Quia stulti quoque nonnunquam munus offerunt Deo, vt qni ex inani gloriari eleemosynam faciunt; sicut & Caïn qui rectè quidē offerebat, male autem diuidebat: ideò, tuum, inquit, sacrificium cum prudentia fiat & discretione. Insipientes enim non intelligunt, quoties malè offerunt, eò quòd illorum zelus careat discretionis iudicio. Qui enim prudens ac sciens operatur bonum, pati quoque cognitione malum deuitat. Qui verò priùs illud ignorat, facilè & alterum ignorabit. Illud itaque quod ait; *quia ignorant quid faciant mali;* ita intellige: ignorantia occupantur, & tenebris obteguntur mentes. Propriè autem & distinctè locutus est cùm dicit, *donum stultorum; sacrificium* verò, prudentium tantummodò intellexit.

Marginalia: Genes. 41. — Matth. 5. — Matth. 11. — Electio liberæ voluntatis. — 1. Cor. 15. — Matth. 20. Marc. 10. — Psal. 67. — Gen. 4. — Zelus sine discretionis iudicio.

CAPVT V.

Ne festines in ore tuo, neque properet cor tuum ad efferendum sermonem in conspectu Dei, quoniam Deus est in cœlo superius, & tu inferius in terra. Promptam ad loquendum linguam corripiendam monet, tum verò quia è temeratio ac prompto corde ipsi linguæ fatuæ, sententiæ quas efferat, suggeruntur: Vt fontem quoque ipsum ac caput obstruat insipientium verborum, inquit; *Ne properet cor tuum efferre verbum in conspectu Dei.* Quasi dicat; quia Deus vbique præsens, omnia perspicit etiam deprehendens occultas animæ cordísque cogitationes, quanquàm per sermonis iudicium non emergant, Deus enim qui in altissima cœlorum specula sedem habet, quæ in imo fiunt conspicit vniuersa. Aliter: Ne temerè de diuinis mysterijs verba profunde, neque vtcúmque omnia quæ in buccam veniunt: mortalis enim homo cum sis, ac graui corpore circumseptus, & orbis infimus habitator, nequaquam potes inuisibilis Dei substātiam supercœlestísque comprehendere. *Idcirco sint pauci sermones tui.* Ob omnes causas superiùs dictas, sint tui sermones non solùm pauci numero, sed etiam diligenti examinatione perpensi.

Marginalia: Loquacitas fugienda.

Quoniam

Quoniam in multitudine tentationis aduenit somnium, & vox stulti in multitudine sermonum. Si more Prouerbij, absolutè ac liberè hoc dictum putes; ita intellige. Sicut qui per diem multis tentationibus curísque agitantur, per quietem subinde somnijs conturbantur; ita & stultus in multiloquio peccans, sua ipsius voce arguitur. Aliter: Sicut somnium, dormientē quempiam vel ad auaritiam vel ad libidinē tentans euolat & mox irritum euanescit, vt nihil eorum quæ facere videbatur certum esse contingat, ita & vox hominis stulti nihil vtile commodúmque concludens, somnio videtur esse persimilis: quasi dicat, somnijs comparatur, stulti hominis sermo. Sin autem velis Ecclesiasten quasi ratione confirmantem quę superiùs attulit, hæc verba proferre; videlicet, quoniam aduenit somnium in multitudine tentationis, & vox stulti in multitudine sermonum, ita accipies, vt quasi nos moneat dicens: Ne multiloquus esto ac nugax, neque stultitiā tibi insitam tuo profer sermone, quoniam multæ nugacibus adueniunt tentationes quæ ipsos non interdiù solùm vigilantes conturbent, sed per quietem quoque dormientes exterreant. *Sicut vouisti votum Deo, ne moreris illud reddere, quoniam non est voluntas in stultis. Tu igitur quæcunque voueris, redde.* Votum est, cùm quid Deo pollicemur nos reddituros. Vouemus autem Deo & pollicemur non pecunias modò, sed abstinentiā victus, & castitatem, & quæ sunt generis eiusdem. Quia ergo stultus persæpè, pollicitorum pœnitētia subit ac dolor, nolentes vota persoluere; hortatur vt citò ac velociter quæ promisimus Deo reddamus. *Melius est te non vouere quàm post votum promissa non reddere.* Malum est proculdubiò ac detestabile si nihil vnquam velis Deo tribuere; multò tamen est peius si pollicearis te Deo quid daturū, neque persoluas. Duobus igitur propositis malis, bonum dixit quod minus est malum. Alio quoque sensu intellige: Caue ne quid temerè promittas in conspectu Dei, quia simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumueniet tentationum quæ persoluere promissionem impediat, ita vt ne dormiens quidem sine molestia sis futurus. Vt exempli gratia; pecunias auarus quispiam vouit Deo se redditurum; mox autem non interdiù solùm torquetur & auocatur, rationibus hinc inde subductis egestatem sibi ac pauperiem ante oculos ponens, sed (vt par est) dormiens quoque, eisdem imaginibus conturbatur ne vota Deo persoluat. Quantò autem supplicio torquendi sint qui contemnunt vota cōplere, docent nos in Actibus Apostolorum Ananias & Saphira, repentina morte sublati. *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam.* Lingua si nugax fuerit, corpus totum coinquinat; præsertim verò si cùm mulieribus incautus sermo commisceatur, carnem stimulat ad peccandum. *Ne dixeris ignorantiam esse in conspectu Dei.* Cùm effreni (inquit) lingua peccaueris; ad pœnitentiam redi, neque consuetam prætende excusationem quòd imprudens nesciúsque peccaueris. Aliter; Qui in ipsa fece nequitiæ volutantur, ita prudentiam Dei negant & aspernantur, vt dicant dedignari Deum curare ac scire quę hìc ab hominibus scelera committantur: At tu nequaquàm hæc dixeris; nihil enim latet oculos Dei. *Ne forte irascatur Deus contra sermonem tuum, & destruat opera manuum tuarum.* Ne (inquit) ore tuo ac lingua peccaueris, ne & fructum bonorum operum tuorum amittas. Iratus enim Deus contra temerarios sermones, delet è libro vitæ si quid est quod piè, videamur nobis, laudabilitérque fecisse. Aliter: Caue ne dicas, Deus ignorat quæ ab hominibus perpetrantur: Irascitur enim talia dicentibus, neque approbat opera illorum. Simplices quoque & tardioris ingenij peccatores, nihilò minus è medio tollit vel paupertatē eosdem plectit, illorum fortunas operáque corrumpens. *Quoniam in multitudine somniorum ac vanitatum, copiáque sermonum; Tu Deum time.* Tria simul valdè similia comparauit; inania scilicet somniorum phantasmata, vanos hominum labores, & ineptam multiloquij loquacitatem. Somnij enim persimilia sunt, nugacis hominis verba, neque sanè multum à somnijs differunt irrita hominum studia. In multitudine igitur somniorum; hoc est, somniantium hominum frustráq; laborantium, nec non verba plurima effundentium; irascitur Deus. Multitudinem autem hoc loco, non simpliciter multiloquium intellige, sed ociosi-loquium. Paulus enim loquens de regno Dei, quàmuis ad mediam vsque noctem verba produceret, nullo tamen auditores afficiebat fastidio. Qui autem multa quidem verba profundat, rem verò ipsam de qua agitur minus facilem reddat; nihil fermè videtur loquutus fuisse. Sed & ociosè ac præter rem loquitur, in verbo quoque vno nugax esse deprehenditur. Semel autem nobis cūctarum virtutum obseruantiam suggerens; *Tu*, inquit, *Deum time*; Timor enim omnia excedit. *Si calumniam pauperis & rapinam iudicij videris in prouincia, ne mireris super hoc negocio, quoniam excelso excelsior est alius qui custodiam habet, & supe ipsos alij quoque excelsi sunt, & superfluitas terra.* Rapinam iudicij vocat, cùm ditiores in prouincia & ciuitate, largitionibus corrumpunt Iudices ad iniqua iudicia. Aliter: Etiam rapinam iudiciorum exercet qui causas nihil ad se pertinentes, violenter sibi vendicat & extorquet. Ait ergo: Quotienscumque videris, calumnia & largitionibus inopes à potentioribus premi, ne admiteris; hoc est, ne ita ob hanc ipsam rem indigneris, vt fluitare Mundum sine vlla prouidentia suspiceris: Deus enim super omnes excelsus, omnia speculans, & obseruans quæ ab ipsis patrantur qui sibi videntur excelsi locupletes & gloriosi, reddet vnicuique pro suorum operum dignitate. Et super ipsos excelsi; hoc est, qui seipsos inaniter iactant & magnifaciunt, nihil aliud fermè censendi sunt, quàm superfluitas terræ; hoc est, inutilis terræ globus & massa, iuxta illud: *Quid superbis*, inquit, *terra & cinis? Super omnes autem Rex est Dominus agri elaborati.* Generali quadam conclusione vtens Deus, inquit, instar viridarij Mundum sibi hunc excoluit & ornauit, & in eo dominatur vt Dominus agri cuius & assiduam prouidentiam gerit. Non itaque decet opinari Mundum carere gubernatione regnantis, ob eas quæ inter homines fiunt iniquitates: imò reuocare in mentem oportet quòd cùm Mundus hic, ager nuncupetur iuxta Euangelicam parabolam; Deus hominem Mundi huius Regem dominúmque constituit, sicut scriptum est; *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Admonet itaque nos hoc loco Ecclesiastes, dignitatis nostræ; vt debitam venerationem exhibentes Deo qui nos regia honestauit corona, piè officiosèque viuamus. Aliter: Quandoquidem Deus vniuersi huius Mundi est Dominus & possessor, veluti agri cuiusdam diligentia summa elaborati; idcireò seduli caueamus ne demoliamur Vineam Domini Sabaoth, aut iniquis actionibus, aut impijs dogmatis, aut perniciosis doctrinis. Omnibus enim præest, omnia speculatur agri Dominus & possessor elaborati. Aliter: Diuina ipsa Scriptura est velut ager quidam ferax & odoratus, quasíque Paradisus optimis arboribus consitus, habénsque thesaurum occultum. Par est autem vt qui hunc habere quęrūt thesaurum, placere studeant Regi domino Agri huius, hoc est, Deo omnipotenti. Placebunt autem, si cunctis Mundi delicijs renunciauerint; &, si neque Iudæorum more solùm litteræ iacentis sensum cōsectentur; neque è contra etiam Scripturæ verbis allegorias & mysteria perscrutentur ita vt (tanquam inutilem posthabentes litteræ veritatem) plantas agri huius radicitùs subruant & euellant; cùm potiùs deceat fideliter quæ sunt scripta rimari, & duce Spiritu ligonibus terram versare. Ita nimirùm Deo placebimus agri huius Domino, & spiritualem illi Paradisum reddemus excultum. *Qui pecuniam diligit, pecunia non explebitur, & qui amauit fructus in multitudine eorum; & hoc etiam vanitas.* Huius sententiæ posterior particula ita construenda est: *Et qui amauit fructus*; hoc est, quicunque amauit, sibiipsi nō autem communis vtilitatis gratia congerere fructus; quasi dicat: Qui laborat auaritiæ morbo siue pecuniam congerat siue fructus,

Vota soluenda.

Act. 5.

Mulierum colloquium.

Impij negant prouidētiam.

Temerariorū sermonum pœna.

Ociosiloquiū. Act. 20.

Nugacitas.

Operum dignitas.

Eccl. 10.

Matth. 13.

Psal. 8.

Demoliti Vineam Domini.

Scriptura interpretande vera methodus.

nunquam expletur plura semper affectans, vt potiùs pecuniarum dici seruus quàm Dominus mereatur. A *Multitudine bonorum multiplicati sunt qui comedunt ea. Et quæ virtus ac fortitudo possidentis bona? Principatus enim est illi vt videat oculis suis.* Symmachus interpres posteriorem particulam ita conuertit. Quæ enim vtilitas inest habenti ea bona, nisi vt tantummodò ea spectet oculis suis? Sensus autem hic est. Inuenias qui summa animi vi & corporis contentione flagitium aggrediatur, vt auarus solet, qui quacúmque potest ratione pecunias cogit, éstque fortitudo hæc strenuitásque damnanda. Qui verò sic impudenter auari sunt, hoc sibi tanquàm bonum summum proponunt, vt inter pocula patinásque versentur & vt spectaculo fruantur quas congessère pecuniarum. In *multitudine* ergo *bonorum*; hoc est, in affluentia pecuniarum quæ illis assiduè multiplicatur, gestiunt non secùs ac si bonis illis pecunijsque vescantur. B Et quæ illis demùm resultat vtilitas ex huiusmodi strenuitate atque virtute? solo námque intuitu principatum gerit in pecunijs, auaritia tali correptus: quasi dicat; nullo alio vsu Dominus est earum, præterquam quod appositas contemplatur. Aliter: Quibus legitimo honestatis iure opes atque diuitiæ augescunt, multiplicantur etiam qui illis vtantur. Qui enim verè cupiunt probitate sibi augeri, multis, hoc est, pauperibus; suas opes impertiunt. Vt itaque à tenacitate nos dehortetur, ad misericordiam verò conuertat; quid prodest (inquit) impudenti auaro ac tenaci, sua turpis huiusmodi vtilitas & fortitudo quæ oculorum solo intuitu pecunijs vti diuites permittit? *Dulcis est somnus serui, siue parum comedat, siue multum; pleno autem diuitiarum, non est qui sinat eum dormire.* C Posita comparatione ostendit fœliciùs euenire homini seruili conditione subiecto, quàm ei qui liber cùm sit, auaritiæ tamen est seruus. Famulus enim securam vitam ducens, quocúmque demùm victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecunijs seruit, herum habet importunum qui dormire eum non sinit; curam scilicet augendi lucri, anxietatibus plenam. Mysticè autem: Qui Deo famulantur, æquo animo ferunt atque lętantur de temporaria huius sæculi vita in æternam transferri; quàm vitæ præsentis translationem, pulchrè atque appositè vocauit somnum. Auaros autem non somnus excipit, sed horribilis mors quæ non sinit eos quiescere sed æterno tradit supplicio. *Est infirmitas quam vidi sub Sole, diuitias cõseruatas apud Dominum in perniciem suam, & pereunt diuitiæ illæ in occupatione mala.* D Omnes iniquitatis species, morbi sunt ipsius animæ. Adeò verò grauis est & intensus auaritiæ morbus, vt *radix malorum omnium* meritò nominetur. Inquit ergo; vidi asseruatas opes in perniciem possidentis: Aut enim peregrè proficiscẽs perdit auarus diuitias, cùm propter eas nonnúmquam Grassatorum insidias Raptorúmque patitur, aut si cætera euadat incommoda, vita demùm excedens, pecunijs tunc priuatur. Planéque intelligit se pro incerta re atque instabili laborasse, vt quibus omnino cariturus erat, pecunias congregaret: hoc enim significat cùm dicit, in occupatione mala. Quia verò multi sub prætextu hæredum filiorũ diuitias cumulant; meritò subiungit: *Et genuit filium, & nihil est in manu eius: Sicut egressus de ventre matris suæ nudus reuertetur, vt pergat sicut venit.* E Et si auarus sub prætextu filiorum se excuset; tamen hunc monemus, vt nascentis sibi filioli manum inspiciat: Et cùm inuenerit illum sine pecunijs de ventre matris in hunc Mundũ venisse, rursus inspiciat morientis manum; etenim inueniet eum sicut nudus & inanis pecuniarum venit è matris verò, ita & pauperem subire sinum telluris ex hac vita commigrantem. Meritò ergo sequitur: *Et nihil accipiet in labore suo vt veniat in manum ipsius; & hoc infirmitas mala. Sicut enim aduenit, ita & abibit. Quid ergo est ille amplius? laborat enim in ventum, & omnes dies in tenebris, in luctu & tristitia multa, in infirmitate & ira.* Si itaque neque auarus ipse, neque illius filius quem hæredem sibi instituit, neque hominũ prorsus aliquis potest secum moriens efferre sensibilium facultatum, nónne infœlicis animæ morbus est auaritia? Quid itaque laboras in ventum, cùm sint diuitiæ prorsus instabiles, & aquatilis bullæ cùm detumescit, persimiles? Sed & ipsa auaritia in tenebris elanguescit; hoc est, ignorantia & luctu. Auarus enim neque suiipsius miseretur, cum parcè ac vix, congestis vtatur, sed etiam tristi insuper iracundia stimulatur, & leui occasione in contentionem surgit & excandescit, animi graui ægritudine occupatus. Vide igitur quot aurum incommoda circumueniant; post quæ, defunctum vita, etiam tenebræ inferni suscipient repulsum à conspectu Dei, iuxtà illius iram seuerissimè puniendum. *Ecce, vidi ego bonum; hoc est vt comedat quis & bibat & videat bonum in omni labore suo quem laborat sub Sole, in numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus. Diuitias enim dedit, substantias & potestatem vt comedat ex eis, & accipiat partem suam & lætetur in labore suo; hoc est donum Dei: Non enim recordabitur multis diebus vitæ suæ, eò quòd Deus occupet illum in lætitia cordis sui.* Auari personam miseriásque superiùs ostendit Ecclesiastes: Cúmque visus sit in eum grauiter irruisse; nunc vicissim aliam aggreditur curandi rationem, vt non inuehendo perterreat sed vt blandè ac sensim contrectando (si fieri possit) liberum metu & suspicionibus conciliet. Quia enim auarus sic malis affectionibus occupatur, vt simplicem virtutis exactæ medicinam ferre non possit multa cum prudentia noster Ecclesiastes quæ iucunda homini contingunt in vita, breuiter percurrendo præceptis suis admiscet, atque ita mox docet non oportere ventri omnia & gulæ luxuriosiùs indulgere, cum breuis hoc in sæculo nobis futura sit vita. Hortatur itaque, aliud intendens, auarum; vt dum viuit suis vtatur bonis, ita dissimulanter appositis voluptatibus adducere illum studens ab auaritiæ morbo. Inquit ergo: Bonum est tibi auare locuples comedere, bibere ac lætari, donec ea mediraris quæ sunt sub Sole: sed profectò decet etiam te id cogitare quòd paucos ac numerabiles dies tibi ad viuendum dederit Deus: tempus enim vitæ tibi concessæ secretum est tibi in sortem, terminúsque descriptus. Cum itaque diuitias à Deo acceperis; facultatémque illis vtendi; cogita non solùm vt comedas & bibas, sed vt portionem tuam sortémque accipias. Vide autem quam sit admirabilis Ecclesiastæ nostri doctrina. Postquam enim blandè permulcendo, metum auaro suspicionémque imminuit, edendi scilicet ac bibendi voluptate proposita; nunc sensim irrepit docens non esse hanc sortem hominis partémque propriam, vt esculentis scilicet poculentísque perfruatur. Monet ergo vt partem sibi decentiùs decretam accipiat; hoc est, hęreditatem ac sortem quæ sit illi stabilis ac perpetuò duratura: Ea verò est, dispergere pauperibus opes suas, & de huiusmodi dispensatione solidam lætitiam capere. Hoc enim verè est donum Dei, in eleemosynis & charitate pauperum vitam operámque consumere. Tunc verò vt magis illi persuadeat partem hanc sibi propriam capere; hoc est benè vti suis diuitijs, vt ita stabiles illi fiant; reuocat illi in memoriam breuitatem vitæ huius, quum dicit quòd non multos recordabitur dies vitæ suæ. Huiusmodi autem hominis occupatio in pauperibus subleuandis, & acceptissima est Deo, & misericordis cor animámque lætificat. Et hęc quidem quæ docuimus, ab Ecclesiaste adducta nunc blandè auaros adhortando nunc contrà seueriùs increpando, satis fuerint ad ipsius litteræ ordinem sensúmque explicandum: Qui verò diuiniùs ac sublimiùs loquentem potest audire Ecclesiastem, quum meminerit ad se pertinere illud Euangelij dictum; *Qui habet aures audiendi, audiat,* idem profectò nouit qui solus sit bonus: *vnus enim bonus est Deus.* Idem quoque nouit, quòd qui manducat carnem Filij hominis, & bibit eius sanguinem, futuræ fœlicitatis partem hic aliquam fruitionémque accipit. Bene igitur operam insumit suam, virtutésque exercet dum est sub Sole, hoc est, in præsenti vita; secum animo deputans quòd Deus numerabiles posuerit dies suos, neque deceat ne vnum quidem illorum pati vacuum ac sterilem præterire.

Diuitiarum nulla est, nisi quòd spectantur, vtilitas.

Contra auaros.

Mors est somnus.

1. Tim. 6.

Incommoda ex diuitijs.

Cõtra curam diuitiarum.

Auaritia morbus Animæ infœlicis.

Hereditas & pars huius sæculi perpetuò duratura.

Eleemosyna, est donũ Dei.

Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. Ioan. 6.

præterire. Labor enim quem virtuti homo impendit, propriè dicendus est hominis esse pars, quæ sola nimirùm efficiat vt pars nostra sit Deus, iuxta illud quod A Pater Ecclesiastæ nostri canit in Psalmo; *Portio mea es Domine*. Et profectò hæ sunt illæ diuitiæ, de quibus ait Apostolus; *In omnibus diuites facti estis in ipso, in omni cognitione & sapiētia.* Nam qui hac bona & spiritualia bibit & comedit, & in his lætitiam suam ponit; planè intelligit quòd hæc charismata Dei sunt, auétque peruenire ad æternam vitam; Temporariam verò hanc, vt exigui spacij, despicit & contemnit. Accidit enim hoc omnibus qui Dei munere circa spiritualia occupantur, & ad ea contemplanda mentem attollunt, vt mundana hæc omnia paruipendant. Si qui verò putant diuitias istas sensibilésque fortunas, summum esse hominis bonum; hi mihi paucis rogandi sunt, quid ita sit quòd illas Deus æquè cunctis hominibus non impartiat, quum tamen, B idem *personarum non sit acceptor*. Atqui cernitur quæ verè sunt bona, cunctis æquè liberaliter effudisse; hoc est, liberum Arbitrium, dispositionémque ad exercendas obeundásque virtutes: Quapropter licet ad bene officiosèque viuendum diuitiæ adminiculo esse possint, & virtutes ipsas quandóque vt præmia consequantur, non absolutè tamen, neque suaptè natura vel bonæ vel malæ dicendæ sunt & habendæ. Sed quum per se mediæ sint, ac súsque déque accipiantur; facilè transeunt & immutantur in habitum, bene illis maléve vtentis.

Psal. 118. d

1. Cor. 1.

Occupati circa spiritualia, Mundum negligunt.

Act. 10. e

Liberum arbitrio Diuitiæ aliquādo sunt præmia virtutum.

Capvt vi.

EST & malum quod vidi sub sole, & quidem frequens est apud homines; Vir cui dabit Deus diuitias, substantiam & gloriam, & non est quod desit animæ suæ ex omnibus quæ concupiscet, nec tribuet ei potestatem Deus vt comedat ex eo; nam vir extraneus vorabit illud: & hoc quoque vanitas, & infirmitas mala.* C Litteræ huius intellectus rectà fertur in auaros & nimia parcitate astrictos. Quod autem inquit; *Nec tribuet ei potestatem Deus vt comedat ex eo*; simile est illi quod ait Apostolus scribens ad Romanos; *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*: Non quod Deus ipse quemquam hominum cogat, auaritiam intemperantiáve sectari; sed quòd ea permittat quæ homines electione liberæ voluntatis aggrediuntur, dum liberi Arbitrij naturam facultatémque conseruant. Mystico autem sensu ita intelligendum: D Sæpè accidit vt aliquis magnas sibi diuitias in dicendi copia & in scientia Scripturarum compararit, aliarúmque rerum cognitione: sed quia deinde fœditas morum, & verbis suis dissidet ac doctrinæ; hinc fit vt qui in libros illius traditionésque incidunt, magnam inde ipsi quidem vtilitatem capiant, nihil verò ipse autor emolumenti perceperit, eò quòd correspondentes verbis mores non habuerit. De huiusmodi viris intellexit Saluator, quum dixit; *Quicquid dixerint vobis, facite, secūdum verò opera eorum nolite facere.* Alter: Diues olim fuit populus Iudæorum, locupletatus Rege, Prophetis & Sacerdotio; qui tamen ex diuitijs fructum non cœpit, morbo graui correptus peccati in Saluatorem suum commissi, propterea venerunt externi, & bona eius comederunt; populus scilicet è E Gentibus in Ecclesiam conuocatus, de quo scriptum est: *Qui alienati erant à gubernatione Israel, & externi à Testamento promissionis. Si genuerit quispiam centum liberos & vixerit multos annos, & multitudo magna fuerint dies annorum eius, & anima illius non impleatur bonis substantiæ suæ & sepultura illi non fuerit; ego dixerim quod melior illo sit abortiuus: In vanitate enim venit, & pergit ad tenebras, & in tenebris occultabitur nomen eius, non vidit Solem, neque cognouit: requies huic super hanc*, Quòd ait; *si genuerit quispiam centum liberos*, per hyperbolem dictum intellige. Vtitur autem hoc loquendi modo Scriptura, quum à paruo declinat in immensum aliquod. Hyperbole enim est sermo veritatem excedens, vt aliquid expressiùs ante oculos ponat, sicut & Apostolus ait; *Adhuc per excessum vobis ostendo; Si linguis Angelorum loquar, & si habuero omnem scientiam, &* A *cognouero cuncta mysteria, charitatem verò non habeam, nihil mihi prodest.* Atqui sine charitate habere illa quę recensui, non est possibile: Sed quo pacto sit accipiendum quod dicit, ipse præueniens nos edocuit, quum dicit; *Per hyperbolem viam vobis ostēdo.* Dicit ergo Ecclesiastes: Quamuis ergo fœcundus in numero centum filiorum quispiam fuerit, quod est impossibile: si verò etiam ad annosum vixerit senium; flagitiosè autem neque secundùm virtutem duxerit vitam, atque ita perditè vt defunctus ne sepultura quidem dignus censeatur (quandoquidem & hoc ipsum persæpè contingit) facilè dixerim tali homine longè meliorem esse abortiuum. Hic namque homo verè in vanitatem venit, & in tenebras pergit in ignorantia viuens; & nomen ipsius in tenebris occultabitur, quum delendus sit è Libro viuentium, ne- B que dignus habendus sit iustitiæ Sole. Quare autem Abortiui fœtus, aut mortui enascantur aut vnum viuant diem alterúmve, explicare hoc loco non est consilium; sed potius inscrutabili diuinæ prouidentiæ relinquendum puto. Mysticè autem, quæ superiùs dicta sunt, sic intellige. Apostolus quidem & ipse erat Iudas Iscariothis, & doctrinæ suæ verbis multos genuit filios; sed quia subinde non impletus est bonis vt perseueraret in finem, sed conuersus est ad iniquitatem repletúsque est potius spiritu Satanæ: sepultura etiam caruit; hoc est, non immortuus fuit Saluatoris sepulturæ. Qui enim Christo consepulti sunt in baptismo munúsque Dei custodiunt in virtute viuentes, hi profectò & cum Christo resurgunt. Talis itaque magister ac Doctor qui multos C quidem genuerit sua doctrina discipulos (hoc enim significat centenarius ille numerus) multúmque ætatis edocendo contriuerit; tali autem quàm modo diximus sepultura dignus non habeatur eò quòd mortuus peccato & sepultus non fuerit; pergit proculdubiò ad tenebras, neque videbit iustitiæ Solem. Paulus verò Apostolus, qui de seipso dicit; *Nouissimè autem omnium tanquàm abortiuo visum est mihi*; sepultura dignus est habitus; qui & *bonum certamē*, certauit, cupiens *dissolui & esse cum Christo.* De illo autem qui malè vixit, vt Ieremias scribit; *Sepultura Asini sepelietur*; hoc est, non habebitur dignus quiete hominum rationalium; cum passiones carnis confectatus, instar peccatorum vitam finierit. *Et si mille annorum vixerit cursum, bona non cognouit: Nónne ad locum vnum omnia* D *pergunt?* Etiam si ad copiam filiorum congestásque diuitias, hoc cuiquam Dei munere accedat vt mille annorum spacio sit in vita, non tendat autem ad verum bonum; hoc est, vt secundum virtutem laudabiliter viuat; quid sibi denique omnia illa proderunt? Etenim in eundem pariter pergit locum in quem abortiui pergunt & qui acerba morte intercepti rapiuntur è vita: terra est enim hic quoque, & in terram ibit. *Omnis labor hominis in ore ipsius, sed anima eius non implebitur.* Quia superiùs de esculentis ac poculentis mentionem fecit, ne quis fortè suspicari possit ipsum ventris & gulę illecebras attulisse; apertè nunc inquit: Et si homines ad indulgentiam ventris plurimos labores insumunt, nihil tamen eorum quę gulæ gratificantur, ipsius animæ parit saturitatem: sed E inanis penitus ac ieiuna persistit quum sibi conueniens alimentum; verbi scilicet ac virtutum; ex inertia hominum non accipiat. Aliter: Nequitia, imperfectum quid esse censetur: Anima ergo quæ huic annexa perdurat, semper aliquid profert flagitiosi; contumelias scilicet, iurgia, blasphemias, dolosa verba. Neque propterea tamen expletur, eo quòd nequitia (sicut dixi) imperfecta incompletáque sit. *Quid enim est amplius sapienti quàm stulto? Quoniam nouit Pauper ambulare in conspectu vitæ.* Quid habet, inquit, ampliùs sapiens ab ipso stulto? quasi responderi deceat. Multum sanè habet, atque omnibus modis. Stultus enim sese voluptatibus more pecudum mancipauit, sapiens verò pauper spiritu, iuxta Euangelij dictum, ambulat coram vita; hoc est, per virtutum semitas pergit, donec demum perueniat

Rom. 1.

Liberi Arbitrij natura.

Matth. 23.

Hebr. 9.

Hyperbole quid sit.

1. Cor. 13. d. 13. a

Defunctus Sepultura indignus.

Iudas quomodò Sepulturā caruit.

Numerus centenarius.

1. Cor. 15.

Phil. 1.

Ierem. 22.

ad vltimum appetibile: *Dissolui enim cupio & esse cum Christo* qui profectò est vita æterna. Aliter: Populus stultus & insipiens Iudæorum in ligno Vitam suspendit: Gentilis verò populus olim pauper & vacuus gratiarum Dei, ad Crucifixum accurrit; ita profectus in conspectum Vitæ salutaris, in Dominum Iesum Christum fide locupletatus est. *Melius est prospicere oculis, quàm ambulare iuxta voluntatem animæ suæ: Sed & hoc vanitas est, & electio spiritus.* Inquit Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Est verò animalis homo, qui traditus appetitui sensitiuo semitas rationis egreditur. Et in Euangelio scriptum est: *Si oculus tuus lucidus fuerit totum quoque corpus tuum lucidum erit:* hoc est, si rationalis animę vis, ipse scilicet intellectus, luce fuerit illustrata, appetitus sensitiui licètiam in ordinem suum rediget. Longè itaque meliùs est perspicaces habere oculos animæ ac rationis luce sancti Spiritus illustratos, quàm pergere iuxta voluntatem animæ; hoc est, animalis hominis ritu, qui in tenebris ambulat. Neque enim aliud iste homo censendus est quàm vanitas & electio spiritus, cùm certa electione consilij, animalis homo effectus sit, ad vanitatésque commigrarit. Sed ex Euangelij verbis quæ nos ad huius loci comparationem attulimus suboriri dubitatio potest, quum illic vnius oculi tantum, hic verò duorum mentio facta sit. Dicimus autem ibi quidem intellectum vnius oculi appellatione signatum esse; hîc verò spirituales operationes intellectus, practicam scilicet ac speculatiuam, oculorū dualitate monstrari: quibus qui piè officioséq; vtatur, perspicacem sanè habebit oculorum intuitum. Est præterea & illud scitu dignissimum, maiorem hunc esse diuinæ Scripturæ vt pro vna tantum potentia totam animam nobis quandoque proponat: vt à concupiscibili, quum dicit, *Et comedet vuas donec impleat animam;* hoc est, appetitum. Ab irascibili autem, quum dicit; *Anima benedicta tota est simplex, homo autem iracundus caret pudore.* Pro parte namque irascibili, ipsum totum; hoc est, animam protulit. Quum verò inquir, animas nostras sanctificari ad obedientiā veritatis: quia rationalis tantū potentia sanctificationis est capax; ad hanc vnam vim sensum intendens, totum ipsum (hoc est, animam) nominauit quandóq; verò totum cum partibus suis, animæ appellatione vult intelligi; vt quum dicit: *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.* Hoc etiam loco ad rationalem aspiciens potentiā, quam dualitate oculorum expressit, longè meliùs esse ait homini spirituali quàm animali. *Si quid fuit, iam vocatum est nomen eius: & est cognitum quod est homo, & non poterit iudicare cum eo qui sit fortior super eum, quoniam multa sunt verba augentia vanitatem.* Multi sunt, inquit, sermones vanitatem multiplicantes, qui impudenter effutiuntur contra prouidentiam Dei. Sunt namq; permulti qui incōsultiùs quærant: quare hunc Deus paupertate oppressit hominem, huic verò, contrà, magnas opes diffudit! Cur hunc venustum esse voluit, hunc deformem! & quæ sunt huiusmodi curiosæ nugationes: quas vt è medio tollat noster Ecclesiastes, ait omnium rerum quæ factæ sunt rationes, cur ita factæ sint, repositas esse apud autorem Deum qui tantæ est sapientiæ, vt non solùm eas sciret esse futuras antequàm fierent, sed earum quoque nomina recondita haberet in præscientiæ suæ consilijs. Si quid enim Deus in generationem produxit, huius & rationem & nomen comprehēsum habuit apud seipsum. Quum itaq, multò ante præsciret quæ cuiq; homini vtilia essent futura; ita denique vnumquémque produxit in vitam: quum (inquam) præsciret omnes hominis conditiones, quòd mutabilis, quòd mortalis, quòd imbecillis erat futurus. Nullus itaq; hominum ausit efferre verba contra illum qui nouit omnia antequàm fiant, & conuenienti loco singula statuit iuxta sibi vni cognitas rationes. *Non enim poterit quisquam iudicare;* hoc est, contendere in iudicio, cum fortissimo omniū: vincet enim proculdubiò fortis, iuxtà quòd Dauid canit in Psalmis, *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quum iudicaris.*

1. Cor 2. — Matth. 6. — Certa consilij electio. Matth. 6. — Animæ significationes variæ in Scripturis. Deut. 23. — Rom. 13. — Varij vaniq; sermones contra Prouidentiam. — Psal 50. Rom. 3.

CAPVT VII.



QVid est ampliùs homini? *Quoniam quis nouit quid sit homini bonum, aut quid futurum est sibi? Et in vmbra ea fecit. Quis enim homini nunciabit, quid post eum futurum sub Sole sit?* Non officiosam hominis vitam, sed vanam stultámq, carpit, cum dicit: *quid habet ampliùs homo* qui circa vana & peritura occupatur? Dicésne hunc habere coniugem? Verùm cui satis constat, ob eandē ipsam Coniugem doliturus nec ne sit, vel in adulterio deprehensam aut alias afferentem doloris causas? An pecunias habere hunc dices? Atqui pecuniæ, Iudam ad laqueum compulerunt. An verò potiùs vineā? Quasi non propter vineam sit Naboth, insidias mortémque perpessus. Quis enim homini nūciabit, quid illi sit euenturum donec est in hac vita? Præsens verò hæc autoritas nostri Ecclesiastæ, omnem funditùs euertit diuinandi superstitionem, vanásque Astrologorum nugas de hominum Genituris. Nullus enim mortalium; certam futurorum scientiam consequi potest. Vt verò etiam concedamus homini cūcta ad votum in hac vita cessura esse, illo tamen calculo hunc vrgebimus qui eum malè vrat & torqueat; numerabiles scilicet positos esse suæ vitæ dies qui velut vmbra transcurrunt. Ex quo planè cōprobatur, viuendum esse nobis secundùm virtutem, mentis oculos erigentibus ad futuram vitam mortis & vmbrarum immunem; de qua nobis abundè per Prophetas, Apostolos & Redemptorem Mundi est traditum. Quæ enim ventura nobis in hoc Mundo sint, penitùs ignoramus: quæ verò nobis reposita sint in futuro sæculo, fide iam scimus, quòd tormēta videlicet, peccatores; æterna verò gloria iustos accipiet. *Melius nomen bonum, oleo bono; & dies mortis super diem natiuitatis eius.* Symmachus, pro eo quod legimus, *super oleum bonum* transtulit, *super vnguentum bene-olens.* In vnguento autem, omnes hominum delicias significauit. Melius itaq; est, inquit, ex officiosis actionibus laudabilis famæ fructum percipere, & exultare ob nomen suum scriptum in cœlis, propter viuam bonorum operum fidem; quam frui omnibus humanis delicijs. Bonam etiam decernit esse transitus vitæ huius diem, super diem natiuitatis. Natalitius enim dies in turbulentum vitæ huius pelagus nos inducit, vbi Draco latibulum suum posuit; Transitus verò dies, è stadio nos educit. Et si quidem peccator fuerit qui decedit, peccare vltrà iam desinit; qui verò fuerit iustus, vita perfruetur æterna. Mysticè autem: Meliùs est habere nomen bonum, hoc est, habere Christum in portione ac sorte propter fidei Christianæ sacramentum, & vocari eius cognomine Christianum; quàm sine illius fide, in eleemosynas, facultates suas profundere. Multi namque Gentilium quia hoc carent nomine, sine vlla vtilitate ac fructu animæ suæ fortunas suas erogant indigentibus: Si tamen hoc fecerint, affectu misericordiæ moti, ipsi quoque in cognomen hoc sanctum aliquo pacto peruenient: sicut & Cornelius ipse venit Centurio. Bona est etiam interitùs dies, quia peccato mortui Christo consepelimur; super diem vulgaris huius ac mundanæ natiuitatis qua nos Adam pater primus in vitam progenuit. *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij, propterea quod hic futurus est finis omnium hominum.* Luxuriæ maculas & desidiæ, quas anima contrahit è conuiuijs, etiam sanctus ille Iob quum secum tacitè reputaret, sacrificia pro expiandis filijs offerebat; quanquam illi non malo consilio sed tuendæ gratiæ causa conuiuia inter se (quasi cognatorum Charistia) celebrarent: Funebris verò luctus longè vtilior est conuiuio. In eo námque communem fragilitatis humanæ conditionem reputantes, & orbatis compatimur & errores proprios emendamus, ac in melius resipiscimus: Hoc enim significat quod statim subsequitur; *Et viuens affert bonum in mentem suam. Super risum bona est ira: In tristitia enim vultus, cor & animus emundabitur.* Irasci sine peccato, bonum laudabiléq; censetur: vt cum quis vel contra dæmonas, vel contra carnis

Coniugij dolores. — Matth. 27. Act. 1. — 3. Reg. 21. — Contra Genethliacos, & Astrologos. — Futurorum nulla est scientia. — Gentiliū Eleemosyna infructuosa. — Act. 10. — Iob 1. — Ira laudabilis.

carnis passiones insurgit & exeandescit; huiusmodi iram, hoc loco bonam appellat. Quæ autem non odio A peccati sed appetitu vindictæ illatas vlciscitur iniurias, hæc damnanda est ira. Meliùs itaque est hoc pacto irasci, quàm risu lento dissolui. Grauis enim vultus nec resolutus, correctionis & index, & ad solidum virtutis gaudium animam parat. Aliter irasci quodammodò dici potest, qui seuera, delinquentes corripit obiurgatione. Meliùs est ergo vel præceptori vel domino, subditos oratione graui coërcere; quàm per risum atq; blanditias pati illorum mentes languescere: In vultus enim austeritate, quam hoc loco tristitiam nominat, & sibi meliùs consulet & subditos in viam probitatis conuertet.

Vultus grauis resoluto & blando melior.

Cor sapientum in domo luctus, & cor stultorum in domo lætitiæ. Vir sapiens & funebri luctu secum animo deputans sese natum de corruptibili carne, breui ex hac vita migraturū; B mortales cæteros qui eadem sunt nati cōditione, affectu pio prosequitur: Contemnit autem quæcúmque suis oculis obuersantur, vt casui mortique subiecta. Stultus autem, cùm mentis hebetudine, solida putet esse quæ sunt in Mundo neque illorum mutationem intelligat, proptereáq; futuri exitus sit securus; delicijs effluit, voluptatibúsque indulget. Animaduerte autem quòd initio te admonui, ac sæpè obiter repetiui; Ecclesiasten nostrum (non ingenuè quidem ex sentētia sua loquentem, sed ex persona voluptuarij, quam nonnunquàm vt sibi commodum est assumit) ita de patinis poculísque disserere, vt videri possit ijs qui non intelligunt obliquum sermonis ductum, velut Epicureus quidam, bonum hominis, voluptate metiri. Sed animi sui cōsilium compluribus in locis planè ostendit; tum proximè à nobis loco C exposito, vbi ait sapientis mentē versari in domo luctus, stulti verò in domo lætitiæ.

Commoda ex funebri luctu.

Obliquum sermonis ductum, Librum Ecclesiastes facit videri, Epicureum.

Melius est audire correctiones sapientis, super vtram audientem carnem stultorum. Hoc namque effœminat animum, sapientis verò correctio colligit & confirmat. *Quia sicut vox spinarum sub olla, ita risus stultorum.* Ebullicus (inquit) risus & cachinnatio, spinis videtur esse persimilis, quę sub ollæ fundo strepitātes conflagrant: Primò quidem quia sicut ille fragor ardētium spinarum planè percipitur auditu, quamquàm oculis non cernatur; ita & immodestus cachinni sonus, stultos facilè prodit: Tum verò, inde à spinarum globo fumus attollitur; hic quoque caligo quædam mentis ex huiusmodi risu cognoscitur: Ibi ollam spinę succendunt; hic, animam stulti risus, peccati sorde non carens, igni parat D æterno; Sapiens enim vix tenui ac modesto risu vultum resoluit.

Risus stulti & sapientis non idem.

Sed & hoc vanitas, quia calumnia vexat sapientem & perdet cor vigoris eius. Aliam vanitatis speciem nobis ante oculos ponit. Quem verò hic sapientem vocat? Si profectò accipiendum putes, qui cum ceciderit non collidetur in tentationibus, tunc ita intellige. Insipientes corde qui non sunt Dei gratia confirmati, non solùm in seipsis sed in Dei prouidentia scandalum patiuntur ita vt calumnijs ac blasphemijs abstinere non possint, quòd vel Deum intueri humana non putent, vel contemptu quodam humanarum rerum pati omnia temerè immutari, cùm sæpè videant impios lætis exultare successibus contra autem iustos grauiter premi. Ad hoc pertinet illud, quod in Psalmis cecinit Dauid; *penè effusi sunt gres-* E *sus mei, quia Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Sentísne quomodò animę vires labefactæ sint, & nescio quid ineptire videatur? Sed quia perfectus erat sapiens ac spiritu Sancto plenus, statim subdidit nouissima ad quæ peccatores demum perueniant: *Facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

Psal. 72.

Ibid.

Si verò sapientem pro eo accipias qui nuper sacra imbutus sit doctrina; planè scito quòd Neophyti huius hæreticorum contagia & calumniæ & diabolicæ tentationes & quæ modò retuli iustis impiisque contingere, facilè potuerunt animæ vigorem infringere; Quòd nisi maturè ad se rediens conualescat; huic quoque vanitatis sarcina insidebit.

Neophytis, animæ fideiq; vigorem, quænam perturbent.

Melior est finis orationis quàm principium, Orationis in qua agitur de virtute melior est finis principio: neque enim solùm cœpisse pulchrum est, sed multò magis rei cœptæ finem imposuisse. *Melior est longanimus, eo qui spiritu est elatus.* Superiùs est à nobis dictum, quæ contraria sint, in comparationem propriè dictam venire non posse. Non itaque comparatiuè ad amussim accipienda sunt quæ nunc tradit Ecclesiastes; sed discretis rationibus, ita vt se habeot, reputanda. Inquit ergo sapiētem ac longanimem bonum esse; illi autem qui per superbiam spiritus leuiter efferatur, Deum resistere. *Ne sis velox in spiritu tuo irasci, quoniam ira in sinu stultorum requiescet.* Ne sis velox; id est, caueto ne malum iracundię concipias habitum, ita vt transeat in affectum cordis: sed si oporteat fortasse ex enata occasione nōnihil irasci, caue (inquam) ne in passionem ac peccatum temerè cadas: Ira enim quæ culpabilis est, habitat & quiescit in stultorum mente ac capite, quod hoc loco sinum vocauit tanquàm iræ sit receptaculum quoddam sedésque. Aliter quoque, *In sinu*, accipies, quasi dicat, ne stultorum more ac ratione carentium hominum, iram in sinu consoue, néve illi blandiendo indulge atque adulare, quod profectò efficiunt qui procliuiores sunt ad vlciscendum.

Habitus iracundia non concipiendus.

Ne dicas; quidnam factum est quod priores dies fuerunt præsentibus meliores? Non enim sapiēter de hac ipsa re interrogasti. Quotidiè sic stulti homines loqui solent. Dicunt enim: Patrum nostrorum temporibus illis priscis, Deus hominibus modò per Angelos, modò per Prophetas solebat loqui: licebat antiquis Patribus vxores multas accipere multas diuitias possidere, quæ tamen nobis Euangelica lex interdixit. Sunt præterea qui dicant: olim me Deus auxilio suæ gratiæ protegebat, nunc verò me penitùs solum dereliquit, ideoq; bona operari nō possum: Hæc autem omnia sunt insipientiū verba. Est & alios ita blaterantes audire. Tempestate nostra, Mūdus hic malis hominibus est refertus: alij sunt boni dies, alij vero mali. Cæterùm qui duce virtute suam moderatur vitam de vita in vitam transit, ac de fide in fidem proficit operibus bonis; neq; apud illum est aliqua dierum differentia, sed congruis rationibus nouit euertere quas paulo ante adduximus stultorum hominum quæstiones.

Prisca tēpora an meliora fuerint præsentibus.

Bona est sapientia cum hæreditate, & amplius est videntibus solem; quoniam sapientia est in vmbra ipsius, sicut vmbra argenti: Multa quoque cognitio sapientia viuificabit habentem se. Ille cui per dona Spiritus datur sermo sapientiæ; habet proculdubiò sapiētiam cum hæreditate ac portione sancti scilicet Spiritus. Hic etiam copiam magnam habet cognitionis in vidēdo hoc Sole quem luminare magnum vocamus: neq; enim pulchritudine attonitus illum cultu latriæ veneratur vt Deum, neque in sola illius admiratione spectaculóque cōsistit; sed ab hac Solari luce, proportione quadam ducitur ad Authorem Solis contēplandum, atque diuina superiori luce perfunditur: Præstat enim sapientia, quæcumque præstat argumentum siue pecunia: eripit à periculis, extruit ciuitates, protegit habentem accipitur enim *vmbra* hoc loco, pro ipsa protectione. Habet autem hoc adhuc ampliùs sapientia; viuificātem scilicet cognitionem siue scientiam dum persuadet visibilia cuncta contemnere, solam verò suscipere vitam æternam. Aliter: Sapientia (inquit) cum hæreditate ac sorte, hoc est, fides cum operibus, ampliùs aliquid præstat habentibus se, quam alijs qui mortuā sine Operibus Fidem habeant. Quid autem ampliùs præstat? Nempe Solem ipsum: ad solem namq; iustitiæ contuendum perueniunt, qui sunt præditi fide. Argētum verò in Scripturis, mystico sensu pro Eloquio ipso accipitur. Sicut igitur enarratiuus & dilucidus sermo docet nos sapientiæ disciplinas, sic & vmbra sapientiæ; hoc est, practica virtus quæ introductio quædam est veluti vmbra; perducit nos ad perfectam sapientiam, diuinarum scilicet rerum contēplationem & intellectum: Huiusmodi verò sapiētiæ possessio, vitam nobis confert sempiternam. Per vmbram itaque argenti; hoc est, verborum enūciationem quæ rerum quasi vmbra quæpiam est; ad res ipsas & scientias peruenimus. Per sapientiæ verò vmbram; hoc est, Practicam vitam quæ est veluti

Cultus latriæ.

Sapientia commoda.

Fides cum Operibus efficax.

Vita est introductio ad Theoricam.

præuia introductio ad Theoricam; peruenimus ad contemplandam diuinarum rerum sublimitatem. Ita verò literam compones: *Sapientia est in vmbra ipsius;* id est, sublimis contemplatio mysteriorum, est in practica vita ipsius possidentis; ac per hoc, qui priùs hanc habuerit vmbram habebit & mox sapientiam. *Sicut vmbra argenti;* scilicet se habet ad sapientiæ disciplinas; hoc est, sicut verba sunt præuia & inducunt ad sapientiæ disciplinas. *Vide opera Dei, quoniam quis poterit adornare quem Deus peruerterit in die prosperitatis eius?* Fuêre permulti qui videntes, enormitates rerũ magnas contingere in vita mortalium; dum nolunt autorem malorum & iniustitiæ Deum asserere, egregiè se putarẽt illius partes tueri posse si in aliud blasphemiæ genus ac stultitiæ laberẽtur. Dicebant enim neque à Deo Mundum creatum esse, neque vlla Dei prouidentia gubernari: Si enim curam gereret Deus humanarum rerum; cur, inquiunt, non omnes æquè diuites statuisset? Cúrve non omnibus vegetam tribuisset ac prosperam corporis sanitatem? Hanc vt radicitùs tollat opinionem noster Ecclesiastes, manifestè asserit esse Deum Mundi autorem, nec posse quẽquam porrigere quæ sint prauè obliquata, illo excepto: vt claudos, puta, reuocare in sanitatẽ; & quæ sunt generis eiusdem.

Dei Prouidentia.

Quòd si velis planè cognoscere omnia nobis in vtilitatem nostram Deum dispensare; adijce animum ad ea quæ protinùs insequuntur, videlicet: *Viuere in bono, & intuere in die mali: Intuere (inquam) hoc enim congruum. Huic fecit Deus de dissertatione, vt nõ inueniat homo post eũ quicquam.* Viue, inquit, secundùm virtutem (hoc est enim, *viue in bono*) & obserua cùm tibi tentationes infortuniáq; acciderint, vt videas congruè ac opportunè nec ne cuncta fecerit Deus. Hanc verò humanorum casuum rationem pulchrè nobis Deus occuluit, quam & dissertationis nomine significauit Ecclesiastes, quod de huiusmodi rerum causis soleant homines inter se multiplices dissertationes afferre. Pulchrè, inquam, Deus nobis illam occuluit; ne cognoscat homo quæ sibi sunt euẽtura. Congruè verò Deus atque appositè, quod videtur nobis malum adducit, post id quod visum est nobis bonum: Contráque nonnunquam bona malis superinducit: vt, exempli gratia; bene quis valet, & hoc fruitur bono viuens secundùm virtutem; paulóque mox in aduersam incidit valetudinem, vel de opulento pauper efficitur. Et quid ita nobis hæc euentura non præuidemus? cúrve horum euentuum causas ignoramus? Nempe ad maiorem nostram cõmoditatem. Si enim quæ ventura nobis essent, homines præsciremus; nullus Dei nobis inesset metus, nulla religio. Hac autẽ perutili rerum ignoratione conclusi, cum ad singula pendeamus; & Deum pio colimus metu, & cognoscimus ab eo (& quidem solo) nobis malorum omniũ finem futurum: Nullus quippe potest, illo excepto, quod peruersum est in hominibus emendare. Consonum est itaque, quod esse videtur dissonum; & æquale est quod inæquale videtur. Vnde omnes eodẽ pacto communique futurorum ignoratione commouentur ad timorem Dei. Protinus verò subsequitur: *Omnia vidi in diebus vanitatis meæ.* Hæc (inquit) vt sapiens consideraui *in diebus vanitatis.* Vocat autẽ vanitatis dies, præsentem vitam: primò quidem, quia viuentes homines plerique quod fas piũmq; est, minùs sequuntur, tum verò etiam, quia fugit velut vmbra, neque consistit. Ea propter, futuræ vitæ desiderio nos extimulans, inquit: *Noli esse iustus multùm, neque nimiùm sapias, ne obstupescas: noli esse multùm impius neque sis durus, ne moriaris in tempore non tuo.* Cùm virtus ipsa in mediocri quadam norma consistat, vitia vtrinque assident per exuberantiam & defectum. Inquit ergo: *Ne sis multùm iustus:* hoc est, ne exuperanti odio vitiorum, omnem abijcias erga delinquentes beneuolentiam tanquàm rigidus & inhumanus: sed neq; sis nimiùm sapiens aut plura quàm sit opus quærito, ne quando obstupescas. Nimia sunt ac plura necessarijs, quæcumque sunt extra limites sacræ doctrinæ. Inquit ergo: Quæcúmq; nostram ad vtilitatem diuinus Sermo nobis voluit esse occulta, ne solliciti simus ea inquirendo. Hæc enim perscrutari, stupor est quidam phreneticę mentis vitium. Sed neque circa dogmata opinionésque Sectarum multum commorando sis impius ac superstitiosus, studeto autẽ quæritare quod verum est curatóq; vt salubri pœnitentia tua deleantur peccata. Nolique esse durus, hoc est, qui emoliri nesciat quisq; aduersetur Spiritus sancti doctrinæ. Subinde autẽ generali quadam comprobatione concludit; *ne moriaris tempore non tuo.* Importuno tempore ac non suo decedit è vita, qui cõsummatus non fuerit in virtutibus, sed qui in peccatis moritur quibus conuixit: Qui verò est virtutũ plenitudinem consequutus, sicut granum frumẽti quod maturum est; cadit in tempore suo. *Bonũ est te hoc tibi ascissere, hoc autem ne pollueris manum tuã, quoniã qui Deum timet egredietur omnia.* Cùm proximè de vitio pręceperit ac virtute, nunc appositè subinfert, quòd *bonum est sibi hoc;* id est virtutem comparare: bonũ quoq; suas quas hoc loco manus vocauit, impollutas vitij contagione seruare. Tum verò & de timore Domini sancto qui nos sanctificat, facit mentionẽ cùm dicit: *Deum timens omnia egredietur.* Cùm enim suas Orationis actiones ex virtute moderetur, & profectibus assiduis augeatur, euadet illęsus tentationum certamina.

Calamitates cur iustis eueniant.

Futurorum ignoratio perutilis est homini.

Præsens vita, est vanitas.

Curiositas fugienda.

Duritia quid sit.

Sapientia auxiliabitur sapienti, super decem, qui potestatem habent in ciuitate. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & qui non peccet. Dominus noster Iesus Christus qui est ipsa sapientia, ei qui in se crediderit, iam per fidei lumen sapienti, effecto, auxiliatur multò validiùs quàm decem præcepta Legis, quæ in ciuitate Iudæorum potentiam & authoritatem magnam habent. Vt enim quis decem seruaret præcepta Legis, non tamen erat quin ex mortali fragilitate in peccatum aliquod laberetur, ipsa prætereà Lex nullum iustificabat: noster verò Dominus Iesus Christus nobis fuit iustitia, sanctificatio, & Redemptio. Aliter: Ipse homo paruus est Mundus, sed hoc loco ciuitas nominatur, quinque sensus habens in corpore, quinque in anima. Si itaque putet homo posse sibiipsi satis auxiliari per decem sensuum qui sibi sunt insiti, facultates; nisi Reipublicæ suæ curam gesserit Dei sapiẽtia Christus noster, sciat se frustrà omnem operam desumpturũ: homo enim cùm sit ex peccati carne progenitus, non peccare non poterit. *Cunctis sermonibus quos impij loquentur, ne adhibeas cor tuum, ne etiam tu audias seruum tuum imprecantem tibi: Sæpè enim tibi iniquus erit, & descensibus quãplurimis affliget cor tuũ, sicut & tu alijs imprecatus es:* Hoc loco nos admonet Ecclesiastes iniuriatum penitùs obliuisci; nomine impiorũ, cõuiciatores & iniurios demùm omnes significãs. Tum generali quadam cõprobatione concludens, non oportere inquit, aurem accommodare contumelijs ac maledictis, ne, si tuus quidem seruus tibi mali quid imprecetur (ita vt plerúmq; serui faciunt) ira succenseas: credibile est enim vehementer illum tibi ac sæpè insidiari. Hoc enim significat quod dicit; *Et descensibus quamplurimis affliget cor tuum.* Aut aliter ita intellige: Conuitium persæpè cum auditur, animam turbat. Si igitur quispiam in quemlibet sibi conuiciantem ira succendatur, in multos cadit labitúrque descensus; à sublimi sede rationis detractus in iracundiæ Passionem; atque ita tristi turbulentia implet cor suũ. Cogita autem quòd & tu frequenter alijs conuiciatus fueris & imprecatus; atque ideò in meliùs resipiscens, inducere maledictorum omnium & iniuriarum obliuionem. *Hæc omnia tentaui in sapientia. Dixit, sapiens efficiar; & ipsa procul elongata est à me multò magis quã erat. Est alta profunditas, quis inueniet eã?* Cùm spiritualiũ rerum & sensibilium cognitionem attigisset Ecclesiastes; & ex parte aliqua, sapientiæ magna mysteria prospexisset, contemplatus illius patentissimum pelagus, quòd quantò vlteriùs quis processerit tantò illi maiora spacia relinquuntur, in eiusmodi voces erupit, quod & multo post videmus Apostolo Paulo contigisse cùm ex admiratione proclamat: *O altitudo diuitiarũ scientiæ & sapientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Circuiui ego & cor meum, vt cognoscerem & consi-*

Mundus est ciuitas.

Seruis non irascendum.

Rom. 11.

& considerarem & quaererem sapientiam & rationem, vt cognoscerem impietatem stulti, & turbulentiam, & errorem: & inuenio amariorem morte ipsam mulierem quae laqueus est venatorum, & sagena ipsius. Bonum est vinculum ad manus ipsius. Qui est in conspectu Dei, educetur ab ea, qui autem peccator est, comprehendetur in ipsa. Vir sapiens cùm ad intelligendum aliquid, vires intendit, collecta mente omnia in circuitu rationibus lustrat, seipsum suásque facultates speculatur atque perpendit. Tum & obiectam rem, materiámque intelligendam optimè consulit, neque prauo animi iudicio à veritate aberrat. Neque item recta linea fertur ad sensibilia prospectanda, sed clausis sensuum fenestris ac recedens in suae mentis penetralia deambulat in circuitu: ibi arcano reflexu in se rediens intellectus, sese speculatur ipsum, & quod intelligẽdum obijcitur. Hoc itaque pacto colligens meipsum (inquit Ecclesiastes) quaesiui scire quaenam esset mundanarum rerum sapientia, & eiusdem ratio: siue illam intelligat rationem quae positis calculis numerísque subducitur, vt in Arithmetica fit facultate; siue potiùs numeros Genethliacis obseruationibus seruientes; aut simpliciter rationes omnes quae per numeros colliguntur à studiosis Secularibus, gentilibúsque Philosophis. Quaesiui ergo scire quęnam haec sit multorum Sophistarum stultitia & turbatio, & inconstans error, mentísque circumductio; & inueni demúm hanc ipsorum sapientiam persimilem esse adulterae mulieri. Sicut enim illa blandis sermonibus ac dolosis iuuenes lactat; ita & haec stultos venatur, irretitos syllogismorum laqueis & sagenis. Ac sicut illa molli cõtrectatione animam frangit, fractámque deuincit; ita haec, mala eadem adducit titillanti orationis conceptu. Peccator itaque sine vlla controuersia atque praesidio facilè in illius captiuitatem protrahitur; pius verò ac fidelis auxilio Dei suffultus, ab illius extrahitur laqueis. Asserit autem vel morte peiorem esse huiusmodi sapientiam, siue potius stultitiam dici oporteat: tantóque nostrae animae damnosiorem esse, quantò peius est morti animam tradere (quod praestat haec sapientia) quàm eãdem animam nexu corporis expedire, quod temporariae mortis est munus. *Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes. Sigillatim inspexi vt inuenirem ratiõe quàm quaerebat & expectabat inuenire anima mea, neque tamẽ inueni. Virum de mille vnum inueni, & mulierem in his omnibus non inueni. Veruntamen hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem prorsus rectum, ipsi verò sibi homines, quaestiones multiplices rationésque compararint.* Totus hic locus sensu mystico ac morali exponendus est; ita videlicet. Cùm inspicerem, inquit, vniuersum genus muliebre, non sexu quidem corporeo, sed eneruí ac foeminato ingenio muliebri; in nulla mulierum, rationem inueni quam quaerebat anima mea, fortem scilicet virilémq; rationem: huiusmodi námque rationem sapiens exigit ac regit. Neque verò solùm hoc mihi accidit in ijs qui mollitie eneruati, à viris ad foeminas desciuerunt; sed quod grauius multò est, cùm ad illos quoque inspiciendos me transtulissem qui putabantur mulieres non esse, perquàm rarum in his quoque inueni, qui virili ingenio ac virtute verus esset vir dicique mereretur. Ex admiratione itaque cùm mecum tacitus reputare coepissem vnde haec enormitas orta esset; inueni demum quòd Deus omnes homines rectos protulerit carentésque prauitate, ipsi verò sua electione, in obliquas viuendi rationes commigrarint distractíque sint; vt alius quidem libidinibus, alius auaritiae seruiat, alij passionibus alijs sint subiecti.

Numeri Genethliacarum obseruationum.

Ars sophistica similis Adultera.

Caput VIII.



Quis nouit sapientes? & quis nouit verbi solutionem? Sapientia hominis illum nabit faciem eius, & impudens vultu suo punietur. Qui verè sapiens ipse non fuerit, neque discretionis donum fuerit Dei beneficio consequutus; non facilè sapientem verum discernet ab eo qui videatur sapiens & non sit. Ille autem quem Deus discretionis dono dignatus sit, noscit planè quid inter verum sapientem, existimatúmque intersit: hic etiam potest soluere quaestiones, ac sermonum vertices explicare; hic profectò habet animae suae faciem luce magna conspicuam, iubare scilicet diuinae sapientiae illustratam. Qui verò nequaquàm sapiens fuerit, effreni tamẽ vultu impudentiã prae se tulerit; hoc est, qui contentiosis sermonibus captiunculisq; sophisticis sese efferat, redargutus, imprudentiae poenas dabit, odióque habebitur. *Os Regis custodi, et de verbo iuramenti Dei ne [studeas] à facie eius ambulare.* Bonum quidem censetur homini, vt terreno Regi ac mortali pereat subiectúsque sit: Bonũ verò eidẽ est, si os Regis omnium Dei seruarit & custodierit, sicut & Scripturae nobis custodire praecipiũt. Est autẽ os Regis Dei custodire, diuina mysteria silentio occultare, neq; indignis ac prophanis auditoribus explicare. Bonũ quoq; est homini praecepta legis, quae suo Deus ore pronũciauit, fideliter obseruare. Bonum itẽ est cauere ne iurãdo per Deũ, sacrosanctũ illius nomen temerè ac leuiter vsurpemus: neque etiam studeamus extra faciem Dei ambulare sed omnia nostra opera sic peragamus vt Deum vereamur tãquàm praesentem iudicem & inspectorem. Aliter quoque ita verba haec punctis distingues, videlicet: *Et de verbo iuramenti Dei nequaquàm studueris* & festinaueris; hoc est, Iuramenta ne frequenter ac temerè vsurpato, sed à facie ipsius scilicet iuramenti ambulato; hoc est, absiste longiùs ac discede, neq; omnino sustine vt iuramentũ in os tuũ admittas. *Nec consistas in sermone malo, quia omne quod voluerit facit. Tanquam Rex potestatem habens loquitur, & quisnã illi dicet, quid fecisti?* Simpliciter ac absolutè bonũ est, nullo mali genere animã occupare, neq; cõsistere in ijs quae quóuis modo malè locuti sumus aut opinati: quia tamẽ subsequentia verba, de praeceptis (vt videre mox poteris) mentionem faciunt, ita intelliges quae modò exponenda proposui: videlicet, cùm ille praeceptorũ Legem tulerit qui est omniũ Rex & Dominus autoritatẽ habens, neq; praetereà liceat cuiquam intercedere ac reluctari; ne quaeso vt peruicax cõtrariam tu Legem praeceptis feras, ratiõe curiosiùs perscrutãdo, quarè hoc potiùs quã illud pręceperit obseruandũ. Qui enim sic loquutus fuerit, malignitatis crimine non carebit. Tu verò stans in timore ac fide, cura vt quae pręcepta tibi sunt sequaris. *Qui custodiet praeceptum, nesciet verbũ malũ. Et tempus iudicij cognoscit cor sapientis, quoniam omni negocio est opportunitas temporis et iudicium.* Qui custodierit, inquit, Dei praeceptum, nesciet verbũ malum; hoc est, opus malum non faciet. Est enim duplex cognitio: altera quidem generica, in pura mentis intelligentia & notitia; altera verò quae in actionem prodit atque emergit, iuxta quod scriptum est: *Cognouit Adam Euam vxorem suam:* Non quòd priùs illam nesciret, sed cùm ad illius carnalem copulam accessisset, tunc illam dicitur exteriore quadam actionis notitia cognouisse. Qui ergo secundùm hanc agendi cognitionẽ praecepta custodit, ignorat proculdubiò malum quia illud non operatur. Caeterùm secundùm priorem simplicem ac latentem in intellectu cognitionem, qui nouit bonum nouit protinus & quid sit malum, contráque bonum nouit, qui non ignarus fuerit mali (cõtrariorum enim eadem est cognitio) non vsu quidem sed sciendi vi ac facultate. Inquit ergo: Cùm sapiẽs vir omnia suo tempore ac discretè faciat disponátque in iudicio, nouit affuturum vniuersalis Iudicij tempus in quo Deus iudex iustas iustitias iudicabit vnicuique pro dignitate. *Quoniam scientia hominis multa est super eum, quia non est qui futurum cognoscat. Quo enim pacto futurum sit, quis renunciabit ei?* Immensa cùm sit ipsa scientia, premit hominem atque obruit. Si enim voluerit omnia scire, vasta mole irruens super eum angit eius mentem ac suffocat. Sunt autem quaedam necessaria ad salutem, à quorum cognitione homo nequaquam repellitur: vt putà hominem esse animal rationale, mortale, cuius anima sit immortalis; esse bonis malísque paratas repensiones: & quae demùm

Sophistica captiunculae.

Iuramenta fugienda.

Cognitio duplex.

Contrariorũ quomodò sit eadem cognitio.

ad eruditionem fidei spectant: Præterea verò creatum fuisse hominem ad imaginem Dei, suique officij esse, puram & immaculatam imaginem conseruare. Quæ autem post ipsum futura sint, solum scire Deum, & eos duntaxat quibus idem Deus voluerit nota facere. Quia verò Ecclesiastes hoc loco vltimi Iudicij potissimũ mẽtionẽ facit, ita hæc omnia ad intellectũ Iudicij accõmodabis. Multa est scientia & immẽsa de rationibus & sermonibus Iudicij, neque est qui homini certas vnquam Iudicij rationes renũciauerit; hoc est, quo tempore aut vbi locorum, iudicium sit futurum, vel quo pacto Deus vniuscuiúsque vitam moresque disquiret, aut quomodò qui hora vndecima in vineam venerunt precium primæ retributionis accipiant, aut quo Dei iudicio approbantur boni quos ipsi fortasse malos esse censuimus: contrà verò damnabiles Deo sunt qui nobis esse probi videbãtur. Itaque propter omnia, noli esse sollicitus ac sapere plus quàm oporteat, ne obstupescas vt superiùs idem Ecclesiastes te monuit. *Non est homo qui potestatem habeat in spiritu, vt prohibere spiritum penitus possit: neque est qui potestatem habeat in die mortis.* Spiritus significatio latè patet. Nã ipsa anima, spiritus nuncupatur, ipse quoque ventus & aër quem respiramus, & donum sancti Spiritus hac appellatione significantur. Itaque secundùm prædicta omnia significata, nullus sanè est qui potestatem habet super spiritum solo Deo excepto. Neque enim animare corpus, aut anima cassum reddere, neque vẽtum impellere, vt notum putà vel Aquilonem, neque infundere charisma Spiritus aut reuocare, neque item aërem vitiare temperatúmue efficere, alterius est cuiusquam quàm solius Dei. *Non est itaque potestatem habens in spiritu, vt illum prohibere possit; neque est potestatem habeas in die mortis. Non est emissio vel nauigatio in die belli.* Verba hæc literaliter intellecta, hæc sonant. Bello ciuitatem ac prouinciam occupante, non est commodum neque tutum classes educere ac nauigare ad negocia externa. Mystico autem intellectu sic accipe: Quem Deus iusserit mori in bello, non est qui extinctum emittat seu renocet in hãc vitam. Aliter: Quando quis inceperit in iudicio conscientiæ, scelerum suorum bella sentire; nequaquã poterit huiusmodi preces effundere; Mitte me Domine in vitam vt pœnitentiam subeam peccatorum. Sed neque qui articulo mortis animam agit, potest precari; Da mihi quæso Domine vt pœnitentiæ causa modicum quid adhuc viuam. Nullus est itaque potestatem hãc habens in die mortis. *Neque impietas saluum faciet sibi subiectum.* Cum itaq; non sit qui in die mortis potestatem habeat, neq; sit in die belli tuta nauigatio vel emissio, impietatem summo studio euitemus. *Et omnia vidi ego.* Hæc se omnia vidisse affirmat Ecclesiastes, & cognouisse; vt tanquam conscio rerum omnium atq; experto, fidem docibiles habeamus. *Et dedi mentem meam in omne opus quod factum est sub Sole, vt viderem quæcúnque potenter operatus est homo in hominem, vt ipsum damno molestiáque afficeret. Et tunc vidi impios in sepulchra inductos, etiam de loco sancto.* Attentè, inquit, applicaui mentem meam vt viderem opera hominum, & quàm multiplici ratione homo homini damnum inferat: quia verò persæpè homines scandalizantur, & * iniquam rem putant, eosdem esse impios qui & potentes fortunatique sint; ideò profundiùs (inquit) super hac re contemplatus sum, & vidi demùm postremã impiorum ruinam, cũ scilicet non tantum corpore, sed anima moriatur. * Quod enim ait hoc loco; *in Sepulchra inductos:* in supplicia & tormenta intelligit. Eis verò qui in Sepulchra hæc inducantur, nihil perenna profuit, nihil quod habiti olim iusti sanctique fuerint, nihil quod in templo Dei sacra ministeria muneráque obiuerint. Docet itaque nos, Ecclesiastes, nequaquã scandalizari, propterea quòd in hominum vita enormem statum dissidentiam conditionũque cernamus; cùm cõtrà potiùs spectare debeamus ad eam quæ in futuro sæculo est retributionem. *Et processerunt & laudati sunt in ciuitate, quòd ita effecissent.* Qui videbantur (inquit) esse pij ac sancti, cùm tamen in impietate sua ambularent atque procederent; nihilominùs laudem ab hominibus retulerunt, vel ignorantibus illorum impietatem, vel eisdem calidè adulantibus. Nihil verò illis profuit aut simulatæ species pietatis, aut adulantium laus: In vanitatem namque abijt hoc totum negocium, quandoquidem in Sepulchra miseri corruerunt. Quod autem ait; *& hoc etiam vanitas;* posset à superioribus distingui sententijs, & ad insequentes versus aptè transmitti; vt videlicet legatur: *Et hoc etiam vanitas. Quia enim non est contradictio facientibus malum, citò, propterea impletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciant malum.* Hoc est (inquit) quod vanitatem auxit & confirmauit, quia non sunt qui contradicant facientibus malum citò, neque qui eos coarguant: vt, *citò*, hîc ad contradicentes referatur, significétq; sedulò ac vehementer contradicãt acrique reprehensione compescant: aut illud, *citò*, ad operãtes malum referto, quasi velociter ac studiosè peccantes. Inquit ergo: Quia mali non arguũtur sed potiùs laudibus & plausu efferuntur, idcircò implenũ est & in malo habitu stabilitum cor filiorum hominum, vt studeant operari mala. Appositè autem dixit, *filiorum hominum*, filij enim Dei mala non operantur. *Qui peccauit, operatus est malum ex tunc, & à iuuentute sua.* Peccatum dolo ac fraude mala Diaboli inuectum est in Orbem terrarum, eà propter Orationem dominicam concludimus orantes, *sed libera nos à malo*; hoc est, à Diabolo. Qui ergo peccat Diaboli iussum exequitur & voluntatem. Diabolus autem *ex tunc & à iuuentute sua*, hoc est ab initio, dux fuit & autor peccati. Aliter: Non est, inquit, recens peccatum, sed peruetustum. Hinc est quod & Noë dicentem Deum audiuit, consedisse iam & confirmatam fuisse hominum mentem, vt seduli essent in peccatis ac vehementer operarentur malum. Iuuentutem hoc loco intellige, non quò ad ætatem, sed similitudine quadam quoad temerarios mores, & ritu iuuenum à rationis semita leniter aberrantes: quos mores dici possunt habere Diaboli, autores peccati, & qui vestigia illorum sectantur scelesti peccatorésq; homines. Aliter: Qui habitum peccati iam contraxit, & iam proposuit in mente sua peccare; & tunc peccare iam incipit ex quo voluntatis assensum præbuit, tametsi deinde propositum illud multò post in actum producat, aut etiam non producat quod cogitauit, retardatus fortasse non electione immutati consilij sed aliquo intercedente impedimento. Aliter: Qui peccat malúmque operatur, etsi nobis solummodò innotescat cùm flagitium patrat, tamen apud latens præscientiæ diuinæ iudicium, iampridem multóque antequàm nobis peccator appareat reus esse cognoscebatur. *Et hoc ego noui, quòd erit bonum timentibus Deum quomodocúmque timeant à facie eius, & bonum non erit impio, & non prolongabit dies in vmbra qui nõ timeat à facie Dei.* Postquàm satis coarguit vanitatem Mundi huius, sanctũ Domini timorem Ecclesiasticæ concioni conatur inserere. Cùm enim viuant in conspectu Dei, caueantque sibi in omni sua actione & cogitatu tanquàm Deo iudice cuncta cernente; omnium bonorum operum & cõceptuum Deus illis causa existit, contrà verò, ipsi impio nullum est bonum. Quòd autem ait *non prolongabit diem in vmbra*; ita intellige: peccator diù non erit in vita, quoniam videlicet totum tempus vitæ suæ quantúmuis longum sit, non reputauit esse vmbram, sed sollicito studio sibi comparare studuit quæ fluxa & temporaria sunt, tanquàm essent perpetuò duratura. Vel aliter ita intellige: Quamquàm peccator in præsenti vita per patientiam Dei, protegi quodammodò defendique videatur potiùs quàm puniri; paulò tamen post, æternis supplicijs transmittetur. *Est vanitas quæ facta est super terram. Sunt iusti quibus quoniam perueniet ad eos tanquam opus iniustorum fiunt iniusti: & sunt iusti, quoniam perueniet ad eos tanquam opus iustorum: Hoc, etiam dixi quod est vanitas.* Nunc Ecclesiastes personã eius inducit, qui è scandalo labitur in errorem, aitq;. Vidi iustos in hac vita ab ijs malis correptos quæ potiùs impijs debebantur; vtputà, ægritudine, pau-

Iudicij Extremi Circũstantiæ nobis adhuc sunt incognita.

Spiritus significatio latè patet.

** Iniquè reputant.*

** Scilicet, cùm Anima excidit à Diuina gratia, absque qua non viuitur.*

Oratio Dominica. Matth. 5.

Genes. 7.

Electio immutati consilij.

paupertate, vel alio difficili casu adueniente; Contràque (inquit) vidi quæ pijs deberentur, ad impios peruenisse: A idcircò talis insipiens tanquàm contemptor factus diuinæ prouidentiæ, *& hoc*, inquit, *vanitas est*. Sapiens autem vir, euentus rerum prospiciens & quæ singulis pro dignitate retribuantur, planè nouit atq; intelligit Deum nequaquam frustrà hæc permittere euenire, sed vt iusti maiori præmio coronentur, impij verò grauiori pœna torqueantur. Notanter autē hîc quoque vanitatem supra terrā vidisse se ait: in cœlo siquidem nihil est vani. *Et laudaui cùm lætitia, quod non est bonum homini sub Sole præter quam quod comedat & bibat, & lætetur: & hoc ipsum aderit sibi in labore ipsius omnibus diebus vitæ suæ quos sibi dedit Deus sub Sole; In quibus dedi cor meum vt cognoscerem sapientiam & viderē occupationem quæ facta est super terram, quoniam die ac nocte nō est qui videat somnum oculis suis.* Si adhuc voluptuariam perso- B nam loqui existimes; hæc in voluptate ac vsu sensibilium rerum gaudium hominis repositum ducit atque mentitur: Sin verò quis loquentem sibi proponat audire Ecclesiasten, statim percipiet quis sit verus cibus ac potus, quum fideles Christiani iam in præsenti vita arrabonem spiritus accepentmus. Quod autem ait; *Dedi cor meum vt cognoscerem sapientiam*, noster Ecclesiastes acutissimo suæ mentis oculo contemplatus, intellexit ac vidit nullum hominem vacuum esse occupatione atque sollicitudine, nullúmque demum esse qui somnū, hoc est, quietem, videat: sed ipsorum alij quidem officiosè circa res diuinas occupati versantur, alij verò inutiliter ac reprehensione dignissimi, circa perituras res studēt. Et iustus quidem hoc pacto non dat somnum oculis suis aut C dormitationem, sed vigilat, quoniam sibi nox processit, dies autem appropinquauit. Vigilat ergo neque cadit in caliginem ignorantiæ, neque per diem (hoc est, tempus prosperitatis) neq; per noctem, hoc est, tempus tentationem. Iniustus autem in perpetua iniquitate insequentem noctem diei coniungens dulcem oculis somnum non capit vel assiduè cogitans quonam pacto consequatur quæ concupiscit vel timens ne amittat quæ possidet: *Et vidi omnia opera Dei, quoniam non poterit homo inuenire opus quod factum est sub Sole quantumcúnque laborauerit homo vt quærat, & non inueniet: Et quæcúnque dixerit sapiens se cognoscere, non poterit tamen inuenire.* Recondita illa Dei cognitio per quem facta sunt omnia, soli Deo est nota. Nos autem mortales, quicquid vel scribimus vel loqui- D mur vel de his rebus intelligere nos arbitramur, ex parte cognoscimus participatione quadam gratiæ eius illustrati. Nullus itaque, neque sæcularis scientiæ neque diuinæ sapientiæ vel mediocriter consultus, vel quantum homini licet perfectè eruditus, poterit substātias rerum neque mēsuram cœli, terræ ac Maris, aut quomodò hæc ipsa concreta coaluerint, quibúsve adminiculis innixa consistant, intelligere. Quod si fortè quisquam sapiens, videatur probabiles rationes afferre; ipsam tamen intimam veritatem inuenire prorsus non poterit.

Caput ix.

OMnia *hæc transmisi in cor meum, & cor* E *meum hæc omnia vidit, quod sint iusti atque iniusti & opera ipsorum in manu Dei.* Dixit superiùs, quarum rerum cognitio sit abstrusa; vt nos auerteret ab inutili ac vana perquirendi sollicitudine. Nunc autem proponit, qua in re satisfacere sibi possit sapientis intuitus & cognitio; quòd videlicet iusti sapientésque homines, vna cum operibus suis sub vmbra Dei & protectione suæ dexteræ conquiescant. Neque enim permittit Deus, illos imperentium viribus deuastari. Probi nāque homines & officiosa opera proteguntur à Deo: at verò de impiis scriptum est, *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Psalm. 87. *Dilectionem & odium non est homo qui sciat omnia ante faciem eius, vanum in omnibus.* Symmachus pro eo quod attulimus: *vanum in omnibus*: ita exposuit: Omnia incerta sunt in conspectu ipsorum: hoc est nescit homo si quem A nunc maximè odit, mutatis vicibus, amicum & beneficum sit experturus; contràque, an timendum sibi quandóque sit ab eo quem nunc amore prosequitur. Altiori autem intellectu: Qui adhuc sapit quæ hominis sunt neque planè Deo se tradidit, nescit discreto iudicio, quæ dilectione sint digna, & quæ odio. Ardua enim virtus atq; difficilis amore est digna, odio autē prosequēda voluptas quæ de sensibilibus prouenit. Homo autem qui peruersè aberrat in intellectu rerum, facilè sibi omnia quæ vana sunt, ante oculos vt bona proponit; déque iis iudicat nō vt veritas habet, sed vt voluptas subdola subministrat. *Euentus vnus iusto & impio, & bono & malo, mūdo & immundo, sacrificanti & non sacrificanti: sicut bonus, sic, & peccator, sicut iurans, sic qui iusiurandum timet. Hoc malum* B *est inter omnia quæ sunt sub sole, quòd videlicet & idem cunctis sit euentus.* Sæpè superiùs ostensum est, quòd quæ media sunt süsque dèque habenda, per se nec bona nec mala, vt ægritudo, vt sanitas, vt diuitiæ, vt paupertas, & quæ generis sunt eiusdem, iustis ac peccatoribus communia sunt atque æquē contingunt, quatenùs scilicet hic quoque animalia sunt, morti subiecta, Quatenùs autem rationales sunt, plurimùm sanè inter sese differunt: quandoquidem libera Electione cōsilij, alteri quidem quod pium sásque est operantur, alteri verò ad impietatem feruntur. Aduerte autem quod iurantem posuerit inter peccatores. Quòd autē malum vocauerit communionē illam æqualitatēque euentuum, ita intelligendum est, vt hæc verba proferantur è persona, prauè de rebus ipsis iu- C dicante: quum propter æquales communésque casus, nihil opinetur ab impio iustum differre. Pariter enim vtérque labores perpetitur, donec est sub Sole; cæterum post huius vitæ curriculum, vnicuique redditur pro dignitate. *Ipsum quoque cor filiorum hominis impletum est malitia, & circuitus in corde ipsorum, et posteriora ipsius ad mortuos. Quoniam quis communicat ad omnes viuentes?* Cor filiorum hominis impletum est malitia; huc & illuc in circuitu ambulant, neque desistunt vnquam homines fatigari donec ipsi quoque ad mortuos deueniant: nullus est enim qui perpetuam & indeciduam habere possit cum viuētibus societatem. Sed & ipsum, quicunq; is demùm sit omnibus, finis excipiet. Aliter: Filij hominis, hoc est, gregarij ac vulgares, videntes communi quadam sorte iustos in- D iustósque vexari, implentur iniquitate atque malitia, & ipsorum mens in flagitiosis laboribus circumfertur, donec prauis operibus mortui mereantur inter vita iam functos adnumerari, quum nullam habeant societatem cum ijs qui vixerunt secundùm virtutem, qui nunc propriè ac verè dicendi sunt, propterea quod ad repositam sibi æternam vitam peruenerunt.

Est spes, quoniam melior est Canis viuens Leone mortuo.

Mendicus qui viuit secundùm Deum, meliorem habet spem quàm proteruus & arrogās qui in peccato suo mortuus est. Aliter: Populus Gentilis veluti Canis immundus, quum per fidem in Ecclesiam venerit, iam regeneratus in Domino meliorem spem habet quā regius ille populus Iudæorum. *Viuētes nōrunt se morituros esse, mor-* E *tui verò penitus nihil cognoscunt.* Illi quorum intellectus humore viuido irrigatur, quum secum reputant temporarium vitæ huius curriculum, officiosè viuunt, confirmati spe vitæ æternæ: Qui verò in peccato mortui sunt, ignorantiæ nebula occupati, viuunt sine oratione, pecorum more. *Neque est amplius illis precium, quoniam desijt memoria ipsorum.* Quid enim precij sit peccatoribus, quorum ne meminisse quidem dicitur, Deus? Nouit enim Dominus eos solos qui sui sunt. Hoc verò ad Iudaïcum populum referendum est. *Amor quoque ipsorum & odium & Zelus iam perierunt* Quia in peccatis mortui sunt, quorum è numero est populus Iudæorum neque charitatem erga Deum habent neque odium erga iniquitatem, neque possunt dicere iuxta illud Phinees, *Zelans zelans super Dominum. Neque habent partes in sæculum, in omni opere quod sub*

Proborum & improborum, quomodò sit eadem ratio.

Libera Electio consilij.

Damnati nō habent charitatem.

Fortè melius, Heiua qui de

fit illud dicit. 3. Reg. 19. b. cum alioqui Deus ipsemet simile quidpiam dicat de ipso Phinees, Num. 25. b.

Sole est. Iudæorum populus, Terram promissionis quæ sibi sorte obtigit, amiserunt; Ciuitatem quoque Ierusa- A lem ac sacerdotij dignitatem, ita vt neque in præsenti vita partem suam habeant super terram, *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quoniam approbauit Deus opera tua.* Literali sensu *in lætitia & corde bono* vti quis dicitur bonis sibi à Deo concessis, quum modestè vtitur & ad naturæ necessitates; hic est enim proprius vsus rationalis creaturæ: ea propter, inquit, *panem tuum comede.* Nam qui inexhausta cupidine, gulæ ventriquæ deseruiunt, pecorum vitam potius consectantur. Mystico autem sensu; panis, & vinum rationalis creaturæ, sunt ipsæ virtutes ex quibus animæ nutriuntur. Aliter: *Verbum caro factum*, homines cohortatur ad mysticam sui Corporis participationem; quum propter nostram salutem carnem assumpserit; Approbat ergo hoc fieri, congaudetur mysterijs & ritibus Ecclesiæ. B

Ne dum mysticè sed verè & realiter ipsum Christi corpus in Eucharistia participamus.

In omni tempore candida sint vestimenta tua. Hoc est, actiones & opera quæ virtutis normam sequuntur, necnon tradita nobis indumenta per Lauacri regenerationem; quæ proculdubiò candida asseruãtur per omne tempus quo à peccatorum sordibus abstinemus. Candida quoque habere dicitur vestimenta, qui lauat *per singulas noctes lectum suum, & lachrymis* suis *stratum* suum rigat; ita sordes peccatorum per pœnitentiam tergens. *Et oleum tuo in capite non deficiat.* Literali sensu; mites ac perhumanos vult esse eos qui virtutes exercent; ne scilicet extenuent ac decolorẽt facies suas ficta hypocrisis austeritate. Mystico autem intellectu, oleum duo hæc præstat, vt lumẽ scilicet tueatur, & defessa membra confirmet. Vtraq; verò hæc, affert vnctio sancti Spiritus; mentem námque Fidelium illuminat & in solida tranquillitate constituit. Hãc C verò vnctionem proculdubiò habebimus, nisi ipsi sancto Spiritui, molesti ingratiq; resistamus. Aliter: Nostrũ caput Christus nuncupatur in Scripturis sanctis; qui sibiipsi collatas accepturus est, quascunq; pauperibus eleemosynas cõferemus. Ne itaq; desistamus caput hoc nostrum perũgere oleo misericordiæ; hoc est, Christi pauperes & egenos misericordi affectu protegere. *Vitam cognosce cum vxore quam dilexisti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub Sole omnibus diebus vanitatis tuæ quoniam hoc pars tua in vita tua & in labore tuo quo tu laboras sub Sole.* Verba hæc si absolutè accipias, ita mysticè intellige: Cum vxore dilecta; hoc est, Ecclesia quæ spõsa est Christi: in hac siquidem inuenietur vita æterna. Quòd si ad D vxorem mariti cuiúsque referas; tunc literali sensu nos admonebit, vt iuxta monogamiæ legem, vxore vna contenti simus: Coniugalis namque castitas & obseruantia, ipsa quoque nobis est æternæ vitæ conciliatrix. Vitam igitur cognosce, & viue cum vxore quàm dilexisti; quasi dicat: Caue ne ab vxore decipiaris, sicut est Adam deceptus ab Eua vxore; tu verò contrà stude, vt mutuæ societatis debiliorem partem (hoc est, mulierem) in melius ipse conuertas: ad æternæ vitæ cognitionem. Mystico autem sensu; sapientia vxor nostra dicitur, cui si coniuamus, æterna proculdubiò vita perfruimur. *Quæcunque inueneris manus tua vt faciat, quantum patitur facultas tua operare; quoniam neque opus, neque ratio, neque cognitio, neque sapientia est in inferno quò tu perrecturus es.* Hortatur nos vt E omni contentione ac studio practicas aggrediamur virtutes, non tamen supra facultatem elaborantes. Qui enim quod potest in his exercet, secundùm congruam cognitionem viuit; & dignus inuenitur scientiæ dono ac sapientiæ, quãtum permittit Deus atque ad illius vtilitatem impartitur. In Inferno autem quum Practicæ operationes esse non possint, quas medijs sensibus exercemus; qui ibi propter patrata flagitia sunt sepulti, nõ valentes amplius Practicas obire virtutes; neq; sapientes effici possunt neq; aliter officiosi ac probi: ad id enim tãtummodò delati sunt in Infernum vt æternis torqueantur supplicijs. *Vertime & vidi sub Sole quia non esset leuibus cursus; neque bellum potentibus, neque sapientibus panis, neque diuitiæ prudentibus, neque scientibus gratia; quoniam tempus &*

Psalm. 6.

Oleum mysticè quid.

Monogamia.

Gen. 3.

casus continget omnibus ipsis neque nouit homo tempus suum. Verti me, inquit; hoc est, aliud contemplatus sum; quòd vincere in cursu brauiúmque accipere non sit cuiscúnq; leuis ac expediti ad currendum, neque omnium qui potẽtes sunt, egregios se ac inuictos præstare in bello, neque ad prudentes sapientésque viros atque industrios, diuitias deuolui, sed neque eos qui multa nouerunt, gratiam consequi: Casus enim omnibus communes contingunt hoc est, incerti rerum euentus. Nihilque est hominibus vnquàm satis, nihil vndique perfectum, nihil æquale, omniáque ferè dissimili fine terminãtur. Transeũt enim omnia & immutantur inaccessis Dei iudicijs. Sed neq; homo, inquit nouit tempus proprij finis, idcircò vigilare oportet, operaríque virtutes. Mystico autem sensu, quicúnque sunt virtute agiles atque expediti, quiue potentes, qui sapientes, qui diuites, sibiipsis nequaquam debent confidere: contrà verò dicere id debent, quod verè sapientes testantur; *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam*; debéntque Deo vt autori referre, Vt enim ait Apostolus: *neque volentis est neque currentis sed miserentis Dei*, Brauium victoriámque referre. Nam neque gratiam habet quispiam, quòd multa cognoscat, nisi ex Deo gratiam accipiat: neque scire potest aduenientis sibi gratiæ tempus, nisi mẽte diuino lumine illustretur. *Sicut pisces capiuntur in rete malo, & sicut aues in laqueo, ita illaqueantur filij hominis in tempore malo, quando repente irruit super eos.* Rete malum, est è multiplici vitio ac iniquitate contextum. Est siquidem & bonum rete, sagena scilicet, è præceptis institutísque tum antiquis tum recentioribus Saluatoris nostri contexta. Homines ergo, qui fluitans & instabile huius vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, mali retibus implicantur. Illi quoque qui opinione vana scientiæ superbiunt & efferuntur, quum sibi videantur excelsi esse atque aërambuli veluti volãtes aues, Dæmonum laqueis facilè capiuntur, & incidunt in malum tempus infernalium suppliciorum, quum repẽtinus interitus illis adueniat. *Et hoc etiam vidi, sapientiam sub Sole: meo quidem iudicio magna est ciuitas parua, & in ipsa pauci viri, & veniet super eam rex magnus & circumdabit eam, & ædificabit munitiones magnas circa ipsam, & inueniet in ea virum pauperem sapientem, & seruabit ciuitatem in sapientia sua, & homo non recordatus est viri illius pauperis. Et dixi ego: Bona est sapientia super potentiam; Et sapientia pauperis nihili facta est, & verba eius non sunt audita.* Locus hic ad personam scandalum patientis pertinet, qui tãquàm secum loquens vidisse se dicit magnam sapientiam sub Sole, ciuitatem quampiam exiguã paucis inhabitatam hominibus, quã quum obsideret rex magnus, seruauit quidam ciuis, pauper quidem veruntamen sapiens, cuius solerti consilio victa fuerint arma obsidentis ingratos verò fuisse ciues in pauperem illum, Solent enim plerúmque homines beneficiorum esse immemores, consiliáque pusillorum hominum, quamquàm sint perutilia, paruifacere, quum tamen opulentis ac potentibus adulentur, eorúmque sermones laudibus in cœlum ferant. Sed ego, inquit sapiens, longè à vulgari opinione abhorrens, aliter dicam, sapientiam scilicet longè meliorem esse potentia. Atque hæc quidem ad literalem pertinent intellectum: Altiore autem mystico sensu ita intelliges. Parua ciuitas, est militãs Deo, in terra, Ecclesia: parua inquam, comparatione eius quæ triũphat in cœlis. Pauci in hac ciuitate sunt viri, sancti scilicet & electi Dei: magnus autem rex, iniquitatis caput, est Diabolus. Hic assiduè hanc circuit ciuitatem, vt illius ciues redigat in seruitutem. Pauper autem sapiens in hac ciuitate, cuius consilio ipsa seruatur, ipse est Christus Dominus Deus noster. Dicit enim ciuibus suis sanctis, *Confidite, ego vici Mundum.* Ac huius quidem pauperis verba, à stultis Gentilibus & perfidis Hebræis non audiuntur: sapiens vero Ecclesiastes intelligens in spiritu quòd Deus non per solam diuinitatis suæ potentiam & virtutem, sed sapientiæ societate vtens verbúmque

Psalm. 126.

Rom. 9.

Luc. 18.

búmque caro factum, tyrannum Diabolum deiectus esset, nullam sibi perfugij excusationem relinquens, vt sicut olim ipse antiquum vicerat hominẽ Adam, ita demum sub nomine fractus corrueret nouus Adam. Propterea nunc afflatus spiritu; multò ante, hoc mysterium patefecit in hæc verba prorumpens. *Sapientia melior est quàm potentia: verba sapientũ audiuntur in quiete, plusquàm clamor potentum in stultitia.* Locus hic non est accipiendus quasi per comparationẽ dicatur; neque enim compararet sapientiam cum stultitia: Fit enim comparatio inter similia, non inter contraria. Inquit ergo: *Verba sapientum audiuntur in quiete*; hoc est, quum auditores iucundè accipiunt quæ dicuntur, fit requies quidem in mente ipsorum: clamor verò stultorum dignus est qui damnetur, licet illi potentia magna polleat, anima enim quæ stultitia repleta est, cum clamore & turbulẽtia sermones profert sine quiete, ordine, ac constantia. Aliter: Apostoli sapientiæ ministri, auditorũ mentes quietas ab omni passione sedatásque reddebant; insipientiam verò Iudæorum clamor quum iniustè clamarent; *Tolle, tolle, crucifige eum*; & illos perdidit, & omnes qui huiusmodi acclamationibus assensus faciles præbuerunt. *Melior est sapientia quàm bellica instrumenta.* Melius est consilium cuiuscúnque prudentis; quàm omne auxilium quod ab armis expectari possit. Mysticè autem ostendit potentiam Saluatoris nostri Iesu Christi, qui vtique est sapientia. Huius enim virtus; arma belli (hoc est, Diabolum Tartareásque phalanges) euertit, omnésque species eius iniquitatis ad debilitatem redegit. *Et peccatorum multa bona perdet.* Adam peccauit, & in omnem generis humani posteritatem, peccati labem mortémque transmisit; ipséq; imaginem Dei ad quam factus fuerat violauit, & violatores sibi similes quàm plurimos propagauit. Vnus quicúnque is demùm sit, dum sese peccati sorde commaculat & bona corrumpit quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant, & multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit.

Matt. 15.

CAPVT X.



MVSCÆ *mortificantes putrefaciunt apparatam olei suauitatem.* Apparatum oleum, est vnguẽtum, sicut & Aquila interpretatus est: musca verò impurum animal quod putredines & vlcera insidendo exugit, appetítque laceræ cutis scissuras. Mortificat autem & corrumpit oleum vnguentarium Musca, cum se in illud temere proijcit; nam & ipsa immoritur, & olei vim extinguit. Iudæi ergo propriam vitam contemnentes, animæque salutem, verè sunt muscæ mortificantes, cùm suaue redolens verbum saluatoris Iesu Christi semper vitiare ac fœdare studuerint, sempérque affectârint causas calumniarum arripere, quibus illum vrgere possent. *Parum sapientiæ preciosius est, quàm gloria magna stultitia.* Multi à sua stultitia gloriam & laudem retulerunt; vtputà, qui dicendi facultate pollentes iniustum clientibus patrocinium præstant; qui ex opulentia clari amplique habentur, vel qui sæculari sapientia præditi circa inutiles quæstiones vitã consumunt: sed longo interuallo preciosior est habendus qui ianuas & initium sapientiæ quæ est secundùm Deum, ingreditur, & in ea erudiri incipitq; eam libare, omnem stultorum gloriam paruipendens. *Cor sapientis in dextrum ipsius; & cor stulti in sinistrum ipsius.* Cor hoc loco pro intellectu ac mente accipi decet. Materiale enim cor & carneum, omnibus in ea parte corporis situm est quam Thoracis cratem appellant. Sapiẽtis itaque intellectus semper in dextras vergit partes virtutis ac laudabiles, stulti autem mens, in sinistra fertur & in ea quæ facilè culpari possint. *Sed & cùm stultus in via ambulauerit, cùmque cor ipsius retardetur ac desipiat, omnia sunt stultitia.* In hac vita quàm verè viam dixeris, stultus perambulans, cùm ad sinistra cor habeat, semper cessat ac posterior inuenitur; in vacuum enim pergit, nequaquam sibi proposito supernæ vocationis brauio. In anteriora itaque sese non extendit nec properat ad finem, sed quamuis adhæc ipsa pergere videatur, medio in cursu deficiet, omnia imperfectè & sine ratione cogitans & aggrediens. Quòd si ipsam adeat viam iustificationum; vel (vt verius dicam) adire se simulet; hoc est, diuinorum obseruantiam mandatorum: quia tamen illius mens flectitur ad sinistra, cessabit prorsus atque deficiet, vt neque quid præceptum sit intelligat, neque operetur iuxta Legislatoris voluntatem. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris quia curatio cessare faciet peccata magna.* Spiritus potestatem habentis, est Diabolus princeps Mundi huius & dominus filiorum inobedientiæ qui nulla coacti necessitate sed electione liberæ voluntatis sese vltrò subiecerunt illius dominationi atque tyrannidi. Inquit ergo: Si te ad supernæ patriæ beatitudinem cogitatione ac studiis erectum, irruens ex aduerso Spiritus potestatem habentis, deturbare conetur ad inferiores semitas Mundi huius; omnes, illi, aditus præclude; omnes obstrue sensuum operationes, vt neque per aures, neque per linguam, neque aliunde admittatur. Primis námque affectionũ sublatis principijs atque causis, nulli prorsus orientur affectus. Quòd si quid ad ipsa mentis penetralia, callidus hostis, veneni transfuderit; tu tamen in vestigio tuo cõsistens, locum stationémque ne deseras: ita vt temperantia munitus, procul libidines stupraque repellas, odiúque coërceas charitate, stationéq; singulas virtutũ strenuè tuearis. Si enim cadas, vt negligentiùs resistens permittas insidere tibi ac requiescere super te spiritum potestatem habentis, multa & magna peccata super animã tuam facilè aggregabis. Aliter: Si animam tuam curaueris adhibita virtutum diligentia, plurima sedabis; talis est enim virtutum curatio, vt cohibere possit spiritum habentis potestatem, ne super te veniat & conculcet. *Est malum quod vidi sub Sole, quasi non spontaneum egressum sit à facie potentis. Stultus traditus est sublimitatibus magnis, & diuites in humilitate collocabuntur.* Litterali sensu, aliam se vidisse ait iniquitatem in humanis rebus; principes scilicet viros ac magistratus, inuitos quidem quasi metu coactos maioris alicuius potestatis, eos qui stulti sunt gloria honestare; fortunas verò locupletum ciuium, populari factione addicere inuita proscriptione: sæpè enim principes ciuitatis ac magistratus, regijs edictis contra voluntatem suã obedire coguntur. Mystico autem intellectu; sponte sua atq; electione voluptatis viam semel ingressi homines, inuiti mox facere plurima cõpelluntur vrgente eos Diabolo qui potestatem habet super *filios inobediẽtiæ*, vt tanquàm iniquam detestentur & accusent iustissimam Dei prouidentiam, ita stultè interrogãtes: Vt quid insipiẽtes, in sublimes dignitatum gradus, conspicui efferuntur; contrà verò qui honesto loco nati gentilitijs polleãt opibus, in paupertatem dijiciuntur? Cùm itaq; cæci mortales sponte primùm nostra volentes, hausto voluptatis poculo ebrietatem contraxerimus; tum surripit ille Callidus potestatem habens, subijcitque nobis quæ inuiti faciamus, ebrietatis nebula occupati; cuius generis sunt, libidinibus pollui, rixari, percutere. Neque enim qui ebrij fiunt, talia se facturos cogitant; sed ebrij iam effecti, vel inuiti compelluntur ad huiusmodi flagitia perpetranda: ita & voluptatis studio traditi, scandalizamur sæpè de inaccessis Dei iudicijs, ac contrà diuinã sapientiam, linguam temerè exertamus. *Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulare super terram.* Vitæ mutabilitatem & conuersionem nobis contemplandam proponit; vt à mundanis rebus incertis, ad stabilem illam cœlestem beatitudinem nos conuertat. *Qui fodit foueam, incidet in eam.* Locus hic totus soli vacat mystico intellectui; aliter enim semper hoc non contingit, vt qui foueam fodit in eam cadat. Inquit ergo: Peccator suam animam priùs excruciat: *qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam*, & vnusquisque ab ea quæ

Muscæ natura.

Iudæi, Muscarum similes.

Cordis situs in corpore humano.

Electio liberæ voluntatis. Sensuum operationi Dæmoni præcludendæ.

Affectionum tollenda sunt principia. Sic & Apostolus, Ephes. 4. nolite, inquit, locum dare Diabolo.

Ephes. 2.

Psalm. 10.

Exod. 21.

peccauerit, punietur. Ipse etiam Moses Legislator ita faciundum sanxit in homicidam, videlicet; *Faciet illi eo pacto quo contra proximum suum malignatus est. Et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.*

Sepes animæ.

Sepes animæ, lex est diuina, & metus, veráq; Legalium sensuum cognitio. Qui ergo Legē Dei contemnit, & diuina præuaricatur mādata, qui falsa cognitione decidit in peccatum cuius opifex est ipse callidus Serpens; iste incautus ac diuina cassus gratia; morsus Serpentis perpenetur. *Qui extrahit lapides, dolebit & affligetur in eis.* Qui sibi domum virtutibus extruit; lapides congregat, ac benè ædificat: qui verò vel sacerdotia vana elatione demolitur, ac soluit quæ priùs erant extructa, lapides aufert, angitúrque miser, doler ac periclitatur. Aliter: Lapides sancti apud Prophetam Zachariam sancti homines sunt. Qui ergo huiusmodi lapides eximit; hoc est, persequitur sanctos atque interficit; labore affligitur; hoc est, perniciē sibi attrahit, sicut Herodes fecit qui Ioannem Baptistam gladio percussit.

Zachar. 9. Math. 15. Mar. 6. Luc. 9.

Ligna scindens periclitabitur in eis, si exciderit ferrum, & ipse faciem conturbatus est, & fortitudines corroborabit & superflua robusti sapientia. Per symbola & sensibilia, ad spiritualia nos perducit. Inquit ergo: Qui sua fretus doctrina, veluti ferro quodam vtens, scindere ac comminuere aggreditur diuinas Scripturas, quasi ligna quædam benè olentia; si fortè decidat & aberret ab intentione Spiritùs sancti neque secundùm Legislatoris mentem rectè ac fideliter eas interpretetur sed à ratione procul exorbitet, in magno est periculo ne in perniciosas hæreses impinguat; faciémq; doctrinæ suæ confundit & animas eruditorum.

Heresis nascitur ex non fideli Scripturæ interpretatione.

Quòd autem ait; *& fortitudines corroborabit*, hoc est, aduersantes validiores efficiet: ex iis enim erroribus quos Interpres aliquis ac magister in doctrina verbi admiserit, validiores assumunt vires qui ex aduerso in eo disputantes cum illo contendunt. Qui verò fortis extiterit in opere & sermone, ita vt cum sapiētia eloquatur; habet omnino multùm, atque adeò omnino aliquid ampliùs quàm cæteri, vt scilicet in scindendis lignis nequaquàm periclitetur. Nam qui tātummodò potens fuerit in sermone, ac volubili præditus lingua, sophisticis autē captiunculis abūdet vacuus diuina sapiētia, excidente ferrò periclitabitur in cædendis quæ superiùs diximus lignis.

Sophistica captiuncula sine diuina sapientia periculosa.

Si mordeat Serpens in silentio, nihil est amplius excantanti.

Qui clàm peccat, nec emissâ voce palam de suo peccato gloriatur; siue is agendo perperam delinquat, siue in corde suo impium dogma hæreticúmque concipiat, poterit tamen in meliùs emendari cùm nondum ad effrenem peruenerit impudentiam. Neque sanè nimiùm laborabit in eo reuocando, quicúnque salutari doctrina excantare aggrediatur virus inferni Serpētis. Aut ita intellige. Si peccati serpens mordeat in silentio, hoc est, ita vt peccator admissum scelus confiteri nolit: nullam poterit salutem præstare qui sancta excantatione curādum suscipiat sua peccata non confitentem.

Peccatorum confessio.

Verba oris sapientis gratia; & labia stulti demergent ipsum. Initium verborum oris sui stultitia, & vltimus error eius malus, & stultus multiplicabit verba. Paulus Apostolus cupiens eos quos in fide erudiebat sapientes esse, ita ad eos scribit: *Sermo vester penitus sit in gratia, sale conditus.*

Col. 4.

Sermo enim sapientis neque austerus est inhumanúsue, neque mollis & dissolutus; sed gratiā multā cōditus, ita vt pariter cohibeat neque sinat auditores diffluere: Labia verò stulti; hoc est verba; mortem illi perniciémque conciliant. Nam & suæ ipsius animæ noxius est stultus, & animas quòque auditorum corrumpit: Demersio enim de qua hic loquitur Ecclesiastes, ad æterna referēda est supplicia, iuxta illud: Præcipita Domine, & diuide linguas eorum.

Psalm. 54.

Stultus verò cùm insipienter loqui incipiat, circumfertur & errat in stultitia cordis sui finémque sortitur malum. Sed *& verba*, inquit, *stultus multiplicat*, hoc est, incassum blaterat & nugatur, siue multa loquatur siue pauca. Multitudo enim hoc loco, pro nugacitate ponitur: Nam qui nil boni loquitur, nihil vale; etiam in paucis verbis nugatur.

Nugacitas etiam in paucis verbis.

Quòd si quid tamen interdum videatur boni loquutus, cùm deinde mores orationi nō consonent; & hic quoque nugatur cum planè ignoret quid loquatur, quid ve bene agendo comprobet & confirmet. Oportet enim cum qui bene dicat, priùs facere, ac deinde alios edocere. *Multiplicat* ergo *verba*; hoc est, siue multa siue pauca loquatur, suo illo sermone importunus est ac molestus. *Nescit homo quid factum fuerit; & quid futurum sit post ipsum, quis renunciabit ei? Labor stultorum affliget eos, nescit pergere in ciuitatem.* Et si multa iam nouerimus quæ facta sunt ante nos, tradita nobis à sanctis patribus perlegentes, qualia sunt; *In principio creauit Deus cælum & terram*, & permulta alia: licet etiam per fidem sciamus quæ sunt futura, vt de iustis putà atque iniustis quod resurgent, hi quidem in vitā illi verò in mortem pœnámque æternam, tamen omnia nequaquam scimus, sed quædam: *Ex parte enim cognoscimus*, inquit Paulus, *& ex parte prophetamus.*

Gen. 1.

1. Cor. 13.

Quis autem nobis ea quæ pòst sunt renunciabit? hoc est, futura: vtputà, num filios genituri simus, an genitos iam liberos amissuri; nobis ne in patria an apud exteros moriendum sit, exiguóne spacio an contrà longinquo futuri simus in vita. Idcircò qui sollicitì sunt hæc rescire, vel per auguria, vel per natalis diei obseruationem, vel per mendaces alias huiusmodi diuinationes, & qui cætera demùm scire affectāt quorum habere certam cognitionem non possumus, in vanū laborant, inutilémque sibi desumunt operā; Hęc autem fermè cuncta stultis cōtingunt, propterea quòd minimè norunt pergere in ciuitatem; hoc est, optimæ ciuitatis normam sibi ad viuendum proponere, neque persequi volunt Ecclesiæ simplicem fidem, pulchrāque pergere in ciuitatem, supercœlestem scilicet Ierusalem cuius opifex & autor est Deus.

Stultis fere contingit futura scire velle.

Væ tibi ciuitas cuius rex iunior, & principes tui mane comedunt, Beata est terra cuius rex filius liberorum, & principes tui vescuntur tempore suo in fortitudine, & non confundentur. Literalis quidem sensus, miserā censet ciuitatem cuius rex instabiles habet mores iuuenum ritu, & cuius principes dimissis publicis negocijs curisque ciuilibus, prima irrumpente aurora poculis comessationibúsque indulgent. Nam qui mero & crapula sese infarciunt, quíque leues sunt & parum sibi constantes neque regno neque principalibus alijs gerendis sunt apti. Beatam verò iudicat regionem cuius rex sit filius liberorum patrum; hoc est, qui sit officiosè ac liberaliter educatus, quíque probæ educationis mores conseruet, vt nihil penitus velit quod seruile sit, quod illiberale quod turpe: & cuius regionis principes omni studio curant quæ ad commoda subditorum pertineāt: modestè præterea suóque tempore vescuntur, non ijs quæ ad vētris & gulæ gratiam comparentur sed quæ virile robur bonáque valetudinem pariant ac tueantur; hoc est, quæ necessaria sint. Tales enim principes insitam pectoribus gerentes iustitiam, iustúmque iudicium iudicantes; nulla vnquam ignominia confundentur.

Rex dignus quis sit.

Mysticè autem sensu morali; anima rationalis est ciuitas; huiúsque ciuitatis rex intellectus; qui si fuerit iuueniliter leuis atque inconstans, motúsque suos quasi principes quosdam habuerit gulæ voluptatibus indulgentes; væ procuidubiò adiunctum habebit: sin verò rex intellectus sacris erudiatur Disciplinis, verè filius est liberorum & motus habet rationum, qui congruo tēpore omnia exequuntur tàm quæ ad corporis curam spectant quàm quę ad animæ faciunt mentísque solertiam. Quòd si ciuitas hæc & prouincia quàm animam nuncupamus, ita viuat, ita se regat, bonísq; profectibus roboretur, nullas vnquam turpi nota ignominiáque fœdabitur.

Anima est ciuitas.

In plenitudinibus humiliabitur contignatio, & in desideria manuum stillabit domus: in risu faciunt panem, & vinum lætificat viuentes, & pecuniæ obediunt omnia. In parabola nos erudit, hortans ne contemnamus operari bonum, ne spiritualis nostræ domus (hoc est, animæ) contignatio, id est, firmæ ac connexæ rationes humilientur & corruant, ita vt domus ipsa perstillet, defluentibus vndique vitijs conturbata,

atque

atque ita si quas habebamus priùs virtutes, ex desidia & inertia amittamus. Oportet ergo assiduè inspicere nostram hãc domum, neque solùm ea respectare quæ benè hactenus, gessimus sed oculos ad contignationẽ: hoc est ad supremũ finem erigere. Nã qui segniùs sese habent ad capessendas virtutes, ad solam voluptatem oculos animúmque conuertunt, occupantúrque circa id quod hominum quàm plurimi, suaue lætúmque opinantur, palámque iactant comparari pecunias oportere, cùm argento dicant omnia subiecta. Aliter: Desides ociosique homines sinunt stillare domum suam; qui verò aguntur sanctis Ecclesiæ institutis, pane quodam mystico vinóque aluntur, cuius virtute confirmati, Dæmonis aduersantis insidias facilè ridere possunt, sciẽtes quòd vniuersi Mundi machina argento subiecta sit; hoc est, Dei verbo propter nos incarnato, quod argenti appellatione sacra vocat Scriptura. Sciendum verò est quod nomine panis omne siccum alimentum solet eadem Scriptura designare; sicut & vinum vocat aut aquam, quod insitam humiditatem habet. Hoc significare voluit Moses, cùm quadraginta diebus quibus legem accepit; *neque panem*, inquit, *comedi, neque bibi vinum*; hoc est, neque siccũ neque humidum quicquam gustaui. *In conscientia tua Regi ne impreceris, & in secreto cubiculi tui ne imprecer is diuiti: Volucris enim cœli asportabit vocem tuam, & qui habet alas sermonem tuum renunciabit.*

Panis in Scriptura significat siccum alimentum. Exod. 34. Deuter. 9.

Volocrem cœli, sunt qui putent esse animam ipsam, vel spiritum nobis insitum; habentem verò alas, aut Spiritum sanctum qui apparuit in columbæ specie, quique omnia complet & omnia nouit: aut ipsos sanctos Angelos. Contra verò nonnulli, habentem alas, pro Diabolo accipiendum dicunt; volucres verò cœli, parentes Diaboli aereas potestates. Secundùm verò vtrámque expositionem ita intellige: *Ne regi, néve diuiti imprecreris*, ac ne in penetralibus quidem: Tua námque maledicta excurrens fama defert ad illius aures, cui tu malum imprecatus fueris. Imprecari verò quempiam dicimus, cùm malum aliquod vel sibi vel proximo aduenire votis exposcit.

Capvt. XI.

Isa. 58. Panis significat omne genus Eleemosynæ.

Mitte *panem tuum super faciem aquæ, quia in multitudine dierum inuenies illum.* Scriptum est; *Frange esurienti panem tuum.* Cæterùm panis appellatione, omne genus eleemosynæ designatur. Dicit ergo Ecclesiastes. Cum lachrymis & misericordi affectu, facito eleemosynam; huius enim fructus tecum permanebit in sæculum. Aliter: Aquas pro hominum conuenticulis & cõgregatione solet appellare Scriptura, iuxta illud; *Libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Inquit ergo: O tu quisquis es diuinæ Legis Interpres ac doctor; alimẽtum verbi quod tibi gratia Spiritus sancti liberaliter dedit, sine vlla intermissione pauperibus & egenis imparti; præmium ministerij huius relaturus, vt cum Deo Verbo viuas iunctus in sæcula. *Da partem ipsis septem, partem quoque dato & ipsis octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Qui credit veteri Testamento, partem dedit ipsis septem; propter Sabbati cultum qui in Lege veteri continetur, quique tunc spirituali sanctificatione perficitur cùm à peccatis desistimus ac requiescimus: Qui verò nouum recipit Testamentum, partẽ suam dedit & ipsis octo, propter Dominicam Resurrectionem quam octauo celebramus die; hoc est, Sabbatum insequente; vt primo * quodam initio Resurrectionis Seculique futuri. Inquit ergo: Recipe Vetus ac Nouum testamentum. Vel aliter: Nostræ huius vitæ tempus, septem dierum numero designatur: Inquit enim Scriptura; *Requieuit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat.* Initium verò futuri sæculi, octaua est dies cuius symbolum nobis est Dominica resurrectio. Quod ergo nos monet Ecclesiastes, hoc est: Modeste, inquit, viue in præsenti sæculo & thesauriza tibi per operum bonorum exequutionem, quæ ad futuræ vitæ bonum pertineant; atque ita partem ipsis septem dato, & ipsis octo. Aliter: Septem dona Spiritus numerat Esaias. Potest igitur Christianus populus apposita quadã collatione per septenarium numerum designari, cùm septem spiritualibus Donis ditatus fuerit. Octonario autem numero designabitur populus Iudæorum, qui octauo die Circumcisionis accepit signum. Inquit ergo; confer eleemosynam in omnes homines. Quod autem inquit; *quia non cognoscis quid mali futurum sit super terram*; ad omnes potest accommodare expositiones quas modò attuli; ita videlicet: Recipe duo Testamenta, vt ignorantiæ pariter ac nequitiæ tenebras procul abs te repellas. Vel; modestè age quæ ad huius pertinent vitæ officia, cogitãs assiduè & de futuro sæculo: neque enim nosti quam grauia reposita sunt tormenta ijs qui neque septenarijs partem suam dederunt neque octonarijs. Vel; eleemosynam omnibus confer in cordis tui simplicitate; neque enim nosti quis hominum verè indigeat, quisue simulata paupertate per auaritiam petat. *Si repleta fuerint nubes pluuia, in terram effundunt: & si deciderit lignum ad Austrum siue ad Boream, in loco vbi ceciderit ibi desidebit.* Prima quidem particula huius loci, literali sensu potest ad eleemosynam referri: quia sicut nubes iussu diuino imbrem super omnes spargunt; ita conuenit eleemosynam cunctis hominibus impartiri. Mystico autem & sublimiori sensu, *Nubes* pro sanctis viris accipiuntur; quorum vnus fuit Moses, qui dicit: *Expectetur vt pluuia eloquium meum.* Sancti ergo repleti diuino verbo quale scilicet factum est ad Oseæ sanctósque alios, effundunt fœcundum imbrem non super solam Iudæam, sed & *in omnem terram* in quam *exiuit sonus eorum.* Et hæc quidem de prima particula loci huius, quæ ad pluuiam pertinet. Ligna verò in Scripturis sacris significant modò iustos viros, modo etiam peccatores: Auster autem accipitur, pro illustri loco ac lucido, vel pro verissima illa luce quæ est Iesus Christus Dominus Deus noster; Contra verò, Boreas pro caliginoso ac tenebrarum pleno accipitur loco, próque ipso Diabolo qui in tenebris habitat. In quocunque igitur loco seu illustri seu tenebroso; hoc est, siue in turpi scelerum statione; siue in honesta virtutum; deprehendatur homo cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in æternũ. Nam vel requiescit in lumine fœlicitatis æternæ cum Iustis & Christo Domino, vel in tenebris cruciatur cum Iniquis & Principe mundi huius Diabolo. *Qui obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes non metet. Sicut non est qui sciat quæ via sit spiritus, neque quomodò compingantur ossa in ventre prægnantis: ita non cognosces opera Dei quodcúnque facturus est.* Qui ventos obseruant, sationi minus incumbunt. Plerúmque enim contingit vt qui hodie perflat ventus, crastina die sit quieturus; aut contra bacchaturus sit die crastina, qui hodie conquiescit: hodie si compluat, cras erit aër serenus. Non oportet ergo ventos obseruare, sed spe bona sationem facere, Deo confidentes authori bonorum omnium. Nam si præ obseruatione nubium ac ventorum differamus sationis tempus, irritam deinde messem experiemur. Sed etiam si maximè velimus, obseruare non possumus aëris qualitates; neque enim scimus viam ipsius spiritus. Sapienter námque ac variè Deus humanis consulit rebus: neque aliter ignoramus Dei erga nos consilia & dispensationes, quàm & ossa quæ compinguntur & gestantur in ventre prægnantis. Quis enim nouit, masculus ne ibi delitescat an fœmina? integrúmne gignatur, an parte aliqua corporis imperfectum? Quòd si ignoramus quale nam sit quod in vtero Genitricis compingitur, multò ignorabimus magis, quanam ratione offula illa quam Embryonem vocant, in corpus animalis coalescat & conformetur; quo etiam pacto ossa componantur, quóve totius corporis sibi congruat harmonia: Inquit ergo: Tu quoque ne tantopere sis sollicitus curiosè quærendo cui sis eleemosynam daturus, cui non daturus; vt puta, Fidelisne sit ille an Infidelis,

Psal. 143. *Forte mortuis, nouo.* *Gen. 2.* *Eleemosyna omnibus danda.* *Psal. 18.* *Eleemosyna danda varie.*

Iustus ne an Iniustus. Et enim si pendebis animo ista disquirẽs, amittes sationis tempus, neque inuenies in tempore messis quod metas. Sine vlla itaque dilatione temporis, in simplicitate cordis tui eleemosynam confer; neque enim scis an spiritus eum viuificet quem tu fortasse putas iniustum, contráque illum à se repellat quem tu iustum existimas, *Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis magis ne prouenturum sit hoc an illud: quod si vtraque in idem tendant, bonum hoc erit.* Qui tenebras ignorantiæ ab intellectu suo procul expellit, cùm sit in ipso principio virtutum, manè primo sationem facit, iuxta illud: *Donec dies est operamini.* Quòd si hic ad finem permaneat officiosè viuens secundùm virtutem, operatus dici potest vsque ad vesperam, ita vt manum suam ab opere non remiserit neque cessarit. Inquit ergo: Virtutem aggressus, persevera vsque in finem; neque enim nouisti quænam ex tuis bonis operibus placitura sint Iudici: illane quæ iuxta carceres peregisti, an ea quæ iam perductus ad metam. Quòd si vtráque eodem pariter modo approbentur, bonitatis & perfectionis plena censebitur huiusmodi operatio. Aut aliter ita intellige: Ab ineunte pueritia operare virtutem; neque dixeris, nunc adolescentior cùm sim fruar delitijs quas habet vita, posteà verò cùm ad senectutem peruenero, ad pœnitentiam me conuertam; nequaquam enim nosti quid tibi euenturum sit, aut quando tibi aderit finis vitæ. Est itaque operæ precium operari semper virtutem, summâque contentione ad hanc assequendam conari. Oportet etiam sæpè Deum precari, vt quæ ipsi operamur, eius sint maiestati placita & bonitati. *Dulce lumen, & bonum est oculis videre Solem. Si annis multis vixerit homo, in omnibus his lætabitur opera tenebrarum; quoniam multæ tenebræ erunt, & omne quod aduenit, vanitas.* Docet nos hoc loco Ecclesiastes quale sit illud manè quo nos hortatus est sationem facere; hoc est, suaue prorsus ac dulce oculis ipsius intellectus. Mane inquam illud quod producit iustitiæ Sol, animas nostras interno splendore illustrans. Sicut qui Solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumen visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos varijs officijs intendunt, qui verò Solem non vident, in tenebris desident ociosi eò quod non videant quæ Solis lumine illustrantur: ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur Solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod planè vident atque cognoscunt quæ ad eiusdem Solis voluntatem sibi agenda sunt, quæve etiam dimittenda. Is autem qui ad diuini verbi sententiam viuendum sibi constituat, tametsi multos annos versetur in vita hac quæ difficilis fermè ab omnibus existimatur, anima tamen sua voluptate lætitiâque perfunditur, cùm non solùm complectatur animo & intelligat quæ agenda sibi sunt in practico vitæ cursu, verumetiam mente pacatissima cõtempletur pulcherrimas illas species quæ à materia seiunctæ, solo intellectu percipiuntur. Speculatur autem hæc, lucidissimis iustitiæ Solis fulgoribus illustratus. Neque verò tantùm hæc ipsa contuetur, verùm reputat animo & tenebrarum dies qui in futuro seculo sunt impios comprehensuri. Et cùm meminerit dies illos perẽnes fore, peccatorésque ipsos post rerum omnium vanitatem venturos ad æterna supplicia; omni studio & contentione declinat à malo, bonúmque operatur. *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & bonis fruatur cor tuum in diebus adolescentiæ tuæ, & immaculatus deambula in semitis cordis tui, & in visione oculorum tuorum.* Cùm dicit: *ambula immaculatus in semitis cordis tui*; planè ostendit quòd ad spiritualem lætitiam hoc loco iuuenem cohortatur. Iuuenem verò intelligit, qui sit animo robustus ac fortis, & qui tutò possit atque intrepidè contra Diaboli colluctationes in campum descẽdere, exuere antiquum hominem ac induere, tum qui sit ad imaginem Dei factus. Hic autem qui ambulat immaculatus in semitis cordis sui, hoc est, animam in tuto loco constituens mẽtémque purificans; habet vtique & puros sui corporis sensus, redditúrq; aptissimus ad admirabiles pulchritudines contemplandas, lætitiam summam percipiens in spirituali adolescentia internáque mentis perspicua visione. Quia verò mascula nomenclatura persæpè Scriptura vtitur in his locis in quibus fœminas æquè ac viros ad virtutem hortatur; sciendum est quòd à principaliori parte ac sexu orationem aggreditur, *mulieris* námque *caput est vir*: vna verò vtrique animæ est substantia, & vnum sumus omnes in Domino, cùm fœminei sexus virilísque differentia ad corpus solùm pertineat. Quare & si hoc loco adolescentem solum videas adhortationem accipere, sub huius tamen adhortationis lege fœminas putato æquè ac viros ipsos comprehendi. Verba quoque Pauli Apostoli, quibus inquit; *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*; tam ad viros pertinere quàm ad mulieres existimato. Et cognosce in his omnibus quòd ducet te Deus in iudicio.

Ioh. 4.

Pœnitentia in ætatem senilẽ non est reiicienda.

Eph. 5.

2. Cor. 11.

Caput XII.

Et remoue iram à corde tuo, & abducito malignitatem à carne tua, quoniam iuuentus & amentia, vanitas. Et memento creatoris tui in diebus adolescentiæ tuæ, antequàm veniant dies afflictionis, & anni in quibus dices, non est voluntas mea in eis. Hoc loco in memoriam nobis reuocat diuinum iudicium, loquitúrque tãquàm autoritatem habens; *remoue iram à corde tuo*; Potes enim cùm sis prædi tus ratione, iracundiam frenare: Malignitatem verò carnis, accipit pro omni peccato. Nam & Apostolus, opera carnis peccata appellat. Præcipua verò malignitas carnis, est ipsa libido; Passiones verò quas dicimus, sunt motus inconstantis animi ac iuuenilis. Animo autẽ iuuenili, amẽtia ferè plerúmque annexa est, quæ nihil est aliud quã mera vanitas. Inquit ergo: Si velis exuere hunc iuuenilem animum, & petulantis superbiæ motum freno compescere; indelebilem Dei memoriam conseruato. Dies autem adolescentiæ, præsentis vitæ dies significant: verè, stultitiæ dies si ad perfectionem comparentur futuræ vitæ. Si enim in præsenti vita memoriam Dei abieceris, incumbit tibi tempus punitionis, quod diem vocat afflictionis cùm peccatores tũc puniendi sint; & tunc *dices non est voluntas mea in ipsis.* Nullus enim cum torquetur tormentis carere nollet. Qui ergo in hac vita non secutus Domini præcepta sed suas cupiditates, ex amentia & animi imperfectione facit ea quæ vult; in tempore punitionis torquetur ita vt non vult. *Antequàm obtenebrescat Sol & lumen & Luna & stellæ, & reuertantur retro nubes à pluuia, in die in qua commouebuntur custodes domus, & in obliquum deprauati fuerint viri fortitudinis, & cessauerint molentes quoniam ad paucitatem redactæ fuerint, & obtenebrescent quæ aspiciunt per foramina, & occludent ianuas in platea in infirmitate vocis molentis.* Audiui quempiam qui verba loci huius putaret ad particularem vniuscuiusque interitum pertinere: alium, qui ad vniuersalem Mundi consumptionem: alium item qui ad altiorem sensum referret; quæ omnia, paucis omnino vobis explicabo. Orationem conuertit Ecclesiastes ad eum quem admonendum susceperat; aitque: Rationem habeto tuæ salutis, eam quæ curato diligenter, donec vti potes libero voluntatis arbitrio, integrúmque tibi est ad virtutem accedere. Post hanc etenim vitam tibi accidet non sicuti vis; sed torqueberis sicuti non vis. Rationem itaque tui habeto ante obitus diem, antequàm scilicet tibi Sol obtenebrescat, & Luna & stellæ: huiuscemodi enim tenebræ vnicuique contingunt in extremo vitæ obitu. Tu itaque curato salutem tuam, priúsquam in aquam terrámque soluaris. Corpus enim hoc nostrum quod veluti nubes quædam videtur animæ superincumbere ac superpositum esse; defunctis nobis, in similia elemẽta resoluitur, aquam scilicet atque aërem. In ipso etiam mortis die; *domus*, hoc est, animæ custodes commouentur, & *obliquum* declinant ac remittũtur quæ priùs rectæ ac intensæ fuerant rationis vires, quæ hoc loco viri fortitudinis nuncupantur: dolent enim ac conturban-

Liberum voluntatis Arbitrium.

turbantur in ipso formidabili à corpore nostro exitu. Possunt & *custodes domus* intelligi, corporis nostri materiales oculi ac sensibiles, qui in mortis articulo, cõtuendi vires extingui sentiunt. Tunc etiam *molentes* ociosi sunt, hoc est, dentes ipsi ac molares qui inditos ori cibos moluntatque comminuũt; non quòd prorsus numero pauci fiant, sed quia ad paucitatem virtutis officiique deueniant. Pupillæ quoque oculorum, quæ veluti per foramina quædam prospiciunt, tenebris obducuntur, cùm meatus omnes & operationum viæ quibus vsi sumus in vita, penitùs occluduntur: Incipit enim tunc homo tenui vocis filo ac infima voce vix & ægrè loqui cum in extremo respirat. Antequàm te hæc mortis incommoda comprehendant, cura vt in officiosis, operetísque virtutem. Aliter, ad vniuersalem Mundi finem ita hæc accommodare poteris. Sicuti per verbum Dei, creatura Mundi creata est; ita & diuino iussu quandóque resoluetur. Cum enim ad sæculorum finem Mundus peruenerit, superuacuus erit vsus luminarium, tunc pluuia opus non erit quæ irriget terram, sed nubes quodammodò à pluuia retrò conuertẽtur, hoc est, pluuiam nullam dabunt, vel cum pluuia pariter soluentur & euanescent cùm neque nubium neque imbrium vsus aliquis sit futurus: vel tunc in aliud ministerium Domino Deo obedient, vehicula fortasse gestandis Sanctis effecta. Tunc & *custodes domus commouebuntur*; hoc est, sancti, fortitudinis viri hoc loco nuncupati; qui tunc in obliquum paulisper declinabunt & secedent propter Antichristum, non quòd penitùs rectitudinem iustitiæ remissuri sint aut casuri. Ipsi enim sunt custodes Ecclesiæ & Mundi huius, quorum præsidio consistit & conseruatur. Tunc & *molentes redigentur ad paucitatem*: *Molentes* pro ipsis Iudæis accipiendi sunt, qui tanquàm in pistrino molentes, graue Legis iugum laboriosúmque pertrahunt. Redigentur ad paucitatem, quia præter paucos, cæteri omnes ad fidem Christi conuersi erũt. *Tunc enim saluus erit omnis Israel* hoc est; plurimi ex Israel. Tunc pauci illi ad fidem Christi non accesserint, qui nunc dici possunt modicum quid *per foramina* Literę legalis aspicere, cæcitate vltima caligabunt & tenebrescent, cùm in ipso errore penitùs fuerint confirmati, & viuentes in obstinatione & contumacia ianuam salutis sibiipsis occluserint. Plateam verò siue forum, pro præsenti vita intellige. Illud autem patiuntur Iudæi quod superiùs dictum est, eo quod permanserint contumaces in infirmitate vocis molentis, hoc est, legalis Literæ. Grauis enim lex est atque etiam debilis & infirma cùm iustificare neminem possit; sicut & Apostolus inquit: *Infirmitas enim Legis, in qua infirmata est propter carnem*; & quæ sequuntur. *Et consurget ad vocem passerculę vel auicula, & humiliabuntur omnes filiæ Cantici, & ab altitudine videbunt & stupore in via.* Hoc loco sapiens noster Ecclesiastes loquitur de extremo Iudicij die quando mortui consurgẽt in iussu & voce tubæ Archangeli. Iussu autem passeris, hoc est, verbi quod carneum Corpus assumpsit, qui propter solitariã suam in Cruce mansionem de seipso dixit per Prophetam Dauid; *Factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Tunc humiliabuntur filiæ Cantici; hoc est, animæ rationales mortalium hominum, quæ in delicijs & in voce Organi & cantus suauitate, musicisque instrumentis oblectatæ nimirùm fuerint. Aut animas intellige falsa docentium Magistrorum ac mendacium Prophetarum, quæ sonora volubilitate verborum quasi dulci quodam cantico, perniciosa voluptate occuparint aures & animam Auditorum. Sed & ipsæ Iudæorum animæ, quæ filiæ sunt Cantici Prophetarum; humiliabuntur, quoniam non audierunt canentes Prophetas & vocantes eas ad fidem Christi, sicut cecinit Esaias, *Cantabo dilecto canticum dilecti*; & quæ sunt generis eiusdem. Omnes itaque prædictæ peccatorum animæ, sed fortasse & iustorum animæ admirabuntur & obstupescent quando adducẽtur in viam Iudicij, & videbunt ex alto venientem in nubibus Filiũ hominis in gloria Patris sui, *Florebit amygdalus, & pinguescet locusta, & dissipatur capparis.* Cùm præsentem viam animo Salomon reputaret, in Cantico Cãticorum inquit, *Hyems transijt*; tristitiã vitæ huius ac turbulentiam denotans: Ver autem nominauit futuram in splendore gloriæ, vitam iustorum; sequitur enim, *Flores visi sunt in terra nostra.* Idem ergo nunc sibi in mentem venit, atque ait; quòd tunc in gloria resurrectionis *florebit amygdalus, pinguescet locusta, & aperietur capparis* (ita enim alius Interpres exposuit.) hæc autem omnia, Vere ipso proueniunt. Ait ergo, futuram vitam verno tempori esse maximè comparandam. Aliter: Qui agriculturæ sunt periti, aiunt antè cæteras arbores efflorere amygdalum, & reliquarum postrema folia exuere, vt videatur quodammodò frondibus virere perpetuis: Scimus autem nuces amygdalas triplices esse. Nam extrinsecùs viridẽ corticem ligneæ testæ siue duriori putamini impositum habent, cui nucleus quem comedimus. Talis verò est homo è corpore, anima, spiritúque compositus. Inquit ergo: Tunc florebunt Iusti sicut amygdali; habentes in vigore & gloria, corpus, animam & Spiritum. Aliter: Virga Aaron quam germinasse credimus, nuces protulit, gerens signum Saluatoris Domini Iesu Christi qui *Virga* fuit egressus *è radice Iesse*. Ait ergo quòd in futuro sæculo sacer florebit sermo, dignis auditoribus perfectã tribuens doctrinam. Iustis igitur in gaudio constitutis, *locusta pinguescet*, hoc est, peccatorum corpora depascetur Infernus, ita vt pinguescere videatur. Locusta enim hoc loco supplicium figurat & pœnam, quia & locustis Deus Ægyptios deuastauit. In hoc itaque statu rebus constitutis; florentibus (inquam) iustis, peccatoribus autem traditis ad æternum supplicium; *dissipatur capparis & euanescit*, quæ cùm amarorem quendam & salsedinem habeat, anxietatem figurat sollicitudinémque peccati. Ipsum verò peccatum, priuatio quædam cùm sit neque reuera subsistat; in nihilum redigetur atque cessabit cùm homines exacto iudicio, ampliùs in hoc Mũdo peccaturi non sint. *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Inquit Propheta Dauid; *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*; non perpetuam habitationem sed incolatum vocans præsentem vitam. Tunc ergo (inquit) commigrans homo è præsenti incolatu; in æternã suam domum; hoc est, futurum sæculum; perueniet. *Et circumierunt in foro plangentes.* Tunc & qui fuerunt in hac vita peccatores, plorabunt & se percutient. Forum verò siue platea, præsens dicitur vita, propter crebras rerum vices ac mutationes. *Antequàm euertatur funiculus argenteus.* Orationem conuertit ad Auditorem quem admonendum suscepit; atque: Cura adolescens vt pijs operibus tuáque probitate seuerum venturum Iudicem tibi placabilem reddas atque demulceas, antequàm per supremam Iudicis flammam deleantur huius Mundi diuitiæ, funiculúsque auaritiæ scindatur qui materiam præbet omnibus peccatis ad homines implicandos; *radix enim malorum omnium auaritia* perhibetur. Antequàm igitur excedas ab hac vita in qua viget dolosa pecunia & auaritiæ studium, dispone omnes operationes tuas vt securus Iudicij futuri egredi possis. *Et antequàm conteratur flos auri*; Florem auri, pulchritudinem intellige vel arcam repositoriúmue in quo aurum repositum asseruamus? Ait ergo: Antequàm preciosa Mundi huius supellex dispereat, accede ad virtutem. Aliter: Argentum plurimis in Scripturæ locis pro diuino sermone accipitur, aurum verò pro intellectu ac mente. Thecam verò auri, intelligimus nostrum cerebrum. Ita igitur verba hæc exponens: Antequàm transeat tibi doctrina sacræ Scripturæ, quæ instar triplicis funiculi ac flagelli malas nostras affectiones vitiáque depellit; dum potes cerebrum tuum purgare, donécque es in vita, multam tui rationem habeto. *Et antequàm conteratur hydria super fontem.* Hoc loco Ecclesiastes noster philosophatur de massa ac globo humani corporis. Ne quis enim putaret hoc corpus nostrum quod in morte resoluitur in nihilum, perpetuò abiturum esse, symbolicè nobis ostendit suam

Nubium vsus in futuro sæculo. — *Sancti, custodes Ecclesiæ.* — Rom. 11. d — Rom. 8. — Matth. 24. 1. Thes. 4. 1. Cor. 15. Psal. 10. — Isa. 5. — *Amygdala, & hominis comparatio.* — Nu. 17. a — Isa. 11. a — Exod. 10. — Psalm. 119. — 1. Tim. 6. — *Resurrectio.*

reparabilem perennitatem. Sicut enim hydria iuxta fontem attrita, aqua non perit nec euanescit sed in fontem suum reuertitur; rursúsque cùm quis voluerit, aquam poterit haurire de fonte: ita & corpus quod in elementa resoluitur; in fontem suum (terram videlicet ipsam) redit paratum iterum in membra componi quando Author ille voluerit qui ab initio illud plasmauit. Aliter: Aqua hydriæ, in fonte non perit, sed ad suam plenitudinem integritatémque accedit in fonte ipso existentem. *Quando* igitur *quod ex parte euacuatum fuerit*, iuxta Apostolum, *tunc veniet quod perfectum est*. Particularis itaque hæc nostra cognitio quæ nunc nobis inest, tunc perfectionem suam accipiens, erit velut aqua hydriæ ad plenitudinem fontis deueniens, fonti parte tunc addita qua fons priùs carebat. *Et antequā conuoluatur rota super lacum.* Alijs eandem sententiam verbis expressit. Conuolui enim rotam super lacum; est, rotam conuoluendo infringi ac decidere in lacum siue cisternam vnam cum aqua ipsa, quam figuli suo operi superinfundunt. Rotam enim hoc loco accipit cisternæ vel puteo appositam, qua figuli solent aquam exhaurire. Similiter autem hic quoque aquam intelligit in lacum deferri, sicut superiùs suum in fontem. Aliter: Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas reuolutiones ac motus, iuxta illud; *vox tonitrui tui in rota*: Inquit ergo: Antequàm rota huius vitæ nos secum præcipites deuoluat in lacum, propriam curemus salutem. Lacus verò pro Inferno accipitur iuxta quòd alibi dicitur: *Saluasti me de lacu inferiori, & à descendentibus in lacum. Et antequā reuertatur puluis in terram sicut erat.* Corpus namque nostrum in affine sibi elementum terram soluitur, iuxta illud; *Terra es, & in terram reuerteris. Et spiritus reuertatur ad Deum qui dedit illum.* Spiritus si cum animæ vocabulo coniunctus legatur, potiorem animi vim; hoc est, intellectum mentémque significat: Sin verò ita simpliciter & absolutè positum inuenias sine vlla mentione animæ, sicut hoc loco ponitur; pro anima ipsa positus intelligitur. Inquit ergo: Cùm in terram Corpus resoluitur; anima reuertitur ad Deum, redditura rationem rerum quas gessit in vita, Creatori suo. Neque enim de terra plasmata est anima nostra rationalis, sed talis existit qualem solus ille nouit qui eam creauit: Nostróque huic terreno corpori colligatur, sicut etiam & à corpore educitur cùm illi soli placuerit qui eam corpori colligatur. *Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, omnia vanitas; & amplius, quod fuerit ipse Ecclesiastes sapiens, & docuerit hominem scientiam. Et auris inuestigabit elegantiam parabolarum.* Repetit hoc loco quem superiùs persæpè vsurpauit sermonem, asseritque omnia quæcunque sunt in Mundo vanitatem esse; se verò ipsum, nonnihil ampliùs quam cæteros homines accepisse; hoc est, egregiæ ac singularis sapientiæ propriam possessionem: sola námque sapientia soliùs est sapientis possessio. Ait præterea se hanc sapientiæ possessionem sine inuidia cæteris communicasse hominibus; tam videlicet ea tradentem quæ ad sensibilium rerum spectant cognitionem, quàm ea quæ à materia seiuncta intellectu solo percipiuntur. Tum subinfert, quòd qui purgatā habuerit aurem, qualem, videlicet ille qui dicit; *Apposuit mihi aurem vt audirem*; poterit facilè inuestigare elegantias scientiarum quæ in Prouerbijs continentur. Aut aliter ita intellige: Qui habuerit elegantem aurem ornatam in auribus verbi diuini, qualem habuit Rebecca quæ accepit inaures à puero seu seruo Abraham; hic poterit audire atque percipere quæ parabolicè traduntur. *Multùm quæsiuit Ecclesiastes vt inueniret sermones voluntatis, & scriptos rectitudinis sermones veritatis. Verba sapientum sicut stimuli boum, & sicut claui igniti, quæ ex constitutionibus tradita sunt à pastore vno, & superfluum ex ipsis. Sermones voluntatis*, intelligit sermones conformes voluntati diuinæ, quos quisque sequutus homo fuerit, percipiet gloriam vitæ ac fœlicitatis æternæ. Vel sermones intelligit mysteria continentes, de quibus ait Saluator in Psalmis Dauid; *Vt facerem voluntatem tuam Deum meus volui*: Voluntas autem fuit Patris, vt vnigenitus Filius eius humanam carnem assumeret. Voluntatis itaque diuinæ sermones, ipsiúsque sapientiæ quæ & rectitudo & veritas iure optimo nuncupatur, quæsiui (inquit noster Ecclesiastes) ex ijs monumentis quæ scripta Prophetæ nobis reliquerunt. Neque enim satis est tantummodò voluisse, nisi & multo quoque studio perquiramus. *Qui* enim *quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Hæc igitur cùm quæsisset Ecclesiastes, cognouit quòd verba Prophetarum piéque de Deo sentientium Patrum, sunt per-similia stimulis boum. Sicut enim stimuli, boues pungunt vrgéntque aratro sulcum proscindere, ita & Theologorum verba excitant nos qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem; vt cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis sureulos conseramus. Similia quoque sunt clauis ignitis atque candentibus qui altiùs ac faciliùs lignis infiguntur: ita enim & sapientum verba Theologorum, in penitissimos sinus intellectus nostri altiùs figūtur. Hæc autem verba *tradita sunt* nobis *ex constitutionibus*: alia verò exemplaria habent; *e compositionibus*. Constitutiones autē siue cōpositiones, intelligi opera Dei quæ admirabili ac supremo ordine & harmonia disposita & constituta sunt: ex quibus proportione quadam ac similitudine ducimur in aliquam Dei opificis cognitionem. Poteris & constitutiones hoc loco accipere, pacta vtriúsque Testamenti; Veteris scilicet ac Noui. Vnde autem cognitio data est nobis vt & sensibilia specularemur & intelligeremus quæ intellectualia sunt; Ex *vno* nempè *pastore*. Quo autem? qui scilicet & in cœlis & in terra rationales pascit creaturas; qui & dixit; *Ego sum pastor bonus*. Sequitur autem, *Et superfluum ex ipsis.* Quodnam superfluum ex harum scilicet rerum cognitione? Ampla enim & permagnifica cognoscimus; vtputa, quòd hæreditas nostra, vita æterna futura est: quòd bonus ille Pastor dignatus est noster fieri magister; & (quod denique in suprema fœlicitate locandum est) quòd qui digni habiti sumus imperfecta hac cognitione quæ est ex parte dū viuimus, ad perfectum deinde in futuro sæculo venicmus, puri pariter à sancta consubstantiali Trinitate illustrandi. *Fili, caue tibi à faciendis multis libris, quoniam non est finis, & meditatio multa, carnis labor.* Multi libri multique sermones qui non tendunt ad vnum eundémque propositum finem, conturbant animam legentis atque cōfundunt. Quotiescúnque verò de vera religione sermonem quis faciat, tametsi in longum spacium temporis illum protrahat (sicut Apostolus fecit, qui in schola, trinoctium de mysterijs Christi perdocuit) is neque tunc multa dicit neque molestus est & importunus, immò verò potiùs auditores satiare non potest. Talia etiam sunt sanctæ Scripturæ volumina quæ multis conscripta versibus, multa tamen nequaquam dicuntur, sed Lex Domini nuncupantur; quandoquidem vnus in vtroque Testamēto Legis est lator, librique omnes sanctæ Scripturæ in eundem finem scopúmque feruntur; sicut & nos Dominus docuit, qui verè magnus est Ecclesiastes, Patrísque sapientia, his maximè verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Proximum tuum sicut teipsum, in his enim duobus Mandatis, tota Lex & Prophetæ pendent.* Vides ne igitur vt in sermone vno & verbo abbreuiato, multiloqui Libri & argumento si comprehendantur, neque ideò multi sint? Quæ sunt itáque volumina quæ nos dehortatur componere Ecclesiastes? Nēpè Gentilium volumina & monumenta; qui scilicet alterius euertunt & impugnant sententias, sempérque inter sese grauissimum bellum gerunt. Nec non absterret nos ab hæreticorum libris inuicem dissidentium, recentibúsque Iudæorum voluminibus ac secundarijs quæ infinita propè sunt, fabulisque conferta. Dum enim scripturas nouit quibusdam figuris interpretari student, in ridiculas fallas & genealogias conuersi sunt traditionésque ædiderunt à sententia Scriptoris longissimè aberrantes. Multa itaque meditatio quæ in huiusmodi confi-

Marginalia: 1. Cor. 13. c — Vita humana rota similis. — Psal. 76. — Psal. 87. a — Psal. 29. a — Gen. 3. — Gen. 24. — Psal. 39. — Luc. 11. — Ioh. 10. — Trinitas consubstantialis. — Act. 20. — Matt. 5. 19. & 22. — Marc. 12. — Luc. 10. — Hæreticorum Libri inuicem dissident.

conficiendis libris adhibetur, solùm affert laborem carnis affligit corpus sine vlla vtilitate ac fructu. Meditatio verò quam intendimus circa diuinos Libros, in qua nos versari die noctúque sanctus Dauid hortatur, cum
Psal. 1. dicit; *Et in Lege eius meditabitur die ac nocte*; non labor est carnis, sed exultatio spiritus. Quamuis enim in sudore,
Psalm. 125. & *lachrymis* seminemus laborantes circa honestum, *in exultatione* tamen metemus inclytum virtutis fructum:
Sap. 3. d *bonorum* siquidem *laborum gloriosus est fructus*. Aduertendum est autem quòd Filium suum vocat Ecclesiastes, quem admonendum suscepit: cauendum est igitur nobis, vt omni studio paternam hanc dignationem seruemus; quod profectò faciemus si paterna mandata non transgrediamur. Quod verò ait, *non est finis*; intellige sine fine versari circa res vanas: vel quòd res vanæ, propositum finem fructúmque illum non habent quem consequi possimus, illas persequentes: vel quòd infinita laborum est multitudo, qui per Orbem terrarum circumferuntur: *Audi supremum finem sermonis: Deum time, & mandata eius obserua, quoniam hoc est omnis homo. Omne opus adducet Deus in iudicium, in omni quod omissum fuerit siue bonum siue malum*.
Timor seruilis introducit nos in virtutis viam. Ego, inquit, tibi compendiosam & breuissimam salutis viam ostendo; *Deum time, & mandata eius obserua*. Timorem verò intellige; non qui est valde imperfectorum quasique seruilis; quo incipientes ac timidi introducuntur in virtutis ac pietatis viam (Hic namque propter imminentes minas formidatáque supplicia, perturbatione non caret) sed intellige timorem Domini sanctum & sanctificantem, quem debemus ex charitate pióque affectu erga illum qui Leges tulit mandatáque seruari sua instituit. Si enim carnem à fornicatione compescamus supplicij metu non charitate iubētis, quis dubitet quin sublato iudicij pœnarúmque terrore, in fœdas libidines prolapsuri simus, cùm stupri desiderium in pectore habeamus? Quod & de cæteris flagitijs quæ Lege nobis prohibentur intelligendum est. Si verò non minarum metu atque supplicij, sed odio vitiorum peccare nolumus; tunc charitate prosequentes Latorē legis, mandata eius seruamus & cauemus seduli ne defluamus. Sancto enim timori adiūcta est operatio, sicut & qui operatur, idem etiā timet ne quod præceptū contēnat atque posthabeat. Timor hic itaq; sanctus cū ab honestate proficiscatur, nostras sanctificat animas & charitati æquipollet. Qui verò timorem hunc habet & mandata Dei custodit, hic est sapiens omnis homo; hoc est, integer & vndecúnque perfectus. Hæc itaque (inquit) securus operare, certus quòd omne opus humanum à Liberi arbitrij facultate profectū adducet Deus in iudicium, rationem à nobis exigens eorum quæ gesserimus in vita, quæque etiam facere omiserimus, siue illa bona sint, siue etiam mala. Omittuntur autem persæpè multa, sedulò ac volentibus nobis; multáque rursus nobis inuitis. Nam si cùm possim bene quid facere, illud tamen sciens bonum esse omitto atque posthabeo; hæc voluntaria est omissio. Si verò per ignorantiam boni, omisi operari bonum quod poteram; hæc ipsa omissio præter voluntatem contingit. Accidit autem vt inuiti quandóque bonum operemur; persæpè verò, scientes atque consultò: rursúsque contraria ratione malum persæpe aggredimur conscij quid patremus, nostrámque conscientiam contemnentes; hoc sanè ipsum voluntarium est peccatum. Quandoque verò per ignorantiam patramus aliquid quod Lege diuina prohibetur ne fiat; quod sanè peccatum, præter nostram voluntatem cōtigisse putandum est. De huiusmodi verò peccatis & beatus Dauid orabat dicens; *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine*: hoc est, quæ per ignorantiam peccaui cùm mala esse nescirem. Nos autem benè iam per Ecclesiasten edocti, timeamus Deum & illius mandata custodiamus omni nostra contentione ac studio, summa enim salutis nostræ in misericordijs Domini, ac benignitate Iudicis reposita est: cum quo, & per quem, Deo Patri est gloria, sanctóque Spiritui, & nunc & in sæcula sæculorum, Amen.

Timor sanctus.

Omissio duplex.

Psal. 18.



PHILONIS EPISCOPI CARPATHII IN CANTICVM CANTICORVM INTERPRETATIO, AD EVSTATHIVM Presbyterum & Eusebium Diaconum, Stephano Salutato Piscience Interprete.

DE PHILONE CARPATHIORVM EPISCOPO, EX MAGNI EPIPHANII, CONSTANTIÆ CYPRI, EPISCOPI VITA descripta per Polybium.

QVI missi fuerant ab Imperatoribus (Honorium & Arcadium dicit) vrgebant Epiphanium vt nauigaret Romam. Erat autem quidam ex Orationibus clericus Philo nomine, vir sanctus. Opus autem erat in Ciuitate Carpathij in sede collocare Episcopum erátque is Diaconus. Hunc ergo ex Dei reuelatione Episcopum ordinat Epiphanius in sede Ciuitatis & Ecclesia Carpathij. Cum ergo Romam profecturus esset Epiphanius accersit priùs dictum Philonem, Episcopum, dátque ei authoritatem Ecclesia Constantia vt si fuerit opus clericus, ipse ordinaret, &c.

EX STEPHANI SALVTATI EPISTOLA DEDICATORIA AD NICOLAVM BARGILESIVM PRESBYTERVM BONONIENSEM.

NON vnus mihi Philo, sed plures fuisse videntur qui hosce commentarios in Canticum Canticorum confecerint; nam quod Philonis nomine circumfertur apud Græcos, breue admodùm Opusculum est. Sed sunt qui velint ab Eustathio quoque & Eusebio (quorum rogatu, Philo ipse Commentarium hunc confecerat) interpretatum esse, vnúmque ex tribus esse coniunctum. Quod an ita sit, haud temerè ausim affirmare. Nam de Philone testis est Suidas hisce verbis: Φίλων Καρπάθιος ἔγραψεν ὑπόμνημα εἰς ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων. *Cæterum cum multa occurrant in hoc Philonis opere, quæ totidem fermè verbis posita inueniuntur in commentario in Cantica S. Gregorij Magni, suspicantur viri eruditi ab aliquibus opere Philonij inserta; nam nec cum reliquo contextu nimis cohærent: Consule sacrum Apparatum Posseuini.*

PHILONIS EPISCOPI CARPATHII IN CANTICVM CANTICORVM INTERPRETATIO, AD EVSTATHIVM PRESBYTERVM & Eusebium Diaconum, Stephano Salutato Piscience, Interprete.

QVEMADMODVM calcaribus eques
ad cursum impellit equum, velocémque A
reddit, rectà & iter cogit: sic tenuis mens
nostra ad scribēdi cursum, duorum præ-
stantissimorum hominum desiderio vo-
luntatéque vrgetur: quorum alter Dia-
conus, alter verò Presbyter, ad interpretandum Canti-
cum Canticorum spiritali nos amore compellūt. Quòd
etsi difficillimum opus esse intelligo, nostrisque viribus
longè impar (Quis enim tam profunda mysteria satis
fœliciter audeat?) haud tamē rectè tam honesto & tam
sancto desiderio id negari posse video: quod diminu-
tioni amoris potiùs quàm ingenij imbecillitati adscribi
posset. Quare vtrumque vestrum hortor, non modo
nos impellere & vrgere ad interpretationis cursum; ve-
rùm etiam precibus à Deo optimo maximo nostræ mē-
tis rectitudinem deprecari: vt rectà gradientes, nullam
in partem declinemus: sicque salutarem orationis fru-
1.Tim.3.a ctum nostri laboris capientes, *irreprehensibiles* secundùm B
Apostolum euadamus: vtique solum Dominum ascen-
sorem admittentes, ad vrbem beatorū & immortalium
nos quoque peruenire possimus: non quòd ita per nos
Psalm.1. sanè mereamur, sed vt vni Deo bona omnia accepta re-
ferentes, ad proposita præmia conuolemus. Quæ qui-
dem is facilè adipisci poterit, qui abiecta omni rerum
humanarum cupiditate, soli ipsi Deo mētem & animum
consecrarit: temperantiæque virtute, fortitudinis, at-
que iustitiæ seipsum illustrans & prudentiæ nihil aliud
quam cœlestia meditabitur. His enim virtutibus muni-
tus animus atque vallatus, iam Canticum siue Cantica
Canticorum, sacratissima mysteria penetrare potest.
Nam qualia ipsa & quanta sint, ipsa inscriptio apertissi-
mè declarat. Non enim simpliciter Cātica appellantur:
sed Cantica Canticorum, cœlesti quodam titulo inscri-
buntur, vt hæc audiens studiosus lector, *Sancta Sancto-* Exod. 26.
rum, hæc esse dijudicet: non enim Cantica Canticorum Leu. 16.a
modo, verum etiam & Sancta Sanctorum, & *sabbata
Sabbatorum* habemus. Nam vt olim Sancta Sanctorum
maiora quædam cæteris & sacratiora mysteria, occultū
quendam honorem præ se ferebant: hæc enim soli sum-
mo Sacerdoti semel in anno ingredi licebat: sic & Can-
tica Canticorum spiritalem & profundissimum ex om-
nibus sacramentis, abditissimúmque sensum totius sa-
cræ paginæ continere videntur: & vt Sabbata Sabbato-
rum, maiorem quietem futuræ fœlicitatis atque bono-
rum, quàm quæ ex præsentibus bonis esse potest, mysti-
cè declarant (Sabbata enim Sabbatorum, trāquillitatem
ac pacem futuri sæculi peruenientibus ostentant ac tra-
dunt, illícque parata laborum præmia vberrimè effun-
dunt) ita & hæc ipsa Cantica Canticorum & mentes
honestissimas hîc sanctissimè pascunt, & ad ea lautissima
conuiuia mirabiliter nos ire docent; quibus, ijs solis li-
cet accumbere qui se hîc dum vixere, ab omni labe de-
lictorum atque scelerum deterserunt. Quare vt illa
Sabbata Sabbatorum longè maiora his præsentibus
existunt: ita & hæc Cantica Canticorum ad maiorem
quandam atque penitiorem spiritalem intelligentiam
præ cæteris sacris Scripturis omnibus interpretantes ac-
cessuros admonent. Nam cùm multa alia Cantica in
sacris literis legantur; vt illud Moscos, *Cantemus Domino* Exod. 15.a
gloriosè, &c. & alia multa quæ in Lege veteri inuenire li-
cet: Nam & Isaiæ illud, *Cantabo Domino dilecto Canti-* Isa. 5. a.
cum dilecti vineæ meæ: Et illud Annæ; *Firmatum est cor meum* 1 Reg. 2.
in Domino: Et quæcunque alia leguntur in Psalmis, *Can-* Psal. 149.
tate Do-

tate Domino Canticum nouum; & cætera eiuſdem generis: Nulla tamen, Cantica Canticorum, titulo prænotantur; A vt Sancta Sanctorum, & Sabbata Sabbatorum; quò legentibus profuodiotem myſterij ſenſum quendam in his ſcrutaodum eſſe daretur intelligi. Nam neque hæc Cantica Canticorum ita præſcripta ſunt, vt à Solomone facta, ſed quæ caſu poſſidendi, Solomonis eſſe dicantur. Is enim Solomō, vti noſtis, pacificus interpretatur; propterea quòd omni viro Christiano eidémque pacifico atque tranquillo, nullo prorſus vitio perturbato, hęc

Cantica Canticorum non niſi perfectis legenda.

Caotica Canticorum ſcripta eſſe tradantur: Non enim carnis illecebris atque corporis voluptate diſtentis, hæc cummoda eſſe poſſunt. Nam niſi quis ſemet, animum, mentem, cogitationémque ſuam omnem à carnis deſiderij abduxerit; is ſe ab his Canticis Canticorum, & Sanctis Sanctorum, & Sabbatis Sabbatorum longiſſimè abeſſe intelligat. B Contrà verò quicunque carois omni occaſiooe præciſa, remotiſque atque depulſis illecebris voluptatum, mente trãquilla, corpore caſtus & animo, temperantiæque viribus vallatus erit; is hæc Cantica Canticorum intrepidè adire poteſt. Huic enim nihil terreni ſapient, nihil carnale; ſed omnia ſpiritali intelligentia referta planèque pacifica: *pax enim diligentibus legem tuam, nec eſt illis ſcandalum.*

Psalm. 118.

Cæterùm vt in magnis ædibus ſunt veſtibula & atria, porticus atque triclinia, laqoearia quoque ſplēdidiſſima: interiùs verò promptuaria, & quæ cubilia appellantur, io quibus ſponſæ cum ſponſis requieſcunt, ſique ſibi inuicem ſecretiora communicant: ita & in his Canticis Canticorum cœleſtis ſponſus Chriſtus, Deus pariter & homo, altiſſima quæque ſecreta & profundiſſima myſteria ſuę fidei, C propriç ſponſæ (Eccleſiæ ſcilicet, & fideli cuique animæ) communicat ac profert: ipſa verò vt fidelis id fieri benegniſſimè deprecatur. Ait enim: *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Cant. 1.

Tanquam à Paranympho edocta, vt ita dicant, à Sponſo cœleſti miſſo ad ſponſam, cui formam & decorem ipſius Sponſi declarat ac enarrat: ſic exorditur fidelis anima ſeu ſponſa ipſa ſanctiſſima Eccleſia, diuini ipſius ſponſi pulchritudinis amore capta: mira enim ſponſus & incomparabili formoſitate præſtat. Nam & Eſaias eundem demonſtrans ait; *Hic formoſus in ſtola ſua*: Et illud, *Speciosus forma præ filijs hominum*: Sic & Solomon de eodem allegoricè; *Amicus fidelis, protectio* valentiſſima: Et idem; *Amicus fidelis, vita medicamentum*: Et *Amico fideli non eſt comparatio.* D Dauid quoque cum eadem loquitur, dicens, *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui*; Et, *concupiſcet rex decorem ſpeciem tuam quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Et Eſaias alibi, huius legitimum atque ſanctiſſimum connubium laudans, eidem loquitur, dicens; *Quomodò lætatur ſponſus in ſponſa, ſic lætabitur in te Dominus.*

Iſ. 63. a

Pſalm. 44. a

Eccl. 6. b

Iſa. 62. b

His igitur & alijs quàm plurimis per totam ſacram Scripturam vaticinijs, ſalutis admoonita ſponſa & cœleſtem pulchritudinem ſponſi edocta exclamat ac dicit; *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Tu verò quicunque hæc audis aut legis, ſpiritalia hæc omnia eſſe cogita. Sunt enim Spiritus ſancti oſcula puriſſima, caſtiſſima, ſanctiſſima, planéque diuina, ſeptem gratiarũ dona atque cœleſtia: nihil carnale prorſus, nihil corruptibile, nihil turpe, nihil obſcœnum, ſed honeſtiſſima omnia eſſe ducito. E Ne mens grauata crimine, aut aliquid voluptuosè cogitans, inde letale vulnus accipiat, vnde ſalutarem medicinam & animi refectionem capere potuiſſet. Spiritale nãque oſculũ cuncta carnis oſcula tam longiſſimè præſtat ac ſuperat, quã lux tenebras, quàm vita mortem; quàm ſempiterna, peritura: vt enim corpus animale eſt, ita & ſpiritale; vtque carnis oſculum, ſic & ſpiritus: ſed illud terrenum & corruptibile, hoc verò cœleſte totum atque diuinum.

Oſculum ſpiritale.

Quare terrena beneuolentia omnis & amicitia, partim turpis partim honeſta eſt: Honeſta, quæ ex legitimo matrimonio naſcitur, liberorum cauſa: Turpis, quæ à fornicatione & luxu omni, illegitimáque voluptate manat. In hac miſeri verſantur omnes, qui non ſuis legitimis vxoribus contenti, alijs turpiſſimè miſcentur: venerabile coniugium aſpernaotur ac honum: bonum enim ex bonis nuptijs omnino. Sed plerique aut adulterij, aut inceſtus, aut pellicatus ſcelere, alijſue prohibitis luxuriæ fœtoribus deturpantur. Horum omnium perniciosiſſima eſt amicitia atque teterrima: hi enim letalis œſtro voluptatis capti, ſibimet crudeliſſimi fiunt inimici, omniſque talis amor & amicitia in ſempiternas ipſis vertetur inimicitias, odiúmque peſtiferum: quandoquidem occultorum omnium bonorum atque malorum inſpector eſt Deus, eorundémque iuſtiſſimus remunerator atque correctot. Is enim vnicuique hominum prout ſe geſſit in vita hac mortali & peritura, iuſtiſſimè rependet: bonis quidem bona quàm vberrimè donans, malis verò mala, quàm grauiſsimè reddens.

Turpis amicitia, in ſempiternas inimicitias vertetur.

Quare dum licet vnuſquiſq; ſe à vitijs detergat ac purget; B virtutibus illuſtret, ad bene beatéque agendum ſeſe erigat, accendat, informet, & ſoli Deo placere ſtudeat. Nam quæ cœlitus nobis eſt amicitia ac charitas: hæc ſancta & immaculata ſēpiternas dulcedines & immortales habet planéque ſynceras, nec vllo temporis puncto defuturas, ſed maiori quodam cumulo ſeſe in dies, augentes; infinitas odorũ ſuauitates, aſpirãtes; & ineffabiles glorias ac laudes, præ ſe ferentes; honores æquales angelis, tribuētes, & quòd omnes omnium voluptates habet & longiſsimè cuncta exuperat, per hanc demnm Dominum Deum noſtrum amantiſsimum certè noſtri, viſuri ſumus. Hæc igitur nũquàm ſatis laudata charitas ooninum adit intrepida, eidémque nos cooiliat ac copulat: indéque oobis quicquid iuſtitiæ habemus atque fiduciæ, elargitur ac defert: C nóſque hîc pariter & in cœlis honorabiles reddit & glorioſos. Audiſtis oſculorum differentiam, audiſtis diſcrepantiam, audiſtis quàm inter ſeſe diſsimilia ſint atque diſtantia: cognoſcite nunc reliqua. Eia age ſponſa beatiſsima edilſcere occulta, fuge noxia, apprehende ſalutaria. *Oſculetur me oſculo oris ſui*: hoc eſt, Filius oſculetur. Neque enim volo, inquit, à Prophetis exoſculari ampliùs, non à Patriarchis: ſed ipſe iam proximè accedat, & *oſculetur me oſculo oris ſui*: Filius, inquam, ſuperoæ intelligentiæ oculus ac Verbum: non enim carnale eſt, qnòd prædictum; ſed ſpiritale vaticinium à Prophetis legimus. Non vult per os ſolùm Prophetarum erudiri atque doceri; ſed ipſemet, inquit, appropinquet: iámque me Filius ipſe inſtruat. Magnus enim olim fuit morbus meus ac langor, (clamat Eccleſia, vocat & Spooſa) D non vili egeo curatore; ſed magnis mihi medicamentis opus eſt omnino: cœleſtem medicum voco, huius neceſſariò indigeo, ſine hoc vno pereo, ab huius ſola curatione conualeo, ab hoc verò mihi medicina ſalutaris ac certa. Maximum hũc ergo medicũ planéque perfectum quærito, intollerabiles me tenebrę offuderunt, nō iam caligo, nō excutio, non offendo: ſed diu miſera cæcitate premor, denſáque caligine circũfundor ac grauor. Veniat igitur hoc lumen: lucerna enim lex & Prophetæ: vnde illud, *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis meis*: ſed illa me illuminare nequeunt, niſi mihi, quòd perfectum lumen eſt, illuxerit.

Pſal. 118.

Illud ergo ſydus ſplendoris immenſi, illud fulgentiſsimum mihi cæcitatem depellet omnem, tenebrarúmque caliginem, & viam commōſtrabit, qua reuertar in patriam: E hoc Legem præſtat: hoc Prophetas excellit. In ipſo deoſculari vnigenito deprecatur Eccleſia rogat & ſponſa cœleſtis & anima fidelis. Os enim Dei Patris eſt Filius; propterea cùm Deus & ipſe ſit æqualis natura patri, verbũ appellatur: quoniam quæcunque vult Pater, per Filium loquitur, creat, conditque ſimul ac ſeruat vnà cum diuino illo Spiritu qui à Patre Filióque procedit.

Filius Dei eſt os Patris.

Spiritus ſanctus à Patre & filio procedit.

Sed cur oſculari velit, aperit cum dicit: *Quoniam meliora vbera tua ſuper vinũ.* Duo vbera, duo Teſtamenta intellige, à quibus lactentur Eccleſiæ filij, lingua atque mente, corde & ore: ex ijs enim verba veritatis exuguntur, quæ ad vitam perfectam ætatémque augētur. Horum potio ſuper vinum & liquores omnes: nō enim ex terra ſcaturit ac legitur, ſed è cœlo deriuatur

Deut. 32. a

& fluit. Ait enim; *Expectetur vt pluuia eloquium meum, & descendant vt ros verba mea*: hæc potio illis salutaris inest, qui diuinis rebus intenti, ita mente ac lingua sacras Literas sugunt; vtque in ventrē, sic & in cor exucta coniiciunt; indéque dolorificas pœnitentias salutares peccatorum medicinas assumunt. Vt enim duo vbera duæque mammæ hinc inde pectori affixæ, cor ambiunt: ita & duo Testamenta ex Spiritu sancto spiritalem nobis potionem diuini lactis instar effundunt, nósque super delectationes omnes humanas sanctissimè lætificant atque tuentur. Non enim hæc nos, vti vina dissoluunt (ait enim Propheta, ἐκκλησία: id est, multitudo potantium tanquàm tenebris obducta corruit) sed exultatione potant, ac replent, fidéque firmant ne tuamus in terram, sed immobili rectitudine consistamus, ad Deum: quemadmodùm Hieremias in excessu mentis ob nimiam diuini eloquij lætitiam raptus, ait; *facti sunt veluti homo conturbatus, & qui occupatur à vino, à facie Domini & à facie decoris gloriæ eius*: Quare prosequitur enarrare sui desiderij causam. *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Ad exhortationem Ecclesiç arbitror Spiritū Sanctum talia suauissima odoramenta Domino accepta dicere, vt nos eiusmodi diuini odoris suauitate capti, quæque grauissimè spirantia peccatorum scelera omnésque malos odores omnium delictorum quā diligentissimè & quàm celerrimè deuitemus, respuamus, abominemur: suauitatem verò odoris Iesu Christi, iustitiæ, clementiæ, humilitatis nobis ipsis ac cæteris hauriamus: tunc enim, *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, rectè dicet Ecclesia, clamabit & sponsa. Hoc vnguentum suauiter à Sanctis diuina cum dignitate à sacris literis deliquatum esse cognouimus. Nec enim quid sibi velit hoc vos latere arbitror, tāta doctrina & sanctitate viros: Scitis enim in sacris eloquijs Reges oleo ad regnandum inungi, simúlque & veteris Testamenti Sacerdotes vnguento sacro perunctos sacerdotium inire consueuisse: Quare & Reges & Sacerdotes secundùm Legem vnguento perungebantur, vt quanta iam esset imperij atque sacerdotij dignitas, apertissimè pateret: quemadmodùm Daniel ait, *Exuscitabit Deus cæli, regnum quod superabit omnia regna terræ.* Et illud; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* *Odor igitur vnguentorum super omnia aromata*, vnguentum suaue spirans; qualis in se est talem effundit odorem. Christus ergo in cœlo, & in terra, ac Mari omnia continens, regnum suum & imperium omnibus & vbique bene sanctéque olentibus suauissimè inspirat: séque lucidè vel hic & apertissimè per sacras Literas occultáque mysteria & aperta mentibus humanis aperit: docet enim nos per sacram paginam; noménque suum quale sit & quantum, declarat cùm dicit, *Vnguentum effusum nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te post te.* Dicens autem diuina Scriptura, *Vnguentum effusum nomen tuum*, Christum Iesum appellat humanitate vestitum. Dum enim *vnguentum effusum* vocat nomen Iesu Christi, immensam ipsius misericordiam atque pietatem erga nos ostendit. Tunc enim verè effusum, cùm sese nostra mortalitate contexit vt nos sua immortalitate donaret: tunc sese totum nobis per viscera sua pietatis effudit, cùm pro nobis mori vel crudelissimè non recusauit: sua enim sponte se pro salute nostra deuouit, per se oblata est sanctissima hostia, innocentissima victima, immaculatissimus agnus, sacratissimum holocaustum in ara Crucis salutiferæ vitæ nostræ, vt nos à sempiterna morte redimeret. Hoc est *nomen* illud *effusum*, summa charitas, ardentissimus amor Creatoris ad creaturam: mortalis veneràt, vt nos redderet immortales; passus est aliquando qui semper est impatibilis, ne nos semper pateremur, mortuus est semel ne nos in perpetuum moreremur; descendit ad ima vt nos tolleret ad superna, *exinanitus est* Dominus, vt excellentissimè dominaretur & seruus. Quale fuit quæso, & quantum est hoc nomen suauissimum? mellifluum planéque cœleste & salutare, lætare mater Ecclesia; tanti nominis

Pœnitentiæ salutares sunt peccatorum medicinæ. — *Hier. 23. b* — *Dan. 2. g* — *Psalm. 109.* — *Phil. 2.*

A támque salutaris suauitate, referta. Exulta sponsa diuinissimo hoc vnguento perfusa; erumpe in gratiarum actiones. Age iam diues & clama; *Vnguentum effusum nomen tuum* dilecte mi, vnguentum effusum nomen tuum clementissime mi. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Cùm igitur dicit; *Vnguentum effusum nomen tuum*, Duobus modis potest intelligi. Nam vt ex effuso vnguento tota domus bene redolet: sic & Dominus noster Iesus Christus cùm ad nos descendit, vimque suam & potestatem Apostolis tradidit; totus Mundus pietatem sanctissimè imbuit; quemadmodùm vnus ex ijs Paulus Apostolus exclamat dicens: *Christi bonus odor sumus*; saluandis quidem ad salutem; perdendis verò ad damnationem: Illis ex morte in mortem, his verò ex vita ad vitam. Ergo idem odor alijs mortem, alijs salutem

B & vitam affert: mortem certè persequentibus. Apostolos ipsos attulit, affértque quotidie quicunque bonos iniustè vexant ac torquent, vitam verò atque salutē præbuit, credentibus ipsis, piéque & iustè & castè viuentibus in domino. Ecce vnguentum effusum in idipsum, cum & Maria Magdalena sancta Ecclesia & anima peccatrix contrito alabastro vnguenti Dominum nostrum Iesum Christum ex intimi cordis amore perunxit. Vnde & illud *Vnguentum* sic *effusum* nomen habuit, vt dominus dixerit; *Amen dico vobis vbicūque prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo prædicabitur, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius*: & his duobus modis arbitror exponi posse hunc locum, vbi sacra Scriptura dicit; *Vnguētum effusum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te*

C *nimis*. Nam postquā Deus noster in carne apparuit, suæque diuinitatis odorem hominibus impartiuit: cœperūt tunc animæ iustorum nomē ipsum effusum in cordibus sentire, ipsúmque vehementer amare. Neque censendum est nunc solùm adolescentulas fœminas, hic à diuina Scriptura significari: sed & inter mulieres, adolescētulas inueniri: non quidem corpore; nam corpus nihil ad salutem (*Caro enim occidit spiritus autem viuificat*) sed fide adolescentulas adhuc esse. Vide adolescentulam illam, quæ quidem corpore erat imbecillior (Sanguinis enim fluxum patiebatur) sed animæ fide valētior ac fortior: Quæ cùm extrema vestimentorum Iesu tetigit, sanguinis profluuium sistit, non vi corporis sed animæ fidelis virtute ac robore: Non enim corpore iuuencula, sed

D nouello admodum adhuc fidei cogitatu suæ infirmitatis morbo finem imposuit. Hæc adolescentula traxit ipsum à tergo tangens, vt & in illa impleretur, quod scriptum est.

Propterea adolescentulæ dilexerunt te, atque traxerunt te post te. Et altera rursus adolescentula à tergo inclamabat Iesum, nomine Chananæa, genere verò Syrophœnissa, Adolescentula quidem fide: at Discipuli dicebant: *Dimitte eam Domine, quoniam post nos acclamat.* Et ipsa ergo Iesum à tergo traxit, ad quam quidem ille ait; *Non est bonum eripere panem filijs, & illum dare catulis*: Cui adolescentula adhuc fide, innouata tamen diuino spiritu ac fide; *Vtique domine* respondit, *Etenim & catelli pascuntur micis quæ decidunt de mensa sui domini.* Contemplate nunc adolescentiam fidei, vimque humilitatis inspe-

E cta; quæ ita dominum nostrum Iesum Christum traxit à tergo, vt illius omnino misereretur. Hæ duæ adolescentulæ, altera profluuio sanguinis affecta, Syrophœnissa altera: hæc quidem immunda secundùm Legem, vt mundaretur omnino: illa verò alienigena, vt sui morbi dolorem sedaret atque languorem. Ambæ igitur Iesum à tergo traxerunt hæ duæ adolescentulæ, ipsius vim atque potestatem supplices deprecantes, & ex fidei robore infirmo quoque corpori remedia salutaria ab eodem pietatis fonte hauserunt: ita, vt per ipsatum iam firmissimam fidem propriè & de illis clamet Apostolus; *Cum infirmor, tunc fortis & firmus sum.* Corporis enim imbecillitas vim fidei declarauit. *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.* Non solùm curatæ intel-

lectu

Psalm. 115. — *2. Cor. 2. d* — *Matt. 24. a* — *Ioan. 12. a* — *Matt. 26. a* — *Ioan. 6. d* — *2. Cor. 3. d* — *Matt. 9. c* — *Marc. 5. c* — *Luc. 8. f* — *Matt. 15. e* — *Marc. 7. c. d* — *2. Cor. 12. d*

lectu fidei mulieres, verumetiam & notæ adolescentulæ atque maiores quàm suprà dictæ, longéque fortiores quàm quæ sanaræ sunt corpore, Animæ sanctorum Martyrum possunt intelligi, quæ quidem valentissimæ contra iniquitates, firmissimis assiduæ memoriæ cogitatibus, vim inexpugnabilem insuperabiléque robur (thorace Fidei, armatæ) tenentes; victoriæ præmia sunt adeptæ, florentissima fide conseruata, certaminisque stadiu quàm celerrimè decurso, Apostolicum illud exclamantes: *Cursum perfeci, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, & quæ sequuntur. (2. Ti. 4. b.) *In odorem vnguentorum tuorum currentium.* Voa est Ecclesia & multitudo Fidelium: In Christo enim Iesu multi sumus, & vnum: multi, numero; vnum, fide; vnum spe, vnum charitate: omues in idipsum, Vide currentes omnes in odorem mysteriorum Christi Iesu. (Currere in odorem vnguentorum Christi.) Cùm eoim reliquias Martyrum, cùm exempla Sanctorum videre & B imitari contendimus; tunc in odorem vnguentorum Christi Iesu currimus: Cúmque lætatur & gaudet bonitate, fidelium multitudo; Christúmque gerit Ecclesia, & de suo ipsius Sponso semper exultat, in eodémque gloriando & gratias eidem semper agendo grata memórque omnino exclamat & dicit: *Introduc me rex in promptuarium tuum: exultabimus & lætabimur in te.* Promptuarium Regis est vbi Thesauri & res omnes preciosæ reponuntur: sed hoc cœlestis Regis illud primùm apertissimè demonstrar corpus, in quo sibi domicilium fabricauit, deinde & cœlorum regnum. Cùm igitur Saluator ait; (Mat. 5. a) *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* Iure ac rectè, vt prædictum est, ex voce veritatis, hi regnum cœlorum C ingrediuntur qui Iustitiæ tuendæ & conseruandæ causa hic afflictantur. Propterea in ipso exultant atque lætantur dicentes, Exultabimus & lætabimur in te, videntes sempiterna gaudia nuptiarum, & quæ sibi ante Mundi conditionem præparata fuerant, iamque sibi data promissa dicunt. *Diligamus vbera tua super vinum:* (Matt 25. c) Quod est; amemus duo Testamenta per quæ nos Dominus erudiuit, per quæ & in cœleste promptuarium nos inuexit; quoniam per duo ipsa Testamenta cœlorum regnum consecuti sumus: Conspice & vetus & nouum Testamentum; videbis ab his impelli, volentes pati pro iustitia & Christi Iesu nomine; firmámque atque perfectam ab ijsdem viam cœlestis vitæ commonstrari. Audi iam quæso ex Vetere sapientiam suam D (Eccl. 4. d) cùm dicit; *vsque ad mortem pro veritate pugnam:* similia & in Nouo, in Euangelijs ipsum Dominum dicentem (Esa. 66. b, Matt. 10. c) audi. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ verò nihil obesse possunt.* Audi, & Vetus, dicens: *Audite verbum Domini qui tremitis sermonem eius, dicite odientibus vos, fratres nostri estis.* In Euangelijs autem ex ore ipsius Do- (Matth. 5. g, Exod. 3. a) mini, audi: *Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos.* Ex vetere quoque illud: *Si occurreris iumento inimici tui, quod suo oneri succubuerit, ne transieris*, sed illum adiuuabis. Vnus enim & idem Legislator in vtróque (Matth. 5. g) Testamento; *Benefacite*, inquit, *ijs qui oderunt vos.* Duæ ergo mammæ ipsius, duo Testamenta vocata sunt: & ex vno immortali fonte profluuia Spiritus sancti lactis emanarunt. Ideóque dicunt in promptuarium cœleste introducti; *Diligamus vbera tua super vinum.* Nunquid E tale quidpiam vini liquor efficit quod immoderatè sumptum, caliginem mentis incutit? At duo ipsa Testamenta (cœlestia sanè luminaria) animum in bonis offirmant, stabiliunt fidem, roborant charitatem Dei ac proximi, & ad Cœlestia regna producunt; ob ídque clamant: *Recti dilexerunt te.* Cùm omnia diuinæ Scripturæ verba rectissima sint, tamen huius sanctissimæ plenæque mysterijs pagiunlæ rectissimus est sermo, cùm de rectitudine cordis maximè sentiti ait enim: Recti dilexerunt te. Nisi cordis rectitudo inest, frustrà Vnigeni- (Prou. 27. d) tum amabis; *Opprobrium enim peccatorum, sapientia; Cor autem rectum diligit sapientiam.* Est autem rectitudo continere se ab omni specie delictorum, conscientiam suam Dei Lege conformare; eiúsque mandata omnia intento corde perficere. Nā, vt inquit Dauid: *In consilio rectorū & congregatione, magna opera Domini.* (Psal. 110.) Fugienda sunt scelera, vitandæ prauitates: Sequitur enim: *Nigra sum, & pulchra.* Nigra vel fusca, propter delicta; formosa ob pœnitentiam. Non corporis nigredinem, neque carnalem rursus huius Sponsæ pulchritudinem; sed nigram propter iniquitatem semet dicit. Denigrata enim valde fuerat in Idolorum cultu cæterísque suæ dementiæ & intemperantiæ erroribus. *Nigra ergo sum & pulchra filiæ Ierusalem.* Filias Ierusalem arbitror vocari à Sponsa Propheticas iustorum animas, quibus quidem se peccasse confitetur, sed illustratam esse sui Spōsi humanitate atque clementia; quippe quæ de peccatis acceperit pœnitentiam. Videas hanc re vera, nigredine circumfultam; sed & pulchram factam ab Æthiope eunucho, præconium Vnigeniti per Philippum Apostolum suscepisse. Vnde & Dauid cantat. *Æthiopia præueniet manum eius Deo.* (Act. 8. e) Sequitur adhuc, & ait: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* (Psal. 67. g) Cedar interpretatur testaceus, vel tenebræ ac mœror; quoniam Cedaritæ quacunque dissipati sunt, vt testatur Hieremias. *Transite insulas Chetim & in Cedar mittite, & intelligetis vehementer an talia facta sint; si mutant gentes deos suos.* (Hier. 2. c) Cùm igitur ex illis esset & hæc, quæ idolis seruiebant; iamque tamen confiteretur se nosse Deum, ait: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Solomonis.* Ex Iudæis & Gentibus se ipsam appellans; Tabernaculis Cedar quos ex Gentibus collegit, assimilat: pellibus verò Solomonis, quos a Iudæis fideles accepit, omnésque diuinam misericordiam C consecutos. Vnde prosequitur: *Nolite considerare me quod fusca sim, quoniam circumspexit me Sol.* Nolite despicere me, inquit, ob delictorum meorum nigredines, quoniam circumfulsit me Christus Sol iustitiæ: Neque de sensibili hoc Sole intelligas quod dicitur. Non enim dixisset; quoniam hic Sol me circumspexit; quando sub vmbra potiùs magis dealbantur: sed in stultis Idolorum cultibus insaniisque versata ante fidem, se vita ac moribus tenebrosam fuisse intelligit. At fidem consecuta, ex sola diuina misericordia atque clementia à Sole iustitiæ Deo semet dealbatam esse lætatur, vt speciosa præ filijs hominum propter sacri fontis lauacrum typicè dicatur à Dauid, cùm vaticinatur; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et alibi: *Et erit splendor Do-* (Psalm. 4.) D *mini Dei nostri super nos.* (Psalm. 89.) Et alibi: *Vt tenebræ, sic & lumen eius.* (Psalm. 138.) Facta est igitur candore vitæ lucida, quæ antea tota tenebris obducta fuerat: idque per sanctissimos Apostolos; propterea, inquit; *Filij matris meæ in me pugnauerunt.* Sapientissimos cœlestis Regis bellatores (filios suæ matris appellans Apostolos) sanctam atque honestam pugnam, & longè humanæ paci præferendam, diuinóque zelo feruentam circa se fecisse demonstrat. Nam vide quod pro illa pugnet Apostolus: *Coram omnibus dixi Cephæ? Si tu cum Iudæus sis, gentiliter & non Iudaicè viuere decreuisti*, (Gal. 2. d) propter Christum & fidelium ædificium; quomodò Gentes Iudæos imitari compellis? Talem eiusmodique pugnam pacificam ac sanctam in me sanctissimè pugnarunt filij matris meæ. Nam & horum fortissimis virtutum prælijs insuperabilique victoria deE molita sunt idola, fugati dæmones, depulsa scelera, virtutes insertæ, lux vitæ restituta animis, commonstratúmque rectum iter redeundi ad patriam, & verum & vnicum Dei filium totius humani generis redemptorem agnoscendi, amandi, colendíque: & assequendi principium ac finem totius nostræ beatitudinis, atque fœlicitatis. Hi sunt Bellatores fortes, hi duces inuicti; hi equi in mare missi ad deturbandas omnes omnium scelerum faces è profanis mentibus, & virtutes omnes inserendas; vt iam per se multi possent vineam propriam custodire, si memores Dei optimi Maximi beneficiorum esse voluissent. Sed multorum est incipere, perpaucorum admodū, bene cœpta perficere. Permulti ex Iudæis, non pauci ex Gentibus à fide miserabi-

liter recesserunt, recedúntque quotidie; quorum miserabilem iacturam deplorat mater pientissima. Sed quid A sponsa cuiusq; Deo dilecti anima? num vineā suam non custodit, non excolit non feracem reddit, vt possit aliquando venienti Domino, liquoris aliquid suæ deuotionis offerre? Nemo dilectus vineam Domini aspernatur ac deserit. Sed Iudæam intellige, de qua & paulò mox dicemus: nunc verò ad Sponsam siue matrem quæ sic enarrat: *Posuerunt me custodem in vinea.* De hac sæpè in sacris Literis scriptum legimus; vt illud Euangelicum, de non reddentibus fructus missis à Domino

Matt. 21. d seruis: *Veniet Dominus vineæ, & malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent fructus in tempore suo.* Quod & Dominus confirmat, cùm ait ad illos; *Auferetur à vobis regnum Dei*; de hac noua sponsa recordatus, quam nunc in Canticis alloquitur; *& dabitur genti facienti fructus suos.* Hæc ab Apostolis posita B est custos in vinea; hoc est, in frugifero campo fidei. Nam & Iudæorum Synagoga idem confessa fuerat, sed nostra ab illis veniens in sanctam Ecclesiam, de ipsa sic loquitur; *Et vineam meam non custodiui*: Hoc est, mandata Legis meæ non seruaui, vt per confessionem delicto-

Psalm. 58. rum veniam consequatur aliquando. *Ad vesperam* enim *conuertentur*, interim *famem patienter vt canes.* Apostolos enim expulerunt; hos, Ecclesia, diuini verbi prædicatores accepit: Sicque sponsa Christi facta, sponsi desiderio & amore ardet, inquiritque officijs & sanctissimis actionibus, meditationibúsque & intimis affectibus ad illum ipsum peruenire anhelat; vnde ait: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* A Prophetis olim prænunciata, maximéque à Dauid C quærit nunc Dominum suum noua Sponsa, quæ & per

Psalm. 17. se ait; *Diligam te Domine fortitudo mea*, Sed vocata ac tracta priùs intus est à Sponso, quàm Sponsum ipsum cœ-

Ephes. 5. a 1. Ioh. 4. b pisset agnoscere, vt inquit Paulus: *Non quoniam ipsi dileximus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos*, séque ipsum pro nobis obtulit; propterea amata redamat, & ait: *Indica mihi quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Hoc est: de hora suæ necis, quam passionem vocant, quando ab hora sexta ad nonam vsque tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: idcirco clamat, *Vbi pascas, vbi cubes in meridie*: in quo quidem meridie, & vis æstus maxima tentationum insurgit; & sæpe dilectos suos Dominus iusto iudicio tentari sinit: sed nemo potest, nisi ipsemet sponsus, quem quærit sponsa, se quærenti sponsæ D declarare. Quis enim inaccessibilem lucem adeat? Quis infinitum verbum illud capiat, de quo ab homine verbum formari nequit? Ex ipso igitur & per ipsum & in idipsum sancta anima quærendo peruenit, assequitúrque quod auet. Quod & nunc vehementer optat, cúr-

Hæreticorum cœtus, similes sunt gregibus brutorum. que tam cupida sit Sponsi, apperit; *Ne quando fiam veluti errabunda, & circumducar in greges sodalium tuorum.* Hoc est, ne vnquam cum hæreticis atque schismaticis falsisque Christianis versari incipiam & admisceri; ob ídque greges veluti brutorum rationis expertium appellantur, viuūt sine ordine, sine vera fide & charitate. O quot sunt greges animalium immundorum! quot simulati &

Tit. 1. d falsi Christiani, qui ore quidem *fatentur se nosse Deum*, vt inquit Paulus, vita verò ac moribus apertè negant! Hos quærit fugere sancta anima, hos abhominantur iusti, ab E his declinant recti; propterea respondet illi Sponsus, ac dicit: *Nisi teipsum noueris pulchram inter mulieres.* Quod est est; nisi temet noueris qualis sis, & qualis facta. Pulchrā enim inter mulieres eam esse dixit. Nam inter hære-

Psalm. 44. ses omnes & synagogas & conuenticula; tu sola speciosa es & decora, fide, spe, charitate; non quòd per te hęc habeas, sed quòd à me gratis acceperis: ex Specioso enim Speciosa præ filijs hominum. Typicè enim in ipsa propriam pulchritudinem Vnigenitus per lauacrum regenerationis accepit. Quare vtiliter vocat & ad ipsam ait: *Nisi teipsam noueris quàm pulchra sis inter mulieres, egredere post vestigia gregum, & pasce hædos tuos.* Nisi intellexeris, inquit, vbi sis, vbi stes, vbi vigeas, vbi viuas: nisi sciueris

tuæ formæ gratiam, quam gratis accepisti; abi post calcaneos gregum. Minax oratio, admonitorius sermo, increpatiua verba. Vbi enim ignorantia, ibi dedecus & ignominia. Nam & superiùs dixerat; *Nequando fiam veluti errabunda & circumuager post greges sodalium tuorum*, vel in gregibus malis. Omnis anima errabunda vagatur, quam pondus Spiritus sancti, & Christi amor ardens non firmat ac roborat. Illa misera anima multis & varijs cogitationibus circumfertur quæ soli Deo non adhæret; illúmque solùm amando, quæritat honestatem vitæ ac morum. Illi ergo omnes *in vestigijs gregum*; hoc est, in vmbris, in vanitatibus, in erroribus, in vitijs hominum gregalium & brutorum miserrimè vagantur, & iacent; quos Christi amor & desiderium non firmat ac pascit erigit ac fouet, illuminat ac beat. Ob id ergo monetur Sponsa seipsam diligentet agnoscere, non negligere diuinam gratiam, non obliuisci dona Spiritus sancti, non delectari nisi in Domino sponso & vero fine suo. Quòd nisi fecerit, audiet minantem Sponsum, & dicentem: *Abi in vestigijs gregum, & pasce hædos meos*: Id est, nisi temet dignam præstiteris mea gloria, *pasces hædos* tuos; hoc est, animas peccatorum, Sensus, corruptores spiritus; & malignorum mentes ac desideria, carnis illecebras, atque turpissimas corporis voluptates. Sequitur enim: *In tabernaculis Pastorum.* Tabernacula pastorum, conuenticula sunt hæreticorum: Sed primò Iudæorum pertinaces mentes ac corda, Christum & Apostolos repellentium, intelligit. Qui enim pugnare nescit in tabernaculis pastorum; hoc est, euitare dolos ac fraudes diaboli, & malorum hominum vitas ac mores, hæreticorúmque insidias is demum immundas cogitationes omnes pascit in corde, gladijs tentationum moraliter succumbit: sed bona anima, quæ Christi sponsa fieri cōcupiscit; quomodò se gerere debeat, admonetur à Spōso, cùm ait: *Equis meis in curribus Pharaonis assimilaui te, propinqua mea.* Arbitror, equos vel equitatum ipsius, Iustorum congregationem significare; qualis Apostolorum fuit: quos veluti in Mare misit ad turbandas aquas; hoc est, sæculi huius populos ad fidem conuertendos, secundùm illud Abacuc: *Viam fecisti Mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Ob id equos appellatos, quòd velociter in stadio suæ pietatis cursum bene beatéque viuendo & prædicando confecerint. Curribus verò Pharaonis assimilatur Sponsa, quoniam olim in idololatrię cultu dęmonum miserrimè vertebatur: vtque curris olim superbissimi Pharaonis, obruti atque demersi in mari Rubro perierunt: sic & veteres Sponsæ nefandi mores, stultissima instituta, Impij ritus, miseræ illius vitæ quasi rotæ per Spiritus sancti gratiam & salutaris vndæ fluxus, fractæ sunt & dissipatæ, ad Deúmque conuersæ; vt renata (fonte baptismatis) piæ vitæ cursum vnà cum cœtu Iustorum quàm celerrimè perficeret vel breuissimo vitæ spacio, simúlque cùm Sanctis veteris Testamēti & nouæ Legis remuneraretur: quòd & idem Dominus in Euangelio testatur, cùm similem mercedem donauit ijs qui vna hora, atque ijs qui tota die laborarunt: sicque tandem ab beatam terram, in qua cum Spōso sine fine lætetur, peruenit; cui bene dicitur, quod subiungitur: *Quomodò speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis?* Castitatis animal, agreste, gemibile, vno contentum mare, vel fœmina ad prolem, turtur est; quemadmodùm ipsa sancta Ecclesia quæ agrestis olim fuerat, nunc verò solum virum Christum sponsum habet, qui & hæc ipsi sponsæ loquitur, sicut & Paulus scribit: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Casta igitur & sancta debet esse Sponsa, sancta quæque anima: & quandiu abest à Sponsi præsentia, tandiu in eius amorem & desiderium anhelare debet & gemere, ab omníque alieno affectu se continere; quasi in genarum verecundia, castitatem animi, ipso habitu, actu, incessu ac motu semper ostendens vt possit & id quod sequitur, audire: *Et collum tuum sicut monile.* Per collum Sponsæ, prædicatores sanctæ Ecclesiæ demonstrantur, quos primùm

Anima vaga vnde fiat.

Hæreticorum insidias vitare qui nescit in multa incidit mala.

Abac. 3. d

Exod. 14. f

Matt 13.

mùm à Iudæa (tanquàm monilia) nostræ fidei ornamenta accepit: nam superiùs per agrestis animalis maxillarúmque similitudinem gentium Ecclesiam; per collum verò, Iudæorum fideles ostendit.

Gen. 38. d

Scimus enim Iudam, Thamar, monile armillásue dedisse: vnde & ex Iuda natus est Dominus noster Iesus Christus. Qui Sponsam ipsam ornauit (quamuis enim fornicatam cum Idolis) virtute Spiritus sancti ac gratia; castissimámque fecit & dilectam suam: vtque indies augeri possit & conseruari, promittit ipsi alimenta virtutum; Scripturarum scilicet sanctarum diuina pabula, exempláque sanctorum ac martyrum: dicit enim; *Murenulas aureas faciemus tibi, cum varijs notis argenti.* Vt enim aurum probatur igni, sic & Christianorum vita, igne tormentorum & ærumnarum tollerantia, qualis sit agnoscitur. Nam benefacere & mala pati, Christianorum est; Bonáque pro malis referre, proprium & salutare prorsus. Habet igitur Ecclesia aurum in sapientia probitatis, ærumnarum patientia, & martyrum vita: habet & argentum in veræ prædicationis fide, & proximorum charitate. His ornamentis opus est Sponsæ, vt dilecta sit & chara Sponso suo Christo Iesu; cui neque amor proximi sine amore sui, neque sui sine amore proximi satis placere potest: vtrumque igitur sancta anima, rectè amet oportet; vt suprà dicta ornamenta, digna sit accipere. Sed notas illas argenti diligentissimè debemus animaduertere, ne dum per seruilem metum formidamus amittere terrena & peritura, cœlestia perdamus & sempiterna. Imitandi sunt Martyres, qui vt fidem Christi splendidiorem facerent & conseruarent; nulla pœnarum genera, quamuis sæuissima extimuerunt. Nam quòd de Martyribus intelligat, vide notas argenti, seu puncta siue stigmata esse apposita post aurum: Quæ quidem stigmata ac notæ, flagella ac tormenta pro Christo Iesu passorum apertissimè declarant. Quod & Paulus confirmat, cùm dicit; *Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Sequitur autem; *Dum esset rex in accubitu suo:* Quasi diceret, vsque ad Regenerationem per conuiuium cœlestium nuptiarum hæc ornamenta argenti producentur: vt quicunque verè Christi serui esse cupiunt, hi pro fide (nō solùm tempore persecutionum & tormentorum; verùmetiam & in tempore pacis, per angustam & perfectam viam) currere, & sanctis actionibus Martyres imitari debeant: Nam & Sponsa ipsa respondet ad Spōsum, & dicit, *Nardus mea dedit odorem suauitatis.* Quod est, in hæc bona dependisti: Per nardum enim, alabastrum vnguenti significat, de quo Dominus apertè ait: *Ne molesti sitis huic mulieri, bonum enim opus operata est in me;* & quæ sequuntur. Sic igitur grata ac memor Sponsa clamat ad Sponsum: Tu mihi dedisti suauitatem vnguentorum; hoc est, martyrum: & illustrium actionum efficaciam, decus & gloriam. *Nardus enim dedit odorem suum,* hoc est, martyrum, & mors tua seu passio Martyres adhortata est pro te pati, nam & tu pro nobis passus es. Ex sequentibus autem, dictorum consonantia qualis sit, agnoscitur: *Fasciculus myrrhæ patruelis meus * mihi.*

* Alibi, frater & dilectus.

Statim cōmemorat sanguinem & aquam quæ de latere Iesu fluxerunt in die suæ necis. Manipulus myrrhæ frater meus mihi: per aquam enim & sanguinem ex latere ipsius fluentes, ipse factus est mihi Sponsus, & ego illimet sponsa: per sanguinem quidem ipsum comparata & copulata est Sponso, per aquam verò quæ de carne illius exiuit, sacro Fonte lota, & per Spiritum sanctum qui à diuinitate ipsius & Patris est coæternus, & consubstantialis vtique, parque diuinitate, Sponsa ipsi coniuncta & copulata:

Spiritus sanctus Patri & Filio consubstantialis.

Quare sequitur; *Inter vbera mea demorabitur.* Hoc est; inter duo Testamenta est testimonium de mysterio meæ necis. Nam in veteri est vaticinium Esaiæ dicentis; *Tanquam ouis ad occisionem ductus.* Ex nouo verò, Philippus Apostolus eum locum de Christo Iesu, Eunucho reginæ Candacis aperiens apertissimè testatur.

Isa. 53. b

Act. 8. f

Hæc igitur vbera omni vbertate vberrima; sancta quæque Anima Sponsi cupida exugit; in his se pascit,

A

saginat, obfirmat: hæc eadem proximo ad salutem elicit ac premit: vnde ait: *Botrus Cypri patruelis meus mihi in vineis Engaddi.* Per botrum Cypri, humanitatem assumptam vnigeniti filij Dei dici arbitror, & Ecclesiam vniuersam; Nam in salutem multorum effusus est Christi sanguis. Engaddi interpretatur, fons hædi, vel mandatum. Quid fons hædi, nisi peccatorum fœtor ac copia, priusquàm fide purgetur, & sacro fonte à sordibus peccatorum abluantur; quibus olim mortales miserrimè seruiebant, quibúsque anima mergitur in gehennam? Sed vt botrus dum maturat, voluptatem affert intuentibus: sic qui cœperunt in Christum credere, nondum tamen maturos fructus capientes, botro florenti comparantur: cùm verò iam maturum botrum degustant, veram Christi fidem charitatémque induti, perfecti esse incipiunt, & Sponsæ nomine appellantur: hi ex Gentibus & Iudæis sunt fideles omnes.

B

Rom. 11. a

Quod Apostolus affirmat dicens; *Electio consecuta est;* hoc est, qui ex gentibus & Iudæis electi sunt: Nam & Sponsus sacro fonte lotorum typum gessit. propterea laudatur à Sponsa, cùm dicit: *Botrus Cypri patruelis meus mihi in vineis Engaddi.* Hoc est; in Ecclesijs & animabus illis quæ maximam hāc gratiam redemptionis ex diuina misericordia consecutæ sunt; quæque mactatis hædis vitiorum, lasciuijs omnibus ac pompis, & mandata Dei feruenter obseruantes, die noctúque syncero corde illi soli seruire atque placere conantur; laudantes sponsum, quòd tali ac tanta gratia suam sponsam exornarit: cui & hæc dicit; *Ecce pulchra es propinqua mea, ecce formosa es.* Duplici laude celebrat Sponsæ pulchritudinem, cùm dicit: *Ecce pulchra es, &c.* vt non modò

C

extrinsecus eam formosam esse ostendat, verùm & intrinsecus decoratam: interiùs quidem sanctissimis fidei cogitatibus, honestissimis desiderijs, diuinissimis meditationibus cordis exteriùs verò recto iustitiæ & actionum, oculorum intuitu, statúque vitæ, & ordine rerum gerendarum composito, honesto, ac sancto, irreprehensibilique omnino. Quæ quidem ita se habere, sequentia probant, cùm honestatem oculorum ipsius commendat, dicens: *Oculi tui columbæ.* Non huius quidem sensibilis, sed illius cœlestis & spiritalis Spiritus sancti; quem in columbæ formam, in Sponsum ipsum descendisse nouimus.

Matt. 3. d

Acerrimi enim visus, acutissimi sensus probatissimi officij, atque prophetici intellectus & sapientiæ, Spiritus ille est columbæ cœlestis, cui hanc modo Sponsus comparauit, ad quem Sponsa respondit:

D

Ecce formosus es patruelis meus & decorus; accubatio nostra in vmbra. Similem pulchritudinem de Sponso, sed longè maiorem prædicat Sponsa, non enim solùm pulchrum, sed & speciosum appellauit in Euangelio: nam & pulcher quidem fuit in Propheticis, sed in Apostolis decorus, pulcher in custodia bonorum quæ mihi promiserat antè sæcula, formosus in vberrima exhibitione promissorum. *Accubatio nostra in vmbra.* Cùm enim inclinamur ad mortem; vitam æternam, pro temporali morte rependit. Nam de cæterò tu nostra vmbra eris, & protectio; clamat Sponsa secundùm illud; *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis:* Et, *sub vmbra alarum tuarum.*

Psal. 90. a

Psal. 16. c

Ad te enim solum refugium nostrū & protectio; Tu nostra vmbra, tu defensio, tu certa

E

Psal. 22. a

salus & vita. Dicamus cum Dauid: *Etsi constitero in medio vmbra mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es. Trabes domus nostra cedri et laquearia nostra cupressina.* Vide quam hęc consequantur antè dictis. Ecce pulcher in Prophetis, decorus in Apostolis, dicit: *Trabes domus nostra Cedri,* hoc est, Ecclesiarum Prophetæ: ait enim, *Iustus vt palma florebit, & sicut Cedrus in Libano multiplicabitur. Et laquearia nostra cupressina;* id est, Apostoli, secundùm Esaiam dicentem: *Et pro abiete mutabitur cyparissus.*

Isa. 55. d

Quoniam trabes interiores sunt quàm laquearia, & à laquearibus trabes occultantur; delectatio autem & ornatus domus sunt laquearia; propterea Prophetas primum trabibus comparat deinde propter ornatum, Ecclesiæ ab Apostolis collatū laquearia cypressina nostræ domus, Apo-

stolos ipsos quos in Ecclesia nostra Dominus principes posuit, appellauit: Vtque responderet ad illud Apo- A stoli; 1.Cor. 12.c *Posuit Dominus in Ecclesia primum Apostolos, mox & Prophetas*: præcedũt in Ecclesia Apostoli Prophetas; propteréaque pulchra vocata est Sponsa Christi, quæ & ita sequitur dicens: *Ego flos campi, & lilium vallium.* CAP. II. Tanquàm iam grata facta & accepta Sponso, dum in illius versatur amplexu & cultu mandatorum; florem campi seipsam appellat, postque prophetica vaticinia meditata, audit Isa. 35.a Isaiam dicentem; *Lætare deserta*, arida, Exultet deserta, & floreat vt lilium, & efflorebit deserta antiqua: sed oũe non solùm floribus redolet, sed & iustitiæ fructus maxima suauitate replet, & ideo dicit; *Ego flos campi*, Propheticis admonita & ornata vaticinijs. Quòd autem *& lilium vallium* se rursus appellat, euangelicis atque salutaribus & bene olentibus verbis Sponsi maximoperè delecta- B tur: Cum discipulos suos idem Sponsus sine curis atque sollicitudine rerum humanarum esse iubet, dicens; *Considerate lilia campi*; Prophetarum vaticinia agnoscit. Quapropter & Sponsus ad illam respondet, & ait: *Sicut liliũ inter spinas, sic propinqua mea inter filias.* Vt ipsam iustitia florentem in medio iniustorum, & piam inter impios Mundi versantem laudat: Ad quam & Apostolus hor- Philip. 2.b tando clamat; *Vt sitis filij irreprehensibiles in medio generationis prauæ atque peruersæ.* Multi enim omnes (sed pauci, re, Christiani) qui solo ore Christum confitentur, operibus verò nihil nisi humanas sollicitudines sectantur: soláque illa anima lilij candorem habet, quæ necessarijs tantùm vitæ contenta ad cœlestem pulchritudinem, candore animi & corporis munditia aspirat, sequemet & proximos quosque rectæ opinionis odo- C re & vitæ sanctitate reficit. huiusmodi enim Sponsam iam se dignam Sponsus mutuò laudat, & laudatur ab ipsa: ait enim; *Sicut malum inter ligna syluarum, sic patruelis* Matt. 26.c *meus inter filios.* Malum & esui aptum est & potui: vt ergo mysticam lætitiam designaret, quam ipsi Sponsæ elargitus est Sponsus dicens; *Accipite & comedite hoc est corpus meum*; Et, *Accipite & bibite, hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*: propterea malum appellari puto. Tria enim bona malum continet: Esum, per quem significat Christi corpus; potum, quo significatur salutaris Christi Iesu sanguis, & odorem per quem fides exprimitur. Ad hæc, humanum æterni Verbi characterem eidem Malo inter ligna versant comparat, ligno Crucis appendentem, tanquàm D Malum suauissimè redolentem: ait enim, *Sicut malum in-* Isa. 1.a *ter ligna syluarum, sic patruelis meus inter filios.* Per filios, Iudæos intelligit: ipsos enim filios in Esaia vocat, dicens: *Filios genui & exaltaui; ipsi vero abiecerunt me.* Ligna syluarum, homines significant gentiles primùm, deinde cæteros omnes tam fideles, quàm sine fide; in quibus quicquid est præter Deum, noxium est nobis & mortiferum: nam salutis verbum est in solo Christo, in quo sunt omnia sanctissima atque maximè salutaria nostræ vitæ & salutis exempla atque remedia. In hoc solo cibum salutis, quo nos quærimus, inuenimus. In ipsius verbis & exemplis animas nostras fructu suauissimo atque saluberrimo reficimus. Ipse est qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit: In cæteris verò, si quid refe- E ctionis capimus; non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus; quia quicquid in eis præter Deum est, letale nobis est prorsus atque mortiferum. Quare rectè per ligna syluarum, reliqui homines; per Malum verò, Christus designatur. In cuius protectione & Spiritus sancti refrigerio concupiscit Sponsa (anima dilecta) requiescere, cum dicit: *In vmbra ipsius (vel tua) concupiui, ac sedi.*

Vmbra Sponsi, Spiritus sancti est protectio: qua, qui munitur; ab æstu tentationum adumbratur, eiúsque spirante aura à calore noxio temperatur: sed mandata Spõsi seruare oportet, vt in tempore malo protegamur, propterea Ecclesia sancta & anima legem perficere exoptat, vmbra enim & lex Vnigeniti intelligi potest, quam & omnis anima piorum cõcupiscit: gaudet enim se Le- Matt. 5.d A gis vinculis salutaribus adstringi, cùm audit: *Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dixeris, honora patrem & matrem*; & quæ sequuntur. In his vmbris (primum peccatorum, sed à tribus) animæ iustorum cõquiescere nituntur: ob idque Sponsa pariter & Ecclesia dicit; *In vmbra tua concupiui & sedi.* Nam & *futurorum bono-* Heb. 10.a *rum Lex vmbra habuit*, vt diuinissimus testatur Apostolus: quare & rectè prosequitur; *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Qui enim sub vmbra Legis sedent; certum est, quòd & Euangelici fructus refectionem accipiunt. Sic enim & Dauid testatur, cum inquit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*: Et ideo; *Expectaui salutare tuum Do-* Psalm. 118. *mine, & mandata tua dilexi.* Et *Concupiui salutare tuum Do-* *mine, et lex tua meditatio mea est.* Cupiens ergo noua Spon- Psalm. 118. B sa ab obseruatione Legis ad perfectionem Euangelicam peruenire, clamat Apostolis, & dicit: *Introducite me in cellam vinariam.* In corpus Domini scilicet; commiscete me illi, inquit, per lauacrum Regenerationis. *Ordinate in me charitatem.* Tunc enim mihi Deus infudit cœlestis Spiritus charitatem, quam vnigenitus enarrat dicens; *Vsque adeo dilexit Deus mundum vt Filium suum vnigenitum* Ioh. 3.b *daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ordinatur autem charitas in anima fideli ex diligenti obseruatione Mandatorum, dum legit & meditatur Scripturas sanctas; ex quibus, fructu suauissimo pascitur & interna quadam animi suauitate repletur, adeò vt in cellam vinariam (hoc est, in arcana diuinitatis) contemplando sæpe rapiatur; indéque, sic edocta, voluptates omnes rerum omnium humanarum fa- C cillimè abominatur ac fugit: sed quoniam amãdus est & proximus, intermittit quandoque propriæ mentis excessum, & ad proximorum charitatem flectitur, vt sciat non sibi soli datum esse donum Spiritus, sed & ad proximi vtilitatem; haud tamen deserens quod propriũ est & necessarium, vt possit & in his quæ sequuntur admitti. Ait ergo: *Seruate me in vnguentis*; Hoc est, in omnibus diuinis Christi eloquijs cum donis Spiritus sancti; nam seruastis in Malis. *Sepelite me in numero Iustorum, quoniam vulnerata sum charitate.* Propter sanctos Martyres, per quos dilexit Christum, vulnerata; ob id ipsum quoque, mortem se libenter sustinuisse fatetur: tunc enim verè amatur Deus cùm parati sumus pro illo mortes subire omnes & nihil extimescimus: nec enim nos D sumus qui patimur, sed ille patitur in nobis. Ille nos intuetur & seruat, ille pro nobis prælíatur & vincit. Consentit & illi quod dicitur; *Moriatur anima mea in manibus* Num 12.b *Iustorum*: vnde sequitur: *Læua eius sub capite meo, & dex-* Prou. 3. *tera illius amplexabitur me.* Per sinistram, præsentem vitam (vt arbitror) significat: per dexteram verò, futuram quæ propria iustorum est. *Longitudo enim vitæ*, inquit, est *& anima, in dextera ipsius*: in sinistra verò, diuitiæ & gloriæ. Nam & in præsenti vita, perpetua bona præbet Ecclesiæ suæ cœlestis sapientia, secundùm Prophetam dicentem; *Dominus non priuabit bonis eos qui ambulant in in-* Psal. 83.d *nocentia*: & in futuro sæculo, longitudo vitæ per infinita sæcula, plenissimàque lætitiæ erit. Quam quidẽ Deus sanctis suis in dextera sua se daturum esse certissimè E promittit in die illa, cũ ad Sponsam propriam ad dexteram constitutam dicit; *Venite benedicti Patris mei, perci-* Matt. 25.c *pite regnum*, &c. sic *& dextera illius amplexabitur me*, cùm me sistet ad dexteram suam instar ouium diuinus Pastor, intra paradisi pascua locans. Sed hoc totum, vt reliqua, diuino ipsius beneplacito permittit, & summæ prouidentiæ; vt quando ipsa sapientia & charitas velit, exurgat ad Sponsam: idcirco sequitur; *Adiuro vos filiæ Ierusalem in viribus & potestatibus campi, ne exuscitetis neque euigilare faciatis charitatem, donec ipsa velit.*

Filias Ierusalem, animas sanctorum Prophetarum & Apostolorum vocat illas *in viribus & potestatibus campi* adiurat; in diuinis miraculis ac signis quæ summa potestas Vnigeniti fecit in Mundo. Campus enim vel *ager, Mundus est*, vt Dominus inquit: Adiurat, inquam, Matt. 13.a ne exci-

ne exciteot desiderium Spotisi ad ipsam: Sed vt quando velit & secundum beneplacitum maiestatis suæ; pro (A) illa, terrestti fungatur legatione redemptioois & iudicij: ideòque apertè intulit; *donec ipsa velit.* Deum & Sponsum, charitatem appellat, secundùm illud; *Deus charitas est,* &c. (*1. Ioh. 4. b.*) Potestates verò & vires seu robora & virtutes, ipsorum Prophetatum & Apostolorum sanctissimos mores institutaque bonæ vitæ & exempla sanctitatis, quibus claruerunt quibúsque Ecclesia comparata est & aucta post sanguinem Iesu Christi: significare arbitror. Ex his enim nata Ecclesia, & quæque Fidelium anima, quomodò se Sponso humiliter subijciat, & quomodò omnia, de se Deo permittat; docetur suum tantum esse ipsius Sponsum, puritate cordis & totis viribus amandum atque colendum, proximum verò vti semetipsam charum habendum iuuandúmque omnino. Quæ omnia cũ studiosè de se sanctéque præstiterit, tunc merebitur (B) audire quæ sequuntur. *Vox patruelis mei.* Iam vocem Sponsi recognoscit, iam se illi cordi esse intelligit. Ecce hoc illi datur post obseruationem mandatorum quæ eò cupit discere & conseruare, vt illius intimam charitatem consequatur: quemadmodùm & ipse per se in Euangelio asseuerat, dicens; *Qui diligit me, mandata mea seruabit:* (*Ioh 14. c.*) rectè ergo; *Qui vult vitam, seruet mandata.* (*Matth. 19. c.*) Qui cupit hunc habere Sponsum, omni se rerum humanarum cupiditate priuet: tunc enim dicet; *Ecce hic venit saliens in Montibus, transiliens colles.* In montes salit; hoc est, in Prophetas: Indéque rursus transilit in colles; id est, in Apostolos: secundùm generationem enim & generationem (ait Sapientia) in animas sanctas descendens, amicos Dei & (C) Prophetas præparat. Quòd autem Montibus Prophetæ comparentur, & collibus Apostoli; manifestè testatur Esaïas cùm ait: *Erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini præparatus in summitatibus montium;* (*Isa. 2. a.*) hoc est, in canticis Prophetarum: *& exaltabitur super colles:* id est, super Apostolos ipsos: Et rectè. Vt enim Sol illucens, primò fastigia montium illustrat, & radiorum lucidas conuersiones extendit, sic & Christus Sol iustitiæ, lumen suæ diuinitatis per vniuersum Orbem veluti fulgur emisit: & primùm quidem in Prophetas & Apostolos, radios suæ maiestatis effudit, per quos ex Orbe tenebras expulit ignorantiæ. Nec miremur montium appellatione Prophetas maiores videri Apostolis, quos colles diximus appellari: Nam vt montes altiùs attolluntur, colles verò humiliores surgunt; sic Prophetæ Christum in carne (D) longiùs aspexere, Apostoli verò manibus contrectarunt vti est apud Ioannem; *de Verbo vitæ* (inquit) *Quod nos & vidimus & contrectauimus, &c.* (*Ioan. 1. a.*) Minus enim Patriarchæ quàm Prophetæ de Verbo vitæ intellexerunt: minùs & Prophetæ, quàm Apostoli; qui soli, sibi illud præsens familiaréque habere meruerunt. Grandis certè fœlicitas, & ineffabile, vitæ gaudium; Deum rerum omnium conditorem, oculis carnis potuisse videre, & manibus mortalibus coontectare! Quòd autem Patriarchæ minùs intellexerint, quàm Prophetæ (Quippe qui longiùs hunc Solem iustitiæ humanitate vestitum aspexere) testatur David cùm inquit; *Super omnes docentes me intellexi, & super senes,* (*Psalm. 118.*) & cætera. De Apostolis nemini dubium, quin (E) plus omnibus & Patriarchis & Prophetis id nouerint, cùm Dominus asseueret dicens: *Multi desiderarunt videre;* (*Matth. 13. b.*) me scilicet, Verbum vitæ incarnatum quod vos videtis, & non potuerunt. Rectè igitur montes, Prophetæ, & Apostoli, colles appellantur: à quibus omnibus tamẽ adiuta Sponsa & illustrata, gaudet nunc de Sponso, & ait: *Similis est patruelis meus dilectus, caprea hinnulóque ceruorum super montes Bethel.* Caprea animal est accutissimi visus; dorcas, ἀπὸ τοῦ δέρκειν dicta: hinnulus verò, celer & mitis; eruítque Serpentes, & deuorat venenosa: ideòque cognominatus est caprea, hinnulúsque ceruorum. Montes verò Bethel; gradus ac status excellentissimæ iustitiæ seruorum Dei significant: Nam & domus (*2. Cor. 6. d.*) Dei Bethel dicitur. Sunt autem domus Dei, iusti omnes; (*1. Cor. 3. c.*) vti scriptum est, *Et habitabo in vobis, & inambulabo,*

Dilectus igitur ipsius, Itemque & Apostolis; *Dei domus (A) estis vos* Sponsus; scilicet Christus, capreæ assimilatur, eò quòd corda omnium subtilissimè tuetur, & inspiciat cogitationes omnes sicuti dicit: *Ego Dominus scrutans renes, probans corda; num quæ fecerit homo in occulto, non videbo? non intelligam?* (*Hier. 17. b.*) proptereà capreæ comparatur à Sponsa & hinnulo ceruorum: nam & malorum cupiditates, ac vitia animæ inflicta, omnésque pestiferos morbos animi, præceptis salutaribus prædicationéque sanctorum (ceruorum instar) extirpat Dominus ac tollit, inseritque virtutes: deuorat etiam venenosa omnia, malignorum spirituum tentamenta, prosternit insidias: denique mentes, fidelium suorum (maximéque humilium) custodit semper, atque conseruat ab omni labe mortali, atque delicto. Cæleste enim verbum incidit, peracutissimum ensem (quem dilectis suis dedit) pietatis & (B) amoris in Sponsum; vt eo præuidere possint omnes aduersarij laqueos. Quare rectè assimilatur *hinnulo ceruorum per montes Bethel,* hoc est, per mentes iustissimorum hominum, & petras saliens ac pascens: Ideóq; adhuc sponsa ita loquitur; *Ecce ipse stetit post parietem nostrum aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Parietem quem Sponsa hic appellat, Legem intelligit, quemadmodùm & Paulus Apostolus enarrat dicens: *Et Medium parietem maceriæ dissoluens, inimicitias in carne sua Legem Mandatorum* (*Ephes. 2. c.*) doctrinis ac præceptis euacuauit aspiciens enim post Legem venit; & per fenestras, hoc est per Prophetas. Primò enim in Lege per Mosem prædicatus est; deinde per fenestras, id est, per Prophetas aspicere cœpit. Sed &; *prospiciens (C) per cancellos & aspiciens, per fenestras;* admirabilis est consequentia, & maxima ordinis consonantia; primùm post parietem, deinde à pariete per fenestras, mox & per cãcellos. Quòd paries Legem significet, manifestè declaratum est: Quòd verò & per fenestras aspicere; per Prophetas intellexerit, dictum est etiam. Vt enim qui per fenestras aspicit, modò cernit, modò se subtrahit; sic & per Prophetarum dogmata aspexit aliquãdo Deus: per Esaiam enim prædictus est, per Hieremiam prænunciatus, per Danielem reuelatus. Nam vti per fenestras Prophetarum se olim aspexisse dixit; sic per cancellos non ampliùs aspicere, sed prospicere testatur. Nam qui, vti diximus, per fenestras videt, modò seipsum ostendit, modò subtrahit: Qui verò manifestè prospicit, totum se præbet ac profert. Quare, per cancellos; hoc est, per (D) sanctos Apostolos sese totum manifestauit in carne: diuinitas enim velata humanitate, quasi per cancellos videbatur: nam modò, per signa, Deus; modò per carnem homo esse putabatur, sicque quasi per cancellos prospicere videbatur, ob cámque cancellorum appellationẽ (quæ communis est retibus & cancellis, quippe qui tenuium modò per decussem contexantur & fiant) allegoricè dixit Apostolis de retibus: *Venite post me & faciam* (*Matth. 4. c.*) *vos piscatores hominum, qui relictis retibus secuti sunt eum:* quod & ex sequentibus manifestè declaratur; dicit enim *Respondit patruelis meus & dixit mihi: Surge & veni propinqua mea, formosa mea, columba mea.* Per sanctos Apostolos vocata est Sponsa Ecclesia, quæ à peccatorum ruina surrexit & virtutibus Spiritus sancti dona & integrita- (E) tem, quam illi seruandam Sponsus imperat, ac docet. Seruata enim integritate vitæ ac morum, & iustitiæ sanctitate ac innocentia, pulchritudinéque castitatis & rectitudine prudentiæ: iure audit quod sequitur: *Iam enim hyems abijt.*

Hyemem, salutarem necem Domini vocat, in qua hyemantes Iudæi, miseram tulerunt perditionem; siue intelligas Idololatriam quam pertulit Sponsa, priusquã purgaretur à Sponso secundùm vtrámque iam præterijt hyems, neque moritur ampliùs. semel enim pro nobis passus est Dominus, vt Apostolus ait, *Mors illi amplius non dominabitur; Quod enim mortuum est, mortuũ est semel peccato, Quod autẽ viuit, viuit Deo.* Quod autem teucra hyems, passionem significet; vide Petrum hyemantem propter metum mortis. dum enim mori timuit vitam denega-

uit. Calefaciebat enim se ad mortalem ignem & frigus Rom. 6. b. erat: sed præteriuit hyems; nam postquàm resurrexit A vita, factum est serenum in plenitudine fidei Vnigeniti deitatis. Sequitur adhuc, & ait: *Imber abijt, & pluuia re-* Ioh. 18. d. *cessit sibi.* Tentationum impetus atque delictorum fluctus, pluuias Imbrésque appellat; quibus iusti sæpè afflictantur in vita: sed dum in petra persistunt, facilè alliduntur & pereunt omnes omnium tentationum & ærumnarum fluctus ac turbines: firmissima enim sunt ædificia supra petram posita quæ non ventorum procellas extimescunt, non fluuiorum impetus, non hostiles incursus, non incendia & tormenta malorum dæmonũ. Abeunt omnia prætereunt cuncta, & in nihilum resoluuntur omnia peccatorum prælia. Nihil enim peccatum est; ob id, *recessit sibi*, dixit, nec bonorum mentes in Matth. 7. d. petra bene fundatæ diuelli possunt ac destrui. Spirauerunt B venti, concusserunt domum illam, nec concidit, *fundata enim erat supra petram.* Quare vt ostenderet iam tentationes depulsas & abiectas esse, postquàm *hyems transiit*, & *imber abijt*, & *pluuia recessit sibi*, manifestissima indicia enarrat, dicens; *Flores apparuerunt in terra nostra:* Hoc est, Sanctorum Apostolorum odor veræ fidei per totum flagrauit Orbem, iámque certissima argumenta apparuerunt deleti chirographi humanæ seruitutis, diabolicæ olim potestati, addictæ: iam cœpit Sponsa bene olere sanctitatis odorem, & spirare odoramenta virtutum, iustitiæ, castitatis, innocentiæ, temperantiæ, fortitudinis; vnde rectè subiungit: *Tempus opportunum putationis aduenit.* Iam noxij amputandi sunt palmites, Iam infructuosi præcidendi sunt rami, iamiam tollenda sunt C omnia scelera atque delicta, & animæ ab omni peccatorum labe purgandæ ijs omnibus qui filij mei esse volunt & in me credere, & cuicúmque animæ quæ desiderat mea fieri sponsa. Potest & sic intelligi, quod iam tempus aduenerit metendi gentiles frumentorum instar, & in horreum cœlestis regis colligendi à cupiditatibus rerum terrenarum; sicut Dominus in Euangelio manife- Matth. 9. d. stat, dicens; *Messis quidem multa, operarij autem pauci:* vnde sequitur, *Vox turturis audita est in terra nostra.* Hanc vocem Turturis existimo non incommodè vocem Pauli Apostoli posse intelligi. Comparatur enim Turturi ob ipsius feritatem quam olim in Ecclesiam Christi sæuissimè exercuit, insectans includénsque carceribus quoscunque in Christum ipsum credentes inuenisset: sed mox ipsius D *vox* scripta est *in terra nostra*: hoc est, in Ecclesia Gentium, & Iudæis erepta: præco enim fidei factus est inuictus & egregius prædicator vt impleretur quod scriptum est; Psal. 83. a. *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum suum vbi ponat pullos suos:* qui quidem sunt fideles omnes qui per illius prædicationem in Christum crediderunt: Et si per Turturem Ecclesia quoque potest intelligi, & per terram patria beatorum. Cùm enim Sponsa pro desiderio Sponsi gemit, eúmque deprecatur aduenire, & sibi opem ferre quamdiu in hac valle lachrymarum peregrinatur exauditur in cœlo clementissimè à Sponso atque laudatur Hierem. 24. b vt fructuosa, ait enim; *Ficus protulit grossos suos.*

Dulcis fructus arbor, ficus est; atque suauis per quam Ecclesia, ac sponsa designatur; cui Apostoli (Grossorum E instar) suauissimos sermones & Euangelium Iesu Christi protulerunt: de quibus & Hieremias vaticinatur dicens; *ficus vilissima.* Sunt autem Grossi ficorum, veluti præcursores: quos, Apostolos primùm fuisse scimus, deinde ficus, ex Iudæis enim tanquàm grossi decerpti sunt à Domino: post quos, & Martyres & dolores, sanctissimæ Ecclesiæ, virtutum exempla charitatis, fortitudinis, & patientiæ, & suauissimam eloquiorum dulcedinem effuderunt; Ex quibus sequ[illegible] quod ait: *Vineæ nostræ florentes dederunt odorem.* Recte [illegible]tur, comparare vineis Sponsam Ecclesiam, quæ quidem per saluberrimæ doctrinæ sanctitatem & rectè fidei opera, per totum Orbem, virtutum omnium odores suauissimè spirarunt. Sanctæ enim Ecclesiæ & quæque fideles animæ non modò sibi vtiles sunt & profuturæ (vitæ rectitudine ac morum) verùm etiam alios sanctissimis exemplis A & salutari Christianæ doctrinæ verbo ad Christum ire adhortantur & monent: sicque & vineam sui animi, iustis manibus excolunt, & suauissimo florum sanctissimæ vitæ odore proximos delectant ac pascunt: vnde meretur Sponsa audire quod sequitur; *Surge, & veni propinqua* Christus Ecclesiæ cognatus. *mea.* Propinquam vocat ipsam Sponsam, propterea quòd ipsius amore è cœlo descendens, humana se carne vestiuerit eámque fide sibi copularit, postquam ab omni iniquitate purgata ad amorem ipsius Sponsi surrexerat; ob eámque causam, & eandem speciosam columbam appellat: ait enim; *Pulchra es columba mea.* Pulchra ob pœnitentiam, columba simplicitate vitæ; pro quibus rursus inuitatur à Sponso. *Veni columba mea in protectione petræ, & latitudo antemuralis.*

B Protectio & Petra hic ipse Sponsus est: Petra quidem propter fundamentum fidei, quam Ecclesia fundauit in ipso: Protectio verò, quoniam ipsam protegens ab omni tentatione defendit ac liberat. *Habens antemurale.* Antemurale autem Legem appellat. Nam latitudo murorum Euangelia sunt, secundùm illud Esaiæ: *Ponet murum* Isa. 26. a. *& circumseptum*, per quæ duplicem potestatem significat sanctos viros custodientem, ne per insidias ab iniquissima bestia capiantur. Habet igitur Sponsa & Ecclesia murum & antemurale, quo primo munimur ab insidijs hostis humani generis. Arcet enim à malis cum dicit, *Ne mœchaberis:* & reliqua: deinde sic munita per Exo. 20. c. amorem Sponsi in Euangelicæ charitatis arce, sese quotidie sanctissimè exercet, adeò vt intima sponsi sibi mõ- C strari deflagret dicens; *Ostende mihi faciem tuam, & auditam mihi fac vocem tuam.*

Hoc est, non solùm per Legem & Prophetas mihi loquaris, sed iam totum te mihi declara: Quòd & Moses tali desiderio captus, Domino audet dicere; *Ostende te mihi apertè, vt te videam*: sed tunc Mosi dixit: *Nemo videns faciem meam viuet.* Huic tamen Sponsæ seipsum ostende- Christus incarnatus vt esset nobis exemplar virtutum. re volens nebulæ instar, se corpore circumtexit, sub eóque semetipsum occuluit, vt propriæ Sponsæ omnino se demonstraret per omnes omnium virtutum gradus, per patientiam & puritatem; vt pietatis formam & exemplar humilitatis haberet: Ideóque freta illius immẽso amore dicit; *Ostende mihi faciem tuam* Quod tum certò plenissimè effecit, cùm de intemerata Maria semper vir- D gine (humana carne velatus) Mundo illuxit, suæque sponsæ vocem suam notam fecit & certam docens in monte Oliueti, & cùm Euangelica præcepta per Apostolos in vniuersum terrarum Orbem prædicanda ipsi destinauit, & misit: tunc enim primùm faciem vidit Sponsi; & vocem audiuit cùm per prædicationem fidẽ accepit & charitatem, spémque futuræ veræ fœlicitatis agnouit. Ex quo debet quælibet fidelis anima, non solùm voce confiteri verùm & operibus comprobare se nosse Christum, vt qualis sit fides interior, per exteriora opera apertiùs innotescat. Nam si semetipsum & proximum ad bene beatéque agendum excitarit, & iuuerit; iure poterit, & quæ sequuntur, edicere: *Vox enim tua suauis, & facies tua decora.* Suauis certè vox Domini dicentis: E *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam* Matth. 11. d. *vos: Vox tua suauis:* dicens cæcis; *Secundùm fidem vestram fiat vobis:* Vox tua suauis, cùm dixit Paralytico; *Surge,* Matth. 8. d. *tolle grabatum tuum & vade in domum tuam.* Vox tua iocũda quæ dixit; *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Vox Mar. 2. a. tua dulcis, quando dixit; *Filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Vox tua semper amabilis, dicens leproso; *Vis mundari? & statim mundatus est lepra.* Vox tua iocunda, vento Matth. 9. a. Ibid. c. Matth. 8. a. imp[illegible], ac mari tranquillitatem faciens. Vox tua dul- Mar. 1. cissima, Lazarum à mortuis reuocans ac dicens, *Lazare veni foras.* Vox tua suauis & numquàm obliuiscẽda, cum Ioh. 11. c. Matth. 28. d. dixit; *Ite & docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, docentésque seruare præcepta mea, &c. Vox tua suauissima, dicens; *Venite benedi-* Matth. 25. *cti Patris mei, &c.* Vox tua iocunda, quæ [illegible]nes in sua nece siue passione seruauit: *Et facies tua decora:* Cùm for- Matth. 17. a.

mam

mam serui accepit vt nos liberaret à seruitute peccatorum, & cùm transfiguratus in monte, vt propriæ diuinitatis gloria corruscaret, & cùm intimè agnoscitur à sponsa. Tunc enim decoram agnoscimus esse faciem Domini, cùm ad illius diuinitatis arcana degustanda per contemplationem purissimæ mentis accessimus sed euitanda sunt mala, propterea ait: *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* Hæreticos (inquit) capite; qui vulpium vice, nocte latentes, paruas Ecclesias Fidelium sua prauitate corrumpunt, vastant, ac delent. Tales aquam turbidam semper epotant; vinum bonum, numquàm ad satietatem: ijdémque fidelis Ecclesiæ & orthodoxæ, palmites teneros adhuc & nouellos frangunt: ob idque paruulos esse in fide ostendit nec firmos, quos hæretici demoliuntur à fundamento fidei: propterea comprehendi hæreticos ipsos imperat, & longè à vinea depelli: ideirco dicit, *Et vinea nostra florent.* Quod est, Populi & Fideles, quique bonum odorem iam suæ fidei & probitatis exhalant: per Fontem enim sacrum loti & per vitæ integritatem, ad Dei charitatem & proximi bene olent. Sed vt floribus qui natura fragiles sunt & facilè cuilibet iniuriæ obnoxij, filij Sponsæ comparantur: sic timendum est omnino ne ab ipsis hæreticis & malorum consuetudine (quæ quàm plurimos perdit vel bonos interdum) tenelli in fide adhuc & imbecilli crudelissimè decerpantur. nam qui exercitati sunt in via Domini & perfecti, hi veluti robustissimi palmites non facilè diuelluntur ab obtusa falce hæreticæ prauitatis; de quibus sequitur Sponsa: *Frater meus mihi, & ego illi.* Ipse mihi sapientiam & ego illi cor dabo. Ille mihi de cœlis sapiẽtiam ego verò illi, de gentibus, fidei, spei, & charitatis fructus rependam: sentio enim me ab illo vehementer amari, ob idque firmissimè illi ipsi semper adhæreo, vel si aliquot videam ab eius amore discedere, ignorantes quàm ineffabilia sint bona tua & semper æterna, quàmque delectes, te semper amantes: propterea sequitur: *Qui pascis inter lilia, donec aspiret dies, & moueantur vmbræ.* Hoc est, qui inter pios iustósque versaris & castos, horum enim odore delectatur Dominus, cum his est assiduè, eritque semper quàmdiu puritate cordis & corporis munditia, sibimet & cæteris suauiter olebunt. Cúmque dies aspirabit, hoc est, iudicij dies aduenerit, in qua bonus Pastor clamat & dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, tunc dies aspirabit & mouebuntur vmbræ, quia vita æterna apparebit; & præsens vita quæ veluti vmbra fugit, finietur: omniáque vitæ præsentis opera & cogitationes quæ iniustos exercent, præteribunt: tunc omnia occulta patebunt, tunc vnusquisque hominum qualis fuerit, apparebit. O veram diem illam, in qua nulla nox, nulla mutabilitatis vmbra, nullæ rerum vices insunt; sed omnia lucidissima, stabilissima, æterna. Ad hanc vnam viri boni quotidie peruenire nituntur. Nam hæc tota tenebrarum caligine obducta, non finit nos lucem illam inaccessibilem intueri; sed caligamus in luce mundanæ varietatis: Ob idque sanctæ animæ hinc euolare cupientes, ad illam æternam semper anhelant per contemptum rerum humanarum, per iustitiam & innocentiam, summámque cordis humilitatem. Quocircà cupida sponsa dicit: *Conuertere patruele similis capreæ hinuloque ceruorum ad montes conuallium. Conuertere*, dicit, à Iudæorum Synagoga in gentes: quoniam illi præconium Euangelij salutaris disciplinæ recipere noluerunt, Conuerte te ad gentes. Comparatus est autem capreæ hinulóque ceruorum propter acerrimum visum & velocem cursum, ad omnes fines Orbis, in speciosis pedibus Apostolorum currens, de quibus Dominus prædixit in Scriptura sancta; *Quàm speciosi pedes Euangelizantium bona: ad montes* verò *conuallium* dixit; quoniam montes conuallium, sunt animæ iustorum: Montes quidem propter iustitiæ & virtutis excellentiam: Conualles verò, quòd veluti conualles verba fidei percipientes, ea fidelissimè conseruarunt. Dictus est autem Capreæ siue Dorcadis assimilis, nõ autem ceruorum; quoniam per Ceruos Patriarchas intelligit, ex quibus est natus secundùm carnem.

Hæretici sunt vulpes.

Matth. 25.

Rom. 10. c.

CAPVT III.

A *In cubili meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Quæsiui ipsum, & non inueni; vocaui ipsum & non exaudiuit me.* Cùm enim peccatis grauamur, tunc in anima dormimus in noctibus: hoc est, in sceleribus & tenebrosis desiderijs corporis voluptatum; nefandísque criminibus torquemur. Diù Christiani vocamur, sed opera Christi non imitamur; non mites sumus, non humiles, non pij, non iusti, non misericordes, non patientes ad omnes: propterea quærimus Sponsum, & non inuenimus; inuocamus, & non exaudit. Nam quomodò quæsitus inueniatur, & inuocatus exaudiat; ipsemet per Prophetam docet, cùm ait; *Quærite Dominum*, & in quærendo inuocate: cùm autem appropinquauerit vobis, *Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad Dominum, & miserebitur illius.* B Si ita quæremus ipsum, tunc nos exaudiet: At si in cubili delictorum iacemus, & noctibus vitiorum offundimur; tunc à peccatis quærimus ipsum, nec inuenire possumus, neque si inuocamus, exaudit: non enim nouit iniquis patrocinari Deus, nec obstinatos *peccatores exaudit.* Propterea dicit: *Nunquid non potest manus Domini saluare; an non potest misereri? sed peccata nostra diuiserunt inter vos & ipsum:* Et ideò; *Quæsiui & non inueni*; Inquit Sponsa & mater Ecclesia in persona peccatorum, vt eos admoneat abstinendum esse ab omni specie delictorum. Nam qui desiderat Spõsum Christum Iesum quærendo inuenire, inuẽtum possidere, possidendo frui; debet se quàmdiù viuit in hac valle miseriarum; abstrahere ab omni cupiditate rerum humanarum; nihil nisi necessarium humanæ vitæ, idque C bono modo & iusto appetere ac velle, honores fugere, diuitias aspernari, curiositates hominum & rerum caducarum euitare; & quoad fieri potest, in meditatione furæ vitæ & despectione præsentis commorari: Et quàuis in hoc Mundo nemo perfectè possit ab omni rerum perturbatione conquiescere; anniti tamen debemus, vt precibus assiduis & studio bonæ voluntatis diuinum auxilium semper implorantes in cubilibus nostris; hoc est in cordibus & animabus; nihil nisi Deum ipsum habeamus, in eóque solo delectemur & quiescamus; sicque surgentes ab humanis ad diuina, quæremus Sponsum nostrum, & facilè inueniemus vel in hac vita; sed in futura verè possidebimus: ait enim; *Surgam & circumibo in ciuitate per fora & plateas, & quæram quem diligit anima mea: quæsiui enim & non inueni*, D Nondum se illum inuenisse dolet, & surrecturam se dicit, rursúsque inquisituram per orationes & lacrymas. Nam cur adhuc non inuenerit, causam per seipsam exponit, cùm ait, *Surgam & circumibo in ciuitate per fora & plateas:* hoc est, à præteritis vitæ meæ actionibus surgam, à malorum consuetudine discedam, ab illecebris voluptatum rerum omnium humanarum absistam ac desinam, discutiam conscientiam meam, & diligenter examinabo per circuitum actiones vitæ meæ recogitabo annos vitæ trãsactæ: studiosè quæram in ciuitate, hoc est, in, Ecclesia, in scripturis sanctis, in sanctorum vitis & exemplis, quomodò rectè ambulare ad te debeã, & quomodò hucusque vixerim & ambularim Per latas enim & apertas peccatorum vias in- E cessi, communes mores & consuetudines aliorum imitata sum: ob idque per fora & plateas dicit se disquisituram, secundùm illud, *cogitaui vias meas & conuerti pedes meos in testimonia tua.* In foris enim & plateis exponuntur, venduntur, tractantur omnia corporis voluptati solummodò idonea ac grata, quibus animæ Christianorum miserabiliter captantur & occidũt. In ijs se quoque versatam confitetur, ab ijs se prohibitam ne quærendo Dominum inueniret: Arcta est enim via & angusta quæ ducit ad vitã, sed dum ita sese castigat anima fidelis & quæ Spõsa esse flagrat, dum se vitámque suam & mores suos omnes & actus recenset ac iudicat, rectè meretur habere, quod sequitur: *Inuenerunt me custodes, & qui circumeunt in ciuitate; num quem diligit anima mea, vidistis?* Custodes &

Ioan. 9.
Isa. 55. b.

Ioh. 9. f.
Isa. 59. a.

Christus quomodò sit quærendus.

Psalm. 118.

circumeuntes in ciuitate, Iustos appellat & Doctores sanctos, Prophetas & Apostolos qui mandata Dei custodiunt, circumeuntes in cœtu Fidelium si quem inuenerint cupidum æternæ vitæ, Dei peramantem, & illi soli seruire cupientem, hunc enim erudiunt, instruunt, docent, ac monẽt qua via ad Sponsum tuto peruenire possit. Sed voluntariè seruiendum est Deo, vocanti obediendum est actutum; non debemus expectari diutiùs, impelli, sed nostra sponte interrogare, perquirere, indagare per Scripturas sacras, per exempla bonorũ, per rectas prædicationes veritatis, per consilia salutaria, & admonitiones seruorum Dei, qua ratione Sponsum nostrum inuenire, consequi, & continere valeamus. His enim imbuta mens & fidelis anima incipit altiùs ascendere & propiùs videre Deum: ideò sequitur, *Paululùm pertransiui ab ipsis, & inueni quem diligit anima mea.* Vt primùm à peccatorum nexibus ac labe liberati sumus, & Mundi, vtique à malis ad bona conuersi sumus: tunc inuenimus

Osee. 14. a. quem anima nostra diligit, secundùm illud: *Conuertere, conuertere ad Dominum*, derelinque peccata, & odio vehementer habeas iniquitatem. Et iterum, cùm nobis annũ-

Isa. 55. b. ciat bona, *Derelinquat impius vias suas*, sicque incipiat Scripturas sanctas, & Sanctorum Vitas diligenti studio perquirere & imitari: vt quid de Christo senserint, intelligat, intelligendo, bene agat, bene agendo, perseueret: cúmque sic ab illis sanctè doctus & rectè admonitus, mentis oculos ad autorem suum cœperit attollere, facilè inueniet quem auebat: non modò in Sanctis illis omnibus, non in Scripturis, nõ in factis ac dictis hominum (quamuis bonorum) tanquàm in fine suo quasi paruulus taceat semper ac repat, sed se aliquando attollat ad Deum vnicam spem & salutem nostram, illum ipsum intelligat Creatorem omnium & redemptorem, illum finem nostrum. Cætera omnia & omnes homines ab ipso creatos, ipsique soli ministrare ac subdi oportere. Væ quibus homo spes est, & desiderium: scriptum est enim, *Maledictus homo qui confidit homini.* Adhæreat ergo soli Sponso, feruenti animi desiderio, de ipsóque sola loquatur & sentiat cogitet meditetur & agat, sic enim poterit quod sequitur adipisci: *Tenui illum, nec dimittam, donec illum introducam in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ.*

Christus quomodo a nobis retineri possit. O quàm tenet illum, & (vt ita dicam) cogit Fidelium anima, dum beneplacita illi & accepta facit. Delectatur enim Sponsus quemadmodum Sponsa, iustorum vita, moribus, societate atque consuetudine: tenetúrque operibus virtutis, non manibus armatorum, non diuitum pompis, non opulentorum iactantia, non elatorum fastu, non gulæ, somni luxuriæ, inuidiæue, morbo laborantium: sed misericordiæ, pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ, beneuolentiæ, castitatis, & precibus rectorum: tunc in domum matris nostæ volens libentissimè introducitur Sponsus. Per domum Matris cor cœlestis sapientiæ ipsius Verbi arbitror intelligi: &

2. Cor. 6. per *cubiculum genitricis*, hoc ipsum cor. Nam domum quidem propter illud puto dictum, quod legitur, *Inhabitabo in vobis, & inambulabo.* Per cubiculum verò (quoniam in cubiculo quæque optima collocãtur & preciosa) fides, spes, charitas, iustitia fortitudo, temperantia, prudentia, patientia, virtus: hæc quidem non corporis, sed animi

Psalm. 4. b. sunt ornamenta. Siue ad illud respexit; *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Possumus per *domum matris*, & Iudæorum Synagogam intelligere quæ mater fuit Sponsæ: ex ipsa enim sanctos prædicatores habuit, ex quibus verbũ veritatis accepit per quod in fide regenerata fuit. Tenet ergo illum Sponsa Ecclesia, donec *in domum matris* suæ reducat: numquàm enim ab eius fideli amore recedet, donec Iudæos ad fidem Sponsi adducat, nec tunc quidem recessura, sed multò magis amatura Sponsum & eos omnes quos ex Iudæis conuerterit, quos vel adhuc amat propter ipsum. *In domum* ergo *matris* Sponsum introducet, cùm in fine Seculi Ecclesia per prædicatores suos Iudaïcam plebem ad Christi ouile colliget, & suis imbuet sacramentis, &

A ex multis quod de illa coget, sanctum cubile faciet, in quod quidem (preciosa omnium virtutum supellectili ornatum) iucundissimè Sponsus introducetur. *Deliciæ* *Prou. 8. d.* enim eius *esse cum* rectis *filiis hominum*, qui abiectis inutilissimis oneribus iisdémque mergẽtibus in gehennã, rerum caducarum; sese totos soli Sponso deuouerunt & addixerunt; nihil aliud dies ac noctes, auentes, quàm vnum Deum animo complecti, eúmque studiis rerum optimarum promereri, & adipisci: huiusmodi viros, cubile faciet Sponsa, cùm tempus illud aduenerit de Iudæis, nec tamen interim cessat quotidiè efficere & habere, in quos possit Spõsum introducere. Habet enim* petrã pro se orantẽ, quãuis pro fidei meritis modò paucio- ** Petrum* res modò plures habet Ecclesia, in quibus nunc quiescens exoptat nõ turbari: ait enim; *Adiuro vos filiæ Ierusalẽ*

B *per ceruos & potestates agri, ne exuscitetis, neque euigilare faciatis charitatem donec ipsa velit.* Hic patientiæ & expectationis describitur forma: nam cooperatrices ad orationẽ filias Ierusalem cœlestis appellat, hoc est iustorum animas, ac petit, ne exuscitent atque excitent Sponsum vnigenitum ad ipsam sponsam *donec velit*: vnde rectè Sponsus ad illã ait *Quæ est hæc quæ ascendit à deserto veluti virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* A deserto enim ascẽdit, hoc est, ab idololatria auocata spõsa, Ecclesiam facit: quæ tanquàm fumi virgula (vt ait) myrrhæ, thurísque odorem à passione sui sponsi per vniuersum Orbem suauissimè effudit: nam myrrha, sepulturã; thus verò, diuinitatem significat sponsi: à quo spõsa ipsa comparata, aromata diuinorum eloquiorum atque

C virtutum & Prophetarum redolere videtur. Virgula verò eadem vocatur secundùm illud Hieremiæ: *Erit in ipsa, virgula nemoris ac syluæ.* Est enim tãquàm in deserto nunc Ecclesia, & sancta quæque anima quandiù viuit; quia inter Dæmonum pessimarum bestiarum letales morsus, & inter pestilentes auras humanæ laudis ac gloriæ, virulentásque humanæ malitiæ prauitates, periculosè admodũ versatur & agit; non tamen à sponso deseritur quãuis per exilia & varias tentationes adhuc peregrinetur. Nondum enim cum eo tuta regnat; ob idque quandiù abest, laborat quasi ab eo deseri videatur, vt quem verè diligit, vel hic sentiat adesse quãdoque: quatenus in carne mortali Deus sentiri & teneri potest à Fidelibus suis, vt reficiantur mentes & animæ laborantium: eiusque

D desiderio accensæ ad ipsum tandem aliquando peruenire possint. Sunt certè nonnulli adhuc in carne, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cœlestia attollũt, nihilque aliud optant ac student quàm sese sponso suo per intimos cordis affectus adiungere, in eóque solo delectari ac pasci, spretis rebus omnibus Mundi, sémetipsis neglectis atque mactatis in corde, in carne, in actu, & habitu, in omni deniq; opere ac verbo: solo diuino amore accensi, veluti virgula deserto in cœlum ascendunt, odorem sanctitatis & bonæ famæ, subtilitatẽque mentis & recti iudicij olentes: hi non cuiuslibet fumi odorem redolent, sed myrrhæ tantummodò ac thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Myrrha defunctorum corpora condiuntur, ne putrescant: Thura, vt bene

E oleant, incenduntur. Illa cuncta carnis vitia & sensus omnes illecebræ domantur, ne delectatione scelerum vertatur in saniem: his docetur anima, vt mundæ fiant planéque acceptæ sponsæ orationes omnes ac preces. Fidelis ergo anima dum carnem suam à putredine vitiorũ purgat ac seruat, dum omnes Mundi voluptates continentia superat ac vincit; quasi myrrham mortuo corpori illinit, vt post iudicium à corruptione illa æterna integrum incorruptúmq; permaneat. Cùm verò se ad cœlestia maiori desiderio accendit depulsis à cordis cubiculo importunis cogitationibus quibusque, reiectisq; curis omnibus & studijs rerum caducarum; cor suum ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratissimum facit: in quo quidem corde eum per amorem virtutes colligit, quasi carbones in thuribulum cõgerit quibus seipsammet

semmet in conspectu Dei igne charitatis accendat: dum feruentes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi A fumum aromatum ex thuribulo exhalat vt coram sponso suaue redoleat; proximos quosq; ad eius amorem per bona exempla concitare non desinat. Sed cauendum est diligenter ne pigmenta solùm, sed vt & puluerem pigmẽtarium congeramus. Pigmenta quippe virtutes sunt in corde collectæ, quæ quidem tunc puluis pigmentarius fiunt cùm diligenti iudicio sigillatim recensentur, & mentis acrimonia quasi pistillo conteruntur; ne qua rudis adhuc ac crassa incultáque omnino affectio, sub virtutis nomine vitium re vera fiat ac scelus. Huiusmodi Sponsæ Deo placent, ipsíque per eius gratiam gratæ fiunt & periocundæ. In his enim sic ornatis cubiculum semper habet, & requiescit: ob idque narrare sequitur; *En lectulum Solomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel.* B Lectulum siue cubiculum Solomonis, Ecclesiæ cõparat Filij Dei: priùs enim quàm ipsam suo sanguine cõparasset, dicebat: *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*; sed postquàm hanc elegit, factum est cubiculum Solomoni: illi (inquam) pacifico qui omnia pacifica reddit in cœlo & in terra. Quæcunque enim sponsa cor suum in sollicitudinibus Mundi purgat ac vacuat diuinóque amore replet, cubiculum parat sponso suo Christo Iesu; cum eóque ab omni perturbatione rerum humanarum requiescit ac gaudet. Per sexaginta ex fortibus Israel qui circumdant cubiculum ipsum; hoc est, Ecclesiam, & quámlibet fidelem animam custodiunt Lege & institutis: Apostolos dici arbitror, à Prophetis secundos immissos, & Martyres pro Christo passos, & ex Prophetis C collectos multos. Sexaginta potest & ad numerum sexagenarium, qui ex Circumcisione venerunt secundum Legem. Nam quoàd numerum sexagenarium, qui ex denario & senario decies ducto constat, decalogus potest intelligi, & vniuersum huius vitæ tempus quod sex diebus laboriosis voluitur: Siue ad illud respexerit quòd sexta die creata & perfecta sunt omnia; nam septima requieuit. Et post omnia condita, decem præcepta Legis data sunt homini, vt qui naturæ Legem abiecerat diuina saltem frenaretur. Horum singuli gladium habere dicuntur, bellum edocti ac pugnam; hoc est, Lege & diuinis præceptis instructi (*Viuus* enim *sermo Dei & efficax, omnique gladio ancipiti acutior*) non quidem contra homines, sed aduersus spiritus nequitiæ debellandos edo- D cti; secundùm Prophetam dicentem; *Mansuetus esto bellator.* Vnde sequitur: *Omnes tenentes gladium, bellum edocti, vnusquisque vir gladium suum super femur suum propter pauores nocturnos.* Quicunque verbum Dei corde & opere complent, hi sapientissimi atque fortissimi pugnatores, hostem suum diabolum calumniatorem nequissimum humani generis prosternunt: gladius enim (vti diximus) legem significat & Dei verbum: quo (per temperantiæ & prudentiæ officia) carnis opera, & terrenæ cupiditates omnes præcidũtur. Hi sunt, qui in manibus suis; hoc est, rectis operibus; propriæ conscientiæ gladium suum tenent, non alienum: non enim alienis precibus solummodò præfidunt & sanctis actionibus; ipsi verò negligẽtes ac pigri, & (quod grauius est) polluti, aliorum bo- E nis adiuuari temerè præsumunt. Frustrà enim pro eo rogatur Dominus, qui Dominum ipsum non desinit irritare. Hi sunt (inquam) qui diligenti obseruatione mandatorum sese ab impietatis operibus abducunt, carnémque suam cum vitijs omnibus & concupiscentijs vincũt ac mactant; ob idque ensem super fœmur suum tenere dicuntur; nam femur, carnis illecebras & voluptates (vti dictum est) significat; ne cupiditatibus victi serui Dei, præcipites ruant. Hinc illud; *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Carnis luxuria vincenda prorsus, & bonis operibus illucendum est proximis nostris quandiù in hac formidolosa nocte mortalis vitæ sumus, & peccatorum nexibus plena in qua piorum mentes ne vsquàm offendant aut ruant; extimescunt *à timore nocturno*, à fragilitate humanę carnis inimicæ semper mẽtis operibus honestis ac sanctis: timent enim ne vincantur, A secundùm illud; *Non quod volo, hoc facio.* In noctibus ergo cupiditates carnis amputandæ sunt omnino, vt integerrimæ intemperantiæ & castitatis fructus suo tempore metamus cum fiducia: Nihil est enim quod bonorũ mentes faciliùs euertat, quàm animi mollicies ac corporis. Propterea domanda caro, vincendæ voluptates, tollendæ occasiones pugnæ; maximè teneris adhuc mẽtibus bellatorum. Tunc enim apparet virgula illa aromatum, de qua supra diximus, surgens à deserto. Quod quidem Desertum siue animam intelligas quæ deseruit aliquando vitia omnia, & virtutes accepit: siue Ecclesiam quæ à deserta Synagoga nasci cœpit, nihil refert in præsentia: nam anima ab omni labe peccati detersa ac mũda, veluti flammæ virgula, quotidie surgit ad Dominum B per odorem sanctitatis & precum. Ecclesia quoque non cessat ad Christum Sponsum suum bonos odores emittere; quæ quidem sponsa fieri non potuisset nisi Synagoga (ob delicta sua) repudiata, vt inquit Apostolus; *Si peccatum ipsorum, diuitiæ sunt Mundi, & abiectio eorum, diuitiæ gentium; quæ assumptio nisi vita mortuorum?* Quòd autem & desertum Iudæorum synagogam significet; testatur Dominus noster Iesus Christus dicens ad eos, *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Quare ex hoc Deserto demonstratur per Saluatorem ipsum, à quo illi superiùs dicitur: *Quæ est hæc quæ ascendit à deserto tanquàm virgula fumi ex aromatibus?* Quandoquidem per sanctissimæ passionis odorem salutarem, fidem scilicet spirauit in Christum & sanctorum thymiama: *myrrha* enim, inquit, *& thuris, & om-* C *nis pulueris pigmentarij.* Myrrha passionem, vti iam dictum est, & thus diuinitatem demonstrat. Ecce lectulus Solomonis: lectulum intellige sepulchrum Iesu qui omnia pace repleuit per propriam suam necem, atque resurrectionem, de quo lectulo & Angeli testantur, cùm dixerunt; *Ecce locus vbi posuerunt eum. Sexaginta potentes in circuitu eius ex fortibus Israël.* Potes & illos omnes intelligere, quos Iudæi sepulchro Iesu custodiendo præfecerũt, habentes romphæam, doctos ad pugnam; vnusquisq; gladium suum super femur suum propter metus nocturnos. Hæc enim acciderunt illis custodibus, quando custodientibus ipsis terræ motus factus est magnus: *Angelus enim Domini adueluit lapidem*, & in nocte ipsa custodes exhorruerunt, *& facti sunt velut mortui.* Idcirco dixit, *à* D *pauoribus nocturnis*: sed de laudibus Sponsi prosequitur nunc dicere: *Ferculum sibi fecit rex Solomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas.* Ferculum sibi fabricauit Deus carnem ipsam humanam, in qua delituit Deus & homo, vt homo homines alloqueretur. Vt enim Consules & Duces, dum procedunt, in ferculo sedent, per ipsósque negotia Mundi reguntur: sic & in carne humana Deus cõuocatam Ecclesiam sanctam, ferculum sibi fecit; quo quidẽ, non mundi negocia sed cœlestis regni documenta firmauit. Ferculum enim non modò caro Iesu Christi dicitur, sed & ipsa Ecclesia quæ corpus est ipsius: quippe quæ digna facta sit illum ipsum ferre Filium Dei, secundùm illud; *Glorificate Deum in membris vestris.* Hoc igitur ferculum humanitatem Iesu Christi spiritalis Solomon E appellauit, & fidelium cœtum; *Sapientia enim ædificauit sibi domum.* Sed vnde hoc ferculum? De lignis Libani, hoc est, de prædestinatis & electis sanctis suis, Abrahã, Isaac, Iacob, & reliquis eiusmodi in Ecclesia sua sancta in æternum permansuris. Columnas verò argenteas, sanctos Apostolos intelligit, & rectos Christi prædicatores qui (columnarum instar) intra hoc ferculum Christi sponsam per vniuersum terrarum Orbem verbo spiritus sancti gestarunt ac gerunt, quod & Apostolus confirmat, dicens; *Iacobus & Ioannes qui columnæ esse videbantur.* Qui argento propterea comparantur, quòd syncera fide & rectæ prædicationis opera, veluti argentum refulserunt, ipsíque Ecclesiæ sanctissimè ministrarunt. Vnde sequitur adhuc sponsa de ipso. *Reclinatorium suum fecit aureum & ascensum eius purpureum: intrinsecus verò lapide strauit, & charitate è filiabus Ierusalem.* Aureo reclinatorio Mar-

Luc. 9. g.

Hebr. 4. c.

Conscientiæ propria gladius.

Luc. 12.

Psalm. 90. a.

Rom. 7. c. d.

Mollicies facillime euertit mentes bonorum.

Rom. 11. b.

Math. 23. d.

Mar. 16. b.

Math. 28. a.

1. Cor. 6. d.

Prou. 6. a.

Gal. 2. b.

tyres comparantur. Nec tamen existimes Apostolorum chorum Martyribus inferiorem; nam & ipsi martyres extiterunt, factique sunt reclinatorium Christo: nam ante ipsorum testimonium vnigenitus dicebat: *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Comparantur etiam auro propter fidei probationem, & ærumnarum tentationúmque firmissimum argumentum: *Tanquam aurum,* inquit, *in fornace probauit eos, & veluti hostiam holocausti accepit eos.* In his enim & singulis electorum animabus resplenduit aurum, dum eis diuinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit: ex qua dum pulchritudo cœlestium gaudiorum paululùm monstratur, quasi reclinatorium aureum fit electis, in quo se vel in hac mortali luce contemplando refocillent ac requiescant. Nihil hoc ipso reclinatorio dulcius, nihil suauius, nihil denique diuinius. *Melior est* enim *sapientia cunctis operibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ad hoc reclinatorium multis laboribus peruenitur, quàm plurimis ærumnis & corporis incommodis ascenditur: ab huius ascensu nullo metu, nullo corporis damno, nullo flagello debemus absterreri, vel si sanguis effundi debeat: ob id enim purpureus esse dicitur. Nam & sanctissimi quiq; Martyres, dum ob vitam illam sempiternam sua corpora ad supplicia tradiderunt, dum flagella ac verbera, carceres ac famem, eculeos, ignes, gladios ac fustes, & id genus alia innumerabilia tormenta, ac mortem æquanimiter pertulerunt; nonne reclinatorium illud (beatam vitam scilicet) per gradum purpureum ascenderunt? sed heu nos miseri! quid agimus, qui in hoc ferculo ne columnæ quidem ex argento sumus; quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec doctrina prædicationis augemus? In ea reclinatorium aureum non habemus, quia terrenis cogitationibus inuoluti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus! Ascensum purpureum ignoramus, quia voluptatibus impliciti, labores & ærumnas pro æterna beatitudine ferre recusamus! Consolatur tamen nos aliquando, quod lapide & charitate interna constrata dicit à filiabus Ierusalem: Nam etsi veluti fœminæ, non mares (filias enim, non filios Ierusalem appellauit) imbecilli sumus ac timendi in Ecclesia, qui contra vitia fortiter non reluctamur, nec viriliter malis obsistimus; fide tamen & charitate cum summis Ecclesiæ membris ad eandem Sponsi beatitudinem peruenire possumus si charitatem ipsam indefessam fidémque seruamus: Ierusalem enim, visio pacis interpretatur; quæ matrem nostram Ecclesiam significat, eò quòd assiduè pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo cœlestis regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum non habemus, per gradum purpureum ascendere non valemus; fidem saltem & charitatem quæ communis est omnibus electis, & quæ quasi in medio posita est, teneamus: per hanc enim Rex Solomon nos in ferculo suo esse cognoscit, quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Ierusalem etiam media & interna charitate constrauit. Sunt qui etiam per ascensum purpureum, lauacrum sacri Fontis intelligant: vt enim purpura regale est indumentum, sic & lauacrum cœlestis regis, regia nos veste amicit. Nam si corruptibilis purpura tantùm habet studij apud mortales, ne maculetur atque sordescat; quanquàm peritura omnino & belluis marinis comparata: quantò maiori studio atq; diligentia, hæc animi cõseruari debet cœlestis Lauacri Regeneratio; non ex maritimis quidem feris, sed ex cœlestibus thesauris sacratissimis Iesu Christi sanguinis fulgentissimum colorem habens & sempiternum? Quod verò lapide & charitate interna ac media, constratam dixit, admirabilem pulchritudinem (vel in hac militanti Ecclesia) iustorũ chori laudare videtur & efferre. Nam per filias Ierusalem, multitudinem Fidelium intra Ecclesiam Christi contineri declarat: in qua quidem lapidibus sanctis viros integros ac iustos comparat, secundùm illud; *Lapides sancti voluuntur super terra nostra;* eò quòd humi iacuerint, & genu flexerint. Qui quidem charitate vniuersam Legem complentes, in ea persistunt nec ab eius mandatis & charitate diuelluntur. Filias verò Ierusalem, animas sanctorum Apostolorum vocat; quæ quidem non in hac terrena, sed in illa cœlesti Ierusalem in perpetuum requiescunt. Vnde sequitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Solomonem in diademate quo coronauit eum mater eius in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui. Egredimini,* scilicet à Legis maledictione, à Iudæorum incredulitate atque perfidia: *& videte regem Solomonem:* hoc est, Dominum nostrum Iesum Christum, *in diademate quo coronauit eum mater eius;* quando illius capiti, Iudæorum nequitia coronam spineam crudelissimè imposuit. Matrem suam carnis, ipsam appellat Synagogam, quoniam secundùm carnem ex Iudæis natus est Christus. Dies autem desponsationis eius tres sunt: passionis scilicet; tunc enim sibi hanc sanctam Ecclesiam Gentilium desponsauit; tunc & illud Osee Prophetæ adimpletum est quod dicitur; *Desponsabo te mihi in fide & charitate.* Tunc fuit & in die lætitiæ cordis sui; cùm in illa die Paschatis in qua Iesus lætitia affectus dixit discipulis suis; *Desiderio desideraui hoc Phase manducare vobiscum.* Tertia verò cùm resurrexit à mortuis, & apparuit discipulis suis. Siue incarnationis dies prima intelligatur cùm deitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam suam sibi assumere illi placuit. Tunc cum charitatis exultatione, carnem nostram ex Maria virgine suscipere dignatus est; in qua cum doloribus pro tempore viuens, de redemptione nostra vehementer exultauit. Secunda verò dies, cùm pro salute nostra in humilitate gloriæ Dei sed exaltatione humanitatis, quasi diademate coronatus fuisse dicitur; & verè mortuus, resurrexit pro redemptione & gloria totius humani generis: ipsius enim membra sumus & corpus per communionem ipsius qui est caput nostrum. Tertia verò dies & vltima, cùm ascendens ad cœlos, Spiritus sancti ignem in filios adoptionis effudit ad gentium cõuersionem & fidẽ; sic enim dilexit Ecclesiam ac Spõsam; à qua cùm laudatus sit huc vsque, vicissim & ipse laudibus nunc attollit Ecclesiam.

CAPVT IIII.

Ait enim: *En pulchra es propinqua mea: Ecce formosa es: Oculi tui columbarum, præter ea quæ de te silentur.* Laudat huius suæ Sponsæ pulchritudinẽ Sponsus, nec semel, sed bis cùm dicit; *Pulchra es, &c, formosa es propinqua mea:* vt non modò fide speciosam, verum etiam operibus iustitiæ ornatam illam esse declaret. Quod verò oculos illius columbarũ appellat, sinceritatem & innocentiam oculorum mẽtis spiritualium eiusdem cõmendat ac celebrat: *Præter ea quæ de te silentur;* vel, quæ intrinsecùs latent. Aliam quoq; pulchritudinẽ & speciẽ quandam interiorem ex taciturnitate, huic sponsæ inesse testatur: sæpè enim multi Piorũ, ore quidem tacent corde verò clamant, gratas Deo preces offerentes, vt beato Moysi tacenti dictũ est; *Quid ad me clamas?* Et beata Anna cùm tacita deprecaretur, fructũ suauissimum suæ orationis accepit magnum scilicet Samuël. Magna igitur laus, honestè foris inter homines conuersari, & coram proximis bonorũ operum lucis exempla monstrare; vnde speciosa appellatur à Sponso: sed maxima prorsus laus & commendatio est Ecclesiæ & cuiusque fidelis animæ, cordis arcana sanctissimè custodire; eáque illibata atque sincera retinere, depulsis omnibus illecebris voluptatum, & desiderio rerum humanarum longissimè abdicato: soláque cœlestia contemplari animo, mente capere, & cogitatione complecti, nec aliud meditari ac velle (quandiù huic carceri teterrimo inclusi sumus) quàm soli Deo optimo maximo, interno animi desiderio semper inhærere, eíque aliquando in sempiternum coniungi velle; idque & quàm celerrimè & quàm optimè fieri velit ipse cuius arbitrio & huc demissi & hinc omnino discessuri sumus. His enim Sponsæ occultis animi ornamentis maximè delectatur sponsus qui de eadem sic loquitur: *Cincinni*

Luc. 9. g
Sap. 3. a
Prou. 3. d
Tres dies desponsationis Christi.
Ose. 2. d
Luc. 22. b
Ex. 14. d
1. Reg. 1.

cinni cui tanquàm greges caprarum, Quæ ascenderunt ad Galaad. Cincinnis siue capillis, multitudinem Christiani populi comparat, mysticam (vt arbitror) significationem continentibus secundùm Apostolum dicentem; *Mulier si se comit, hæc illi gloria est.* Coma enim & capilli Ecclesię, multitudo sunt populorum Christo credentium: Coma námque pro tegumento data est capitis ornatu. Quare capilli Sponsæ Christi concilia atque cœtus hominum sunt & conuentus populorum vnum Deum colentium, verum ornamentum ipsius Sponsæ & gaudium Iesu Christi qui caput est Sponsæ & totius humani generis conditor atque redemptor: secundùm illud Prophetæ; *Omnes ipsos induet, & ornabit eos veluti sponsa ornatum.* Nec mirum videri debet ac durum, per capillos, Fideles populos designari. Nam si per oculos prædicatores Ecclesiæ & quosque illustrissimos sanctitate viros accipimus; quòd cæteris quasi lumen ostendant ac viam, qua bene gradiantur ad vitam: cur non per capillos, populorum turmas, qui ijdem Sponsæ maximo sunt ornamento, capiamus? Sint ergo capilli Sponsæ veluti caprarum greges, fideles populi; quia dum præcepta Legis ruminantur & fide cœlestia contemplantur, munda sunt animalia quæ (caprarum instar) alta atque sublimia depascuntur animo. Quòd autem à Galaad ascendere dicuntur, candidatorum Martyrum laudat exercitum: qui dum fidē Christi insuperabilem tenuerunt, testimoniū veritati vel per mortem suam perhibere non timuerunt. Possumus etiam per Galaad, quod Aceruus testimonij interpretatur, Prophetarum & Apostolorum de Vnigenito verissima vaticinia atque testimonia intelligere: qui verbis ac rebus Christo nascituro, iámque nato fidelissimè testificati sunt. Vnde in ipsa per Dauid nouit psallere, cùm dicit; *Testimonia tua meditatio mea est, & consilia mea iustificationes tuæ. Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum & non confundebar.* Greges ergo illi caprarum de Galaad ascendêre, quia populi Christiani eò promptiùs corporis incommoda atque supplicia perpessi; & cœlestia concupiscunt, & humana omnia aspernantur & peritura, quò fortiùs ac veriùs sanctos Prophetas, Apostolos, & Martyres eidem fidei testimonium perhibuisse norunt: vnde sequitur laudare Sponsam; *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ de lauacro ascenderunt omnes gemellis fœtibus; & sterilis non est in eis.* Hic ordo colligit antedicta atque connectit, cùm *dentes* tuos *vt greges tonsarum* vocat, vt enim per oculos, prædicatores sanctos & doctores Ecclesiæ intelligit, per quos Ecclesia illuminatur; sic per dentes, eosdem possumus accipere: ab ijs enim & infideles conteruntur, & paruuli adhuc in fide nutricantur. Sancti enim prædicatores veluti dentes, cibum salutarem Scripturarum & mandatorum imperitioribus exponentes; tanquàm matres filijs paruulis panem commanducant, quò fortiores (in dies) ad cœlestia conualescant: hi rectè gregibus tonsarū de lauacro ascendentium comparantur; quia dum se per lauacrum Spiritus sancti ex baptismate regeneratos esse intelligunt, libenter onera huius sæculi deponunt, séque ipsos ad æterna consequenda, & alios sanctissimè adhortantur. Quare Christianos omnes veterem hominem cum actionibus simul & cupiditatibus suis omnibus exutos esse oportere declarat, cum dicit; *Quæ ascenderunt de lauacro:* hoc est; Animas sacro Fonte renatas ac lotas à terrenis cunctis rerum humanarum studijs minimè necessarijs; fide verò illustratas, & spei & charitatis duplici purpura atque mito candore perfusas: Gemello enim fœtu ornatos omnes, nec vllam inter eas sterilem appellat. O admirabilem Sponsi charitatem! O immensam illius sapientiam, qui *disponit omnia suauiter, & attingit finem vsq; ad finem.* Solæ descenderunt in aquam fideles animæ, sed duplici Spiritus sancti partu ornatæ, fœcundissimè, ascenderunt charitatem scilicet Dei ac proximi; nec vlla sterilis esse potest inter veras Christi oues. Gemina quippe semper dilectione fœcundus esse debet bonus Christi seruus; hoc sibimet fidelissime tenere, hoc exteris prædicare, vt quod sequitur rectè audire possit: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum speciosum ac pulchrum.* Vitæ coccineæ labia confitentium atque prædicantium Christi necem ac sanguinem comparat; & hunc lauātem scelus omne, per quē salus data est homo generi. Vt enim Raab meretrix, signum coccineum in fenestra suspendit, per quod domus eius seruata fuit; sic & Ecclesia per inuictam confessionem, Christi fidem, & veram charitatē filiorum, veluti in fenestra coccineum velum habet; per quod sanctissimam Trinitatem apertè confitetur, adorat, & credit; indéque salutem æternam amplexatur & tenet: Si quis enim erubuerit confiteri Iesum Christum, vnicum Dei Filiū, & Patrem, & Spiritum sanctum, Deum Trinū & vnum; Trinum personis, Vnum substantia, atque natura coæternum, consubstantialem, coęqualem, parémque omnino & vnum; & item Patrem & Filium & Spiritum sanctum, essentiā, potestate, sapientia, prouidentia, & quicquid essentialiter de Deo prædicatur, Nam Filius quò ad humanitatem tantum, minor est quàm Pater; cætera compar omnia, principium de principio: Nam solus Pater principium sine principio esse dicitur. Siquis (inquam) de Deo palàm confiteri extimuerit; non audebit (quia nolet) Sponsus eum confiteri coram Patre suo, vt ipsemet nos admonet in Euangelio: vnde rectè sequitur; *Eloquium tuum speciosum atque suaue:* Delectat enim bonos, malos instruit, credentes offirmat; nam & præcepta vitæ loquitur, qui bene vidit ac docet: & veluti vitta coccinea, fluxas cordis hominū cogitationes sanctissimis suis verbis, quasi capillos sparsos, ne immoderatè fluant, astringit ac firmat; in Deúmque bene viuendo colligit ac comit. Sed coccinea esse debet & vitta & verbum; hoc est, igni amoris accensa omnis admonitio proximi atque doctrina, ne quid nisi charitate Dei & proximorum adducti faciamus. Tunc enim frugifera sunt verba & exempla, prædicationes & opera, sacrificia & preces, oblationes & dona: *Ignitum enim eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Omnis qui verus est Christi seruus, & libenter verba Dei audit, & audita studiosè conseruat ac exercet, indéque fit vt de se audiat, quod sequitur: *Sicut mali corium, malum tuum: præter id quod in te latet.* Per Malum (quanquàm superiùs diximus quid significaret; prædicatores tamen possumus nunc accipere, & veros quosque Christi seruos; qui (dum sibi ac cęteris prodesse student) veluti, cortex mali punici, colore igneo bonorum operum, in facie Ecclesiæ splendent. Per malum verò punicum, ipsa Ecclesia & fidelis anima designatur: quia vt in illo multa suauiora grana; sic & in Ecclesiæ sinu multi fideles populi in vnitate fidei continentur: dúmque multi ex his diuino seruitio sese cæteris valentius astringunt ac dedunt ita vt omnia mundana contemnant ac fugiant, voluntates suas abnegent, & vitia sua omnino purgent ac lauent, séq; deprimant, cæteros extollant, dum suis exemplis multos Deo alunt ac parant: hi veluti mala punica iam matura, planéque gustui suauia, sese proximis in salutarē cibū aperiūt ac potum. Plura autem atq; maiora sunt quæ in his latēt quàm quæ fidelium oculis exponuntur, ob idq; dixit; *Præter id quod in te latet.* Nunc ad reliquas Sponsæ laudes accedit: *Collum tuū sicut turris Dauid &c. Collum,* fides, dicitur humanæ rationis forma: vt enim longiùs visuri, collum extēdimus; sic per fidē & rationis visū, futura prouidemus, & longè posita præstolamur. Tales sunt fideles omnes qui & se bene docēt ad bene beatéq; agendū, & cæteros instruūt ad futuram gloriam; hi tanquàm turris Dauid existimantur: etsi turris Dauid Sponsus potest accipi, eò quòd ex Dauid secundùm carnem natus, ad genus humanum protegendum huc venerit. Cunctos enim Deus ad se confugientes & suam opem implorantes, turris instar ab omni malo defendit atque tuetur; à diaboli scilicet laqueis ac dolis assiduóque prælio, conseruat illæsos. *Turris* enim *fortitudinis à facie eius,* vt Dauid inquit; Qui & manu fortis esse dicitur, & in Thalpioth turrim ipsam

Concilia sunt capilli Ecclesiæ.

Sap. 8. a

Iosu. 2.

Solus Pater est Principiū sine principio.

Psal. 60. a

ædificasse. *Thalpioth*, altitudo interpretatur: rectè enim in altissimis re vera domus Dauid ædificata est: quandoquidem in sinu æterni Patris ante sæcula erat ac fuit, éstque semper Filius Verbum quod & *caro* aliquando *factum est*, vt Ioannes inquit, *Et habitauit in nobis*. Quod tunc etiam domum hic sibi ædificasse potest intelligi, cùm sacratissimæ & semper intemeratæ Virginis vterum sibi præparauit ad desponsandam sibi humanam carnem: Tunc enim facta est diuina illa desponsatio cœlestis Sponsi ad Sponsam Ecclesiam, cùm Deus filius humanitatem nostrã in sanctissimo Virginali vterò mirabiliter sibi copulauit & *tanquàm Sponsus de thalamo* processit ad nuptias humani Generis reparandi. Hæc igitur *Sapientia ædificauit sibi domum*, quæ secundùm illud; *Et in altis habitat & humilia respicit*. Huius altitudinem siquis nosse cupit, non modò in Deipara Maria humaniter ædificatam cõtempletur, verùm etiam suprà cœlos in dextera Dei Patris sedentem videre tandem sibi dari deprecetur: tunc enim huius sapientiæ, qualis & quanta sit altitudo, quod Thalpioth dicitur, apertissimè intelliget. De hac ipsa sequitur cùm dicit; *Mille clypei*, seu scuta, *ex hac pendent, & omnia sacula fortium*. Per mille, qui numerus est, ex quo cęteri complentur (ex denario enim & centenario decies ducto, nascitur) omnes electos Dei sanctos intellige: vel ex Iudæis ex quibus & ipse Sponsus secundùm carnem natus est, hi sunt qui denarij & centenarij veram significationem habent qui piè iustéque viuentes in carne Deum ipsum supra omnia & plus quàm se ipsos amarunt coluerúntque, nec vnquam à charitate proximi recesserunt: hi fidei inuiolabili clypeo tecti, contra hæreticos & vitiosos omneis, acerrimè pugnantes, & in hostem ipsum & veritatis oppugnatores iacula salutariter intorquẽt: sanctis enim actionibus muniti Christi serui intrepidè certant, fortiter iaculantur & inuicto animo Mundum superant ac carnem nec vnquam vitijs libera colla summittunt: sicque verè fortes & scutum fidei & lanceam charitatis venientibus aduersarijs opponunt. Hæc omnia & contemplatiua facit anima, dum se primùm bene muniuit scuto veræ fidei; hoc est, honestis operibus plenæ: *fides* enim *sine operibus mortua est*, sicut scriptum est. Deinde sese, ad vtilitatem proximorum bene consulendo, monendo, docendo, tanquàm iaculis armauit: Inde enim fit vt iure de se quoque, quod sequitur, audiat: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs donec aspiret dies, & moueantur vmbræ.* Duo vbera, vt suprà dictum est, duo Testamenta & duo præcepta charitatis, & duos ordines sanctorum Prophetarum & prædicatorum intellige; Circumcisionis scilicet & Præputij: Qui quidem omnes cum cæteris bonis Christi seruis tanquàm duo hinuli capreę, vtriusq; Testamenti mandata acutissimè perscrutantes, omnia studiosissimè seruarunt, seruántque quotidiè quotquot ad Sponsum peruenire nituntur. Hi duplicis vberis suctores meditando fiunt, spiritalis videlicet sensus & literalis siue historici: sicq; arcana Dei mysteriáque rimantes in Lilijs; hoc est, in puritate conscientiæ, candore vitæ & integritate versantur; mundi ac casti, fideles & iusti inuictique prorsus, beatitudinis præmia in die Iudicij præstolantur; quæ adhuc in labore noctis atque periculis assiduè contemplantur. Tunc enim dimotis vmbris huius mortalis noctis; hoc est, præsentis vitæ transactis actionibus atque discussis; qualis quisque vixerit, apparebit, sempiterna bona aut mala recepturus. Sed animaduertendum est, fratres, vt his omnino annumeremur pro quibus narrare prosequitur Sponsus: *Vadam per me ipsum ad montem myrrhæ & ad collem Thuris.* Quicumque carnem suam ita domat atque castigat per assiduas lachrymas & pœnitentiam salutarẽ nec non per vigilias & ieiunia, vt nunquàm sensus imperium rationis excurrant; sed vnà cum anima, diuinæ Legis præceptis obediant; nihilque velint prorsus ac cupiant, nisi quod à recta ratione manãrit; sicque victis & superatis desiderijs carnis & illecebris voluptatum, liberè & expeditè ad quæque optima peragenda sanctissimè accingitur, & in cordis penetralibus tanquàm thuris collis (in precibus ad Deum) odorem redolet sanctitatis is verè Mons myrrhæ & Collis thuris habetur: ad húncque Sponsus per seipsum libenter accedit secundùm illud; *Si quis sermonem meum seruabit, ego & Pater ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Quàmuis per Montem myrrhæ, non incongruè corpus Sponsi possit intelligi; quod sua spõte neci oblatum est: Is enim mons est de quo legitur; *Abscissus est lapis sine manibus, & contriuit Imaginem & factus est in montem magnum.* Myrrha verò secundùm illum Ioseph à quo hic mons ea vnctus est & conditus in sepulchro: Ad hunc montem myrrhæ & collem thuris voluntariè accessit Sponsus vt non solùm pro Sponsa mortuus sepeliretur, verum etiam vt pro eadem resurgeret immortalis: ob idque colli thuris, eius caro assimilatur; quòd post resurrectionem, thuris instar, viua lingua (Iustos scilicet) germinatura erat; ad quos respiciens, ex sequentibus Sponsam ipsam mirabiliter laudat; ait enim: *Tota pulchra es propinqua mea & macula non est in te.* Admirabilis certè est laus Sponsæ, eáque à Sponso; & propterea illi lætandum est magis. Sed cùm nemo sine peccato viuat, *nec infans vnius diei*; quid est, quòd tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur? Scimus enim illud; *Si dixerimus quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Et idem; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur & veritatem non facimus.* Ad hæc & illud; *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Nec vos fugit quod dicitur; *In multis offendimus omnes.* Et ita prorsus: Sed dum fidelis anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat; dum quotidie minora peccata cum lacrymis lauat & à maioribus sibi cauet; quàmuis frequẽter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam, munditiam suam perpetuò seruat. Hinc eidem alibi præcipitur: *Sint omni tempore vestimenta tua candida.* Et illud; *Iustus autem ex fide viuit*: quamuis enim mox vt peccat, à iustitia deuiet; tamen dum semper credit in eum qui iustificat impium, & assiduè sub eius fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones iustitiam suam retinet: fitque vt ipsa quoque sancta anima, mons Myrrhæ & collis Thuris esse possit: dum enim se vehementer obseruat ne peccet, castigátque subinde (omni carnis voluptate depulsa) nec cessat ab honestissimis vitę actionibus, & per humiles preces & sanctas orationes suauiter olere, fit editus mons Dei & suauissimus Sponsi collis, amabiles odores redolens ac fructus. Vnde rectè ei dicitur à Sponso; *Veni à Libano Sponsa: Veni de Libano.* Vt ostenderet omnes sanctos & electos Dei quãuis partim à Iudæis, partim à gentibus congregatos ab vno tamen Sponso per baptisma lotos, cœlestis gratiæ candorem accepisse; de Libano Sponsam venire iubet; Libanus enim dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum, nisi candidissimũ sacri fontis Lauacrum, quo sancta Ecclesia & quæque fidelis anima per Spiritum sanctum quem accepit, delictorum sordibus abluta, & per Christi fidem dealbatur? Vnde illud Dauid: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.* De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit; quia in Christi baptismo fidem percipit. Sub quã ex diuina gratia præmium posse accipere meretur: ob id enim venire iubetur vt in fide, spe, & charitate; quicquid operatur, firmum habeat, stabile ac tutum: his enim munita virtutibus, perpetuò constantiam seruat & patientiam. fide enim firmatur animus; hac, & corda mundantur; sine hac impossibile est placere Deo; spe quoque nunquam deijcimur: vnde scriptum est; *Non confundentur omnes, qui sperant in te Domine.* Charitate verò adeò stabilimur, vt de ea rectè Apostolus exclamãrit; *Quis nos separabit à charitate Christi?* hæc verò *operit multitudinem peccatorum*, vti, nostis: hæc *Deus est*, & Deos facit esse homines, hanc vnam sinceram inuiolatámque seruantes: ob idque bis dicitur Sponsæ; *Veni*, vt Deum ipsum pariter & homines sanctissimè amemus colamúsque omnino, quò simus aliquando quales Sponsus nos esse desiderat cùm ait: *Veniet & coronaberis à primitijs fidei à*

capite

Ioan. 1. | Sacratissima & semper intemerata virgo Dei mater. Christi & Ecclesiæ sponsalitia. | Psal. 112. a | Maria Deipara. | Iac. 2. d | Scriptura sacra sensus duplex. | Carnis castigatio. | Ioan. 14. f | Dan. 2. | Iob. 1. d | Iob 25. a | Iac. 3. a | Peccata maiora & minora. | Eccl. 9. b | Rom. 1. b | Psal. 50. | Psal. 24. a | Rom. 8. g | 1. Petr. 4. b | 1. Ioan. 4. b

A B C D E

capite Sanir & Aermon, à cubilibus leonum, à montibus pardorum. Ad fidem, venturam Sponsam prophetatur cùm dicit, *Venies & coronaberis*. Venies enim à Gentibus, transibis à Lege. *Omnes* enim inquit, *videbunt me à paruo vsque ad magnum* eius. *A primitijs fidei, à capite Sanir & Aermon. Sanir*, interpretatur rubus; Aërmon, spiritus siue vox sublimis. Principium enim fidei ab eo fuit qui in rubo locutus est Moysi,& voce sublimi locutus est filijs Israël cum eos eduxit ex Ægypto, in vnúmq, coëgit. Neque ab vno loco venturas Gentes ad fidem Sponsus ostendit; sed vndique gregatim, cùm dicit: *A cubilibus leonum & à montibus pardorum*. Vt reges potentissimos quosque & qui leonum instar olim sæuiebant, efferatos moribus,crudeles ac sæuos,elatósque omnino atque superbos,simul & pardorum similes (varijs maculis vitiorum cum aliqua forte virtutis vmbella variatos animos ac pictos habentes ad fidem Christi aliquando conuolaturos esse, relictis stultis atque vanissimis idolorum cultibus, scelerúmque omnium voragine depulsa ac labe; sacro fonte renatos,diuinóq; Spiritus sancti lumine illustratos. Ex his Sponsam coronandam vaticinatur Sponsus, vt perpulchra sit omnino & admirabilis huiusmodi fidelium populorum amicta varietate ac gloria: ob id enim & à montibus Pardorum coronam illi affuturam & gaudium; vt vel ex hæreticis nõnullos qui pardorum similes esse perhibẽtur, & ex filijs regum ac principum habitura sit pastores, ministros, prædicatores ac duces. Quid enim per montes, leones ac pardos nisi summos & potentes huius seculi; qui quò ditiores sunt & magis opulenti, eò maiores apud infirmos esse videntur, ob idq; vanissimè superbiunt? At ex ijs montibus sæpe Ecclesia coronatur (vt diximus) dum superbi ad mansuetudinem, crudeles ad pietatem, hæretici ad fidei vnitatem conuertuntur; fitque vt de illa sequatur quod Sponsus edocet: *Vulnerasti cor nostrum soror nostra, vulnerasti cor nostrum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Per oculos, excellentissimos quoq; prædicatores fidei, sanctósque doctores Ecclesiæ: per crines, fideles populos (vti diximus) intelligit: per collum verò; capitis cordísque coniunctio atque concordia demonstratur in fide, per quam caput & corpus copulantur, dum Fidelis quisque Christo tenaciùs inhæret sanctiúsque versatur in cœtu fidelium atque consensu: ob idque *in vno oculorum, & vno crine colli* Sponsæ se vulneratum esse dixit; non autem duobus oculis neque multis crinibus, vt nequid nisi spiritale totum id esse intelligamus, sanctæque concordiæ & charitatis plenum. Nam cùm duos oculos carnis habeamus, cordis verò vnum ac mentis, qui animam ad fidem pietatémque adducit, & ad prudentem ac simplicem rationis visum; rectè, in vno sese vulnerari (interiori scilicet animi mentisq; affectu) gaudet Sponsus. Non enim carnis desiderio, non corporis ornatu, non discordia, rixa atque dissidio, & contentione delectatur Deus; sed animi sanctissimis optatis ac studijs, concordiáque & pace quam testatus est nobis maximè afficitur. Propterea Apostolus Corinthios vehementer obiurgat; dum eorum *alij, Cephæ; alij, Pauli; alij, Apollo* sese discipulos & sectatores esse iactant: vnum enim Christum pro omnibus esse mortuum; vnum, genus humanum redemisse; vnum, gratiam gloriámque donare singulis prout vult, ostendit: non Petrum, non Paulum, non Ioannem, non alium quemquam sese voluntariæ morti pro redemptione nostra deuouisse. Vnum ergo Deum Iesum Christum amandum colendúmque sanctissimè, illi soli laborandum, parendum, seruiendum, moriendúmque omnino, cùm oportuerit; cauendúmque esse diligenter ne inconsutilẽ hanc integerrimę fidei vestem miserrimi discindamus: vnum enim corpus, *vnus spiritus*, vnus Dominus, *vna fides, vnum baptisma*, vnus Deus & pater omnium, vna salus. Quare in vnitate Fidei Sponso placere possumus, aliter non possumus. Sed animaduertendum est quòd non se solùm Sponsum vulneratum, sed cor nostrum esse dixit; vt totam simul Trinitatem,

Ier. 31. a — *Exod. 3. a* — *Hæretici pardorum similes.* — *Christus, concordia nostra maximè delectatur.* — *1. Cor. 1. b* — *Fidei vestis inconsutilis.*

A salutem humani generis operatam esse declaret: quanquam persona Filij ad id propriè descendisse creditur; solúmque Filium Patri coæternum, eiusdémque substantię atque naturæ cum Spiritu sancto, humanam carnem & integrum hominem suscepisse, personæ humanæ atq; diuinæ admirabili vnitate, vt vna persona Christus esset, duplicíque natura: Tam ineffabili charitate vulneratus est Deus erga genus humanum, creator omnium erga creaturam, summus erga infimum, æternus & immortalis erga temporarium & periturum, infinitus & immensus erga pusillum & angustum, planéque breuissimum! O incomparabilem amorem! ô inauditam charitatẽ! ô maximè infinitam Dei misericordiam, summámque pietatem! Quis non te vehementer amet ac colat summe Deus, amabilissime Iesu, clementissime redemptor? Saxeus ac ferreus, adamantinus ille prorsus

B ac miser & miserabilis qui non te vnum vehementer desiderat, te adorat, tibi seruit, tibi semper adhæret, ad téq; vnum tandem peruenire contendit. Sed tu nos attrahas oportet: *nemo* enim ad te *venit* bone Iesu *nisi Pater tuus traxerit illum*; hoc est, nisi te Patri æqualem coæternúmque crediderit. Da nobis ergo hanc *fidem, adauge*, conserua. Nam sine te quid possumus miseri? tunc enim de nobis dices, quod laudare sequeris de Sponsa: *Quàm pulchra sunt vbera tua soror mea Sponsa: quàm pulchra sunt vbera tua à vino; & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*. Per duo vbera, duo Testamẽta duóq; pręcepta charitatis (Dei scilicet & proximi) significari iam sæpe diximus: sed considerandum nobis est, quòd ea *pulchra* esse dicit *à vino*; hoc est, à sanguine Iesu Christi & ab immensa

C Spiritus sancti charitate: priùs enim ipse dilexit nos, indéque verus est amor noster omnis & perfecta charitas in Sponsum & proximum quemque nostrum: inde perfecta sunt & accepta opera nostra omnia, ieiunia, vigiliæ, orationes, eleemosynæ, patientia, benignitas, iustitia, sanctitas; sola charitate perficiuntur omnia. Hæc vis est & forma atque perfectio nostratum actionum omnium: ab hac quicquid est, perfectum est & salutare: sine hac, omnia vana & nocitura. Lege Apostolum ad Corinthios & quanta sit ipsa charitas intelliges: huius vestimentorum odor, cæterarum virtutum omnium odores ac fructus excellit. Euangelica est enim hæc charitas quæ regali vestit amictu, cœlesti pascit alimonia, ineffabili replet gaudio & sempiterno: huius in-

D dumenta duplici colore purpureo insignita; Apostolorum scilicet & Prophetarum, Martyrum atque Doctorum: opera veteris Testamenti, mandatorum gestis longissimè antecellunt. Bona & illa quidem Legis opera, sed nihil ad sublimia Euangelicæ charitatis acta. Hanc igitur amplexentur & teneant qui sine causa laborasse nolunt: multi enim multa vestimenta habere videntur; sed quia sincera charitate carent, luporum sunt, non ouium: vnde in die illa tremẽda cùm dicent; *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & signa multa fecimus*? audient miserrimi: *Nunquam noui vos; Discedite à me omnes operarij iniquitatis*. Sibi enim, non Deo laborarunt & placuerunt. Quare charitatis indumentis obtegamur Ecclesiæ, in huiusq; sinu ac gremio, veræ sanctitatis odorem spirare

E nitamur, non hominibus placere studentes; vt quorum *ossa* dissipantur à Deo; sed soli Christo Iesu Sponso nostro, cuius auribus ac labijs sola veræ charitatis opera adeò accepta sunt & periocunda vt ab illis Sponsam laudare non cesset: ait enim; *Fauum distillans labia tua, Sponsa*. Doctores sancti & prædicatores integerrimi, labia sunt Ecclesiæ; qui dulcissima doctrinæ Christianæ præcepta, salutariáque eloquia paruulis effundunt ad fidem alendis. Faui enim mellis, honesta sunt verba ac docta: Per hos, *occulta* diuinæ *sapientiæ*, quasi cordis latentia aperiuntur. fauus est diuina Scriptura; in qua, mãdata vitæ æternæ, dulcissima Sponsi cum Sponsa colloquia virtutésq; omnes continentur, & diligenter inquirentibus patent: vt enim in fauo, mel & cera latent (quorum altero pascimur, altero lumen accendimus) sic in Literis

Filius Patri & Spiritui sancto cōsubstantialis. — *Admirabilis in Christo vnio duarum Personarum in vnam.* — *Ioan. 6. e* — *Luc. 17. a* — *Opera omnia perficiuntur charitate.* — *Psal. 50.*

sacris suauissimus cibus animi & lumen mentis insunt, modò ritè quærantur. Hæc, labia custodiunt sacerdotum, secundum illud, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam:* hæc docent boni omnes Christi serui. Tunc fauum distillat Ecclesia, cùm electus quisque recta prædicat, & cœlestia gaudia reuelat: quantaque dulcedo sapientiæ in scriptura lateat, per oris fragilitatem, audientibus manifestat; vt quod sequitur, iure audiat: *Mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, tanquàm odor thuris.* Per mel, prædicatio pœnitentiæ; per lac, Legis institutio; per odorem vestimentorum quasi odorem thuris, obseruatio mādatorum in odorem suauitatis Iesu Christi potest intelligi. Hoc mel, falsi Christi serui quales sunt prædicatores ficti, in linguis portant, quod sub lingua non habent: sæpè enim alijs cœlestia gaudia prædicant tanquàm veri sint; cùm ipsi tamen terrestria & peritura bona desiderijs appetant. hos ab æterno prouidit Dominus, cùm in Euangelio cauēdos sapienter admonet;

Matth. 23. a

Super cathedra Moysi, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, facite, secundum eorum opera nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* At recti & integri buccinatores Dei & sancta quæque anima; & mel in lingua portendit, dum diuinæ sapientiæ dulcedinem loquendo effundit eáque mentes audientium reficit; & idem secum sub lingua retinet, dum ea omnia sibimet profutura reseruat, & sanctè peragit quæ cæteris rectè prædicauit: imitata Apostolum Paulum, qui aduersus improbos eiusmodi prædicatores clamat;

1. Cor. 9. d

Castigo corpus meum & redigo in seruitutem, Dei, *ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Hæc quoque fidelis anima, lactis candorem habet & teneritudinem de Scripturæ sanctæ mammis atque vberrimus Spiritus sancti fluentis haustam; qua paruulos quosque in Ecclesia commodè nutrit ac fouet, augétque quotidie, secundum illud Apostoli;

1. Cor. 3. a

Tanquam paruulis in Christo lac vobis potū dedi, non escam: nec ipse tamen à se discedit, sed terrena abijcit, vitiorum amaritudinem respuit, per sese honores fugit, oblatos spernit: séque met interioribus sensibus sapientiæ dulcedine pascit ac roborat; ne ad æterna gradiens, vllo (quamuis summo) labore viæ itineris sue lassescat. Per vestimenta Sponsæ (vt suprà quoque diximus) sancta opera designantur; quibus vel præterita mala teguntur, ne in die iræ appareant vlciscenda. Hinc enim illud;

Apoc. 16. b *Psal. 31. a*

Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videatur turpitudo eius. Et illud item; *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, &c.* Vel innocentia conseruatur & augetur; non enim satis est mala non agere, nisi & bona peragamus: Prima pars iustitiæ est mala deuitare, & vitia fugere; secunda verò, honesta ac iusta sanctáque patrare, quibus (iure) bonitatis amatores esse iudicemur;

Iustitiæ duæ sunt partes.

Psal. 36. e

Scriptum est enim: *Declina à malo, & fac bonum, &c.* Vnde rectè laudatur Sponsa, *Odor quasi thuris*; quia semper studio voluntatis & humilitate precum, bene olere debet fidelis anima. Sancta ergo Sponsa quamdiù potest in hac mortali vita; bona semper operatur, & desiderio ardet sempiterno; nihilque boni agit nisi vt ad cœlestia quæ vehementer amat, aliquando peruenire possit: ob idque rectè *odor vestimentorum eius* odori thuris comparatur, quia quicquid agit ac studet, Deo bene redolet, dum (æterna consequendi studia atque proposito) cuncta bona operatur. Quo fit, vt de illa Sponsus libentissimè loquatur, ac gaudeat: Sequitur enim; *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus* Hortus conclusus, Sponsa Ecclesia dicitur quam & sororem vocat; propterea quòd in ea tanquam in bene culto pomario atque horto plures sunt arbores fructuosæ ac plantæ; multi flores odoratissimi, quam plurima holuscula; ex varijs enim populis ac gentibus quas habet, varios quotidie flores & fructus boni operis profert. Variæ sunt actiones honorum, quamquàm ad vnum finem omnes nitimur peruenire. Nam alij matrimonio castissimo addicti sunt, alij soluti & cœlibes, alij virgines perpetua corporis & animi mundiția

Bonorū actiones variæ sūt vnum tamen finem.

cum humilitate florentes: Qui tamen omnes in suo

A statu fidelissimi permanentes, iustè viuunt ac sanctè; neminem lædunt, ius suum cuique tribuunt. Hos perpulchros flores in fide gignit Ecclesia, quæ idcirco *ortus conclusus*, siue clausus bis esse dicitur, quòd fidei, spei, & charitatis vallo munita; Diabolo semper claudi, soli verò Sponso spiritali, Filio Dei Domino nostro Iesu Christo patere debet huiusmodi ortus. Quælibet fidelis anima esse debet præceptorum Dei obseruatione & charitate vndique vallata, ne quid boni ob laudes humanas agat; non propter inania hæc terrena & peritura laboret, sed ob sempiterna illa atque cœlestia honestissimè viuat, quæ nos sola explere possunt, atque beare; summo studio circumspiciens, ne ad interiora bona rapienda antiquus hostis irrumpat. Fons quoque signatus eadem Sponsa dicitur, quia in baptismate signaculum Iesu

B Christi accepit, ex eius sacratissimi Sanguinis fonte perlota: vnde non licet ampliùs Sponsæ adulterino diaboli sigillo insculpi, ne dicam inuri: grauis enim iniuria fit diuinissimo Sponso, dum quæ ipse suo preciosissimo sanguine clementissimè lauit & sanctissimè insculpsit, eadem, nostra nos ignauia & improbitate patimur ab eius Aduersario ac nostro turpissimè fœdari atque deleri. Quare sancta quæque anima studiosè se circumspicere, & conseruare debet cœlestis Sponsi characterem, cœlestia cogitare, peritiam Scripturarum in memoriæ ventrem semper ingerere, & quæque optima documenta veluti saluberrimas aquas colligere, quas sitientibus fidelium animis salutariter effundat cùm oportuerit, vt in eis aliquando incipiat ea scaturire aqua de

C qua dicit Dominus, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et alibi: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.*

Ioan. 4. b

Potest etiam ob id, fons signatus intelligi, quòd sensus spiritalis carnalium mentibus occluditur. *Animalis enim homo*, vt inquit Paulus, *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei;* nam stultitia illi est, nec potest intelligere quoniam spiritaliter recensetur, éstque perinde ac Liber ille clausus Apocalypsis.

Ioan. 7. f *Apoc. 5. a*

Sanctus enim spiritus mentem quam replet, illuminans irrorat, & irrorans illuminat; vt & de luce eius videat quid appetat, de rore refrigeretur ne turpiter incalescat. Purgandus est ergo animus ab omni labe carnali & tenebra delictorum; vt ex horto, honesta fructificare;

D & ex fonte, sanctissima haurire possimus, & vtiles ad ea quæ sequuntur, admitti: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum fructibus arborum: Cypri cum nardo: nardus & crocus, calamus & cinamomum cum omnibus lignis Libani; myrrha & aloe cum vniuersis primis vnguentis.* Per emissiones Paradisi, quæ, ἀποστολαὶ, dicuntur, sanctissimi Apostoli veluti deliciarum horti, lauacrum sacri Fontis habentes, intelliguntur; qui tanquàm mala punica foris rubentes in laboribus & ærumnis, postremò & sanguine martyrij; per multos hominum, Christi fidei, veluti grana pepererunt, hisque tanquam paruulis fructus suauissimos arborum cœlestium ad fidei incrementum & charitatis opera præbuerunt: per has enim res sensibiles, diuinæ illæ & cœlestes insinuantur. Nam fructus arbo-

E rum, iusta Sanctorum opera & castitatis odores indicant. Quid per Cypros *cum Nardo*, nisi verba salutaria pietate & fide redolentia? Cyprus, Nardus, & Crocus, fides spes, & charitas, Cyprus arbuscula est flore candido cincinnorum instar pendente, coma odoratissima, folio oleæ. Ex hac fit vnguentum nomine Cyprinum ad multa commodissimum; habétque folia, flores fructus & ramos vtilissimos: hæc optima in Ascalone Iudææ, & Ægypti Canopo prouenit.

Cyprus arbor.

Nardus quoque medicus est frutex Syriæ & Indiæ præstantissimus, colore ruffo, comosus, odoratissimus, saporis amari, suauitatem odoris diutissimè redolens; calefacit, exsiccat, virétque perpetuò: miscetur antidotis, & efficacissimas vires ad quàm plurimos morbos habet. Crocus item notissima herba est, cuius probatissimus in medicina

Nardi descriptio.

cina vsus, præsertim qui ex Ciliciæ promontorio, nomine Corycius: maximi est odoris, folio est angusto in capillamenti modum, florem cœlestis arcus colore persimilem, calicis modo ab angusto in latum sese explicantem habet: intra quem fructum triplicem, veluti apicem, coloris flamei ex vna radicula duplici filo lutei coloris hinc inde munitum profert; gaudet calcari & atteri pede; pereundóque fœliciùs prouenit; ideò iuxta fontes & viarum semitas lætissimus est: nec melli, ac dulci; sed vino vel aqua dissoluitur huic igitur Croco, exercitati virtute patientiæ, & factis charitatis illustres comparantur. Qui (veluti triplex Croci fructus ex vna radice dilectionis emanans) Deo, sibique, & proximis vtiles extiterunt; terrenis rebus angusti, sed cœlestibus amplissimi; castigati & afflicti corpore, sed anima vegeti, lætissimi, & immortales. Sed hæc satis, ne medicinam docere videamur. Calamo verò & Cinamomo odoratissimis similiter arbusculis, & quarum vsus in medicina plurimus est & valentissimus, cum omnibus excellentissimis lignis Libani; Paulus & Petrus cum cæteris fidelibus cunctis aptissimè congruunt: vt omnes cum Christo sepultos in baptismo vnius sanctitatis odoris esse monstraret: Quod & sequens orationis series apertè declarat, cùm dicit: *Myrrha & aloë cum vniuersis primis vnguentis.* Scimus enim corpus Iesu Christi, myrrha & aloë à Ioseph summo pietatis studio, ex diuino consilio ac nutu fuisse conditum. *Cum primis omnibus vnguentis*; hoc est, cum vniuersis iustis illis qui ante Christi corpus sepulti fuerant & humati. Quare per diuersas huiusmodi aromatum species, varius sanctarum virtutum odor & multiplex fructus sanctitatis ostenditur: vt enim ex ijs arbusculis ac plantis regalia vnguenta conficiuntur, & valetudines corporum reparantur; ex iisque bene confectis & conseruatis, & bonus odor salutis emanat & ægrescentibus animabus opportuna remedia depromuntur vt dignæ sint & à Sponso commendari qui adhuc laudes celebrat Ecclesiæ.

Fons horti puteus aquæ viuentis, quæ fluit è Libano.

Ritè post emissiones Paradisi, in Ecclesia fons horti & puteus viuentis aquę describitur: nam per vtrumque Scriptura sancta notatur; Quæ à Deo diuinæ sapientiæ abundat aqua vt & semper fluat ad mentes fidelium irrigandas & nunquàm fluere desinat ad perennem copiam indigentium: rectéque horti esse dicitur, quoniam in eorum mentibus præcipuè hæc scaturit salutaris aqua, qui tanquàm benè culti horti frugiferæ plantæ, nunquam cessant aliquid fructus ex se reddere, ex acceptisque seminibus bonæ fidei, maiori quadam copia reddunt omnia virtutum opera. Sed animaduertendum est quòd fons primùm, mox & puteus appellatur: vt ostendat sacras Literas non statim patere omnibus abyssum earum intrare cupientibus; sed vt fontem primo aspectu facilem potare volentibus apparere; mox vt haurire cœperint altissimum videri puteum: omnis enim puteus fons est, sed non conuertitur. Propterea laborandum est diligenter ac sedulo, quicumque profundissima huius aquæ fluenta penetrare cupit, summáque humilitate aquandum: nam & superbis procellosum fit pelagus, & humilibus fluuius permeabilis; & quanquàm interdum veluti fonticulus enatare videatur, aperta rerum intelligẽtia vt mediocriter eruditos irroret & non satis gnaros; est tamen profundissimus vel vbi maximè transibilis apparet. Quòd verò per aquam, diuinæ Scripturæ sapientia intelligatur, manifestat illud quod dicitur: *Auferet Dominus ab Ierusalem, mittens eis sitim aquæ, & famem panis.* Am. 8. d Et illud Esaiæ: *Auferet Dominus ab Ierusalem & Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Is. 3. a Vbi notandum, quòd robur panis priùs dicitur, & posteà robur aquæ, auferetur; quia dum grauia dicta Scripturæ non perquiruntur nec fiunt vt mandantur, paulatim à scientia decidet mens vt aliquando vel leuia non intelligat: aptéque de Libano fluere dicitur hæc aqua, quia baptismate dealbari cœpimus (nam Libanus vt diximus dealbatio interpretatur) dum ablata nigredine peccatorum, A ad candorem nouæ vitæ reformamur; & cùm per pœnitentiam salutarem instauramur. A Libano ergo fons horti & aquæ putei fluunt; quia in baptismo & dono pœnitentiæ, Electi, donum Spiritus sancti accipiunt: quo illuminati Scripturæ sanctæ sensus rimantur & capiunt: iisque ad æterna capienda vehementiùs impelluntur, sicuti Dauid inquit: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem*: cùm per donum Spiritus sancti fortiter inundans Scripturæ sapientia auctam Ecclesiam & cuiusque capientis mentem infusione sua adeò exhilarat atque fœcundat, vt malignum spiritum ab ea longè repellat, virtutes verò inserat: ait enim; *Abscede Borea, & veni Auster, persla hortum meum, & fluant aromata tua.* Nihil frigidius est mente diabolica, quæ vniuerso diuini amoris igne caret: nihil abstrictius ad calorem Spi- B ritus sancti capiendum, nihil denique infœlicius atque calamitosius eorum anima qui diuinæ voluntati obsistunt cœlestique lumini atque splendori: quod Dauid intelligens, ait: *A resistentibus dextera tua custodi me Domine.* Psal. 16. Per Boream seu Aquilonem (qui ventus est frigidissimus à Septentrione spirans) diabolus exprimitur: qui vt peccatorum frigore corda hominum constringeret, ausus est dicere: *Sedebo in monte Testamẽti in lateribus Aquilonis.* Is. 14. Hic quoscumque possidet, à bono opere torpere facit & iniquitate replet propterea: Spiritum hunc malignum, ab Ecclesia & à qualibet electa anima discedere iubet, secundùm illud Prophetæ: *Et Aquilonem depellam à vobis.* Et austrum siue Notum aduocat, qui à Meridie spirans calidus est & humidus, alitque vehementer: hoc C est, vitalem Spiritus sancti auram plenéque iocundam: Quæ, cùm mentes electorum perflat, statim calêre facit tempore depulso, & ad bona peragenda feruentes reddit: hinc illud Dauid; *Conuerte Domine captiuitatẽ nostram, sicut Torrentes in Austro.* Psal. 125. Abscedat ergo Boreas, & veniat Auster, ac perflet hortum Sponsi, & fluant aromata sua, sublata potestate diaboli atque disiecta ab Ecclesia & à quacumque sancta anima. Adueniat Spiritus sancti gratia quæ mentibus humanis ignem charitatis accendat, cogitationes sanctas infundat, honestissima facere doceat; vt *aromata fluant*, hoc est, vt iustæ actiones & sanctitatis opera, & virtutum omnium odores per mentes proximorum suauissimè redoleant: vt quique ardentes ad eadem se accendant, & Austro flante; hoc est, Spiritu sancto se infundente, latissimè spargantur odoramenta D virtutum vt vbique cuiusque fidelis hortus & lætissimè floreat, & suauissimos fructus atque salutares vberrimè producat; in eúmque, Sponsum iure inuitare & aduenientem excipere possit, quemadmodum nunc Sponsa aduentum ipsius Sponsi æterni Verbi deprecatur, ac rogat: Ait enim;

CAPVT V.

Descendat frater meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Ad quos & quales fructus edendos horti sui; hoc est, Ecclesiæ gentium, & cuiusque fidelis animæ; inuitetur Sponsus à Sponsa; ipse per se declarat in Euangelio, cùm dicit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit:* Ioan. 4. hoc est, vt quàm plurimos ad me conuertam, meósque discipulos faciam & amicos, omnes in me credentes: quorum bona opera tanquàm E fructus suauissimos virtutis, Sponsus edit, hisque maximè lætatur. Tunc enim in hortum suũ dilectus descendit & fructum comedit; cùm mentes visitat, & iustorum operum delectatione satiatur. Sed iam tempus est explicandi, cur frater nunc appelletur Sponsus; & Sponsa, soror, idque vicissim: Nam more Dramatis; hoc est, interlocutorum & differentium; sese mutuò cõpellant, inuitant, ac laudãt per totum hoc Opusculum; cùm paulò superiùs seinuicem, Patruelem & Propinquam vel Proximam nominarint. Equidem propterea sponsum Christum Iesum Dominum nostrum ἀδελφιδόν, hoc est, patruelem & nepotẽ (nam & id significat) primùm vocatum esse arbitror, à Sponsa Ecclesia gentium; Deinde & fratrem, quòd secundùm carnem ex semine Iacob

(vti nostis) natus est Christus: Ex Esaü verò fratre maiore natu Iacob, praecipuè congregata est ipsa Ecclesia. A Quamquàm omnes gentes & populi ad fidem Christi conuersi ex multis alijs oriundi fuere, praeter quàm ex genere ipsius Esaü: tamen quoniam ad Abraham eorum auum (filij enim Isaac & Rebeccae ambo fuere gemelli) dictum est; *Multiplicabo semen tuum sicut arenam maris, &c.* Genes.22.d
Rectè nunc videtur ipsa Ecclesia & genealogia Esaü, tanquàm iure quodam propinquitatis & agnationis, Sponsum Christum Iesum, fratrem suum & patruelem appellare; vt quod sibi commune esset cum caeteris omnibus & gentibus & populis ad fidem Christi conuersis, id priuilegio quodam haereditario prae cunctis, Esaü stirpi tribueret: vnde & ipsa Sponsa πλησίον; hoc est, Cant.4.e
proxima vel propinqua & affinis appellata est semper à Sponso vsq; ad eum locum, quo ait; *Vulnerasti cor nostrum soror nostra sponsa.* B Quare non sine mystica significatione Sponsus & Sponsa sese primùm patruelem & propinquam, deinde fratrem & sororem mutuò nominarunt, vt ostenderent sibi inuicem anteà, naturae tantùm & creationis Lege atque beneficio copulatos; posteà verò tanto támque singulari redemptionis munere; hoc est, sacratissimo ipsius Sponsi pro Sponsa sanguine effuso, mirum in modum deuinctos esse atque coniunctos. Indéque mirè factum, vt non se ampliùs propinquos, sed fratrem & sororem & Sponsam sacratissimè appellent. Quod & ipse Sponsus per se in Euangelio manifestè declarat, cùm dicit; *Non iam vos seruos dicam sed amicos* & fratres. Et idem. *Vade, dic fratribus meis:* Et illud per Dauid; *Narrabo nomen tuum Fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te:* Et idem; *frater non redimit, redimet Adam? vel, homo?* C Ioan.15.c Matth.28.b Psal.21.c Psal.48 b
Tanta est igitur inter vtrumque beneuolentia, támque admirabilis amicitia & diuinae charitatis coniunctio Creatoris ad creaturam, Sponsi Christi ad Sponsam Ecclesiam & sanctam quamque animam, vt tam omnia inter sese communia habeant & coniunctissima: proptereàque in hortum suum vocatur Sponsus à Sponsa, ad suos fructus edendos; vt ostendant nihil inter se habere disiunctum, nihil separatum, nihil dissonum, instar vnius sanctissimi paris amicorum: vtque illud nos salutariter admoneat, omnia bona nostra ex ipsius gratia prouenire, nihilque boni Sponsae inesse quod non ab ipsius Sponsi largissima bonorum omnium fonte emanarit. Id quod ipse per se testatur, cùm ait; *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Iacobi; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum supernè est descendens à Patre luminum.* D Ioan.15.a Iac.1.c
Vt igitur intelligant superbi ac reliqui, nihil se habere boni quin illud à benignissimo rerum omnium largitore Sponso Christo Iesu gratis acceperint, rectè ad sua bona edenda nunc inuitatur ab humili Sponsa ac grata; quam vicissim & Sponsus munificentissimè reinuitat vt memorem ac charam.

Ingredere in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Admirabilis, Sponsi charitas erga Sponsam; quam non modò redemisse, verùm etiam quasi tardantem adhuc, ad salutem suam inuitare & mitissimè adhortari non dedignatur. Ait enim; *Ingredere in hortum meum soror mea Sponsa.* E O qualis est hortus ille Sponsi deliciarum, quàm omnium odoratissimorum florum & suauissimorum fructuum varietate copiáq; refertus hic hortus! & pomarium salutare, ipsius nex siue passio pro salute humani generis potest intelligi; & coelestis illa manna (Eucharistia scilicet) quae si sanctè meditetur, tantum dulcedinis coelestis alimoniae affert & suauitatis fructum, vt rectè cum Dauid dicere queat; *Gustate & videte quàm suauis est Dominus.* Psal.33.b
In quo quidem horto, postquàm infinitas coelestes plantas saluberrimas atque sacratissimas diuinorum fructuum pomis onustas conseuit, quamdiù vixit in terris: voluit & semetipsum tantam arborem aeternae vitae plantare, vt quicumque ex ea fructum fidelissimè degustaret, viueret in aeternū: Coepitque à sepulchro sui corporis, quasi scrobem radici huius diuinissimae Arboris cauaturus; ait enim: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*; hoc est, Sepulturam cum vaticinijs Prophetarum, hoc ipsum de me asserentium. *Comedi panem meum cum melle meo*; hoc est, Pascha cum humanitate assumpta: *hic est* enim *panis ille viuus qui de coelo descendit,* à pane illo diu anteà praemonstratus quem Melchisedech Rex Salem & Sacerdos summi Dei cum vino obtulit: Panis Abrahae oblatus à Melchisedech praemonstrabat corpus Christi.
Vnde sequitur: *Bibi vinum meum cum lacte meo*; id est, calicem pietatis & innocentiae. Possunt haec omnia & ad coelestem patriam & ad fidelem quamque animam referri, cum Sponsus quemlibet electum suum cunctis virtutibus ornatum, ab hac vita succidens, ad aethereum thalamum deducit. *Panem cum melle comedit*; cùm de Sanctis suis, fructus bonorum operum cum sanctitatis opinione colligit; eósque ad beatorum horreum coelesti pabulo saginandos transfert: *vinum* verò suum *cum lacte bibit*; cum & perfectione quorumdam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate, diligens vtrosque ad sempiternam requiem cōgerit. Horum exemplo caeteri, militantes adhuc in hac mortali luce, ad hunc delitiarum hortum accelerare adhortantur, cùm sequitur: *Comedite propinqui, & bibite, & inebriamini fratres.* Patriarchae & Prophetae tanquàm propinqui & amici (longiùs enim abfuêre) de verbo vitae, & passione Domini, & Spiritus sancti fluuio comederunt, biberúntque. Apostoli verò & Discipuli illius omnes & Martyres qui illud videre & contrectare ex diuina gratia meruerunt; adeò inebriati sunt ad summum vsq; Torrente Spiritus sancti coelitus diffuso, vt *musto* pleni putarentur dum *magnalia* Dei praedicarent. Act.1.
Mysticam ergo Paschatis comestionem, & coelitus demissum Spiritus sancti imbrem intelligit, de quo dixit; *Accipite & comedite:* Et, *Accipite & bibite:* Et *Accipite Spiritum sanctum.* Mystica Paschatis comestio.
Quod & sequens oratio confirmat, cùm dicit: *Ego dormio* [in Cruce scilicet] *& cor meum vigilat.* Cùm diuinitas Tartara spoliauit & opîma spolia retulit de triumpho superatae mortis aeternae, atq; deiectae diabolicae potestatis: ait enim; *O mors, ego ero mors tua:* Et, Princeps huius Mundi, spiritus ipse malignus, *eijcitur foras.* Osee 13.d
Verùm si haec ad singulorum Fidelium animam transferamus, alij sunt ex electis qui tanquàm amici Dei comedunt ac bibunt dum diuina praecepta sic obseruāt vt nihil Deum capitaliter offendant; & quamquàm necessitati corporis vel coniugio castissimè astringantur & filiorum curae, résque humanas possideant ac diligant; non ea tamen Deo praeferunt, sed iustissimè viuunt, nihil alieni rapiunt, sua dilargiuntur egenis, charitate adducti. Alij verò nullis vinculis huius profani Saeculi annexi; non modò diuina mandata omnia studiosè curant ac sanctè, verùm etiam posthabitis atque relictis despectísque omnino cunctis rebus humanis, soli Deo placere seruiréque nituntur: hi sacras literas meditantur, frequenter orant, desiderio regni coelestis ardent, praeterita sua delicta deflent, lachrymis se mundant, afficiunt, torquent, nílque aliud student ac volunt quàm Sponsum promereri semel & adipisci cum eóq; regnare in sempiternum: hi non solum de coelestibus potant, sed & ad ebrietatem vsque foelicissimè complentur. Hi sunt cor Sponsi; in his libentissimè conquiescit. Quò magis enim exteriora cuncta despiciunt, eò secretiùs interiora Sponsi docentur: de quibus eum diligentibus idem Sponsus ait: *Qui diligitur à Patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum.* Dormit ergo Sponsus, *& cor* eius *vigilat*; dum à terrenis rebus eius electi alieni sunt & sola diuina concupiscunt; & tanquàm à saeculo mortui & rerum omniū infirmarum perpetuo sopore capti, ad superna tantummodò vigilant atque contendunt; nec nisi proximorum vtilitatis causa sese vnquam ad peritura conuertunt, ob ídque nonnúquàm ad profectum aliorum, ab interna quiete excitantur à Sponso cuius vocem nunc audiens Sponsa laetabunda respondet: *Vox fratris mei pulsat ad ianuam.* Ianua siue ostium; cor Sponsae & cuiusque fidelis animam significat, secundùm illud:

Apo.3.d

Ego sto ad ostium, & pulso, &c. Quicumq; ergo Deo paret, & illius præcepta studiosissimè conseruat; is se quotidie ad ianuam cordis acciti & admoneri sentit ad meliora semper & altiora charitatis opera facienda; quod & sequentia confirmant. Sed illud priùs dicendum est, hoc quoque ad post resurrectionem referri posse, cum Dominus noster Iesus Christus *clausis ianuis* apparuit Apostolis, cum & Thomam incredulitatis suæ reprehendit

Ioan.20.f

(& sub eius nomine, quàmlibet infidelem animam) vtque sibi ianuam cordis aperiret ad fidem capiendam excitauit: vnde propinquam primùm ipsam animam, fidei quasi vicinam nondum tamen credentem; deinde sororem, & Sponsam, & columbã, & perfectam suam Sponsus appellat; vt iamiam fidelem totam & igne charitatis ardentem: proptereáque ait; *Aperi mihi propinqua mea, soror mea, Sponsa mea, columba mea, perfecta mea.* Propinqua, creatione; soror, incarnatione; Sponsa, fide, columba, salutaris vnde & Spiritus sancti regeneratione; perfecta, ex charitate. Hæc, tot & tantis diuinis muneribus insignita Sponsa & quælibet sancta anima cùm pulsanti cœlesti Sponso libenter aperit, incredibili gaudio referta in stupore mentis exclamat, ac profert; *Dominus meus & Deus meus.*

Ioan.20.g

En iam se illius creaturam & seruum appellat, iam se illum timere & credere confitetur fidelis anima ac Sponsa; quæ dum dormit, Dilectus pulsat vt aperiatur ei: multa enim peccatorum onera tolerantur à Deo, dum Sancti viri sibi solùm per ocium contemplationis attendunt; quæ quidem peccata nisi à Spiritus sancti prædicatoribus arguuntur, nunquam per se carnales emendant.

Quies mentis quãdo à perfectis intermittenda sit.

Vult ergo Sponsus vt toties ocium studiorum & quies animi intermittatur à bonis viris atq; perfectis, quoties sese verbo & exemplo cęteris profuturos intelligunt. Torpent enim profanorum mentes & facilè mutantur in peius, nisi diuini verbi calore assiduè foueantur: proptereàque se illi manifestat Sponsus, & cur eam sibi aperire vocarit, exponit: ait enim; *Quoniam caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctis.*

Sunt qui per caput Sponsi rore plenum, resurrectionem matutinam ipsius; & per cincinnos noctis, redemptorum animas & populos ad fidẽ cõuersos intelligant. Qui quidem populi, *rore & guttis noctis*, hoc est, peccatorum frigore ac tenebris implentur, nisi doctrina Pastorum ac vita per Spiritus sancti gratiam illuminentur & incalescant. Multi enim in Ecclesia positi, Deum esse credunt & ore quidem confitentur, sed vita & moribus ita frigent delictorum pleni, vt nunquàm (nisi sæpiùs admoniti atque correpti) ad ardorem charitatis accendantur. Quos in fide diuinitatis (quasi in capite Christi, cincinnos) pendère deprimeréque scimus: hi guttis noctis implentur, dum in hac caliginosa & mortali luce peccatorum tenebras patiuntur, & rerum caducarum cupiditatibus grauati, frigidissimas roris iniquitates stillant atque cruores. Ad hos curandos & accẽdendos excitatur Sponsa dum spiritalis quisque pro ædificatione plurimorum, ab honesta priuatæ vitæ tranquillitate ad sanctissimi Pastoris officium deuocatur.

Hebr.5.a

Sed quoniã nemo sapiens Christi seruus sibi dignitatem sumit *nisi qui vocatur à Deo tanquàm Aaron*, vt Paulus inquit: nec item vocatus non potest sibi non timere (Videt enim quàm periculosa res sit, alienæ salutis curam gerere; quàm difficile, bene administrare. Salute enim periclitamur omnes, sed maximè qui cęteris gubernandis pręsunt: graue sanè onus & nulli nisi sanctè gerentibus tolerabile. Intelligit prætereà se quàmplurimis molestijs sollicitudinibúsque implendum; & post amissam sanctam animi quietem facilè sese peccatorum sordibus fœdari posse ac perdi: ideò clamanti Sponso respondet, ac dicit; *Exui me tunica, quomodo ea iterum induar? laui pedes meos, quomodo iterum fœdabo illos?* Potest hoc ad ipsam resurrectionem Sponsi referri; qui mortalitatem assumptæ carnis iam exuerat, & ab angustissimis terræ gressibus ad amplissima cœlorum spatia transierat: vt semel mortuus non vltra se moriturum ostenderet, secũdum illud Apostoli;

& mors illi vltrà non dominabitur: ob ídque dixit; *Quomodò ea iterum induar?* &, *quomodò iterum fœdabo illos?* sed quoad Sponsam: Quicumque ex sacro Fonte lotus, veterem hominem cum vitijs suis omnibus exit; is se mortali tunica spoliauit, vt indueretur æterna: de qua tunica exuenda monet Sponsus in Euangelio, cùm ait; *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam & emat gladium*; hoc est, despiciat sęculi caduca & peritura, spoliet se delictis, & cupiditate rerum omnium terrenarum, & emat Spiritum paracletum à quo sibi donentur æterna: Hunc enim gladium in terram missurum, se venisse idem testatur Dominus. hic est ille idem gladius, de quo dicitur; *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei*; quo vitiosa præsecantur, & vlcera scelerum omnium aduruntur atque sanantur. Pedes autem suos Sponsa lauit, cùm præterita suæ vitæ errata correxit quotidiéque commemorando quæ deliquerit & assiduis lachrymis se purgat, suspirat, ac gemit; dolétque vehementer se contra Legem Domini dissolutè ambulasse, turpia concupijsse, inhonesta atq; iniusta peregisse, nihil boni, nihil sancti à se factum; studuisse tamen mundari pœnitentia, vt immaculata aliquando Sponso appareret, eíque vita moribúsque placeret in animi honesti quiete atque ocio.

Rom.6.b

Luc.22.d

Eph.6.c

Vorticosum pelagus vitæ profanorum.

Quare verita Sponsa ne rursus eis malis incideret quæ fugit, & quasi iam secura in statione à maris fluctibus (ne eisdẽ iterum obruatur) renuit se pelagus vorticosum profanorum vitæ nauigare: sed sponsus qui pro omnibus se voluntariæ morti deuouit, quíque bona publica priuatis anteponit; haud facilè quamplurimos perire tolerat; ob ídque iam propiùs Sponsam ipsam per semet accedens excitare non dubitat, cùm dicit; *Frater meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Videtur non absurdè de Thoma Apostolo, & in persona eius de omni incredulorum anima posse intelligi, cum Iesus illi dixit: *Infer manum tuam in latus meum, & digitos in locum clauorum, & noli esse incredulus sed fidelis.*

Ioan.20.

Tunc ille de vera Christi resurrectione certior factus, tunc fide plenus, tunc venter eius (hoc est, mens & animus) exhorruit ad tam veram tamque mirabilem resurrectionis præsentiam. Sed si ad Sponsam referamus, tunc manum suam Sponsus, per foramen, sponsæ admouet vt surgat, cum per internam quãdam intelligentiam eam instruit ac docet quàm mira sint diuinæ prouidentiæ & potestatis opera, quibus qui tegitur, is nunquã perire potest: propereà non esse timendum, quin vel inter pericula tutò versari possit ob salutẽ proximorum, modò non id suæ virtuti tribuat arroganter, séque aliquid esse putet cùm nihil sit omnino, nisi tum cum Deo suo adhæret ac paret auditque humiliter. Nam nec in summa pace & maxima solitudine quemquam saluari posse constat nisi per eum qui & bene olentes rosas inter spinas & triticum inter zizania conseruare nouit ne lædantur, nullúmque vnquam hominum in se sperantium dereliquit vel in maximis vitæ discriminibus constitutum: ob idque, Sponsa ad huius tactum intremiscit, quoniam sancta quæque anima quò clariùs diuinam potentiam per interiorem mentis oculum intuetur ac cernit, eò vehementiùs sibi timet séque eò acriùs recenset, ac iudicat quicquid in se carnale deprehendit: Et quò maiore charitate in eum ardet quem exoptat, quoque magis veretur ac timet ne quid in se deprehendat odio vel animaduersione dignum, eò demissiùs se illi subijcit: séque totam ad Sponsi voluntatem parat ac defert, nullúmque laborem neque periculum recusat, modò intelligat se rem gratam facere suo Spõso pro quo mori non refugit. Quare statim mandata sui Sponsi executura surrexit: ait enim; *Surrexit aperire fratri meo: manus meæ stillauerunt myrrham, digiti mei pleni sunt myrrha electa.* Manifestè & hæc, Thomæ & cuilibet ad fidem conuersæ animæ cõuenire possunt: tunc enim illius manus myrrham stillauerunt, & digiti pleni fuerunt myrrha electa, cum Iesu latus manibus suis contrectauit & in clauorum loca digitos immisit: proptereáque ipsius Iesu verissimam

fuisse resurrectionem corporis non imaginariam confidenter testari potuit crediturisς Idémque corpus Iesu (A) Christi à morte ad vitam reuocatum quod antè familiarissimè nouerat atque tetigerat, quódque pro salute totius humani generis in Cruce pependerat, in sepulchróque iacuerat. Tunc igitur manus Thomæ ac digiti myrrham stillauerunt gentibus, cum omnium certissimè prædicare potuit, quod ipse ob aliorum vtilitatem dubitando palparat ac senserat. Si verò ad Spōsam respicias, tunc tacta surgit aperire Sponso cùm sese intùs ardentiùs incalere sentit, magisque accendi, quàm consuêrat: propterea intelligit iam se ad proximorum vtilitatem excitari vt in illis quoque Sponsus habuet quos fidelis anima prædicādo (ex diuina gratia) Sponso comparatit: sed quoniam magis exemplis quàm verbis commouentur homines, propterea sanctè agere & iustissimè con- (B) uersari omnino debent quicumque alios docturi sunt atque recturi; nihil facere accusatione dignum, nihil quod à quoquā iure carpi reprehendíue possit vnquàm. Tunc enim manus Sponsi myrrham stillauerunt, & digiti pleni sunt myrrha electa, cùm nō modò promiscuè bona agimus, sed cùm singulas actiones nostras dictáq; ac facta omnia sigillatim recensemus, diligentissiméque discutimus. Nam vt ab vna eadémque manu plures digiti nascuntur, ita ab vna eadémque anima diuersæ virtutes emanant. Alia est enim benignitatis, alia continentiæ, alia parcitatis. Aliud est cùm nobis ipsis sub silentio ad vtilitatem propriam prædicamus; aliud cùm proximis apertè loquimur ad eorum salutem & commodum; aliud cùm liberè, delinquentes increpamus. Quæ quidem omnia, tum probatissimam myrrham re- (C) dolent, cum ex propriæ carnis castigatione, & de fonte veræ charitatis emanāt: Nihil est enim quod iam fidem prædicanti paret in omni cœtu hominum atque conuentu quàm parem dictis vitam agere, quámque ante omnia auaritiam fugere, superbiam deuitare atque libidinem. Tunc enim docentis verba fidem faciunt, tunc admonentes extimescimus, tunc imperantes audimus, tunc increpantibus cædentibúsque tacemus. Incredibilis vis est integritatis, inexpugnabile robur conscientiæ, immobilis constantia veritatis. His, omnis duritia permollitur & quæque scelerum vincula dissoluuntur. His aperiuntur corda venienti Sponso vt inhabitet credentibus. Rectè igitur prosequitur;

Virtutis varia sunt genera.

Quanam prædicantis, maximè comparent fidem.

Pessulum ostij mei aperui fratri meo. Vt prosequamur quod (D) de Thoma cœpimus; Sponsa per ipsius Thomæ infidelitatem, de Resurrectione Christiana plenissimam fidem accepit: dum enim de Resurrectione Christi corporis dubitauit & palpare voluit; omnem dubitandi causam credentibus amputauit: plúsque Thomas Sponsæ dubitando profuit, quam Maria Magdalene statim credendo contulit. Clauserat ergo Thomas anteà cordis ostium resurgenti Domino fratri suo; cui mox & patefecit, cùm ab infidelitate ad stabilissimam fidem & summam charitatem seipsum conuertit & credituros. Non enim phantastica siue imaginaria resurrectio illa fuit, vti suprà diximus; sed verissimū illud idem prorsus Christi corpus quod olim mortale ab Iudæis cruci affixum immortale resurrexerat. Quocircà vbi sese Sponsus dubi- (E) tanti Thomæ per certissimum corporis tactum ad illius vtilitatem atque multorum, & cæteris Apostolis per quadraginta dies multis argumētis mirabiliter demonstrasset; ad cœlos demum ascendit. Sed si de quaque fideli anima moraliter loquamur; pessulum ostij facimus, cùm per voluptates carnis aditum cordis contra Dominum occludimus: idem verò tum reseramus, cum depulsis illecebris vitiorum atque luxuriæ, in amorem Iesu Christi nos totos expandimus; nihilque Sponso venienti obsistimus, sed illi soli pulsanti aperimus, ipsúmque nobiscum perpetuò inhabitare rogamus clamantes; *Mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit*. Et quoniam dum in hac mortali carne sumus, haud id perfectè statim facere possumus (nemo enim, vt dicitur repente fit summus)

Luc. 24. d

annitendum est indies, vt hoc quàm maximè consequa- (A) mur: nullique alij quam Deo nostro studere placeamus. quamquam interdum dum magis ac magis Sponso ipsi appropinquare contendimus, is longiùs, nobis, abire videatur: haud tamen omittendum est vnquàm, quin illum ipsum studiosissimè perquiramus, inclamemus, deprecemur: tunc enim maximè nobis præstò aderit, cùm longissimè abscessisse timebitur: fingit enim *se longius ire*, vt rogetur impensiùs, studiosiùs inquiratur, diligentiùs conseruetur: ob idq; cupida illius Sponsa quasi dolendo narrat; *At frater meus abierat transieratque*. Discessit præsentia corporis Sponsus à Sponsa, cùm ex hoc Mundo trāsiuit ad Patrem; sed nunquam deseruit illam nec deseret orbam: Ipse enim dixit; *Non relinquam vos orphanos*: sed modò dilectam tangit modò absistit Spon- (B) sus; cùm & nobis inspirando quæ optima ad cœlestia prouocat, & interdum veluti destitutos nos laborantes luctantésque cum diabolo, Mundóque ac carne, proximè spectat: vt & qua simus in illum charitate atque animi fortitudine probemur, & nobis ipsis innotescamus. Quod quidem maxima gratia nobiscum agit, ne & illum vnquam humiliter deprecari cessemus, (dum afflicti nos quasi ab eo deseri timemus) & ne superbia efferamur, dum nobis illum iamiā certò tenere videmur. Quare sapientissimè modò se nobis per gratiam suæ inspirationis infundit modò subtrahit: quique iam abijsse putabatur, adest, & qui adesse credebatur, paululùm vtiliter abscessit: sicque nobis semer cùm admirabili prouidentia vicissim mutuóque dispensat quamdiū ab eo peregrinamur in carne; plenissimè tamen in cœlis se (C) totum nobis tradititus, cùm dixerit; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.* Quod Sponsa sentiens, incredibili lætitia perfunditur: ait enim; *Anima mea egrediens defecit in sermone eius*. Ad sermonem Sponsi egressa, se defecisse testatur, quoniam vim amoris Iesu Christi qui se per Spiritum sanctum desiderāti animæ infundit, diu sustinere non valet Sponsa corpore adhuc inclusa. *Corpus* enim *quod corrumpitur, aggrauat animam; & sensum multa* diuina *cogitantem deprimit*. rapitur sæpè anima cœlesti amore incensa ad æterna illa gaudia contemplanda; sed diu illic esse nequit sarcina corporis onusta. Relabitur igitur egressa, tantáque interdum lachrymarum & Spiritus suauitate perfūditur, vt capere vix posit quod & intùs certò sentit: & dum auidiùs atque vberiùs pre- (D) hendere conatur, iam sentire desinit quod sibi modò iocundissimè tenere videbatur. Quare sollicitior fit ad quærendum quod tam præsens habebat; multóque labore ac studio disquirit, modò legendo, modò meditando; nunc hoc, nunc illud charitatis opus agendo: nec tamen semper illi datur inuenire quod quęrit; id que mira fit (vti diximus) diuinæ gratiæ dispensatione. Sæpè enim nobis vtiliter negatur à Deo, quod auidissimè (sed ignari quid nobis melius sit) postulamus. Quod & ipse in Euangelio manifestè docet, cùm dicit; *Nescitis quid petatis*. Et idem, Paulo illum roganti respondit; *Sufficit tibi gratia mea*. Nec ob id cessandum tamen quin assiduè Deum nostrum supplices deprecemur; quod ipsa Sponsa rectè se facere ostendit, cùm dicit: *Quæsiui illum, & (E) non inueni: vocaui, & non exaudiuit me.* Quærit Sponsa pacem in tentationibus suis atque molestijs durísque flagellis quibus affligitur in hac lachrymarum valle; nec inuenit in corpore atque rerum caducarum visu: nam sæpè ad probationem fidei maiorémq; profectum charitatis; cùm fortunarum commodis, tum corporis valetudine priuatur; sæpè tentatur vt pugnare discat ac vincere. ob idque ait *Vocaui, & non exaudiuit me.* Vocat dilectum suum, nec exauditur Sponsa; & fidelis anima cùm orando, meditando, & bene beatéque agendo, dulcedine illius diuinæ præsentiæ satiari appetit, nec illi tamen adhuc datur quod exoptat. Vellet enim assiduè alimonia cœlesti pasci, interna illa suauitate frui, ijs delitijs æternis impleri, quibus solis se beari posse intelligit: sed corruptibili moles corporis impedita, sæpe conata

Cur Deus patiatur nos tentari. Ioan. 14. c. Matth. 25.

Corpus non potest diu sustinere contemplationes.

Sap. 9. d

Postulata nostra sæpe nobis negat Deus vtiliter.

Cur sinat Deus Ecclesiam tentari.

nata decidit; in seque reuersa per sacras literas & Sanctorum scripta ac gesta, sibi quęrendum Sponsum adhuc esse videt, dum tempus aduenerit quo à corpore euocetur: vnde se, quærentem à Custodibus deprehensam explicat cùm dicit, *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt in ciuitate; percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Nihil efficacius amore rerum diuinarum, nihil sollicitius charitate Dei & proximi; quibus qui afficitur, is non potest non adipisci quod honestissimè desiderat: & quamquam mole corporis præpeditur quominus hîc fruatur optatis, habet tamen suæ spei certissima argumenta, firmissima pignora, fidelissimos sponsores: hi sunt qui custodiunt & circumeunt ciuitatem, hoc est, Ecclesiam Sponsam Iesu Christi, & quámque fidelem animam; beatissimi scilicet Prophetæ, Apostoli ac Martyres, Doctores integerrimi, sanctissimi Pastores. In hos incidit; quicumque ad cœlestem Sponsum cura, sollicitudine atque studio rerum optimarum peruenire contendit: horum dicta ac facta, mores & exempla rectè quærit, inuestigat, discit ac tenet, imitatúrque omnino quisquis desiderio vitæ cœlestis ardet; quicumque Sponso vehementer afficitur, eíque soli & semper adhærere studet. Ab his ergo inuenta est Sponsa, quoniam ab his admonita est & docta non esse diffidendum; quin firmissimè sibi promittendum, aduenturum omnino esse Dei regnum, quamuis differri videatur; vnde Dauid: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.* Nam *mille anni* in conspectu eius, *tanquàm dies hesterna:* Et illud Salomonis; *Sola patientia canit victorias:* Et illud Pauli; *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Dum igitur & hæc & alia quàmplurima huiusmodi à sacris Literis & Sanctorum scriptis edocemur; tunc dicimur à custodibus ciuitatis inueniri, ab iisque cædi & vulnerari: quia buccinatores sancti, dum cœlestia bona verè prædicant; amantem Dei animam sagittis amoris cædunt ac vulnerant. Ab his deducimur, ab his impellimur ad Sponsum. O quàm suaue est ab hisce percuti ac cædi & vulnerari! Hi sunt qui sanctam Sponsam sanctissimo Sponso copularunt: quorum vnus Paulus eam sanctè percutit, cùm admonet: *Mortificate membra vestra super terra.* Et eandem Ioannes gloriosè vulnerat, cùm nos ad effecta veræ charitatis adhortatur, dicens: *Si ipse animam suam posuit pro nobis; & nos debemus animam nostram pro fratribus nostris ponere.* Et Propheta, Pastori dicit; *In verbo Domini percute me; & noluit: & dixi illi; pro eo quòd non audisti mihi, egredietur leo de sylua, & deuorabit te.* Spiritali enim plaga feriri cupiebat Sponsa ad disciplinam salutarem; non vt animam perderet, sed vt pro Domino pati doceretur. Vt enim si quis medicorum ad nos curandos accederet, diceretque; vlcus tibi letale inest, vísne aduram ac sanem? responderes actutùm; vre, seri, præcide, ac tolle: sic verus amator Christi, cùm peccatis omnino abstinendum esse admonetur; quàm celerrimè obtemperat, ac paret: nec illi durum est, asperiùs increpari; modò id Domino placiturum intelligat. Vnde Salomon; *Meliora sunt vbera diligentis quàm fraudulenta oscula inimici;* hæc enim ad perennem salutem feriunt illa miserrimè occidunt. Vtinam ab his assiduè cæderetur Sponsa, verberibus afficerentur homines! Non tot heu miseri Christiani quotidie per assentationes prædicantium infœlicissimè perirent! Hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, qua singulæ fideles animæ indies magis ac magis turpiter inficiuntur. Nam cùm in omni cœtu hominum, tum in religione Christiana; assentatione nihil est perniciosius, eorúmque præsertim qui commonendi & obiurgandi cæteros officium susceperunt. Hi sunt qui peccata populorum deuorant (vt Ezechiel exclamat, vel Dominus potiùs per Euangelium) cùm scelera reprehendere non audent, vel ob munera peritura accommoda, vel ob gratiam & amicitiam profanorum ac diuitum quos sibi venatur, vel ob humanam laudem ac gloriam, vel ob metum admittendi terrena bona & fomenta gulæ ac luxus, vel dum (ignaui ac tepidi) calumnias pro Christo Iesu, opprobria, verbera, carceres, exilia mortémque timemus. At veri Christi serui & bellatores omnibus obstare audent pro veritate dicenda & conseruanda: nihil extimescunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil assentantur; sed honesta omnia ac sancta & vera prædicant, vitia omnia acerrimè insectantur atque reprehendunt vel regum ac principum: nulli (nisi bonis & Deo) placere student. Hi, se, peccatoribus murum opponunt, vt idem Propheta monet: hi resistunt hæreticis, his solius Dei timor est & pauor, hi fortissimè pro Christo pugnant & gloriosissimè oppetunt. Ab his quàmplurimi conuertuntur ad Sponsum, dum suorum scelerum apertissimè admoniti verissiméque conuicti, & quanta inde supplicia passuri sint nisi sese celeriter corrigant, intelligunt. Hi sunt qui sanctissimè cædunt, & saluberrimè vulnerant. Ab his cupiant peccatores sibi vulnus salutis infligi, ab his velle curari: ab his enim satius est ad tempus occidi, quàm ab adulantibus ad gehennam exosculari. Teterrima pestis vrbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo adolescentibus, domibus ruina, Monasterijs euersio, Christianæ religioni extrema calamitas omniúmque malorum seminarium & origo. Ab his falsis custodibus Ecclesiæ longissimè fugiat omnis anima fidelis: ab his declinet; horum mores perosi boni viri ad illos solos confugiant à quibus non laudari sed obiurgari & corripi malos intelligunt: his se credant, ab his moneri & erudiri ad salutem velint. Ab his enim sæpè videmus delicíosos atque opulentos homines per veram prædicationem morum, ad summam parcitatem continentiámque traduci. Nam qui nuper purpuratus & ociosus sedebat in foro auditis æternis bonis atque supplicijs quibus boni atque mali remunerādi sunt omnino; statim mutat vita ac moribus, ieiunat, vigilat, orat, alget, æstuat, humi iacet, ac plorat. Iam enim salutariter vulneratus est in mente, sauciatus in anima, percussus in corde: hæc enim *Vexatio dat intellectum*; hæc peccatores excitat ad pœnitentiam. *Sta in excelso* (inquit Dominus) *& annuncia populo scelera sua.* Loquamur *veritatem vnusquisque cum proximo suo*; quoniam *sumus inuicem membra*, vt Paulus admonet. Nolite quæso blandiri prædicatores verbi, nolite placere auribus, ne in illud Apostoli incidamus; *Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.* Quin illud potiùs amplectamur; *Prædica verbum, insta opportunè & importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*; vt eorum de numero simus, à quibus nunc se spoliari gaudet Ecclesia, lætatur & Sponsa, exultat & anima: ait enim, *Sustulerunt à me theristrum meum custodes murorum.* Theristrium, quod & Theristrum & Maphorium appellant, muliebre capitis & faciei & velamentum & operculum colore tinctum quo fœminæ (æstate præcipuè) vtuntur. Hoc faciei velum ignorantiæ Dei; & hunc capitis amictum, mentis cæcitatis; *custodes murorum*, hoc est, Apostoli, Prophetæ, & Doctores sancti omnes: vtriusque *muri*; id est, Testamenti & mandatorum Dei: vigilantissimi *custodes*, tunc primùm Sponsæ detraxerunt; cùm hanc, cœlestem Sponsum verum Deum suum pijssimè agnoscere & sanctissimè colere docuerunt: tunc enim mulieres, mulierúmque simillimi; molles animi, petulantes atque lasciui, idolorum culturæ dediti & varijs erroribus inuoluti; fusco conscientiæ, in maximo æstu vitiorum, saluberrimè vti desierunt. Sed peccatorum mentes primùm verbo veritatis cædere necesse est, deinde ferro tremendi iudicij Dei atque pœnarum vulnerare; postremò bonis omnibus rerum caducarum affectum (quo veluti pallio atque amictu inutiliter tegebantur) auferre; eósque hortari vt posthabitis atque relictis terrenis omnibus (quasi velorum vmbris) nihil aliud in vita hac peritura appetant quàm cœlestem illum Sponsum reuelata facie tandem aliquando intueri posse: à quo fideles amici sui omnes & castissimæ quæque Sponsæ vbertate diuinitatis suæ inebriantur &

Marginalia: Psal. 30. d; Psal. 89. a; Prou. 16. d; Hebr. 13. e; Coloss. 3. a; 1 Ioan. 3. c; 3. Reg. 20. f; Prou. 27. a; Prædicātium assentationes.; Assentatione nihil perniciosius.; Ezech. 13. 6. 22. a; Prædicātium officia.; Adolescentiū tabes Assentatio.; Isa. 58. a; Isa. 58. a; Zach. 8. e; Rom. 12. b; 2. Ti. 4. a; Ibid.

Torrente voluptatis æternæ perfunduntur: Apud hunc enim solum *fons vitæ* manat, *& in lumine* suæ gratiæ videri potest. Hæc faciunt veri Custodes vrbis & murorum, vera charitate Sponsi proximorúmque feruentes, de quibus Esaias ait; *super muros Ierusalem posui custodes, tota die ac nocte* vigilantes, ne quis furum vel latronum malignorum spirituum, clàm ciuitatem Sponsæ direpturus ingrediatur; aut si quem foris incautè mare vorticosum humanæ vitæ nauigantem deprehenderit, in æternam prædam secum Pirata crudelis abducat. Quod cùm prudens, casta, & simplex anima atque Sponsa intellexerit; eos Pastores sanctos & Vigiles Christi seruos omnes adiurare & obsecrare non desinit, per quos sese in dies chariorem Sponso reddi posse nõ dubitat. vnde sequitur. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per vires potestates agri, vt si inueneritis fratrem meum denuncietis ei quod ego vulnerata sum charitate.* Magna fiducia integritatis morum ac vitæ, Sponsæ Ecclesiæ & fidelis cuiusque animæ: cùm iam audet in filijs suis modestis ac bonis Martyribus & Confessoribus, tanquam mater honestissima, Sponso suo Christo Iesu, quanta in ipsum charitate ardeat, prædicare. Clamat enim ad Apostolos, Prophetas ac Martyres (quibus se mater Ecclesia commendare non cessat) vt quos post Christum habuit suæ fidei & salutis autores, eosdem habeat defensores tutorésque perpetuos & perfectores suæ spei apud eundem cœlestem Sponsum: cui quidem nunc custodes illi beati Spiritus in cœlesti illa Ierusalem fœlicissimè assistunt ac supplicant pro Sponsa hac militante, mortali carne adhuc velata, studiosa tamen sui diuini Sponsi planéque percupida illius assequendi, ob idque charitate ardens & desiderio non modò rogat Apostolos ipsos ac cæteros fidelissimos patronos suos sese Deo commendari, verumetiam quasi adiurando cogit per eas vires & Potestates omnium virtutum semina; quas per diuini Spiritus sancti gratiam acceptas à Sponso per agrum Mundi ad salutem Gentium sanctissimè diffuderunt, vt illud adimplerent; *Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.* Vnde pro sanctissimo hoc desiderio exaudita; sed quò magis indies in Sponsum ipsum accẽdatur nec vnquàm à charitate torpeat, quasi nescia; quis nã sit illius Sponsus & qualis, sic interrogat: *Quidnam frater tuus à fratre, honesta inter mulieres? Quid, inquam, frater tuus à fratre, quoniam sic nos adiurasti?*

Psal. 35. a

Humana vita vorticosum mare.

Non cessat mater Ecclesia commendare se, Sanctis.

Sancti spes nostra apud Christum perfectores.

Incomparabilis sapientia Scripturæ sacræ! cœlestis ordo, & admirabilis series orationis: bis repetitur, *Quid frater tuus à fratre?* vt & Sponsæ desiderium duplicetur, & interrogantibus lætitia: Nihil est enim de quo auidiùs percunctemur & libentiùs audiamus quàm de eo quod mirificè cupimus & vehementer amamus. Gaudent in cœlis animæ Sanctorum; nec aliud semper quàm de Deo suo laudes celebrare contendunt. Studet in terris sanctissima Sponsa mater Ecclesia & sancta quæque anima nihil aliud dies ac noctes quàm de absente diuinissimo suo Sponso (quamquàm spiritali gratia semper & defensione, præsenti) percunctari, audire, ac loqui; rogaréque perpetuò, vt se quoque tandem sibi præsentem adiungere dignetur in cœlis: ex quo sanctissimo desiderio & orandi studio, *honesta* atque formosa dicitur *inter mulieres*; hoc est, inter Tribus omnes Israël & Synagogæ, quæ turpissimè à Deo fornicatæ cœlestem virum deseruerunt. Ipsa verò, indissolubili sanctitatis vinculo, Sponso Christo Iesu copulata permanere studet illique soli semper adhærere deprecatur & supplicat; nec vllo temporis puncto de eo sanctè loqui, cogitare prudenter, meditaríque desistit cùm ipsius ineffabilem charitatem qua mortalis homo pro se redimenda fieri non dubitauit, tum summam prouidentiam & potestatem qua cuncta per se creauit sapientissiméque moderatur & regit alia. Dum hæc igitur & & quàm plurima huiusmodi secum ipsa recenset & alta mente voluptat; ardet absentis desiderio, inflammatur charitate: & quoquo modo potest, sese illi ipsi tandem aliquando præsenti adiungere laborat modò per suas A ipsius preces ac lachrymas, modò per aduocatos ac nuncios & deprecatores illos quos vel proximos Sponso (fidei & vitæ meritis) vel iam præsentes astare eoque frui cognoscit; hócque tamdiu facit, donec sibi optata donentur: & ne interim labore quærendi amandique lassescat, ad id quod auet interrogandò excitatur, cùm dicitur; *Quid frater tuus vel dilectus à fratre, formosa inter mulieres? quid frater à fratre?* Cùm bis idem repetatur, *frater à fratre*; potest & Sponsus in carne ab Israëlitico populo natus intelligi; & consubstantialis ipse Filius de Patre ante sæcula genitus. Deus enim de Deo lumen de lumine, æternus de æterno, immensus de immenso, coæternus semper & coæqualis Patri vnà cum Spiritu paraclito. *Frater* ergo Sponsus *à fratre*; vel *dilectus à dilecto* bis dicitur, vt & Sponsa Deum & hominem eum B esse intelligat; ad eúmque sic amandum inflammetur, donec illum consequatur: vel vt ostendat neque Filium sine Patre, neque Patrem sine Filio rectè vnquam coli posse & venerari: sed vtrúmque semper vnum esse Deum cum Spiritu sancto, inuisibilem, immutabilem, sempiternum, sicut ipse de se testatur; *Ego & Pater vnum sumus*: Et *qui uenit me, uenit & Patrem.* Propтereáque à Spiritu sancto per Prophetas & Apostolos Doctorésque loquente, cur sic *nos adiurasti*; interrogatur: vt per hoc iusiurandum sanctæ Ecclesiæ siue Sponsæ & cuiuslibet fidelis animæ ad Prophetas ipsos ac cæteros ex suauissimo desiderio & igne sancti Spiritus profectum; ad Deum ipsum magis ac magis amandum colendúmque hortemur; & hunc cœlestem Sponsum per omnia tan- C dem (excepta humanitate) æqualem Patri omninò esse firmissimè credamus, si ad eius beatitudinem demùm peruenire studemus. Non enim aliter ad eum patet aditus, nisi Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum & verum hominem planéque perfectum esse confiteamur; Idque sanctissimis virtutis actionibus comprobemus; quod ipse per se manifestè docet, cùm dicit; *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum*; hoc est, nisi (eoúsque fide trahente) de me crediderit, vt me Patri æqualem diuinitate, parémque substantia atque natura omnino esse tenuerit. Ob idque Magdalenæ hunc à Mortuis ad vitam renocatum tangere cupienti dictum est; *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: hoc est, nondum in corde tuo, me Patri æqualem esse D credidisti, dum foris humana carne vestitum, diuinum quendam hominem tantummodò esse putabat: hortulanus enim Magdalenæ videbatur. Quare ex sincero ipsius Sponsi amore atque familiaritate, per assiduas orationes ac lachrymas, qualis ipse sit & quantus (quoad patitur humana fragilitas) fidelissimè agnoscere contendamus: ne dum hîc per ignauiam animi atque socordiam, autorem nostrum discere negligimus; tunc ab eo (miserrimi) iustissimè repellamur, cùm eum maximè agnouisse vellemus: vnde Paulus; *Qui ignorabitur.* Et illud; *Nolite paruuli effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Quod prudentissima Sponsa intelligens, iamiam aliqua ex parte qualis sit eius Sponsus & quantus; ad percunctantes ita respondet:

Filius Patri consubstantialis.

E *Frater meus candidus & ruffus (siue rubicundus) ex millibus electus.*

Candidus, ob innocentiam & sanctitatem Christus Sponsus, esse dicitur; quia nullum peccatum fecit: *ruffus* verò, siue *rubicundus*, propter Spiritum sanctum ac sanguinem quem pro Sponsa in salutem & resurrectionem nostram clementissimè effudit. *Ipse* enim *tulit omnes iniquitates nostras & propter scelera nostra attritus est*: & quamuis esset innocentissimus, ad necem tamen crudelissimam, vt nos à morte redimeret, accedere non dubitauit. Vnde illud Esaiæ: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Quia *solus* ipse *torcular* humanæ redemptionis amantissime calcauit. Ob id *ex decem millibus electus*, quòd ipse solus ex totius humani generis stirpe sine peccato vllo natus & inuentus, sua iustitia ac sanguine peccatores

omnes

omnes pientissimè redemit, Sed notandum quòd *ex decem millibus electus* dicitur, eò quòd post decem Legis A præcepta & Prophetas, ex quibus significatus est, aduenit: mille enim (vt diximus) perfectionem significat. Siue quòd à summo cœlo egressus de millibus Angelorum & Archangelorum post nouem Choros, ex Deipara virgine, tanquam de thalamo sanctissimo processit in Orbem. Hæc sunt quæ cœpit studiosa Sponsa de Sponso nosse; de quo & alia narrare sequitur: ait enim;

Caput eius aurum Cephas.

Caput Sponsi quoad diuinitatem, Pater intelligitur; qui propterea aurum esse dicitur, quòd omnis creatura si ad Creatorem referatur, vilissima admodùm res perpenditur. Si verò ad humanitatem respiciamus (hominis characterem intelligentes) per caput eius, Patriarchas & iustos omnes possumus accipere; qui tanquàm B aurum per ignem, multis fidei argumentis cogniti, fide ipsa maximè splenduerunt. Quòd verò aurum ipsum *Cephas* dicitur; quod, *Petrus* vel *firmitas* interpretatur; stabilitatem eorum fidei apertissimè declarat: siue quod Petrus qui & Cæphas, caput Ecclesiæ ipsius Sponsæ aliquando futurus erat. Vtcumque per aurum sapientia designatur quæ Filius est Patri coæternus & consubstantialis. Cuius non ignata Sponsa, cætera sui Sponsi diuinissima ornamenta fidelissimè exponit; vnde ait: *Crines eius siue cincinni palmarum coma nigra vti coruus.* Cincinnos eius de quibus etiam suprà diximus, Sanctos militantes intelligit, Apostolósque & iustos omnes: nam vt capiti eius, Patriarchæ comparati sunt quòd ex illis secundum carnem Christus in Mundum venerit; rectè C cincinni siue comæ, post illos, ad Apostolos referuntur & cæteros sanctos omnes. Quos eò Palmarum comis assimilat & corui nigredini, quòd multis ærumnis electos omnes agitatos impulsósque omnino nunquàm aduersis cedere succumberéve oportet, sed palmarum instar, quò magis deprimuntur, eò altiùs resilire, non sollicitos omnino de corporis alimentis atque vestitu (plus quàm deceat) necessario: ob ídque Apostolos ipsos, & in ijs futuros Christianos omnes, per se, in Euãgelio terribiliter admonuit de sollicitudine corporis humani fugienda, & omnium rerum humanarum cura, sumpto exemplo de fidelissimo Helia. Possumus tamen per nigredinem corui, peccatorum memoriam intelligere; quòd, quamuis sancti & boni omnes multis virtu- D tibus polleant, peccatores tamen se fuisse & semper esse recordantur: vnde sequitur;

Peterus caput Ecclesiæ.

Oculi eius veluti columbæ, in fluentis aquarum, quæ in lacte sunt lotæ, & iuxta plenitudines aquarum resident. Oculi Sponsi, columbæ persimiles, quos vigilãtissimos semper habet ad Sponsam; septẽ sunt illius charismata: quamuis & viros religiosos, veros Ministros Ecclesiæ, & sanctos Prædicatores possumus accipere: qui & ipsi sacro Fonte Baptismatis (omni lacte, candidiore) loti per Spiritus sancti gratiam, septẽ eiusdem Spiritus sancti dona quæ gratis accipere, Christiano populo sanctissimè ministrant. Rectéque columbinis oculis comparantur, vti est in Euangelio; de quibus oculis, & Zacharias mihi sentire videtur, cùm dicit; *Hi septem oculi Domini* E *sunt, qui despiciunt super vniversam terram:* omni enim labe puti & defecati, simplices planéque prudentes esse debent omnes Christi serui; híque præcipuè qui sacra cæteros atque cœlestia docturi sunt, & moniturí; ob ídque postquàm ipsi à fluentis Spiritus sancti mundati sunt & candore virtutis illustrati; iuxta plenitudines aquarum residere dicuntur, vt Scripturæ sacræ profunda arcanáque rimantes, ea Christiano populo ad salutem summa charitate impartiantur. Plenitudo enim Legis Charitas; super qua Spiritus sanctus residet & super Ecclesiarum fideli multitudine mandatorúmque fluenti; Penes quæ, cùm ea de causa maximè columbæ residere dicantur, vt super volantium rapacissimarum auium vmbram in aquis ipsis intuentes, letales vngues effugiant. Debent & viri sancti præsertímque Pastores, ita in sacra-

Zach.3.d.4.c

rum Literarum lucidissimis vndis inspicere, vt superue- A nientes fallacissimorum dæmonum rapinas, insidias, ac fraudes ex sanctissimis præceptis Scripturarum atque consilijs fœlicissimè declinent; séque ipsos ac cæteros tueantur illæsos, diuina gratia protegente: nihil enim fœlicissimi consilij, nihil salutaris præcepti desiderare possumus quin omnia nobis è Scripturis sanctis abundè suppeditentur, modò rectamente & animi sinceritate legantur. Hæc igitur omnia de Sponsi oculis largissimè proueniunt; de quo, & reliqua, Sponsa prosequitur, ait enim; *Maxillæ eius (siue, genæ) tanquam areolæ aromatum quæ producunt vnguentaria.* Dum Sponsi maxillas aromatum areolis quæ proferunt pigmentaria, Sponsa comparat; diuinam Scripturam intelligit, quæ & suauitatem odoris sanctissimæ fidei, & vnguenta virtutum B omnium ad quemlibet morbum animi langorémque sanandum amabilissimè spirat; qualia sunt sacratissima Euangelia ex Prophetarum vaticinijs diu anteà præparata atque confecta: quibus bene perunctæ nares animi suauissimè redolent, omniúmque turpissimarum rerum atque cupiditatum graueolentiam & fœtorem abominantur. Hinc Martyres habet Ecclesia incorrupta Christi Sponsa per quos veritas Christianæ fidei & latissimè diffunditur & inuictissimè roboratur. hi enim tanquam firmissimæ maxillæ siue genæ quibus dentes affixi, Euangelicæ doctrinæ saluberrima pabula sedulò mandentes & assiduè ruminantes, cùm sibi ipsis tum alijs quàm plurimis cœlestem vitam fœlicissimè coxerunt: dum coram immanissimis tyrannis crudelissimísque tortoribus constituti, adeò inuicto animo Chri- C stum crucifixum humani generis redemptorem confitentur; vt de his quoque rectè dici posset; *Et genas suas vellentibus non auertit.* Scimus enim Deum nostrum in Martyribus pati, & illius esse spiritum qui omnia in omnibus operatur. Quare & Scriptura sacra, & sancti viri omnes qui integerrimæ vitæ sanctitatem redolent, & candidatorum chorus qui (constantia fidei) virtutum exempla amplissimè diffundunt ijs omnibus imitanda qui ad sempiterna præmia peruenire desiderant, rectè, areolæ aromatum, vnguentaria siue pigmentaria producentes appellantur. Sed iam Sponsa festinat ad reliqua Sponsi, dicens: *Labia eius lilia, stillantia myrrham plenam atque perfectam.* Diuinæ Scripturæ candorem, ciúsque sermonum pulchritudinem, liliorum persimilem testa- D tur: hæc enim perfecta myrrha sanctorum Martyrum tormentorum patientiam mortísque victorias referens; imitandæ nobis veræ virtutis exempla plenissimè stillat, cùm ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Possumus etiam per labia stillantia, prædicatores fidei (vti suprà dictum est) intelligere: qui dum fortissimorum Martyrum gesta & exempla prædicant, myrrham populis stillare videntur: plenam (inquam) atque perfectam, quoniam Martyrum vita ac mores, perfectæ cuiúsque virtutis plenissimi fuerunt. Vtque myrrha carnes illiniuntur ne putredinem sentiant; ita Sanctorum exempla atque Martyrum, auribus adhibentur audientium vt *carnem suam cum vitijs omnibus & concupiscentijs* crucifigere di- E scant, ne ipsorum animæ miserrimè putrescant. Sed cauendum est prædicantibus, ne labia polluta cordis & oris habeant: ait enim; *labia* Sponsi *sicut Lilia.* Necesse est omnino mundos esse & omni candore virtutum refertos, per quos Sponsus Ecclesiæ suæ loquitur; vt & sanctitatis odore & veritate doctrinæ crediturus attrahant, secundùm illud Apostoli; *Bonus odor sumus* in omni loco, & his qui salui fiunt: nec quicquam bene gestorum sibi attribuere insolenter, quandoquidem *non sumus sufficientes excogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est*, vt idem testatur Apostolus: Quod & eadem Sponsa confirmat dicens; *Manus eius tornatiles, aureæ plenæ Tharsis.* Iam manifestè Sponsa ex diuinæ Scripturæ sententia; omnia sua bona, à salutifera nece sui diuinissimi Sponsi sibi prouenire testa-

Scriptura sacra consilia fœlicissima abunde nobis suppeditant.

Isa.50.c

Matth.5.

Gal.5.d

Necesse est Doctores virtutibus refertos esse.

2.Cor.2.d

2.Cor.3.b

tur, cum per manus eius tornatiles aureas ac plenas Tharsis, passionem eius ostendit. Tunc enim Christi manus tornatiles factæ sunt, cum eas pro salute nostra crudelissimis clauis in vitæ ligno perforatas extendit: quæ quidem ob diuinissimam puritatem & innocentiam admirandáque ipsius opera, iure aureæ prædicantur: Plenæ verò Tharsis, propter Gentium ad se conuertendarum plenitudinem. *Tharsis* enim, conuersio gaudij interpretatur. Cum enim Iesus in cruce manus suas extendit, tunc ad ipsum summa cum lætitia se conuertit Ecclesia dicens, *In velamento alarum tuarum sperabo.* Et rursus; *In velamento alarum tuarum proteges me.* Et, *Venite exultemus Domino.* Manus enim suas Sponsus vt auis ad pullos suos protegendos à rapacitate bestiarum, ne diutiùs ab ingluuie dæmonum immanissimè votaremur, expandit. Possumus etiam per manus tornatiles aureas ac plenas Tharsis, intelligere quæque optima ac sanctissima Christi opera quæ gessit in vita, & nobis imitanda reliquit dicens; *Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis:* ob idque *tornatiles* dictæ, quod vndequaque perfectissima absolutissimáque virtutis forma omnia fecit quamdiu vixit in terris; nihilque admisit vnquam quod non esset virtutum omnium & sanctitatis exemplar: aurea certè diuinitate, percussa; plenáque lætitiæ magnitudine, quoniam diligentibus se Torrentem voluptatis infundet. Vt enim quæ torno elaborantur, maximè expoliuntur, & consummata quadam rotunditate formantur; ita Christi opera diuinissima arte tornata, cœlesti quadam forma vndique sibi sanctissimè consentiunt. Quicumque igitur ipsius opera, sinceritate animi imitatus fuerit, æterni gaudij præmia consequitur, quod ipse testatur cùm nos admonet, dicens: *Qui mihi ministrat me sequatur, & vbi ego sum ibi & minister meus erit:* proptereáque Sponsa, illius admirabili formositate capta, de ea sequitur enarrare: *Venter eius pixis eburnea in lapide Saphiro.* Per ventrem seu vterum Sponsi, Legem veterẽ significari arbitror, iuxta illud Prophetæ; *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero;* de Iudæis & hæreticis malè intellecturis quæ de Christo prædicta sunt, ob idq; in ipsum non credituris, sed falsa prædicaturis omnino; cùm ea tamen per illud saltem intelligere potuissent quod idem de se loquitur crucifixus; *Factum est cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei.*

Psal. 61. b
Psal. 60.
Psal 94. a
Christus cur expanderit manus suas in Cruce.
Ioan. 13. b
Ioan. 12. d
Psal. 57. a
Psal. 21. b

Cor suum, vaticinia & oracula sui aduentus ac necis: *in medio ventris* sui; hoc est, Legis & veteris Testamenti: *vti cera* liquefacta sunt & aperta post mortem suam in qua omnia de se prædicta consummata sunt quæ anteà dura & clausa erant legentibus. Vnde & *velum Templi scissum* dicitur; quia quod velabatur, reuelatum est: sicque cor Domini nostri Iesu Christi, id est, summa ipsius sapientia, quæ clausa erat in Scriptura sancta; post eius salutarem necem reserata est omninò & patefacta; Quæ quidem rectè pixidi eburneæ comparatur. Vt enim in pixide, sententiæ recondi solent & decreta Principum; ita & in Lege veteri, ipsa Patriarcharum oracula & vaticinia Prophetarum de Christo venturo recondita fuit & continentur; non quidem ad terrenum imperium, sed ad cœleste regnum pertinentia. Quæ quidem prixis proptereà eburnea dicitur *in lapide Saphiro;* quòd, sicut ebur obscurius est & vilius quàm Saphirus qui lapis est preciosus, colore cœlesti atque totus lucidissimus; ita Lex vetus (siue Patriarchas & Prophetas per Legem intelligas) Euangelica Lege eiúsque autore Christo Iesu longè vilior est planéque omnino inferior. Illa enim, pictura & flos; hæc, fructus & viuum animal, imò vita æterna: Illa carnalis, hæc spiritalis; Illa occidens, hæc viuificans: Illa pœnarum & subiti cruciatus plena, hæc tota pietatis atque misericordiæ & vitæ sempiternæ. Quare sapienter à ventre & ebore, hoc est, à carnalibus & durioribus Veteris Legis præceptis, ad Euangelicum lapidem preciosum Christum qui lapis est angularis

Legis veteris, & Euãgelica comparatio.

& cœlestis mandatorum vita, fœlicissimè peruentum est. Possumus etiam per ventrem Sponsi, Sanctorum chorum intelligere purum ac nitidum, vti pixidem eburneam; nihil sordidi habentem, nihil maculæ. In qua quidem spiritali pixide, codicilli sapientiæ suffragiáque conduntur non ad terrenum imperium (vti diximus) sed ad cœleste regnum conductura. Quòd verò lapide Saphiro ornatum vas illud dixit; ad Sanctorum communionem, charitatem ac gloriam referri potest. Vt enim Saphirus lapis quæcumque proximè attigerit, similia sibi reddit ac trahit, sic & Beatorum chori, mutua charitate sibi inuicem adhærentes; semet & alios sancta disciplina atque institutione ad cœlorum regnum perducere nituntur. Potes etiam per ventrem quasi pixidem eburneam, mortalitem carnis à diuinitate assumptam intelligere. Ebur enim os firmissimum est & maximè durabile regijsque ornatibus commodissimum: Quare non absurdè venter Christi pixis eburnea dicitur, cùm mortalitas carnis ad immortalitatem atque gloriam æterni Patris per resurrectionem transfertur, ibique ad dexteram collocatur secundùm illud: *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Quòd verò ad ornamenta Regum vtile sit ebur, eos omnes significat qui ita carnem suam domant sensúsque rationi subijciunt & sanctis virtutibus seipsos illustrant, fide, pietate, iustitia, continentia, castitate, dilectionéque proximi ac Dei; vt & Christi mortalitatis, resurrectionisque ac gloriæ meritis digni sint ornari. Vnde & lapide Saphiro qui coloris est ignei, id vasis ornatum dicitur; quoniam Christus in assumpta nostra mortalitate, cœlestia opera plenéque miranda peregit ad salutem nostram & disciplinam (omnis enim Christi Iesu actio nostræ vitæ fuit instructio) Quisquis ergo Christi Iesu munerum atque gloriæ particeps esse desiderat, is Saphiro lapide (quoad fieri potest) se honestissimè adornet, vt vel in hac corruptibili carne ea omnia sanctissimè operetur quæ quasi eburnea opera) cœlesti regiæ futura sint ornamento, nec vnquam peritura: quales fuere Prophetæ & Apostoli de quibus vaticinatur Ecclesia, dum ipsius sponte prædicat ornamenta: ait enim; *Crura illius columnæ marmoreæ super basibus aureis fundata.* Vt crura totius corporis molem sustinent ac ferunt, ita & Apostoli (columnarum instar) vniuersam Christianorum Ecclesiam per Orbem terrarum fortissimè gestant; ob inuicti animi robur atque sanctissimi propositi firmitatem, columnæ marmoreæ appellati: hæc enim illis omnia pro summa stabilitate fidei maximè conueniunt. Per hos enim Christus vniuersum terrarum Orbem ad fidem gentibus prædicandam peragrauit, cùm præcepit illis; *Ite in vniuersum terrarum Orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ* rationali. Quod quidem tanta animi sapientia atque constantia perfecere, vt tanquàm marmorei & adamantini, nihil violentum extimuerint nihil aduersi formidarint; sed stabiles semper ac inuicti contra potestates omnes hominum atque dæmonum, luce ardenti sapientiæ tanquàm in tenebris, prædicando, monendo, docendo, & miraculis coruscando victores demum fœlicissimè euaserunt. Erántque super basibus fundatæ columnæ; hoc est super firmissima petra Christo Iesu. æterni Patris sapientia; & sanctissimis præceptis: quibus quicumque fidelissimè innititur, & lucis Christianæ opera perfecerit; is columna Christi marmorea super basibus aureis fundata esse poterit. Quod sancta Sponsa studio assequendi sollicita, reliquos sui Sponsi ornatus prosequitur: *Species eius vt Libanus, electus vt Cedri.* De Libano quamuis superiùs diximus; mons est Arabiæ fœlicis in quo feraces arbores atque odoratissimæ proueniunt; interpretatúrque dealbatio. Huic Christi species comparatur propter humanitatem, viris illis antiquis iustis non absimilem: qui factus nobis à Deo Patre, *sapientia, & sanctificatio, & iustitia,* vt de ipso testatur Apostolus; Omnes in se credentes suáque præcepta fidelissimè

Sanctorum communio.
Act. 1.
Marc. 16. c
Libanus mons Arabiæ.
1. Cor. 1. d

fidelissimè seruantes super niuem dealbat, omnium candore virtutum, odoratissimósque facit rerum gestarum probitate & veræ sanctitatis odore; nec vnquam corrumpi finit, quos semel sua beatitudine donarit. Est enim sempiternus, omnipotens, immutabilis, immensus vt Pater; à quo *electus* esse dicitur, vt Cedri; in quo sibi *bene complacuit*. Vt enim Cedrus procerum incorruptibiléque lignum est & odoratum; sic Christus omni proceritate, atque odore incorruptionéque incorruptissimus, odoratissimus, atque procerrimus: quamuis homo sit factus; numquam tamen Deus esse desinit; nec eam humanitatem quam semel assumptam habet habebitque perpetuò, corrumpi finit: de quo regius ille Vates; *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: vt ostenderet nos quoque mortales omnes, incorruptos aliquando resurrecturos, secundum illud Pauli; *Omnes quidem resurgemus*, vt hoc corpus corruptibile in incorruptibile mutetur: Sed non nisi boni atq; electi ad æternam illam gloriam consequendam immutabuntur cuius percupida Sponsa adhuc de Sponso narrare prosequitur: ait enim; *Guttur eius dulcedo & totum desiderium*. Per guttur Sponsi, testamentum nouum potest accipi. Vt enim per ventrem, Vetus, quasi per inferiorem partem corporis; ita per guttur, Nouum, nobilius membrum atque sublimius, per quod cibos ac potus demittimus in ventrem ipsum, & vocem proferimus: quibus omnibus veluti saporibus & viua voce omnia dicta Veteris condiuntur atque probantur; quāuis vtrumque significari potest. Quod quidem Testamentum *dulcedo* dicitur, *& totum desiderium*; propterea quòd in eo, *quàm suauis sit Dominus*, à Fidelibus gustatur: per illud enim Christus nobis loquitur, suáque arcana & mysteria reuelat ac pandit. Quod sacer vates Dauid testatur, cùm dixit; *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*. Et alibi; *Iudicia Domini iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum*. Incredibile est nescienti quàm suaue sit de Deo optimo maximo ex sacris Literis meditari ac loqui. In his enim legendis, peccatores de propriis erratis admonentur; quoque modo se castigent, corrigant, ac emendent, apertissimè docentur; & quicquid homines alter alteri vel dicere verentur vel ignorant, hoc sacræ Literæ & sanctissimè audent & vberrimè nouerunt. Ex his, guttur nostræ mentis admirabili dulcedine repletur in Deum; séque adeò inflammari sentit desiderio æternæ vitæ consequendæ: vt mysticè, *dulcedo & totum desiderium guttur* sui Sponsi; non dulce neque desiderabile prædicetur à Sponsa. Est ergo *totum desiderium atque dulcedo* testamentum Sponsi, eò quòd per illud homines bona omnia docti, qualéque & quantum sit Deus ipse summum bonum intelligentes; ad illud ipsum consequendum ardentissimo desiderio rapiuntur. Vnde Sponsa tot ac tātis bonis sui Spōsi Christi Iesu enarratis, quasi certissimis notis ad cognoscendum qualis & quantus sit appositis; ita de redemptore concludit dicens:

Matth. 4. — *Psal. 15. c.* — *1. Cor. 15. g.* — *Sap. 12.* — *Psalm. 118.* — *Psal. 18. c.* — *Quàm suauis & vtilis sit Scripturæ sacræ lectio.*

Talis est frater meus, & talis est propinquus meus filiæ Ierusalem.

Frater, propter patrum antiquorum genealogiam: *Propinquus* verò; quòd, è cœlo descendens, Sponsæ suæ Ecclesiæ per humanitatem appropinquauit: siue vti superius dictum est, *propinquus*, nos creando, *frater*, redimendo. Parum enim profuerat benignissimè creasse, nisi nos clementissimè redemisset. Quam nobilis facta est creatura rationalis, postquam summum Deum auctorem omnium suæ mortalitati meruit habere participem vt iure dicere iam possit, Deus homo, & homo Deus. Quod Adam primus omnium parens futurum diuinitus prouidit, cùm exclamauit; *Hoc, nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Prouiderat enim, Deum aliquando ex homine nasciturum, cui, homines tandem adhæsituri erant per fidem, spem, & charitatem; relicto patre diabolo siue putredine rerum caducarum, & matre concupiscentia carnis, siue vermibus peccatorum, secundùm illud: *dixi putredini, Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus*. Omnia enim terrena putrescentia sunt & corruptionis plena; propterea relinquenda omnino homini quicunque Deo vult adhærere: vnde illud dictum; *Quamobrem relinquet homo Patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ*: Hoc est sanctissimè Ecclesiæ, & per eam diuinissimo ipsius Sponso Christo Iesu viro cœlesti, nostræque redemptionis & immortalitatis auctori. Quod Apostolus de matrimonio loquēs insinuat, cùm dicit: *Magnum hoc mysterium*. Et illud; *Despondi vos omni viro virginem castam exhibere Christo*; *Qui enim adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo*. Quare enumeratis tot laudibus ipsius Sponsi, totque muneribus ostensis quibus genus humanum illustrauit; Quis audiens, non iam totus inflammetur? quis intelligens non ardescat in illum redamandum, colendúmque sanctissimè? Ingratissimus ille prorsus, planéque lapideus, & omnis humanitatis expers, qui talem ac tantum Creatorem & Redemptorem suum non studiosissimè veneratur & colit. Sed fidelis anima, quæ quò plura atque maiora de Redemptore suo audit & intelligit; eò propius illi adhærere contendit, illiúsque secretiora & magis intima cognoscere, & penetrare flagrat. Vnde sollicitè de eo in persona Apostolorum & Prophetarum, quos per filias Ierusalem significari diximus; sic & percunctatur: *Quò abijt frater tuus, pulchra inter mulieres? quò se auertit frater tuus? & quæremus eum tecum*. Cum matre Ecclesia, quæque fidelis anima pollicetur se Sponsum quæsituram, dum illius amore flagrat: nihilque illi iocundius esse potest, quàm proximam cùm proxima de Christo Iesu commentari ac loqui; cùm sese mutuò sciscitantur, & quonā modo quæri & inueniri debeat sanctissimè alloquuntur. Et si de Iudæis hoc quoque intelligi potest, qui aliquādo conuersi; quo pacto Christum rectè inuenire possint, Ecclesiam interrogant: quam & pulchram inter duodecim Tribus, vti supra diximus, appellant. Sed qua via primum quærendus sit, ille nos docet, cùm dicit; *Quærite Dominum omnes humiles terræ*: dein qua ratione inueniatur, ait; *Facite iudicium & iustitiā omni tempore*: Sic enim Sponsus à Spōsa quæsitus inuenitur. Nihilominus interrogata respōdet:

Iob. 17. d. — *Gen. 2. d.* — *Ephes. 5. g.* — *2. Cor. 11. a.* — *1. Cor. 6. d.* — *Soph. 2. a.* — *Psalm. 105. a.*

CAPVT V.

Frater meus descendit in hortum suum ad areolas aromatum vt pascatur in hortis, & lilia legat.

Christi descensus ad inferos.

Per descensum Sponsi quem fratrem appellat, Domini nostri Iesu Christi descensum ad inferos possumus intelligere, vt arbitror: nam & hæc, sequentia probāt cùm dicit; *Ad aromatum phialas siue areolas*. Prisci enim illi sanctissimi viri, per phialas aromatum non ineptè significātur, quales fuere Noë, Abrahā, Isaac, Iacob, Moses, Iob, Dauid, Samuël, Elisæus, Daniël, aliique quàm plurimi ante Legem & in Lege: qui quidem omnes, veluti aromatum phialæ siue areolæ, sanctissimæ iustitiæ odores ac fructus suauissimè oluerunt. Tunc enim Paradisum triūphator ingressus est, cùm ad inferos penetrauit. Adest nobis ipse Deus hac in re testis, cùm in Cruce Latroni (sese, illi ipsi, religiosissimè commendanti) clementissimè respondit; *Hodie mecum eris in paradiso*, hoc est, diuinam meam gloriam, méque ipsum deliciarum omniū hortum, & cœleste bonum infinitum ac summum (sic enim paradisus dicitur) contemplaberis, spectabis, intueberis ac cernes; eóque pascere & frueris in sempiternum, nullum tibi vnquam satietatis fastidium allaturo. Inde namque factū est, vt in hortis olentissimis mentiū humanarum, per vniuersum terrarum orbem Christiana fide & charitate flagrantium pasceretur ipse Deus: ex iisque candidissima Liliorum odoramenta ac serta Apostolorum, Prophetarum ac Martyrum, & omnium beatorum ad cœlestem thalamum adolendum legeret. Nisi enim ipse priùs in hortum suum descendens, diræ mortis aculeos contriuisset: numquam in hortis; hoc est, multiplicibus fidelium totius Orbis Ecclesijs, sanctissimè se pascere & delectare

Luc. 23. f. — *Paradisus quid sit.*

potuisset in terris. Nam attende quæso, quàm admirabili diuinæ sapientiæ ordine antedicta hæc texuntur. A In vnum enim hortum primò descendisse; deinde verò non in horto, sed in hortis plurali numero, pasci & Lilia colligere dicitur à sponsa; vt ex multis Ecclesijs, per diuersa loca fidelium Christianorum, sanctissimarũ actionum flores ac fructus ad horreum illud sempiternum aliquando decerpturus esse videretur. Sunt ergo horti ac lilia fidelium conuentus omnes, & quæque fideles animæ sanctitatis odores & bonæ famæ fructus olentes: quibus & hîc dum viuunt, sponsus ipse pascitur; & postremò thalamus æthereus adornatur: in quo quidem castissima sponsa, sola charitate ardens, ipsi diuino sponso, inseparabili contemplatione adhæret, copulatur, afficitur; nec ab eo vnquàm diuelli potest: ob idque rectè sequitur; *Ego patrueli meo, & patruelis meus mihi, qui pascitur in lilijs.* B

Deum semper amare oportet, illique soli placere studendum. Nam dum vni Deo rectè placemus, satis cæteris omnibus & abundè facimus; tunc enim illi nostra opera grata sunt omnia, planéque iocunda: tunc is nobis frater est & sponsus, cùm illum ipsum integritate vitæ innocentiáque laudamus, colimus, veneramur, amplectimur. Nam & ille nobis non modo vicissitudinem laudum, verumetiam omnium rectè factorum præmia vberrimè rependit, perpetuóque conseruat. Ecce enim merces ante faciem eius, & opus in conspectu suo, vt gregem fidelium suorum semetipso pascat, & in brachio æternitatis suæ tueatur atque saginet; modò illi ipsi sanctissimè semper adhærere nitamur, nullísque incommodis vnquam (quanquam grauissimis) ab C eo deficiamus ad hostem. Nam, vt ipse per se ait, *Quicunque in me consenserit coram hominibus, consentiam & ego in eo coram Patre meo*: Et, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Qui verò in hunc ipsum miserrimus consentiri erubuerit; & ipse erubescet in eum, damnabitque perpetuò. sed quæ fidelis est illius anima & sponsa, quæ casta, quæ sancta; veluti lilium candor virtutum, Deum pascit & pascitur; & nutrit & nutritur alumnus, & laudat semper, & amat cœlestem sponsum, & mutuò laudatur & redamatur ab illo: hoc enim est, Sponsum in Lilijs pasci. Quare rectè nunc vicissim laudatur ab ipso, cùm dicit.

Matth. 10.d

Ibidem.

Pulchra es dilecta, vt probata voluntas: electa vt Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. D

Probè nunc laudatur omnium virtutum pulchritudinis sponsa dilecta charáque & periocunda suo cœlesti sponso; eadémque persimilis iam probatæ & acceptæ animæ, electæque illi Ierusalem pacificæ visionis atque tranquillæ, & horrẽdæ castrorum aciei structæ esse perhibetur. Hinc enim illud, *Probasti Domine terram tuam*: Et, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, & bonæ voluntas.* Bona enim & probata voluntas, εὐδοκία à Græcis dicta; quæ & probatio Latinè dici potest, voluntaria est mentis oblatio, quemadmodum & alibi sacræ Literæ ostendunt: *In voluntarijs* * *benedicite Deum.* Et illud sacri Vatis; *Voluntariè sacrificabo tibi*: Et, *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Nullum bonum neque malum nisi voluntarium ac liberum: eóque laudabilius est, magísve E damnabile quicquid agimus, quò magis voluntarium; hoc est, liberiore & magis diuturno iudicio mentis, & electione peractum est. Cùm ergo sponsus suam laudãs Ecclesiam; castissimam videlicet sponsam, & quãque fidelem animam, *Pulchra es dilecta mea vt probata & accepta voluntatis*, inquit, &c. Voluntariam ipsius sponsæ dilectionem erga sponsum, & mutuam ipsius sponsi charitatem ad sponsam apertissimè declarat; eandémque, vti Ierusalem, speciosam & electam asseuerant, illius supernæ cœlestis Ierusalem beatissimis Spiritibus comparat; ob id, electam, appellatam, quòd sponsi præceptis sanctissimè paruerit, fidelissiméque seruierit. Rectèque, *terribilis*, & horrenda, *vt instructa castrorum acies*, esse dicitur intuenti, beata spõsa & quæque fidelis anima: quoniam

Psalm. 84.a.
Luc. 2.b.

* Vulgata in Ecclesijs.
Psalm. 67.c
Psalm. 53.a
Psalm. 118.
Nullum bonum nisi voluntarium.

diuino splendore illustrata, & luce illa inaccessibili circunsulta, stuporem spectantibus affert & admirabilem voluptatem: éstque vel in terris, fallacissimis dæmonum turbis admodum formidabilis diuina gratia roborata; nec mirum: vt enim hostes cum hostibus pugnaturi dum sese ritè cogunt ac muniunt, nullúmque aditum irrumpendi hostibus relinquunt; non modò metui sunt hostibus, séque facilè tuentur ac liberant; verùm etiam facto agmine, hostes ipsos plerúnque superant ac perdunt: Ita Christi sponsa, fidelium multitudo & sancta quæque anima; dum contra malignos spiritus ac nequã, vigilantissimè ac strenuè certare non cessat pacis charitate vallata atque munita; non solùm inexpugnabilis est prorsus, verùm etiam terrorem hostibus incutit ac fugã, sibiquemet salutem parat sempiternam immortalémq; triumphum: At si dissentire misera (quod Deus auertat) secum ipsa cœperit, vel seditione discindi; heu facilè expugnatur ab hoste, miserriméque truncatur, & in æternã prædam crudelissimè abducitur! Quare fides integerrima, spes firmissima, sincera charitas necessariæ sunt sponsæ & cuicunque fideli animæ, si victrices aduersus callidissimos hostes euadere cõtendunt: tunc enim spõsa & fideles animæ, formidabiles & horrendæ sunt inuisibili hosti, nequissimis spiritibus illis qui nos assiduè omni dolo ac fraude perdere moliũtur. Nam dum se fidei vnitate colligit ac tegit, charitate munit; nullus aditus ad irruendũ, hosti patere potest, nullus ad expugnandum datur ingressus: sicque collecta in semetipsa & cõglobata, incolumis est omnino, pacifica, atque tranquilla: nihilque aliud die noctúq; meditatur ac studet, quàm mentis oculos vitæ sanctimonia tergere atque pugnare, eósque ad supernam illam beatitudinis pacem visionéque conuertere. Sed quoniam hic nulli mortalium, eam sicuti est, videre datur (Quis enim adhuc exul & peregrinus, corruptibilis, támque longè à patria, lumen cœlestis aulæ intueri possit & perlustrare?) idcirco dicitur sponsæ tantæ lucis auidissimæ (hoc est, contemplandi sui ipsius sponsi, qui lux est inaccessibilis, lumen æternum de coëterno lumine, diuinitas, sapientia, virtus, iustitia, veritas, maiestas, gloria, æternitas, substantia: Cuius essentia est esse, & esse essentia, & quicquid demum in ipso est, est ipse Deus trinus & vnus, amor siue charitas, lux vera tenebrarum nescia, pax summa, incorruptibilis sponsus, inuisibilis atque sanctissimus, imò ipsa sanctitas ac bonitas) Dicitur inquam sponsæ, paulisper expectandum, donec tempus illud aduenerit quo, præsens, lumen ipsum sicuti est spectare poterit: tunc enim sponsa, non vt modò per speculum in ænigmate & veluti caliginoso aëre lucem ipsam æternam contemplabitur atque cognoscet, sed vti est, pro suo beatitudinis modulo & cognoscet & cognoscetur. Quare ne fallatur dum sperat hic eum à se videri posse, admonetur à Sponso, carnis oculos auertendos: ait enim, *Auerte oculos tuos à conspectu meo, quoniam ipsi me auolare fecerunt.* Conuertuntur oculi ad Sponsum intuendum, cùm mentis aciem ad Christi Iesu beatitudinem contemplandam intendimus: sed oculos auertere monemur, ne scilicet eam nos aspicere sicuti est (quantumcúmque videamus) arbitremur: ob ídque ipsius Sponsæ oculi eum auolare fecisse dicuntur quoniam quò acriùs intuemur, eò magis inuisibilis esse cognoscitur. Et quamuis de summa illa diuinitate Sponsi inuisibilique luce nonnihil interdum vel hic mentis oculis intueri prægustaréque possimus, provt benignitas ipsius Sponsi elargitur, haud tamen vnquàm sicuti est, spectare licet, secundùm illud, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*: Et illud item: *Oculi mei præuenerunt vigilias, conturbatus sum & non sum locutus.* Vnde & Mosi eam cernere cupienti vti est, responsum est; *Nemo me videbit & viuet*, in carne scilicet. Sed & Paulus expertus apertissimè docet, cùm ad lucem illam ardentissimam vel mortalis adhuc vi diuina raptus, quomodò eam ipsam viderit explicare se nescire testatur. Quare minimum est

Seditione laborans Ecclesia facilè ab hoste expugnatur.

Anima pro suo beatitudinis modo cognoscet Deũ & cognoscetur.

Psalm. 118.
Psalm. 76.a

Minimum est quod de Deo videre potest posita in carne Anima. est illud quod in carne adhuc velata Sponsa, de inuisibili suo Sponso videre potest: proptereàque ab eius intuitu longissimè se auolare dicit, quòd modò ab illa corruptibili comprehendi nequeat; sed tempus affore quo perfectè visura sit omnino & fruitura: Interim verò mentis ipsius oculos ad singula præcepta Sponsi sanctissimè seruanda conuertendos, in ijsque sedulò & acerrimè figendos atque purgandos; vt paulò pòst, lucem illam fulgentissimam lucidissimè contueri possit in sempiternum: ait enim; *Oculi tui vias meas custodiant ac seruent:* Et illud Dauid; *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos:* Vnde sic admonita laudatur de filijs bonis iterum à Sponso, atque prædicatur cum dicit: *Psalm. 24.d.*

Capilli (vel cincinni) tui sicut greges caprarum quæ apparuerunt à Galaad.

Per capillos siue crines vel cincinnos Sponsæ, populos Christianos & fideles quasque animas significari iam dudum superiùs diximus, postquàm sacro fonte renatæ fuerunt: nam anteà illotæ prorsus atque immundæ planéque fœdissimæ omnium delictorum sorde, tanquàm caprarum hirci grauissimè spirabant; proptereàque à Galaad ascendentibus comparantur, vt testimonium iam lotæ conscientiæ habere videantur: ob idque statim; *Et dentes tui sicuti greges lotarum.* Addit, vt ex vera confessione suorum scelerum in ipso lauacro Regenerationis toti mundati sint & niue candidiores facti, veterem hominem cum malefactis suis omnibus exuti atque cupiditatibus; iámque interiori mentis cogitatu atque acie diuinarum rerum salutares cibos & arcana mysteriorum pabula sibimet ipsis conterunt ac mandunt, & proximo cuique fraternè ruminantur ac impertiunt: Quod & sequentia manifestissimè declarant, cùm ait; *Quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus ornatæ, nec sterilis est in eis.* Verè duplici fœtu omnis fidelis anima decoratur à Sponso, postquàm omni omnium delictorum labe per salutarem confessionem atque baptisma vel pœnitentiam purgata est & lota: nam ex accepto Spiritu sancto (vt salua fiat) Deum ipsum & quemque proximum sincerè amare debet; alióqui frustrà se lauit, nisi (vti sæpe iam diximus) Deum vnum suprà omnia castè ac sanctè veneretur & colat; proximum verò sicut seipsam diligat. Possumus etiam per duplicem fœtum, duplicem munditiæ fructum intelligere mentis & corporis, vt sponso nostro Christo Iesu immaculati simus & sancti. Sed prior intellectus (ni fallor) verior est & potior. Quare sedulò laborandum nobis est, vt ex binis Spiritus sancti fœtibus (quanquàm septem esse possunt) veluti matres filiorum lætantes esse possimus. Væ enim, væ qui sanctissimos fœtus ipsius Spiritus vel sua negligentia socordiáque amittunt, vel turpissimæ vitæ moribus miserrimè perdunt: melius ijs sanè foret nunquam in hanc lucē prodijsse, vt inquit Dominus. Sed si sapimus, id potiùs esse conabimur quod sponsus noster de sua fideli sponsa laudare prosequitur: ait enim; *Sicut vitta coccinea labia tua.* Ardentes charitate omnes esse debēt fideles animæ ad salutem propriam ac proximi: nihil negligere de lege Sponsi, nec illius speculatores salutares ac nūtios intermittere vel perdere; sed studiosissimè amplecti atque sanctissimè fouere: vt sicut Raab meretrix in euersione patriæ per fasciam illam coccineam in signū datam, fenestræ domus appensam seruata est & libertate donata; ita & nos in die illa nouissima quando *cœli mouendi sunt & terra*, vel cùm domus nostri corporis morte irruente euertetur; per vittæ coccineæ fraternæ charitatis ac Dei bene signata & sculpta opera, salutis æternæ participes esse possimus. Rectéque vitta dicitur: nam vt hac frons capitis ornatur; ita nobis à capite nostro sponso Christo Iesu dicendum est vt semper ornemur: Ipse enim nos docuit, cum dixit; *Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Possumus etiam per fasciam ipsam coccineam à Raab fenestræ appensam,

Arcana pabula mysteriorum. — *Confessio salutaris delictorum.* — *Iosf. 2.c.* — *Ioel. 3.c.* — *Ioh. 13.*

A apertam atque sinceram Christi fidei confessionem accipere. Vt enim corde iustificamur, secundùm Apostolum; ita ex aperta nostri oris confessione saluamur: eóq; *labia tua*, dixit; ne quis fidelium coram impijs crudelissimisque tyrannis Christianæ fidei destructoribus vel structoribus magis (ijs enim affligentibus, cœleste palatium ex viuis lapidibus ijsque purpureis sanctissimè cōstruitur) ne quis (inquam) coram ijs positus erubescat, vitam æternam palàm confiteri: quin intrepidus, inuictúsque omnino Orthodoxam Christi fidem constantissimè retineat ac prædicet: tunc verò gloriosè de se audiet quod sequitur: *Tanquàm mali corium, sic & genæ tuæ dilecta mea, præterea quæ intrinsecus latent.* Rubro colore atque albicante Mali corium, hoc est, cortex Mali punici circumfundi solet, cùm maturat: huic non absimiles genæ Sponsæ comparantur à Sponso, *Rom. 10.b.*
B vt per colores ipsos russum atque album vel virentem, fidei integritatem ac spei charitatisque ardorem habere debeat quisque fidelis Christi seruus: cum hisque bonæ conscientiæ optimos atque castissimos internæ mentis cogitatus ac fructus (per genas enim flos castitatis & pudicitiæ significatur) ne vacuitate bonorum operum coràm Iudice constituta Sponsa, fatua sine oleo veræ charitatis lampada ferens miserrimè damnetur: vt quæ similis sit Christo Iesu Sponso suo, vera charitate & interna pulchritudine, ob id dixit, *Præter ea quæ intrinsecus latent.* Scitis enim intra Malum punicum multitudinem granorum contineri: horum persimiles, bonorum operum fructus esse dicuntur; & latentis animi conscientiæque bene cogitata ac facta quæ soli sponso
C so perspecta sunt & cognita, in die tamen nouissima, cunctis propalanda. Quare ad bene beatéque agendum accingamur omnes vt ijs Electis annumerari mereamur; de quibus eadem sponsa laudatur à sponso: ait enim; *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ & adolescentularum non est numerus.* Equidem per sexaginta reginas eos omnes significari arbitror qui ante Legem & in Lege ipsa sanctissimè vixerunt: quod ij natura Legem iustissimè seruantes; senarij numeri (quoquidem omnia à summo ipso Deo rerum omnium conditore patrata constant) mysticam perfectionem acceperunt: Illi verò, Decalogo æquissimè parentes, diuinam gratiam meruere: sex enim, decies multiplicata; sexaginta reddunt. Per octoginta verò Concubinas, illas omnes
D animas quæ sine naturæ Lege ac Scripta vel Mosaïca (veluti quædam meretriculæ sine vllo viro legitimo) lenocinio Dæmonum illectæ, omni vitiorum iugo turpissimè prostratæ (quales Gentiles populi fuere) idolorum cultibus miserrimè seruiebant priùs quàm Christi Euangelio coruscante, ad verum atque legitimum matrimonium cœlestis sponsi sanctissimè coniugarentur. Per adolescentularum verò infinitum numerum, multitudinem omnium incipientium Christianæ fidei deseruire atque parere: qui veluti teneri adhuc & paruuli in via Domini, pro bona tamen voluntate ac vita, in Lege Dei quotidiè magis ac magis adolescunt. Sunt etiam qui per Reginas sexaginta, eas sanctorum animas intelligi velint, quæ castissimè se regentes ac
E cæteros, cœlorum regnum ex diuina gratia & libero arbitrio cooperante adipisci nituntur: nihílque omnino prætermittunt quod sibi ad id conducturum existiment. Per octoginta Concubinas, proficientes in via Domini eiúsque mandatis obtemperare studentes: ob id Concubinas appellatas quòd nondum perfectè carnis illecebras omnes edomuerint, eámque plenè cœlesti Sponso post internas animi puras meditationes copularint: concumbit enim adhuc caro cum aliquot sensuum illicijs & humanæ fragilitatis origine, & necdum omnino victa ac domita rationis iugo facilè parere assueuit sed certat adhuc Spiritui & interdum rationis excurrit imperium. Per innumerabiles verò Adolescentulas; promiscuè gentes omnes & nationes & populos, quos dilectæ Sponsæ diuinissimus ille *Liberum arbitrium cooperatur ad nostram salutem.*

Sponsus preciosissimo atque maximè salutari suo sanguine castissimè copulauit: Et quanquàm infinita propemodum ac varia credentium multitudine constipata sit Sponsa atque referta, iuxta illud; *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate:* Vna tamē est vni viro suo Sponso Christo Iesu charitate sanctissimè copulata, vt sit vnus Deus, vnus spiritus, vna fides, vnum Baptisma, vna perfectio, vnus finis secundùm illud, *Et erat cor vnum credentium omnium:* Et illud Dauid; *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.* Quare rectè subiungit: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Vna est ipsa sancta Ecclesia & fidelis Sponsa, puritate & innocentia vitæ, morum integritate & castimonia, prudentiam habens cœlestis sapientiæ: quæ quidem oculis columbæ non amplius assimilatur, vt suprà; sed iam columba dicitur, & vna, & perfecta; vnàque matri & genitrici suæ. Columba enim indicium est Spiritus sancti. Tota ergo spiritalis facta Sponsa totáque cœlestis; omnia de Sponso, spiritali intelligentia, capit; nihílque carnalis, neque perituri, sed æterna cuncta atque sanctissima meditatur & pascit; séque totam ad ipsius sancti Spiritus Legem ac nutum mouet, versat, & agit; vt vnà cum ipso beatissima semper existat, eiúsque æuo sempiterno fruatur: Vna genitrici suæ; diuinæ gratiæ scilicet, quæ per incarnatam Sapientiam, Sponsam ipsam in lauacro Spiritus sancti fœlicissimè regenerauit. Talis est Sponsa, perfecta fide & charitate Dei ac Proximi: ob id, *mea*, bis dicta; vt intelligat se non satis Sponso facturam, perfectè Deum ipsum Proximúmque amarit: tunc enim verè de se audit quod sequitur;

Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt eam; regina & Pallacæ (siue Concubinæ*) laudauerunt eam.* Per filias Sion, prisci illi Sancti viri Patriarcharúmque animæ & Prophetarum omnes indicantur; qui longiùs hanc futuram Sponsam, in Sponso nasciturо aliquando prospexere: sed hanc ipsam Apostoli cœlesti Sponso sua prædicatione copularunt. Quod ipse apertissimè declarat, cùm illos tanti boni gratos ac memores fore admonet dicens: *Multi Prophetarum atque Iustorum desiderauerunt videre quæ vos videtis,* nec potuere; *& audire quæ vos auditis, nec audierunt.* Possunt hæc tamen & ad Ecclesias & fideles quásque Animas referri; quæ dum iam triumphantem illam Ecclesiam in hac mortalitate, desiderio contemplantur; ab hac peregrina & militante, ad vitam æternam indies magis ac magis eriguntur. Ob ídque columbam fœlicem & beatissimam prædicant; quòd per virtutes & sanctissimas actiones ad Sponsum illum fœlicissimè se adiungit: hæc enim, fide à Genitrice gratia nutritur, spe futuri præmij alitur, carne sui Sponsi pascitur, sanguine abluitur, sacris Literis eruditur, charitate saginatur, hisque cœlestis alimoniæ saluberrimis cibis alta atque firmata, Dæmonum vires expugnat, vitia fugat, virtutes inserit, carnem superat, spiritum roborat, coronam demum æternæ fœlicitatis expectat. Cùm his igitur & alijs multis Sponsa virtutibus polleat; iure admirationem se videntibus affert, & à rectè intelligentibus séque bene regentibus animis beatissima prædicatur; videt enim ad quantam gloriam bene beatéque viuendo perueniat: ad quam quidem nemini datur accessus, nisi eam vita pariter ac ore sanctissimè laudet: Multi enim *ore se Deum nosse fatentur, moribus verò* turpissimè *abnegant*; de quibus per Prophetam, Dauid ait: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum.* Et alibi: *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei:* Et, Non est speciosa laus in ore peccatoris. Vnde est illud Esaiæ; *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me:* Nihil enim est turpius, nihil infelicius quàm vitam disparem verbis agere. Nam qui verè boni sunt atque perfecti, æquè dictis ac factis Deum confitentur ac diligunt; eumdémque cum oportet, constantissimè prædicant; plúsque de se rectè præstare malunt, quàm polliceri ac dicere: nec minus alios, quàm semetipsos verbis, vita, moribus, exemplis adeò persæpè instruunt ac docent & ad vitam cœlestem inuitant ac trahunt, vt eorum virtutibus permoti nonnulli (vel inimici) ad fidem excitentur, dum in eis & vitæ integritatem & fidei constantiam atque charitatis ardorem intuentur & admirantur.

Psalm. 44. c.

Act. 4. f.

Psalm. 132.

Matth. 13. b.

Anima fidelis carne sui Sponsi pascitur.

Tit. 1. d.

Psal. 49. e.

Psalm. 77. d.

Isa. 26. d.

Nihil infelicius dispare verbis vita.

Quocirca iam admirabilis vitæ sanctitate & iustitiæ operibus facta; excitat in admirationem sui & amorem Sponsi, venturos ad fidem, cùm dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit vt matutina* (vel *aurora*?) Beatissima Sponsa atque columba veluti aurora ascendere dicitur, cùm primò à tenebris delictorum ad lucis sanctitatem abscessit, vt per Esaiam inquit; *De nocte diluculo surgit spiritus meus ad te Deus meus:* Deinde à magnis profectibus virtutum ad altiores probitatis gradus ascendit, per ampliorem diuinæ gratiæ cumulum. Postremò in die Iudicij relicta caligine atque putredine peccatorum & mortalitate carnis, immortalitatis lumine & æterna claritate vestietur. Rectéque auroræ comparatur: vt enim aurora nonnihil frigoris secum defert, & diuinæ lucis exortum; ita quæque fidelis Anima ac Sponsa à prauitate vitæ ad iustitiam conuersa, initium salutaris luminis intueri cœpit, & vitiorum æstus astringentis frigoris temperiem ad requiem. Sunt enim nonnulli qui dum attento animo secum ipsi considerant quanta supplicia & quàm grauissima tormenta parata sunt iniquis, eáque sempiterna; incipiunt vitam suam ac mores diligentissimè discutere, séque ipsos & dicta sua omnia ac facta ita acerrimè recensere vt actutùm tenebrarum opera abijciant & arma lucis assumant, séque iustitiæ & sanctimoniæ officijs illustrent: hi veluti aurora de tenebris assurgere dicuntur, dum per bona opera & sibimet mirificè prosunt, & proximis quibusque lucis exempla commonstrant. Quare non absurdè in his Sponsa fidelis ac sancta, Lunæ pulchritudini & Solis claritati comparatur cùm dicitur: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Lunæ comparatur Ecclesia, propterea quòd quicquid habet diuini luminis, id à iustitiæ Sole illo immobili atque diuino quandiù sese illi rectè offert, accipit: & veluti luna, modò tentationibus atque pressuris decrescere videtur ac minui, modò victis malignis hostibus innouari ac surgere: Siue quod morte corporis aliquando defutura sit, & in nouissimo tandem ad gloriam illam sempiternam cum Iustis omnibus resurrectura: nec vllas vnquàm posteà vices temporum perlatura; immortalis semper & beatissima permanebit. Dicitur etiam eadem soli non absimilis, ob rectæ fidei splendorem summúmq; decorem ipsius fulgentissimi atque optimi iustitiæ Solis: à quo solo quicquid viralis splendoris atq; diuinæ lucis Sponsæ inest & cuique fideli Animæ, emicat ac effulget. Tunc enim verè electa est vt Sol, Ecclesia & fidelis Anima cum à salutari Luce & calore tanti luminis non abscedit; cùm illi Soli se vitæ sanctitate ac morum, puram & nitidam humilémque præbet: cùm ab eo solo, non à se, non à quáuis humana facultate illuminari posse confidit vel sperat: ipse enim solus est qui bona omnia Sponsæ donat, qui gratiam, qui gloriam, qui Lunam ipsam virtute perficit vt sit perfecta in diebus suis, qui illuminat abscondita tenebrarum; quique humanarum mentium caliginem depellit ac fugat easdémque adeò irradiat ac illustrat, vt non modò sibi lumen ad rectum iter & semitas iustitiæ faciendas in nocte mortalitatis nostræ verùm etiam proximis quibúsq; salutariter esse possint. Licet nonnullos intueri in Ecclesia tanquā stellas, sydera ac Solē; nonnullos, vt Lunam: his vt in die honestè ambulare volentibus ad maiora charitatis opera suis exemplis claritatis ardorem effundant; illis ne in tenebris offendant atque cæcutiant lucis aliquid in Scripturis sanctis ostendant: Lunam enim Ecclesia adhuc pugnans est, vti diximus; Sol, Deus. Luna

Ecclesia adhuc pugnans.

Christi caro, salutare Ecclesiæ pabulũ.

Luna etiam potest intelligi & humana Christi Iesu caro, per quam Luna ipsa lucet & pascitur in nocte: ipsa enim A Iesu caro caput est Ecclesiæ & salutare pabulum: Sol, diuinitas quæ & humanitatem ipsam semel assumptam & fidelium cœtum semper illuminat, sustinet ac fouet. Quæ quidem Dauid vaticinatus est, cum dixit: *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Sub hac humanitate tegebatur, non hic visibilis Sol quẽ nobiscum bruta suspiciunt; sed ille ipse Sol iustitiæ, de quo in fine miserrimè queruntur impij clamantes; *Quid nobis profuit superbia? Quid diuitiarum iactantia contulit? transierunt omnia velut vmbra*; nos autem errauimus à via veritatis, nec iustitiæ lumẽ nobis illuxit, neq; Sol ipse nobis est ortus: nam Sol hic mobilis & creatus *oritur super bonos & malos.* At ille nõ factus sed genitus, per quẽ facta sunt omnia; patri coæternus, eiusdémq; substantiæ atque na- B turæ vna cum Spiritu sancto, inuisibilis, immobilis, sempiternus, solis probis electisq; illucet: in hunc Solem diuinitatis qui non offendit, aliter de Trinitate sentiens quàm re vera debeat: neque in Lunam *per noctem*, hoc est, in Ecclesiæ vnitate per humanitem Iesu Christi fundata eiúsque preciosissimo sanguine redempta secus nõ ambulat quàm fides orthodoxa decreuit: non vritur in diu illa æternitatis, neque transfoditur ab illis hæreticis qui dicunt fideli Animæ soli Deo præsidenti, *Transmigra in montem sicut passer; quoniam ecce peccatores intenderunt* suæ prauitatis *arcum, parauerunt* sui veneni *sagittas in pharetra* pessima, sui desiderij cupiditate, *vt* letaliter *sagittent in* obscura Luna *rectos corde*: hanc enim Lunam, purissimam Ecclesiam & immaculatam Christi Sponsam di- C uinissimo suo sanguine fundatam & ablutam obscurare conantur hæretici & omnes malè viuentes. Sed Sol ipse, ineffabilis bonitatis suæ radijs nunquam hanc humilem & fidelem Lunam illuminare cessat, suóque ardore fouere ad plurimos quoodiè vitales partus edendos: vt his omnibus armata Sponsa atque munita (quò plures enim secum trahit ac ducit Christi milites, eò tutior est omnino planéque fœlicior) terrorem malignis hostibus incutiat, stuporem ac mortem. Vnde rectè sequitur de eadem rursus dicere, quod iam supra dixerat, vt duplicem laboris charitatisque mercedem ac gloriam hanc accepturam esse declaret; propriæ salutis scilicet ac proximi, corporis & animæ; in hisque terribilem miseris, sed amabilem beatis esse futuram: ait enim; *Terror* D (vel *stupor*) *vt castrorum acies ordinata.* Quod sanctissimam Sponsam terrore similem instructæ militari aciei esse prædicat, potest (ni fallor) ad miracula & ad diuinissima illa signa Apostolorum referri: quibus perspectis & cognitis vniuersus terrarum Orbis in summam admirationem vertebatur, per hæcque populi ad fidem Christi baptismúmque currebant: Videre namque, natura claudos, statim suis pedibus liberè ambulare ac gradiri, cæcis natos, videndi aciem restitutum iri; mortuos ad vitam reuocari, vti Dorcada quæ reuixit; vmbra Petri infirmos languentésque sanari; aliáque quàm plurima nullis vnquàm humanis viribus concessa, vnico verbo vel tacito, quàm celerrimè & quàm optimè, mirabiliter effici; non modò homines, verùm etiam feras ac saxa in E mentis stuporem excitare potuisset. Stupebant igitur (nec iniuria) Gentiles populi tanta rerum miracula & veluti portẽta, nulla humani ingenij ratione, nullis philosophorum dogmatis, nullis argumentis sed sola fidei puritate capienda tenendáque sanctissimè. Sed animaduertendum est diligenter, quòd hanc diuinam Sponsam & quamque fidelem animam, non castrorum aciei simpliciter comparauit; sed ordinatæ similem esse dixit, vt eo modo apertissimè daretur intellegi ijs solis stupenda admirandáque fuisse & futura esse omnia Christi & Apostolorum gesta atque Sanctorum omnium, Sponsæque & cuiusque fidelis Animæ exempla qui se bene præparant ac muniunt obseruatione mandatorum: de quibus dicitur; *Serua mandata, si vis ad vitam ingredi.* Quósque Deus optimus vel ad æterno pro-

Psalm. 44. *Sap. 5.b.* *Matth. 5.* *Filius eiusdẽ substantiæ cum Spiritu sancto.* *Psal. 120.* *Qui ambulat in Ecclesia vnitate non transfoditur ab hæreticis.* *Psalm. 10.a* *Act. 9.g.* *Matth. 19.c.*

uidit ad vitam ipsam sempiternam accessuros; in qua veluti præciosi lapides in sanctissimam structuram disponi sine fine permanebunt: Sed priùs Sponsus in hortum descendat oportet; nihil enim ad id per se potest humana fragilitas, nisi diuina gratia præueniat: nibil valet ad cœlestia consequenda, nisi trahatur à Patre gratiarum sicut eadem veritas ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ergo non laborandum si sola gratia saluandi sunt homines, quin immò laborandum omnino: nam, væ non laborantibus ad salutem. Sed audi quomodo hunc nodum rectè soluat Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum, sed gratia eius in me vacua non fuit:* Collaborauit enim & quidem plus quàm cæteri. Studeamus igitur & nos hunc imitari post acceptam Spiritus sancti gratiã, ex Libero voluntatis arbitrio quæ bona sunt agere, cooperemur gratiæ. Non ocio, non desidia, non languore, non inuidia, non ganea, non iracundia, non luxuria, non rerum mortalium cupiditate & auaritia, non ambitione ac fastu, non vlla denique nostra culpa; frustra nobis diuinam gratiam donatam esse, patiamur: his enim vitijs vel vno duntaxat horum, nostra voluntate (heu miseri) tanti boni tamque incomparabilis iacturam facimus. Nemo diuinam prouidentiam de salute sua carpat; nemo non posse falli causetur; ob idque quicquid ab ea prouisum est ab æterno, necessariò esse venturum: nemo in eam suæ damnationis causam reijciat. Stulta est hæc opinio, planéque iniqua, ridicula ac stulta prorsus argumenta eorum qui crassa ac minima humana sapientia (ne dicam, insipientia ac insania) diuinæ sapientiæ inscrutabilem abyssum adire audent atque discutere. Quem nequeunt Angeli, nec vlli beati Spiritus, vel summè illi Ardentissimi atque proximi, qualis est ac quantus, intueri: nos tanta mole corporis, eaque mortali depressi, tãta rerum caligine & ignorantia offusi, tanta sarcina peccatorum onusti, tanta denique tenebrarum densitate vallati & tam imbecilli, audebimus quicquam de diuina illa ineffabilique prouidẽtia recensere? nec audimus, quod monemur; *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria?* Tamen vt curiosis aliquid respõdeamus ex testimonijs diuinæ Scripturæ, quàm breuissimè & quàm optimè possumus explicabimus, quomodò ad salutem illam æternam ordinati saluẽtur. Certum est nihil rerum creatarũ (animatarúmq; præsertim) plus de se præstare posse quàm vires earum naturáque contulerit. Omnia enim a summo illo rerum Opifice creata & condita, certa quadam essendi lege atque potestate in sua propriáque natura præfinita sunt & constituta, nec quicquam sine illo ipso qui solus est, qui est, per se stare potest & contineri. Creatus igitur & homo, rerum omnium quæ sub cœlo sunt princeps ac rector, isque anima ad imaginem & bonitate ad similitudinem Creatoris nobilissimè formatus ac liber, relictúsque in manu consilij sui, bono sibi malóque appositis (vita scilicet & morte) breui, heu miser! quod gratis acceperat, sua culpa ingratissimus amisit sine spe vlla & vi propria recuperandi quod semel amiserat: Omnia enim naturæ suæ iura viréisque animi ac corporis deprauarat atque corruperat, & qui immortalis esse poterat si diuino præcepto parere ac stare voluisset, sempiternæ morti factus est obnoxius vnà cum cæteris omnibus ex sese nascituris. Sed illum miseratus idem qui sua bonitate condiderat, cœlo descendens & humana carne vestitus, vniuersum genus humanum sua morte redemptum & in melius reformatum æterno Patri reconciliauit, eámque rursus legem vitæ dedit, cui qui parere vollet (omnes autem velle debent) ea tandem immortalitate donabitur, quam Redemptor ipse primus omnium deuicta morte recepit. Quare parendum est illi soli, si id consequi optamus quod proprijs viribus adipisci nullo modo valemus. Hinc est, quod ipse clementissimus Seruator noster ait; *Sine me nihil potestis facere: manete in me & ego in vobis:* Et, *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et, *si quis ser-*

Ioan. 6.e. *Nobis laborandum est, etiamsi sola gratia saluandi simus.* *1. Cor. 15.* *Liberum voluntatis Arbitrium.* *Non est reijcienda in prouidentiam diuinam, nostra damnatio.* *Prou. 25.d.* *Diuina gratiæ, & Liberi Arbitrij concursus ad salutem.* *Homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus.* *Ioh. 15.a.*

Matth. 10. l monem meũ seruauerit, ego & Pater meus ad eum veniemus, &c. Et, qui in me consenserit corã hominibus, consentiam & ego in eum coram Patre meo: Et alia id genus multa. Ecce inuitat hominem ad vitam: Ecce allicit ad salutem: Ecce donat gratiã promerendi: offert, vt capias, hortatur accipere, ostentat accurrere, pulsat, vt aperias; ait enim: *Sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum & commanebo.* (Apoc. 3. d.) Ecce ille immobilis Sol iustitiæ, qui vt hic mobilis, semper illucet; aperta & patentia illuminat, clausa & obstructa percurrit. Quid ergo dicemus? trahamur oportet, præueniamur à gratiã, eãque semper adiuuemur. Idipsum fatemur vtique; sed collaboremus omnino necesse est, ne in illud incidamus quod de negligentibus & peruicacibus dicitur; *Ex te perditio tua Israël.* (Os. 13. c.) Duo igitur ad salutem sunt nobis maximè necessaria, quorum vnum supra nos, alterum nobis inest ex munificentia conditoris: Diuina gratia scilicet nos præueniens, & liberum de voluntate iudicium. (Duo nobis ad salutem necessaria.) Gratia alliciendo incipit, admissa consequitur, bene retenta ac fota perficit: vt enim ouiculæ vel alij cuiuis è cicutibus animanti præmonstratum aliquid, eam propiùs allicit ac mouet, nec tamen cogit; ita menti humanæ, diuinæ gratiæ lumen infusum, voluntatem nostri animi seu rationis (quem Appetitum appellant) illicit ac trahit nec vlla vi cogit; sed sola charitate benignissimè inuitat. (Diuina gratia non cogit nos.) Tunc Deo nostro acceptabile est & periocundum quicquid agimus, cum ad cœlestes nuptias inuitati, nihil (vt illi reprobi, malæ voluntatis ac vitæ) causamur, nihil opponimus; sed libẽter oblatum gratiæ munus accipimus. (Homo confert aliquid de se ad salutem.) Nam vnde quæso tot & tanta illa diuina præcepta, vnde tot iustitiæ merita ac pœnæ, si nihil homo de se conferre potest ad salutem? At Apostolus clamat; *Non sumus sufficientes excogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed omnis nostra sufficientia à Deo est. Deus est qui operatur in nobis.* Et, *velle* & posse *pro bona voluntate.* Et, *quem vult, indurat, & cuius vult, miseretur:* Et, *Iacob elegi, & Esau odio habui;* Et, *Deus viuificat & occidit:* Et, *quos prædestinauit, elegit:* & alia quæcunque contra citari possunt; omnia ad præuenientem gratiam diuinúmque auxilium referenda sunt, & Liberum arbitrium; (2. Cor. 3. b. Philip. 2. b. Rom. 9. d.) Iam enim suprà diximus præueniri hominem oportere, diuinóque auxilio semper adiuuari; *alioqui gratia non esset gratia.* (Gratia præueniens.) Sed nunquid ociosam gratia conseruabit? fugiet actutùm, & veluti Sol clausa fenestra se colliget: cúmque hunc amare & illum odisse dicitur; intelligendum est, quòd hunc amore, illum odio dignum fore prouiderit. (Rom. 11 a.) Nam idem Paulus asseuerat, neminem coronandum, nisi qui voluntariè & rectè certauerit: ait enim; *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* (2. Tim. 2. a.) Quare collaborandum est prorsus diuinæ gratiæ acceptæ, nec vlla nostra culpa perdendum quod gratis infunditur ac datur. Tria enim sunt quæ Dominus remunerat in homine; Recta voluntas, quæ promptam se Deo semper offert; Iustitia, quæ quicquid boni potuit, libenter effecit; Mansuetudo atque modestia (quam humilitatem appellant) Quæ omnia bona, soli Deo accepta refert; in illúmque vt primum authorem & vberrimum fontem bonorum omnium perfectorémque reijcit secundùm illud; (Tria sunt quæ Deus in homine remunerat.) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, supernè est descendens à Patre luminum:* (Iac. 1. c.) Cætera, diuina gratia supplet, & merita sanctissima salutaris necis redemptoris nostri. Quare iam Christi fideles omnes rogo ac moneo, ne vnquàm à bene beatéque agendo cessare velint: Impossibile est enim, eum qui bene vixerit vsque ad vltimum suæ vitæ finem, non rectè mori atq; seruari: ipse enim dixit; Nõ, *qui inceperit, sed, qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* (Impossibile est, eum non bene mori qui b ne vixerit. Matth. 10. c.) Quamobrem, vt nos quoque veluti castrorum acies inter sanctorum Choros ordinemur, aliquando ad Deum ipsum sanctissimè colendum & proximum quémque nostrum honestissimè amandum, studiosissimè accingamur: his enim duobus continetur Lex omnis & prophetia. Nec clementissimus Redemptor aberit, sed descendet ad nos & excitabit atque fouebit, seruabitque volentes; ait enim: *In hortum nucis descendi videre in germine Torrentis.* A Ecce cœlestis sponsus primò descendit in Synagogam Iudæorum ad sacerdotes & Scribas per assumptam humanitatem ex eorum semine secundùm promissionem & iusiurandum, quod Abraham Dauídque iurauerat. Per hortum enim nucis; rectè Ierusalem & Sacerdotium indicatur; (Num. 17. c.) Nam & virga Aaron, regalis sacerdotij dignitatem habuit. Nux verò aptè Mosaïcæ legi congruit: Vt enim nux arbor, folia amara eãque trifida; & fructum ipsum, nuces scilicet, cortice amarissimo quem culeum appellant, & duriore testa atque arida circumtectas profert; quæ quidem intus nucleum non ingratum quadrispicuum, húcque lignea chartilagine intercursante, & tenui membranula dum viridis est, septum continent: Ita lex illa digito Dei scripta, ex Sacrificijs illis carnalibus & ceremonijs tanquam nux B amara frondibus, esse videbatur; quanquàm trinum Deum & vnum mysticè significantibus, & duro admodum sensu (quãquam mystico) veluti amaro cortice tecta erat: velatum tamẽ suauissimum fructum & maximè salutarem Christum Iesum cœlitùs descẽsurum tenebat inclusum: húncqua quadrifido euãgelico sensu per quatuor cardines Orbis propalandum: nec nisi rectè & sanctè enucleantibus eruendum edendúmque sanctissimè. Nam Iudæis adhuc perfidis obstinatissimísque, omninò ita clausus est ipse salutaris nucleus Redemptionis humanæ, vt non modò miserè hallucinentur in ipsa carnali Lege quam falsò interpretantur (*velum enim adhuc impositum est cordibus eorum,* vt Apostolus inquit) (2. Cor. 3. d.) verũ etiam letali eius vmbra quotidiè ad mortem pascun- C tur æternam. Omnia enim illis contingebant in figura & vmbra, prius quam cœlestis ipse sponsus è virginali vtero processisset in Orbem: sed postquàm de illo consummata sunt omnia atque perfecta, quicquid in Lege illa carnali obseptum erat atque latebat, id iam palàm apertum est & patefactum omnibus nosse volentibus: Nec quisquam ex solis operibus ipsius Legis seruari potest, sed & ex fide Christi Iesu & preciosissimo illius sanguine & mandatorum obseruatione salus ęterna paratur. Nã si tunc nemo per solam legẽ seruari poterat (*non enim ex operibus legis iustificatus est Abraham,* sed ex fide: *Credidit enim Deo Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam,* vt allegat Apostolus) (Rom. 4. a.) quantò minùs nunc seruari poterunt (Euangelio coruscante) qui soli Legi Mosaï- D cæ credunt, per eiúsque carnales & iam irritas ceremonias salutẽ æternam adipisci stultissimè præfidunt? Sed iam redeamus ad sponsum, qui cũ primum (vti diximus) ad Synagogam descendisset *videre in germine Torrentis,* hoc est, in tempore opportuno suæ necis (de qua arbitror sentire Dauid, cum dicit, *De torrente in via bibit:* (Psalm. 109. b) Et idem, *Torrentem pertransiuit anima nostra,* (Psalm. 123. a) hoc est, sæuissima flagella pertulit, diros cruciatus ac mortem) videre an nux ipsa & vinea floruisset. O miram Dei clementiam! O ineffabilem bonitatem! Non satis tibi fuerat dedisse Legẽ, non contẽtus tot ac tantos misisse Prophetas ac Reges doctrina & sanctitate præclaros: voluisti & ipse tu venire tandem videre præsens corámque tractare de nucis horto ac vinea, idque *in germine Torrentis,* hoc est, in E assumptæ nostræ mortalitate carnis ac nece, an fructum aliquem ex ea capturus esses: sed heu ingratissimus atque miserrimus populus Hebræus post interemptos seruos ac Nuncios Vineæ Domini, audent & eius vnigenitum Hæredem extra vineam (hoc est, Ierusalem & Synagogam) contumeliosissimè eiectum, crudelissimè necare. Quare cum primò venisset ad hortum nucis ac vineam (hoc est, ad Synagogam) nec ex ea fructum collegisset, sed spinas, vt dicetur inferiùs; mox transiuit ad gentes, ex quibus frugiferas sibi parauit Ecclesias: Quibus & vineam suam locauit, perditis atque destructis primis vinitoribus illis quos ex Ægypto benignissimè vocarat: Vnde de Ecclesia nunc ait: *Effloruerunt Mali punicæ:* Ecclesiæ scilicet gentium tanquam Malj punicæ speciosos fructus atque suaues protulerunt.

At in

At in Synagoga non floruit vinea, nec vuas protulit sed spinas; Coronam enim de spinis Vnigenito plexuerunt: A Vnde & in Esaia vineam ipsam arguit dicens; *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem spinas.* (Isa. 5. a) Ecclesiæ verò Christianorum per vniuersum terrarum Orbem non modò iocundissimè floruerunt, verum etiam & sanctissimæ vitæ fructu & odore sanctimoniç suauissimè oluerunt; rectéque malis punicis comparantur. Vt enim ipsæ, & colore sanguineo vel purpureo, & succo, vino similes in granis habentur: ita & Christianorum fideles cœtus (quos Ecclesias appellant) sanguine Iesu Christi loti & colorati in sancti Dei populi mystico corpore contenti, per multos sanctos viros (tanquam grana) bonitate diuinæ gratiæ & cœlestis Spiritus succo plenos includunt, ex hísque quotidiè sponsum sanctissimè delectat Sponsa. Quare bene subdit dicēs, *Illic tibi dabo vbera mea.* Per vbera, duo B Testamenta significari iam sæpe diximus; Vetus scilicet & Nouum: Quæ quidem nunc in Ecclesijs Sponsa proprio Sponso se daturam esse promittit. Nec mirum videri debet, si eadem vbera modò Sponsi, modò ipsius Sponsæ esse dicantur: Nam qui adhæret Sponso, vnus spiritus est cum eo; vt & Paulus ait. Cùm enim Sponsa suum laudat Sponsum, inquit: *Quoniam bona sunt vbera tua super vinum:* (Cant. 1. a) Nunc verò eadem Testamenta tāquàm si sua propriáque sint, Sponsa ipsa duo vbera vocat, cum dicit: *Illic tibi dabo vbera mea*; (Cant. 7. d) hoc est, in Ecclesia Fideliū. O Sponse cœlestis atque sanctissime, duo tua Testamēta; doctrina, vita, moribus, & exemplis, operibúsque iustitiæ sanctissimè implebo & obseruabo: tibíque veluti sugenda præbebo in proprijs filijs quos mihi dedisti; quósque in mādatis alendos accepi ad Legem tuam C fidelem obseruandam, & euangelica præcepta, indéque tecum fœlicissimè sine fine victuros: propter quæ quidē vbera sic distenta vitæ sanctitate ac morum; eóque, diuinissimo Sponso accepta & periocunda, tanta plerúmque vel in terris adhuc castissima Sponsa & quæque fidelis Anima diuinæ gratiæ suauitate & superna visione repleri solet, vt extra se posita, quid senserit, vbi fuerit, quóue *Torrente* diuinæ *voluptatis* potata sit, ignoret; (Psalm. 35. a) & id sese nescire prorsus & apertissimè fateatur. Quod & Paulus Apostolus id expertus verissimè testatur, cum dicit, *Vidi arcana Dei quæ non licet homini loqui; &c.* (2. Cor. 12. b) Et Spōsa ipsa per se declarat, cum dicit: *Nescium anima mea. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timētibus te; gustate & videte quàm suauis est Dominus* (Psalm. 30. c; Psalm. 33. b) amantibus D se, castéque viuentibus, nec quemquam lædentibus vnquam; aut si lædentibus interdum, non permanentibus in peccato: *Benignus enim est Dominus & patiens & multæ misericordiæ, & facilè ignoscens pœnitenti.* (Psalm. 85. Ioel. 2. c) Sed cauendum est diligenter, ne stultè putemus nos posse, cum velimus, nostro arbitrio propriáque voluntate conuerti: non nostrum est, cum capitaliter cecidimus; (*Capitaliter cadere.*) vt inde vi vlla propria resurgamus, nisi diuina gratia præuenti. Propterea sedulò cauēdum, ne semel, bis, térue adiuti, idem semper nos (cum velimus) audacissimè speremus posse adipisci. (*Non temere sperandum de diuina misericordia.*) Nam qui semper pœnitentem admittit, non semper tempus pœnitendi concedit: Ait enim; *Tempore accepto exaudiui te:* (2. Cor. 6. a) Et idem; *Estote parati, quia nescitis diem neque horam.* (Matt. 24. d) Quid ergo agendum? Cum Sponsa sanctissimè viuendum, benè operandum dum tempus habemus. Et E si quis ceciderit (quod Deus auertat) quàm celerrimè resurgendum, cautiùs ambulandum, frequenter orandum, lugendum, amandúmque sanctissimè: idque perpetuò, & Deum & homines; Christianósque præcipuè, vt domesticos fidei: Tunc enim de nobis fiet, quod de sanctis Sponsæ filijs fœliciter enarratur; ait enim: *Posuerunt me quadrigas vel currus Aminadab.* Aminadab interpretatur, patris bona volūtas, vel probatio: dicitur etiā, populus meus spontaneus; propterea quòd Pater ex beneplacito æternæ voluntatis suæ voluntariū filium vnigenitum ad nos redimendos miserit: & ipse Filius spontanea charitate pro salute humani generis sæuissimæ morti Crucis amantissimè se deuouit; ipse enim ad Patrem ait: *Voluntariè sacrificabo tibi,* (Psalm. 53. a) vt gentes electum sibi populum asciret; iuxta illud: *Vocabo populum meum non populum meum:* (Osee. 2. c) Et; *populus quem nesciui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* (Psalm. 17. d) Tūc enim posuerunt Pater & Filius & Spiritus sanctus tres personæ & vnus Deus, per Apostolorum prædicationem, Sponsam & quamque fidelem animam in quadrigis quatuor Euangeliorum velut à quatuor velocissimis atque fortissimis equis per vniuersum terrarum Orbem vectis Spiritu sancto auriga atque ductore: per cœlos; hoc est, per Apostolos, Euangelistas, Prophetas Doctorésque: loquente arcana Dei, & diuina illa miracula operante, sicut per Dauid diu antea vaticinatus erat; *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* (Psal. 32. b) Et idem: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* (Psal. 18. a) Et per Abacuc: *Misisti equos tuos in mare turbantes aquas multas.* (Abac. 3.) Et per Ezechielem: *Similitudo quatuor animalium, & rota in medio rotæ:* (Eze. 10. b) vt in quadrigam ipsam fideliter ascendens Sponsa & sancta quæque anima; curru igneo (hoc est, Spiritu sancto) ad cœlos tandem fœlicissimè vehantur. Sed animaduertendum est diligenter, quòd non solùm in quadrigis Sponsa & fideles animæ positæ esse dicuntur; verumetiam currus vel quadrigas Ecclesiam ipsam positam dicit, vt se veluti piam matrem & sanctissimum vehiculum quo plures conuehantur ad patriam, esse intelligat. Vt enim qui quadrigis vel carris plaustrísque vehuntur, à terrenis incommodis (vt à luto, cœno, saxis alijsque eiusmodi) absunt, sæpéque immunes existunt; ita & Christianæ fidei cœlesti curru vecti, & pientissimæ matris Ecclesiæ sanctissimo sinu foui ad cœleste regnum seruantur illæsi. Vnde rectè Sponsa & quæque fidelis Anima, vt sese quàm celerrimè conuertat ad cœlestem Sponsum, terna vocatione monetur, cum dicit: *Conuertere, conuertere Odollamitis.* Odollamitis interpretatur, testimonium in aqua. Considera, quæso, miram dictorum consonantiam. Quis enim in aqua testimonium dicit, nisi fidelis Ecclesia quando per lauacrum sanctissimæ Regenerationis personarum Trinitatem in vnitate substantiæ atque naturæ vnámque diuinitatem esse confitetur, & hanc fidem in sacro ipso fonte testatur? ob idque bis primùm accitur Sponsa & fidelis anima, cùm dicit: *Conuertere, conuertere Odollamitis;* vt non solùm ore ad vocem ipsam, per eámque Deum patrem ingenitum, & Deum Filium vnigenitum Redemptorem, & Deum Spiritum sanctum paraclitum & afflatorem, vnum tamen Deum non tres Deos trinum & vnum apertè fateatur; verùm etiam vt & sanctis actionibus & exemplis Deo gratis & acceptis sua se conuersione dignam præbeat. Tunc enim tertiò vocata meretur de se audire, quod sequitur: *Conuertere & aspiciemus in te.* Conuertere à prauitate ad innocentiam, à turpitudine & lenocinio peccatorum ad sanctimoniam & vitæ pudicitiam, ab iracundia ad mansuetudinem, à furore ad clementiam, à superbia ad humilitatem, ab odio ad perfectam charitatem, ab omni denique genere malorum ad virtutes omnes: & tunc aspiciemus in te Iesum Christum dicentem; *Inhabitabo in vobis & inambulabo.* (2. Cor. 6. d) Et, *Manete in me & ego in vobis.* Et, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* (Matt. 11. d) Sunt etiam qui non Odollamitis, sed Sunamitis legant; idque ad Synagogam (ad fidem Christi aliquando se conuersuram) referri velint; quod nō improbamus. (*Synagoga aliquando ad Christum reditura.*) Sunamitis enim, captiua dicitur ac misera; quod Synagogæ Iudæorum maximè conuenit: tenetur enim adhuc captiua ad voluntatem Diaboli; quem patrem miserrima adhuc habet, eidémque infœlicissima deseruit: vnde monetur à Domino per Esaiam; *Solue vincula colli tui filia Sion:* (Isa. 52. a) Sed in fine sæculorum, & priùs quam hæc generatio transeat, reditura est ad fidem Iesu Christi, & quasi iam senescenti Sponsæ sanctissimè adhærebit: Quod diu antea vaticinatum esse videtur per Sunamitem illam quæ ad Dauid iam senem & frigescentem calefaciendum requisita dicitur. (Reg. 1. a) Quanquàm potest hoc ipsum & ad sanctissimam Ecclesiam sponsámque referri, & quāque fidelem Ani-

man quæ se tandem vndique vocatam ad Dauid manu forti cœlestem Sponsum castissimè adiunxerit. Quod ex A sequenti interrogatione Sponsi ad Sponsam ipsam electam & sanctam apertè licet intelligi: gratulabundus enim ac lætus interrogat, dicens:

CAP. 7.

Quid videbitis in Odollamitide quæ venit vt chori castrorum? Hæc ad baptismatis sacramentum pertinere arbitror, quæ de Odollamitide narrantur. Nam quòd vti castrorum chori venire dicitur vel incedere, ad Sanctorum multitudinem & electorum numerũ referri credimus: qui quidem vti Dei Angeli ad fidem Iesu Christi per Euangelium veritatis illuminati perueniunt ad baptismũ. Nam & Iacob angelis occurrens, eos castra Dei appellauit: Vnde sequitur; *Quàm speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Anab!* Anab dicitur vna; idem, donum patris: quæ omnia conueniunt Ecclesiæ dilectissimæ Christi sponsæ, de qua suprà quoque dicebat: *Vna est amica mea, formosa mea, &c.* B Donum etiam est patris quoniam ex beneplacito æterni Patris & voluntate Filij & gratia Spiritus sancti vnius substantiæ atque naturæ, genita est hæc sanctissima Sponsa & Filio copulata: cuius calciamenta vel calceos admiratur, Apostolos scilicet & Pastores electos ad fidelium vnitatem comparandam; de quibus calceis & Paulus egregius prædicator sentire videtur, cùm dicit: *Calceate pedes in præparationem Euangelicæ pacis.* Admiratur inquam Apostolorum gressus, iuxta illud: *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* ex hac vnitate fidelium & concordia sequitur quod de ipsa Sponsa dicitur: *Consonantiæ femorum tuorum, similes monilibus artificis manu elaboratis.* Per consonantias femorum, vitæ temperantiam & morum sanctitatem, C veluti cœlestem quampiam diuinæ sapientiæ harmoniam explicat. Cùm hîc enim sancta Scriptura consonãtias femorum similes torquibus manu vel opera artificis elaboratis esse dicit; conspirationem vnam & voluntatem bene conuenientium populorum ad fidem vnam & gloriam, opera illius summi Artificis complanatam esse demonstrat qui cœlum ac terras fabricatus est & quicquid in eis continetur; quíque vel in ventre Matris formam veri hominis (quem semel assumpsit, nec vnquam est exuturus) sua ipsius ineffabili bonitate sapientiáque formauit: ob ídque eiusmodi Operi, vniuersam cœlestis sapientiæ virtutem & castitatis integritatem comparat; Quo fit vt altiora iam scandat proficiátque D indies. Mira est enim castitatis virtus & singulare diuinæ gratiæ donum, quo angeli maximè delectantur & veri Christi imitatores; Vnde sequitur ad Sponsum; *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam carens mixto vel temperamento.* Vmbilico Sponsi sacerdotium ipsius Ecclesiæ nunquam carens mixto comparat. Cùm enim dicit, *nunquam carens temperamento vel mixto*; manifestum est de sacerdotali dignitate intelligi: quæ quidem in tam diuino & tam salutari Sacrificio, & tam ineffabili Sacramento, nunquam caret vero corpore & sanguine IESV-CHRISTI, qui populus per fidem charitatémque miscetur; id quod per aquam illam quam Sacerdos vino miscet in Calice, apertissimè docetur. Idémque Sacerdotium rectè vmbilico non absimile & tornatile esse dixit: vt apertè doceret Sacerdotes mundos ac puros & omni labe E detersos cunctísque virtutibus bene tornatos esse oportere; nec aliud quicquam in tota vita & in omni re gerẽda, quàm cœlestia sapere & meditari atque docere: Nostis enim illud; *Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent in vitæ rectitudine. sic enim fit quod sequitur: Venter tuus aceruus tritici circumseptus lilijs.* Ventrem Sponsæ vel Sponsi (nihil est enim inter vtrumque disiunctum, nisi quòd ille est caput; hæc verò membra) multitudinem Christiani populi intelligit. Nã & triticum multitudini, & multitudinem tritico rectè comparat, iuxta illud Domini de fructu huius Sponsæ dicentis: *Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si verò mortuum fuerit, multum fructum affert:* Quare rectè aceruus vel cumulus tritici Sponsa vel Ecclesia esse dicitur. Vt enim ex multis granis vnus cumulus coaceruatur, ita ex multis Christianis populis vna omnium fidelium Ecclesia copulatur; vnus & idem (fide Christi) populus, & communione vnius Baptismatis, & sacramenti corporis & sanguinis Iesu Christi cogitur: & vt ex multis acinis vnus botrus compingitur, vniúsque liquoris vnda fluit; ita vnũ drama populi vel chorus ex multis variísque personis constituitur, & vna fidelis Sponsa ac sancta ex infinita propemodum credentium multitudine colligitur, vt sit omnia in omnibus vnus & idem Deus ac Dominus Pater & Filius & Spiritus sanctus in cœlesti illa *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum*; sed hic primùm in lilijs sepiri & constipari debet, hoc est, in odoratissimis atque frugiferis virtutum actionibus, castissimísque colloquijs exerceri, mox ad cœlestem illam patriam fructus aliquid incorrupti deferre secum vt vnicuique detur de fructibus manuum suarum, sinúmque refertum virtutum gerat: quod ex sequentibus innotescit; ait enim: *Duo vbera tua duo capreæ hinnuli.* Duo vbera, duo populi; Hebræus scilicet & Gentilis significari possunt: vel duo Sanctorum Ordines in Ecclesia militante; Religiosorum vnus, Profanorum alter: nam duo testamenta significari iam sæpe diximus, itémque duo præcepta charitatis, & duplicis beatitatis præmia animæ & corporis. Sed iam festinat dicens: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Per collum, purissimorum mandatorum Dei nitidam ac mundam obseruationem integrámque iustitiam, & vinculum sanctissimum ac nexum fidelis animæ & Iesu Christi significat. Siquidem Ecclesiæ caput Christus est; huic sancta omnia Fidelium membra firmissimè adhærent: iique præcipuè qui ministri fideles diuinissimum eius corpus administrant, & sanguinem salutis æternæ Christiano populum salutarem cibum ac potum, ijs solis notum, qui gustarunt. Vt enim collum capiti proximum est atque coniunctum; sic veri ministri Dei sacratissimo Corpori ac Sanguini Iesu Christi sanctissimè atque proximè adhærent; súntque ipsius collum maximè eburneũ, quoties pura conscientia & syncera animi charitate diuina ipsa mysteria immaculatè celebrant, atque contrectant, vnà cum Diaconibus, de quibus ait Apostolus: *Diacones similiter honestos esse oportet, non bilingues, non violentos*, sed purissimè vitę atque sanctissimæ, ministerium habentes in puritate conscientiæ. Eburneum igitur collũ dicuntur esse Sacerdotes atque ministri; quemadmodùm suprà Pixis eburnea dicebantur qui sordes animi nullas admittunt, sed honestissima vita ac moribus diuinissimis sacramentis immaculatissimè ministrent. Inde enim sequitur esse Sponsam, quod de ipsa dicitur: *Oculi tui vt stagna in Esebon in portis filiæ multorum.* Vbi conscientiæ puritas, illic est & cogitationum rectitudo ac probitas. Esebon enim, puræ ac rectæ cogitationes interpretantur: Nam quod corde videmus, id interna luce mentis intuemur. Lumen enim cordis animæ sunt oculi, qui quidem non solùm visibilia & peritura, sed & intellectibilia ac sempiterna longè prospiciunt atque dijudicant. Hi stagnorum vice, bene beatéque multiplicantur in anima collectione virtutum; ex hísque cogitationes animi ex rectis sensibus Scripturæ sacræ & ex vera Dei scientia confirmata, ad propriam communẽque salutem complentur atque redundant: ob id stagnis assimilatæ, quòd è sacrarum Literarum fluentis & cognitione rerum diuinarum humanarúmque instructi, & rerum gerendarum honestate bene culti animi dilatantur ac exuberant. *In portu* verò *filiæ* idcircò dicitur, quòd ex multis Ecclesijs atque populis vna sancta & immaculata Christi Sponsa coadunata est atque coniuncta ijsdem sacramentis Iesu Christi; quæ, veræ atque rectæ ianuæ nostræ salutis sunt & tutæ ad cœlestis vrbis ingressum: coniuncta inquam, vt non modò ex circumcisione præputij & Synagoga; verumetiam ex omni populo atque natione collecta sit & conglobata, vaticinãte Esaia: *Venient exteri, pascentur vt oues tuæ, & alienigenæ*

aratores

Margin notes (left column, from top): Cant. 2. — Ephes. 6. c — Rom. 10. c — *Castitas gratiæ diuinæ singulare donum.* — *Ecclesia nunquam caret vero corpore Christi in Sacramento.* — *Aquæ & vini mixtio in Calice quid significet.* — Psalm. 131. b — Ioh. 12. d

Margin notes (right column, from top): *Communio Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi.* — Psalm. 121. — *Sanctorum ordines. 2. in Ecclesia.* — *Christi Corpus & Sanguis, cibus est populo salutaris.* — *Mysteria immaculatè celebrare.* 1. Tim. 3. b — Isa. 61. b

aratores & vinitores erunt. Sequitur: *Nasus tuus vti turris Libani prospiciens faciem Damasci.* Libanus, dealbatio dicitur, A vti nostis: Damascus verò, sanguinem bibens, vel potus sanguinem, interpretatur. Nasus Sponsæ vel Sponsi; acutissimi sensus iudicium salutare, bonorúmque atque malorum discrimẽ, moraliter indicat. Per nasum enim, fœtulenta atque corrupta à bene olẽtibus syncerisque discernimus, per húncque odores omnes & rerum halitus mixtarum dignoscuntur. Quæ quidem nasi significata omnia, ad Pastores animarum pertinent, & eos omnes, qui cæteris regendis & gubernandis præficiuntur; ne sint immanes ac sæui, sanguinem subditorum appetentes, ne auctoritate abutantur, & in illud Ezechielis incidant: *Sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.* Sunt enim permulti nomine, sed valde quàm pauci re Pastores: qui cùm ipsi malè viuant & turpiter agant; B simulantes bonos mores & probitatem, à nemine reprehendi volunt: sed cùm arguuntur, excandescunt ac fulminant; ijdémque audaces facti & insolentes, subditis imperant vt taceant, minantur, vt sileant; & ni illicò paruerint, vincula & carcerem minitantur & mortem. Væ pastoribus eiusmodi, si hoc nomine digni sunt qui semetipsos ad gehennam miserrimè pascũt, & oues crudeliter lacerant ac mactant. At qui veri pastores sunt à Domino electi, mites sunt & perhumani, misericordiâque & pietate ornati, constantia quadam & grauitate condita, edocti ab eo qui dixit; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Hæc duo certissima signa sunt Spiritus sancti; iusta mansuetudo animi in proximum, & vera cordis humilitas in Deum. Debent ergo Pastores omnes atque rectores, misericordes esse atque benigni C cum grauitate quadam, constantiâque referti & temperati. Ob id enim in Leuitico tanquam minùs idonei respuuntur à Sacerdotio, *qui paruo vel grandi vel torto naso fuerint,* quòd illa iudicandi atque censendi temperantia careant & virtute, quam discretionem appellant: quæ quidem gubernatoribus maxima virtus est maximè necessaria: sed de his alibi, nunc ad literam. Sunt qui per nasum Sponsæ, sanctissimum Apostolum Paulum tropicè significari velint; quippe qui sanctæ Ecclesiæ aliquando dederit, vt in vtriúsque Testamenti obseruatione respirare posset, & altiùs odorari diuina eorum mysteria atque arcana, postquàm à crudelissima illa discipulorum cæde destitit, quam auebat. Scitis enim illud; *Saulus adhuc minarum spirans & cædis in Discipulos, &c.* Vt D enim nasus duabus naribus respirandi facultatem præbet & vitam, ita & duo illa sacratissima Testamenta per vnius diuini Spiritus afflatum vitam præstant æternam ac gloriam modò rectè percipiantur; ob idque manifeste dixit, *prospiciens faciem Damasci*; quoniam in Damasco vocatus est Apostolus, ibique vtroque lumine (mentis & corporis) diuinitus illustratus, cum ab eius oculis veluti delictorum squamæ salutariter deciderunt; vt deposito infidelitatis errore atque sæuitiæ, lupus rapax animarum fieret ad salutem, manéque comederet prædam, & vespere diuideret: erat enim ex tribu Beniamin, vt ipse de se testatur. Quare ab immanitate & tenebris peccatorum, ad dealbantem pietatem illam & inaccessam lucem veritatis accitus est atque mutatus Apostolus, non infimum castissimæ Sponsæ membrum: de qua E quidem Sponsus enarrare sequitur: *Caput tuum in te vt Carmelus.* Carmelus interpretatur cognitio vel agnitio Circumcisionis; hæc prima carnalis ab Abraham patre multarum gentium; secunda verò spiritualis tota à capite nostro Christo Iesu. Ipse enim caput est Ecclesiæ; nos autem cum cæteris fidelibus cunctis, illius membra sumus ex quo cognita nobis est & data vera & salutaris Circumcisio. De qua idem Paulus intelligit, cùm dicit; *Et Circumcisio cordis in Spiritu non literis, cuius laus non ab hominibus est sed à Deo:* sequitur;

Ezech 34.

Matt. 11. d
Duo signa Spiritus sancti.

Leuit. 21. c

Discretio, virtus maxima est.

Act. 9. a

2. Cor. 3 b

Coma tua (vel cincinni) capitis tui vt purpura.

Comæ siue cincinni capillorum Sponsæ, innumerabilem multitudinem Christiani populi significant. vt enim comæ ex multiplice capillorum numero constãt; ita & Ecclesiæ, ex infinita Fidelium multitudine ad vnã fidem vnúmque Baptisma sanctissimè copulantur. Hos enim omnes ad ornatum & decorem Christianæ religionis æternæque salutis, Ecclesia sancta comit ac plicat, vt docet Apostolus, cùm dicit: *Mulier*; hoc est, Ecclesia; *si comam nutrit, ornamento sibi est & gloriæ*, Coma enim pro capitis amictu & ornatu ei data est atque cõcessa; siquidem populorum multitudine (capillorum instar) sese spiritualiter amicit ac exornat, secundùm illud; omnes illos se induet ac vestiet tanquam ornatum sponsæ. Quòd autem comas tui capitis, vti purpuram esse dixit; ad vaticinia Prophetarum & oracula de futura nece ipsius Sponsi atque Martyrum respexit: vt enim purpura sanguinis colorem imitatur, sic & Sponsa Fidelium turba primùm sanguine Iesu Christi diuini Sponsi sui lota est & colorata; mox & martyrum nece aucta est & confirmata. Regale enim hoc illi est indumentum, de quo Iacob ad Iudam filium ex quo Sponsus secundùm carnem natus est, vaticinatur dicens: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*, vel indumentum. Stola namque Christi atque amictus, sancta est Ecclesia, à qua vicissim laudatur & Sponsus: ait enim; *Rex tremendus in excursibus.* Cœlestis hic rex, de quo Dauid canit dicens, *Dominus regnauit, exultet terra*; reuerà tremendus est in excursibus suis atque progressibus. E cœlo nãque excurrit in terram *tanquàm sponsus de thalamo* Virginali progressus in Orbem, & vsque ad inferos descendens mortem destruxit & prædam tulit Inferni. Ipse solus omnino tremẽdus in progressibus suis ac gestis quæ pro salute nostra non vllius necessitatis vinculis coactus egit, sed immensæ charitatis ardore victus, & ineffabili magnitudine suæ bonitatis ad hæc mortalia progressus & dolorifica voluntariè accessit; vtque nos sua immortalitate donaret, nostra est mortalitate vestitus, nusquam nos deserens, nullibi destituens, sed vbique fouens ac tuens: ait enim; *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* O incomparabilem vim amoris! ô summam bonitatem! ô infinitam sapientiam! quid te mouit ad hominem creandum? quid rursus ad eumdem redimendum? solus amor quo cuncta ex nulla subiecta re creasti. Hæc quæso parumper animaduertite ingrati, hæc cogitate superbi, hæc meditemini auari, videte carnales an maior vlla vis amoris esse possit quàm quæ Domini nostri Iesu Christi erga nos fuit extatque quotidie & durat æterna. Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens, creator omnium ac rector, summa sapientia; cui cœlum sedes & terra scabellum pedum eius, qui cuncta pugillo virtutis suæ continet, nullius egens, amore victus hominis cælo descendit vterum Virginis ingressus, humanitatem nostram, imo suam (*ipse enim nos fecit, non ipsi nos*) assumit; factus aliquando perfectus homo idémque mortalis, qui semper increatus est & immortalis; factus patibilis qui semper est immutabilis, vt nos ab sempiterna morte redimeret, quam sua ipsius culpa primus ille parens omnium Adam, sibimet & cæteris de sese nascituris infœlicissimè intulerat. Nos tamen immemores, nos ingrati atque superbi, tot ac tanta tántque immensa summi Dei beneficia & sempiterna facilè obliuiscimur atque negligimus! O miseri planéque calamitosi quicunque Christianorum non hæc assiduè recordantur, eorúmque auctorem Deum ipsum optimum maximum non sanctissimè colunt ac prædicãt! Sed ipsi viderint qui Deum ipsum verum redemptorem nostrum minùs amant, eique parere non student. Sentient post hanc mortalem & ærumnosam vitam, & in sempiternum experientur qualis & quãtus sit ille quem hîc dum vixere, amare voluerunt, secuti voluptates inanes & perituras huius mortalis sæculi: cui, qui afficitur, is omnium miserrimus est infœlicissimúsque omninò; nunquam quod de eodem Sponso dicitur, cogniturus. Ijs enim solis quàm speciosus sit & potens, perspectus est & cognitus, qui vitam suam ac mores ad ipsius Dei

1. Cor. 11. a

Gen. 46. b

Psal. 96. a

Psalm. 18. b

Matt. 28 d
Dei beneficia in homines.

Psal. 99. a

mandata sanctissimè componunt ac seruant: ait enim; *Quam speciosus factus es & potens!* Speciosius certè ac mitè [A] potens non est in natura diuinitatis suæ atque potentia, quæ quidem nunquã augeri potest nec minui (est enim immobilis & sempiterna) sed immortalitate carnis quã assumpsit, & in eo perfecto homine quo sese pro salute nostra vestiuit, formosus apparuit specie illa ineffabili diuinitatis efformatus quam nemo mortalium vnquam neque Angelorum, vti est, intueri potest & contemplari; sed pro suo modulo quisque beatorum intuetur & satiatur. Idémque omnium potentissimus, in cœlorum regno sedens ad dexteram Dei Patris, pro nobis interpellat assiduè, tantáque charitate complectitur, vt nihil aliud quàm nos secum semper esse malit: hoc enim de nobis auet, hoc postulat, hoc efflagitat; id quod apertè demonstrat quod sequitur; ait enim: *Charitas in delicijs tuis; hæc est magnitudo tua: assimilatus es palma, & vbera tua botris.* [B] Summa certè charitas & incomparabilis dilectio Creatoris ad creaturam, cùm alibi quoque clamet; *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Deliciæ Spiritus sancti non carnis, veræ animi atque perfectæ charitatis est oblectatio, quod Dauid explicat cùm dicit: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* hæc magnitudo immensæ charitatis assimilata est Palmæ secundùm varios mores ac fructus & ornatus Spiritus sancti; diciturque Ecclesiæ sanctæ Dei, hoc est iustorum hominum atque sanctorum sicuti scriptum est: *Iustus vt Palma florebit.* Palma

Psal. 91. d

enim, cordis internam charitatem atque virtutem, vímque fidei inexpugnabilis ostendit; quemadmodùm & iustorum voluntas ac vita sese virtutibus illustrat, neque circa terrena hæc & peritura versatur ac iacet sed ad superna atque cœlestia & sempiterna cor attollit ac dirigit, [C] nec vllis aduersis frangitur sed inuicta perdurat ac regnat. Et si Palma quosdam veluti aculeos profert, etiã in hac parte iustorum vitæ congruit. Sunt enim Palmæ aculei vel spinæ, quales iustis viris ac sanctis sunt increpationes in peccatores & delinquentes. Siquidem verba prudentum, valentissimum sunt medicamẽtum stultorúmque calcaria quibus quisque hominum bene viuere volentium ad virtutes incitatur & ad salutem abiecta sarcina delictorum: sic enim fit, vt copia & vbertate bonorum operum, animæ iustorum veluti palmarum botri ac fructus impleãtur: quod quidem explicat, cùm dicit; *Et vbera tua botris.* Nam vt Palmarum rami fructibus prægrauantur atque dependent, fiúntque suaues dum maturant: [D] sic fidelis & sanctæ Christi Sponsæ duo vbera, duo Testamenta, & duo præcepta charitatis, & duo vitæ genera (actiuum & contemplatiuum) maturo sensu prudentique decerpta & asseruata dulcedine virtutum atque suauitate affluunt & abundant; eáque cœleste pabulum rectè gustare volentibus administrãt. Sed priùs Sponsus, vt in altitudinem Palmæ asceudat ac regnet; oportet, vt inde renata & bene culta Sponsa, suauissimos vitæ fructus gustare possit & reddere, Quod ex sequentibus apparet, cùm ait: *Dixi, ascendam in palmam, et dominabor altitudinum eius.* Tantopere nos amauit & adeò delectatur cœleste Verbum iustorum puritate & innocentia, vt quasi principium exutus æternitatis suæ atque substantiæ formamque serui accipiens, acerbissimam Crucis mortem subire non dubitarit; [E] eiúsque altitudines dolorum omnium & cruciatuum, ignominiæ atque dedecoris, non modò vicerit, verumetiam amabiles reddiderit & gloriosas planéque cœlestes & salutares; Hinc Paulus egregius ille prædicator & doctor, in crucis ignominia & passione gloriatur, cùm dicit: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hinc reliqui Apostoli & cæteri fideles omnes, laborum præmia consecuti sunt & consequentur. In hac vna, tentamenta omnia & ærumnarum tormina sedantur atque vincuntur: per hanc, animi perturbationes & vulnera (vel letalia) fœlicissimè curantur. Hinc fit, vt quod sequitur habeamus: ait enim; *Et erunt vbera tua & botri vineæ, & odor nasi tui tanquam mali odoratissima.*

Cant. 7. c

Paulus egregius prædicator.
Gal. 6. c

Vt enim botri vineæ calcati ac pressi lætissimum liquorem vini suo agricolæ atque vinitori effundunt; [A] sic viri Dei, iusti ac sancti, diris cruciatibus atque pressuris hominum (botrorum instar afflicti ac torti; per victoriam salutarem, cultori Deo & Iesu Christo ac Sponsæ cœlestem lætitiam de se pariunt ac promunt, sanctitatísque odore atque virtutum, ad idem cæteros imitatores Christi alliciunt ac trahunt: vnde rectè sequitur, *Et odor nasi tui tanquàm mali odoratissima*; vel mala poma scilicet ipsa ac fructus; vt per hæc fidei inuictæ, ac spei, & ardentissimæ charitatis odorem apertissimè declararet secundùm illud Apostoli; *Christi bonus odor sumus, & his qui salui fiunt & ijs qui pereunt*, alijs quidem ex morte ad mortem alijs verò ex vita ad vitam sempiternam. Qui enim sanctorum monita & fidelissima consilia atque salutaria negligunt ac spernunt, qui Christi mandata nolunt, [B] voluptates huius perituri sæculi amplexi; ij sibi ex prima peccati morte secundam illam æternam infœlicissimè parant. At qui de peccatis suis admoniti prudenter sese corrigunt ac emendant, paréntque præceptis omnipotentis Dei atque Sanctorum, hi ex prima luce veritatis & vitæ, ad sempiternam illam & inuisibilem beatissimè perueniunt. Quare si nasum tuum legamus, Apostolum ipsum significat; sin narem vel nares, Ecclesiam orthodoxam: quæ quidem fragrantissimum virtutum odorem, vtraque nare (hoc est, vtroque Testamento) capit ac spirat. Et quanquàm vnus est nasus; vnus scilicet spiritus, vna fides, vnum baptisma, vna vita æterna, vnus & idem finis beatorum Deus; duæ tamen Ecclesię nomine non re, gente non fide, locorum interualla non [C] sine diuisæ, Græca scilicet & Latina, Orientalis & Occidua: vel Synagoga & Ecclesia possunt (ni fallor) intelligi, ab vno eodémque Spiritu discretionis & vnitatis auctore qui *attingit à fine vsque ad finem, & disponit omnia sapienter*: propterea hæc Sponsa tanquam Mala esse dicitur; quòd sicut mala poma cibum de se præstant ac potum (quæ duo simul in se continent) sic & bonus odor Ecclesiæ ex recta fide & syncera charitate, mysticum potum ac cibum Corporis & Sanguinis Christi possidet ac potat, quod ex sequentibus patet: ait enim; *Et guttur tuũ vt vinum bonum proueniens Fratri meo in rectitudinem, quod satis facit labijs meis atque dentibus.*

2. Cor. 2. d

Ecclesia duæ Græca scilicet & Latina.

Sap. 8. a
Verum Christi corpus realiter in cibum datur Ecclesiæ; Sed Patres interdum mysticum cibum appellãt propter spiritualem gratiã qua ait mẽtem, & quia mysterijs magnis referta Eucharistia.

Guttur Sponsi Christum significat. Christi enim diuinum guttur, Ecclesiæ guttur est salutare. Nam vti mẽs verba dijudicat ac censet, ita & guttur cibum: [D] & sicuti non possumus humanos cibos, quales sapore sint, nisi per guttur agnoscere, ita neque cœlestes epulas, quàm suaues sint nisi per Christum gustare possum atque dignoscere. Vnde rectè regius ille Vates ita canit; *Gustate & videte quam suauis est Dominus.* Et illud; *Meditabor gutturis mei.* Has igitur spirituales escas & salutares, Corporis scilicet ac Sanguinis Iesu Christi gustãs Ecclesia, & quæque fidelis anima; guttur habet vt vinum bonum. Hoc enim vinum sanctè potum, dolores omnes animi sedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omnésque morbos facillimè sanat ac curat, éstque æternæ vitæ salutaris vnda, fons & origo in remissionem peccatorum benignissimè effusus ac datus, ab omni scelerum sorde & grauitate lauans, [E] dicente Domino: *Accipite & bibite, Hic est Sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Estque admirabile quod, *proueniens fratri meo in rectitudinem*, dixit, vt ostenderet solis rectis corde hanc lætissimã escam, cœlestem panem, supersubstantialémque & salutarem potum esse datum: quod ille idem cœlestium arcanorum Haustor explicat, cum dicit; *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Et Paulus sanctissimus Apostolus non temerè ad hoc diuinissimum Conuiuium accedendum esse admonet, dicens; *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*, &c. O rem miram! ô rem tremendam! hæc quæso diligenter mecum sacerdotes attendite; hæc, fratres, animaduertite, hæc timete semper, & cauete periculum. Ea est enim rerum diuinarum

Psal. 33. b
Esca spiritualis, corporis Christi, sedat omnes animi dolores.

Matt. 26. c
Panis salutaris & supersubstantialis.
Psal. 96. b
Paulus sanctissimus Apostolus.
1. Cor. 11. d

rum humanarúmque natura, vt quæ pro sua dignitate & excellentia optima esse debent ac summa, eadem mu-
A tato ordine pessima fiant atque infima. Scio non vos latere quid hæc sibi velint, noui vos in Dei seruitio iamdiu versatos esse atque pollere. Licet videre quosdam ex hoc sacratissimo conuiuio fieri quotidiè prauiores: & quod sine graui dolore commemorare non possum; ob id solum ad gehennam properare misertimos, quòd ad tale ac tantum tamque ineffabile & cœleste conuiuium, angelorum choris optabile immundo corde atque sordidato audacter accedere & insolentissimè deuorare præsumunt: sed hæc alibi pluribus deploranda. Studeat igitur quisque Christianorum se bene dirigere in Dominum, eidémque recto animo & voluntate perfecta seruire: iique præcipuè hoc faciant, quibus ex sa-

Sacri Ordines.

B cris Ordinibus datum est, & sibi rectè sumere, & cæteris ministrare sanctissimè. Sic enim & cogitationum labijs, & dentibus meditationum, cœlestis hæc esca & Mensa salutaris, bene discumbentibus diuinam refectionem est allatura: contrà verò indignè sumentibus sempiternam famem ac mortem. Sed si sapimus, attitemur per hunc verum Panem Christo Iesu honestate vitę & morum integritate semper bætere, vt de nobis quoque fiat quod de Electis narrare sequitur: ait enim; *Ego fratri meo, & in me conuersio ipsius. Mihi adhærere Deo, bonum*

Psal. 72. b

est (ait ille) *ponere in Domino spem meam. Ego fratri meo, & in me conuersio illius*: hoc est, ego seruis m nunc Filio Dei, & ipse affatim me remunerabitur cum in secundo illo aduentu cælitus descenderit Iudex sessurus omnium atque discussor congregans mortales omnes à quatuor
C angulis terræ per lumen & officium Angelorum; sed illi primum conuertamur oportet, & ille ad nos omnino:

Osee. 14. a
Zac. 1. a

sicut scriptum est; *Conuertere, conuertere ad me, filia*, &c. Et alibi; *Conuertimini ad me, & ego ad vos conuertar.* Sed ipse primus nos attrabat necesse est, ipse se primum nobis offerat oportet: tunc enim conuertemur ad illum & sa-

Hier. 17. b

nabimur, iuxta illud; *Sana me Domine & sanabor, salua me & saluus ero*: id quod manifestat, cùm dicit; *Veni frater mi, exeamus in agrum pernoctemus in vicis, surgamus diluculo ad*

Psalm. 18. b

vineam. Adhortatur Sponsa Sponsum, eumdémque precatur & rogat is m inde aduenire; vt vnà cum ipso ingrediatur in hunc agrum; hoc est in hunc mundum; di-

Matt. 13. d
Ioh. 12. e

cente Domino: *Ager, Mundus est. Et pernoctemus in vicis* siue pagis; & *fiat vnum Ouile & vnus Pastor* Ecclesiæ sanctæ
D Dei iamiam latiùs amplificatæ, secundùm illud Prophe-

Isai. 54. a

tæ alloquentis & adhortantis eam: *Dilata funiculos tuos, et caulas tuas fige ne timeas; & vallos tuos clauósque confirma, & ad dexteram sinistramque protende.* Quòd hæc autem dicat Ecclesiæ; ex eo patet, quod *pernoctemus in vicis* vel pagis, ait, Et manè *diluculo surgamus ad vineam.* Tunc enim Spõsus pernoctauit in vicis seu villis & pagis, cum in agrestibus mentibus Iudæorum duris & obstinatis animis, pertinacissimísque cordibus ac sæuis, ad noctem mortis vsque peregrinus & infensus atque perosus fuit; eum & duabus noctibus iacuit in sepulchro, & die tertia ante lucem surrexit *ad vineam* Discipulorum & credituras gentes; cum nos à tenebris ignorantiæ Dei & cæcitate mẽtis, cum nos à nocte delictorum & à cultura dæmonum ad admirabile lumen suum verámque & salutarem
E religionem vocauit & Sponsam. Tunc enim diluculo surrexit ad vineam Electorum, quos & sanctis moribus florere, & vita honestissimè fructificare desiderat: vnde

Christianus qualis sit agnoscitur ex operibus suis.
Iac. 2. d

rectè sequitur, *Videamus si floruit vinea.* Hoc ad fidelis Sponsæ præconium ac laudem & probationem pertinet, cum ex odore sanctitatis, veræ fidei præbet argumẽta: quæ quidem opera sunt honesta, iusta, ac sancta. Fidelis enim Christianus omnis ex operibus iustitiæ, qualis sit agnoscitur: nam *fides sine operibus mortua est* prorsus, vti corpus sine anima. Duo enim sunt quæ fidem dicenti & prædicanti faciunt; vitæ honestas, & iustitia: Hæc ad actiones & officia, illa ad mores & vitam pertinet, Quicumque igitur credere se dicit in Deum, iustè agat, & sanctè viuat; ambulet vt sanctus, viuat vt fidelis &

pius; Tunc enim sequitur quod dicitur;
A *Floruit Cyprus.*

De hac ipsa arbuscula, suprà etiam nonnulla diximus. Per hanc plantam flore candido, eorum innocentiam & puritatem animi significari arbitror, qui iam sacro fonte regenerationis abluti, candore vitæ efflorere incipiunt, & vndequaque suæ bonæ vitæ atque virtutum spargere odorem ad suauitatem electorum & refectionem laborantium, ad illicendas bonorum mentes & excitandas; quod ex sequentibus declaratur; ait enim.

Floruerunt mala punica.

Ecce iustorum animæ, ecce sanctorum mentes, quæ Punicorum instar ab honestis floribus virtutum, ad excellentissimos fructus gloriosissimè perueniũt. Vt enim malus punica multa grana multósque sinus in pomis
B suis generat; & extrinsecùs cortice rubescit: sic & Ecclesia Dei multos populos intra se continet, suóque gremio complectitur ac fouet, & amictibus mandatorum circuntecta atque velata sanguine Iesu Christi conser-

Ad Scripturæ lectionem quomodò accedendum.

uatur, & martyrum corporum (veluti corticum rubentium) sanguine & miraculis decoratur. propterea sequitur; *Illic dabo tibi vbera mea.* Talibus enim bonis & rectis corde Fidelibus, profunda mysteriorum sensa ex spiritualibus vberibus (hoc est, è duobus Testamentis bene cognitis & obseruatis) reuelantur, & veluti vbera sugẽda præbentur. Incredibile est carnalibus quàm suauis sit Scriptura sacra bene cognita; quámque mira & cœlestia arcana pandat pijs scrutatoribus ac iustis: Sed recta mẽte & humili, vigilantique animo ac sobrio, ad eam perscrutandam accedere oportet: longè absit arrogantia,
C abscedat animi fastus ac tumor, excitetur ingenium, inuigilet animus, sit mens casta & humilis, nec otio languescat; tunc enim fiet, quod sequitur: *Mandragoræ dederunt odorem.* Mandragorarum fructus atque odores similes de se ferunt Ecclesiæ Doctores sancti: hi enim bene scrutantes sacras Literas, ex ijs bonam frugem & suauiter olentem filijs Sponsæ parant ac mandunt, hi veræ fidei suauissimum odorem, fructúmque diffundunt ac reddunt. Possumus etiam, per Mandragoras olentes; veteres illos & priscos Dei viros intelligere, qui cum odore virturum apud Inferos descenderunt, aduentum

Mandragoræ radices humana figura.

Sponsi præstolantes, Siquidem Mandragoræ, radices sub terram agunt humanæ figuræ similes, quæ & cadaueris imaginem præ se ferunt, quemadmodùm & sancti illi Patriarchæ atque Prophetæ, humanæ quidem natu-
D ræ participes, sed à vera Dei gloria sub terra mortui, bene olentes tum vsque ad Christi resurrectionis diem, in quo mercedem odoris sui fœlicissimè accepere sine fine victuri; quippe qui sanctissimè vixerunt nihil à vero Dei cultu aberrantes, sed obedientes illi atque parentes, séque totos per vniuersum corpus & sensus animi custodientes, quod ex sequentibus patet; ait enim: *Et in portis nostris omnes fructifera arbuscula.* Per portas, vires animæ & humani corporis partes ac membra significari arbitror; vt aures & os & oculos: per quorum portas, & vitæ merita ingrediuntur & mortis; omnia secundùm illius propositum & voluntatem qui corporis seruitio vtitur & animi imperio: sic enim *in portis nostris* & vita & mors insistit. Nam & per oculos, pudicitiæ castitatísque
E indicia; & per aures, honestatis atque modestiæ; per os, grauitatis & temperantiæ ad mandatorum obseruantiam facilè dignoscũtur. Quare si Deum verè timemus

Timoris & Amoris diuini effectus.

atque amamus, pudica oculis spectamus & honesta; auribus salutaria & optima quæque percipimus; ore, sancta atque necessaria loquimur; turpibus, claudũtur oculi; obscœnis, aures occludimus; vana & nocitura silemus secundùm illud Apostoli; *Omne verbum inhonestum*

Ephes. 4. f

non procedat de ore vestro. Propterea deprecabatur & bea-

Psal. 140. a

tus ille Vates; *Pone Domine custodiã ori meo, & portam vel ostium continentiæ labijs meis.* Contra verò aguntur omnia, si Deum nostrum minimè amamus atque timemus: ad turpissima, vertuntur oculi atque mortifera; ad inanissima & fabulosa, accommodãtur aures; ad absurda atque

obscœna, panduntur ora: Nec intelligimus miseri, quid idem Vates deprecatur, dicẽs; *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Et Dominus in Euangelijs, per os & oculos & aures & cæteras nostri corporis ianuas ac portas mortem ingredi, nisi rectè sanctéque claudantur & reserentur. Nõ enim sensus accepimus ad mortem, sed ad vitam sempiternam: ob id enim dati sunt oculi vt cœlestia atque terrena contemplãtes, inde gratias immortales Deo maximo ageremus. Ob id aures affixæ, vt quæ honesta & laude digna nobisque & cæteris profutura sunt, auscultaremus: ob id, os affotmatum dentibus, & labijs duobus veluti claustris obseptum; ne quicquã temerè effutiremus, sed grauiter omnia atque prudenter eloqueremur ad summi illius Conditoris omnium præconium ac laudes, qui summa prouidentia cũcta moderatur & regit; vtque ote pariter & vita Deum ipsum benediceremus in sempiternum: non quidem vt blasphemijs incesseremus & maledictis, nõ vt obscœnitate verborum prouocaremus ad itam, nõ vt ipsius ineffabilem bonitatem atque prouidentiam carperemus, non vt aduersa lamẽtaremur: sed vt in omnibus & per omnia gratias agentes, Deum ipsum summum bonum nusquàm aberrare posse confiteamur & prædicemus. *In eorum porta* igitur *omnes fructiferæ* sunt *arbusculæ*, qui nihil in sensibus atque cogitatibus Deum ipsum capitaliter offendunt: ijque verè dicere de se possunt, quod sequitur: *Noua ad vetera, mi frater, seruaui tibi.* Si quis quærat quid iam in vetere Testamento nobis præcipiatur à Domino; idem (respondere possumus) quod mandatur in Nouo: & quod iubetur in Nouo, id ipsum præceptum est in Vetere ex quo quidem hæc iustitiæ præcepta habemus, & instituta; *Non occides, non mæchaberis, non falsum testimonium dices*, & reliqua: Et ex Nouo quidem admonemur prauas cupiditates omnes & actiones amputare; ait enim Dominus; *Audistis in Ant quis, non mœchaberis; amen dico vobis si quis viderit vxorẽ proximi ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eamen corde suo:* sic etiam non omnino iurandum; sed est, est; non est, non est; dicendũ esse: quicquid ampliùs additur, peccatum esse. Hæc sunt quæ fidelis Sponsa proprio & legitimo Sponso, vetera ad noua, & noua cum veteribus sanctissimè seruauit & seruare debet quæque fidelis anima, vt per vtriusque Testamenti diligentem obseruationem ac sanctam, audire mereatur: *Veni electa mea, ponam in te thronum meum, quoniam concupiuit rex speciem tuam.* Legalia igitur quæ necessaria sunt, & Euangelica præcepta; omnia diligentissimè seruanda sunt nobis, nihilque ex ijs omnino negligendum. Nam *qui minora negligit*, is *paulatim* labitur in maxima: & *qui in vno offenderit factus est omnium reus.* Sed qui Deum verè timet, amat & colit; is noua cum veteribus studiosissimè coniungit & copulat. Hoc est enim quod idem Dominus in Euangelicis admonet, dicens: *Omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera*: Noua quidem, Euangelica Mandata illa perfecta & absoluta, quibus nihil in terris potest esse diuinius, nihil illustrius, nihil denique vtilius: Vetera verò quæcunque in lege Mosaïca & Prophetis continentur ad salutem æternam conductura. Hæc sunt igitur, quæ castissima atque fidelissima Sponsa se diuinissimo atque sempiterno Sponso Patri & Fratri suo accuratissimè seruasse & seruaturam esse promittit & spondet. Tunc enim fit, vt iure quodam de eodem Sponso sibi confirmet quæ sequuntur: ait enim;

Psal. 118.

Humani sensus cur à Deo efformati.

Deum capitaliter offendere.

Matt. 5.

Eccl. 19. a

Matt. 13. g

Quis det te mi frater sugentem vbera matris meæ:

Magna & admiranda mysteria, quæ in hac sancta Scriptura recondita sunt & includuntur: non enim dixit; *Vbera matris tuæ;* sed *matris meæ.* Quomodò enim fieri potest vt frater ipsius Sponsæ homo factus ad vnguem, iam ætate perfecta, quasi infans rursus vbera lactare queat ac sugere (Siquidem lactare non ætatis perfectæ, sed infantilis omnino.) Ait ergo Sponsa ad Sponsum: *Quis det te mi frater sugentem vbera matris meæ!* Mater Sponsæ æterna est sapientia: Frater verò, Dominus noster Iesus Christus in homine quem assumpsit & portat, A vna Persona duabúsque naturis diuina scilicet & humana subsistens. Cùm igitur ad nuper illuminatos homines Christus ipse veluti ad infantes Ecclesiæ gratia suæ visitationis accedit; tunc per illos incipientes Deum ipsum agnoscere & cœlestia degustare, vbera lactare dicitur; hoc est, duo Testamenta & duo præcepta charitatis exugere & emulgere: è quibus quidem mel & lac nuper in lucem veritatis editis ad perfectæ ætatis plenitudinem per Spiritus sancti gratiam præbentur assiduè ad innocentiam & probitatem comparandam exercendámque sanctissimè, sicut & Paulus ait: *Lac vobis potum dedi non escam, non enim vobis vti perfectis loqui potui:* sicque & à Veteri ac Nouo vbere quotidiè salutariter aluntur ad vitam illam sempiternam, reiecta atque B depulsa omni malitia atque nequitia & iudicio temerario alienæ conscientiæ, iuxta illud Zachariæ rectè monentis: *Nemo vestrum de proximo suo malè cogitet in corde.* Et illud Esaiæ clamantis: *Dicite ijs qui oderunt vos, fratres nostri estis; & aspernantibus & calumniantibus vos.* Hæc eadem & ex Euangelica Lege gratiæ atque misericordiæ tanquam è recentiori vbere (ob idque longè potiore quàm vetus) lactemus, cùm illud cœlestis integritatis & summæ sapientiæ verbum ita monentis audimus: *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quod & Apostolus Paulus apertissimè confirmat, cùm dicit: *Non malum pro malo reddentes, sed omnino quod bonum est: Nolite vinci à malo, sed vincite in bono malum.* Quare cùm hæc omnia C Sponsa Sponso de se fideliter præstiterit & conseruarit; audebit & quæ sequuntur ad ad eundem sanctissimè dicere: ait enim; *Si te foris inuenero, osculabor te, neque me contemnent.*

Christus vna Persona & 2. Naturis subsistens.

1. Cor. 3.

Zach. 7. c

Isa. 66. b

Matt. 5.

Rom. 12. d

Grandis fiducia & mira fœlicitas Sponsæ terrenæ corpore atque mortalis; quanquàm anima cœlestis & immortalis, cœlestem Sponsum & inuisibilem mortalibus non posse videri oculis & manibus contrectare diximus. Sed hanc inuisibilem impalpabilémque substantiam, increatam & immensam rerum omnium creatricem, cunctáque creata atque producta sapientissimè moderantem & regentem; visibili atque palpabili substantia atque corpore vestiri oportuit, vt ab ipsa Sponsa beatissimè videri (vel in terris) & osculari posset; hicque iam foris apparentem visibilem & palpabi-D lem crudelem mortem pro ipsius Sponsæ redemptione pati ac vincere.

Tunc enim foris inuentus est Sponsus & osculatus à Sponsa, cùm humanitate vestitus & extra Hierosolymam crucifixus, eam ipsam à sempiterna morte redemit; & per ineffabilem charitatem soluto omni debito, sibimet amantissimè reconciliauit & Patri. Sic enim Sponsa neque ab Angelis posthac contemnitur, neque vilis esse ducitur, quæ talem ac tantum meruit habere suæ captiuitatis Redemptorem: quandoquidem Deum ipsum rerum omnium conditorem & patrem, è cœlis (vt ita dicam) auocare potuit, eundémque immortalem semper & impatibilem mortalitati corporis atque affectibus facere obnoxium, humana carne velatum; vt in E ea, spiritali osculo non carnali deosculaetur à Sponsa & à quaque fideli anima: quæ quidem tunc omnino cõtemni non potest nec sperni à Deo ipso & Angelis & Sanctis omnibus, cùm nihil carnalis osculi, nihil terreni & perituri secum defert ad Sponsum, sed spiritalia omnia atque cœlestia meditatur & amat: his enim sanctissimis oculis non modò non contemnitur, verùm etiam diuinissimè laudatur; ad eáque quæ de mysterio Crucis explicantur, aptissimè se præparat & acutissimè intelligit: ait enim;

Apprehendam te, & introducam in domum matris meæ, & in promptuarium eius, quæ me colligit.

Mater hominis & eius carnis, terra est omnino: promptuarium verò vel penus quod ipsum colligit ac fouet, eadem

eadem tellus est, secundùm illud: *Terra es, & in terram reuerteris.* Huius penu vel promptuarium mors est: vt enim in promptuario, thesauri recondűtur, sic & in morte, animæ iustorum requiescűt, & ad perpetuæ vitæ fœlicitatem & gloriam transferuntur. *Regnauit* enim *mors* & imperauit homini, *ab Adam vsque ad Aduentum huius cœlestis Sponsi*: sed idem Iesus humana carne eâque mortali vestitus vt in ea mortem perderet, & vitam repararet æternam quam semel assumpsit, pro nobis in mortẽ quasi in domum irrulit, eámque in intimum promptuarium & sinum terræ (quæ nos omnes colligebat) triumphalem inuexit vt inde Sanctorum animas quæ illic veluti reconditi thesauri Redemptoris huius præstolabantur aduentum eximeret ac solueret, secúmque adduceret sine fine victuras. Possumus etiam per domum matris Spõsæ, Scripturas sacras accipere, quarum mysteria atque arcana tanquàm penus & veluti promptuaria habentur, in quibus fidelis anima sæpè cum ipso cœlesti Sponso secretò meditatur & loquitur in hísque sanctissimè reficitur: quod & sequens orationis ordo videtur ostendere, cùm dicit; *Potabo te vino aromatico ab vnda punicorum meorum.*

A vino salutaris vndæ potata est Ecclesia & quæque fidelis anima. potatúrque quotidiè cùm per sanguinem preciosissimum Redemptoris mundata est primum atque redempta, mox & per Apostolos Spiritu sancto illustrata, & nece Martyrum (rubentium punicorum instar) atque sanguine confirmatur. Hoc salutare vinum, omnium virtutum veluti aromatum suauitate refertum, fideles populos Christo Iesu cœlesti Sponso sanctissimè copulauit & miscuit: ob id enim in Sacramento vinum miscetur aquæ, quæ vnà cum sanguine ex eius latere salutariter fluxit, vt Christo populos fide & charitate iungendos daretur intelligi. Nam quòd vino salutis potata sit Sponsa à Sponso, idem per se declarauit, cùm dixit: *Accipite & bibite, hic est Sanguis meus qui pro vobis effundetur*, &c. Possumus etiam intelligere, Sponsum à Sponsa nunc vicissim potari per charitatis officia, vt quod à Sponso gratis accepit, id aliquando rependat eidem.

Mistio Vini & Aquæ in Sacramento.

Matth. 26.c

Potatur enim à Sponsa, cùm ab eius filijs liquore sanctimoniæ atque virtutum laudatur in terris; cùm timetur à bonis, colitur à iustis, prædicatur à sanctis. Tunc enim vino aromatico (mysterijs cœlestium donorum & sanctitatis odore) proborum mentibus delectatur humani generis Author, & vices grati animi benéque operari accepta talenta & charitatis immensæ quàm priùs ipse Sponsæ donarat, libentissimè admittit ac probat: quod ex sequentibus patet, cùm subdit, dicens: *ab vnda punicorum meorum*, hoc est, à confluenti multitudine fideliũ populorum. Vt enim populi multiplices sunt & numerosi, sic & mala punica granorum multitudine complentur, ijsque non absurdè fideles populi comparantur & Martyres, vt diximus. Sequitur: *Læua eius sub capite meo & dextra ipsius amplexabitur me.* Per læuam siue sinistram Sponsi, præsens tempus indicatur: per dexteram verò, futurum, dicente Scriptura: *Longitudo vitæ & annum in dextera eius, in sinistra, diuitiæ & gloria.* Vt igitur ostendat se vbique curæ esse Sponso, ab eóque nullo temporis puncto deseri; sed hic defendi & conseruari, & in futuro sæculo munerandam esse prorsus, ait: *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Vtque ostendat caput suum esse Christum, & ab eo bonorum omnium authore omnia dona sua proficisci, nihilque sibi esse boni vel terreni vel cœlestis quin hoc acceperit à Sponso; propterea se ab eo sanctissimè regi, gubernari, pasci, defendíque & amplecti & illustrari, per læuam ipsam sinistrámque declarat; hócque totum in voluntate & beneplacito esse Sponsi: Quod ex sequentibus liquet, ait enim: *Adiuro vos filiæ Ierusalem in virtutibus & potestatibus agri, vt exuscitetis & euigilare faciatis Charitatem, donec velit.* Iam moræ impatiens Sponsa, tardiore aduentu Sponsi & expectatione Spiritus sancti angitur: ob idque vel adiurando Sanctorum animas ad voluntatem Sponsi flectendam excitandámque in Sponsa; quasi deprecatrices orat, vt iam tandem aliquando charitatem ipsam; hoc est, seipsum (*Deus enim charitas est*) in nos effundat ac firmet, donec nos assumat & secum esse velit, vti Dauid inquit: *Et in vmbra alarũ tuarum sperabo donec transeat iniquitas.* Tunc enim nos præterit trãsitque iniquitas, cũ de hac mortali luce & valle lachrymarum à Sponso eripi dignamur, cum eóque viuere & regnare in sempiternum, quemadmodùm testatur Apostolus dicens: *Qui in Domino moritur, iustificatus est a peccato atque solutus*: sed rogandus est Deus, rogandi sunt & beatorum spiritus qui cum eo iam fœlicissimè regnant, vt quàm celerrimè & quàm optimè fieri potest nos ijs malis eripiat & casibus delictorum; suáque charitate in se stabiles reddat immobiléśque omnino, vt hæc credula & fidelis Sponsa, de se, læta quæ sequuntur possit audire: *Quæ est hæc quæ ascendit dealbata, & confirmata in fratre suo?* Videntes hanc fœlicissimam Sponsam sancti Apostoli & Iusti omnes ascendentem de sacro fonte baptismatis & Spiritus sancti gratia lotam, mundam ac firmam, non habentem maculam vllam nec rugam: hincque pulchritudinem, admirabilémque candorem eius admirantes dicũt: *Quæ est ista quæ ascendit*, &c. hoc est; quæ Christum immobile fundamentum suæ speciei & decoris habet, quem fratrem iam sæpe vocitat, ac turò: Cui respondet & Sponsus, dicens;

1. Ioh. 4. c

Psalm. 56.a

Rom. 6.b

Rogandi sunt Beatorum Spiritus.

Sub malo excitaui te, & confirmaui.

Hæc malus salutifera, si ad arborem respicias crux est humanæ salutis authrix, in qua salus Mundi authórque pependit: si verò ad pomum eius ac fructum suauissimũ atque sanctissimum, de quo sæpe iam diximus, cœleste totum & salutare malum, corpus est Iesu Christi, salutariter nobis ab eo datum in escam scilicet & potum sub mystico pane ac vino; ex quo quidem Christianos omnes sanctissimè pascit ac beat. In hoc castissimam sibi Sponsam & quámque fidelem animam ad amorem excitat vallat ac firmat. In hac enim sacratissima fructuosissimáque arbore dilectam sibi Sponsam comparauit atque despondit, id quod sequens oratio apertissimè explicat, cum dicit: *Illic in dolore te peperit, quæ te concepit.* In Cruce cum dolore cordis ac corporis parta est Ecclesia. Caro enim Christi in tormento Crucis passa, Sponsam sibi peperit sanguine redemptam & aqua (quæ de eius latere largissimè fluxere) regeneratam ac lotam; Spiritu verò sancto cum eius diuinitate permanẽte copulatam atque coniunctam: nihil aliud ab ea sibi rependi volens, quam redamari vnicè ac sanctè, sic dicens: *Pone me vt sigillum in corde tuo vt sigillum in brachio tuo.* Sigillum & signũ Crucis in corde ipsius Sponsæ se primùm ponendum dicit, deinde & in brachio: vt illuminati atque redempti, quæcunque bona patrari possunt, ea per vires Spiritus sancti honestissimè agamus, verbo & exemplo optima quæque perficientes; vt caput ipsum quoad fieri potest, imitemur atque sequamur abnegata propria voluntate & rerum humanarum cupidine (præter necessaria) sicuti nobis præceptum est à Sponso dicente: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*: nec durum aut impossibile videatur vlli Christianorum; quandoquidem charitas Dei ac proximi nihil grauè existimat, nihil intolerabile veretur; sed omnia facillima habet & iocunda, quod sequẽs oratio demonstrat dicens:

Christi corpus sub Pane Mystico.

Matt. 16. d

Charitas nihil graue existimat.

Quoniam fortis ac valida vti mors est charitas.

Talem decet habere charitatem in Sponsum, vt præ veræ dilectionis magnitudine & pro veritate tuenda mortem contemnat corporis & [illegible] quosque cruciatus euincat, dicente Scriptura; *Vsque ad mortem pro veritate decerta.* Hoc persuasi Martyres, mortes omnes & sanguinis effusiones dirissimáq; supplicia æquanimiter tolerarunt atque vicerunt; idque vti Sponso viuerent, & nobis suo exẽplo prodesse conarentur. Incredibilis vis est amoris insuperabilisque omninò; & rerum

Eccles. 4. d

Martyres cur tam dira passi sint.

Amoris vis est incredibilis.

omnium quandiu sunt, firmissimum vinculum ac nexus: hic est enim primus ille animi affectus qui cunctis animantibus insertus est à natura, quique omnia docet ac monet. Sed de illo nobis nunc est agédum, quem significantiùs Charitatem appellamus; de qua Paulus ille vas electionis, ita vociferatur & ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. Rectè igitur & *Dura vt Infernus æmulatio*, addidit: ita enim offirmatur animus charitate Dei ac proximi, vt vel ad Inferos preces penetrare faciat diuina gratia nixus, ad subleuandas animas purgandorum. Ita nos adamauit & Sponsus, vt eò descenderit ad eruendas eorum animas qui antè ipsius aduentum illuc descenderant redemptionem præstolantes salutis æternæ, quam quidem nemo potest adipisci nisi qui ita Deum ipsum optimum maximum adamarit, vt semet, vitam corpusque & omnia quæ possidet, pro charitate seruanda neglexerit atque oderit, dicente ipso: *Si quis venit ad me, & non oderit patrem suum & matrem suam, vxorem & filios, fratres & sorores, adhuc autem & animam suam* (corpoream scilicet) *non potest meus esse discipulus.* hi enim sunt charitatis gradus, vt & externa bona omnia pro salute corporis proximi contemnere debeamus; eáque cùm opus fuerit, profundere velimus, id quod Salomon testatur, dicens: *Iustus est qui contemnit damnum propter amicum*: & corpus hoc mortale prorsus & semel periturum, quanquàm reuicturum demum, cum nouissimum tempus illud aduenerit (dicente Apostolo; *Omnes quidem resurgemus*) pro saluanda anima tum nostra tum proximi, periculis obiectare omnibus mortibúsque omnino, admonente Sponso, cum dicit; *Nemo maiorem charitatem habet quàm qui ponit animam suam* (corporis videlicet ac sensus) *pro amicis suis.* Quapropter ita in nobis ordinauit charitatem summa ipsa charitas, vt qui pluris hæc caduca bona (quas diuitias & opes appellat) itémque bona corporis, quàm salutem vel animæ vel corporis proximi sui fecerit; is indignissimus sit Sponso, ob idque miserrimus omnium calamitosissimúsque omninò. Duæ enim sunt nobis maximè necessariæ huius charitatis partes, quas *alas ignis* idem Sponsus ignitus appellat: pars vna est erga Deum, vt sæpe iam diximus; altera verò in proximum quémque nostrum, quod sequens textus orationis enarrat: ait enim; *Alæ ignis, carbones ignis, flammæ ipsius.* O immensæ charitatis ardorem! carbones ignis sunt flammæ & alæ dilectionis Sponsæ in Sponsum & genus humanum. hæc est vera & perfecta charitas quæ & Deum & proximum quémque diligit sicuti nobis præceptum est, *Dilige Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus tota lex inest*, & Prophetarum admonitiones continentur. Quicunque igitur hæc studiosè seruat, is inextinguibilem possidet charitatem & quæ nulla vi aboleri potest sicuti ex sequentibus declaratur cum dicit; *Aqua multa non poterit extinguere charitatem, & flumina non obruent eam.* Qui diuina charitate vallati sunt atque muniti, etsi vi tentationum sæpe premuntur, & diaboli insidijs ac Mundi turbinibus veluti ingruentium imbrium atque fluuiorum impetu quatiuntur; nunquam tamen euelli nusquàm expugnari possunt, sed inuictam semper & inconcussam vim amoris tuentur illæsi diuina gratia protegente. Cùm enim alas Sponsæ veluti flammas ignis esse dixit; ardore Spiritus sancti accensam animam, nullis aquis (hoc est, perturbationibus & viribus populorum atque pressuris) non modò extingui, sed ne quidem vinci posse declarat; adeò vi cœlestis amoris in Deo ipso roboratur & crescit. Hic enim cœlestis ignis, non aquarum fluctibus, non fluuiorum impetu, non vllo ventorum turbine extingui potest, quin flatibus aduersis indies magis ac magis accenditur, inflammatúrque vehementiùs, nec vlla quàmuis maxima rerum iniuria lædi potest: scriptum est enim; *Quicunque audierit verba hæc & fecerit, is comparabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam super firmam petram; descendit enim pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti, in eámque impetum fecere; nec ipsa tamen corruit. Fundata enim erat super petram.* Hoc igitur igne salutari qui consumit nec consumitur, quique ardet nec amburit, inflammat nec lædit; conflagremus omnes ad idque consequendũ vires omnes animi & corporis intendamus: fœlicissimi enim sunt illi soli qui hoc igne assiduè incalescunt: hic est enim de quo Saluator ait; *Ego veni mittere ignem* in genus humanum *& quid volo, nisi vt ardeant?* Quapropter ad hunc ardorem salutis æternæ quàm proximè indies magis atque magis accedamus vt quod sequitur, peragamus: *Si dederit vir vniuersam vitam suam in charitatem, contemptione contemnent ipsum.* Hæc prædicta sunt in eorum laudem qui sese totos Dei seruitio dediderunt & charitati; in eáque perficienda vitam omnem absumunt ac locant, Mundo & rebus eius abdicati; nec se contemni atque despici extimescunt: quin vltrò pro charitate ipsa calcari appetunt dicente Apostolo; *Tanquàm excrementa & quisquiliæ Mundi facti sumus*, cúmque hoc dici de Fidelibus Sponsæ, tum maximè de capite eius Christo Iesu intelligere debemus; quippe qui vniuersam vitam suam pro amore nostri despexit & dignitatem, æternum illud (vt ita loquamur) imperium exutus & potestatem, egentissimus rerum humanarum pro nobis factus, formam serui accipiens, à Scribis & Pharisæis Herodéque contemptus atque despectus, illusus & consputus, flagellis tortus, & inter peccatores tãdem crudelissimè enectus, eorúmque simillimus falsissimè iudicatus. O immensam immortalis Regis & Conditoris omniũ erga mortalem seruum, charitatem! ô ingratissimum genus humanum, quod talem ac tantum Redemptorem tuum non ardentissimè redamas ac colis; pro eóque non vnam mortem sed mille libentissimè non cupis, quandoquidem ij fœlicissimè semper obeũt qui pro Deo pati voluntariè nõ detrectant! Sed paruuli adhuc fide sumus, & vix lacti nedũ cibo idonei, nulla charitate feruentes, nulla spe sempiternæ fœlicitatis erecti, nullo gradu salutis ascenso. Hic est primus veluti gradus ad salutem & veram sapiẽtiam, despicere terrena omnia vt cœlestia cõsequamur, sponte relinquere quæ diu retineri non possunt, mortalia cũcta fugere vt æternis nõ indigni omnino esse iudicemur. Væ væ amatoribus huius sæculi! Væ hîc cupientibus delectari. Ad cœlestem patriam festinare iubemur illuc studio & volũtate gradiri, eò dirigere cogitatus nostros omnes, illic mente versari ac pasci, nec aliud quicquam dies ac noctes meditari ac velle quàm summo illi bono semper inhærere: tunc enim verè fœlices atque beati futuri sumus in sempiternum, cùm illo solo sine fine fruemur, testante Dauid: *Tunc satiabor Domine, cùm mihi apparuerit gloria tua.* Sed vtinam aliquãdo sapere incipiamus, & ijs saltem annumerari ad maiora profectutis de quibus Sponsus sequitur enarrare: *Soror nostra paruula & vbera non habet.*

Cùm fidelis anima cœpit in Christum credere & lacte fidei nutriri, nondum summum illum & altissimum mandatorum gradum assecuta est, & vtriusque Testamenti perfectum sensum atque peritiam, sed paulatim proficit, sensímque conscendit & indies sumit incrementa virtutum: nemo enim fit repente summus, eóque dicitur; *Soror nostra paruula*; hoc est nondum fide, spéque aucta, charitate feruet: *& vbera nõ habet*; quia duo ipsa Testamenta, & duo illa sublimia atque excelsa præcepta charitatis adhuc ignorat; nec ob id tamen abijcitur, sed augeri magis magísque, precatur & orat. Solo enim timore Dei qui initium est & fundamentum salutis æternæ, atque fide munita est anima; sed adhuc ignara perfectæ virtutis & charitatis. Quocirca rogandus est Deus vt post donatam fidem atq; timorem (qua est benignitate atque clementia) eamdem ipse inaugeat, simulque & charitatem nobis infundat atque confirmet; quanquàm nemo perfectam fidem gratis accepit vnquã, quin eidẽ donata sit spes simul & charitas: sed more nostro ita loquimur & de incipientium fide quæ quidẽ quãtulacúnque est (modò vera sit fides) incipit operari: *fides*

Marginalia (left column): Rom. 8. g; Cant. 8. b; *Preces penetrant Inferos ad subleuandas Animas purgandorũ.*; Luc. 14. e; Prou. 12. d; 1. Cor. 15.; Ioh. 15. b; *Gradus charitatis in Proximum.*; Matt. 22. d; *Inuicta vis diuini Amoris.*; Matt. 7. d

Marginalia (right column): *Ignis salutaris ardentissimus.*; Luc. 12. f; *Mundo abdicati.*; 1. Cor. 4. c; *Primus gradus ad veram sapientiam, terrena despicere.*; Psal. 16. d; *Fides perfecta.*

Section letters (middle margin): A, B, C, D, E

rari: *fides enim operis expers mortua est* omnino; vt Ioannes * ait; *non enim auditores Legis iusti censentur à Deo sed factores.* Nam *plenitudo Legis* est charitas: charitas autem Dei ac proximi nunquam cessat aliquid agere Deo gratum, nũquàm fuga laboris ardua renuit; sed inuicta semper & studiosa quæque optima atque honestissima aggreditur. Cúmque duo homini sint necessaria, cognitio scilicet & recta actio; illúdque præcedat; hoc natura sequatur: neque sola per se cognitio satis esse potest, neque rerum gerendarum actio perfecta est omnino; sed altera alterius eget, opémque requirit: sunt enim natura copulata atque coniuncta, ita vt separari non queãt. Quare non sola Dei mandatorúmque scientia & altissima rerum peritia, satis est ad salutem, sed iusta & sancta actio rerum intellectarum, nobis est necessaria: hac enim absente, cùm opus est agere, vana est omnis eruditio atque scientia & maximè nocitura. *Scientia enim inflat, & charitas ædificat.* Sit ergo cognitio Dei, & rerum optimarum actioni coniuncta: insit nobis ipsa charitas quæ seruare potest atque beare: tũc enim non solùm ea quæ de Sponsa & quaque fideli anima dicenda sequuntur, participabimus; verùm etiam longè maiora magisque egregia & sempiterna consequemur: ait enim: *Quid faciemus sorori nostræ in die qua locuta fuerit in se?* Magna consequitur Dei beneficia, qui se rimatur & conscientiam propriam discutit ac purgat, secúmque loquitur & tacitè recenset quicquid vnquàm egit in vita; vt cum Rege illo dicat: *Recogitabo tibi* Domine *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nihil est enim vtilius, nihil laudabilius, nihil sanctius quàm in se descẽdere, séque & vitam propriam ac proximi (cùm possis) ad honestatem collimare. Obtemperandum est Deo, audiendum est præceptis eius, vt cum Propheta fœlicissimè dicamus; *Audiam quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* O beatissima auditio! ô suauissima auscultatio & iocundissima pax animi! qui minora Dei præcepta audit ac seruat, maxima consequitur ab eo beneficia, eáque diuina & nunquàm peritura: sed iam reliqua explicemus. *Quid* (inquam) *faciemus sorori nostræ?* &c. Equidem existimo has voces Patriarcharum, Apostolorũ & Prophetarum esse atque Doctorum Sponsę gratulantium eidémque bene esse cupientium, vt postquàm ad fidem conuersa est Ecclesia gentium (cuius fundatores Apostoli ipsi primi exiterũt, Patre vnà cùm Spiritu sancto authore ac Filio; *Verbo enim Domini, cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*) hanc virtutibus illustrari cupiant & sanctitate vndequaque lucere; quod sequentis orationis series ostendit, cum dicitur: *Si murus est ædificabimus in ea pinnas argenteas.* Per pinnas, mores sanctos & excellentes (ni fallor) intelligit: Si credula est Sponsa, non infida, non duræ ceruicis, non pertinax atque repugnãs sanctorum monitis, & doctrinæ honestate pollens & pudicitia: (Sic enim fidelis esse iudicabitur) in eáque quemadmodum & in muris pinnas argẽteas; probitatis excellentiam scilicet, præceptáque illa salutaria Sponsi, argenti & auri instar lucentia atque ignita: *Eloquia* enim *Domini eloquia casta argentum ignitum, probatum, terra purgatum septuplum.* Quòd autem plurali numero dicit, *ædificabimus*; vel trium Personarum differentiam in vna eadémque substantia atque natura deitatis ostendit; & vniuersam Trinitatem, redemptionem Sponsæ operatam esse declarat; quamquàm Personam Filij, humanitatem suscepisse credimus, vt suprà iam diximus: vel quòd Ecclesia ipsa ex pluribus membris & vero capite compacta est & conformata. Si hæc igitur præcepta Sponsi studiosè seruauerit, mysteria interioris sensus accipiet, nec ea solùm quæ cunctis apparent quæque videntur, intelliget; sed intima illa & penitissima diuinitatis arcana quæ valde quàm paucis iisque amantissimis sui commonstrare solet, vti Tribus illis in monte Tabor & paulò altius euectis, quod sequendo narrat cum dicit: *Et si porta est describemus in ea tabulam cedrinam.* Ecce fidelis Sponsæ & mandata seruantis honos: fides enim & præceptorum obseruatio prima est salutis æternæ ianua, vnde illud Psalmographi: *Aperite mihi portam, & ingressus in eam confitebor Domino*, &c. Propterea & tabula cedrina illi inscribenda promittitur, ab Apostolis & Prophetis, & cæteris Spiritus sancti prædicatoribus; modò fide digna inueniatur, & vitijs omnibus abiectis virtutes omnes amplexetur: tũc enim maxima atque rarissima perspecta secreta Spõsi percipiet. Tabula autem hæc cedrina, veterum Iustorum & Patriarcharum & Sanctorum omnium immarcessibilis virtutis & sanctitatis exempla doctrinámq; significat, & Spiritus sancti dona quibus peruncta Sponsa atque ornata nullius vitij labe distabescit. Quòd autem viri iusti Cedro comparentur, ex eo licet intelligi quod dicitur; *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus quæ est in Libano, multiplicabitur*: vtque tabula è cedro, totius est pars; sic & Iustorũ deprecatio ac vita, pars est iustitiæ & sanctitatis. Quare hæc Sponsa iam Spiritus sancti gratia illustrata; pulchra tota atque formosa (depulsa omni vitiorum macula) exclamat in Sponso suo glorians, ac dicit: *Ego murus & vbera velut turres:* Ego (inquit) iam fide munita sum & charitate referta: *Et vbera* mea, mea inquàm (mihi enim donata & omnibus facientibus ea) hoc est, duo Testamenta & duo præcepta charitatis itémque duplex vitæ genus (actiuum scilicet, & quod cõtemplationis est proprium) iustitiæ officijs comprobata; quæ quidem diuina gratia duce ad altissimum probitatis gradum me turris instar euexerunt: ibíque iam aliena prorsus esse cœpi ab omni rerum humanarum sollicitudine, perturbatione, ac cura & requieuit: vnde sequitur:

Ego sedebam in oculis eius tanquàm ea quæ pacem inuenit.

Rectè iam sedere se & conquiescere in oculis Sponsi gaudet; postquàm diuinæ gratiæ munus accepit & pacem, dicente Sponso: *Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis, non quomodò Mundus dat ego do vobis*; &c. Animaduertendum est quòd tempore imperfecto vtitur cùm dicit, *sedebam*; non, *sedi*, vt ostẽderet nunquàm nos hic perfectè posse quiescere: *Non enim habemus hic ciuitatem permanentem sed futuram inquirimus*, vti Paulus ait: Aduenæ enim & peregrini sumus in alieno solo, longè à patria illa nostra superna profugi; ob id, huc missi (vtinã non eiecti) vt quamdiù sumus in viuis, assiduè viatica ad patriam ipsam conductura, honestate vitæ atque morum comparemus: Quare nemo speret in exilio; nemo sibi falsò promittat se hîc diutiùs regnaturum quieturúmque omnino. Nati sumus ad laborem, nati ad corporis ærumnas, ad inediam, sitim, frigus & æstum, nuditatem & morbos omnes & vitæ finem. Quapropter in solo Deo speremus, qui nunquam nobis est defuturus; eíque vinea fructifera esse studeamus, vt fidelis & sancta Sponsa vehementer optare se docet: ait enim; *Vinea facta est Salomoni in Beellamon.* Quicúmque pacem Domini inuenit & requiem à delictis, hic iam vti vinea frugifera factus est Solomoni illi cœlesti atque pacifico qui cuncta beata reddit in cœlis ac terris, omniáque pacatissima atque fœlicissima præstat ac seruat modò illi subiecta sint & parere velint: *non enim pax est impijs*, non improbis quies, non superbis beatitudo, sed mansuetis & rectis corde: propterea addidit; *Dedit vineam suam seruantibus eam.* Qui seruat mandata Dei, qui studet placere Spõso, non Mundo, non homini; hic vinea factus Domino, eandem sanctissimis fructibus iisque generosis excolit ac seruat. Hæc vinea erepta Iudæis, locata est Gẽtilis populi agricolis; hoc est, ijs omnibus qui benefaciunt & perseuerant: hi sunt vinea Sponsi & regnum eius; quod Propheta ille regius apertissimè explicat, cum dicit: *Portio mea Domine, dixi custodire Legem tuam.* Omnis ergo qui vult partem vel portionem cœlestis hęreditatis ac regni, custodiat legem Domini; in eáque excolenda vigilias suas omnes, curas ac studia viriliter agat ac locet, túncque feret quod sequitur: *Vir portabit in fructu suo mille argẽteos.* Ecce merces sanctorum: Omnis enim vir sapiens in Domino, magister probitatis & doctor prudens, audi-

Marginalia: * Iacobus I. c. 1. — Cognitio & Actio homini necessaria. — 1. Cor 8. f — Isa. 38. c — Psal. 84. b — Psal. 32. b — Mysterium Trinitatis. — Matt. 17. a — Psal. 117. c — Psal. 91. d — Ioh. 14. d — Hebr. 13. g — Psal. 118. d. — Section letters: A, B, C, D, E.

tor legis ac factor, in manu sua portat mille argenteos; hoc est fontus Legis & mandatorum omnium plenitudinem salutarem secum in præmia deferat ad patriam; in eáque de fructibus manuum suarum comedet sine fine victurus & beatus in sempiternum. Nihil est enim sanctius, nihil Deo nostro acceptius quàm benefacere, & cæteros bene docere: hoc de Deo ipso nostro probatur, cum dicitur; quia *cœpit Iesus facere & docere*. Hic igitur nobis est imitandus, hic sequendus & totus amplectendus vt cum eo tandem semper esse possimus: Omnes enim viri iusti, qui vineam suam (hoc est, animam & Legem Dei) sanctissimè colunt & fructiferam reddunt, ij cum Sponso ipso sine fine manebunt; quod & ipse testatur cum dicit: *Vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus*. Et Paulus; *Et nos in aëra rapiemur ad Dominum, & sic cum illo semper erimus*; quod ex sequétibus patet: *Vinea mea coram me mille Salomoni & ducenti seruantibus fructum suum*. Hác vocem Domini vel Sponsi esse arbitror, qui vineam suam coram se vel in conspectu suo, eos esse dicit qui charitate ardent, qui nihil aliud quàm cœlestia & sancta meditantur & volunt. Hanc vineam electam custodit Dominus ac seruat: *Oculi enim Domini super timentes eum, & aures eius in preces eorum. Mille* autem *Salomoni, & ducenti seruantibus fructum suum*. Equidem hic puto omne iudicium salutis intelligi, Vnigenito permissum; & acta omnia humani generis discutienda, iuxta illud; *Pater neminem iudicat, sed iudicium dedit Filio*: Quis enim mille habet, nisi qui solus perfectus est & solus bonus, *qui nec peccatū fecit* vnquam, nec de peccato vti nos, natus est omnino. Quis habet & mille nisi cui ille donabit habendos ferendósque in patriam? modò præcepta seruemus, quod explicat, dicens: Et ducenti seruantibus fructum suum; hoc est, ijs omnibus qui duo Testamenta vel duo præcepta charitatis (Dei scilicet & proximi, vti sæpe iam diximus) studiosè seruárunt, præmia dabuntur æterna: bis enim cētum, ducenta conficiunt; & decem, decies ducta, centenarium numerum reddunt. Quicunque igitur vtriusque Testamenti mandata fidelissimè custodiunt; ij vel *centesimum* vel *sexagesimum* vel *trigesimum* sibi *fructum* accipient; & alios veluti arbitri cum Sponso ipso iudicaturi sedebunt, secundùm Apostolum dicentem: *Si à nobis iudicatur Mundus, an ignoratis quòd & Angelos iudicabimus*? Magna est excellentia veri Christiani, summa laus & gloria sempiterna sanctissimi Pastoris qui semetipsū ac cæteros sanctissimè custodit & pascit; quod sequens oratio declarat, dicens: *Qui sedet in hortis*: Hoc est; qui locum Pastoris habet & merita; quíque sancti Doctoris vitam habens ac mores cæteris exemplum sanctitatis est & iter salutis ostendit, suísque Ouibus tanquam hortis vita bene cultis, & fructu suauiter olentibus sanctè præsidet ac prodest: quod qui benefaciat (omnes autem benefacere debét, nam væ pastoribus malis ac lupis) is permultos filios de se parit, honestate vitæ atque doctrina præclaros viros; non modò adiutores suæ honestissimæ voluntatis & officij, verùm etiam dignissimos sui sacerdotij successores: vnde ait; *Socij attendentes*. Ecce Pastor bonus cooperatores habet Presbyteros, Diacones, & cæteros Christianos omnes qui ad bene beatéque viuendum semetipsos adhortantur & alios, séque puros & sanctos ad mysteria pertractanda conseruant, & ad diuinam Legem cor animúmque intendunt vt sibimet & alijs sanctissimè attendant. Per hos enim vera doctrina & Euangelium Iesu Christi Ecclesiæ prædicatum tanquàm hortus bene cultus salutari præceptorum sarculo, & cœlestis sapientiæ vndis vberrimè irrigatur fructuosissimúsque euadit: propterea subdit; *Fac me audire vocem tuam*. Per hos (vti diximus) Iesus Christus vocem suam notam facit Ecclesiæ, & cuique fideli Animæ: per hos accepit Sponsa vocem salutis à Sponso, per Apostolos & prædicatores illos qui missi à Sponso per vniuersum terrarum Orbem, Spiritus sancti præconio Ecclesiam Gentium Sponso ipsi fidelissimè aduocarūt. Sed cœlos ascendere priùs Sponsum ipsum oportuit, indéque coæternum Spiritum illum paraclitum & afflatorem bonorum omnium effundere in Orbem, vt eo pararetur castissima atque sanctissima Sponsa, quæ olim velut meretrix idolis & vitijs omnibus turpissimè seruiebat: propterea illum Sponsa ad id hortatur & orat, dicens: *Fuge mi frater & assimilare Dorcadi vel hinulo ceruorum ad montes aromatum*. Ecce iam tandem intrinsecus osculari desiderat, quæ à principio foris ab incarnato Sponso deosculari precabatur, dicens: *Osculetur me osculis oris sui*. Videte admirabilem diuinæ Scripturæ consonantiam; considerate quàm aptè vltima respondeant primis, & quā congruant media summis, & infima medijs, mediáque extremis: omnes huius diuinissimi libelli partes mirificè inter se consentiunt: ab initio descēsum Sponsi rogat; in medio, nati iam Sponsi facta illa præstantissima enarrat, & præmia bene militantis Ecclesiæ; in fine verò eiusdē precatur Ascensum, & Spiritus sancti cursum atque descensum; támque impatiens est moræ, & tam ardet, illius Aduentum, vt præ nimij desiderij magnitudine, nō iam discedere sed fugere deprecetur. Ait enim; *Fuge*, hoc est, ascende in cœlum tu qui descēdisti de cœlo, vt Spiritum sanctum in Apostolos effundas, & ipsi per totum terrarum Orbem dispartiantur in gentes, è quibus tibi colligatur dilecta & castissima Spōsa; neque enim aliter tibi conuerti possum; quasi dicat Ecclesia, nisi tu fugeris: quod ipse declarat, cum dicit; *Nisi abiero, Spiritus paraclitus non veniet*. Propterea id quàm celerrimè fieri rogat dicens; *Fuge mi frater*, fuge de hoc Mundo ad Patrem illum æternum quem nunquam deseris, abscede præsentia assumpti corporis non spiritus ac gratiæ qua semper es cum Sponsa: ipse enim dixit, *non relinquam vos orphanos, sed vado & venio ad vos*. Vado, corpore; venio, spiritu qui à me semper Patréque procedit deriuatur & spirat. Hunc orat Sponsa & Dorcadi vel hinulo Ceruorum assimilari ad montes aromatum; hoc est, ad Apostolos omnium virtutum cumulo refertos & conglobatos: vt eadem mira facta vel maiora quæ ipse gessit in terris & consimilia operentur & illi; sicuti factum esse nouimus. Scimus enim vel vmbra Petri sanatos infirmos, & mortuos incolumitati restitutos & vitæ: Ob id, *assimilare*, dixit, vt eius persimiles esse virtute & potestate in agro crederentur & essent: quod de Paulo & Barnaba creditum esse legimus dij enim putabantur à populis, eísque sacrificare volebāt, quod & fecissent omninò nisi id ipsi fieri totis viribus prohibuissent. possumus etiā hunc extremum Cantici sermonē ad fidelem quémque referre, vt omnis qui audit atque intelligit, peccatum fugiat, iuxta illud, *Tanquàm à facie serpentis* peccatū fuge. Propterea & *Dorcadi assimilare* dicit; vt qui peracutè cernit oculo Spiritus ac Legis, quæ fugienda sunt & quæ sequenda; is diligentissimè caueat ne capiatur à venatoribus Spiritibus nequitię, qui innumerabiles laqueos captandæ animæ assiduè tendunt, milléque dolos in diem parant & insidias moliuntur iniqui. Vt enim Dorcas acutissimi est visus (vnde & nomen accepit; δορκὰς enim acutè cernens dicitur) & venatorum insidias plagásque prouidet atque declinat: ita & Christianus omnis, oculis prudentiæ & integritatis inocentia, optima quæque prouidere debet ac sequi, & nocitura omnia declinare ac fugere; vt, auditor salutarium mādatorum ac factor, ad montes aromatum (hoc est, ad altissima omnia atque sublimia Iustorum exempla imitanda) mentem aduertat, séque totum ad Dei optimi maximi Legem ac vitam componat & firmet: Ceruorum naturam æmulatus; quos, & Serpentes è cauernis eruere & eosdem vorare tradunt; & hinulos suos, venatorum dolos insidias ac fraudes euitare sagaciter docent, vt si laqueum tibi concupiscentiæ proponat iniquus Hostis per carnalem fœminam, quam quidem, non videre, prima victoria est, secunda non alloqui, tertia non attingere: nam si facies fœminea aculeus est peccati, quid erit alloquium ac tactus? tu contrà ad illum arduum cōtinentiæ montem (Ioseph scilicet) te conuertas, eiúsque

Nihil sanctius quàm benefacere & docere. *Matth. 5. c* *Act. 1. a.* *Ioh. 12. d* *1. Thess. 4.* *Psal. 33. c* *Ioh. 5. d* *1. Pet. 2. d* *Matt. 13. a* *1. Cor. 6. a* *Presbyteri cooperatores Pastoris.* *Cant. 1. a* *Diuinissimi Canticorum Libelli argumentum.* *Ioh. 16. a* *Ioh. 14. e* *Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit.* *Act. 14. b* *Eccli. 21. a* *Concupiscentia vincenda tres gradus.* *Gen. 39. b*

que castitatem recorderis & temperantiam, téque serues illæsum: tunc enim Dorcas eris & Ceruus, cùm eiusmodi laqueos declinatis, & Serpentes occideris. Et si sceleris alicuius, vt iræ, vt vindictæ, & vlciscendi inimici cupiditatem ingesserit & ardorem; tu contrà ad illius Dauid mansuetudinem (mitissimum clementiæ montem, & aromatum bene fragãtem cumulum) cogitationem auoca; qui Saul socerum ac Regem à quo quotidie appetebatur in mortem, cùm posset vlcisci noluit, sed clementissimè ignouit ac pepercit: vnde rectè de se meminit ad veniam impetrandam, cum dicit; *Memento Domine Dauid, et omnis mansuetudinis eius.* Illúdque recordemur omnes quod à Domino præceptum est, *Dimitte & dimittetur:* Et, *orate pro persequentibus & calumniantibus vos, et bene facite ijs qui oderunt vos:* nec enim aliter vnquam speret vllus se posse veniam suorum consequi delictorum, nisi & ipsi fratri suo libentissimè ignouerit: tãtique est condonare & remittere iniurias, vt in eo audere nos petere veniam peccatorum voluerit Spõsus, cùm docuit dicere; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Simus igitur illius imitatores, qui dixit, *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Simus montes aromatum; hoc est, odoramenta virtutum; simus & valles benignitatis: neque enim mons sine planitie ac valle vnde surgit; neque vallis sine locis editioribus esse potest. Fit in mente mons iustitiæ & lucerna virtutis ardentis, fit in corde & actionibus veritas humilitatis & pacis; hoc enim iustis omnibus congruit éstque maximè necessariũ; in altitudinem atque sublimitatem virtutum & sanctitatis efferri, & in cordis humilitate & rectè factorum conscientia delitescere; vt & in corde contrito & humiliato sibimetipsis, & in excellentia probitatis & innocẽtiæ

Ire, Dauidis exemplo vincenda.
Dauid, mons clementiæ.
1. Reg. 18. e
Psal. 131. a
Luc. 6. e
Matth. 5.
Matt. 6. b.
Matt. 11. d

cæteris prodesse queant; idque diuina gratia semper & bonitate duce ac comite, cui laus & gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Peroratio.

Habetis interpretamentum quod sæpius efflagitastis, in Cantica Canticorum: quod quidem si nõ tale est quale fortasse putastis, & ego sanè voluissem; id ingenij imbecillitate, non diminutione charitatis factum esse existimate: & quod olim in præfatione vos oraui, idem nũc in calce operis rogo & oro, vti mihi à Domino & mentis rectitudinem & efficaciam implendi quæcunque bona sunt, deprecemini. hoc enim & mihi admodum salutare futurum est, & vobis honestum & periocundũ: illúdque recordemini, quod in principio nobis dicendum erat, sed tanquam minus necessarium, huc vsque distulimus; hoc Canticum Canticorum more Dramatis esse conscriptum: in quo quidem, modò Sponsa, modò Sponsus loquitur sola cum solo; sæpè etiam vterque comitatus. Sunt autem Comites Sponsi vel amici ad sacrum hoc veluti Epithalamium aduocati; nouem ipsi Angelorum chori: Sponsæ verò totidem Fidelium ordines, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Doctores, Pontifices, Presbyteri, Diacones, Subdiacones, Acolyti: hique inter se, mysteria ipsa nostræ Redemptionis, & præmia futuræ fœlicitatis æternæ diuinissimè commentantur. Sed ne rursus idem texere videamur, ad agendum quæcúmque bene scripta sunt, alter alterum sanctissimè prouocemus: & Deus qui solus cuncta nouit ac potest, tribuat implendi facultatem; nósque triumphantium numero faciat interesse, sua gloria perpetuò fruituros. Valete & orate.

Cantica Canticorum, Dialogi more descripta.

Deo gratias.

D. IVSTI, ORGELITANI EPISCOPI, IN CANTICA CANTICORVM SALOMONIS, EXPLICATIO MYSTICA.

De S. Iusto, & hoc eius opere agit S. Isidorus de scriptoribus Eccles. cap. 14. & de viris illustribus cap. 34. Interfuit concilio Toletano 2. vt eius acta indicant. Claruit sub Iustiniano Imperatore. Habetur nomen eius inter sanctos in Romano martyrilogio 28. May.

1. *Osculetur me osculo oris sui.*



OX Ecclesiæ hæc est, venientis ad Christum in osculo, offensam quã apud Deum homines peccando contraxerant, resolui cupientis, & pacem, in qua, dum essemus Deo Patri inimici, per ipsum filiũ eius reconciliamur, inuenire desiderantis: Propter quod Propheta ad Deum; *Pacem tuã Domine da nobis, & omnia reddidisti nobis.* In Euangelio quoque, redeũtem à regione lõginqua filium, pater deosculatus est: Tunc enim quodãmodò, venientibus ad se, osculum tradidit, quãdo Vnicum suum in homine nasci voluit; per quem etiam vt ei pacis vinculo adhæreamus, attribuit. Denique & Angeli, nascente Christo, *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, idcircò voce consona clamauerunt, quia ipsum qui est pax nostra, nobis vtique talia dicendo, perspicuè docuerũt. 2. *Quia meliora sunt vbera tua, vino, fragrantia vnguentis optimis.* Vbera Christi, Apostolos & Euangelistas non incongruè accipimus, per ipsos enim in fide nutrimur & spirituali alimento reficimur. Idcircò autem meliora vino probantur, quia Euangelica doctrina eminẽtior quàm lex olim data, dinoscitur. Denique illic figura, hic veritas: illic tanquam austeritas vini, diligendum tantummodò Proximum & inimicum odiendum ostendit; hic dulcedo gratiæ, pro inimicis orandum & eos qui nos oderunt admonet diligẽdos. Ipsa quoque Christi verba; id est, Apostolos; vnguentis optimis fragrantia declarat, quia tantis virtutibus tanósque enituere miraculis, vt odor iustitiæ eorum longe latéque diffusus tunc intuentes oblectaret, & vs-

Is. 26.
Luc. 15.
Luc. 2. b

que huc omnes reficiat audiẽtes, sicut vnus ex ipsis pronunciat dicens: *Deo autem gratia, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco, pro nobis.* 3. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quem vnxit Deus; id est, Christum, *oleo lætitiæ præ participibus suis*, huius etiam velut oleum effusum est nomen. Quicunque enim Christiani à Christo nominantur, ipsíque Chrysmate perunguntur, atque in eius nomine baptisati sancto spiritu adimplentur, vt vnguentum quod descendit à capite *in barbam Aaron:* quod verum, perfectum, atque fortissimum declarat; id est, sacer Spiritus qui à Deo diffusus est in Christo: *descendit* etiam *in oram vestimenti eius*, ac totam, vsque in finem, Ecclesiã replet; quæ ei inhærendo, sine dubio, vestis ipsius est. Nam in transfiguratione *vultus eius splenduit sicut Sol*, vt in Euangelio legimus, *& indumenta ipsius velut nix candida facta sunt, qualia nullus fullo super terram facere potuit.* Nullus enim Doctorum ad tantum nitorem, sicut ille Discipulos suos, aliquando perduxit; vel sic à maculis ablutos, instar niuis candidos, in se Credentes facit. Hunc ergo adolescentulæ, vel nouellæ Ecclesiæ vel incorruptæ animæ dilexerunt; quæ etiam fragranti vnguento repletæ, cum Apostolo dicũt; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* 4. *Trahe me post te, curremus in odore.* Dicit Dominus in Euangelio, *nemo venit ad me nisi Pater qui misit me attraxerit eum.* Attrahitur enim ad Christum, qui credit Christo: Illi verò currunt post eum, qui eum imitantur vel qui dono ipsius ipsum sequẽdo proficiunt. 5. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Introduxit Christus Ecclesiam in sua cellaria, cũ ei reuelauit Scripturarum occulta mysteria, sicut Apo-

1. Cor. 2.
Psal. 44.
Chrysma.
Psalm. 132.
Ecclesia est Christi vestis.
Matth. 17.
Luc. 9.
Rom. 5.
Ioh. 6.

Ephes. 2.
stolus ait; *ut ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Vel tunc

A

ex toto Sancti introducuntur in Christi cellaria, cum eis

Matth. 25.
in fine dicetur; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine Mundi. 6. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Exultant Sancti & lætantur in Domino, cùm recordantur quemadmodùm per vbera Christi Apostolorum scilicet doctrinis; spirituali lacte nutriti sunt. Quam doctrinam Christi dum priscæ Legis præceptis inspiciunt clariorem, in illa vel ex ipsa Christum intuentes intelligunt,

Matth. 13.
Luc. 10.
quibus ipse in Euangelio dicit; *Vestri beati oculi qui vident, & aures quæ audiunt. Amen dico vobis, multi Prophetæ & Reges quæsierunt videre quæ videtis & non viderunt, et audire quæ auditis & non audierunt. 7. Recti diligunt te.* Nec enim praui possunt diligere æquitatem. Illi enim recti sunt & dili-

B

gunt Deum, qui non amore creaturæ capriui tenentur, sed sicut rectos decet, preciosum munus præponentes, Deo autori omnium, dilectione fortissima adhæserunt. Sed & illi Deum rectè diligere approbantur, qui non solùm in beneficijs sed in flagellis ipsius constituti, simi-

Psal. 33.
liter gratias agunt sicut & ille dicebat; *Benedicam Dominum in omni tempore, laus eius in ore meo;* Id est, & quando lætitiam ex dono capio, & quando dolorem (eodem corripiente) suscipio. Sicut alius quoque vehementissima passione probatus, carne putridus, & syncerus corde locutus est; *Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus? Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen, &c. 8. Nigra sum sed formosa, filia Ierusalem, sicut tabernacula Cedar.* Nigra, confessione peccato-

C

rum: formosa, gratia Sacramenti, filia Ierusalem. Ex illa enim primitiuorum Ecclesia per Euangelium nata est quæ prima credidit in Ierusalem; vel certè sicut Apo-

Iob. 1.
stolus dicit: *illa quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Et meritò, quia adsimilat se tabernaculis Cedar, quod interpretatur, obscuritas; ad cuius filios Apo-

Ephes. 5.
stolus dicit, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Potest etiam nigra vocari, cùm passionibus, opprobrijs, contumelijs & despectui traditur. Considera ni-

2. Cor. 4.
gram atque formosam: in Paulo: *In omnibus tribulationem patimur sed non angustiatur; aporiamur, sed non destituimur; deijcimur, sed non perimus.* Quemadmodum tabernacula Cedar, *tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus, omnium peripsema;* & sicut pellis Salomonis, *semper mortificationē Iesu Christi in carne nostra circumferentes vt vita Iesu manifestetur in*

D

carne nostra mortali. 9. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. Id est; nolite me constitutam in persequutione despicere; æstus enim tribulationum sustinui,

Act. 14. d
& quasi decorem temporalis iucūditatis amisi: *Per multas enim tribulationes oportet me intrare in regnum Dei.* In illis

Matth. 5.
Ioh. 16.
namque sum, de quibus scriptum est; *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Et vos quidem tristitiam habebitis Mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra in gaudium conuertetur. 10. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Filij scilicet Synagogæ, qui docentem & arguentem Stephanum mar-

Act. 7.
tyrem lapidauerunt; *Et facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis, & omnes Fratres dispersi sunt per regiones Iudeæ & Samariæ:* Vel illi etiam pugnauerunt aduer-

Quinam sint qui Ecclesiam oppugnant.
sùs Ecclesiam, qui Paulum prædicantem in Gentibus,

E

per ciuitates singulas persecuti sunt. Similiter & illi qui

Act. 15.
his qui ex Gentibus crediderant, onera legis imponenda censebant, quæ beatus Iacobus cum cæteris Apostolis salubriter remouenda decreuit. Nam & illi qui Galatas in Christo credentes circumcidi suaserant, perturbantes Euangelicam traditionem aduersùs Ecclesiam

Gal. 6.
pugnasse docentur: de quibus Paulus Apostolus ait; *Neque enim hi qui circumciduntur Legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi vt in carne vestra glorientur.* De ipsis

Gal. 5.
etiam dixit; *Utinam abscindantur qui vos conturbant. 11. Posuerunt me custodem in vineis.* Vineæ quoque istæ, Synago-

Act. 9. & 22.
gæ sunt: *Acceperat* quippe Saulus potestatem & *epistolas à Principibus sacerdotum, vt quoscunque credentes in Christo reperisset viros ac mulieres, in custodias tradere vt punirētur;* vt dum ista perpetraret, quasi Synagogæ vineam custodiret. Et

A

sequitur; *Vineam meam non custodiui:* Factus enim ex Saulo Paulus, ex persecutore prædicator; dum verbum Dei Iudæis contradicentibus prædicaret & omnino sperne-

Act. 13.
retur, eisdem incredulis dixit; *Vobis quidem oportebat prædicari verbum Dei, sed quoniam repulistis illud & indignos vos iudicastis tanta salute, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præce-*

Isa. 49.
Gal. 1.
pit nobis per Scripturam Dominus, Dedi te in lucem Gentium vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Vel sicut ipse ad Galatas scripsit: *Audistis conuersationem meā in Iudaismo, quia persequebar Ecclesiam Dei & expugnabam illam & proficiebam in Iudaismo supra multos coëtaneos meos in genere meo, abundan-*

Phil. 3.
tius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Et iterum: *sed quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus sum detrimenta;* tanquàm sub ænigmate dicens: *Posuerunt me custodem vineis, vineam meam* enim *non custodiui. 12. Indica mihi quem di-*

B

Matt. 24.
Marc. 13.
ligit anima mea, vbi pascas, vbi cubas in meridie. Legimus in Euangelio; *Si dixerint, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite exire.* Hic enim atque illic, partes esse noscuntur Christus autem in Ecclesia Catholica tanquàm in Meridie cubans, Mundum vniuersum suo fulgore perfudit; &, in spiritu feruentibus, requiescit; atque ex ea charitate qua

Hæretici an dicātur Christi Sodales.
Orbem vniuersum irradiat, credētes in se populos quotidiè pascit. 13. *Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum:* Id est; Si in ea claritate qua Fidelium tuorum vniuersitas consistit, te habitātem ignorauero; per greges Sodalium (id est, per congregationes hæreticorum) incipiam oberrare. Sodales quippe Christi ex quadam parte hæretici adpellentur, quia Natiuitatem, Passionem, & Re-

2. Tim. 3.
surrectionem ipsius profitentur: sed quia de ipsis Apo-

C

stolus ait; *Habentes formam pietatis & virtutes eius abnegātes;* non iam sodales sed aduersarij cōprobantur. 14. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia.* Vox Christi est ad Ecclesiam; *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres:*

Psal. 44.
si non intelligis quia tu es illa cui in Psalmo dicitur; *Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, quia concupiscit Rex pulchritudinem tuam,* quia tu sola accepisti decorem incorruptibilis sa-

Hæreses amiserunt Virginitatem quæ est in Christo.
cramenti. Et bene ait; *Inter mulieres;* id est, gloriosa inter hæreses: congruè enim mulierum nomine vocitantur, quia virginitatem quæ est in Christo amiserunt. Igitur non oberres, me alibi extra te quærendo vllo modò; in te quippe vbi me hactenus non quærebas, tanquàm in meridie requiesco. Iam intellige vbi me pascentem & gubernantē temetipsam, quæras, ne velut in nocte quo-

D

rúmlibet simulatio te abducat; quia tantummodò in te certa synceritas, me apud te regnante perducat. In illis

Matt. 28.
te esse cognosce, quibus post Resurrectionem meam veraciter repromisi; *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Quòd si quadam promissorum meorum dubitatione aliquo modo fluctuas, nec meam præsentiam nec tuam pulchritudinem cognoscis; *egredere, & abi post vestia gregum tuorum.* Meritò etenim post vestigia gregum perget, quia Pastoris præsentiam dereliquit. *Et pasce hædos tuos, iuxta tabernacula pastorum:* Iniustos homines oblectans traditionibus vel conuenticulis hæreticorum. His etenim redargutionibus obiurgari merentur, qui Christum in Catholica Ecclesia, vel seipsos Ecclesiam Catholicam esse non cognoscunt. 15. *Equi-*

E

Abac. 3.
tatui meo in curribus Pharaonis. Dicit Abacuc Propheta; *Nunquid in fluminibus iratus es Domine aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua, qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua salus?* Quos equos, Apostolos & Euangelistas accipimus? Ideò Christus loquitur ad Ecclesiā; *Tūc equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te,* cùm Sapientes Mundi, ad meam fidem euocandos cōuerti, vt deposito tumore sæculi, sub me (qui sum salus vera) currendo proficiant; néque circumferendo pijs prædicationibus, credentium fide oculis manifestent. Ac sicut Princeps Mundi huius qui iam missus est foras, falsis Philosophis tanquàm claris curribus vsus est ad perniciē, ita ego mea sapientiæ repletis Apostolis, credentes instituā ad salutem, 16. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Casti-

tatem

tatem comitem verecundiæ prædicauit. Dicitur enim genus turturum amisso corporali consortio solitarium incedere, nec carnalem copulam vltra requirere. Habet itaque Christi Sponsa eximiam pulchritudinem, quando cum pudore retinet castitatem. 17. *Collum tuum sicut monilia.* In collo hi insinuantur qui Legem Dei diebus ac noctibus meditari non desistunt, quique etiam velut munda animalia, salutarem doctrinam iugiter ruminando reddunt. Hi quia præclara Ecclesiæ ornamenta sunt, velut Sponsæ monilia describuntur. 18. *Murenulas aureas faciamus tibi.* Vox ista Doctorum est, qui tunc ornamenta Ecclesiæ auro argentóque permixta disponunt, quando spiritales intelligentias eloquij nitore edisserunt. Murenulæ autem à capite defluentes, solent ad ceruicem ornandam aptari: Et idcirco illæ doctrinæ præclaræ sunt, quæ à capite (id est, Christo) procedentes, sic spirituali officio ministrant, vt ceruicem nostram iugo Christi subdendam edoceant, ita vt talibus ab Apostolo dicatur:
Rom. 11. *Non alta sapientes, &c.* 19. *Dum esset Rex in accubitu suo.* Nar-
Mar. 14. rant Euangelia, ante biduum Paschæ, recumbente Domino, à muliere habente alabastrum vnguenti Nardi pi-
Ioh. 12. stici eius capiti superfusum; & hîc Prophetia dicit: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Igitur tam hæc quàm illa figuratè dicta vel facta noscuntur, quia Rege nostro (vel in Cruce vbi inclinato capite spiritum reddidit, vel in Sepulchro vbi corpore conditus requieuit) in suo accubitu constituto; Ecclesia piæ confessionis odorifero vnguento eum perunxit, vt eum voluntariè passum fuisse, & à mortuis resurrexisse die tertia virtute propria, in salutem Credentium prædicare non cesset. 20. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus.* Myrrhæ species, mortuorum corporibus condiendis apta dinoscitur. Fasciculus itaque myrrhæ, Christus passus & mortuus & sepultus. *Inter vbera mea commorabitur,* vbera Ecclesiæ esse, eruditi & spirituali lacte redundátes qui nascentes in fide populos nutriunt, illi sine dubio comprobantur, qui mortem Domini (sicut præceptum est) annunciare donec veniat, omnibus modis non desistunt. 21. *Botrus Cypri dilectus meus.* Botrus in Cypro, Christus
Signum Crucis cum Chrysmate in fronte. suspensus in crucis ligno; quod genus ligni odoriferum semper & incorruptum est: Signum etenim Crucis, cũ odore Chrysmatis prænotamus in fronte. Bene autem ait; *Botrus Cypri, dilectus meus mihi*; quia non illis qui crucifixerunt sed his qui in crucifixum crediderunt, botri istius dulcedo concessa est. *In vineis Engaddi*; in Synagogæ populis vbi Dominica peracta est passio. *Engaddi*, interpretatur oculus tentationis meæ. Lege Euangelium & inuenies Pharisæos & Sadducæos nihil aliud intendisse suis interrogationibus, nisi vt Dominum per singula tentarent & inuenirent causas accusandi eum; qui-
Matth.22. bus ipse dicit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Sed tantum bonum Passionis Christi, illis quidem gestum, nobis autem qui credidimus constat esse concessum. 22. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Christus Ecclesiam quam amicam, pacis
1.Cor.7.f. suæ osculo fecit, bis pulchram pronunciat; sicut Apostolus *sanctam corpore & spiritu* esse docuit; adijciens, *oculi tui columbarũ.* Nihil est magis quod faciem ornet in corpore, quàm dispositio oculorum, per quos conuenienter sanctos Apostolos accipimus, qui etiam futura prospicere potuerunt; quorum priuilegia designans beatus Paulus Apostolus ad Corinthios scribens ait; *Vos estis corpus Christi*: Et alio loco; *Quosdam quidem posuit Deus in*
1.Cor.12.d. *Ecclesia primum Apostolos,* &c. Iam cùm dicit; *oculi tui co-*
Eph. 4.b. *lumbarum*, ipsos Apostolos, quibus præceptum est vt essent astuti *sicut Serpentes & simplices sicut columbæ*, euiden-
Matth.10.c. ter ostendit: Per cuius auis similitudinem, eosdem sancto etiam Spiritu repletos esse demonstrat. 23. *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* Christum quem pulchrum & decorum Ecclesia hoc loco commemorat, Psalmista sic pronunciat, dicens; *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est*
Psalm.44. *gratia in labijs tuis.* Sed hæc tua pulchritudo exinde est,
Ioh.1. quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, Et, *Verbum caro factum est & habitauit in nobis.* Addens autem, *Lectulus noster floridus*; ipsum corpus Dominicum in quo Deitas requieuit, syncerum, odori-
A ferum, ex Virgine natum ostendit. 24. *Tecta domorum nostrarum.* Domus istæ in quibus Christus habitat, Sancti Leuit.26.b.
sunt, sicut Propheta dicit; *quoniam habitabo in eis.* Tecta au- 2. Cor.6.d.
tem & laquearia domorum istarum cedrina & cypressina, quæ incorruptibilia & odorifera dinoscuntur; directionem Dei & proximi, quæ per Spiritum sanctum desuper concessa est (id est, vt Sancti in se sint) demon-
strat. 25. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ego decus CAP. II.
Mundi, ex virginitate humilium. 26. *Sicut lilium inter spinas.* Expulso homini de Paradiso, dicitur; *Maledicta terra* Genes. 3.
in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi; quæ terra, vtique caro humana intelligitur, quæ aculeos libidinum & concupiscentiarum spinas producere cõsueuit. Quapropter quod ait; *Sicut lilium in medio spinarum, sic amica mea*
B *inter filias:* Filias hæreses dicit; quæ per baptismum quasi renatæ, filiarum nomine nuncupantur: sed spinis comparatæ, corrumpentes & corruptibiles perdocentur. Quam corruptionem Ecclesia nescit, quæ liliorum sinceritati comparata, vltro citróque redolet ac resplendet. 27. *Sicut malum inter ligna syluarum.* Dicit Psalmogra- Psalm. 88.
phus; *quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Illic, adoptione; hîc natura est filius: Et ideò nullus in sanctis vel in vniuerso genere hominum, quàmlibet filij vocabulo censeatur, Christo similis reperitur; qui fructus sui dulcedine refectióneque electos incomparabili decore præcedit. 28. *Sub vmbra illius quem desideraueram.* Eodem protegente quem semper adesse quæsiui, humilis ac secura permansi. 29. *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Dicit in Euangelio Dominus;
C *Ego sum vitis vos estis palmites qui manet in me & ego in eo hic* Ioh. 15.
adfert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Quamuis igitur fructus oriatur in palmite; ad vitem tamen deputandus est, ex cuius radice palmes cum fructu processit; & ideò quidquid iusti in bonis operibus fructificant, totum est referendum ad Christum, In cuius fructibus incomparabilis dulcedo sentitur. Illi etiam sancti qui per gutturis speciem ruminare quæ gustauerant (id est, meditari quæ Christi sunt) consueuerant; ipsi etiam nimiam dulcedinem ex eius fructu percipiũt. 30. *Introduxit me in cellam vinariam.* Ascensurus in cœlos Dominus præcipit Apostolis ab Hierosolymis ne discederent, dicens ad eos: *Gaudete quia vici Mundum, & vado* Act. 1.
ad Patrem, vos verò sedete in ciuitate quoadusque induamini vir-
D *tute ex alto.* Et sicut in Actibus Apostolorum scriptũ est, *Tunc reuersi sunt in Ierusalem à monte qui vocatur Oliueti qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter, Et cùm intrassent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes:* Et post pauca, *hi erant omnes vnanimiter congregati cum mulieribus, & matre Iesu Maria, & fratribus eius, erat autem turba hominum ferè centum viginti* in hoc loco constituti, & superueniente Spiritu sancto repleti sunt, & cùm cœpissent loqui varijs linguis, musto pleni à populo putabantur. Tunc itaque Ecclesia in cellam vinariam introducitur, quando hæc Apostolica congregatio in vnitate permanens,
Spiritu sancto repletur, sicut & Apostolus dicit: *In vno* 1. Cor. 12.
spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus, siue serui, siue liberi & omnes in vno spiritu potati sumus. Quia verò charitas per
E Spiritum sanctum, piorum in corde diffunditur, statim subiunxit: *Ordinauit in me charitatem.* Hæc enim est ordinata charitas, vt diligat homo proximum suum tanquàm seipsum; Sic verò diligat Deum, vt etiam seipsum abneget propter ipsum. Diligitur autem in malis quoque nõ iniquitas quam ipsi faciunt, sed creatura in qua boni à
Deo formati sunt. Sed & illa ordinata charitas; vt serui Charitas ordinata.
Dominum non sicut malefactores sentiant, nec sicut lasciuientes execrabili amore se diligant, sed etiam vbi ne- Prou. 27.
cesse fuerit semetipsos mutuò expulsa superstitione cũ Prou. 24.
libertate corripiant, secundùm illud: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis:* Et iterum, *Qui arguunt laudabuntur & super ipsos veniet benedictio.* 31. *Fulcite me floribus, stipate me malis* Sanctorum cœtibus

coniungi vel circũdari desiderat, quæ pio & casto amore languescit; quia languor non est morbi, sed ineffabi- [A] lis desiderij secundùm illud: [Psal. 118.] *Defecit in salutari tuo anima mea & in verbum tuum supersperaui, defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me?* fœlices illi qui tali profectu proficiunt: quodammodò enim; qui multum desiderat, languescit & deficit donec optata vel quæsitá reperiat. 32. *Laua eius sub capite meo.* Ipse Salomon in Prouerbiis ait; *Beatus homo qui inuenit sapiētiam, & affluit prudentia; longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.* Ac sic electa Christi Ecclesia sinistram habens sub capite, temporalia sibi subiecta describit; & & dextera eius se amplexari, dum æterna concupiscit, edocuit. 33. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas.* Filias Hierusalem, sanctas & pacificas Doctorum animas dicit; quas, per munda & velocia animalia quæ ruminare [B] [1. Cor. 7.] non desinunt & in campis sanctarũ Scripturarum aluntur; coniurat, *ne suscitare faciant donec ipsa velit*: quod Paulum Apostolum fecisse cognoscimus, cùm Virginibus [Math. 19.] de conseruanda sanctimonia, non præceptum sed consilium dedit: Et in Euangelio, Diuiti dicitur; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Et [Math. 19.] alio loco vbi *Spadones* laudantur *qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*, & statim adicitur, *qui potest capere capiat.* Et iterum Apostolus, cum ad continentiam horta- [1. Cor. 7.] tur: *hoc ad vtilitatem vestram dico* (inquit) *non vt laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est*, hortor, *& quod facultatem præbeat sine impedimento Deum obsecrandi.* Et rursus ad Philemonem: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti* [Philem.] *ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Tunc [C] enim dilecta quo adusque velit nullomodo suscitatur, quando sanctorum vota, voluntate spontanea Domino [Vota spontanea.] offeruntur. 34. *Vox dilecti mei.* Hæc vox Christi, quæ in hac Prophetia tantùm commemoratur, non inscitè de illa accipitur qua genus mortuorum hominum in Euan- [Ioh. 5.] gelio suscitantur, sicut ipse pronunciat dicens: *Amen amen dico vobis, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis* [Apoc. 20.] *sunt audient vocem eius & procedent qui bona fecerunt in Resurrectionem vitæ.* Et in Apocalypsi dicitur: *Beatus qui habitat partem in Resurrectione prima.* Ille in prima Resurrectione partem inuenit, qui erutus de mala consuetudine; tanquàm à morte Christo viuificante resurgit. 35. *Ecce iste venit saliens in montibus.* Vēnit Christus *saliens in montibus*, cùm perfectior perfectis apparuit: *Transiliens colles*, cùm [D] omnem sanctorum altitudinem, suæ majestatis excellētia superauit. 36. *Similis est dilectus meus capreæ:* Similis ca- [Rom. 8.] preæ, quia *in similitudine carnis peccati*, nobis apparuit; similis etiam *ceruorum hinulo*, quia de sanctis qui Serpētem vicerunt, secundùm carnem duxit originem. 37. *En ipse stat post parietē.* Stat post parietem nostrum cùm induitur velamine corporis nostri. 38. *Respiciens per fenestras.* Cùm quiddã sui occuluit, quiddam autem manifestauit; quasi per fenestras & cancellos prospexit. Non enim se ex toto præcipuè secundùm Deum ostendit, qui Patrem videre cupienti Philippo dixit; *Tãto tempore vobiscum sum,* [Ioh. 14.] *& non cognouisti me?* Et alio loco: *Qui diligit me mandata mea custodit, & ego diligã eum, & manifestabo ei meipsum.* Vel [Ibid.] tunc per fenestras, & cancellos prospexit, quando plebē [E] in parabolis edocuit. Potest etiam intelligi, quòd tunc per fenestras prospexit, quando in Passione, lancea perforato latere, sanguine & aqua manente. Redemptionis & Lauacri sacramenta produxit. 39. *Dilectus meus loquitur mihi.* Dilectus in hoc libro sæpè describitur; quis enim [Ioh. 19.] tàm dilectus Ecclesiæ, quàm ille propter quem Martyres, animas posuerunt? *Surge, propera, & veni: surge*, crede; *propera*, peracto cursu pij laboris præmium suscipe: *Amica mea*; reconciliata mihi per mortem: formosa mea, munda facta per lauacrum.

40. *Iam enim hyems transiit.* Quia tēporalis tribulatio finem accepit. 41. *Imber abiit & recessit.* Crebra & multiplex tentatio, vel Paganorum persequutio, quieuit. 42. *Flores apparuerunt in terra.* Sancti redundauerũt in Mundo; Mense Nouorum, quando Pascha celebratur, exorti; quibus Apostolus dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ* [A] *sursum sunt sapite non quæ super terram.* 43. *Tempus putationis aduenit.* Hi qui in domo Domini sunt plantati; adhibita [Col. 3.] disciplinæ falce, ab omni superstitione purgati, venturis fructibus præparantur. 44. *Vox turturis audita est in terra.* Anima, in Euangelio, octoginta quatuor annorum ca- [Luc. 2.] stissima vidua non recedēs de templo in ieiunijs, & orationibus Christum agnoscit, & loquitur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Istarum quoque auium combinationem in sacrificium offerri mandauit, qui nil omnino in oblatione Dei præclarum, nisi cùm Fideles corpore & spiritu sanctificati Domino offeruntur. *Ficus protulit grossos suos.* Tandem etiam Synagoga credentes in Christo produxit Israëlitas, sicut & Apostolus ait; *Nolo vos ignorare mysterium hoc, quia cæcitas ex par-* [Rom. 11.] [B] *te contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* 46. *Vineæ florentes, & dederunt odorem.* Congregationes Clericorum, Monachorum quoque & Virginum in Ecclesia proficiunt, & per bonam famam & conuersationem intonnerunt. 47. *Surge amica mea & speciosa mea.* [Congregationes clericorum.] Pijs appellationibus semper hortitur Ecclesia vt relictis temporalibus ad æterna festinet. 48. *Columba mea in foraminibus petræ.* Non ob aliud Ecclesia columba vocatur, nisi quia est sine dolo & Spiritu sancto repletur: habitat in foraminibus petræ, quia semper receptaculum habet in his, ex quibus sanata est, vulneribus Christi. Recipitur etiam in cauernam maceriæ, cùm sancta ex Scripturis consolatione fouetur, vel cùm præcedentium sanctorum meritis atque orationibus ex [C] toto protegitur. In his foraminibus petræ, Thomas Apostolus tanquàm columba, protectionem inuenit, cùm post Resurrectionem contrectatis Christi vulnerum locis, remota omni dubietate, *Deus meus & Dominus meus*, [Ioh. 20.] fideliter exclamauit. 40. *Ostende mihi faciem tuam Sion.* Sion interpretatur speculatio; quæ meritò in illis intelligitur, qui cum Apostolo dicunt: *Nos autem gloriam Dei speculan-* [2. Cor. 3.] *tes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* Et iterum: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Hæc itaque inuitatur vt semper ante Deum adsistat, sicut Helias, qui dicebat; *Viuit Dominus in cuius conspectu ad-* [4. Reg. 3.] *sto hodie:* nec sit de illis quos Propheta denotat dicens; [Hierem. 2.] [D] *Verterunt ad me tergum & non faciem:* Et, *vox tua*, inquit, *in auribus meis.* Et, *clamauerunt iusti & Dominus exaudiuit eos,* [3. Reg. 17.] [Psal. 33.] *& ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* 30. *Vox enim tua dulcis.* Orationes sanctorum semper Domino acceptæ, gratiáque eius præsentes, quia de Christi lumine acceperunt vt in decore iustitiæ permanerent. 51. *Capite* [Mat. 13.] *nobis vulpes paruulas.* Dicit per paraholam in Euangelio Dominus; cùm creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania: id est proficiente Ecclesia, numerosæ etiam hæreses surrexerunt, vel in illa fide permanente quàm prauè sentirent, inuestigatæ sunt. Sic & ille [Iudic. 15.] Samson, qui interpretatur Sol, captis trecentis vulpibus, eorum caudis ignem apposuit & fructus inimicorum accendit. Semper enim hæretici in primordijs, velut fi- [Hæreticorum ingenium.] [E] cta religione conspicui, in extremis suis ignem trahunt, Gehennę incendio deputati. Et ideo *Capite nobis vulpes*, conuincite hæreticos, eorúmque versutias sanctarum Scripturarum concludite testimoniis: Quos vulpes paruulas dicit, quia nihil magni secundùm rectam fidem intelligendo continent; omne enim quod sapiunt, exhibent: qui pusilli sunt, demoliuntur vineas, subuertunt plebes, prauis eas traditionibus corrumpentes. *Vinea nostra floruit*; Ecclesia Catholica, indeclinabili augmento proficit. 52. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Dicit Apostolus; *Erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum est, ego* [Ephes. 5.] *autem dico in Christo & Ecclesia.* De ipso enim eadem Ecclesia dicit; *Dominum per sæ hæreditatis meæ.* Et iterum à Patre, [Psal. 15.] Filio dicitur; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Habet igitur Chri- [Psal. 2.] stus Ecclesiam in suo corpore & Ecclesia Christum in capite;

capite: quæ connexio, quia dissociari non potest meritò dixit; *dilectus meus mihi*. 53. *Qui pascitur inter lilia*. Pascitur inter lilia Christus quando corpus eius, quod est Ecclesia, Sanctorum & Virginum cœtibus decoratur. 54. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbra*. Donec Euangelica traditio in clariore luce proficiat; & figuræ veteris Testamenti, quæ velut vmbræ, in ritu sacrificiorum, typicis obseruationibus præcesserunt depellantur. 55. *Reuertere, similis esto dilecte mihi*. Dum dilectum insinuat regredi, similémque capreæ & hinulo dicit, Christi in cœlos Ascensionem, mūdis & velocibus animalibus comparandam demonstrat. Hæc enim celeri saltu, montium altiora transiliunt: Supergressus est autem Christus omnia quæ videntur excelsa, quia de ipso Apostolus dicit: *propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris*. (Phil. 2.) Bethel autem interpretatur domus Dei: ergo super montes Bethel, quia omnibus sanctis qui in cœlo & in terra sunt, Christum prædicat potentiorem. 56. *In lectulo per noctes quæsiui*. In his qui in fide dormitant, & ignorantiæ tenebris deleti sunt, quæsiuit Christum quem diligit Ecclesia; sed vide quid sequitur: *Quæsiui illum, & non inueni*. Dicit Dominus ad Adam; *In sudore vultus tui comedes panem tuum*. (Genes. 3.) Non enim qui vitio quodam vel sopore inertiæ resoluuntur, ad illius panis qui de cœlo descendit, esum, citò perueniūt sed qui sanctis laboribus inuigilauerint, ipsi eū reperiunt. 57. *Surgā & circuibo ciuitatē*. Consideraui omnē gloriam præsentis sæculi, inspexi congregationes infideliū & diuersas sectas philosophorum; sed nec illic reperi quem diligit anima mea. 58. *Inuenerunt me vigiles*. (Philosophi, Christum in sua sapientia non inuenerunt.) Disputauerunt contra me sæculi Sapientes Idolorúmque cultores, multa inaniter perscrutantes, plurésque libros irritis laboribus conficientes, quibus dixi: Cur incassum superfluo conatu vexamini? Cur frustrà vehementer ingenia vestra atteritis? num quem diligit anima mea, vidistis? Quandóquidem falso nomine sapientiæ gloriamini, *stultam fecit Deus sapientiam* vestram, quia Christum illic inuenire minimè valuistis. (1. Cor. 1. c.) 59. *Paululum cùm pertransissem*. Cùm pertransissem huiusmodi homines qui in sæculo vana scientia clari putantur, & cùm eorum superstitiosis adinuentionibus restitissem, eorúmque sapientiam stultam iudicassem; *inueni quem diligit anima mea*. Inde est, quod Apostolus de talibus dicit; *Sapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam autem non huius sæculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absondita est, quā prædestinauit Deus ante sæcula in gloriā nostrā*: (1. Cor. 2. c.) & quia ipsa sapientia quæ Christus est, apud tales non reperitur, Sequitur: *quàm nemo principum huius sæculi cognouit, si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, sicut scriptum est, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum*. Sed quia apud spirituales inuenit illum quem diligit sponsa; audi quid sequatur: *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. 60. *Tenui eū nec dimittam*. Ita namque adhærebo Christo, in eius fide perseuerabo, *donec ipsum* in Synagogæ populis tanquàm in domo matris prædicans, *introducam in cubiculum genitricis mea*; vt Iudæi qui eum hactenus negabant ore, corde recipiant; illuminatísque mentis oculis eorum, *In cubiculum*, in secreto sanctarum Scripturarum cōsistentem, qui nobis olim reuelatus est aliquando reperiant. Vel tunc Christus in domo matris inducitur, cùm ad Ierusalem cœlestem, Christianus populus qui est corpus ipsius, sociatur, Vbi est *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis, &c.* 61. *Adiuro vos filiæ Ierusalem*. Hanc sententiam iam in superioribus constituit, & in quantum Deus audiuit; adhibitis testimoniis nos pertractasse meminimus. Sed idcirco iterum in hoc Libro arbitror repetitum, ne quisquam Doctorum vel muneribus sollicitet vel minis deterreat crediturοs; sed tantùm quæ sancta sunt prædicet, & voluntariè ad fidem vel religionem, credituros siue conuertendos, adducat.

A 62. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* Per desertum ascendit Ecclesia, quando populus gentium, fide occupans credentium multitudinem, proficit. De ipsa enim in Psalmis canitur: *Posuit desertum in stagna aquarum; & terram sine aqua in exitus aquarum*. (Psalm. 106. & 113.) *Virgulta fumi ex aromatibus*, orationes dicit, quæ ex cordis compunctione ad Dominum ascendunt a sanctis. (Cordis compunctio.) Solet enim fumus lachrymas excitare. Myrrha & thus & vniuersi pulueris pigmenta; mortificationis insignia, vel diuersa gratiarum quæ in Electis redundant dona, insinuant. 63. *En lectulum Salomonis*. Lectulus Salomonis, requies Christi est; quæ, requies Ecclesiæ conuenienter accipitur; quam sub numero in Psalmis legimus electam: *Quoniam*, inquit, *elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi, Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. (Psalm. 75.) In sexagenario autem numero, quia sexagenarius totus suis partibus constat, & per denarium ascendit, meritò ex fortissimis Israël describuntur, qui præsente Domino in Ecclesiæ custodiam deputantur. Ad ipsam etiam dicitur per Prophetam: *Super muros tuos Ierusalem, custodes constitui, tota die & nocte perpetuò non tacebunt. Omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi; Et vniuscuiusque ensis super femur suum*: (Isa. 62.) Ipsis enim Apostolus dicit; *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induite loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei*. (Ephes. 6.) Illi itaque sunt ad bella doctissimi, qui contra carnis suæ cōcupiscentias nouerunt repugnare: Et ille ensem super C femur suum vtiliter baiulat, qui carnales fluxus atque libidines, spiritali cibo mortificat. Quicúnque igitur huiusmodi in Ecclesia reperiuntur; hi fortes, ex fortissimis Israël, contemplando Deum, esse noscuntur. 64. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*. Vbi ciborum exhibitio scribitur, fides illic credentiū per quam Christus aduertitur. Nam cùm Dominus mulieri Samaritanæ ad puteum loqueretur, & illa regrediens maiestatem eius cæteris in ciuitate commanentibus nunciasset, discipuli eius superuenientes rogabant eum dicentes, *Rabbi manduca; ille autem dixit eis; Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*. (Ioh. 4.) Et paulò post; *ex ciuitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum*. Horum fidem, cibum sibi futurum ostendit, quando Discipulis hoc se comesturum quod illi D nescirent, paulò ante prædixit. Sed in hoc loco, vt sequentia docent; nomen Ferculi, magis instrumentum in quo aliquid deferatur, vel sicut alia Editio habet, gestatorium, quàm ipsum cibum ostendit. *De lignis Libani*; de præcipuis in Ecclesiæ sanctis. 65. *Columnas eius fecit argenteas*. Sustentacula Ecclesiæ præparauit ex doctis vel Apostolis suis, sicut Paulus vas electionis ad Galatas scripsit: *Cùm cognouissent*, inquit, *gratiam Dei Iacobus, Cephas, & Ioannes qui videbantur columnæ esse, dextras mihi & Barnabæ dederunt societatis*. (Gal. 2.) 66. *Reclinatorium aureum*. In illis bene epulaturus Christus reclinatorium inuenit, qui intellectu sincero præditi velut aurum in sancta congregatione refulgent. 67. *Ascensum purpureum*. Ascensus purpureus, Martyrum eximiam perfectionem in effu E sione sanguinis docet. 68. *Media charitate constrauit*. Vt ista omnia Ecclesiæ ornamenta construeret, nulla alia causa est nisi quia *dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*. (Eph. 5.) 69. *Egredimini & videte filiæ Sion*. Semper præ oculis habete sanctæ animæ; *Regem Salomonem*, pacificum nostrum qui Christus est, quemadmodùm Passionem sustinuit, vt genus humanū ab interitu liberaret: inspicite eum *in diademate quo coronauit eum mater sua*, in illa spinea corona quam capiti eius Synagoga superposuit, in die desponsationis eius. (Mar. 15. Ioh. 19.) Tunc enim vniuersam Ecclesiam sibi despondit, quando in patibulum Crucis ascendens, ex eadem Cruce signum in frontibus, omnes in se credentes edocuit, sicut ipse ait: *Ego cum exaltatus fuero à terra traham omnia ad meipsum*. (Signum Crucis in frontibus. Ioh. 12.) Qui dies Passionis, fuit etiam dies lætitiæ cordis eius:

Scit enim Christus quæ bona per suam Passionem, in progenies & multa tempora Fidelibus condonauit.

CAPVT IIII.

70. *Quàm pulchra es amica mea.* Repetitio sermonis commendat pulchritudinem quam laudat; vel ea sanctorum genera, quæ sub specie similitudinum intromittit, considerãda præmonstrat. 71. *Oculi columbarum absque eo.* Simplicitas spiritualium plurimùm veneranda, quia se nec extollere nouerunt, & conscia puritate magis Deo quàm hominibus placere contendunt.

1. Cor. 11.

72. *Capilli tui sicut greges caprarum.* Docet Apostolus, mulieri capillos pro ornaméto datos; & idcirco Ecclesia illos populos in ornamento quàm maximè habet, qui ea Circumcisione primitiùs crediderunt, qui venditis, & in vsum pauperum erogatis facultatibus suis *habebant cor & animam vnam.*

Act. 4. f.

Hi ascenderunt de monte Galaad; Galaad interpretatur, aceruus testimonii, ac si ascensus, id est, profectus eorum processit de testimoniis sanctarum Scripturarum cùm illic Christum intellexerunt in quem postea crediderunt. 73. *Dentes tui sicut greges detonsarum.* Dentes, Prædicatores dicit, qui ea quæ susceperunt, salubriter comminuendum, in corpus Christi traiciunt: Hi detonsarum gregibus comparantur, quia deposito vetere Homine, in nouitate Spiritus processerunt. *Ascenderunt* quoque *de lauacro*, cùm accepta per baptismata remissione peccatorum profecerunt in Christo. 74. *Omnes gemellis fœtibus.* Omnes repleti in charitate Christi & proximi, & quia ad misericordiam prompti, idcirco *sterilis nemo inter eos.*

Iof. 6.

75. *Sicut vitta coccinea, labia tua.* Raab illa meretrix quæ saluari meruit & Israëlitico populo associari, coccineũ funiculum in signum salutis per fenestram suæ domus appendit. Quapropter illorum labia decora, qui Passionem iugiter prædicant, & per eius sanguinem datam redemptionem annunciant; nihilque dulcius quod loquantur se inuenisse congaudent, sicut & Apostolus ait: *Nihil me arbitror inter vos scire, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.*

1. Cor. 2.

76. *Sicut fragmen mali punici, genæ.* Illi in facie Ecclesiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundia, castitatem obseruant: siue sancti Martyres, qui imitantes Christi passionem, roseo sanguinis sui decore perfusi sunt, *Absque eo quod intrinsecus latet*; præter castitatis & martyrij meritum. Multa sunt & alia sanctorum bona quæ ille nouit qui ea in eorum corde concessit.

Castitatis & Martyrij meritum.

77. *Sicut turris David collum tuum.* Turris dicitur perfectio vel doctrina Sanctorum, quæ non à se sed à Christo *ædificata est cum propugnaculis*; cum sanctarum Scripturarum testimonijs quibus infideles vel hæretici debellantur. 78. *Mille clypei pendent.* Potest hæc turris, Scriptura canonica Veteris & noui Testamenti conuenienter intelligi, quæ per Spiritum sanctum, velut turris excelsa, constructa est. *Mille clypei pendent ex ea*: Hic numerus per plenitudinem vniuersitatis accipitur, sicut in Psalmo; *Verbi quod mandauit in mille generationes*; tanquàm diceret, in omnes generationes. Itaque in hac sancta Scriptura, *omnis armatura fortium* reperitur; ex qua vel contra Diabolum vel contra ministros eius fortiter repugnatur, nam & ipse Dominus, cùm in deserto à Diabolo tentaretur, ea hac turri arma produxit, cùm eum prolatis ex sacra Scriptura testimoniis vsquequaque deuicit.

Psal. 104. a.

Matth. 4.

79. *Duo vbera sicut duo hinuli capreæ.* Duo vbera Ecclesiæ, duo sunt Testamenta coaptata duobus hinulis capreæ *gemellis*; id est, duobus populis qui ea re nutriuntur, Circumcisionis videlicet & præputij, ex peccati traduce natis; quæ tamen *pascuntur in lilijs*, dum Sanctorum proficiunt pariter exemplis & doctrinis. 80. *Donec aspiret dies & inclinetur.* Donec, sicut Apostolus ait, *absorbeatur quod mortale est.*

2. Cor. 5.

81. *Vadam ad montem myrrhæ.* Coniũgar his qui se propter Deum mortificando, creuerunt, seque illi offerendo odorem gratiæ propinare non desinunt. 82. *Tota pulchra es amica mea.* Sicut dicit Apostolus, *Vt exhiberet sibi Ecclesiam sine macula & ruga*: nec hoc vacat, quod ait, *Tota pulchra es*, in omnibus scilicet pusillis & magnis. Sed sic, nõ solùm in Martyribus, Confessoribus, eruditis Virginibus; sed etiam in Continentibus, eleemosinariis ac pœnitentibus.

Ephes. 5.

83. *Veni de Libano sponsa mea, veni.* Libanus, candor interpretatur: nisi enim quis candorem in sacro Baptismate quo peccatorum remissio datur, perceperit; ad Christum venire non potest. 84. *Coronaberis de capite Amana.* Seit interpretatur lucerna; Hermon consecratio: quæ omnia referuntur ad Christum, qui quos illuminat consecrat, ipsosque coronat, quos illuminans consecrauerit. 85. *De cubilibus Leonum.* Euocatur Ecclesia de de cubilibus Leonum & montibus Pardorum, quando relicta elatione superba vel diuersarum traditione sectarum, simplex & humilis venit ad Christum. 86. *Vulnerasti cor meum soror mea.* Vulnus istud, cordis dilectio est. Ingentis amoris itaque in illo oculo, Ecclesia Christo complacuit quoniam non temporalia sed æterna prospexit. Sicque iam *in vno crine colli*; quia non ornari visibilibus sed futuris studuit: aut fortè vnus oculus & crinis colli, est credentis Ecclesiæ populus quem Christus sic dilexit vt animam suam poneret pro eo. 87. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ.* Quam admirandi sunt illi Doctores, qui nascentes in fide homines nutriunt; & garrientium carnalium molestias populorum tanquàm piæ nutrices perferunt donec quos spirituali lacte educauerint, ad perfectionem perducant. 88. *Pulchriora vbera tua vino.* Iam suprà, vbera ista Apostolos vel Apostolicos viros esse prædiximus, quorum doctrina vinum exuberat; veteris scilicet Legis traditionẽ atque præceptum. *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Distributio gratiarum quæ per Spiritum sanctũ concessa est, quam Apostolus declarat cùm dicit; *alij datur sermo sapientiæ, alij scientiæ*, &c. in tantùm præeminet vt cunctas Mundi vanitates exuperet.

1. Cor. 12.

89. *Fauus distillans labia tua, sponsa.* *Fauus distillans labia tua*, expositio Scripturarum sacrarum: *mel & lac* in doctrina tua, *sub lingua tua*, eò quòd lacte paruulos nutris; & in melle diuersorum vulnerum siuè peccatorum putredines tollis. 90. *Et odor vestimentorum tuorum.* Dicit per Prophetam ad Ierusalem de sanctis: *Viuo ego dicit Dominus quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Proinde vestimenta Ecclesiæ, omnes videlicet sancti præclari in verbis & operibus, reddunt suauitatem odoris. 91. *Ortus conclusus, soror mea sponsa.* Huic sponsæ, quæ velut ortus concluditur; id est, Christi gratia; tam indissolubilis maceria circumdatur, vt de ea Esaïas Propheta dixerit: *Non adijciet vt pertranseat per te omnis incircumcisus & immundus.*

Isa. 52.

Potest etiam ortus conclusus & fons signatus, ipsa mater Domini sancta Maria intelligi, quæ virgo concipiens virgóque generans, cõclusi orti & signati fontis intemeratum in se decus exhibuit. 92. *Emissiones tuæ Paradisus Malorum.* Profectus tui, congregatio sanctorum Martyrum; *cum pomorum fructibus*; cùm reliqua fidelium multitudine quæ iustitiæ dulcedine decoratur. 93. *Cypri cum nardo, nardus & crocus.* Incorruptio & fortitudo virtutis Martyrũ, doctrina, bona fama reperiuntur in vniuersis populis Baptismate in Christo renatis. 94. *Myrrha et Aloe cum omnibus.* Mortis Christi insignia cum præcipuis sancti Spiritus donis. 95. *Fons hortorum, puteus aquarum.* *Fons* patens eruditio populorum; *puteus*, profunditas doctrinarum; *quæ fluunt impetu de Libano*, cùm feruore Spiritus emittuntur à Christo. 96. *Surge, Aquilo, & veni Auster.* Vnus Spiritus; id est, quia Aquilo atque Auster sunt diuersa vocabula, vnius Spiritus sancti insinuat dona: Aquilo dum æstuantibus refrigeria præbet; Auster dum duros, ad credendum vel benefaciendum resoluit. Aquilonem autem in bonam partem poni Psalmista docet, *mons Sion latera Aquilonis ciuitas Regis magni.* Et rursum Ezechiel Propheta: *Est super me manus Domini, & vidi, & ecce Spiritus fulgens veniebat ab Aquilone.* Et quoniam in duobus vnus aduertitur, non ait, perflate, sed *perfla hortum meum & fluant aromata illius*; inspira credentem populum & redundent bona opera eius.

Aquilo & Auster mystice quid.

Psalm. 47.

Ezech. 2.

CAPVT V.

97. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Ingrediatur in Ecclesiam suam & delectetur in operibus Sanctorum suorum: vel, pascatur à Fidelibus, in pauperibus, retributurus pro temporalibus regnum æternum. 98. *Veni in hortum meum soror mea.*

Festina

Festina ad regnum meum plebs nomine meo ditata; *so-*
ror mea, de sanguine meo; *sponsa mea*, in fide mea, sicut
Os. 2. d. & Oseas Propheta dicit: *Desponsabo te mihi in fide.* 99. *Mes-* A
sui myrrham meam cum aromatibus meis. Suscipe qui pro-
pter me passi vel mortui sunt, cum meritis eorum, Mar-
Martyrum merua. tyres meos. 100. *Comede fauum, cum melle meo:* Eos qui te-
nera vel vehementiore doctrina Veteris & Noui Testa-
menti eruditi sunt, suscipe in corpore meo. 101. *Comedi-*
te amici, & bibite. Dicit Dominus in Euangelio ad Apo-
Ioh. 15. c. stolos, *Iam non dico vos seruos sed amicos.* Petro autem Apo-
Act. 10. stolo in illo vase de cœlis emisso, in quo ei diuersa gene-
ra animalium sunt ostensa, dictum est: *Petre macta & mā-*
duca; id est mortifica quod sunt, & quod ipse es, effice.
Ergo comedite amici & bibite: Sit vobis lætitia de con-
uersatione populorum in vestram transeuntium vnita-
tem. 102. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Propter Chri-
stum mori paratus sum, sed post mortem cum ipso re- B
gnaturum me esse credo. Ego etiam à temporalibus de-
lectationibus, consopitis quodammodò sensibus, con-
quiesco; sed futura desidero, æternáque conquiro.
Apoc. 3. 103. *Vox dilecti pulsantis.* Dicit in Apocalypsi ipse Domi-
nus; *ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi introibo*
cum illo & cœnabo cum ipso, & ipse mecum. Pulsat Dominus
quando quæ bona sunt, vel per doctrinam docet vel oc-
culta inspiratione sanctorum corda ad benefaciendum
instigat. Vel hæc est vox pulsantis in Euangelio; *Venite ad*
Math. 11. *me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*
104. *Aperi mihi soror mea, amica mea.* Aperiri sibi petit
Christus vel obedientia infidelium, vel in fide Gentium
vocatarum. Tunc enim ostium illi aperitur, quando ea
quæ præcepit, adimplentur: vel quando in his qui cre-
Ecclesia est Christi soror. diderunt, ei per fidem introitus reseratur. Soror Christi, C
est Ecclesia de sanguine eius: *Amica*, quia per mortem
eius reconciliata: *columba*, de Spiritu sancto, immacula-
ta baptismi sacramento. 105. *Quia caput meum plenum est.*
Hi qui principali honore in Ecclesia præeminere viden-
tur, quasi caput in Christi corpore aduertuntur; & qui
in ipsa fidelium congregatione sacramenta visibilia ad-
ministrant, veluti cincinni describuntur. Sed quia ple-
rúmque mortales homines, vitiis vel tenebrarum operi-
bus inficiuntur; Hi ergo velut guttis noctium prægra-
Phil. 1. c. uati, Christo quasi capiti adhærere videntur. Sed de qui-
busdam Apostolus ait, *Ipsi Christum non sincerè annunciant:*
Propterea vox Sponsæ, velut pro talibus ingemiscentis,
subsequitur. 106. *Spoliaui me tunica mea:* Veniens ad fi-
dem, veterem hominem secundùm pristinam conuersa- D
Ephes. 4. f. tionem deposui, *& indui Nouum qui secundùm Deum crea-*
tus est. Si quid etiam contagij dum in terrenis gradior,
pedibus meis accessit Christo lauante ablutum est; &
Ministri Sacramentorum vitiis infecti, non sine mærore conspiciuntur ab Ecclesia. tunc ministros sacramentorum per quos ornari debeo,
carnalibus infectos vitiis non sine mærore conspicio.
Et idcirco quia malis quibus renunciaueram, in quorun-
dam præuaricatione me fuscari persentio: *spoliaui me tu-*
nica mea, quomodo induar illa! Laui pedes meos, quomodo inqui-
nabo eos! Lugubri corde pronuntio, tanquam apertiùs
loquens: Nunquid condecet vt vestibus peccatorum
quibus credens me exui, iterum induar? Aut sordibus
quibus abluta sum, rursus malè viuendo inquinari me
patiar? vel si oportet vt à profectu ad defectum, vel à
nitore iustitiæ ad peccatorum nigredinem malè con- E
uersando regrediar? 107. *Dilectus meus misit manum suam.*
Misit manum suam *per foramen*, quando me per Passio-
num angustias transire perdocuit: *& venter meus contur-*
batus est ad tactum eius, quando imminente persecutione
infirmiores mei conturbati contremuerunt acerbitate
pœnarum quæ mihi illatæ sunt ex permissu eius. Tactus
autem iste, aduenientis plagæ intelligitur cruciatus, se-
Iob. 1. cundùm illud in Iob, dicente Satana ad Dominum:
Alioqui tange ossa & carnem eius, nisi in faciem benedixerit tibi.
108. *Surrexi vt aperirem dilecto meo.* Euigilans corde Chri-
stum confessa sum nec deterrita suppliciis corporalibus
in Passionibus & in operibus meis, Confessorum mor-
Psal. 115. a. tificatio, & in electis apparuit: *In conspectu Domini mors pre-*
ciosa sanctorum. 109. *Pessulum ostij mei aperui.* Omni dubie-
tate remota, Christo credidi; cumque ineffabili amore
A dilexi, & clara voce in nationibus prædicaui, atque vt
mihi adesset in tribulationibus inuocaui. 110. *At ille de-*
clinauerat. In hoc quasi declinauit atque transiuit, cùm
me persequentibus tradidit & iniquis; & vt in meum
corpus desæuirent, ipse permisit. 111. *Anima mea liquefa-*
cta est. Promissiones eius audiens æstuaui desiderio, quā-
do beatos esse *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,* *Math. 5.*
quoniam ipsorum est regnum cælorum, eodem promittente
cognoui. 112. *Quæsiui & non inueni illum.* Sic in conculca-
tione malignantium derelicta sum quasi auxiliator non
esset; & qui ab inimicis defenderet, subuenire non pos-
set, sicut & beatus Iob in Passione positus dixit: *Clamo ad* *Iob. 30. c.*
te & non exaudis me, & non respicis me; immutatus es mihi in
crudelem, & in furore manus tuæ aduersaris mihi. 113. *Inuenerunt*
B *me custodes.* Comprehenderunt me sæculi potestates, qui
quasi Rempublicam regere noscuntur. 114. *Percusserunt,*
vulnerarunt me plagis. Et suppliciis in corpore meo debac-
chati sunt; & onerantes vinculis, in carceribus conclu-
serunt. Prolongantes exquisitis cruciatibus vitam nec
mortem celeriter inferentes, ne faciliter ab illatis pœ-
nis exui possem. 115. *Tulerunt pallium meum.* Etenim quan- *Altaria euersa, & Libri sacri, exusti.*
do Ecclesias ad solum vsque demoliti sunt, & altaria si-
mul cum Euangeliis & cæteris libris Canonicis, ignibus
cremauerunt; quando sacerdotes concluserunt ad me-
talla condemnatos, quando nec sacrificandi locus, nec
baptizandi libertas, nec communicandi est attributa li-
centia. Cum hæc omnia persecutores agerent, tunc quo-
dammodo sponsæ Christi; id est, Ecclesiæ, quasi quoddā
pallium abstulerunt. 116. *Adiuro vos filiæ Ierusalem.* Sāctos
C quosque coniurat si per istas tribulationes, ad ipsum, cō-
tempta vita Mundi perueniant; vt insinuent Ecclesiam
in his persecutionibus constitutā, ineffabili circa Deum
dilectione feruentem, nec tantis & tam horrendis angu-
stiis vllo modo frigescentem. 117. *Qualis est dilectus tuus?*
Vox interrogantiū electorum, & fidem Ecclesiæ ex eius
responsione inquirētium. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?*
id est, qualis est Deus ex Deo, vel filius à Patre? in simili-
tudine, omnium æqualitatem declarans personarū: Qui
enim non discernuntur in vnius esse Naturæ, & in eadē
permanere creduntur gloria maiestatis. 118. *Dilectus can-*
didus & rubicundus. Candidus quia *in principio erat Verbum,*
& Deus erat Verbum. Rubicundus; quia ex Virgine geni- *Ioh. 1.*
tus, *Verbum caro factum est & habitauit in nobis.* Candidus in
D Virginitate, rubicundus in Passione; sicut & Propheta
de eodem dicit: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus* *Isa. 63.*
de Bosra? Edom, sanguis interpretatur; & idcirco ab effu-
sione sanguinis rubicundis. *Iste formosus in stola sua gradiens*
in multitudine fortitudinis suæ. Electus ex milibus. Ipse est de
quo in Psalmis; *Quis similis erit Deo inter filios Dei:* Et iterum *Psalm. 44.*
Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.
119. *Caput eius, aurum optimum.* Legimus in Apostolo: *Caput* *1. Cor. 11.*
viri, Christus; Caput autē mulieris, vir, Caput verò Christi, Deus:
Et ideò sicut in metallis nihil simile auro, ita nec in crea-
turis quicquam comparabitur Creatori. Est autem caput
Christi, Deus, secundùm quod paulò ante ex Euangelio
cōmemorauimus, *In principio erat Verbū,* &c. 120. *Comæ eius*
sicut elatæ palmarum. Hi equidem sancti, capiti suo; id est,
E Christo, adhærere noscuntur qui in similitudine corui,
se peccatores agnoscunt: De quibus est ille qui dicit; *si*
iustum me voluerim facere coram te, os meum condemnabit me. Et *Iob. 9. c.*
rursum alius; *Quoniam iniquitatem ego agnosco.* Et consona *Psal. 50.*
voce Ioannes cum Electis pronunciat: *si dixerimus, quia* *1. Ioh. 1.*
peccatū non habemus, nos ipsis seducimus et veritas in nobis nō est;
si verò confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est qui no-
bis peccata dimittat & mundet nos ab omni iniquitate. Similiter
& Paulus: *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores sal-* *1. Tim. 1.*
uos facere, quorum primus ego sum. Et quia *omnis*, secundùm *Mat. 23.*
Euangelium, *qui se humiliat & exaltabitur*; hi qui se confes- *Luc. 14 & 18.*
sione peccati deijciunt, secūdùm quod in hoc libro scri-
bitur, palmarum proceritati non immeritò comparan-
tur. 121. *Oculi eius sicut columbæ.* Spiritu sancto repleti,

Electi eius absque vllo felle amaritudinis permanent,& Scripturarum riuulis populum imbuunt. 122. *Quæ lacte sunt lota.* Exinde mundiores effecti, quia Christum in carne natum,fide non dubia credunt;& Sacramento visibili se renatos,ablutos & nutritos agnoscunt: resident iuxta fluenta plenissima; id est, inter sancti Spiritus affluentissima dona. 123. *Genæ illius sicut areolæ aromatum.* Sicut enim in oculis columbarum, iure Apostolos accipimus Spiritu sancto repletos; ita & in genis quæ vicinæ sunt oculis, eas Ecclesias quæ per Apostolos crediderũt quæ velut areolæ aromatũ, suauissimuũ odorẽ ex sancta conuersatione producunt: *consitæ a pigmentariis*; piis scilicet prædicatoribus,ad quos Apostolus ait: (Rom. 11.) *Tu autem cũ oleaster esses,insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es.* 124. *Labia illius distillantia myrrham.* Doctores eius Spiritu vel etiam carne Virginis; in hócque Passionem eius prædicantes, vt pro illo qui pro nobis mortuus es non recusent mortem. 125. *Manus illius tornatiles aureæ.* In manibus Christi deputantur, qui ea quæ bona sunt operari non desinũt. Idcircò *tornatiles aureæ*, quia ad omne opus bonum semper paratæ: *plenæ hyacinthis*, secũdùm illud Apostoli; (1. Tim. 6.) *Diuites in operibus bonis, facilè tribuentes, & thesaurisantes sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant veram vitam.* 126. *Venter eius eburneus.* In ventre ipsius deputantur,qui credentes in fide parturiũt; & eburneus etiam ipse venter,fons baptismi ex quo renascimur,non inconuenienter accipitur: & quia eboris, defuncti animantis speciosa & incorruptibilia ossa noscuntur; propterea nobis ab Apostolo dicitur: (Gal. 3.) *An ignoratis, quia quicumque baptisati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptisati sumus? Consepulti enim sumus cum illo in baptismum per mortẽ, vt quomodò surrexit Christus per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Distinctus Sapphyris*; adornatus, ex se progenitis & in confessione clarissimis Sanctis. 127. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Crura quæ totum corpus baiulant, ipsi sunt sancti qui domum Ecclesiæ; & velut marmoreæ columnæ fundatæ super bases aureas describuntur. Hi enim iusti qui cæteros charitate supportant, & Scripturarum consolationibus fulciunt, sicut ait Apostolus: (Rom. 15.) *Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Et paulò post, tanquam bases aureas Scripturas sanctas insinuat dicens: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* 128. *Species eius vt Libani; electus vt Cedri.* Omnes sancti qui suauissimum odorem ex bona conuersatione dederunt, & in incorruptionis integritate perdurant; Deo authore, tantorum bonorũ gratiam perceperunt. 129. *Guttur illius suauissimum.* Hi qui mysteria eius exponunt, & in Lege ipsius quotidiè meditantur, in sacra Doctrina saporem suauissimum administrant. (1. Ioh. 3.) *Et totus desiderabilis*, vbi illud adimplebitur quod beatus Ioannes in Epistola sua dicit: *Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus & videbimus eum sicuti est.* 130. *Talis est dilectus meus:* Ad has gratiarum varietates, & ad ista mysteriorum ornamenta iustos intendere persuadet, cùm Sponsi decorem in eius membris contemplandum insinuat. 131. *Quo abiit dilectus tuus.* Tanquàm scrutantes atque dicentes: quia tantam pulchritudinem eius exposuisti, vt ad quærendum eum, nostrum cor ardens efficeretur; nunc ostende quò abierit, vel vbi declinauerit. Bene autem appellatur Ecclesia virgo, *pulcherrima mulierum*, quia de ea Paulus sic Fidelibus loquitur: (2. Cor. 11.) *Despondi vos vni viro, vt virginem castam exhiberem Christo.* Et congruè de ipso dicunt; *Quo abiit, quo declinauit dilectus tuus?* Declinauit enim quodammodò (Phil. 2.) *cùm in forma Dei esset & non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Igitur qui excelsum quæsierit in forma Dei, non eum reperiet nisi credat in formam serui; in qua, se idcircò humiliauit vt nos iacentes erigeret.

CAP. VI.

132. *Dilectus meus descendit ad hortum.* Descendit ad hortum suũ, quando visitauit in Aduentu suo, Israël populum suum, sicut ipse ait: (Matth. 10.) *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Areolam autem aromatis, ipsam sanctam Mariam virginem intelligendam accipimus; ex ea quippe nobis ordo iustitiæ ortus est Dominus Iesus Christus. 133. *Vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Vt regnet in gentibus, vel in Ecclesiis delectetur; vt ex eis Virgines vel sanctos quosque assumat. 134. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi:* Ego, Christi regnum & ille Rex meus: ego, corpus ipsius; & ipse, caput meum. *Pascitur inter lilia*; cùm in corde Virginum requiescit, vel cùm illic per gratiam quam ipse tribuit, quotidie augetur & proficit. 135. *Pulchra es amica mea, pulchra,* &c. Pulchra per iustitiam; suauis & amica; quia semper pacifica, decora sicut Ierusalem. Dicit Dominus in Euangelio: (Matth. 22. Luc. 20.) *In Resurrectione non nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælo.* Meritò autem Ecclesia, sicut Ierusalem decora describitur, cui in æternum similitudo Angelorum à Domino condonatur. 136. *Terribilis sicut castrorum acies.* (Ecclesia acies in persequutionibus.) Quanti tyranni & persequutores vna cum authore suo diabolo, conati sunt Ecclesiæ virtutem dirumpere; & præualere nullo modo potuerunt. Habet enim sancta Ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando imminente Christo, nec Martyres, persecutio; nec Virgines carnalis delectatio; nec misericordes, cupiditas; nec humiles, temporalis gloriæ deuincit ambitio. 137. *Verte oculos tuos a me, quia.* (Cur Christus ascendit in cælum.) Nõ me semper in corpore conspiciendum requiras, quem Spiritu per fidem meliùs cernis. Idcirco etenim in cœlos ascendi, vt non semper localis tibi appaream qui sic omnia (diuinitatis meæ præsentia) repleo, vt vbique adsim, cunctáque contineam & à nullo loco continear. 138. *Capilli tui sicut greges caprarum, dentes tui sicut greges ouium quæ omnes gemellis fœtibus: et sterilis sicut cortex mali punici.* Hos quatuor versus, bis in hoc loco constat esse descriptos, quos Deo donante iam in superiori loco tractauimus; in quibus tamen Iudæorum & Gentilium populos conuertẽdos cum geminæ dilectionis fructu prædixit, & Martyrum gloriam cum eorum meritis declarauit. 139. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ.* In sexagenario numero qui ascẽdente senario per denarium adimpletur, omnem bonorum perfectionem quæ ex legis præceptis cõsummatur, agnoscimus. Quemadmodum autẽ ipse Senarius, totis suis partibus constet, breuiter aduerte: nam sexta pars eius, vnum; tertia, duo; media autem, tria esse probatur: Vnum autem & duo & tria, sex esse quis nesciat? quod in alio numero, distributis partibus & in vnũ reductis, ita adimpleri difficilè inuenitur. Itaque *Reginæ*, perfectæ sanctorum animæ quæ non sunt peccatorum ancillæ, dicuntur: Sic enim scribitur; (1. Cor. 3. Gal. 4. d.) *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Concubinæ autem quæ sicut Agar, *in seruitutem generant*; in illis qui suscepto semine verbi Dei non spiritualia sed carnalia sapiunt, meritò deputantur. *Adolescentularum* autem quarum *non est numerus*, eorum est multitudo, qui, quæ semper sancta sunt audire parati sunt, nec tamen quæ audiunt, operibus adimplere contendunt, de quibus Apostolus dicit. (2. Tim. 3.) *Semper discentes, & nunquàm ad scientiam veritatis peruenientes.* Et licet ista sint genera hominum qui Christo tanquàm per doctrinam ipsius sociantur, attamen quia in electis non diuersitas sed vnitas commendatur, audi quid sequitur. 140. *Vna est columba mea, perfecta. Columba*, quia simplex est & spiritualiter sapit: *perfecta*, quia Mundum relinquens, me magis quàm temporalia aut se diligit, secundùm illud: (Matth. 19.) *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni et sequere me.* 141. *Vna est matris suæ electa* Matris suæ cœlestis Ierusalem, de qua Apostolus dicit: (Gal. 4.) *quæ autem sursum est Ierusalem, mater nostra est.* Vna est ergo illi, quia in futura beatitudine, ipsa tantummodò consociabitur illi. 142. *Viderunt illam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.* (Ecclesia etiã à carnalibus laudatur.) Quæ enim sanctæ sunt animæ, quæ Ecclesiam non miris laudibus efferunt, cum etiam nec concubinæ (id est, carnales) in eius præconio sileant, quando eam inuictam in Martyribus & victricem in Virginibus admirantur?

143. *Quæ est ista quæ progreditur quasi.* Consurgit quasi *aurora*, cùm spretis tenebrarum operibus, castè & sobriè A viuit in Coniugatis: *pulchra vt Luna*, cùm incontinentibus candido nitore resplendet: *electa vt Sol*; cum in Virginibus, perfectionis decore refulget, sicut illa bona terra in Euangelio, quæ suscepto in se semine verbi Dei, tricesimum & sexagesimum atque centesimum fructum fructum produxit: *Terribilis vt acies ordinata*: An non terribilis, quæ Gentium ritus Idolorúmq; cultus subuertit; & ipsa in fide Christi perdurans, à gentibus superari non potuit? Est & in eo terribilis multùm, cùm ei in Petro datur illa potestas, vbi dicitur: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Matth. 16. & 18.

144. *Descendi ad hortum nucum, vt viderem.* Hortus Nucum, Canonem veteris & noui Testamenti designat; Species enim nucum aliud ostendit in cortice, & aliud retinet in medulla: B Quòd si quis in Scripturis sanctis non discreuerit, & quodammodò velut in nucis corticibus interna non quæsierit, & ad partum spiritualis intelligentiæ peruenire non potest. Quod autem ait, *vt viderem poma conuallis*; vt viderem fructum humillimæ in Ecclesia plebis, sicut in Psalmis canitur: *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.*

Psal. 17.

145. *Vt inspicerem si floruissent vineæ.* Vt probarem si in tantùm profecisset Ecclesia vt germinarent in ea qui ad Martyrij perfectionem attingerent & rubicũdam, propter Christi sui sanguinis effusionem pulchri essent.

146. *Nesciui, anima mea conturbauit me.* Quid nesciuit Christus, nisi peccatum? Nesciuit etiam illos qui in Euangelio dicunt: *Domine, nónne in tuo nomine prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc* (inquit) *dicam illis*: Amen dico vobis, *quia nescio vos*: non quod eos, quales essent, nesciret, sed quia nihil boni ex C ipsis esse recognouit. *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Aminadab istum quoque in Christo genealogicè reperimus. Vnde & has quadrigas in bonã partem accipiendas esse cognoscimus; in quibus, Euangelistas non incongruè accipimus. Porrò autem quod ait, *Anima mea conturbauit me*; hæc conturbatio non est tranquillitati contraria, sed sollicitudini congruens reperitur, secundùm illud quod ad Martham *in Euangelio dicitur*: *Quid sollicita es & turbaris* erga plurima? Et in Psalmis: *Commouisti terram & conturbasti eam, sana contritiones eius quia mota est.* Vnde verò omnes Euangeliorum narrationes manant nisi per Spiritum sanctum, secundum illud Ezechielis Prophetæ; *quocùmque Spiritus ibat, illuc & rota pariter ferebantur?*

Matth. 7.

Luc. 10. Psal. 59.

Ezech. 1. & 10.

147. *Reuertere reuertere Sunamitis.* D Bis Sunamitem istam in libro Regum laudabili in loco reperimus constitutã: id est, tam illam quæ Dauid Regi in senectute ministrauit, & in eius complexu virgo quidem pulcherrima permansit; quàm etiam illam cuius Eliseus filium ex promissione natum & post hoc mortuum suscitauit. Quapropter in hoc nomine, sanctam Ecclesiam accipiendam esse quis dubitet? Frequenter verò ei, *Reuertere*, dicitur, quæ quondam in illo iuniore filio in regionem longinquam abiens auersa fuerat; tunc etenim reuersa est, quando ad Deum ex corde conuersa est. Aut idcircò tam crebro ei, *reuertere*, dicitur; vt etiam si conuersa deliquerit, in desperationem non decidat, sed à peccandi cõsuetudine, spei indulgentia resipiscat: E Quæ vox ad sanctos vtique comprobatur, qui conuersè pulchritudinem desiderant intueri.

4. Reg. 4.

3. Reg. 1.

Luc. 15.

CAPVT VII.

Ecclesia castra.

148. *Quid videbitis in Sunamite nisi.* Quid in Ecclesia intuendum est, nisi dispositio eorum qui semper in procinctu tanquàm in castris constituti, contra diabolum dimicare non cessant, idcircò vtique, ne Fideles fidem amittant; ne religiosi, apostatæ efficiantur eleuati; ne misericordes, auaritia obdurentur; ne pœnitentes reuertantur ad vomitum, ne virgines integritatis decore careant, ne continentes castimoniæ nitorem amittant? Hi sunt in Ecclesia chori castrorum iugiter in certamine constituti, & Deo muniente semper inuicti.

Rom. 10.

149. *Quàm pulchri sunt gressus tui.* Quàm admirandi profectus in his qui Verbum Dei annunciant in Ecclesia A Christi; sicut Apostolus scriptum in Propheta commemorat. *quam speciosi pedes Euangelizantium bona!* Et iterum ipse; *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.*

Ephes. 6.

150. *Iunctura femorum suorum.* Iuncturam femorum tuorum; ex Circuncisione & Præputio venientium societatem aduertimus populorum; & per id, tam illi qui ex semore Abraham secundùm carnem propagati sunt quàm illi qui in semine eius (id est, in Christo) meruerũt; cùm in vnitatem fidei copulantur, tanquàm monilia quę fabricata sunt manu artificis, describuntur. Quis enim artifex tanquàm monilia, hos in fide populos sociauit; nisi ille de quo Apostolus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum?*

Ephes. 2.

151. *Vmbiculus tuus crater tornatilis.* Hi qui non extremo sed in medio Ecclesiæ corpore commutantur, vmbiculus dicuntur. Crater tornatilis vasa sunt B vtilia in eo tornatilia, quia ad obediendum vel ad omne opus bonum parata, nunquam indigent poculis quia Spiritus sancti gratia semper repleta sunt.

152. *Venter tuus sicut aceruus tritici.* Qui semper sancta Scripturarum alimẽta percipiunt, & ea quæ sunt salutaria infra se congerunt; in ventris similitudine deputantur & hi velut aceruus tritici congestus meritò pronunciantur, quia ex doctrina sana ex qua quotidie replentur, multos affatim reficiunt quæ doctrina in tantùm proficit, vt etiam ad virginitatis obseruãtiam pijs persuasionibus multos adducat.

Virginitatis obseruantia.

153. *Duo vbera sicut duo hinnuli.* Duo testamẽta duobus hinnulis capreæ; id est, ex peccati traduce venientibus populis coaptata. Ex his enim operibus nutriuntur, qui originali peccato obnoxij, in Christo tanquam hinnuli, C renascuntur.

154. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Notitia Scripturarum, quæ frequenti meditatione conquiritur; velut turris eburnea, in colli pulchritudine designatur. Idcirco autem turris eburnea, quia qui verbo Dei assistunt, quotidiano profectu per nitorem iustitiæ in excelsiora proficiunt.

155. *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon.* Spirituales doctores tui constituti in porta in Christo, sicut aquæ irriguę ad erudiendos populos. Idcircò nãq; piscinæ, quia Spiritus sancti repleti sunt scientia. In alio libro etiã ipse Salomon dicit: *Extruxi piscinas aquarum, vt irrigarem syluas lignorum germinantium.*

Eccles. 2.

156. *Nasus tuus sicut turris Libani.* Nasus Ecclesiæ illi sunt qui odorem iustitiæ (qui est in Christo) percipientes, ad cordis interna traijciunt. Hi qui in magna virtute consistunt, sicut turris Libani disponuntur. Libanum autẽ, candorem esse iam D superiùs diximus: horũ proceritatis candor *respicit contra Damascum*, quia sapientia eorum quæ ex Deo est, illuminat Mundum.

157. *Caput tuum vt Carmelus, & coma.* In Carmelo monte, sancti Elias & Elisæus sæpe receptaculum habuere: quapropter in capite Ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo, quo sublimius vt est (tanquàm in monte Carmelo) & Iusti habitaculum; & multitudo populorum tanquam diuersitas animalium sapientiæ percipiunt alimentum. *Coma capitis* istius, *sicut purpura Regis iuncta canalibus*: Eminẽtiores quippe sancti; beati videlicet martyres Christi, consimilati per purpuram regalibus ornamentis, & salutaribus semper copulati intelliguntur doctrinis.

3. Reg. 18.

158. *Statura tua assimilata est Palmæ.* Perfectio tua peruenit ad præmium, & Doctores tui dulces effecti E sunt per Spiritum sanctum.

159. *Dixi, ascendam in Palmam.* Illi in Palmam ascendunt, qui in Christi Cruce proficiunt, de quibus Apostolus dicit: *qui in Christo sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Ipsi autem, fructus huius Palmæ (sanctæ Crucis) præmia consequuntur, qui illud; *si tamen compatimur vt & glorificemur*; cum eodem Apostolo dicunt.

Rom. 8.

160. *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Nec etenim alij reperiuntur, qui nascentes in fide enutriant, nisi Doctores Ecclesiæ.

161. *Et odores tui sicut malorũ.* Et suauitas eruditionis tuæ per eos propagabitur, qui sobriè & iustè viuendo odorem bonæ conuersationis propinare non desinunt.

162. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Possunt etiam in gutture illi sancti intelligi per quos Lex & Prophetæ &

Euangelica doctrina pronunciata est: quę vtrique sancta Scriptura eximio sapore prædita, vt vinum optimum redolet ac resplendet, & per Spiritum sanctum potantes inebriat. 163. *Dignum dilecto meo potandum.* De hac sacra Scriptura Christi potant, cum ex ea Christiani qui sunt membra ipsius, miris modis & incomparabili dulcedine satiantur. 164. *Labijsque & dentibus illius ad ruminandum.* Labia & dentes Christi Doctores Ecclesiæ: hi quod sanctum est ruminare nō desinunt, cum ea quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, quotidiè meditantur.

Psal. 62. c. Psal. 78. Isa. 65. d. Ioan. 1.

165. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Huic dilecto, ex voce Ecclesiæ dicitur: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera.* Videamus & alibi, quomodò ipsa dilecto suo loquatur: *Nos autem populus tuus, & oues gregis tui.* Et, quomodò *ad me conuersio eius*: dicit Propheta: *Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego exaudiam,* dicit Dominus. Sed nulla est ad Ecclesiam tam euidens Christi conuersio, nisi eùm *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* 166. *Veni dilecte mi, egrediamur.* Egreditur Christus cum Ecclesia in agro, quando cum sanctis prædictis visitat Mundum, sicut in Euangelio scriptum est: *Qui seminat bonū semen, est Filius hominis;* ager, est Mundus, *Commoremur in villis;* in populis credētibus circumquaque diffusis, in quibus Christus per fidem habitat; non sine Ecclesia, cùm eosdem ipsos in suis membris reputans, suam efficit Ecclesiam. 167. *Manè surgamus ad vineas.* Vt animæ quæ per fidem coli iam meruerunt, in matutinis Christum resurrexisse cognoscant, ne vltra de sui corporis Resurrectione diffidant. 168. *Videamus si floruit vinea.* Appareat, si fideles, quæ corde crediderunt ore pronuncient, sicut Apostolus ait; *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* vel si flores, si fructus parturiunt, si in eis per sancta desideria pietatis opera prodierunt. 169. *Si floruerunt mala punica.* Si illi qui in Christo crediderunt, in tanta dilectione proficiunt vt etiam occidi pro ipso omnibus modis delectētur. Vis videre malum punicum? audi in Actibus Apostolorum, Paulum Apostolum: *Ego,* inquit, *non solùm iudicari in Ierusalem, sed & mori pro Christo paratus sum.* 170. *Ibi dabo tibi vbera tua.* In hac sancta confessione sociabūtur tibi Doctores mei, comparati vt patiantur pro te, qui quoque sine fine regnabunt apud te. 171. *Mandragoræ dederūt odorem.* Hi qui alta radice in fide fundati sunt, & quadam disciplinæ vel parsimoniæ austeritate vigere noscuntur; publicis prædicationibus populos instruxerunt, odorem suauitatis ex conuersatione sanctissima propinantes. 172. *Omnia poma noua & vetera.* Quoniam tam in Patriarchis & Prophetis quam in Apostolis & Martyribus, ego ipse noua & vetera seruaui tibi; quia illi te pronunciauerunt & crediderunt venturum, isti prædicare non desinunt ex Virgine natum ac pro salute omnium passum, & post Resurrectionem in cœlos assumptum.

(Matth. 13. Marc. 14. Rom. 10. Act. 21.)

CAPVT VIII.

173. *Quis mihi det te fratrem meum.* Sugit vbera matris Christus cū mysterijs priscæ Legis reficitur Christianus populus, vel cùm cum spiritualibus sacramentis Doctores, & pijssima expositione, tanquàm vero lacte reficiūt.

174. *Vt inueniam te foras & osculer.* Vt te, inquit, quem veteris Testamenti figuræ tegebant; per Euāgelium, ego in veritate reperiā. Et bene ait: Te foris inueniam, quia illi Iuniori filio de regione longinqua redeunti, pater in occursum regressus est: *vt deosculer te,* inquit, vt tibi reconciliari merear; *& iam nemo me despiciet;* videlicet vt non dicatur Petro, pro Cornelio quem gratia Spiritus sancti præuenerat; *Quare introisti ad viros præputium habētes, & manducasti cum illis?* sed ipse Petrus pronunciet; *In veritate comperio, quoniam personarum acceptio non est apud Deum, sed in omni loco, & in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* 175. *Apprehendam te, & ducam te.* Cùm enim te apprehendero tibique per fidem adhæsero; restat vt *introducam te in domum Matris meæ;* in congregationem videlicet Ierusalem, illuc vtrique te introducam, quādo cum omnibus bonis quæ per tuam gratiam consequuta sum etiam ipsa perduci eò: hoc est, ad cœlestem Hierosolymam meruero. 176. *Ibi me docebis, & dabo tibi poculum.* Ibi me docebis vt iam non *in ænigmate per speculum,* sed *facie ad faciem* videam; & non *ex parte* sicut *nunc,* sed *tunc cognoscam, sicut & cognitus sum,* vt ille ait. *Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malo granatorum meorum;* quando optimos & dulcissimos protulero martyrum & sanctorum fructus, & filij hominum qui in vmbra alarum tuarum sperant, *inebriabūtur à pinguedine domus tuæ, & Torrente deliciarum tuarum potabis eos.*

(Luc. 15. Act. 11. e. 1. Cor. 13. d. Psal. 35. a.)

177. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Adiuro vos, filiæ Ierusalem:* Hæc quæ in hoc loco scripta sunt, in superioribus iam prædicta, & Christo illuminante reperiuntur exposita. Sed idcirco arbitror iteratò in hoc libro conscripta, vt vehementiùs cordi insideant; & bis insinuata, viuaciori memoria renouentur. Hæc iubent spernenda temporalia, & infrà nos posita, velut sinistram sub capite constitutam edocent; & cœlestem gloriā quæ nos ex superiori parte, tanquàm dextera complexatur, expectandam admonent: vel illud; vt seruituti Domino, voluntarij non inuiti quæ sunt sancta perficiant, secundùm quod Petrus Apostolus docet; *pascite qui in vobis est gregem Dei, non coacti sed spontanei.*

178. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto:* Benè de deserto ascendere describitur, cui Propheta dicit; *Pro eò quòd fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui pertransiret, &c.* De cuius etiam filijs in Psalmo canitur: *Errauerunt in solitudine, in siccitate, viam ciuitatis habitationis non inuenerunt; Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit; & clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos & deduxit eos per viam rectam vt irent in ciuitatem habitationis.* Idcirco sequitur. 179. *Delicijs affluens.* Vnde & populus Israël è deserto egrediens, in Terram promissionis lacte & melle fluentem ingreditur: & ille Filius qui de siliquis porcorum pasci cupiens saturari non poterat, ad conuiuium quod de pingui occiso vitulo Pater præparauit reficiendus inducitur. Has delicias à deserto veniens Ecclesia, in Christo multiplices reperit: & *nixa super dilectum* scribitur, quia ad ipsam per Prophetam idem dilectus dicit; *Ego feci, ego feram, ego portabo, & ego saluabo.* 180. *Sub arbore Mali suscitaui vos.* In odorifero Crucis patibulo vbi ego occubui, illic te à peccatorum interitu suscitaui, quando te credentem signo Crucis prænotare præcipio.

(1. Petr. 5. Isa. 60. e. Psal. 10. Isa. 46. a. Signo Crucis prænotari.)

181. *Ibi corrupta est mater tua.* Vbi tu per meam mortem suscitari meruisti, illic per suam impietatem synagoga capta est quando *crucifige* clamabat; &, *sanguis huius super nos, & super filios nostros,* Pilato iudicante, respondit.

182. *Pone me, vt signaculum:* Ita vt cum Psalmista dicere possis, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quoniam quæcumque signata sunt, facile temerari non possunt; sic recipe fidem meam vt eam integram illibatámque custodias, & quem per Crucis signaculum accepisti thesaurum iustitiæ quem in te contuli, à nullo fore contingendum vllo modo pertimescas. 183. *Vt signaculum pone me.* Primitùs super cor, inde super brachium signaculum superponendum intellige; id est, vt tam in cogitatione quàm in opere, ad meum signum accurras: ac te, per hoc, non alterius sed mei esse demonstres; méque contutante, integra perseueres. 184. *Quia fortis vt mors dilectio tua.* In tantùm dilexi te, vt mori voluerim pro te; & hæc erat fortitudo amoris, acerbitas mortis. *Dura* autem *sicut* Inferus æmulatio; vt sancti quoque econtrariò pro Christo occidi non metuant, quem pro sua salute mortem suscepisse sine dubio cognouerunt.

(Luc. 23. e. Psal. 4. Rom. 8.)

185. *Lampades eius, lampades ignis.* Vasa in quibus castitas habitat, semper sunt splendida & Spiritus sancti igne feruentia.

86. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem,* nec flumina obruent illam, nec tribulationes; nullæ quamlibet validæ persecutiones, dilectionem quæ est ex Deo vel circa Deum, perturbare vel vincere possunt, secundum illud quod Apostolus dicit: *Quis nos separabit à charitate*

A *tate Christi? an tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius, an periculum? certus sum enim, quia neque* 1. Cor 15. b *mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque excelsum, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

187. *Si dederit homo omnem substantiam.* Tanquàm dicat: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeã, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Hac enim nihil preciosius, vt Ioannes Apostolus ait: *Quia Deus charitas est; & qui manet in charitate in Deo manet.*

188. *Soror nostra parua, & vbera non habet.* Ecclesia ex gentibus veniens, rudis adhuc ad credendum, & necdum prædita viris eruditis ad docendum, secundùm 1. Cor. 3. quòd Apostolus loquitur: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi,* B *non escam, nondum enim poteratis, sed nec quidem adhuc potestis,* 1. Cor. 6. a *adhuc enim estis carnales.* Et alibi: *sæcularia iudicia si habueritis; contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicãdum: Ad verecundiam vestram dico; si non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum?* Dum eos in tanta pusillanimitate redarguit, vtique adhuc pusillam in fide, & nec dum spiritualibus nutrimentis habilem plebem ostendit.

189. *Quid faciemus sorori nostræ?* Quemadmodum disponemus Ecclesiam, tẽpore quo ad fidem vocanda est?

190. *Si murus est, ædificemus super eum.* Qui cœperunt in fide crescere & ita stabiliri vt robore suo infirmos quosque commoneant; suscepto honoris priuilegio, ad cæteros docendos instituantur, secundùm quod Paulus C 2. Tim. 2. ad Timotheum: *Hæc commenda fidelibus qui idonei erunt & alios docere.* Et iterum ad Titum: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui.* Dum ista sic in Ecclesia disponuntur, tanquam propugnacula argentea muris adijciuntur.

Psal. 140. 191. *Si ostium est, compingamus.* Dicit Propheta in Psalmis: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis:* Itaque si est quis idoneus ad loquendum, & velut ostium quod aperitur & clauditur; tempus loquendi vel tacendi intelligit, hoc tale ostium tabulis cedrinis compingamus, vt dum odoriferum lignum in Gal. 6. se suscepit, cum Paulo dicere possit; *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

192. *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Vox Ecclesiæ est, tam in fide quàm pro fide proficientis: *Ego murus;* quia ipse ædificauit me qui fortissimus pugnat pro me. *Et vbera mea sicut turris:* construente Deo, proceritate iustitiæ creuerunt; & in me paruulos qui in Christo sunt, nutriunt; & donec ad perfectionis cibum perueniant, eos educare non desinunt, quoadúsque eis voce sapientiæ dicatur: *Relinquite infantiam, & venite ambulare per vias prudentiæ.*

193. *Ex quo facta sum coram eo.* Ex quo Christo pacem reperi, ex eo & murorum præsidia, & turrium propugnacula cum decore suscepi, cum eis ab eo qui me condidit ciuitas esse promerui, habens munimenta in sanctis, & decorem retinens in Electis.

194. *Vinea fuit pacifico.* Cultura assidua adhibita est à A Christo in Ecclesia quæ illos habet populos de quibus Psal. 91. in Psalmis canitur: *Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri florebunt. Tradit eam custodibus:* Commisit eam regendam Apostolis vel successoribus eorum Episcopis. Ad quam sub nomine Ierusalem, dicit Dominus per Prophetam: Isa. 2. *Super te & super muros tuos posui custodes tuos, tota die & nocte, vsque in finem non tacebunt.*

195. *Vir adfert fructus eius mille argenteos.* Christus de quo Zach. 6. c Propheta dicit; *Ecce vir, Oriens nomen eius;* compensat re- Compensatio gnum cœlorum pro sanctis laboribus vel eleemosynis, regni cœlorum Secundùm illud quod in Euangelio dicitur: *Venite bene-* pro eleemosynis. *dicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab ori-* Matth. 25. *gine Mundi, quia esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes fui & collegistis me, nudus & ope-* 1. Thes. 4. B *ruistis me, infirmus & in carcere & venistis ad me.* In mille autem argẽteis plenitudo totius remunerationis ostenditur, & merces consummata iustorum.

196. *Vinea mea coram me est.* Secundùm quod in Psalmis canitur; *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum:* Dicit etiam Apostolus; *Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi deinde nos qui viuimus qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Igitur quia semper post resurrectionem sancti cum Domino sunt; idcirco Dominus dicit, *Vinea mea coram me est.*

197. *Mille tibi pacifici & ducenti his.* Duodecim quippe, si per centenum numerum amplientur, mille ducentos C efficiunt; qui numerus, vtique Apostolis vel Apostolicis viris qui ex eis spiritualiter per Euangelium in Christo sunt geniti, conuenit; qui in summa perfectione constituti, tanquàm illa terra optima per centesimum fructum Authori suo respondet. Hi quoq; pacifici (id est, Christi Discipuli) meritò describuntur, simul quia ipsi Ecclesiæ fructus custodiunt, vel malos foris doctrinæ suæ voce deterrent, vel suis orationibus, de improbis canibus & bestiarum morsibus, Ecclesiam quam Christus plantauit, defensare non cessant.

198. *Quæ habitas in hortis.* Quæ redundas in populis sub cultu iustitiæ constitutis, vel doctrinæ spiritualis aqua semper irriguis.

199. *Amice ausculta, fac me audire.* Dicit in Euangelio Dominus Discipulis suis, *Iam non dicam vos seruos sed ami-* D *cos:* Et iterum; *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem* Ioan. 15. *sponsi, qui stat in audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ioan. 3. d *Fac me audire vocem tuam:* illam vtique, quam remuneran- Matth. 28. dis Fidelibus dicis; *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, in gaudium Domini tui.*

200. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinulóque ceruorum super montes aromatum.* Qui conuersatus es nobiscum in terris, pronus regredere ad superna. Sicque ascendens in excelsis, qui nunc appares obtutibus carnis; adesto semper oculis cordis vt te in fide retineamus quem aspectu non cernimus. Assimilare capreæ hinulóque ceruorum, quia tu es qui carnem suscepisti mortalium, & saltu celeri omnes altitudines transcendisti cœlorum. *Super montes aromatum;* excelsior existens super omnem gloriam Angelorum.

DE APONIO, ET EIVS COMMENTARIIS IN CANTICA CANTICORVM, EX EPISTOLA DEDICATORIA IOANNIS FABRI, ad R. in Christo Patrem Adamum, Cœnobij S. Petri in Hercinia Sylua Abbatem.



VTOR hic deprauatissimè transcriptus & sui dissimilior factus, magis nunc mutilus in lucem prodire cogitur: Ita tamen restitutus, vt pauca sint, & ea etiam parum ad rem facientia, quæ desiderentur: quæ quidem pauca suis locis, signis quibusdam notata indicauimus. Quanto autem sudore id sit partum; ex vno aut altero loco notum Lectori facere duximus necesse. Folio xvij. pagina ij. linea vij. habes; In quo curru cariosum fragilémque temonem Iudam aptauit, primum omnium laqueis confringendum: *Hoc ita nos metaphoræ insistentes reddidimus; quod tamen peruetustus ille codex sic referebat:* In quo crucis curiosum fragilémque timorem Iudæ aptauit primum omnium laqueos eius confringendo. *Plura huiusmodi recensuerimus, nisi breuitatis gratia omitteremus. Atque vtinam simul cum his liceret, omnibus Lectoribus exhibere vetusti exemplaris copiam certò scio neminem non affirmaturum me quasi è luto aurum eruisse. In eo tamen castigando non parum iuuit nos Lucæ cuiusdam, Abbatis montis sancti Cornelij, ordinis diui Benedicti, epitome; qua horum Commentariorum quasi epilogos aut summariola (vt ita loquar) Autoris, etiam verbis non immutatis, licet plerisq; in locis minus appositè nimisque succinctè conscripsit: quam à fine libri sexti commentariorum Aponij, ad finē Canticorum hic adiungendam duximus; vt quod de Autoris commentarijs (qui prolixiùs, venustiúsque omnia tractat) desideraretur, ex ea præcipuis sententijs nactis, substitueretur; ne saltem rerum gustus Lectori deesset. Neque tamen eiusdem Lucæ omnia addenda iudicauimus, maxime quæ initio erant: quod pleraque mutila, deprauatáque omnino essent (non enim minùs corrupta quàm ipse Autor, ad nos peruenere) tum quod nō alijs nisi Aponij verbis, idque frustulatim, vteretur: Denique ne idem sæpius repetitum censeri posset. At cùm ipsius exemplar deprehenderimus emaculatius circa finem (erat enim non ab vno scriptum) Aponij verò ad finem Canticorū non deductum; statuimus non omittenda. Iuuerunt etiam nos nonnihil Angelomi in Cantica commentaria: qui inter cætera, nostri quoque Aponij sententias plerumque interserit. Potissimum tamen hoc labori nostro profuit, quod Author hic noster in re ista tam sacra, tanta vsus fidelitate ac vehemētia, tanto ardore seu potiùs totius cordis* Ἐνθουσιασμῷ *(vt ita dicam) hanc suam operam quasi inculcare & penitus in intima animæ viscera inserere conatur, vt eadē sæpiuscule, appositè omnia, repetisse non ineptè conspiciatur; quo abstrusa illa arduáq; Canticorum mysteria dilucidiùs proderet, nec quicquam quod ad ea intelligenda conferret, omitteret. In quo, hoc quoque commodi nanciscetur Lector, quòd permulta alia Scripturæ loca obscuriora, eruditè enucleata deprehendet. Prætereà hæc etiam aduertenda: Primum, multas in eo esse locutiones ad Græcam imitationem; vt quasi Græcus autor (quamquam non est) Latinè redditus videri possit: Deinde, suo quodā modo (haud scio, quo) vsum esse gerundis gerundiuísque nominibus; denique prolixioribus etiam hyperbatis plerumque. Quibus vbi assueueris; & facilem intellectu senties autorem, & medullitùs Canticorum intelligentiam ipsum præstitisse confirmabis. Illud fortassis offendet, quòd sæpiùs duo Adiectiua vni adnectit Substantiuo, quod latinitas vix admittit si Seruio credimus. Atqui huic (si quid ego iudico) vitio dari in tam sacro præcipuè negocio, non censebis, si cogitabis ipsum eo ardore locutum vt nihil omittendum censuerit modo plenam sui intelligentiam tradere, & quasi omnino se effundere posset. Tum quibusuis vsum verbis, vt quod erat illi cordi, omnia ad plenum tradendi desiderium, expleret. Sed neque distinxit hæc sua Commentaria iuxta Capitum ordinem, vt nos distincta habemus; verùm ex re ipsa, & sententiarum filo in libros digessit. Vsus autem est translatione Septuaginta interpretum. Quod si illius aliquid immutatum deprehenderis; non nostra negligentia, sed inscitia alterius cuiuspiam factum agnosces; qui cùm multa non intellexisset, pleraque quæ benè in ipso vetusto codice habuerant, deprauauerat. Cæterùm, eius etiam admonitū velim Lectorem; Aponium hunc nostrum, per integrum opus suum non aliud agere quàm vt Christi & Ecclesiæ nexum & copulam, quid inter ipsum & ex Iudæis collectam ac nascentem adhuc Ecclesiam, quid item inter ipsum & Gentium Ecclesiam agendum fuerat fierive debeat ad finem Mundi vsque, quid denique inter Christum & eam Ecclesiam quæ sub finem Mundi ad veram fidem conuertenda est ex Iudæis, futurum sit; exactissimè appositissiméque tradat; licet alij, suis in eadem Cantica commentarijs, aliò textum torserint. Quis autem, qualísve fuerit, quóve tempore vixerit; nihil certi apud quemquam deprehendere potuimus. Ex ipsius præfatione sanè agnoscimus fuisse non vulgaris & eruditionis & sanctimoniæ virum & in cœnobio quopiam latitantem nycticoracem. Vetustate quoque ipsum non parum commendari vel ex hoc conijcere possumus, quod Angelomus, non incelebris autor, ipsum non semel in suis in Cantica commentarijs allegat; qui ante septingentos annos sub Ludouico & Lothario eius filio viguit: quod arguit, ipsum non paucis annis ante Angelomum floruisse; vt quem iam tanquam autorem receptum ac probatum, in suorum dictorum confirmationem allegauerit. Exemplaris autem copiam (ne quem sub honore fraudē) fecit nobis eximius, nec minus pius, vt si quis alius, D. Ioannes Bibelschmidi, Custos Ecclesiæ Lutenbachensis, vir ad studia promouenda haud ignauus; &c. & post pauca: In Aponio non est quod tollas (omnia siquidem concatenata sunt) In Cassiodoro non est quod desideres Aponius concioni, Cassiodorus priuatæ lectioni accommodatiss.*

APONII COMMENTARIORVM IN CANTICA CANTICORVM, PROLOGVS,

VIRO DESIDERIORVM, SERVO CHRISTI, ARMENIO PRESBYTERO, SVPPLEX APONIVS.

MAGNO quidem illo beati Danielis exemplo, diuinorum mysteriorum intelligentiæ Dan.9.f *auidißimus cupis persuasor existere, sed me acerrima iußione vltra vires sub grauißimi ponderis cogis mole succumbere, vt tibi opusculum in Cantica Canticorum sapientißimi Salomonis, Christo dictante, exponendo scribam. Bonum quidem opus, sed plenum præsumptione iniungis, qui me rudem eorum dentibus præparem, qui per singulas syllabas (antequam sensum desudantis contingant) subsannando verba condemnent. In quo opere, hoc mihi solum opitulari solamen confido, quòd te meæ imperitiæ autorem sim habiturus, qui desiderio acquirendi sapientiæ thesauros, non credis nescire alios quod ignoras. Aggrediar igitur tuis orationibus fretus, ipso duce cuius in prædicto Cantico mirabilia legis absconsa. Vbi si quippiam dignum laude ad animæ lucrum inluxerit, iubentis merito crede esse concessum: Si quid verò literati torqueat nasum, eadem erit portio imperanti, & imperio subiacenti: qui ab omnibus lacerandam (plausu præcepti latitantem in cauerni silentio nycticoracem, in lucem egredi compulisti. Nam si cui sordet agrestis & hispidus sermo (si habet in se reconditum sal) non syllogismorum resonantia verba sed sensum requirat. Quòd si vtrumque fastidit, quis vel quid sit prænotet iudicio & nouerit, non vanæ gloriæ vel laudis aucupandæ studio, diuitibus opes, nec cibum ventre repletis impudenter ingerere, sed vestigia antiquorum magistrorum secutos paupertatem esurientium pauperum aliquantulum consolatos, vtentes exemplaribus Hebræorum, quorum proprietas, veritatis non paruum intelligentiæ lumen accendit. Obtestor autem per æterni Dei iudicium, omnem qui hos libellos transcripserit vel cui habere placuerit, vt ad ea exemplaria de quibus transtulit diligenter emendet, ne tanti laboris solertia, librariorum dormitatione vilescat.*

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM.

LIBER PRIMVS.

Scriptura frequenter appellat homines filios Dei.



A DMIRANTIBVS nobis voces Spiritus sancti, qui in multis Scripturæ diuinæ locis, inenarrabili charitatis affectu, humanam naturam à verbo Dei sororem, filiam, vel sponsam asseruit nuncupari, secundùm illud Esaiæ Prophetæ, *Audi me plebs mea Israël, semen Abraham amici mei, qui portamini meo vtero:* Et alio loco idem Propheta; *Amodo*, inquiens, *Patrem vocabis me, & post me ingredi liberè, non cessabis.* Et in Exodo Dominus ad Mosem; Dic (inquit) *Pharaoni, dimitte filiũ meũ Israel vt seruiat mihi in deserto.* Et per Dauid sermo Domini ad Ecclesiã gẽtiũ; *Audi (ait) filia & vide, & inclina aurem tuã.* Et beatus Apostolus Paulus ad Plebẽ Corinthiorum: *Despondi, inquit, vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et illicò apertiùs declarat admirabile dictum per Lucam Euangelistam; Adam protoplastum satorem corporum nostrorum, filium Dei per seriem genealogię confirmatum, per hoc proculdubiò quòd Dei manibus de limo terræ formatus est. His igitur agnitis, tantis ac talibus testibus comprobatur quàm magnus creatus sit homo à magno artifice Deo, qui tanto amore eius ditetur. Accẽditur animus, mensurã huius amoris agnoscere qui inter verbũ Dei & animam flagrat, vt dum agnouerit mensuram amoris reciprocam reddat amoris vicissitudinem Deo. Quem amorem (id est, quãtum diligat anima perfecta Deũ) & eius mensurã, in martyribus possumus æstimare, in Deo autẽ nõ possumus. Omnis enim amor, licet non sit nisi vnius (qui verus in Deo est) vsq; ad exitũ mortis poterit terminari; quod martyres pro nomine Filij Dei moriendo, & ipse pro impia plebe, fecisse probatum est. Sed multũ interest, multúmq; distat inter illum qui pro impijs, & eũ qui pro iusto suscepit mortem. Et satis, & vltra quàm effari potest, gloriosior ille qui nullis præcedentibus exẽplis quod laude sit dignũ fuerit operatus, quam ille qui alterius magisterio edocetur; Sicut humana natura (vt diximus) pro viribus vicem Dei Filio in Martyribus repensare dinoscitur. Huius ergo veri amoris quẽ magister Gentiũ Paulus charitatem edocuit, magnitudinẽ nobis agnoscere cupientibus; Liber Salomonis, qui Cantica Canticorum titulo prænotatur, inter cętera luminaria diuinorũ apicum, velut lãpas obuiauit. In quo vtiq; nihil de carnali amore (quem gẽtiles Cupidinem appellãt; qui insania potiùs intelligi potest quam amor) sed totũ spiritale, totum dignũ Deo, totúmq; animæ salutare: Et ad quã gloriam, per suam incarnationem suámq; nimiã charitate, sublimauerit post tot facinorum molem, humanã naturã, luce clarius demonstratur nunc opinor. Sicut in monte Sina, beato Mosi ostensum est in figura, cuius pulchritudinis vel mẽsuræ faceret tabernaculũ, sicut ei dicitur à Deo: Vide vt ita facias Tabernaculum, sicut tibi in mõte ostẽsum est: Ita sapiẽtissimo Salomoni, quicquid ab initio Mundi vsq; in finẽ in mysterijs egit acturúsve erit Dei sermo erga Ecclesiam, in figura & in ænigmatibus est demonstratum. In quo Cantico omnia quæ narrantur tecta mysterijs, in Verbi incarnatione, reuelata & completa docentur. Vbi allisa erigitur humana progenies, compedita absoluitur, corrupta ad virginitatis integritatem reformatur, expulsa Paradiso

Marginal references: Psal. 46. a; Hier. 3. f; Exod. 4. f; Psal. 44.; 2. Cor 11. a; Luc. 3.; Genes. 2. b; Rom. 5. b; 1. Petr. 3. d; Ephes. 1. a; Exod. 25. d

redditur; ex captiua, libera; ex peregina ciuis; ex ancilla, domina; ex vilissima, regina & spōsa, Creatoris sui verbi A Dei Christi benignitate effecta ostenditur: quæ digna Genes.3.d sit eius suscipere oscula, & vna cum eo effecta spiritu, in cœlestibus sublimata regnare. Quæ sublimitas, humiliatione Filij Dei celebrata cognoscitur, sicut magister gen- Phil.p.2.a tium docet de Christo, dicendo: Humiliauit se, vt nos exaltaret. Nō enim iniuria deputatur artifici, pretiosum annulum lapsum in corporis foueam paulisper seposita stola, ad quærendum descendere, & inuentum rursum suæ dexteræ reddere. Nam quicquid humile, quicquid Luc.15.a vilissimum, quicquid despectum indignúmque stulta impiáq; gentilitas opinatur; cuius incredulitatis caligo, oculos cordis excæcauit; hoc gloriosum, hoc mirabile, hoc perquam magnificum apud diuinam clementiam & omnes virtutes cœlestes esse probatur. Nam quæ immensa potentia, quæ bonitatis dulcedo, quæ miseratio- B nis superlatiua omnium operum flagrantia paternæ virtutis, admirata ab Angelis, omniúmq; Sanctorū choris, præcelsis vocibus perpetuísque laudibus efferretur, nisi vt dominus ancillā verè pauperculam, vt æternus mortalem per assumptionem carnis, Rex Dominus Iesus Ioan.2.b Christus, Ecclesiam (id est, Dei Sermo animam) sibi sub coniugis titulo copularet. Gaudet enim omnipotens Pater à gloriosæ coniunctionis prole, quibus dicitur in Euangelio, Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum, Ioan.13.d & vado ad Patrem: gaudet (inquam) mirabilis Pater in multitudine filiorum, Christo & Ecclesiæ genitorum; qui eorum locis sedibúsque succedant qui propriæ voluntatis malitia de cœlesti statione ad terras dilapsi sunt; qui nunc dolore multo torquentur, & callidis præpedi- C culis ad regnum ascendentes retinere conantur, & per momenta mox genitos filios Ecclesiæ festinant extin- Luc.10.c guere. Ecclesiastæ autem vocabulum Græco sermone, congregationem populi, quæ Hebraïcè dicitur synagoga, interpretari nemo est qui nesciat; quæ pro loco vel tempore diuersis nominibus à verbo Dei vocata esse probatur, Aliquando Ierusalem, nonnunquam Sion, plerumque amica, sæpenumerò dilecta, interdum soror vel speciosa dicitur, aut sponsa columba, seu immaculata vel perfecta, in Christi persona, ore Prophetarum appellata cognoscitur. Ierusalem siquidem dicitur quia post iracundiam omnipotentis Dei Pacem de cœlo missam à Patre suscepit, eò quòd aliquam signatur habere Genes.3.b pacem. Sion verò, quia de conualle lachrymarum ido- D Matth.5.a lolatriæ, vbi in corpore lapsa fuerat in Adam, nunc corde ad montem Paradisi reascendit, & pro mundicia cordis speculum se præbendo indiuiduæ Trinitati, conspicua Matth.13.a & excelsa efficitur: In qua Deus Omnipotens quasi in Luc.8.d fertili monte delectetur deambulare, & beatū doctrinæ suæ semen spargere; propter quod specula, vel semen in ea interpretatur. Amica autem dicitur, quoniam repudiando diabolū, ad amicitias reuocauit Deum: Dilecta verò appellatur, quoniam post incredulitatis amarissima odia, credulitatis muneribus dilecta efficitur soror Dei videlicet nuncupata per assūptæ carnis mysteriū, cùm ex eadē materia videndus nascitur terris, de qua & Ecclesia generatur. Speciosa scilicet pronunciatur, quòd abstersa Ephes.5.f per baptismum ab omnibus maculis peccatorum, post E multam Æthiopicam pellem tenebrosamque consuetudinem criminum, ad genuinam pulchritudinem reuocata speciosa laudatur. Sponsa verò effecta est, corpus & sanguinem suo corpori coniungendo; per quod sacramentum spopondit se præter eum nullum alium amatorem in toto corde diligere, pretiosum eius fidei Genes.2.d annulum magno studio, conseruādo. Formosa namque prædicatur, formam eius imaginis in qua creata est, in anima reformādo. Columba verò nominatur cùm omni rapacitate (quam aduncis manibus, velut vulturinis vnguibus consueuerat perpetrare) deposita, & consortio Spiritus sancti sociata, simplicitatis & largitatis candore columbarum refulget: Et quæ consueuerat in malis doctoribus, alijs animabus æternæ vitæ rapere cibos; nunc in bonis Doctoribus, de suo suauissimo gutture, audientibus se impertit, sicut naturæ est facere columbarum. Immaculata autem laudatur, quòd deposita vetere, antiquáque cōsuetudine criminum, & stola sacrosancti baptismatis semel induta, immaculatè viuendo vltra se non maculauit; & Domini sui Christi imitatrix effecta, pro eius nomine moriendo, lima Martyrij splendescit. Nullum enim aliud ferramentum fortius potuit reperire, per quod antiquæ scoriæ animæ limarentur, nisi martyrij limam; per quod in tormentorū fornace possit anima, quantalibet sordium peccatorum mole sit circumdata, in suo sanguine renouari: per quod perfecta sit columba, & in Christo immaculata. Perfecta namque nuncupatur, omne iudicium à Patre suscipiendo in Christo. Hæc ergo Ecclesia (vt retro dictum est) in qua omnium credentium in Christo multitudo cōsistit, quæ Ioan 4.a ante Sponsi aduentum in suo sanguine ignominiosè iacebat de proiectione pro Christo collecta, à Propheta Ezechiele refertur; & in curis magnis nutrita, & vsque Ezech.16.a ad annos puberbatis prouecta, & eius doctrina quasi monilibus exornata, & eius coniunctione vsque ad regnum cœlorum sublimata, Prophetarum & Apostolorum vocibus comprobatur. De quibus omnibus (vt dictum est) ita iubetur Ezechieli Prophetæ, ingratæ plebi improperare, dicendo: Fili hominis, notas fac Israël abominationes suas, & dices ei; radix tua & generatio Ibidem. tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, in die qua nata, in die ortus tui, vmbilicus tuus non est præcisus, & non es lota aqua in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis, nec pepercit super te oculus meus vt faceret tibi vnum ex his, misertus tui; sed iacebas nuda, plenáque ignominia conculcata in sanguine tuo: Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit; Et ecce tempus tuū tempus amantium, & iacebas nuda cōfusionis plena & misi amictum meum & operui ignominiam tuam; laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te vestimento multi coloris; simila & melle nutriui te, cinxi te bysso, & calceaui te hyacintho, & posui coronam decoris in capite tuo & circulos in auribus tuis; & cætera quæ sequuntur: & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi, ait Dominus Deus. Et multa sunt similia in Libris diuinis, quæ breuitas præsentis operis prosequi minimè patitur. Sed hoc sufficit declarasse, quòd modo sub nomine Israël, plebs Iudæorum contumax arguitur, & in eius persona, omnis anima quæ per lauacrum regenerationis nascitur, & per voluntatem eius qui priùs eam genuerat per peccatū (Amorrhæi videlicet, qui amarus interpretatur; id est, diaboli) & per consuetudinem nefariam (quæ præsenti loco Cethæa dicitur, quæ mentis excessus interpretatur) fuerit oblita, increpari probatur increpatione. Ergo Israël, omnem multitudinem quæ à Dei nostri Iesu Christi primo aduentu vsque ad secundum, reperitur Mundum incolere, intelligitur nominari: quam diabolus amarus, & propria excidens mente mala voluntas, supradicto ignominioso generat ordine; Quam clemens Dominus Iesus Christus, per sanctam apparitionem (licet nescientem) de prædictis sordibus collectam, nutriuit, & pretiosis vestibus vel monilibus exornauit, & sibi consortem regni facere est dignatus per sacrosancti baptismatis vndam; vbi gloriosa copula Christi Filij Dei & Ecclesiæ celebratur. In quo sacro mysterio, ablutionis aqua lauatur; sapientiæ sale suscepto; indiuiduæ coæternæque Trinitatis fide; pro prostibuli traditione salitur; variarum Virtutum charismate, vestimentis nudata operitur; Spiritus sancti pinguedine, & charismatis vnctione repletur; vbi simila in Christi corpore, & melle in eius eloquijs enutritur; vbi circulis diuinæ intelligentiæ, aures ornantur; Martyrij gemmata in capite corona refulgens, bisso (quæ est puritatis indicium) cingitur; id est, amor virginitatis & pudicitiæ, ab omni eam dissolutione continet reuocatámque constringit; calciantur hyacintho pedes, qui color,

Ephes. 6. c color, *præparans*, Hebraïcè dicitur; vt præparati sint pedes ad præcepta Euangelij pacis, semper concurrere. A His videlicet ornamentis decorata Ecclesia Christi, animam Sermo Dei testatur sibi in coniugium copulare, Cuius persona in huius libri principio orare ad Patrem omnipotentem voce Sponsæ inducitur dicentis: *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino.*

Osee 2. d Cui per Prophetam Oseæ ipse Dominus Iesus, Sermo Dei Patris, promiserat dicendo; *Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi in iustitia, desponsabo te mihi in iudicio, desponsabo te mihi in misericordia, desponsabo te mihi in* Hier. 2. a *fide*. Similiter & per Ieremiam Prophetam dicitur; *Recordatus sum tui, miserens adolescentiæ tuæ & charitatis desponsationis, quando secuta es me in desertum, in terram quæ non semi-* Esa. 61. d *natur*. Et per Esaiam similiter vox Ecclesiæ ait; *Posuit mihi mitram sicut sponsæ, & induit me vestimentis salutis sicut sponsum decoratum corona; & sicut sponsam ornatam monilibus suis* B *circumdedit me.* Zach. 9. c Matth. 21. Et per Zachariam, huiuscemodi gloriam trepidanti Ecclesiæ nunciat, dicendo; *Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit tibi mitis & mansuetus, sedens super pullum asinæ*, saluator & redemptor ipse est. Hi ergo omnes Patriarchæ vel Prophetæ, futurā ineffabilem Christi Ephes. 5. f & Ecclesiæ copulam cecinerunt: Apostolus autem iam celebratam exposuit dicens; *Viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, qui semetipsum tradidit pro ea vt ipse sibi exhiberet immaculatam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* 2. Cor. 11. Et iterum ad Corinthios; *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et alio loco ita exhor- Ephes. 5. g tatur Fideles; *Vos estis corpus Christi, & caro de carne eius.* Huic videlicet tantis ac talibus testibus confirmatæ, adhibenda sunt omnia officia nuptiarum; vbi præstò sint C etiam amici Sponsi, amicæ vel adolescentulæ, consodales sponsi, sodales etiam sponsæ; mores quoque cantantium qui dulci modulamine sponsi potentiā canant, vel sponsæ pulchritudinē laudent qua largitatem sponsi est consecuta, quomodo se excelsus humiliauerit de illa altitudine deitatis ad limum profundi vt humilem deiectāmque carnis materiam ad cælorum culmen leuatam suæ maiestati coniungeret. Quod virtutum schema cælorum sedibus admirandum ipse Spiritus sanctus qui in alijs Prophetis dispersè de hac coniunctione locutus est, nunc in hoc Cantico, ore sapientissimi Salomonis, euidenter composuisse docetur, vbi omnia supradicta in ænigmatibus enarrantur, & per imaginem terrenam, cælestis verbi Dei & animæ coniunctio demonstratur. D Quod Canticum ita intelligitur omnibus præcellere Canticis, sicut Dominus noster assumptus homo, Apostolis, Patriarchis vel Prophetis, aut quæcūque illæ sunt cælestium Potestates: Vt sicut rex regum, & Dominus 1. Tim. 6. f dominantium est Christus, ita & Canticum Canticorum super omnia Cantica, quæ à Prophetis cantata sunt, tituletur. Alia enim Cantica, aut pro victoriæ laude, hoste prostrato, cantata sunt; sicut Moses demerso Pharaone, Exod. 15. a cantauit in Exodi libro; vel deletis Seon & Og regibus, Num. 21. f in Numerorum libro cantauit: aut tradenda posteris Deut. 32. a salutaria præcepta in Deuteronomij libro cātauit; quam iubente Deo, deuterosin Testamenti, egressurus de corpore, ingrato populo dereliquit vt quid eos maneret in nouissimo tempore si eius mandata fuissent obliti, præ- E scirent. Cantauit & Debbora canticū in libro Iudicum, deuicto hoste Sisara. Iudic. 5. a 1. Reg. 2. a Cantauit & Anna vxor Helchanæ Canticum in libro Regum, preces fundendo pro sobole 2. Reg. 22. Psal. 17. Samuële. Cantauit & Dauid Canticum in libro Regum, qua die liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius & de manu Saül. Cantauit & Abacuc Propheta Canticum, quod pro ignorantibus prænota- Dan. 3. e uit. Cantauerunt & tres pueri canticum in fornace, in quo mirabilia Dei narrantur, & humilitatis forma ostenditur, dum se pro peccatis ignibus traditos, quos ignis tangere non audebat, fatentur. Hierem. Thren. 2. 3. 4. & 5. Cantauit & Ieremias Propheta canticum lamentationis de euersione Ierusalem & Sanctuarij, & totius populi Israël captiuitate. In quo docuit, quantò quis proximus fuerit Deo per sanctam conuersationem, tantò eum (si declinauerit) sæ- A uior pœna manebit. Hæc autem Cantica, à diuersis Prophetis (vt diximus) pro diuersis personis vel causis cantata sunt. Hoc verò ideò Canticum canticorum appellatur, quia ad propriam Christi regis & Ecclesiæ coniunctionem cantatum esse manifestè probatur. Vbi orat ad Patrem Sponsi, Ecclesia; qui est Sermo Dei, vt iam non per nuncios Sponsi (qui sunt Angeli qui à Dei filio, Ecclesiæ futuræ repropiciationis nuncia deferebant) sed per incarnationis mysterium iam aliquando ipsum coram ostendat, iam ipsius formam speciosam præ filijs hominum amplecti mereatur, eiúsque dulcissima oscula suscipere & gratissima vbera contrectare dicendo: *Osculetur me osculis oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Ab Adam scilicet vsque ad Ioannem Baptistam, semper Ec- B clesia Christum in eis qui altioris intellectus erant, quæsiuit; & per omnes Patriarchas & Prophetas ad Patrem omnipotentem lacbrymabili voce clamauit, eius sibi oscula propinare quem & in Iordanis baptismo vox Patris de nube, & Ioannes digito demonstrauit dicendo; *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi:* Et ipse Pater de nube; *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Vnum autem de multis amicis Sponsi, præparantem sponsam, Ioannem intellige; cuius præsentia, Ecclesia Christi oscula sancta suscepit, ipso testante de Christo, *qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi gaudio gaudet ad vocem sponsi.* Miratur videlicet Ioānes, cùm vidit eum propter aquarum sanctificationem ad baptismum venientem, cùm ait, *Ego à te debeo baptizari, & tu ad me venis?* Gaudio verò gaudet audiens vocem eius dicentis; sine C modo, sic enim oportet nos implere omnem iustitiam; Vbi completæ sunt preces Ecclesiæ iam olim præmissæ ad Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi dicentis; *Osculetur me osculo oris sui:* Vbi nimium gaudium amoris completum per adtrectationem vberum demonstratur, cùm dicitur; *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Vinum enim erat verbum nunciorum delatum per Angelos qui ad Prophetas vel in Prophetis loquebantur, sicut ait Zacharias Propheta; *Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me;* Zach. 1. g quod lætificabat cor Ecclesiæ audientis nunciari aduentum eius quem desiderabat: Sed vbi ore manibúsque CORPVS EIVS ET SANGVINEM contrectauit, meliora cognouit vbera Apostolicæ Euāgeliorúmque doctrinæ lacte manantia (vbi omnis diuina perfectio, quæ nunc D ministratur) quàm vinum veteris Testamenti aut Legis quæ secundum Apostolum, neminem ad perfectum perduxit. Quamquam enim perfecti viri apostolici, qui præsunt populo Christiano doctores, vbera Christi intelligantur, per quos Christus paruulos nutrit; tamen non erit inconueniens, duo vbera Christi, Baptistam & Euangelistam duos Ioannes intelligi propriè, qui Ecclesiæ (post oscula Sacramenti prædicti) plenissima vbera sunt propinati: Cùm alter, eum solum, peccatū Mundi Ioan. 1. d tollentem agnúmque demonstrat Ecclesiæ, alter, in principio Verbum Deum apud Deum Patrem manentem; qui per immaculatam vitam ita in amore eius quasi vbera pectori, adhæserunt, dum alter adhuc paruulæ & lactenti Ecclesiæ verum hominem sub nomine immaculati agni ostendit, alter à creandi effectu eū omnium E rerum fabricatorem in principio Verbum Deum demonstrat per quem creata sunt vniuersa. Nullus igitur vsque in hoc tempus ad Ecclesiam huiusmodi gustus suauitatis peruenerat, vt in Agni mansuetudine, terribiles reges, turma luporum dæmonum, effugarentur; cuius præsentia terrorem incutit omnibus & terrenis & ætherijs Potestatibus, qui tegmine Spiritus sancti alios vestit & ipse de nullo necesse habet: qui de terris leuatam, ad Patris consortium ducit per carnis assumptionem Ecclesiam cum qua, mente & materia vnum effectus est, sedēs ad dexteram Patris, cum quo erat in principio Verbum Deus. Huius ergo doctrinæ lacte vitam æternam conferente, prædicta verba dilectæ Ecclesiæ Ibidem. Christi Domini nostri, manantia; de cuius pectore

lacteo, vitam æternam (quam Adam perdiderat) per Geneſ.3.a candorem doctrinæ in Apoſtolis infuſæ, quaſi per vbera in Credentibus ſuſcipit Eccleſia; & ſuis poſteris, quaſi ex lacte butyrum effectum, per interpretationem ſermonis quotidiè porrigit. Nam primum in ſe continent ſacramentum per lactis naturam, id eſt, caſti liquorem: & cùm fuerit arte ſubactus liquor, reddit butyrum: Ita & lactea apoſtolica doctrina, cùm inuenerit magiſtrum, declaratur intra ſe continere indiuiduam Trinitatem. Quibus alimentis niſi indeſinènter vſa fuerit anima, non poterit viuere in æternum. Quem cibum Eccleſia de ſupradictis vberibus in baptiſmatis ſuſcipit ſacramẽto; vbi Matth.28.d trina confeſſione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; notitiæ odorem cognoſcit, cùm ei ſæpè dictum doctrinæ lac, triformem contulerit redemptionis medullam; liquorem ſcilicet baptiſmatis candidiſſimum ſuauémque B ſuccum corporis Chriſti, & pinguiſſimũ butyrum ſacri Chriſmatis oleum per quod Spiritus ſanctus infũditur. De qua pinguedine, Eccleſia in alio Propheta deprecatur animæ ſuæ medullas repleri, dicendo; *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*; Pſal.62. cuius odor, ſauciatas à peccatis animas reſuſcitat; cuius pinguedinis virtutem, in prædictis vberibus abſconſam fragrantémq;, poſt oſcula ſuſcepta, collaudare ſequenti docetur verſiculo dicens: *Fragrantia vnguentis optimis.* Erat quidem boni odoris; id eſt, meriti; vnguentum illud in veteri Teſtamento, magiſtro Deo compoſitum; de quo vngebantur Reges, Prophetæ, & Sacerdotes: ſed quantùm diſtat viuus homo à pictura fucis colorum oblita; tantùm intereſt, quod Eccleſia ſuſcipit renaſcendo in ſpiritu cuius figuram Synagoga ſuſcipiebat in corpore: C Cuius tantæ fuerunt vires, vt vix in vna gente Iudæa, & paucis, tribuerit principatum. Chriſmatis quanta ſit virtus. Hoc autem Eccleſiæ vnguentum, tantùm in ſe gerit virtutis, fragrãtiæ ſimul & medicinę, vt omnes Matth.8.b credentes ſaniſſimos reddat, Reges & Sacerdotes conſtituat; & eius notitiæ odor à Solis ortu vſque ad occaſum, omnem mundum impleuerit: quæ intra ſe, quam aliam fragrantiam continere poteſt intelligi, niſi Chriſti nomen, de quo ſequitur; *Vnguentum effuſum nomen tuum?* Sicut enim inter multitudinem cadauerum putridorum recluſi homines morbo periclitantur, ita habitatoribus huius mundi euenerat per Adam, pluralem Deorum numerum inducente diabolo ore Serpentis, dicendo; Geneſ.3.a *eritis ſicut dij.* Introducto autem vnius veri Dei nomine, per incarnationis myſterium, recondito in corporeo D vaſculo; quo fracto clauorum & lanceæ ictibus, odore Ioan.19.f eius notitiæ, omnis fœtor diabolicæ doctrinæ, de toto Mundo abſterſus eſt. Et illud magnum nomen, quod in Pſal.75. ſolo populo Iſraël erat notũ per chriſmatis vnctionem, nunc quaſi effuſo vaſe vnguẽti in domo, tota domus repletur odore: Ita & à tempore Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, omnis Mundus vnius veri Dei Chriſti nominis notitia impletus probatur, vbi per omnes nationes gentium quotidie (quaſi odor vnguenti) virtutum recurrit flagrantia, dum *mortui* (inuocato eius nomine) Matth 11.a Marc.16. *ſurgunt, cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, leproſi mundantur, paralytici curantur*, effugantur dæmonia, omnis ægritudo cadit, pellitur languor in virtute huius nominis inuocati. Ecce quibus odoribus dilectio amórque E Chriſti, adoleſcentulas accendit animas: de quibus nunc ait: *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* His virtutibus videlicet, quaſi ſuauiſſimis odoribus, Adoleſcentulæ, id eſt, rudes adhuc ad credendum animæ, in eius inflammantur amorem. Hæc virtus ſanitate conceſſa Euangelium adnũciantibus, velocitatem curſus adoleſcentulis addit. Pſal.67. De qua in alio loco dicitur, *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Eſa.6.b Hic namq; Dominus Deus Pater, dedit verbum ignitum huic Mundo, quod in figura carbonis *forcipe* duorum Teſtamentorum leuatur *de altari*, & labia purgat Eſaiæ Prophetæ, qui per adunationem carnis, ſolus *inter mortuos liber* Pſal 87. viuénſque commixtus, ſimúlque flante Spiritu ſancto, omnes animæ quæ vt carbones mortui, impietatum tenebris obſcurato intellectu, non accendebantur, eius vicinitate acA cenſæ ſunt. Quibus dicitur iam accenſis; *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant homines opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Matth.5.b Hoc autem quod diligunt, quod flamma amoris Sponſi accenduntur, proprium donum gratiæ verbi Dei eſt qui perficit greſſus ad currendum, qui illuminat oculos ad videndum, qui aperit labia ad loquendum, qui viſitatione ſua præſentis Pſal.16. mortis *timorem perfecta charitate* intromiſſa cordi noſtro *foras expellit.* Pſal.50. 1.Ioan.4. Etiam quæ præcipit, in noſtra poſuit poteſtate, vt iuſto iudicio aut cuſtodientibus regni cœlorum perpetuum gaudium tribuat, aut contemnentibus æternus luctus proueniat Gehennæ. Quod ſi abſconſa ſunt nobis quæ ſcripta ſunt, quæramus ab eis qui eius iam perfecere voluntatem. Quòd ſi vires deficiunt ad intelligendum quæ ſcripta ſunt, ſine intermiſſione orando petamus adipiſci, eorum veſtigia ſequentes, quibus teſtimonia ſcrutantibus reuelata prabantur. Pſal.118. De quibus vnus dicebat; *Mihi omnium minimo data eſt hæc gratia inter gentes vt reuelarem in me filium ſuum.* Epheſ.3.b Sic enim creſcit Eccleſia, ſic fructibus ſuis ſermo Domini multiplicatur in toto Mundo, dum infirmos, exemplo vitæ & perfectiores, verbo Euangelij inſtruunt; vt alios blanda commonitione, alios duriùs increpando, pro alijs crebriùs Deo ſupplicando, eos caſtigatos in carne ſanos in anima ad ſe attrahat ſemper. Sicut feciſſe probatur beato Paulo Act.9.a quem contra ſe ſtricto mucrone venientem ad Damaſci ciuitatem ad Eccleſiam oppugnandam, nube cæcitatis ab alto directa inligatum, in caſtra Eccleſiæ traxit: & qui nomen Chriſti priuſquàm in tota Iudæa innoteſceret, velociter anhelabat excludere; nunc vinctus vinculis charitatis Chriſti, per aſperas vias famis, ſitis, nuditatis, naufragij, *periculis multis* vigiliarum ieiuniorúmque, veſtigia eius ſequitur die noctúque; 2.Cor.11.f cui parum videtur ſemel Chriſtum pro ſalute hominum mortuum, niſi & ipſe 1.Cor.15. pro eorum gloria quotidie moriatur. Et quoniam non ſufficit viſibilis, praua, & letalis natura, magnam & inuiſibilem quæ tota & vbique eſt veſtigio ſequi vbi non occurrit corporis ſui præſentia; adoleſcentulas animas cõcitat ad curſum Epiſtolarum ſuarum vocibus, & poſt Chriſtum currere hortatur. Cuius vocem intelligi in ſequentibus non abſurdum videbitur, dicentis; *Trahe me poſt te, curremus.* Ingreſſo namq; nomine Chriſti in domo huius mundi; quod in ſimilitudinem vnguenti olei, propter Spiritus ſancti cooperantis perſonam, intelligitur; delectatione odoris notitiæ eius, de antro erroris egreſſa Eccleſia, in populo eiúſque conſimilibus anxia currit poſt Chriſtum. Et quoniam ad tantum altitudinis culmen; quod poſt Deum currendo aſcenditur, non ſunt vires propriæ volũtatis; clamat: *Trahe me poſt te, curremus.* Pſal.118. Hoc ergo orat perfecti viri perſona, qui Eccleſiæ caput eſt; qui vice Chriſti in populo vngitur Chriſtiano, qui nouit ſcrutando teſtimonia Dei, diuerſis laqueis retinente diabolum animas poſt Deum currentes, vt niſi adiutorio Chriſti fuerit de manu diaboli quotidie attractus, adoleſcentulæ animæ currere omnino non poterunt. Nam quomodò poterit in cuiuſlibet artis vel ſapientię perfectum magiſterium quis diſcipulum introducere, cum ipſe à perfecto magiſtro non didicerit? E Priùs trahit vtique magiſter diſcipulum in ſcientiæ theſauros multis modis; aliquando gratioſis alloquijs, aliquando aſſidua commonitione, nonnunquam verberibus, plerumque grauitate morum, ſæpenumerò dulci delectabilique expoſitione; & hoc ordine diſcipulũ velocem ad curſum, in arcana ſapiẽtiæ intromittit. Vbi cum ingreſſus fuerit, omnem Doctoris iniuriam quæ amara ad præſens viſa fuerat, obliuioni tradit præſens lætitia: ſicut præſenti verſiculo vox Eccleſiæ gaudens poſt attractionem & curſum, in ſapientiæ regis cellaria introducta; dicendo: *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Matth.4.c Matth.9.b Attracta ergo Eccleſia in eis quos à piſcium captura & à teloneis trahit ad Euangelium prædicandum, iam nõ ſola ſed cum ſupraſcriptis adoleſcentulis currit; quæ verbo prædicationis eorum,

credentes

credentes Christo, prouocatæ fuot ad cursum, & vitæ æternæ munera comprehĕdenda. Et vbi adolescentulas bene cursu duxit, nunc iotroductam se gaudet in cellaria regis Christi: in illa proculdubio cellaria, vbi *sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* [Coloss. 2. a; Matth. 16. c; Ioan. 20.] De quibus cellarijs in beato Petro suscepit claues, in quibus summam rerum adepta est potestatem, & ligandi soluendique meruit principatum. Vbi audit *verba arcana* in Paulo, *quæ non licet homini loqui.* [2. Cor. 12.] In quæ cellaria intro inspiciens oculis cordis propheta, dolenter admiratur, tam grandes tantæque dulcedidinis deliciarum copias esse in cellarijs vitæ æternæ, vt vix paucis illuc concedatur ingressus, dicens: *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine quam abscondisti timentibus te, & perfecisti eam sperantibus in te.* [Psal. 30.; Matth. 21. d] Per quod docuit, illis qui timorem gehennæ habent, absconsa esse; his verò per specta & manifesta, qui perfecti sunt sperando io Deum. Summa ergo perfectionis, sperare in Deum est: In spe enim consistit quicquid in suprascriptis cellarijs congregatum est. Qui sperat ergo, ipse credit in Deum: Et qui credit, omnia quæcumque promisit, siue impijs pœnam, siue refrigeria iustis, redditurо; huic perfecta manet regni cœlorum dulcedo. Quicumque videlicet sperat se pro sæculi caduca sapientia contempta, suis amatoribus interitum pariente, æternam vitam percipere, illi, necessariò perfecta est (vt diximus) illa magna sapieotiæ Dei dulcedo: sicut post Apostolorum discessum in multis Philosophis factum probatur; qui contempta vanæ gloriæ captatrice sapientia Mundi, doctores Ecclesiarum, sacerdotes vel martyres extiterunt. Introducta est proculdubio in supradicta cellaria Regis, regina Ecclesia in eis qui spem habueruot, pro rete vilissimo regnum cœlorum inuadere, [Matth. 29. d; Luc. 8. c; Matth. 8. b] pro sordidissimo telonio, inæstimabiles diuitias paradisi possidere; qui pro paruo cespite terræ contempto, consortia acquirere Angelorum; qui pro Gentili vel incredulo fratre dimisso, Deum majestatis acquirere patrem; qui pro *calice aquæ frigidæ* mercenarium se effici Christi credit; [Matth. 10. d] his omnino cooceditur prædictorum cellariorum ingressus. Nam nisi omnem curam sæculi, omnéque pondus cupiditatis terrenæ quis deposuerit contemnendo, ianuam veræ sapientiæ ingredi minimè poterit, eò quòd angustus sit eius ingressus, & diuitiarum sarcina quàm maximè oneratos excludit. [Marc. 7. b; Luc. 13. f] Exemplo sunt autem philosophi qui propter sapientiam terrenam, in vltimam se paupertatem redegerunt. Quamplurimi eorum cùm essent diuitijs cumulati, vsque ad peram & pallium singulare omnes diuitias redegerunt, vt magnas delicias panem & aquam duxerint. Nonnulli etiam herbis agrestibus sustentati leguntur, ne crapula cordi incumbens, à cogitationibus sapientiæ hebetes redderet: Sicut & vox Euangelica clamat Apostolis, *Videte*, inquit, *ne grauentur corda vestra ebrietate aut crapula;* [Luc. 21. f] Et alia scriptura; *Adgrauat*, inquit, *mentem multa cogitantem terrena cogitatio.* [Sap. 9. d] Nisi ergo euacuatum fuerit omne desiderium carnis & abiectum de corde, omnísque vanæ gloriæ laus præsentis temporis, & intromissa fuerint illa quæ dixit Propheta; *In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi;* [Psal. 118.] in sæpè dicta cellaria Regis introire non poterit anima, vt videat quantæ diuitiæ clausæ sint in Lege diuina: de quibus dicit Esaias Propheta; *Diuitiæ animæ, sapientia eius.* [Esa. 33. b] Sed has diuitias cum acquisierit anima, Dei largitate, non in sua virtute, sed in conferentis laude, omnem lætitiam ponere docetur; Sicut in præsenti versiculo ait: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Et si ad summum perfectionis scientiæ culmen prouecta fuerit, non suis viribus, aut in sophistica argumentatione confidat; sed sicut agnus, lac ad vbera matris requirit, ita ad Apostolorum fidem vel vitæ exemplum recurrat; qui, vbera Christi Regis, iusta ratione intelliguntur; De quibus nunc vox Sponsæ dicit? *Exultabimus & lætabimur in te;* & posteà ait; *Memores vberum tuorum super vinum:* [Deut. 32. c; Rom. 12. d] quasi alijs verbis dicat, ampliùs memoria esse retineodam

traoquillissimam illam patientia & humilitate pleoam A Apostolorum doctrinam & conuersationem quæ vindictam docet à Deo Iudice expectari; quàm illud veteris Testamenti mordacissimum exemplum doctrinæ, vbi non solùm minimè iubetur diligi inimicum, sed etiam odio habendum, & maledictum reddi pro maledicto, & reliqua: [Matth. 5. f; Exod. 21. c; Matth. 5. f] Qui vbera Christi Regis, sicut in capite Cantici dictum est, verè intelliguntur, qui (immaculato pectori, vt vbera, adhærendo) quicquid gloriosum, quicquid splendidum, quicquid ad animarum pertinet cibum, de pectore Christi in ipsis infusum est; & per ipsos in omnium credeotium corda quotidie per saoam doctrinam & perfectæ vitæ exemplum transfundi probatur: Id est; exemplum mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, contemptus diuitiarum, castitatis, integritatis, & exemplum veritatis, assiduæ orationis: B quorum vitæ memorem se esse dixit *super vinum;* veteris scilicet Testamenti Legem, quorum cor nuoquam inclinatum ad terrenas actiones (ex quo, pectori Christi adhæserunt) vltra detorsit; quod Dominus Christus velut vbera ad nutriendum animas, verbo salutis Ecclesiæ porrexisse probatur: Qui semper in necessitatibus, siue in lætitia, siue in abundantia, siue in penuria, siue in aduersis, siue in prosperis constituti; semper sensus cordis eorũ rectus fuit cum Deo, quibus propriè idem conuenit qui sequitur versus; *Recti diligunt te.* Suscepta itaque considerans oscula Christi, perfecta anima, vberúmque eius qualitatem contrectans; iam vnum consortium tenens cum verbo Dei, deambulando aulæ Regis, per spacia lectionum diuioarum, in cellarijs sa- C pientiæ intelligentiæque introducta; vidit ibi, quòd nemo nisi qui toto corde diligit Deum ingrediatur in his cellarijs; & quòd nullus possit diligere Deum, nisi qui rectum habuerit cor, dixit: *Recti diligunt te.* Docemur ergo per hoc, quòd illi diligunt factorem suum Deum, qui ipse dilectionem eius conseruauerint quam creauit, aut perditam reparauerint: de qua dixit idem Salomon; *Omnia seruaui cor meum, & hoc vnum agnoui quòd fecit Deus hominem rectum & ipsi sibi exquisierunt adinuentiones multas.* [Eccl. 7. d] De qua beatus Iob in laudibus coronatur: dicitur enim de eo; *Et homo rectus in conspectu Dei, & abstinens se ab omni malo.* [Iob 1. b] In quo euidentissimè declarat, priùs directionem cordis (de qua dicere videtur) vnum D Deum colendo, esse tenendam; & per hanc, abstinentiam omnium malorum posse conferri. [Exod. 20. a; Genes. 1. c] In hac siquidem directione, imaginem & similitudinem Dei quam nobis legitur contulisse, opinor consistere, qui proculdubiò secundùm iudicium suum, hominem intelligitur fabricasse, sicut dicit ei Propheta: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* [Psal. 118.] Rectus itaque, secundùm iudicium suum, rectum hominem fecit, & æquo iudicio hoc requirit in homine quod fecit in eo, vt sicut ipse nullius potentia inclinatur ita & facturam suam vel imaginem, nulli alio præterquàm sibi soli, vt inclinet genua cordis, requirit. Idcóque dum cœpisset per Legislationem, incuruatam corrigere imaginem suam, per Mosen dixit; *Dominum Deũ adorabis & illi soli seruies.* [Deut. 6. c; 10. d] Nam & ipsi primi homines, quàmdiu non pluralem deorum numerum receperunt E sed vnum Deum factorem suum, nulla in eis incuruatio fuit; sed recti steterunt in conspectu Dei, & ad eloquium eius cum omni fiducia gaudentésque præbebant auditum, Vbi verò à mandatis eius declinauerunt, incurui, nuditatis pudorem tegentes, inter paradisi syluas fugerunt. Quicumque ergo vnum Deum omnium factorem, in tota virtute crediderit adorandum, & hunc [Genes. 3. b] per Verbum & Spiritum sibi coæternum, omnia fecisse quæ sunt formata; esse rectus in conspectu Dei probabitur. Et hic verè diligit Christum Regem, credendo quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris; cui [Philip. 2. b] dicitur per Prophetam, *Dirige me in virtute tua, & doce me quia tu es Deus saluator meus;* [Psal. 24.] qui dicitur Hebraïcè, IESVS. Illi namque intelliguntur recti, qui solum diligere Christum laudaotur; qui se velut intra cor rectum veteris &

noui Teſtamenti, in lege, ab omni hæretica peruerſitate concluſerunt, dirigendi. Omnis enim qui bonis operibus fuerit adornatus, & habuerit omnem iuſtitiam, *ita vt montes transferat*, ſecundùm Apoſtolum Paulum; & rectam (vt Apoſtoli tradiderunt) de myſterio diuinitatis & Incarnationis non tenuerit fidei regulam; labijs diligit Deum, ſed *factis* mentitur ei, ſicut illi de quibus dicit Propheta; *Dilexerunt eum in ore ſuo, cor autem eorum non erat rectum cum eo.*

1. Cor. 13. a
Titum 1. d
Pſal. 77.
Matth. 25. d

Fit plerumque vt ad miſericordiam promptus ſit quis, paratus viſitare infirmos, requirere in carcere clauſos, eſurientibus cibum, ſitientibus tribuere potum, peregrinum recipere in tecto, nudum veſtire, conſolari lugentes pudicitiam diligere, virginitatem aut angelicam gloriam venerari, & omni verbo excolere; fidem autem Chriſti ſi non tenuerit in Trinitate, in qua cum Patre & Spiritu ſancto coæternus vetúſque eſt Deus, & in qua cum carnis aſſumptione cum hominibus verus homo eſt; velut toto corpore pulcher ſed incuruus eſt renibus, qui non poſſit in ſublime extollere caput & videre quomodò Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres perſonæ, ſub vocabulo verbi, in vnius potentia deitatis conſiſtit (Quod beatus Euãgeliſta Ioannes luce clariùs demonſtrauit dicendo; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*) dum in die Iudicij quaſi incuruis terræque vultum cohærentibus, quorum vox quidem audietur, ſed facies non videbitur; clamantibus, *Domine Domine, nonne in tuo nomine virtutes multas fecimus?* dicetur eis, *neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.* Non igitur ignorat quos ipſe creauit; ſed propria voluntate quam ad ſe diligendum indidit per naturam, deprauatum cor, à ſua notitia vocat. Quiſquis enim ſic confitetur potentiam Trinitatis, vt gradus vel tempora ponat, tortuoſo confiteri probatur corde: Et non ſequitur, confitendo, eum cui dixit Propheta; *Confitebor tibi Domine in directione cordis, in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Danda eſt ergo omnibus ſolertiſſimè, rectæ fidei regula (ſicut eſt, omnipotens Deus) in Trinitate, obtinenda; quod bonorum omnium, & notitiæ iudicis fundamentum eſſe probatur. Vnde oportet omnem qui ſignaculum fidei naſcendo ſuſcepit; ad vocem doctoris, in ea diſcenda, ſagaciſſimum præbere auditum: & illa quàm maximè populo Chriſtiano ſemper incumbit neceſſitas, ita in omnibus mandatis diuinis *ſine querela, & in directione cordis* incedere, vt ſermone ſuo & vitæ exemplo cæteros dirigat, rectos non ſinat incuruari. Quid tam rectum, vt in omni negotio, Deo nulla præponatur perſona? Quid tam rectum, niſi vt figmenta mortua, vaſa dolata, ſpreta; & verus adoretur creator omnium Deus? Quid tam rectum, niſi vt in iudicando nulla veritati præponatur perſona? Quid tam rectum, niſi quod accuſator inſerit diabolus: vbi iam excuſatio? vocatus homo præueniat pœnitendo? Et quid tam rectum & tam placitum Deo, niſi vt nigredinem peccatorum ſuorum ipſe pronunciet humiliando ſe iuſtus; & pulchritudinem fidei non abſcõdat præ truculento perſecutore, & pro directione cordis, & pro zelo rectæ fidei ſi neceſſe fuerit, moriendo: ſicut ſequenti docet verſiculo Eccleſiæ vox dicendo: *Nigra ſum, ſed formoſa filia Jeruſalem.* Introducitur itaque, vt ſæpe dictum eſt, ſub figura cantilenæ, Eccleſia, per ſingulas perſonas, vel diuerſarum gentium voce loqui; quæ de Paradiſi monte in Ægyptum huius mundi in Adam peccando deſcendit, vbi ab operibus duris, ab Ægyptijs dæmonum cæteruis appreſſa rectoribus tenebrarum, qui ſub Principe mundi Pharaone militant, & flagris eorum verberibúſque denigrata eſt: quæ repedare properans ad factorem ſuum Chriſtum per gratiam ſacroſancti Baptiſmatis, admiratione exhibuit filiabus Ieruſalem: quas opinamur glorioſas animas, illius cœleſtis Ieruſalem filias, vel ſuperuas virtutes intelligi; quibus, & quod in Ægypto huius Mundi contraxerat, & quod per gratiam in illa reparatum eſt, vtrumque oſtendit dicendo; *Nigra ſum, ſed formoſa filia Jeruſalem.* Nigra ſcilicet, aſcendens interpretatur Hebraica lingua, & Ægyptus tenebræ. Hanc ergo aſcendentem de tenebris peccatorum vſque ad oſcula Filij Dei, in tanta gloria exaltatam, vel introductam ſecretorum cellariorum (vt retrodictum eſt) arcanis, mirantur filiæ Ieruſalem, ſiue angelicæ virtutes, ſiue illæ magnorum animæ quæ ante incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti complacuerũt ei per Legis præcepta; eò quòd Ieruſalem, pax interpretatur: quã beatus Paulus ad cœlum raptus, magno numero filiorum conſtipatam conſpexit in cœlo; quam confirmauit matrem *omnium* eſſe *Sanctorum*; & hanc terrenam Ieruſalem, illius vmbram portare. Satius vtique rectiúſque cœleſtis Ieruſalem filias intelligimus eius gloriam admirantes, quæ ſuſcepit pro Chriſti nomine interfectos; quàm iſtius terrenæ, peccatorum maculas improperantes, quæ ſanctorum ſanguinem fundit. Illæ igitur animæ, filiæ Ieruſalem præſenti loco nominari intelliguntur, quæ antequàm pax oſtenderetur in terris, inter odientes pacem, cum tranquillitate pacis vixerunt: quæ admirantur Eccleſiam in illis tenebris, & tam ferociſſimis gentibus, quæ tanta nigredine corporis & mentis barbarie fuiſſe probatur vt forſitan ſanguinarias beſtias aliquando præcellerent per ſanctum lauacrum Baptiſmatis, & per martyrium coniunctionem Verbi Dei meruiſſe, & in amplexu eius inhærentem quæ nigram ſe confitetur eò quòd in tenebroſo erroris cubili, prophano idololatriæ ſanguine ebria, multos filios cõpreſſit in mortem æternam. Formoſa verò, quoniam in multitudinem filiorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, ſe ſuſcepiſſe de Chriſto, gaudens circum inſpicit; quem & (ſe) in veri Ioſeph Domini noſtri, & in Madianitæ Moyſi coniugis prætendebat coniunctione; quæ à finibus terræ, in regina Saba ad regem Salomonem venit, audire ſapientiam Chriſti: In Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, etiam Synagogam præuenit in baptiſmate per Apoſtolum Philippum, munus offerre Deo: De qua prædixerat Propheta, *Æthiopia*, inquit, *præueniet manus eius Deo.* Filias autem Ieruſalem, principes vel ſacerdotes Iudæorum intellige; qui Eccleſiæ gentium, maculam nigritudinis peccatorum improperant: qui Apoſtolos prohibebant verbum ſalutis gentibus loqui: ſicut alijs † viſum eſt præſentem locum, neſcio quomodò, congruè ſtare; cùm iſtæ animæ, quæ filiæ pacis ſunt (id eſt, Ieruſalem) nihil æmulationis habeant in ſe, ſed magis lætantur & gaudent animarũ aliarum ſalute: & patrem Chriſtum qui eſt pax noſtra, imitando; pro Fratribus ad eius fidem venietibus, animam ponunt. Sed mihi videtur per hanc figuram, retrodictas magnorum intelligi animas admirantium in profectu Eccleſiæ gentium quę in terris & ſæuiſſimis gentibus in quibus etiã humanum ſanguinem potabat & humanis carnibus ſaginabatur, & (vt diximus) nihil differebat à ſanguinarijs beſtijs; & per retrodicta opera placita omnipotenti Deo, coniunctionem Chriſti meretur. Nam ſecundùm moralem ſenſum vult, vt omnis anima quæ ſe nouit nigredine peccatorum aliquando infectam fuiſſe, quamuis ad ſanctitatis culmen conſcenderit non extollatur in ſanctitatis faſtigio. Nam licet magnæ & perfectæ ſint hæ perſonæ quæ filiæ Ieruſalem appellantur, niſi doctæ fuerint quomodò nigra ſit & formoſa Eccleſia, ignorant. Solus eſt enim *Deus ex quo, & per quem, & in quo omnia* conſtant, *qui docet hominem ſcientiam*, omnia nouit; quibus, in præſcientia, futuræ emundationis ſuæ gloriam ſupradictam oſtendit: *Nigra ſum ſed formoſa, filia Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar & ſicut pelles Salomonis.* Docetur itaque his comparationibus nullam perſonam execrari, quàm maximè qui præeſt populo Chriſtiano, etiam ſi minùs ſplendeat conuerſatio eius in ſanctis operibus; ſed propter præcelſum ordinem venerandum, quia non ad eum reſpicit hostor, ſed ad ſancta ſanctorum martyria, quæ intrinſecus contingere Ordo ſacerdotalis cognoſcit. Arca enim

Ioan. 1. b
Matth. 7. c
In SS. Trinitate, nec tempora nec gradus.
Pſal. 118.
Luc. 1. a
Pſal. 118.
2. Cor. 12. a
Galat. 4. d
Luc. 2. b
Epheſ. 2. a
Epheſ. 5. f
Titum 3. b
Exod. 2. d
3. Reg. 10.
2. Paral. 9.
Matth. 12. b
Luc. 11. d
Act. 8. f
Pſal. 67.
Act. 11. a
† *Sic interpretatur ille, cuius cõmentaria in Cantica, inſerta ſunt Operib. Orig. lib. 2.*
Epheſ. 2. d
1. Ioan. 3. e
Rom. 11. d
Pſal. 93.
Eccleſiæ Paſtores ne execremur.

Exod. 25. a Iosue 6. a 1. Reg 6 a 2. Reg. 7. a enim Testamenti; quæ typum corporis Christi gerebat, cui fluenta Iordanis, cui muri Iericho, cui Allophylorum ferocitas cessisse legitur; vilissimis pellibus erat contexta: & vilissima sunt papyro contexta tabernacula Cedar; sed magni de stirpe Patriarchæ Abrahæ oriundum, ab æstu & pluuia contegunt populum: Abraham

Exod. 36. c Genes. 16. d Genes. 25. b enim genuit Ismahelem de Agat; & Ismahel, inter cæteros genuit Cedar. O, inquit, filiæ Ierusalem, non vilescat vobis, extrinsecus minus pulcher aspectus, qui tabernaculis Cedar & pellibus Salomonis assimilatur; quia licet vilia sint, magni tamen Patriachæ contegunt

Genes. 22. c prolem, cui benedixit Deus in Auo, in quo benedictæ sunt omnes nationes terræ. Et licet mortuorum animalium exuuiæ sint, pelles Salomonis; attamen magnam (vt dictum est) contegunt ab æstu & pluuia Arcam, altare, & omnia vtensilia Tabernaculi, Sancta sanctorum. Tabernaculis ergo Cedar, & pellibus Salomonis se cõparando, Ecclesia, de errore ad verã fidem, ex mendacij calice ad lucem veritatis iustitię de truculenta iracundia ad pacis tranquillitatem, ex defensione Idolorum ad defensionem vnius Dei se transmigrasse ostendit; & profectus suos gradatim ad Dei notitiam, filiabus Ierusalem exponit. Primò, tabernaculis Cedar; Secundò, pellibus Salomonis comparando; quia longè meliora, pelles contegunt Salomonis, quàm tabernacula Cedar. Illa enim, ferocem nigrámque contegunt gentem, Pelles verò Salomonis, ea quæ Christi omniúmque Sanctorum eius typum gerebant. In tabernaculis videlicet Cedar, protegere docetur Ecclesia eos, qui adhuc necdum Legis diuinæ sermone instructi sunt, aut gratia sacrosancti baptismatis emundati, quos fidei suę luce protegendo inlustrat: In pellibus autem, vt diximus, magnę contegi personæ monstrantur; quæ (gratia laboris) ad pristinam pulchritudinem tepedauerunt, & de sancta conuersatione nunquam foras egrediuntur, imitando

Gal. 5. d matris Ecclesiæ vitam (quæ se pellibus comparat Salomonis) ad instar pellium mortuarum, crucifigẽdo cum Christo carnem suam redigunt, quatenus possunt in se

Ephes. 2. d Christi similitudinem trahere. In cuius persona introducitur Salomon, qui pacificus intelligitur Christus, qui est Ecclesiæ pax: cuius, cuius si quis pellis meruerit esse; ipse proculdubiò continebit in recessibus animæ, diuina mysteria Sancta Sanctorum. Namque Ecclesia aliquando vt tabernaculum Cedar, qui tenebrosus mœror interpretatur; quando vtique de tenebris errorum, suæ consolatione doctrinæ, mœrentes impios sub alas suas suscipit pœnitentes, quando ab imminente gladio protegit & defendit ad se confugientes: & aliquando vt pelles Salomonis; tunc necessariò, cùm Orthodoxos, & totius scientiæ sanctitatis intra se cõtinet viros; quando misericordem, pacificum, rectè iudicãtem, sobrium, pudicum, mansuetum, virginúmque intra se gestat exercitum. Quando autem (vt diximus) maioribus vitijs occupatis mentibus, immittente diabolo; in his quam maximè qui plebis Dei probantur gerere principatum, intra se continet viros; Tabernaculis comparatur Cedar, tenebroso mœrori; qui dum terrenis desiderijs detinẽtur, semper diabolo (cui in hoc Mundo permissa potestas est) proximi fiunt. Cui quantò quis vicinior; tantò

Gen. 1. f in illa forma qua creatus est ad imaginem Dei, efficitur magis alienus. Qui ita consentientem sibi animam, ab illa gloria, Creatoris similitudinem decolorat, Solem se iustitiæ mentiendo; sicut iste Sol volubilis in plaga cœli, vbi vicinior terræ ambulat, incolas loci nigerrimos reddere comprobatur. De quo mysterio vt nos doceret Spiritus sanctus, non naturæ, sed voluntatis nigredine peccatorum infectos, sub Ecclesiæ figura (causam nigredinis, filiabus Ierusalem reddente) exposuit, dicendo: *Nolite me considerare quod fusca sim: quia decolorauit me sol.* Ostendit vtique, non secum, nigredinem à Conditore esse formatam; sed nimia vicinitate diaboli fuisse

2. Cor. 11. adtractam. Nam qui se, altissimo Deo adsimilare, & in angelum lucis transfigurare non metuit; quomodò non

etiam se Solem iustitiæ mentiatur? animæ captiuæ tol-
A leudo pulchritudinem naturalem; & superinduendo suam terram adulterámque effigiem, perituram de cœlo tradit. Ergo huius Solis radijs inurentibus; quæ anteà fusca, creaturas & turpitudines pro Creatore, colendo, adorando, totis viribus defendendo in eis quorum elata sapientia stultitia reputata est: sed iam Christo credendo, in Apostolis qui verè validissima membra Ecclesiæ sunt, & lucem recepit & pristinam pulchritudinem reparauit per sanctum lauacrum baptismatis: quem Synagoga non recipiendo, à consortio Christi exclusa vsq; Ephes. 5. e hodie, dolet Ecclesiam gentium introductam, & cæco Titum 3. b furore persequitur & expugnare conatur. Nam si quis de filijs Synagogæ se cõmodauerit ad sensum Apostoli Rom. 9. g Pauli, docentis quomodo Christi consortio supradicta Rom. 11. c nigredinis macula abstergatur; statim in eum odia con-
B citant & persecutiones: Et cùm sint vnius matris filij (siue Euæ, siue Synagogæ) quasi execrabilem alienigenam & hostem expugnant & persequuntur; dolentes scilicet, quòd secretorum suorum delatorem ex se, habeant impugnantem; sicut in sequentibus demonstratur, cùm dicitur: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me: posuerunt me custodem in vineis, vineã meam nõ custodiui.* Reddit ergo rationem, quam ob causam à filijs suæ matris impugnetur; quoniam inuenta meliore, traditam sibi custodiam vineæ suæ dereliquit. Quicumque ergo verbo sapientiæ cuiuslibet philosophiæ fuerit eruditus, qui à populo libenter auditur, vel cui docendi potestas conceditur; custos vineæ intelligitur. Vineam autem, populum appellari vel gentem, in multis Scripturæ diuinæ
C locis reperies: vt illud in Propheta; *Vineam ex Ægypto transtulisti:* Et in Esaia Propheta; *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est:* Et in Ieremia, genti Hebrææ improperat Deus; *Ego, inquit, plantaui te vineam meam, quomodo cõuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Psal. 79. Esa. 5. b Ierem. 2. d Sed hic cum distinctione, suam & non Domini vineam se deseruisse ait; vt ostenderet, ab ea quæ est Domini doctrina quã in Prophetis suscepit Mundus, omnem aliam propriam esse doctrinam, & pro doctrina propria effici plebem doctoris. Et hac de causa, vineam figuraliter plebem appellari, quòd ita necessarium habeat doctorem sicut vinea cultorem vel custodem habere probatur. Et hæc custodienda dicitur tradi illi qui in ea sapiẽtior repertus fuerit; per hoc quod de iudicio Seniorum vel procerum, docendi ac-
D cepit potestatem, & susceptam docendo custodit; de qua vinea, lætitiæ fructum gaudens suscipiet; Et si sanctè non viuens, nec rectè docuerit homines, amarissimum bibet impietatis fructũ supradictæ vineæ suæ, cùm ante tribunal æterni Iudicis tantarum animarum sacrilegio condemnabitur quantas per se docuerit. Cuius quantò longiùs latiúsq; auctæ fuerint per doctrinam venenosæ propagines, tantò & augentur cruciatus. Nam sicut ille qui fecerit priùs, *& sic docuerit homines bona, magnus vocabitur in regno cælorum;* ita & iniqui doctores gentilium, hæreticorum, vel magicarum artium magistri, vel nuncij deorum, qui acutis sermonibus & dialecticis syllogismorum conclusionibus veritatẽ in mendacium vertunt; magni malorum magistri, in magna supplicia vocabun-
E tur. Quorum quisquis derelicta tali vinea sua in Christi vineam venerit, & in ea sanissimis sermonibus & vitæ sanctæ exemplo culturam impenderit; hunc persequuntur, contra hunc pugnant huius gentis homines, & inflammante diabolo acutissimis contra eum verborum iaculis concitantur ad pugnam: Cuius vox inducitur; *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Filij matris,* id est, ipsius gentis in qua fuerat doctor: qui filij quidem sunt matris, iuxta prosapiam generis seu religionis in qua lætus doctrinam suscepit; Fratres autem dici non possunt, eò quòd alieni & indigni à sancta religionis fraternitate (vehicula vel mancipia se præbendo, diabolo) in quibus diabolus persequitur sanctos, & diuersis dilacerat pœnis. Et eos crudeliùs & quàm maximè persequuntur,

Docendi potestas, de quorum iudicio suscipitur.

Hæresiarcharum damnatorum cruciatus, propter dictarũ ab eis animarũ numero; augebuntur.

Matth. 5. e

A qui eorum impio consortio derelicto, ad Christi confugiunt fidem: Sicut factum est à Iudæis in Stephano, & in Paulo, vel in omnibus Apostolis Christi. Contra quos *filij matris* Synagogæ, stricto pugnauerunt mucrone: Et sicut de magno viro Iustino Philosopho historia refert factum; qui ex sua variissima ad veram philosophiam Christi dum conuertitur, & conuersus cum sancta religione contra Gentiles & quosdam filios Matris Philosophos redarguit blasphemantes, callidè in secreto vocatus, ab eis magistris interfectus est. Cõtra quem vtiq; *filij matris*, impiæ religionis, cùm antiquam doctrinam deseruisset, vsque ad sanguinem pugnauerunt. Hoc & multitudo Martyrum, a filijs Matris suæ perpessa probatur, secundum domini dictum; *Tradet*, inquit, *frater fratrem in mortem, &c.* B Suam autem vineam dicit se non custodisse, quoniam cognouit eam Domini non esse, eò quòd non susceperit Christum: Matrem verò non denegat, de qua natus est, Gentem; quoniam maxima laus est, de incredula stirpe Christum negante, prædicatorem Christi egressum. Nam si Iudæus est, non negat Synagogam matrem, vnde Patriarchæ, vnde Prophetæ, vnde Apostoli sunt procreati. De qua matre magnus ic in vita, sacerdotalis proles Paulus extollit, dum pugnat contra filios *Matris*, dicendo: *Hebræi sunt, & ego; Israelitæ sunt, & ego; Semen Abrahæ sunt, & ego.* Si verò gentilis doctor est, non negat philosophiam matrem, per quam natus, vel adoleuit in sapientia huius mundi. Cuius exercitio, non parum intelligentiæ adquiritur in diuinis

Act. 6. & 7.
Act. 9.
Meminit huius D. Hiero. satis honorificè in lib. de Eccl. scriptoribus. Sed quod hic Aponius narrat de morte Iustini pugnas cum Archa sincero martyrij eius, quæ cum publicè à iudice pro Christi fide interfectũ produnt.
Matth. 10. e
2. Cor. 11. e
Philosophiæ exercitio, non parum intelligentiæ adquiritur in diuinis literis.

apicibus, quomodò mali doctores, gentiles, Iudæi, vel hæretici impugnatores Ecclesiæ, suis periculis sauciantur. Conuenit enim armatum Custodem antiquis sapientiæ armis cum quibus propriam vineam custodibat, ad Domini vineam transmigrare; quatinus resonante vitæ immaculatæ flagello, & splendente sermonis iaculo, inlæsam possit omni parte prædictam rectæ fidei vineam custodire. Duplicia enim sapientiæ arma, Custodi vineæ necessaria sunt; huic præcipuè qui suam diruit & ad Domini vineam conuersus transiuit: Sanctæ scilicet conuersationis exempla, & sanæ doctrinæ sermones, simúlque astutia serpentina & Secularis ad simplicem sanctitatis candorem spiritalis columbæ, per quam, rationem de arcanis rebus reddendo quærentibus & patienter iniurias sustinendo, malos possit reuincere impugnatores. Cùm ergo fuerit vtrisque armatus doctor plebis Dei, diuinorum apicum, & mundanæ astutiæ sapientia; victi, post pugnam necesse est vt cadant impugnatores Ecclesiæ, sicut per Apostolos sæpenumerò in altercatione fidei factum probatur. Isti vtique qui suam, & non Dei vineam custodiunt docendo; mox vincuntur proculdubiò vt inchoauerint pugnam, quia proprijs viribus confidunt. Ille autem qui traditam sibi à philosophis vel autoribus hæreticorum vineam dereliquit, & ad veram Christi vineam transmigrauit custodiendam; ipse Dominus Christus impugnantes eum expugnat: cui est honor & imperium in sæcula sæculorum.

Astutia secularis.
Doctorum Ecclesiæ, Armatura duplex.

FINIS LIBRI PRIMI.

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM.

LIBER SECVNDVS.

Cant. cap. 1. b



INDICA *mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum.* Post impugnationem & prælia, post multorũ laborum desudationem; prolongasse à se quæritur Christum; vt nos doceamur quanto desiderio quantisq; lacrymis, post impugnationẽ vitiorum post dæmonum pugnas, debeamus emendata & bona vita quærere Deũ vt nobis adiutorio suo iter ostendat, quibus actionibus suffulti ad consortium earum animarum peruenire possimus, quas ipse Dominus pascit, quas ipse accubare facit, cum quibus ipse præsens est semper: quibus opinor nullam iam luporum dæmonum subreptionem nocere, quas credo nulli vitio carnali subcumbere, nec aliquo contagio addictas peccati. De quibus ipse Dominus in Euangelio dicit; *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego pascua bona do illis.* D Et quæ sint istæ Dei oues tam necessariæ tam fœtæ, támque amabiles, quas non Angelis, non Archangelis credit pascendas, sed ipse Dominus pascat eas; beatus Paulus euidenter ostendit. Qui dum in Ouili Dominico, præceptis suis singulas ordinaret oues, suo consistere loco: hoc est; quid vxor viro debeat, quid vir mulieri, quid pater filio, quid filius patri; quid frater fratri, quid seruus Domino, quid Dominus seruo: Vbi verò ventum est ad supradictas peculiares quas in claro meridiano lumine ipse accubantes custodit; nihil sibi super illis dicit in præcipiendo iniunctum negotij, dicendo: *De virginibus autem Domini præceptum non habeo, consilium do quasi misericordiam consecutus:* De quibus in alio loco dicit; *Qui autem Christi sunt, carnem suam cum Christo crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs suis.* Habet ergo Dominus noster Christus, animas nimia sibi charitate coniunctas quas in claro intelligentiæ vel dilectionis suæ meridiano lumine semper conseruat, quæ per innocentiam & mansuetudinem supra-

Ioan. 10. e
Ephes. 5. & 6.
1. Cor. 7. e
Galat. 5. d

C dictæ integritatis, vel solerti vigilantia in scrutandis testimonijs eius, flagrantes amore diuino fuerunt; & quas non solùm baculo proprio tegit, sed & brachio constringere & sinu portare, Prophetarum ore probatur. In quibus Esaias; *Ecce*, ait, *Dominus cum fortitudine veniet, sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Quas animas ego confidenter in illis intelligi dico qui veri philosophi cœlestes effecti, relinquentes Mundum cum delicijs & fallacijs & pompis suis, & heremi habitationem aulis regalibus prætulerunt, potiùs eligentes cum bestijs & sæuissimis draconibus in desertis, quàm cum nequissimis hominibus in vrbibus habitare: & nimium sumptuosa illa impendia ciborum (quibus oneratus, diuersos languores terminando, distenditur venter) ad vnius pulmentarij crudorem holerum, vel exiguum panis & aquæ vsum redegerunt. Qui à tempore matutino (id est, initio credulitatis suæ) disciplinæ bonitatis, vel scientiæ Legis diuinæ pascuo, repleuerunt conceptaculum cordis sui, vsque ad meridianum; hoc est, vsque ad perfectum ætatis tempus. Nunc verò illum suprascriptum cibum qui in tempore iuuentutis, ardentissimo desiderio & minus mundano, in mentis recessu reconditus est, legendo, in claro intelligentiæ illius meridianóque lumine recubantes (id est, requiescentes) ab omnibus immundis cogitationibus, præsente Domino Christo conseruantur. Vbi nullus turbidarum cogitationum clamor, nullius desiderio distentatur; adulterij in ea nulla subreptio, nulla peruagatio oculorum, ciborum nulla concupiscentia transcendit certum terminum constitutum: sed sola ibi pax iustitiæ, ibi solum silentium, cultus iustitiæ requiescit; vbi Domino præsente, nihil aliud præter diuinos apices motu labiorum ruminando, imbuuntur. In quibus dulcissimis pascuis, in quo splendore meridiano, in quo vmbraculo

Esa. 40. e

vmbraculo refrigerij; post prælia illecebrosa vitiorum, post multimodas dæmonum pugnas, post malorum hominum persecutiones, desiderat se deduci Ecclesia: in his duntaxat, qui ab hac gloria procul sunt, dicendo; *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum.* Docemur igitur nũc quemadmodùm miles, quàm diu in acie constitutus stricto mucrone decertat; nec cubile recubandi securè, nec cum rege miscere colloquia illi cõceditur: Ita & anima, quàm diu impugnatur stimulis variarum tentationum, quàm diu calumniosis litibus incursatur, quàm diu blasphemijs plena hæreticorum vel gentilium concertatione desudat, quàm diu incentiuis desiderijs agitatur, quàm diu corporis mortem pro iustitia inlatam expauescit, quàm diu non concupiscit *dissolui & esse cum Christo*, ad supradicta pascua & peculiare meridianum cubile, perspicuũ intelligentiæ lumen (vbi vberibus inhiando præsente Domino, sermo eius virtutem saporis ostendit) peruenire non poterit. Vide itaq; ordinem huius carminis, quod vt nubunt sponsæ, cecinit Spiritus sanctus. In quo sacramento docemur, non nobis hoc tantùm sufficere ad vitam æternam obtinendam quòd baptismate à sordibus præuijs peccatorũ deloti, quòd osculum Christi per Corporis eius & Sanguinis gustum anima nostra suscepit, quòd in cellaria notitiæ Scripturæ diuinæ introducta est, quod directionem fidei (vt Apostoli tradiderunt) retinet inconcussam; nisi semper ea quæ operata est mala postponat, & inhiando ad ea quæ necdum perfecta sunt, petendo, quærendo, pulsando, totis viribus extendatur. Non enim vult alium quenquam socium amoris Deus in anima hominis: Sed in tota virtute eius, in toto corde, & in totis visceribus eius, solus obtinere desiderat principatũ. & in trino opere eius, cogitatione, verbo, factúque, solus discurrere delectatur, sicut trino mysterio se in Decalogo diligi. Dicendo enim; *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo*; cogitationem sibi hominis, velut palatium intitulauit: Dicendo, *& in tota anima tua*, sermones sibi eius singularem laudem sacrauit. de qua dicitur in Propheta; *Ego Dominus, laudem meam alteri non dabo, & nec laudem meam sculptilibus*, quæ sola vtique sermonis obtinet potestatem. Dicendo verò, *In tota virtute*, quis ignoret operam hominis nominasse, quam pro sua voluntate sibi vult semper totam impendi, sicut ipse ait in Euangelio: *Operamini opus quod non perit.* De quo itidem Apostolus commonuit: *Quicquid agitis* (inquit) *siue manducetis, siue bibatis, siue aliud quid faciatis, omnia in nomine Domini facite.* Quòd si omia in nomine eius iussa sunt fieri, nulla dereliquit opera, quæ non in eius nomine faciat: Imò & ideò nuptiæ etiam à sacerdotibus Christi benedicuntur, & sine macula thorus, Lege diuina, pudicorum coniugum, à Solomone laudatur. Qui ergo vt iussum est, *In toto corde, in tota anima, & in tota virtute* diligit Deum, nullum in se officiũ mẽbrorum vacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum cupiditati, nullum mendacio, nullum cenodoxiæ, nullum libidini, præoccupauit enim totum habitaculum mentis suæ, latissima Dei dilectione, & operante diabolo multas obstaculorum formas, propter Creatorem totis viribus calcando transcendit: & nihil tam bonum in hac vita, nihilque iucundius ducit, nisi Deo soli indesinenter coniungi sicut dicebat Propheta, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meã.* Vbi igitur hæc omnia, operata à perfecta anima fuerint, & amori Christi nulla dilectio huius mundi fuerit antepolita; tunc magna fiducia & ardentissimum desiderium nascitur inquirendi ea etiam quæ sunt occulta: & habitante in recessu mentis suæ Spiritu sancto qui *omnia scrutatur* secundùm Apostolum; alijs proculdubiò inusa & inaudita, quæ adepta est perfecta anima, reuelauit: cuius vox præsenti introducitur loco: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne forte euagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Sicut ergo oues sine pastore, & sine bono pastore subsistere minimè possunt: A ita docuit præsenti loco, animam sine notitia rectæ fidei (in qua Creator noster, in qua æterna Trinitas probatur consistere) & sine adiutorio diuinæ protectionis, nec vitam æternam adipisci nec à Diaboli morsibus liberari. Hæc proculdubiò pascua, Sponsa desiderat adipisci, quæ in Domini nostri Iesu Christi incarnatione ostensa sunt; vbi credentium animæ pascuntur floribus, vernante campo dulcissima Euangelica doctrina, sicut prophetatum est per Ezechielem, Domino ipso dicente: *Ego requiram Oues meas, & congregabo eas de cunctis montibus, & non erunt vltra in deprædationem bestiarum, & ego pascã eas, & ego accubare eas faciam, & seruus meus Dauid pascet eas iustitia & doctrina.* Vbi vnaquæque anima, pro capacitate sensus sui, quanta voluerit pascua miri saporis, currẽdo decerpit. Vbi post ardentis nequitiæ Solis æstus; sub B tegmine defensionis Crucis, in perspicuo intelligentiæ lumine, Dei hominisque societate, agnito redemptionis mysterio, à diaboli impetu, qui solus mentitur, defenditur. Manifesta (ta) est autem omni terræ, vbi pascua sanæ doctrinæ Apostolorum principi reuelata est Petro, dum interrogante Christo respondet: *Tu es Christus filius Dei viui qui in hunc mundum venisti.* Ecce quomodò oues aliquando ad vocem veri Pastoris, pascua vitæ æternæ in Petro inueniunt: & ideò Petrus tantis laudibus coronatur, cùm ei dicitur; *Beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed spiritus Patris mei qui in cœlis est*: quia ita ore eius, reuelante Spiritu sancto, gloriosa pascua, & requiei sempiternæ, vitæ cubilia, Ecclesiæ indicata sunt; vt iam non vltra per malos & alie- C nos greges vel pastores vagetur, eò quòd miram sententiam protulerit respondendo, quæ nullius nisi solius notitiæ erant indiuiduæ Trinitatis. Ecce enim hic euidenter coæternæ Personæ monstrantur, qui venit, à quo venit, & quid reuelauerit Petro. Nã sicut terra, Solis calore & pluuia, pascua iumentis victúmque hominibus germinare ad vitam præsentem probatur: Ita & Dei Filius in aduentu suo, manifestando clementissimam Trinitatem vitam dedisse animabus credentibus comprobatur: sicut ipse Christus ait: *Pater quos dedisti mihi, dedi illis vitam æternam.* Et quæ sit vita quam dedit, in sequentibus declarauit: *Vt cognoscant*, inquit, *te verum & vnum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Ista pascua non videt anima, nisi quæ vestigia Petri, credendo & confiten- D do fuerit prosequuta. Ista pascua non videt Iudæus, neque gentilis, neque omnis hæreticus, qui non sequũtur pastorem quem princeps Pastorum Christus Mundo vicarium dereliquit, dicendo: *Si amas me, pasce oues meas.* Omnis namque anima quæ non humiliter petẽdo, quærẽdo, pulsando, hæc sæpe dicta inuenerit pascua, & iuncta non fuerit Dominico Gregi, foris caulam rectæ fidei exclusa aberrans; vbicunque audierit vocem falsorum Pastorum passim discurrit, ita vt modò ad vnum gregem philosophiæ dogmatis auditorum iungatur, nunc ad alium: qui innumerabilium peruersorum dogmatum inuentores magisterio dæmonum extiterunt; qui cùm boni creati essent à Cõditore, proprio libertatis arbitrio in maliciam tyrannidis sunt conuersi, & cõ- E tra salutem hominum quotidiè inflammantur. Ideóque Prophetis docentibus, falsos vt pellant Prophetas qui contraria mentirentur, & ea quæ hominibus mortem perpetuam generarent; quærentibus per insitam sibi rationem naturæ philosophis Creatorem, innumerabiles secuti sunt inter eos, & nænias verborum immiserunt; & pro summo bono; id est, summo Deo quem quærere conabantur; tot eos blasphemias docuerunt, quot greges philosophiæ reppererunt in Mundo. Veniente autem vero pastore Christo qui perditum quæreret, ægrotum sanaret, confractum alligaret; ijdem hæreticorum autores, ad iugulandas animas se præparauerunt: quorum doctrina, diuersi greges animarum, sub diuersorum Pastorũ manu, propria volũtate redacti sunt. Qui dum sint angeli refugæ, ausu temerario Christos se

Phil. 1. e.

Osculũ Christi per gustum corporis eius & Sanguinis suscipit Anima.

Deut. 6. b. Matth. 22. d.

Esa. 42. b.

Ioan. 6. d. 1. Cor. 10.

Nuptiæ à Sacerdotibus benedicuntur.

Psalm. 72.

1. Cor. 2. c.

Ezech. 34.

D. Petrus Apostolorum Princeps. Matth. 16. c.

Oues aliquãdo æterna vitæ pascua in Petro inueniunt.

Personæ S. Trinitatis, coæternæ.

Ioan. 17 d. Ioan. 17. a.

Petrus Christi vicarius. Ioan. 21 f.

Esa. 61. a. Luc. 4 c.

faecere præſumpſerunt: qui, Chriſto per Apoſtolos animas ad paradiſi montem vocante; id eſt, ad notitiam quomodò debeat intelligi coæterna potentia Trinitatis armatis quodammodò hæreticorum verbis, vel inani philoſophia Gentilium, in inferni foueam rettahunt per momenta. Quod periculum metuens, Sponſa ne incurrat; precatur ſibi gregem Electorum (vbi paſcatur ſana doctrina) indicari; quem ipſe Chriſtus paſcit: ne ſemel aberrans perfecta anima de grege Chriſti; diuerſè de eius diuinitate vel incarnationis myſterio ſentiendo, per greges apoſtatarum Angelorum diſcurrat: quos error hæreticę prauitatis per Baſilidem, Valentinum, Photinum, Apollinarem, Macedonium, Eunomium, Montanum, Cataphrygam, Manichæum, Arrium, vel per omnes hæreſiarcas congregauit. Qui hac de cauſa Sodales appellantur quòd vnuſquiſque eorum dęmonum vicarius vel collega per ſuperbiam effectus eſt: & quòd omnes hi, cibos doctrinę, apud ſenſum ſuum (de quo cuncta meditando promunt) deceptis animabus præparatos; ſinguli ad vnam menſam, Legis diuinę teſtimonija malè interpretatis, deferũt comedendos. Propria enim pulmentaria ad vnam menſam multi propter commune conuiuium deferentes, ab antiquis ſodales ſunt nuncupati. Ad quorum comparationem, malorum dogmatum inuentores, Sodales Chriſti, Eccleſia appellauit: qui dulcia verba ſanctę Scripturæ, venenoſis ſenſibus ſuis inficientes, diuerſo ſapore lætali inter ſe variante, vnius mortis ęternæ conuiuium prępararunt animarum. De quibus dicit Propheta * Eſaïas: *Væ illi, qui cibat amicum ſuum, mittens fel in eſcam eius*: Quorum magiſtri dęmones, dum angeli boni creati ſunt & ſuper ſingulas nationes poſiti ſunt agere principatum; in ſuperbia eleuati, vnamquamque mentem vel animum, fellita doctrina & criminibus interire feſtinant. Quas per vitia carnis & cupiditatem pręuiderint ſe ſupplantare non poſſe; peruerſi dogmatis veneno ſo poculo perimunt, ne ſoli in ęternis ſupplicijs crucientur. Talia ergo paſcua quę pręparant Sodales, perfecta anima formidans incurrere; Chriſti veri paſtoris vocem audire precatur, ne euagando, letali eorum contagio ſaucietur, qui contingentes ſe inſenſibili inficiunt morbo. Quibus Apoſtolis, nec in ſalutationis iubet vicinitate coniungi, dicendo; *Hæreticum hominem, poſt vnam & ſecundam correptionem deuita*: & vę illi qui dixerit; communica operibus illius. Hęc igitur conſortia ne incurrat, perfecta anima deprecatur; vt nobis qui Eccleſiæ filij ſumus, ne hęreticorum conſortia incurramus, exemplum pingeret deprecandi; vt inter omnia quę pręcepit Deus, maxima cura ſit Deum ſupplicandi quatinus nobis illarum perſonarum cõſortia tribuat in quibus Chriſtus Redemptor noſter, rectę fidei cibo doctrinę ſuę, in ſe credentium animas paſcit; & quarum mentibus, humilitatis vel manſuetudinis vel caſtimonię nemoroſis meridianis cubilibus delectatur. In alia enim peccata quicunque incurrit; aberrans à Dominico grege, citiùs, monitis ſalutaribus ad Ouile Chriſti poterit reuocari: Hæreticorum autem veſtigia, anima quæ fuerit conſecuta; aut vix, nimiùm vulnerata, aut nũquam omnino ad veritatis Ouile reuertetur: quoniam tam diu labentia eorum dialectica arte compoſita doctrinæ itinera ſequitur, quàm diu occurrente mortis fine, ab ſpiritibus nequitiarum beſtiíſque deuoretur. Et dum ſe opinatur quis ſummas ſcientias illius ſequendo dogmatis adtigiſſe, ab alia expugnatur; vltimo diſcipuli loco, in calcaneo reuocatur. Qui dum ſerui dæmonum, plauſu verborũ geſtientẽ eruditionẽ, Dei eruditioni pręponant beatitudinem conferenti, non per viam Dei Patris (quæ eſt Chriſtus) ambulant; ſed per viam cordis ſui quam diabolus fecit, in huiuſmodi mentibus deambulando vel inhabitando, ad ſupradictos deueniunt greges: vbi infelix anima; etſi prima fuerat aliquando in ſcientia ſancta, nouiſſima tamen deteriórque eis quorum ſe magiſterio ſubditur, efficiatur neceſſe eſt. Ita vt ſi in illos greges deuenerit, vbi Valentinianus, Marcion, Baſilides, vel Manichæus primi eſſe probantur, neceſſe eſt vt in veſtigijs eorum ambulans, in grege eorum contra ſe bellante in docendo euagetur: & in eo vbi Photinus vel Bonoſus primi ſunt, in multitudine falſorum Chriſtianorum, non vnum Redemptorem totius Mundi confitentium, vagetur: quos dicendo aſſerunt fieri, non de vtero Virginis procedendo; ſicut Saluatorem noſtrum impio ore blaſphemare non metuunt nequaquam per diuinitatem ſed ex doctrina Chriſtum nominari debere: qui tantã multitudinẽ Chriſtianorum fieri per momenta confirmant, quãti reperti fuerint qui ſermone doctrinę vel exemplo vitæ ſuæ homines ad vitam immaculatam potuerint prouocare. Si verò in eum peruenit gregem vbi candor ſacroſancti baptiſmatis, vbi adoptio filiorum Dei, vbi dona ſancti Spiritus auferri poſſunt reddi non poſſunt; nõ ſolùm in veſtigijs turmæ Arrij & Montani eorúmque ſimilium vagatur, ſed opinor huiuſmodi animam truncato capite in his ſolis veſtigijs remanere, dum à capite Chriſto (perdita fide) diuiſa; vltimis gehennæ ignibus deputatur. Quod malũ, omnem Gentilium hæreticum vel Iudæum expectat, ſi minimè per ſenſum rationabilem quem à Deo ſuſcepit, agnouerit quid debeat renuere, quid amplecti; ſicut ſequenti verſiculo ſub Sponſæ imagine, Anima Dei verbo, commonetur, cùm dicitur: *Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Hoc igitur quàm maximè ad eruditam Legis diuinæ ſcientiæ animam reſpicit; vt poſt illa retrodicta lætitiæ cellaria oſtenſa, agnoſcat ſe, cur vel à quo creata ſit, & quid eam maneat ſi non circũſpectè per momenta pulchritudinem ſuam quam à Dei Filio ſuſcepit vel reparauit, ſeruauerit. In ænigmatibus ego, vt nuptialem cantilenam; & nihil hiſtoricè in toto hoc Cantico agere Spiritum ſanctum, retro iam diximus: vbi non de terribilibus Iudicij, non de pœnis impiorum, aut aliquid ſimile eſt ſicut in alijs ſcripturis narratur; ſed quaſi amatoria Verbi Dei & animæ, dulci modulatione canuntur. Et ſi quid ſiniſtrum inrepere animæ, præuidetur; blanda commonitione docetur: & neceſſe eſt, vbi figuris agit Spiritus ſanctus, nos allegoriæ omni modo deſeruire. Hìc ergo mulierum nomine, omnium gentium quæ in hoc mundo ſunt, multitudinem nominauit: inter quas omnes nationes, vt regina ornata monilibus (Legis videlicet & ſacrificiorum ritibus) quæ Templo, velut Sponſa thalamo vtebatur; omnibus pulchrior, gens Hebræa eſt nominata: quæ in illa plebe quæ Chriſtum cognoſcens, quaſi legitimum virum in propria domo ſuſcepit vbi Moyſes famulus fidelis laudatur; Regina efficitur & ſponſa: quæ agnouit, ſe in figura omnia inſtrumenta veteris Teſtamenti portaſſe; & ſe de errore gentilium, ad baptiſmum per legem & ſacerdotum officium ex Ægypto eſſe deductam: quæ Dominum ſub columba nubis (in defenſionem ab æſtu incentiuorum dæmonum) & in ignis columna (in ſancti Spiritus forma) præceſſiſſe agnoſcit; per quem Pater reuelat abſcondita ſacramenta: quæ, Manna (in Verbo carne facto) vitam hominibus conferente ſuſcepit; quod multiplex eſt & *minutum* ſtatim diluculò colligendum mox vt notitia eius inluxerit cordibus noſtris, antequã ardor auaritię, antequã odor vanę gloriæ, antequã ardor libidinis exhalet in nobis. Nam vbi hi æſtus inferuerint mentibus noſtris, panem illũ cœleſtẽ (in quo dixit Dominus hominem viuere) ad ſuam retractum naturam fugant à nobis, nec intra noſtra viſcera eius virtus manebit; ſicut Sole orto, Manna ad liquoris naturam reuertebatur; quod in Arca teſtamenti, incarnationem Chriſti præluxiſſe agnoſcitur; & quatuor annulis Euangeliorum, confixis duorum Teſtamentorum vectibus, à quatuor Euangeliſtis (Leuitis ſcilicet) collo, in hoc toto itinere vitæ portatur. Cuius ſolius viſio, impetum fluminis mundanæ ſapientiæ, ad fontis originem in Iordanis figura reuocauit. De qua idem Salomon dixit; *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt*: quæ in figura Iordanis diuiſa,

Margin notes (left column): Matth. 14. e. — Hæretici, malè interpretatis Scripturæ teſtimonijs venena ſua deceptis Animabus propinant. — Iob. 13. a. — * Abac. 2. hæc habentur non apud Eſaïam. — Dæmones nationum principes conſtituti ſuperbientes. — Tit. 3. e. — Orandum ne in hæreticorum conſortia incurramus. — Hæreſis vulnera quàm ſint letalia.

Margin notes (right column): Toto libro Canticorum nihil hiſtoricè agit dicitur Spiritus ſanctus. — Exod. 14. — Exod. 13. d. — Matth. 11. d. — Ioan. 1. b. — Exo. 16. c. — Matth. 4. a. — Deut. 8. a. — Luc. 4. a. — Ioan. 6. d. — Exod. 16. d. — Exod. 37. a. — Ioſue. 3. c. — Eccleſ. 1. a.

diuisa, in duas partes præfigurata est. Illa enim pars aquæ quæ in Mare ante faciem Arcæ delapsa est, illa vi- A detur Philosophiæ pars quæ suo obstinato impetu (contempta prædicatione Christi) præceps, impetu in infernum delabitur: Illa verò sapientum huius Mundi turba quæ ad fontis meatum recurrit vel stetit in tumulo; ipsa proculdubiò purè agnito Christo (quasi ad caput fontis recurrens, ad Sacerdotij honorem & ad Martyrij gloriam) omnium bonorum cultrix efficitur & instar Iordanis sublimatur ad cœlum: Quæ agnoscit, vniuersa quæ gesta sunt à protoplasto Adam vsque ad Christum, in typo redemptionis humanæ omnia præcessisse. Illa autem plebs quæ ista omnia agnoscere contempsit; hoc illi eueniet quod præsenti loco vox Dei Christi minatur:

Ioan. 1. b. Quæ dum Christum *in propria* venientem suscipere re- B nuit, tradita est sæuissimis regibus; & de proprio solo lugens egressa, abijt post vestigia variarum gentium, *gregum*, violenter trahentium se; & pascit doctrinæ suæ cibo, Circumcisionem tenendo siue legem Moy-

Matth. 25. d. si, filios suos *hædos à sinistris* segregandos: *iuxta tabernacula pastorum:* Horum proculdubiò Regum vel Principum, in quorum regno & potestate tradita est; quorum tabernacula, ritus diuersarum religionum intelliguntur.

Reges vnde adepti sunt nomen Pastorum. Qui sicut pastores nuncupantur ab eo quod populos circumspectione sua vel legibus monitisque siue alicuius doctrinæ cibo pascant; ita & *tabernacula* eorum, templa & luci Idolorum intelliguntur. Vbi ita credunt se habere confugium, quemadmodùm à tempestate, sub frondium tuguria, pastores brutorum animalium C confugere adprobantur; quæ, tabernacula moris est appellari. Et ideò *iuxta tabernacula* & non intra, pascere hædos suos supradicta gens memoratur; quia cùm videtur idololatrijs minimè deseruire, tamen similes filios pascit quos nesciet Christus in die Iudicij. Et cum se extollit legem Moysi & ritum Circumcisionis custodire, iuxta est impietatem eorum qui idola colunt: quicunque enim non confitetur Christum Verbum Patris, virtutem Patris, sapientiam Patris, dexteram Patris; cum sinistris deputabitur. Sic igitur & pastores qui propter lucra præsentia, peruersa doctrina profitentur se animas pascere; qui in superbia eleuati, *in iudicium diaboli* inciderunt, *vbi erit fletus & stridor dentium:*

1. Tim. 3. b. Matth. 8. b. Ezech. 34. a. Matt. 23. a. de quibus dicit Deus per Ezechielem Prophetam; *Væ* D *pastoribus qui pascunt semetipsos*, qui turpia lucra & vanæ gloriæ laudem sectando, à principe bono pastore Christo recedentes, conuersi sunt in vaniloquium; & de fundata domo fidei *super terram* egressi, fecerunt sibi tabernacula quæ non erubescant singuli suo nomine Ecclesias appellare; & in tot partes scindunt vnum gregem Christi, quot in toto Mundo schismata & hæreses numerantur, Et in tot membra vnum pastorem diuidere moliuntur, quantæ diabolicæ doctrinæ & quot hæreticorum auctores surrexerunt: cùm Dominus noster Christus dixerit; *Vnus grex & vnus pastor*: Et dixerit; *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ioan. 10. c. Matth. 16. c. Qui agnos quidem de grege Domini nostri Christi, suæ vocis doctrina seducunt, sed hædos efficiunt, gehennæ ignibus E mancipandos. Quod malum perfecta anima, præsenti loco, omni modo cauere monetur dicendo; *si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Potest namque & ita intelligi, quòd dicatur ei: Tu pulchra amica quæ dono scientiæ decorata es, & inter alias animas casta, iustèque viuendo pulchrior effecta es, noli ocio torpescere in scrutando testimonia eius qui te suo amori sociauit, qui te alijs per speculum sapientiæ donis cumulauit, qui te caput suæ plebis fortsitan aut posuit aut esse permisit: quia beatos asseruit Propheta,

Psalm. 118. *qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum*; iccirco agendum est tibi, vt quem constituit, non frustra constituisse se, pœniteat; sicut Saul Regem de quo

1. Reg. 15. dicit, *Pœnitet me vnxisse Saul in Regem.* Hoc itaque agendum est isti animæ (quæ, siue magni honoris intelligitur inter alias animas, siue inter alia charismata scientiæ, siue in ordine) quatenus piè quærendo, solertissimè scrutando, non ignoret de Scripturis diuinis & fidei statu (in qua, vna potentia diuinitatis in tribus Personis clarescit) *omnis poscenti se, reddere rationem.* Non ignoret ho- *Luc. 6. c.* minem bonum à bono Deo creatum, per liberam voluntatem malum fieri; propria culpa, persuadente diabolo: Quem ignorare non debet, bonum angelum à Deo formatum, & per voluntatem propriam, malum effectum; quem ignorare non debet vinci non posse ab homine, nisi Christi auxilio inuocato; qui hac de causa, suis insidijs hominem persequitur, ne homo amisso eius honore ditetur. Non ignoret, cur à bono Deo (quem nullius personam accipere Apostolus affirmat) ad eius *Gen. 1. d.* imaginem & similitudinem homo creatus; & tanta varietas morum, tanta sæuitia in hominibus videatur inserta: Cur diuersarum nationum diuersus corporis color, cur Energumeni & alieni sensus, cur cæci, claudi, vel muti, vel diuersis membrorum vulneribus maculati nascantur; & nonnulli homines pulchriores ab artifice facti sunt Deo, vt dicit Propheta: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, da mihi intellectum vt discam mandata tua. *Psal. 118.* Si ergo hæc non ignorauerit supradicta quæ pulchrior inter cæteras prædicatur, non natura sed vitio ministrorum naturę, euenire, per libertatem arbitrij, sæuitiàque & crudelitate, omne quod Deo cõtrarium est, esse contractum, proculdubio non omne malũ ad creatorem retorquetur. Nasci autem inutile, non Creatoris culpa, qui naturę constituit ordinem germinãdi, sed ministrorum incontinentia, vt dictum est, obuenire conuincitur. Qui in alijs seminibus iaciendis, aut plantãdis pomiferis surculis potius congruum tempus, quàm in hominibus seminandis requirunt: quę pars vtique multò his maiorem curam in opera seminandi requirit secũdùm ea, quę Dominus ad Moysen pręcepit indicanda *Exod. 16. c. Leuit. 20.* filijs Israël, quando vel quam ob causam debeat à coïtu coniugis abstineri; & crimine condemnatur quisquis menstruam mulierem contigerit: quorum præceptorũ contemptores, necesse est vt in sua sobole erubescant. Hæc à Deo præcepta sunt, vt non ignoret plebs Christi, quã suo sanguine decorauit, non in passione ignominię sed ad sanctã posteritatem homines dispari sexu, mascu- *Gen. 1. d.* lini & feminini, in quibus imaginẽ suam & similitudinẽ posuit, esse creatos. Nec ignoret similem quidem habere ordinem generationis conceptus, cum pecoribus, secundùm carnem; sed in anima, porrò sublimiore sensu & ratione præcellere: & eã iam formato corpore in vtero, mitti, & non cum semine; sicut animalium animæ de prauo viscere effundi. Nec ignoret, se imaginem & similitudinem Creatoris, non in corpore sed in anima possidere. Nec ignoret animas quę inter alias simpliciores sunt, & quibus credulitas sufficit, ore tradita Sacerdotũ. Quia quod potuit orando postulãdóque à Deo, adquiri; potest per ignauiam, insidiante diabolo deperire sicut multorum regum Israel tradunt exempla; in quibus legitur aliquantos bona initia habuisse, & pessimum finem. *Ioan. 21. d.* E Si qua ergo huiusmodi anima quæ monetur ne se ignoret, & pulchrior inter alias conlaudatur; semel de caula rectæ fidei, de grege qui pascẽdus traditur Petro, fuerit egressa; incipiet *post vestigia gregum* peruersi dogmatis, de vnius in alterius gregis septa discurrere. Et ita fit, vt quicunque vnam & veram doctrinam deseruerit, quotidiè multas & falsas nouarum vocum doctrinas inueniat: Et qui forsitã caput erat gregis Christi, nunc in alienis gregibus cauda efficitur; sicut per Esaiã asseruit Dominus dicendo: *Propheta loquens mendacium, ipse est cauda.*

Semel lapsus in hæresim, quotidiè multa & falsa inuenit.

Esa. 9. c. Omnis enim, qui in populo rectæ fidei est: & si inferiore loco vel ordine sit, rectam tamen fidem tenendo proculdubiò caput est: à quo capite si recesserit, quamuis magnus inter hæreticos videatur, loquendo mendacium, cauda efficitur. *Ioan. 10. c.* Et iam non vt ouis quę vocem Dei audiat, sed velut capta oberrans, vestigia peruersorum

Rom. 1.c. 2.Tim.2. Tit 3.c. gregum sequendo, efficitur. Quomodo qui veritatem in mendacium vertit, circa inutiles quæstiones ægrotat; & auditores (quos, maledicendo, nequiores generat) quasi hœdos *iuxta tabernacula Pastorum*; dæmonum qui sunt auctores Hæreticorum; venenosis assertionum flosculis pascit. Quis autem sapientum poterit ignorare, inuentores, doctorésque hæreseos, tabernacula dæmonum esse, in quorum mentibus dæmones, velut in tabernaculis, requiescere delectantur? Namque sicut Ioan. 10. bonus pastor Christus, animam suam tradendo in mortem, gregem sibi adquisiuit quem Petro pascendum Ioan. 21.d. commendat: Ita & mali pastores, dæmones; per suam damnationem, animarum congregant greges cum quibus in æterna morte damnantur. Sunt ergo perditorum gregum pastores supradicti; *tabernacula* verò, illi in quibus primùm hæresim loquitur Satanas; *Greges* autem, auditores vel amatores eorum: in quibus gregibus non agni generantur, vt retro dictum est, sed hœdi; quos anima ad omne decus creata, pascere dicitur si ignorauerit se. Certum est enim per Christi doctrinam in qua verus Matth.25.d. Deus verúsque creditur homo, agnos generari ad dextram in die Iudicij conlocandos & ad sinistram, Reprobatos, Gehennæ ignibus deputandos. In quorum consortium adgregandam minatur Dei sermo perfectam animam in sapientia vel scientia, si ignorauerit omnia Gen 1 d. sæpè dicta quæ in ea Creator contulit per naturam, eam ad suam imaginem & similitudinem fabricando, eam sensu & ratione ditando: per quem sciat adpetere bonum & respuere malum, per quem rationabilem sensum Creatori suo præbeat auditum, contemnat diabolum, Deo se præbeat vehiculum, humilitatem diligendo, diabolum fugiat nequissimum ascensorem, execrando superbiam. Nam vnusquisque ascensor, ad suam possessionem vel patriam quasi vehiculum quem ascenderit ducit: Deus videlicet ad cælorum regnum, Diabolus in infernum: de his enim duobus Ascensoribus euidenter declarat Scriptura diuina. Deus siquidem ita dicere legitur per Esaiam Prophetam: *Super quem requiescam, nisi* Esa. 66.a. *super humilem, & mansuetum, & trementem sermones meos?* De diabolo verò ita præcipitur per Salomonem: *Si spiritus* (inquit) *potestatem habens ascenderit super te*, locum Eccles. 10. tuum ne dimiseris ei: hoc est, si ascenderit per cogitationem cordi tuo hortando ad crimen, arbitrij tui stabulum, bonæ voluntatis locum, crimen perficiendo ne dimittas. Quantumuis enim calcium suorum stimulis instra stabulum boni propositi animi latera in cogitationibus verberet; nequaquam tamen per campos scelerum, habenis eius verberibúsque acta, crudelissimi exempli sui innocenti importabit interitum: sed laudis frena (reparatis viribus) Deum protectorem suscipiens, iugalis effecta Spiritus sancti, quæ possit (imò quæ mereatur) ægrotantibus cæteris animabus cœlestem medicinam Luc.8.a. Abac.3.b. perferre: simplex facta illis, quos Dominus Christus binos per ciuitates vel castella miserat ad prædicandum; de quibus Abacuc; *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua salus*; quos Apostolos vel Euangelistas intelligi, nullus sapiens dubitabit. Hæc ergo sæpè dicta perfecta anima, voce Sponsi terribilibus admonitionibus conturbata cùm dicitur ei; *si ignoras te ô pulchra inter mulieres*, hæc & hæc venient tibi; Porrò melior esse effecta ostenditur, in pulchritudine, in potentia, in velocitate. Nã cui priùs dictum est pro vltima nota; *si te ignoras, pasce hœdos:* nunc eius pulchritudo, virtus, & velocitas sic admirabilis facta est, vt magnis similiter personis in quibus ipse sedet & equitat Christus, quantùm eam humiliandam minatus est si se non agnouisset, cur vel à quo sit creata, tantùm laudibus digna est exaltari, postquam salutaribus monitis erudita proficit in melius, dicendo; *Equitatui meo in curribus Pharaonis adsimilaui te amica mea:* vt nos doceremur quantùm Dei correptio valeat, siue 4 Reg.2. b. illius quem sua vice ordinat Christus. Habet equos, 4 Reg.6. d. habet equites, habet & currus Dominus Iesus Christus quibus vehitur. Magnus ille Helias Propheta euectus

est curru quasi ad cœlum: Equites aduenerant in auxilium contra Assyrios Heliseo in Samaria: Equos vidit A missos perambulare omnem terram Zacharias Propheta: quibus amicam suam, id est, perfectam animam; Zach.6.a. Dei comparat sermo. Equi autem qui prædicti sunt videntur mihi Virtutes esse Angelicæ: in quibus ante incarnationem Domini vehebatur Spiritus sanctus multipliciter quia secundùm ipsius Saluatoris sententiam idem dicentis: *Deus spiritus est*: Et *spiritus vbi vult* Ioan.4.c. *spirat*. Quibus equis sociati coniunctique intelliguntur Ioan.3.a. Apostoli simul & illi qui succedunt in eorum locum vel ordinem: qui sedentem super se Spiritum sanctum, multiplicẽ gratiam impertientem, portant *Deum* Act. 2.a. 1.Cor. 6.d. *in corpore suo*: & discurrunt, non quò vitia traxerint & diabolus persuadendo illecebram, sed quocunque ducti fuerint eius habenis, confirmante Apostolo Paulo; B quotquot spiritu Dei aguntur (id est, ducuntur) hi filij Rom.8.c. 1.Cor.6.d. Dei sunt, glorificantes & portantes Dominum in corpore vestro. In quibus ascensorem Dominum Iesum Christum vel Spiritum sanctum, & omnibus gentibus medicinam portaturum, in eis, cum de eius aduentu Abac.3.b. caneret, Propheta Abacuc (vt retro iam dictum adnunciauit. *Ascendes* (inquit) *super equos tuos*, & reliqua. In quibus equis vel quadrigis sedens Christus Redemptor noster, loquens in Apostolis; acutissimo gladio verbo suo expugnat exercitum dæmonum qui super impios reges vel philosophos magicatúmque artium doctores equitabant; & de singulis, secundùm vitium qualitatem, currus, equos, vel arma fecerũt: per quos suo Creatori bellum inferre adtentabant, deorum sibi nomina vsurpando. Sed Redemptori nostro triumphanti per C Crucem; omnes currus & equites, omnísque caterua Principis Mundi cessisse probantur; qui sibi, de populo captiuo (vt diximus) currus & equites & arma fecisse cõprobantur: & quicquid inuisibiliter ante eius aduentum moliti sunt; nunc in eius Passionis triumpho, per Iudam & principes sacerdotum, per Scribas & Romanam Matt.16.e. Marc. 14.e. cohortem militum, visibiliter exercuisse monstrãtur. In Luc.22.e. qua turma aëriarum potestatum proculdubiò princeps Ioan. 18.a. Mundi ductor fuisse monstratur; qui per crudelissimos persecutores supradictos, ita Apostolica castra turbauit sicut carneus Pharao, populum Israëlem cum curribus & equitibus persequendo, Israël castra turbasse Exo.14.b. refertur. In hoc ergo prælio tam funesto, videntur mihi Principes sacerdotum, equorum & curuum vices egisse: D qui primi in tanto scelere cucurrerunt, & post se omnem crudelium turbam pro curribus traxerunt, clamantes: *Crucifige, crucifige* talem. De quibus, currus fabricasse Matt 29.c. probatur aërius Pharao diabolus: super quos sedens, Marc 15 b. Domini corpus in mortem egit. In quo curru cariosum Ioan.19.c. fragilémque temonem Iudam aptauit, primum omnium laqueis confringendum. Hi enim qui multitudine criminum nimis volubiles sunt in malicia, currus Pharaonis, Principes Mundi, effecti sunt. In quibus Princeps Mundi cum suis ministris in malis operibus equitabat; siue hoc de retrodictis Philosophis intelligas siue de crudelissimis regibus, vel de magicarum artium inuentoribus, siue de illis qui Dominum Christum egerunt in crucem, siue de his qui eius martyres di- E uersis trucidauerunt tormentis. Nunc autem Redemptore nostro Domino Christo pugnãte, & vincẽte Principem Mundi cum exercitu suo; liberati de manu eius, Apostolorum collo doctrinæ tracti, Dominum portant. Et in quorum mentibus immundi Spiritus insidere cõsueuerant, equitantes per facinorum campos, nunc Domini equi effecti per gratiam regenerationis, Spiritum sanctum vehere comprobantur: Per quos, mox vbi in insidijs inuenerit inimicum eorum qui adhuc paruuli sunt ad peragendum bellum; sub currus, vel sæpe dictis equorum proculcat vestigijs. Sub eorũ scilicet, pro quibus orat beatus Paulus Apostolus; *Deus Dominus no-* Rom.16.c. *ster conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*. De quorum ceruicibus deiecto iniquo Sessore, iubentur Domino

sceptæ-

2. Cor. 6. d.

se præbere vehiculum, cùm ait; *Glorificate & portate Dominum in corpore vestro.* Per quod sacramentum redemptionis nostræ, cœpit æternus Pharao suis curribus conteri in cunctis adinuentionibus & calliditatibus suis, dum sapientia Mundi à suis quibusdam Philosophis vincitur; qui velocitate, sapientiæ cursum mutauerunt potiùs quā amiserunt. Mutatis enim doctoribus (aponsis) velocissimis dæmoniacis equis velociores necesse est efficiantur & mutato magno Sessore prædicto, magni efficiantur equi. De illis ergo potentibus in malicia; qui per doctrinam ipsius credentes, liberati sunt a malo Sessore portant Spiritum sanctum. Et in quibus solebat sedere Pharao (qui disperdens vel dissipans eos interpretatur; qui vtique Princeps intelligitur mundi) nunc vehitur in eis princeps cœlestis Militiæ Christus. Et quos consueuerant, autores vitiorum ministri Antichristi, trahere per A saxosa conuallia criminum: nunc à potentibus & mansuetis equis Apostolis, vitæ exemplo & sana doctrina trahuntur per iustitiæ campos; in quibus rotæ sunt, voluntas & rationabilis sensus: temones, Agens officium; per quem aut Pharaonis aut Christi vnusquisque efficitur currus. Et quàm sint splendidi, veræ conscientiæ auro obtecti; quàm refulgentes in omni sancta conuersatione hi qui, ex Pharaonis, Christi effecti sunt currus euidenter agnoscitur, vbi eos Domini equi trahere adserūtur. Quibus etiam pro sublimi laude, animam suam adsimilat Christus dicendo, *Equitatui meo*; & reliqua. Quam plebem ostendit per omnia similia bella perpessuram in Apostolis, vel in eis qui currus effecti sunt Dei: Et similem eam, gloriam post triumphos manere in se domino Christo vel Spiritu sancto multiplicis gratiæ largitore: cui est gloria in sæcula sæculorum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM.

LIBER TERTIVS.



Vam pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis. Post oscula sancta suscepta, post omnem lætitiam retro dinumeratā, post pugnam prædictorum filiorum matris, post agnitionem sui, cur aut qualis vel à quo creata sit, post virtutem equitatui Dominico comparatam; nunc initia pulchritudinis, præ cæteris membris, à genis Ecclesiæ nosci docemur: & hæc pro magna laude Turturi comparatur; vt per ænigmata habitationē eius, à perturbatione seculi istius tumultuosa, prolongandam ostenderet. Hæc enim pulchritudo genarum (quæ castitatis candore & verecundiæ rubore decoratur) faciei Ecclesiæ; duo contraria quàm maxime, probatur habere: hoc est; frequentiam populorum & cupiditatē præsentium rerum, adpetendo plus quàm necesse est. Quod si ad magisterium formicæ ad vltimam notam docēdus mittitur piger (qui peccatoris futuram vitam non cogitantis significat figuram) nihil mirum si eorum persona, qui faciem Ecclesiæ exornant, Turturi comparetur; quæ sola præ cæteris auibus, remota à frequentia hominum diligit incolere loca, & ibi construit nidum educátque pullos vbi hostis eius aut nunquam aut vix habet accessum. Quo vtique fugiendo malorum consortia, respuendo quicquid preciosum in præsenti cernitur, vita sancta anima (quæ amica à verbo Dei appellatur) eo modo cognoscitur facere cœlestem prolem doctrinæ suæ sermone genitam; & vitæ exemplo nutritam transmittit ad cœlum. Nam Turtur, de qua sermo præcessit, tantæ castitatis ab eis qui naturas auium descripserunt esse narratur vt præter vnum, coniugem nesciat, de quibus si alter defectus fuerit, alteri iam nunquam alia sociétur; sed in omni vita, proprium coniugem amissum desiderando requirit. Cui ergo per castitatis & vereD cundiæ decorem, Ecclesia in genarum pulchritudine congruè comparatur. Hæc quidem secundùm ordinem historiæ dicta sunt; sed opinor præcelsiorem sensum in hac comparatione latere: nam mihi videtur illius Turturis pulchritudini genas Ecclesiæ comparari, de qua in octogesimo tertio Psalmo Propheta dicit; *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi vbi ponat pullos suos.* Vbi figuram Spiritus sancti in passere, & immaculatæ carnis adsumptæ, in turture nominatam nemo sapiens ignorabit. Tunc videlicet Ecclesia in genis quæ omnibus in propatulo sunt & bonis & malis, ab vtrisque pulchra laudatur quando adsumpti hominis Christi (per castitatis maxima bona) quantulumcúmque in similitudine traxerit. Tunc pulcherrimum totum Eccle- B siæ corpus cernitur, cùm verecundus genarum aspectus per pudicitiæ gloriam ab impijs admiratur: tunc enim imagine virtutis ab hostibus suis castitas prædicatur, cum eam impugnantes vincere non potuerint. Nam sicut membra quæ sunt in capite, si pulchra fuerint, cæterorum membrorum quæ vestibus conteguntur, fœditatem excusant: Ita & illi qui per sacerdotalem honorem membra capitis Ecclesiæ esse noscuntur, plebis negligentiæ fœditatem sua castitate decorant; & è contrario, nihil tam deforme tam abiectum in Ecclesiæ corpore nisi cum in supradictis membris turpissima vita vel fama cernitur. Et quia sancta Ecclesia in suis doctoribus, castitate & varietate virtutum Turturis (id est Christi) imaginem imitatur necessario ab ipso laudatur dicendo: *Quam pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*: Sequiturque;

Collum tuum sicut monilia; Catenulas aureas faciemus, tibi vermiculatas argento.

C In collo mihi videntur laudari, qui verbo ædificationis paruulos instruunt ad salutem; qui spiritalem cibum sermonis, ad cætera corporis Christi membra quibus credulitas sola suffragatur, quæcunque obscura interpretando, transmittunt. Qui per doctrinam auream & per exemplum vitæ gemmeum, in Ecclesiæ collo ostenduntur. Monilia namque, gemmarum ornatus esse dinoscitur; sed vt pulchrior fiat eorum aspectus, auri materiam necessariam habent; per quam connexæ, in suo teneantur loco. Hoc & ipsum naturæ nostræ ingenium, quod in similitudine gemmæ de lapideo corde exciditur, necessarium habet fulgentissimum sancti Spiritus adiumentum: per quem noui & veteris Testamenti verba Legis diuinæ, quæ prænunciauerunt vel ostenderunt Saluatorem Mundi venisse, concatenata; quasi vna veritatis catenula sermo effectus, gemmeis anima-D rum transiectus mentibus per cōcordiam fidei, per vnanimitatis sensum, Ecclesiæ collum decorat. De quibus verbis vel sensibus nunc Spiritus sanctus ait; immò Trinitas ipsa inseparabilis, ad prædictam animam; *Collum tuum sicut Monilia*; Id est inter ipsa prophetica ab Spiritu sancto manantia aurea verba quibus circumdatæ animæ pulchrum præstant aspectum, argenteus sensus intelligentiæ rationalis emicet intersertus, qui sermo Prophetiæ conceptioni, qui natiuitati, qui passioni, qui resurrectioni, qui ascensioni in cœlum, qui regressioni ad iudicandum terram Saluatori conueniat (vt dictum est) intersertus argenti vermiculatione coruscet. Tribus quidem istis, gemmarum, auri & argenti, materijs, nescio si qua in suo collo vtatur nobilis secu-

mortalis Sponsa (In quo vtique ornamento, decorari videtur monili, si interseratur vilior argenti materia.) A Sed his qui ad animæ ornatum trahuntur, necessarium est tribus materijs Sponsam verbo Dei ornari: per cogitationem scilicet, limpidissimam gemmam, & sermonem veritatis auro rutilantem, & opera iustitiæ argenti candore micantia. De quibus ipse Dominus in Euangelio auditoribus dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Aliquantulum scilicet per Ioannem Baptistam præparatorem sponsæ, doctrinam pulchritudinis est adepta Ecclesia: & in lamentationem infantium, velut angusta stola induta, recumbentem in domo Simonis leprosi, per lachrymas pœnitentiæ meretricis, Christum inuenit, & mentis suæ nardum gaudet dedisse odorem: Quæ fuso vasculo nardi super dominum, ostendit eum & indultorem criminum aduenisse, & gloriosam eius sepulturam ostendit futuram. Quæ cùm à diabolo, qui odit pœnitentes, ore Iudæ traditoris fuisset vituperata, voce Christi magnis laudibus meruit exaltari. Cuius memoriam ad exemplum pœnitentium, velut quoddam gloriosum fertile semen, in toto mundo prædixit spargendam. Quæ eius sepulturam significando, ostendit sedecim Prophetarum in Lege Veteris Testamenti loquentium, medico animarum aduentante, completa esse præconia. Et Vetus Testamentum in sedecim Prophetis, & Nouum per quatuor Euangelia, octo beatitudines proferentia, in se complexa est, Christi sepulturam per suam pœnitentiam portendendo, eo quòd speciebus arte pigmentaria mixtis oleo, conficitur nardus, id est, viginti octo & sedecim Prophetis, quatuor Euangeliorum libris, & octo beatitudinibus recognoscas, quem Ecclesia per pretiosam nardum impletum dedit odorem. Quæ nisi Christum regem incubantem in infirmitate carnis reperisset, nec mentis suæ dedisset odorem, nec Angelis cœlorum lætitiam exhibuisset: quibus gaudium est pœnitentia peccatoris: nec domini regis digna fuisset voce laudari; quæ non sine mysterio cócurrat ad suffragia regis in humilitatis accubitu recubátis, antequam exaltatus sedeat iudex: & quicquid super eam diabolus onerauerat criminum, paulatim ignis pœnitendo purgauit, ac fontibus lachrymarum extinxit. Et hoc tunc fecit, quando eum, vt est verbum Patris, D vestitum hominem, cum alijs hominibus escam sumentem inuenit. Intellexit enim excelsum, quod cum patre vnum est, de illa altitudine deitatis descendisse (& humiliando se recubuisse super abiectam carnis naturam) in domum, hoc est, in terram istam, quæ tecto tegitur cœlo, quæ per peccatum primi hominis facta est domus leprosi. Nulla enim tam fœdissima lepra, quã nota peccati, quæ fecit proijci à facie Dei. Quam domum suo ingressu mundauit, sua refectione sanctificauit: & suscipiendo meretricem pœnitentem, & indulgendo crimina, ipsum leprosum Dominum domus se docuit emundasse. Ecce quibus beneficijs, & qua benignitate regis, mens humanæ naturæ, pœnitétiæ vel bonorum operum tantæ suauitatis dedit odorem: qui totam domum prædictam impleret, & totum lætificaret cum habitatoribus tugurium. Tria sunt scilicet, quæ in isto odore laudantur, vngendo, rigando lachrymis, & osculando Domini pedes in quibus prima laus est Ecclesiæ bonitatis vnum confitendo Deum: qui testimonio Christi solus est bonus, qui erat in ore Prophetarum. Secúda laus est disciplinæ, vnicum filium credendo Dei: super quo testimonio Esaiæ Prophetæ, disciplina pacis nostræ florens: germinans fructum, in virga Aaron ad nos transfusa est in figura Aaron adserentis: (alia) Disciplina pacis nostræ super eum, & vulnere eius sanati sumus. Quæ disciplina, paterno affectu inuitando ad lætitiam regni cœlorum, terrendo æternis tormentis gehennæ, per quatuor Euangelia germinauit. Tertia vero odoris

Math. 5. b.

Mat. 26. a. Marc. 14. a. Ioan. 12. a.

Math. 5. a.

Marc. 10 c.

Esa. 53. b. Num. 17. c.

est laus scientiæ, & cognitio Spiritus sancti, qui odore vitæ octo beatitudines emanauit: qui in terra recta, id est, viuentium, doctor esse probatur, Clamante Dauid ad Dominum Patrem: Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta. Quæ tria omnium bonorum fundamenta esse probantur: Quæ in se Baptismum, Pœnitentiam, & Martyrium continere docentur. Quæ tria gloriosa, de supradicta Trinitatis confessione, Ecclesia gaudet in se quotidie fundi. Cuius vox est per Prophetam in centesimo decimo octauo Psal. vt in se ista tria conferantur quotidie dicendo: Bonitatem & disciplinam & scientiã doce me, quia mandatis tuis credidi Domine. Quam si diabolus vidit innumerabilibus charisinatum monilibus ornatam ditari, & omnium dulcium blandimentis præsentis vitæ contemptis, ad vnam illam æternæ lætitiæ dulcedinem festinantem, innumerabiles amaritudinum B immissiones, tam per se quàm per satellites suos, per momenta immittit. Sed quia Deus noster Redemptor in medio eius, & semper non commouebitur de vestigio veritatis, neque perturbatur propter super se intuentium impetus impiorum, quia omnia & in omnibus Christus. Nam etsi amara pro Christi inferantur amore, indulcescunt tamen spe futuræ lætitiæ sempiternæ. Ideo sequitur.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.

Myrrha siquidem amara interpretatur: quæ in se salutarem significat disciplinam, quam in Christo suscepit Ecclesia: quæ pro eius nomine in diuersis membris, diuersas tormentorum amaritudines tolerando fasciculus C myrrhæ efficitur ei Christus. Arbor igitur myrrhæ, de qua multis infirmitatibus corporis profuturus gignitur succus, similis salicis subtilissimis contortisque virgultis, in modum fasciculorum ramusculos, ab eis qui arborum naturas descripserunt, proferre adseritur. Hæc igitur prædicta anima, vbi per auditum æternæ vitæ dulcedinem gustus accepit, in sponsi aduentum multimodas & amarissimas passiones, pro eius nomine inlatas, non sentit: hoc est, carceres, exilia, proscriptiones, rerum præsentium nuditatem, famam, sitim, vincula, cędes iniustas, ignitas laminas, imbres lapidum, improperia, pericula, naufragia, pręcipitationem profundi, flagellorum plumbi virgarũmque pœnarũ aculeos, & alia multa, quę dinumerare perlongum est, suscepta cum magna lætitia dicit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus. Multas vtique infirmitates, diuersa vulnera, innumerabiles animę morbos medendo, per multimoda medicamenta, correptiones, & ferramentorum exempla, necnon disciplinæ penicillo, fasciculus myrrhæ efficitur Christus Ecclesiæ. Cuius vox est in centesimo secundo Psalmo: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: & reliqua, vsque deest. Cùm ergo ad multas infirmitates à diabolo inflictas, sanandas, multas à Deo correptiones patienter pertulerit anima, vel diuersas (vt supra dictum est) pro eius nomine inlatas gaudens sustinuerit passiones, fasciculus myrrhæ eius efficitur E Christus, ad omnes vitiorum morbos de eius pectore expellendos. Tunc iam mundum, & cum orationibus paratum hospitium diuinum, vt ipsa iam tam magna fiducia Christum inuitet in cordis sui recessum, dicentem in Euangelio: Qui audit sermones meos, & facit eos, ego & pater veniemus ad eum, & mansionem faciemus apud eum. Ecce quibus modis inter vbera amicæ, hoc est, animę sibi placitę, commorari probatur. Ecce quo ordine, Christum inter sua vbera Ecclesia cómorari lętatur. Inter illos proculdubio egregios viros, qui pro ætate, vel pro possibilitate ingenij, lacte doctrinę suę spiritali, paruulos nutriunt (de quibus ipse Dominus dicit: Si duo vel tres conuenerint super terram, quicquid petierint in nomine meo fiet eis: & vbi congregati fuerint duo vel tres in meo nomine, ego in medio

Math. 5. a.

Psal. 142.

Psal. 118.

Colo. 3. b.

Ioan. 14. b. &c.

1. Cor. 3. a. Hebr. 5. d. Math. 18. c.

dio eorum sum) id est ea imperando quæ per gradus prouocent ad cultum diuini operis, & non in desperationem adducant: sicut fecisse alio Concilio Apostolos actus Apostolorum commemorat, scribentes in Antiochia discipulis adhuc paruulis in Christo. Non vobis, inquiunt, amplius pondus imponimus, nisi vt abstineatis vos ab immolatis idolis, à fornicatione, à suffocato & sanguine: & hæc custodiẽtes, bene agetis. Valete. De quibus vberibus vnus, auditoribus suis dicit: Lac vobis potum dedi, non escam: & reliqua. Inter alia etiam media vberum Christi commorati lætatur. Quod si Ecclesiæ caput effectus est Christus, quid mirum si & commorator menti efficiatur, vbi vicina sunt vbera? Nam si Ecclesia vnum corpus cum Christo effecta est, cuius in capite dicimus vbera Apostolos debere intelligi per Euãgelistarum Apostolorúmque doctrinam, non erit incongruum Patriarchas & Prophetas, etiam Ecclesiæ vbera nuncupari, in quorum medio transfiguratus in monte Iesus, dilectus Ecclesiæ, inter Moysen patriarcham & Heliam Prophetam, in futuram gloriam Ecclesiæ manifestè esse probatur. Nunc autem per vnitionem Dei & hominis adsumpti, diuinitatis & humilitatis æternalis & temporalis collegium, Vetus & Nouum duo Testamenta, alterum quod promisit, alterum quod promissum Christum ostendit, Ecclesiæ vbera cognoscuntur: in quorum medio Christus commorari probatur.

Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Præ omnibus terris insula Cyprus miræ magnitudinis botro vuarum gignere fertur: cuius magnitudinis ille botrus, qui à duobus iuuenibus de terra repromissionis in desertum perlatus fuisse legitur: qui omni modo figuram adsumpti hominis Christi redemptoris nostri signabat. qui vtique pro loco, vel tempore, vel causa, esca & potus Ecclesiæ factus est per corporis sui & sanguinis sacramentum. Cyprus verò tristitia vel mæror interpretatur: Engaddi, fons hœdi. Est botrus Cypri amicæ suæ Ecclesiæ, dum peccatoribus tristitiam vel mętorem pœnitentiæ in mentibus seminat, vt eos ad illam beatitudinem sublimet, de qua ipse dixit in Euangelio: Beati qui lugent nunc, quia ipsi consolabuntur. Qui vt ille quem diximus botrus, à duobus portatus iuuenibus in desertum, ita & ipse à duobus populis, Iudæo scilicet persecutore, & Romano milite imperante, à phalanga in crucis patibulum leuatus est, qui vsque hodie tristitiam mœtorémque, vitam conferentem æternam Ecclesiæ, generat (vt prædictum est) in eis, qui post innumeras congeries criminum, in sinus Ecclesiæ congregantur. Cibum verò spiritalem & potum, botrus prædictus in se credentibus quotidie subministrat: his duntaxat, qui congregantur in vineis Engaddi, vbi est fons hœdi, hoc est, vbi multarum gentium nationes, quæ vineæ intelliguntur, creatore agnito, destructis conuenticulis incredulorum credentes Christo, habent in medio fontem hœdi, qui est sacrosancti baptismatis fons, vbi hœdi descendunt, qui erant deputandi à sinistris ante tribunal iudicis æterno igni tradendi: Et ascendunt agni immaculati, qui à dextris iudicis congregentur, æterno regno donandi. Nam certum est vnum esse fontem baptismatis in toto mundo, vbi Trinitatis æternæ inuocato nomine tincti sanctificantur, vt ex hœdis agni efficiantur. Certum est enim, vt sicut vna gens Iudæa per notitiam Legis diuinæ, vinea domini nuncupatur: ita & diuersæ gentes ad fidem Christi aduectæ per Apostolorum culturam, id est, doctrinam, multæ vineæ appellantur. In quarum medio, vt dictum est, sancti baptismatis fons est aquæ, ad quem hœdi adueniunt vt agni efficiãtur. Fons enim baptismi propter peccatores est constitutus, qui hœdi sunt appellati: non propter iustos, qui lauari non indigent. Iusta ergo ratione fons hœdi lauacrum sanctificationis intelligitur: qui non propter iustum, vt prædiximus, sed propter peccatorem populum à Christo in præfatis vineis est productus. Quæ vineæ Engaddi non vinum, sed balsama gignunt. Engaddi vicus est prægnus in terra Iuda, iuxta mare mortuum: quæ terra figuram tenet terræ viuentium: vbi sunt vineæ balsami. De quo vico, multi reges transplantauerunt arbusculas balsami in alijs locis vel terris, & penitus radicare aut viuere nequiuerunt. Vnde factum est, vt in eodem loco, vel in eisdem finibus magnum studium adhiberetur à regibus in plantandis vineis gignẽtium balsama. Et quæ sit causa vt in nullo cespite hæ proueniant vineæ nisi in sola Engaddi, operæpretium est intelligere. Reor hunc succum harum vinearum, vnius fidei confessionem intelligi typum tenere, in qua spes consistit fidelium, in qua singula medicinalis odor bonus Christi, vitam mortuis animabus reddens, germinare probatur; de qua cõfessione, quæcunque gens vel anima, à malis cultoribus hæreticis decepta, transplantata fuerit, arescit. Quod multis animabus euenisse probatur: quæ se, ab vnius verissima prædictæ confessionis fide euulsæ & arefactæ, gehennæ pabulum præbuerunt. Nam sicut corpus sine esca & potu subsistere non potest, ita Ecclesiæ voce declaratur, sine botro, qui est Christus, æterna vita de cœlo descendens, animam viuere non posse: qui in nulla alia terra, nisi in terra repromissionis, in nulla alia vinea, nisi in vineis Engaddi, ab esurientibus & sitientibus iustitiam inuenitur, id est, in nulla congregatione hæreticorum, in nulla secta Philosophorum, in nulla adulatione Schismaticorum: vbi si transplantatus fuerit aliquis, deceptus peruersitatis suæ fama, deperit arefactus.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: Oculi tui columbarum.

Post genarum & colli decorem sponsæ, oculorum pulchritudo laudatur: & geminato præconio ab sponso, & totius corporis pulchritudo, & lumina, columbarum oculis comparantur. Et illi creaturæ comparantur, quæ mansuetudine, fœcunditate, acumine visus velocitate pennarum, omnibus penè aligeris animantibus pręstantior inuenitur. Oculi ergo duces totius corporis esse probantur: sine quibus aut non potest incedere corpus, aut vix offendendo incedit. In quibus sacerdotes tecto ordine intelliguntur, quibus sacrosancta mysteria cõmissa sunt. In quorum fide decoratur Ecclesia, in quorum vita immaculata repetitis laudibus Ecclesia sublimatur. Pulchra namque est mundissimam Deo consciẽtiam exhibendo, Pulchra est, inimicis & alienis à fide Christi irreprehensibilem conuersationem monstrando. Adducitur & tertia pulchritudinis laus in acumine oculorum. Columbarum enim natura, super illa quæ diximus & hoc peculiare habere probatur, vt hostis aduẽtum post se de longè, ante se in aqua speculetur. Cuius vtique in sacerdotum commonitione sermonis, accipitris aduersarij diaboli insidias populis prædicando, pulchritudo laudatur.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectus noster floridus.

Non potest quis cuiuspiam, quem minimè diligit, decorem laudare: nec potest eum, cuius moribus non concordat, diligere: sicut beatus Apostolus Paulus docet: Nemo, inquit, potest dicere in spiritu, anathema in Iesu: Et nullus dicit Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto. Ille ergo pulchritudinem speciẽnque dilecti filij Dei, & videre potest, & laudando extollere, qui sanctis operibus spiritum eius in sua retinuerit mente. Ideóque præsenti loco, Ecclesia plena Spiritu veritatis, illo, qui in specie columbæ in Iordane de cœlo super adsumptum hominem descendit, & pulchritudinem corporis eius sine peccato, & decorem veræ animę sinę mendacio & dolo agnoscens, reciproca, geminatáque efferet laude, dicendo: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectus noster floridus. Quamuis scilicet decora facies, vel preciosa vestis, speciosum ostendat spõsæ sponsum procul positum, tamen vsque ad lectuli cõiunctionem cæterorum membrorum decorem ignorat.

Sed vbi celebrata fuerit legalis coniunctio & duo effecti fuerint caro vna secundùm sententiam primi hominis (quod sacramentum magister Paulus Apostolus, in Christo & Ecclesia prælatum adseruit) ita & prædicta amica, vsque ad sepulturæ diem dilexit quidem desiderando eius aduentum, visum osculatúmque laudauit, sed tamen omnis amor, omnisque species decoris eius à tempore resurrectionis, vsque ad constitutum terminum, & effusionem sanguinis, pro eius nomine peruenisse probatur. Lectum namque floridum, id est, sparsum floribus (vbi eius pulchritudinem decorémque in omnibus membris agnouit) sepulchrum domini per ænigmata ab Ecclesia intelligitur dictum: vbi pariter corpus Christi Ecclesia, & verbum patris omnia implés, & vbique est totus semper, qui adsumpserat corpus, recubasse probatur. Nam non nisi præsentia verbi, tribus diebus & tribus noctibus caro nō vidit corruptionem. Floridus autem lectulus iusta ratione prædicatur, in quo aromata vel aloë, quæ de multis speciebus herbarū succis vel floribus arte pigmentaria composita, cum Christi corpore intromissa sunt: quibus eo resurgente, sepulchrum est aspersum. In cuius doctrina, Ecclesia, id est fidelium turba, libertatem inuenit, in morte vitam, in sepultura silentium in duris laboribus (quos dæmonum flagris acta exoluebat quotidie) requiem. Vbi verus homo per inclusionem corporis, sub impiorum signaculo conseruatus cognoscitur: & verus Deus de signato sepulchro cum suo homine resurgendo egressus, Vbi sub vocabulo lectuli, filij Dei & Ecclesiæ coniunctio celebrata, Vbi cum eo Ecclesia delectabilem somnum passionis, & gaudium æternæ vigilationis meruit inuenire: clamante Apostolo ad eius membra: Si mortui estis cū Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera patris. Ad cuius resurrectionem, & mentes hominum ad habitandum Spiritui sancto & tecta congregationum credentium quotidie præparantur, etiam visibiliter quàm innumerabiles domus, Dei filio & Ecclesiæ sine cessatione omni tempore ampliantur. Et de quibus, qualibúsve materijs fabricentur, aut quàm durabilia sint vel decora, docuit dicendo:

Psalm. 15. Act. 2. d

B

Colo. 3. a Coll. 2. d

Tigna domorum nostrarum cedrina laquearia nostra cypressina.

Natura Cedrorum semper crescere fertur, nec aliquando finitur ire in senectam, secūdum illud Psalmographi: Iustus vt palma florebit, & sicut Cedrus Libani multiplicabitur. Quarum arborum succus tantæ virtutis est vt diuersa corporum membra sanet, vermes vlcerum necet, & à muscarum aculeis peruncta corpora defendat. Cuius arboris ligno cum aqua viua & fasciculo hyssopi cocto, adligato in vase fictili, peccatorum emūdatio per aspersionem in veteri Testamento celebrabatur; quod nunc in veritate per sacerdotem, per baptismum, & per sanguinem Christi, qui vnius fidei multitudines per fasces circomplexas, à diaboli infestatione defendens, æterna, & intemporali peccatorum remissione celebrari docetur. Domus videlicet dilecti filij Dei & Ecclesiæ conuenticula populi Christiani, vbi prædicta redemptio animatum celebratur, in toto mūdo esse noscuntur. Quæ domus de doctoribus Apostoli voce agentibus, vel in eorum cōfixis lucis, corúmque doctrinæ ferramentis dolatis, fabricari probantur. Ipsáque cedrina imputribilia ligna prædictarum domorum intelliguntur, quæ nec subtilissimis nequissimarum cogitationum ariolis, à suo sanctitatis robore depereunt, & semper transacta obliuiscentes, ad ea quæ anteriora sunt bona opera, sine intermissione extendētes (velut cedri) quotidie crescunt, id est, multiplicātur sanctorum operum fructibus, in adiutorium sanctarum lucris animarum: quorum succus sermonis vel consolationis ab aculeis dæmonum animas defēdit, & inflicta iam olim sordidorum facinorum consuetudinis vulnera sanat, & nequissimarum cogitationum vermes interimit. In quibus tignis ad delectationem habitantium (domus rectè si-

Psalm. 91.

D

Philip. 3. c

delib.) cedrinis, cypressina laquearia affixa dependent. Cypressinum namque lignum, manu artificis concinnatum, decorum præstat aspectum, & odorem iucundissimum reddit, & ad multas passiones corporis medicinæ virtutem in se continere probatur: quæ castitatem pudicitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem & misericordiam conseruantium auditorum formam, venerantium sacerdotum honorem exprimere intelligūtur: qui à verbo doctoris indesinenter dependent, qui in modum cameræ de iustis laboribus solando, doctorum præsentis temporis exornant & contegunt nuditatem, vt prædicta laquearia conserta tignis, domorum abscōdunt vel operiunt nuditatem. Doctorum enim gloria, deuotæ plebis persona probabitur. Similiter & plebis deuotissimæ gloria stabilitio firma in doctorum persona consistit: cum illi spiritualia dona plebi, & plebs carnalia munera prædictis impertit, gloriosæ domus Christo parantur. In quibus flores sapientiæ cœlestis, & lilia integritatis, per suam præsentiam, ad magnam iucunditatem honoris, ipse dominus prædictarum domorum impendit: quemadmodum sequenti versiculo vtrunque se confitetur habere.

A

Ego flos campi, & lilium conuallium.

Ante suam incarnationem Saluator in Angeli persona Patriarchis vel Prophetis loquendo, solus, cui nullus similis inter Archangelos, thronos, dominationésque; omnibus admirandus, singularis flos in toto cœlorum campo coruscans probatur. Qui partem odoris notitiæ suæ, prout poterant sustinere Patriarchæ vel Prophetæ, & mundus ipse mortalis, semper admonuit, dicendo: Omnis scientia per Prophetas, per signorum virtutes, interficiendo impios per aquæ diluuium, & Sodomitas per ignem: per quod insipientes intelligerent sapientiam, & stulti superbi aliquando saperent, super se excelsiorem (iustam exoluentem vindictam) Iudicem commorari. Vbi vero per Incarnationis sacramentum, huc in conuallem lachrymarum, inter spinas & consortia peccatorum descendit; lilium conuallium effectum se esse testatur. In qua conualle; quid aliud nisi spurcissima religio idolatriæ, nisi inuidiæ, nisi furtorum, homicidiorúmque, aruspicinæ, auguriorum, vel fornicationū, vel magicarum artium grassabantur spinarum syluæ? In quarum medio, doctrinæ fragrantia & exempli candore Christus ostensus, Credentium turbam quotidie liberat. Tria igitur in se delectabilia & nimis oculis grata, lilij natura continere probatur: id est, candorem, odorē, & ad quæque adusta ignibus medicinam. Quæ tria admiranda, simili ratione in hanc conuallem Mundi Dominus adportasse cognoscitur: hoc est; abolitionē peccati, absterfionem mendacij, & refrigerij temperamentum ignium genitalium, de quo nascitur amor conseruandæ virginitatis. Ex eo videlicet; quisquis à peccato aliquantulum vel à mendacio temperauerit, ipsius adiutorio & exemplo se facere gratulatur: Amoréfque integritatis seruandæ vel castitatis in vtroque sexu; cuius nisi gloriosi adsumpti hominis, & beatæ memoriæ Virginis accenduntur exemplis? De quibus trib. prædictis bonis, ita cecinit Esaias Propheta inter cætera: *Ideo* (inquit) *dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*; qui est mendacium. Et: *Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus.* Quem florem campi intelligimus dictum & lilium cōuallium, per immaculati corporis adsumptionem. Quod sacramentum ad liberandam plebem suam peregit, quo nos à diuersis languoribus diuersa eius membra sanaremur, vt nauseantes animas cibum Verbi diuini, suæ odore notitiæ, odoratus earum admutaret, omne fastidium alium abstergeret: & cui perspicua veritas non erat ob lippitudinem oculorum cordis, eius præsentiæ candore videret: & quæ ignitis spiculis fornicationum à dæmonibus inflicta fuerant vulnera, eius sanarentur doctrina: per quod spinigenæ animæ, quæ acumine nequitiæ Ami-

Genes. 7. a

C Genes. 19. a

Esa. 53. d 1. Pet. 2. d

E Esa. 7. c Luc. 1. c

tiæ Amicam in Prophetis & Doctoribus vulnerabant, in liliorum iucunditatem connecterentur: de quibus Ecclesia nunc coronata refulget, quorum remedio amarissimis stimulis pungebatur, sicut ipse in sequentibus ait:

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Istæ igitur amicæ, inter quas Ecclesia vt lilium inter spinas consistit; licet non cum distinctione dicatur cuius sint filiæ, tamen ex eo quòd spinis comparantur aduertere possumus non Dei sed diaboli per nequissimam doctrinam genitas nuncupari. Inter tot enim venenosas spinas, Ecclesia incolit mundum, quot dogmate gentilium, vel hæreticorum vario & diuerso ritu, pro defensione patris sui, pro vocabulo hominum mortuorum, impugnant Ecclesiam. Sed quæ Christi præsentia agitur, ne ocio torpescat contra hostes armari, impugnari quidem permittitur, vt post pugnam eius fortitudo appareat. Impugnata verò nequaquam permittitur superari. Nam quomodo in toto mundo fulgeret, nisi in magnis conflictibus pro Christi nomine cum persecutoribus decertasset, & diabolum in martyribus moriendo vicisset. Demonstrauit ergo Dei sermo iustorum animas, hoc est, Ecclesiam, inter spinarum aculeos commorari in mundo, vt nihil noui Christianus sibi obuenisse opinetur, cum variarum spinarum aculeis impiorum se viderit in corpore vulneratum. Non enim cohabitatione huius vitæ, qua innocentes cum alijs inhabitant mundum, sed consortio impiorum, fidelium animæ vulnerantur. Nam spinarum acumina non procul positis, sed proximantibus & contrectantibus se, exitia inferre probantur. (Matth. 26. a / Marc. 8. b / Luc. 12. a / 2. Cor. 1. c / Esa. 52. d) Ideo talium consortia in multis scripturæ locis vitare monemur, ipso Saluatore dicente: Cauete à fermento Pharisæorum: quod est peruersa doctrina hæreticorum. Et beatus Paulus: Quæ, inquit, societas lucis cum tenebris? aut quis consensus templo Dei cum Idolis? aut quæ communicatio Christi cum Belial? Et propè similiter Esaias: Exite, ait, de medio eorum qui portatis vasa Domini, & immundum ne tetigeritis. Quod autem dicit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: non vituperationem iustorum, qui sunt Ecclesiæ membra, sed laudem demonstrat: vt nos doceret nimium esse laudabile, piè inter impios viuere, & peruersorum in nullo spinosa conuersatione adtrahi: inter quos iustus quasi lux in tenebris splendere probatur. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

(Heb. 1. a) Sicut igitur ante incarnationis mysterium, multifariè, multísque modis, secundùm Apostolum, Dei filius locutus est patribus nostris, vel ostensus est in Prophetis: Sic post prædictum mysterium celebratum, multa bona diuersis modis præstando humanæ naturæ, diuersis rebus, diuersísque comparatur personis pro tempore, & loco, vel causa. (Psal. 67. / Cor. 2. b / Dan. 2. e) Nam secundum Dauid Prophetam, mons Dei est, pro eo, quod plenitudo diuinitatis habitanerat in eo: quem Daniel Propheta, sine manibus abscisum vidit de monte in lapidibus forma, implesse crescendo totam terram, id est, sine complexu humanæ consuetudinis, nascendo abscisum de monte carnis naturæ. Est mons vber, paruulis scilicet animabus Apostolica vbera porrigendo. (Ioan. 6. f) Est mons creatus: Firmioribus namque solidum cibum tribuendo, cum ait: Caro mea vere cibus est, & sanguis meus verè potus est, & qui mãducat carnem meam, & meum sanguinem biberit, habebit vitam æternam. (Psal. 62. / Ioan. 1. d.) Est vitulus nouellus cornua producens, per duo Testamenta, & vngulas per octo beatitudines, à quatuor Euangelistarum pedibus productas: & agnus tollens peccatum mundi, per mansuetudinis impertionem Spiritus sancti: ita, vt alios vestiendo, ipse semper abundet. (Gen. 3. d / Exod. 16. b) Est, vt dictum est, aliquando fasciculus myrrhæ, & botrus Cypri, in vineis Engaddi: ita & pro loco, arborem eum vel malum granatum Ecclesia appellauit, pro eo quod arbor vitæ est, cum diuerso sapore diuersis se personis præbendo, sicut illud manna filijs Israel in deserto: quod figuram eius fuisse corporis & sanguinis nemo fidelium dubitat: quod singulis comedentibus secundùm desiderium cibi mutabat saporem. Est proculdubio arbor mali granati, quæ inedia famis adfectas animas, sole subardente nequitiæ fatigatas, sub vmbra defensionis suæ protegit ac defendit: & fructu labiorum doctrinæ, esurientes & sitientes per suam dulcedinem reficit. (Ioan. 6. b) Sicut etiam secundùm historiam, visibili cibo (ab æstu diabolico protecta Ecclesia) in quinque millia populorum in deserto, quinque panibus & duobus piscibus gratiæ suæ fructum dulcissimum in esuriens eius guttur effudit. Quod vtique de fructu virtutis paternæ maiestatis participium descendens (tot mensurata de tam paruo cibo) quis sapiens poterit dubitare? (Gen. 3. d) A paradisi namque expulsione, vsque ad virginis partum, multis laboribus, & intolerabilibus dæmonum impugnationibus affecta est humana progenies: quę hic sub Ecclesiæ persona amica est appellata: quæ in eius aduentu, qui dixit: (Matt. 11. d) Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego vos requiescere faciã: sub tegmine defensionis eius, credendo vnum Deum, requiescens, læta dicit: In vmbra eius, &c. quam, dulcedinem regni cœlorum & beatorum requiem nominat: Siue corpus eius & sanguinem delibando vitam æternam conferentem, exultans ait: Et fructus eius dulcis gutturi meo. De qua dulcedine in alio loco conlaudando hortatur propheta credentes: (Psal. 33. / Psal. 118.) Gustate, inquit, & videte quàm suauis est Dominus: Et in alio loco: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo. De huius ergo arboris fructu, per supradicta, quasi languidus in vltima infirmitatis desperatione, mali granati succo, in eius aduentu recreata est credentium turba. Qui fructus quotidie per eos, qui Christi vices agunt, in guttur Ecclesiæ infundi monstratur: per ea scilicet mysteria, quæ nota sunt populo Christiano. Et sic per singulos gradus profectuum in doctrina, introducitur ad arcanam intelligentiam Legis diuinæ, vt agnoscere possit omnia illa, quæ in veteri Testamento gesta sunt, siue peregrinationem Patriarcharum, siue afflictionem populi Israel sub Pharaone, siue decem plagarum verbera quibus flagellantur Ægyptij, siue diuisionem rubri maris, mersionémque Pharaonis: siue per lignum indulcatam amarissimam aquam, siue manna porrectum de cœlo esurientibus in deserto, siue aquam de petra, nec non & duas tabulas Legis susceptas, digito Dei scriptas, cõstructionémque tabernaculi, Iordanem conuersum retrorsum, duodecim lapides leuatos de fundo Iordanis, & alios totidem repositos de superficie campi, muros Hiericho clamore populi planatos, ædificium templi Salomonis, vbi vox mallei & securis negatur audita, omnia typos & figuras veritatis, redemptionémque humani generis tenuisse, quæ in nobis completa luce clarius demonstrantur. (Exod. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 14. / Exod. 15. d / Exod. 15. b / Exod. 17. c / Exod. 32. d / Exod. 25. a / Iosue. 3. d / Iosue. 4. a / Iosue. 6. c / 3. Reg. 6. & 7. / 3. Reg. 6. a) Arbori autem mali granati Dei filium comparauit Ecclesia, quæ fructum gratum aspectui, & dulcissimi saporis habet: de quo lassæ languidorum animæ recreantur, & medicinam ad multas passiones corporis in se continere & germinare monstratur. Neque enim absque mysterio pulcherrimi ipsi granorum ordines, diuisis receptaculis, diligentissimè forti tegmine circundati, ab iniuria tempestatis consistunt. In quibus vtique diuersi meritorum ordines, intra Ecclesiæ fidem commemorantium figura signantur. (Ioan. 14. c) Quorum multitudo beatitudinis gloria, in vno gaudio regni cœlorum diuersas obtinet mansiones: quos de Ecclesiæ rectæ fidei sinu conclusos, latitudo suscepit regni cœlorum: quos de terrena Ierusalem, visione pacis, vera suscepit pax cœlestis Ierusalem, mater omnium sanctorum. (Gal. 4. d) Quæ vtique de prædicta arbore vitæ germinasse probatur, secundùm magisterium Pauli Apostoli: (Rom. 11. d / Collo. 1. c / Ioan. 1. a) Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso constant. Et vt beatus Euangelista Ioannes: Omnia per ipsum, id est, per verbum: & sine ipso factum est nihil. Illud quod dicit

amica: Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios: hoc significare videtur, quod nō malitia notentur filij sicut filiæ, quæ spinis sunt comparatæ. Vnde igitur illæ diaboli filiæ per venenosam doctrinam genitæ, & isti in statu genuino nobilitatis consistēdo, Dei filij appellantur. Qui licet similem Christo fructum proferre non queunt, tamen qualemcumque necessarium germinant fructum: & nequitiæ ramis non sunt armati, nec contingentes se vulnerant. Quorum exultationem credulitatis in dilecti aduentu futuram prædixit Propheta: Gaudebunt, inquit, campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum ante faciem Domini, quoniam venit. Est quippe magna exultatio lignis syluarū, dum conspiciunt in medio sui talem arborem surrexisse, cuius fructus totam decorauerit syluam, omnes abstulerit animarum languores, omnésque indulcauerit fructus amaritudines: sub cuius vmbra, omni æstu tristitiæ, omníquè pondere peccati abiecto, Ecclesia multùm desideratam requiem inuentam, & dulcissimo fructu saginata, adolescentulis animabus adepta gaudia narrat.

Psalm. 95.

In vmbra eius, quam desiderauerat, inquit, sedi & fructus eius dulcis gutturi meo.

Et sic per ordinem ad altiora intelligenda mysteria se introductam esse, dicendo:

Introduxit me rex in cellā vinariam, ordinauit in me charitatē.

Ad illam itaque dulcedinem inuitat adolescentulas, & laudando festinare hortatur, quam Christus propinando docuit, cùm ait: Operamini opus quod non perit, sed quod permanet in æternum. De quo opere, meliorem partem Mariam dicit elegisse ad Martham. Et de quo dicit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis. In quo opere positos, similiter beatificat propheta dicendo: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Sunt enim testimonia in veteri Testamento legis, quæ Christum humani generis redemptorem probant venturum, aduenisse, iterum aduenturum in gloria. Ponamus igitur legem diuinam latissimum esse palatium, in quo rex inhabitat Christus, sermo omnipotentis Dei Patris, vbi ad æternam militiam introducuntur credentium animæ. Vbi cum omnes qui introducuntur vni militent regi, tamen quantò quis meliùs ministrauerit, tantò gradum sibi magis bonum adquirit, ex multa fiducia lateribus regis coniunctus. Hæc ergo regina, cuius persona introducitur loqui, per singulos gradus profectus suos, quos adquirit in sapientia Dei, adolenscentulis narrat. Primùm videlicet adhuc veluti pauidam in capite huius Cantici, vel esurientem cibum illum, quem dixit dulcem gutturi suo, in cellaria regis se introductā lætatur: quod diximus multiformem sapientiam Dei, vbi à multorum deorum turpium cultura, ad vnius veri Dei notitiam animæ introducuntur. Hic iam multò sublimior facta, introductam se intelligentiam legis veteris Testamenti dicit, ad consideranda mirabilia, quæ per singulos Patriarchas vel Prophetas vsque ad partum virginis operatus est Deus: quæ nunc per figuram, cellam vinariam nominauit, vbi introducta, suscepit in se ordinem charitatis, quomodò intelligere debeat omnia quæ carnaliter celebrata sunt in veteri Testamento, spiritaliter in Christi imaginata esse aduentu. Et quæ humanis comparationibus de Deo in prophetis dicuntur, non infirmitatem diuinitatis ostendunt, sed vt fragilitas humana possit pro viribus, diuinitatis magnitudinem contemplari; in trinitatis ordine charitatem Domini, secundùm Paulum Apostolum in æternum manentem. In quo ordine charitatis, quid aliud credendum est primum imbui, nisi vt credat & agnoscat primum debere patrem nominari, in quo filius semper vt verbum in voce? Secundum filium, in quo semper pater. Tertium Spiritum sanctum, qui vera ratione de voce & verbo, de patre & filio procedere comprobatur: secundùm illud in initio Decalogi: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo. Secundus ordo est: in tota anima tua. Et tertius ordo est: in tota virtute tua. Deinde iam in singulis præceptis legalibus, quomodò vel quo affectu debeat diligi proximus, vel singulæ personæ, in Ecclesia charitas ordinatur: quæ introducta, non summam intelligentiæ legis diuinæ se adeptam, sed ordinatam in se charitatem lætatur (quoniam totius supradictæ aulæ regiæ ianua est, æternum, vnum, verum, in vnitatis essentia semper manentem, credere Deum) vt nos doceremur, posse quidem omnes homines quamlibet charitatem habere, sed non ordinatam. Illos autem tantummodò veram, perfectámque, & ordinatam charitatem tenere, qui se amore legis diuinæ dignos exhibuerint introduci in eius intelligentiam, vbi ordinem docuit esse charitatis. Nam nisi à mandatis intellexerit Dei, quid odio haberi debeat, quid perfecta diligi charitate (Sicut ille qui dicebat: A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis) & cui personæ, quomodo, vel quale officium charitatis impendat, inordinata, & non Deo accepta eius charitas apparebit. Alio enim ordine reciproca charitas repensanda est Deo, qui nos, secundùm Apostolum prior dilexit, qui in nobis omnē summam charitatis per Christum contulisse probatur, Alio ordine impendenda est genitoribus, per quos sumus qui non eramus, Alio ordine fideli amico, alio ordine charissimo filio, alio ordine fratri germano, alio ordine coniugi, alio ordine seruus domino, alio ordine Dominus seruo, alio ordine impendenda est charitas ciui, alio ordine peregrino, alio ordine agnito, alio ordine sacerdoti, alio ordine propinquis vel proximis. Nam largiri necessaria egenti, infirmo, vel peregrino, non ad ostentationem laudis humanæ, sed propter retributionem æternam, ordinatæ charitatis indicium est. Consolari lugentes, & oppressos iniusto iudicio, visitare infirmos vel carceri mancipatos, ordinata charitas demonstratur. In nullo negotio, pro veritate, hominis personam reuereri, misericorditer admonere insipientes, veracissimè increpare superbos, charitatis manifestus est ordo. Quisquis autem ampliùs diligit patrem aut matrem, vxorem, filios, vel fratres, aut diuitias præsentis temporis, quàm Deum, est quidem in eo charitas, sed non ordinata: quæ etiam in tempore persecutionis plerumque retardata, quandoque etiam reuocata coronatur. Pro Christi autem nomine perpeti diuersa tormenta, & pro amore iustitiæ pro fratribus animam ponere, ordinata charitas demonstratur. Ordinauit ergo Dei filius in Ecclesia sua charitatem, vt sciat vnusquisque Ecclesiæ filius, quo ordine vnicuique charitatis officium impendat: dicendo in Euangelio: Reddite quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. Et per beatum Apostolum Paulum: Reddite, inquit, singulis debita: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Non omnes autem, qui Christiano vocabulo nuncupantur, per hunc ordinem charitatis in prædictam intelligentiam, quam cellam vinariam nominauit, introducuntur: sed qui paruum quantumcumque imitatus fuerit Paulum, qui dicebat: Amplius omnibus laboraui, in vigilijs, in ieiunijs, & cætera. & omnia, ait, arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifacerem. In capite huius Cantici, in cellaria regis se introductā Ecclesia gaudet, vbi ingressa, dicit: Exultabimus & lætabimur in te: agnitam videlicet eius præsentiam corporalem, qui est sapientia Patris: qui velut in conclaui Prophetarum præconijs latebat. In quo sunt omnes exultationes, & lætitiæ, & thesauri: Hic verò, vbi ad intelligendam legem diuinam, & quicquid obtectum mysterijs dictum est, quis sermo legis cui personæ conueniat, vel ad discendum ordinem charitatis se dicit introductam, non se lætari & exultare, sed languere. Eo quòd secundùm eumdem Salomonem, qui addit sapientiam, addit dolorem: & quantò quis consectando proximior effici cœperit sapientiæ, tantò eam vix conspicit prolongatam. De quo dolore beatus

Margin notes: Ioan. 6. c; Luc. 10. g; Luc. 10. d; Psalm. 118.; 1. Cor. 13. d; Deut. 6. a; Matt. 22. d; Psalm. 118.; Rom. 5. b; Matt. 5. a; Matt. 25. c; Matt. 10. d; Luc. 14 f; Matt. 22. c; Rom. 13. c; 1. Cor. 15. b; Phil. 3. b; 1. Cor. 1. d; Col. 2. c; Eccl. 1. d

Section letters: A B C D E

beatus nascitur amor Christi, & de amore gloriosus sanitatis animæ languor, qui ei omnes vires subtrahat ad peccandum. Intantum enim anima in omnibus mandatis legis diuinæ semper cogitando, quomodo debeant singula intelligi verba rectæ fidei ordine vel suo loco, aut quomodo possit, vel quibus operibus Christo coniungi, nunquam proculdubio membra sui corporis diabolo arma parauit, nec vires in se tribuit facinorum ad æternum interitum. Introducta scilicet Ecclesia in prædictam cellam vinariam, ordinatam in se charitatem adolescentulis prædicat. Quæ licet arcana mysteria multiformis sapientiæ Dei adepta sit, quæ licet perfectionis teneat arcem, non sibi tamen solius prædictæ scientiæ aut intelligentiæ credit sufficere summam, nisi constipata malis punicis, & fulta diuersis floribus fuerit, sicut nunc ait: *Ephes. 3.*

Constipate me malis, fulcite me floribus: quia amore langueo.

Hoc est, nisi glutinentur ei Apostolorum exempla: qui velut poma de arbore vitæ Christo per doctrinam sunt germinata: quem superiùs Ecclesiæ arborem mali punici diximus. Simúlque fulcienda est floribus pudicitiæ vel castitatis, id est, eorum consortio docetur anima (quæ cupit immaculata ad pristinum statum repedare) semper fulta consistere, qui conseruant & diligunt castitatem, qui magno studio intactum sanguinis sui florem custodiunt iuuentutis. Quorum victoriæ vox est in centesimo vigesimo octauo Psalmo contra sordidas dæmonum turmas: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Coniuncta ergo anima Dei verbo, introducta in intelligentiam legis, discurrendo per singulos apices scripturæ, vt sæpè dictum est, & singula vasa cellæ vinariæ, diuinorum librorum degustando sapores, quasi inebriata lætitiæ vino, semper futuræ beatitudinis, cui ad eam tardè perueniat, dicit se amore languere. Illo proculdubio amore, de quo Propheta dicit: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Et de quo beatus Paulus dicebat: *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo.* Per quem amorem scientiæ, amor germinatur vitæ æternæ. & de amore vitæ æternæ, tolerantia persecutionis: & de tolerantia, certaminis virtus: & de certamine, consummata martyrij gloria. In quo certamine, cupidine regni cœlorum, & magnæ consolationis adiutorij diuini sapore, quasi in lectulo collocata in varijs generibus tormentorum, promissionis, læua, & adiutorij dextera Christi amplexari se deprecatur, dicendo: *Psalm. 41.* *Phil. 1.*

A *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Catastæ quippe, & diuersarum pœnarum tormenta, impijs & stultis ignominiosa & detestabilia videbantur: martyribus autem, & omnibus qui in sapientiæ aulam sunt introducti, delitiarum gaudia, & lassantium requiei lectuli deputantur. Vbi pro ludibrio arrident incendia, vbi animi probati conuertuntur amphiteatra in paradisum, craticulæ & sartagines in mollissimam plumam, flammarum globi in gratissimos flores, liquefactum plumbum in balsamorum vnguenta, flagellorum, virgarumque & vngularum solatium in piniculis delicatissimis: quibus anima ab omni peccatorum sorde extersa, ad antiquam pulchritudinem reuocata, suo redditur creatori. Ipsa quoque mors pro Christo suscepta, omni gaudio, omníque iucunditati, & diuerso pretio-
B sissimo lapidi pretiosior anteponitur. Hæ sunt namque delitiæ animarum sanctarum, pro æternis gaudijs adquirendis: vbi se Ecclesia delitijs resoluta, amplexu dilecti Christi contineri lætatur, vt digna sit pro factore suo atrocitatem perpeti tormentorum. Nam potest & ita intelligi, vt læua Christi à sinistris sustineat animam, ne ab incentiuis vitiorum vncinis implanetur, in læua se semper sustentata, occultis compunctionibus sublimetur ad regnum: & ne in superbia elata, faciat lapsum in dextera, in qua diabolus corruit, tribulationes & multimoda tentacula permittendo, & fatigatam adiuuando, à dextera sua amplexatur. Nam & ita intelligi non opinor esse incongruum præsentem locum, vt læua sub capite, fidei sit scutum, quod pugnantis sinistra con-
C tineatur manu: & dexteræ amplexatio, orationis gladius intelligatur, quo dextera semper armatus, quatenus altero armorum genere aduersarius repellatur, & altero prosternatur; & vno illæsus ab hoste seruetur, alio hostis peremptio celebretur. Cùm ergo impugnantem nos, expugnari oramus; armata est dextera nostra: & cum scuto fidei innixi, læua; docente beato magistro Paulo Apostolo, *Apprehendite* (inquit) *scutum fidei, in quo possitis omnia iacula ignita Maligni extinguere, & gladium spiritus verbum Dei, per omnem orationem.* Quos cùm ita armatos reperent hostis diabolus, pauebit; & Dominus noster Iesus Christus ita armatos milites suos gaudebit: cui est gloria in sæcula sæculorum; Amen. *Ephes. 6.*

FINIS LIBRI TERTII.

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM.

LIBER QVARTVS.



Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Post multos labores (scilicet Ecclesiæ) & discursus, per quos, anxia intra sanctam cellam vinariam, fatigata redditur in soporem quæ ne celerius pristinis reddatur laboribus suscitata à somno, adiurantur filiæ Ierusalem ne suscitent eam: & per hoc adiurantur, quod firma diligunt charitate; quod opinor nec ipse minus diligat qui adiurat: per capreas videlicet ceruósq; camporum; quas non parui meriti vel laboris animas esse intelligi datur, per quas filiæ Ierusalem adiurantur. In plebe enim Christiana secundùm meritorum qualitatem, diuersis mundis & immundis animalibus animæ comparantur. Habet ergo palatium Dominus noster Christus, quod intra se cellaria multa, & cellam vinariam, & cam-
D porum spacia continere intelligitur: cuius fores beatus Paulus ingressus, admirando laudat. *O altitudo* (inquit) *diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* In quo palatio inter multas diuitias; id est, multitudinem Sanctorum, intelligitur habere etiam animas agrestes quæ ab Ecclesiæ venatoribus intra fidei rete ex philosophiæ sylua conclusæ, mansuefactæ, velocitate cursus literaturæ, ad delectationem filiarum Ierusalem, per Scripturarum diuinarum campos discurrunt. Filias autem Ierusalem (vt retro dictum est) perfectæ animæ, illius cœlestis Ierusalem filiæ intelliguntur; quam Apostolus dicit matrem esse omnium Sanctorum; quæ cum Sponsa desiderant semper miscere colloquia. Delectantur enim eam secum concurrere in illis operibus, in quibus ipsæ ad cœlestem sunt gloriam sublimatæ: per quæ, amissa corporea sarcina, cum illis epulentur in cœlis. Quam Dominus Christus ad lucrum vel consolationem aliarum anima- *Rom. 11.* *Gal. 4.*

rum conſeruatam à periculis, vel de manu carnificum, virtute ſignorum in tempore perſecutionis; tam diu ab A impugnatione quæ exitum mortis adducit requieſcere in corpore iubet, quoadusque ipſa velit. Capreas verò eas animas opinor intelligi quæ acumine Dialecticæ excellentiæ, ſenſu & mente per philoſophiam diſcurrere conſueuerunt; quæ nunc intra ſupradictum palatium & rete concluſę, arte prædictorum venatorum manſuefactæ, mutata religione in melius, per ſapientiæ (quæque ardua & obſcura interpretantes) montes vel campos diſcurrunt; quæque in fide velocitatem ſui curſus oſtendunt: & tunc latus labor qui in figmentis mortuis vel turpibus hominibus qui ſe deos appellauerunt, cõſumebatur, in Creatoris laudem quotidie vertitur. Quæ animæ non vana & inania docendo diſcurrunt; ſed ſemper eorum quæ ad montem paradiſi veloci curſu eleuét, adiutor eſt Deus. B Caprearum natura, primam corporis partem ſublimiorem, humiliorem poſteriorem probatur habere: & hac de cauſa ſemper ſurſum aſcendendo in montem, in curſu velocior inuenitur; quo itinere, aduerſarius minor eſt in ſequendo. Cerui autem videntur intelligi, qui in ipſa philoſophia ſua velocitate doctrinæ, non multos ſed vnum Deum inuiſibilem, immenſum, inæſtimabilem, omniúmque creatorem, totum vbique Mundum implentem confeſſi ſunt. Quæ genera dogmatum, quantum immunda animalia diſtát à ceruis & capreis (quæ, inter munda, Hebræo populo per Moyſen a Deo iuſſa ſunt edi) tantùm differunt a ſupradicta philoſophia & ijs qui caninam vitam ſimul & nomen ſortiti ſunt; ſummum bonum libidinem prædicantes, & nihil eſſe turpe quicquid natura ſuggeſſerit C exercendum. Quantum ergo vtilia, vel omnia manſueta animalia diſtant ab agreſtium feritate, tamen diſtaſſe intelligitur gentem Hebræam (quæ meruit cum Deo miſcere colloquia, & quæ ſæpenumerò per Ezechielem Prophetam ciuium vocabulo appellatur) ab omnium gentium natione, quæ à Dei notitia (velut ſæuiſſimæ beſtiæ) efferauerunt: & quantùm mundiora vel ſimpliciora caprearum & ceruorum animalium genera ſæuiſſimis & immundiſſimis beſtijs; tamen diſtare cognoſcitur inter philoſophiam quæ blaſphemijs ſuis gregem deorum perſuaſit mortalibus, & illam ſupradictam Platonicorum vel Stoicorum qui vnum Deum immenſum docuerunt. Quorum doctrina licet quidem agreſtis ſit, tamen mundicia ſenſus non longè abeſt ab Eccleſiæ D fide; cuius populus, ſub ouium vocabulo vel agnorum, à domino Chriſto, beato Petro Apoſtolo paſcendus eſt commendatus. Quæ fides, in qua perfecta Trinitas cõſtat, domus magna à Magiſtro gentium intelligitur nominata cùm dicit diſcipulo ſuo Timotheo; In domo magna, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea ſed fictilia & lignea: vbi ſupradicta Sponſa per intelligentiam Scripturarum diuinarum introducta, omnem ornatum ad ſimilitudinem palatij inuenit. Vbi ſunt inter cætera latiſſimi ſenſus ſpacia Scripturæ diuinæ, in quibus diſcurrunt animæ, magnæ peritiæ literarum, ex philoſophiæ aſperitate conuerſæ; quæ velocitate ſapientiæ curſus, magnas lætitias diſputatione ſua contra Aduerſarios, filiabus Ieruſalem exhibere noſcútur. Quæ, diſputationis ſuæ curſu; grauibus beſtijs (Gentilibus vel hæ- E reticis immiſſis à diabolo venatore) inſequentibus, ad montes confugiunt: hoc eſt, vnum omnium Creatorem Apoſtolico dogmate confitentes in cœlo: & acumine ſenſus, more caprearum vel ceruorum, longe proſpiciunt aduerſariorum inſidias, ſicut de caprearum fertur natura, ab eis qui Animalium ſcripſerunt naturas: quarum mos eſt & magna velocitas ad montes confugere; ſiue ceruorum inſecutorum more, ad fluuij ſuffragium concurrere, de quo dicit Propheta Dauid; *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*; quem proculdubio Spiritum ſanctum qui Patri Filióque vnitus eſt, intelligi nemo ſapientum ignorat. Illuc vtique diſputando recurrent, ſupraſcriptis canibus reſiſtendo, vbi firmiſſima

Philoſophi quidam, vi doctrina Philoſophicæ, Deum cognouerunt.
Leuit. 11. a
Verè Philoſophorum, magnum diſcrimen à Cynicis.
Platonicorum & Stoicorum doctrina, ab Eccleſiæ fide non multum abeſt, munditia ſenſus.
Ioan. 21. f
2. Tim. 2. e
Pſal. 45.

defenſionis propugnacula eſſe cognoſcunt, & magis A cupiunt à corpore quàm à fluuio ſeparari, ſicut ceruorum conſuetudo eſſe probatur. Hi ſunt ergo proculdubiò cerui camporum & capreæ, per quos Sponſus filias Ieruſalem adiurat vt patiantur paulisper requieſcere Sponſam in requiei ſomno. Hæ vtique animæ quæ diligunt firmiſſima charitate, quæ ſtudio ſcientiæ ſermonis ſuæ rectam fidem docendo, inſtruunt paruulos in fide, reuincendo peruerſorum dogmatum adſertores, magnam lætitiam, magnúmque ſpectaculum angelis vel ſanctis animabus exhibere noſcuntur. Quæ ita amabiles Chriſti vel filiabus Ieruſalem ſupradicto ſtudio eſſe intelliguntur, vt eas adiurent, ne Sponſam ſuſcitent dormientem, donec ipſe Sponſus proſpiciens vtilitati eius (quia ſic expedit conlocatam eam in ſomno prædicto) paulisper prolonget, vt agnoſcat anima vires ſuas: B quia ſine ipſo nihil poteſt. Sed perfecta anima in ipſo requiei ſopore, ſemper eum timẽdo audit, ſemper eum amando videt, ſicut nunc ait: Vox dilecti mei; Ecce ipſe venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Et quid dicat vox iſta dilecti Eccleſiæ, in Euangelio proprio ore declarat. *Videte* (inquit) *ne ſeducamini à Pſeudoprophetis, multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego ſum, & multos ſeducent, & dabunt ſigna, ita vt etiam (ſi fieri poteſt) Electi in errorem inducantur.* Et: *Videte ne grauentur corda veſtra, ebrietate aut crapula.* Et; *Similes eſtote ſeruis expectantibus Dominum ſuum, quando reuertetur à nuptijs.* Et per Eſaiam Prophetam, audit ſimiliter hanc vocem Eccleſia, dicendo; *Audi populus meus, quoniam abſque me non eſt Deus, & præter me non eſt ſaluator; Ego ſum primus, & ego nouiſſimus, &* C *ante me non fuit Deus, & poſt me non erit alius: Spiritus à me procedit, & flatus omnes ego facio, & manus mea extendit cœlos, & fundauit terram, & nullus mecum.* Hæc eſt namque vox dilecti verbi Patris, quam audit Eccleſia in requiei ſopore conlocata, id eſt, ſublatis tribulationum vel perſecutionum aculeis, ceſſantibus odijs impiorum. Cum eam impugnatores eius ædificant, cum præcelſior regibus incendit, cum eius potentiam gentes mirantur, tunc dormiens requieſcit Eccleſia, tunc poſt multos tribulationum labores in ſomno deducta requieſcit. Sed in ipſa requie per hæc figurata monetur, non ebrietate aut crapula grauata dormire, ſed in ipſa ſecuritatis requie ſollicita, ſemper aurem cordis ad vocẽ Chriſti præbere, hoc eſt, in ſcripturis diuinis, & aſſiduæ orationi operam dare. Quando enim ſacerdotes, qui Eccleſiæ præſunt, ab D impiorum inſectatione requieſcunt, Chriſtus pro Eccleſiæ cuſtodia & ſecuritate montes tranſilit & colles: per quod ſignificatur elongari Deum ab anima: immò, anima nullis tribulationibus impugnata, paulo longius fieri à Deo: eo quod delitijs reſolutus quis, nõ in toto corde innocat eum, ſicut dicitur in Pſalmo: Prope eſt Dominus inuocantibus eum in veritate: nec facit quod ille ſe narrat feciſſe in lxxvj. Pſalmo: In die, inquit, tribulationis meæ, Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus. Monentur ergo per hæc qui præſunt populo Chriſtiano, vt ſine intermiſſione adnuntient plebi, quid præcipiat vox iſta dilecti Eccleſiæ: quomodo ſcilicet venit de ſinu patris ad humanum conſortium, vt verbum fieret caro: quomodo ſecun- E dum Abacuc Prophetam, humiliando dæmonum ſuperbiam, confregerit montes violentiæ, & liquefecerit colles æternales: conculcando ſub pedibus credentium Satanam ſalit in montibus prædictis: virtutibus vero conturbando idolorum cultores, tranſilit colles. Quorum rigidam diabolicam ſuperbiã igni ſpiritus ſui molliendo, ad credendum vni vero Deo, liquefacti intelliguntur colles æternales. Exemplo enim humilitatis, & glorioſæ doctrinæ viam ſalutis oſtendendo, omnem ſuperbiam ſapientiæ mundi, extollentem ſe aduerſus creatorem, liquefecit, & per Apoſtolos ad nihilum redacta humiliatur. Humiliando ergo ſuperbiam ſapientiæ per Apoſtolorum doctrinam, in quibus non Rhetorica argumenta, ſed ſancti Spiritus virtus fulgebat, & proſtrata dæmo-

Matt. 24. a
Marc. 13. e
Luc. 21. b
Luc. 21. e
Luc. 12. e
Eſa. 44. a
Apoc. 1. d & 22. c
Matt. 31. b
Luc. 21. e
Pſal. 144.
Abac. 3 d
Rom. 16. e
2. Cor. 10. b

dæmonum turba sub pedibus credentium, ostensus est Ecclesiæ saliens in montibus, & transiliens colles venisse in mundo, & inter homines est versatus. *Baruch. 3.b* A In his proculdubio montibus eum salientem in modum capreæ & hinuli ceruorum videt venientem sponsum & colles transilientem, hoc est, omnem sapientiam mundi: sicut in sequentibus ait:

Similis est dilectus meus capreæ, hinulóque ceruorum.

Capreæ Christum comparatum, non per detrimenta diuinitatis, quæ semper eadem est, intelligimus, sed per incarnationis mysterium, in quo augmenta confecta est cœlo recepta carnis natura. Nam in eius humili aduentu plenus erat mundus Philosophorum doctrina de quibus intelliguntur agrestes illæ quondam animæ, mundiores cæteris supra dictis, quæ per Christi doctrinam ad vnius veri Israelis consortium aggregatæ: B quibus eum similem esse pronuntiat vox Ecclesiæ: vt sicut eorum doctrina, qui vnum Deum omnia impellentem confessi sunt, velut scintilla claritatis reluxerat mundo; Ita & hunc, quem verum lumen Euangelista testatur, abstersis ignorantiæ tenebris, totius inluminatorem mundi ostendit. Nã capreæ pro eo opinor similem dici, quia nostræ salutis inlustratio cæcitatem cordis auferens: in posteriore sæculi parte veniendo in carne ostendit, quam Moysi petenti in monte Sina mõstrauerat. *Exod. 33. d* De quo mysterio idem Dauid dicit; *Pennæ columbæ deargentatæ in posteriore dorsi eius*: *Psal. 67.* sicut caprearum posterior corporis pars, candorem demonstrat. Hinnulo vero ceruorum, propter humilitatis formam, necdum adhuc potentiæ cornibus exaltatis; quibus in secundo aduentu callaturus est Mundum. C De quibus dictum in Psal. lxxiiij. Exaltabuntur cornua iusti. Hinulus enim ceruorum sine cornibus est, amorem in se potius visionis suæ, quàm terribilitatem ostẽdit: sicut Dominus noster Christus in primo aduentu fecisse probatur. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, & dilectus meus loquitur mihi. En ipse qui crucifixus est, qui diuinitatis suæ dexteram languentem, id est, lugentem in Apostolis consolationis amplexu continebat Ecclesiam: cum qua carne sepultus est: cum ipsa vtique stat resurgens post parietem incredulitatis nostræ, quem luteis operibus construxeramus peccando. De quibus dixit per Esaiam Prophetam: *Esa. 54. a* *Nunquid non valet manus mea ad liberandum? sed peccata vestra murum fecerũt inter vos & Deum?* D post quem stans Dominus Christus, expectat se ab impijs inuocari, & vocat ad pœnitentiam animam peccatricem, & expectat sibi ab incredulis credi. Post quem parietem stat vsque ad tempus baptismatis vel pœnitẽtiæ. Et licet non mereamur eum intueri, tamẽ per hoc quod idololatriam abdicamus, fenestras in supradicto facimus pariete, quibus nos ab immundis spiritibus defendẽdo respicit Christus, & ipsi soli genua cordis deflectendo cãcellos faciemus, per quos compunctionem ad se conuertendo donando prospiciat. Vbi vero venerimus ad veram conuersionem prædicti baptismatis vel pœnitentiæ, retollit eum de medio concessa venia peccatorum, & loquitur nobis dicendo: *Matt. 11. d* *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Matt. 25. c* Et: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi.* E Sicut & magister gentium Paulus docuit factũ in eius aduentu: *Ephes. 2. c* *Qui tulit* (inquit) *parietem maceriæ de medio, reconciliauit nos Deo Patri per sanguinem ipsius.* Potest autem & ita intelligi, inclusam esse Ecclesiam inter parietem septam propter metum persecutionis: vbi cum viderit animam Dei sermo nimia terreri formidine, proximius fit solito, & consolando, augendóque fidei calorem, auferendo formidinem loquitur ei: Sicut post suam resurrectionem formidantibus, & nimio timore deiectis Apostolis, ianuis clausis ingressus, magnã fiduciam, magnũque gaudium adportauit dicendo: *Luc. 24 f* *Pax vobis ego sum, nolite timere.* Vbi completum est; *Dilectus meus loquitur mihi. Exurge propera amica mea, formosa mea, & veni.* Loquitur ei, videlicet ad perfectionem vitæ vocando, docendo eam iam non timere mortis authorem diabolum, nec vltra residere intra incredulitatis claustra. A Propterea inquit, & veni quia ego moriẽdo vitam perditam reddidi, modo iam non terrearis à morte, cuius ego destruxi imperium. Stabat namque post parietem nostrum, qui nobis vmbra sua obstabat, sol iustitiæ: de quo promiserat Propheta dicens: *Orietur vobis timentibus Dominum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* *Mal. 4. a* Loquitur Ecclesiæ in Apostolis, quando resurgens à mortuis, consolatur eos dicens: *Confidite, quia ego vici Mundum.* *Ioan. 16. g* Et; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* *Mat. 28. d* Et; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* *Mat. 10. c* Nam sunt & alij persecutores animæ. Habet enim inuisibiles hostes, qui eam intra mentis suæ septum inuisibiliter & incessanter circumdatam impugnant: Qui tunc vel maximè crudeliter eam suis armis adgrediuntur, B cum viderint fœtore ab ea Dominum prolongantem: quam ita in ergastulo redigunt vitiorum, vt non possit omnino progredi, ad *viam mandatorum* Dei currendam, *Psal. 118.* quousque eius precibus reuocatus veniens, quasi occultus stet, & spectet luctamen eius: & non totus se ostendit, ne omnino fugatis hostibus, cessante pugna, otij torpore depereat: sed velut per fenestras aspicit, suæ visionis adiutorium commodando, vt anima vires recipiat resistendi: & hostis impugnatio diminuta eius terrore, aliquantulum conquiescat. Nam sæpe numero varijs immissionibus circumdatur anima, cupiditatis, auaritiæ, ebrietatis commessationis, impudicitiæ, iræ, blasphemiæ, contẽtionis, hæresis, inuidiæ, & multarum aliarum his similibus: C Eo vtique tempore quando his circundatur, quasi carcere retrusa continetur. Ad quam sermo Dei, pœnitẽtiç orationúmque vocibus reuocatus, venit, & aspicit per fenestras sensus eius, quibus corporeas peragit cogitationes, si non sunt polluti sordibus lasciuæ delectationis auditus, si non concupiscentiæ visus, si non meretricum odoribus delectatur odoratus, si non turpiloquijs, & quæ Deo contraria sunt, labia inquinata: si non sceleratis operibus pollutæ sunt manus. De quibus dixit Propheta; *Intrauit mors per fenestras.* *Hier. 9. f* Tali ergo animæ proculdubio loquitur Christus, quam sui viderit desiderio plenam, huic manifestat se loquẽdo in corde, & vocat eam verbis ineffabilibus, & tribuit ei fiduciam veniendi ad se dicendo:

D *Exurge, propera amica mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.*

Docet eam, scilicet, iam non timere omninò iniquorum hominum truculentiam, nec dæmonum formidare terrores: quia & Deum patrem per adsumptæ carnis oblationem reconciliauit Ecclesiæ, & dęmonum exercitum subneruauit per crucem, & post brumalem gelidámque asperitatem, floridum verni aduentus sui tempus ostendit: & quanta vel qualia gaudiorum esset præmia ei per suam præsentiam exhibiturus, futuram, iam quasi factam narrauit. Per has enim singulas figuras verborum, quantam malorum tristitiarúmque congeriem abstulerit, & quanta magnalia suorum Dei filius in nobis contulerit, dulcissimo affectu narrantur. E Quomodo, veluti puellæ dilectæ, mortali naturæ, quod est Ecclesiæ, pristina amicitia & pulchritudo reddatur, & per suum humilitatis aduentum, docet eam per viam humilitatis venire ad se, hoc est, ad suam imitationem: per quam ipse venit ad eam, vt & vocem munúsque repropitiationis adferret, dicendo: *Iam vos non dico seruos, sed amicos.* *Ioan. 15. b* Et; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* *Matt. 11 d* Iam igitur agnitionem sui aduentus, suámque humilitatem imitanti vox ista dirigitur: *Exurge, propera amica mea, formosa mea, & veni.* Amica enim fit anima agnoscendo Deum: formosa Christi humilitatem seruando: Columba verò efficitur, nihil de terrenis cupiditatibus, absque cibo vilissimo, indumentóque corporis requirendo: sed semper columbarum

simplicitatem tenens, spiritui sancto se consociat. Sicut igitur superuenicote Vere, præcursore æstatis, qui fugat hyemem, quando omnis creatura re diuina lætatur, & vniuersa animalia secundùm genus suum cooperantur ad fœtus, & ingrauidata, cubilia construunt, & aues nidos componunt, & sese inuicem suis vocibus discretir aduocant & moribur: vbi iam reptilibus epulas præparat humus, nec deest pennigent animantibus esca: vbi canora vox volatilium dulci modulamine resonat, & ad prædandos flores apis pennis armata procedat, ita Dominus noster Christus, post horridam hyemem idololatriæ, & Philosuphicam doctrinam, vernum tempus per suam passionem (quod est pascha oostrum, transitus de morte ad vitam) faciem Mundi, martyrum vel omnium sanctorum operum flore decorauit. Quo tempore creata in principio omnis intelligitur creatura, & ipse bomo de limo terræ formatur est: quo tempore de Mesopotamia ad propriam sedem reuocatus est Iacob: quo tempore filij Israel de terra Ægypti sunt educti, & io Christi figura agni sanguis, Ægypti vastatorem exclusit: quo tempore terram repromissionir transmissu Iordane ingressi: eo tempore redemptot noster Christus de conualle lachrymarum ad Paradisi mõtem, suæ mortis exemplo Ecclesiam vocat, dicendo: *Surge propera amica mea, formosa mea, & veni, Iam enim hyems transijt*: id est; potestas tenebrarum, quæ tristem reddebat Mũdum, Sole iustitię Christo vestieote, transijt de boc Mũdo ad tartara. *Imber abijt & recessit*: id est; philosophiæ error & Gentilium doctrinę, Christi aduentu splendente abijt & recessit. *Flores apparuerunt in terra*: Ad tãti quippe Sponsi ornaodam aulam regalem, necessariò pro venenosir nequitiæ tribulis innocentiæ flores, per infantum allisiooem apparuerunt in terra, cui maledixerat in Protoplasto Deus. Quibus testibus coronatus, Magorum prænuncio inducitur in Iudæam: in quibur Ecclesia primùm decoris ornamenta suscepit. *Tempus putationis aduenit*; Illud proculdubiò, in quo Pater agricola peritissimus putator, sterilia sarmenta de vera vite Christo, vstionir amputat falce: eos scilicet qui in se nullam similitudinem Factoris sui Filij Dei, per imitanonem boni operis ostendere. Æstiuum *tempus* namque *putationis* aduenit, quando ex vna stirpe corporir, boni separentur à malir ne vicinitate malorum deperєant boni, ne perfidia incredulorum periclitentur credẽtes. Hoc vtique tempus nunciabatur aduenire putationis, de quo Dominus dicit in Euangelio; *Veni separare filium à Patre, nurum à socru sua, & filiam à matre sua*: quatenus credens in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctũ; separatis à se incredulis (arefactis palmitibus) semel in fide Christi plantatis, vt vitis radice, & corpus (de quo profert sarmenta) palmite decoratum, indiuiduam Trinitatem credendo consistat. Illi autem qui non credunt haoc, non eos portat prædicta radix; sed quasi aridi surculi, à sæpe dictæ vitis corpore defecti, æterno igni pabulum præbituri sunt. Putatur etiam vnusquisque Ecclesię filius diuina pietate, per compunctionem sanctam in intima mentis, & arefacta malæ voluntatis de eo sarmenta abscinduntur, vt possit iam putatus fructifer bonæ voluntatis palmes, fructus germinate iustitiæ: de quo gaudium in cœlo angelis exhibeatur. Nam certum est, nisi auaritia fuerit amputata, largitas non subcrescit; nisi dolorum amor fuerit desecatus de corde, gloriosus martyrij non pullulat palmes; & nisi fornicationir præcisa fuerit consuetudo, castitatis non prouenit angelicur fructus. Hoc autem intelligitur in omnibur malis, quæ in mentibus hominum inferuntur ab hoste diabolo; quæ omnia per Christi aduentum reprobata probantur: in cuius ostensione tempus putationis aduenit.

1. Cor 5. c; Ioan. 13. a; Gen. 2. b; Gen. 31. a; Exod. 12. b; Exod. 13. d; Iosue 3. d; Ioan. 15. a; Mat. 10. d; Luc. 14. f; Ioan. 15. a; Luc. 15. b

Nisi amputata vitia, virtutes in nobis non crescunt.

Vox turturis audita est in terra nostra.

Coogruè satis huius castissimæ auis vox, gloriosæ virginitatis, in supradicto tempore per beatam Mariam primùm audita est in terra nostra, dicendo ad angelum Gabrielem; *quomodò hoc erit, cum virum non cognoscam? Et; Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Cui voci Angelus respondit, sacratissimi partus exponendo mysterium; quomodò, quod sinc lege complexur concipitur, sine pœna doloris parietur. *Virtus* (inquit) *altissimi obumbrabit tibi & Spiritus sanctus superueniet in te, ideò quod nascetur in te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et verè digna quam solam beatam omnes generationes dicant; quam gloriosam inter omnes fœminas, non solùm diuersarum gentium nationes sed etiam cœlorum Virtutes admirantes collaudant. Per quam, vitam ingressam, mortem fugatam, Mundum reconciliatum gaudemus; per quam in terra maledictionis, in terra impiorum (perditaiu terram incontinenoæ!) primum saoctæ voluntatis vox conseruandæ virginitatir audita est; de qua prædixerat Dauid; *Terra nostra dabit fructum suum*: Booum vtique bonæ voluntatis fructum, quem natura susceperr in parente Adam. Nisi enim voluntar fuisser conseruandæ virginitatis, non diceret; *quomodò fiet, cùm virum non nouerim?* Quàm diu enim præuaricationis hyemir tempus triste constrictúmque ab omni germine bono obtexerat faciem Mundi, & sua ditione obtinebat diabolur terram; hæc dulcissima vox turturis, siue per gloriosam Mariam siue per beatum Ioannem non est audita in terra: Sed vbi magnus ille iustitiæ Sol qui nobis indulgentia æstatis vbertatem adducendo, exortus est; cœpit desiderij conseruandæ integritatis vox turturis in terra nostra audiri: & quæ priùs impiorum nuncupabatur, nunc suam terram vel Ecclesiæ, Dei sermo vocitare dignatur. Quæ ita coniunctæ Spiritui sancto vtræque personæ, illa superuenienti in se, & ille adhuc in vtero Matris eo impletus, vnam nulli alij dictionis commodant volũtatem. Nàm sicut natura turturum, Deserti habitacula diligit, & aduocant comparem dulci resonat voce; ita illæ supradictæ personæ: illa, dicendo; *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: & ille clamando; *Post me venit qui ante me factus est, cuius non sum dignus calceamenta portare.* Iusta ergo ratione, turturi castissimæ aui, virginitas comparatur; quæ in Ioanoe vel Maria obtinet principatum: quæ semel Verbo Dei vel Spiritui sancto coniuncta, nũquam aliquem alium cogitat comparem, nec alteri desiderium sui amoris communicar nisi illi cui semel cõglutioata probatur, sed ad illum semper promissionis vocem & mentis emittit affectũ cui promisit seruare quod nata est: sicut turturum amor erga cumparẽ suum immutabilem seruat dilectionis affectũ; quæ mortuo compare, nunquam alij, à Physiologis, iungi narratur, sed eum omnibus diebus vitæ suæ, cui semel fuerat coniuncta, desiderando requirit.

Luc. 1. c; Luc. 1. e; Psal. 64; Luc. 1. d; Ioan. 1. d

Virginitatis conseruandæ sancta voluntas, per Virginem Mariam, primùm audita est in terra.

Ficus protulit grossos suos.

Propinquante igitur messe redemptionis humanæ, & gloriosi Redemptoris aduentu; horrida, & omni iustitia destituta, vel impietatis hyeme algoréque constricta, nihil in se ficulnea Synagoga nisi amarissimum succum doctrinæ (quem animarum cibum mentitur) intelligitur habuisse. Nunc autem in eius aduentu Apostolos protulit grossos suos; qui de ea generati, dulcissimus cibus doctrinæ animarum affecti sunt. Cui ficulneæ, vnius anni inducias petit Colonus vineæ: Michael (opinor) Archangelus; qui portio Domini appellatur (id est, omnium credentium) Deo cœli: eàmque excolere commonitione sua, & à dæmonũ vastatione intelligitur custodire, secundùm Danielem Prophetam cui dicit Angelus Gabriel, *Viginti & vno die restitit mihi Princeps regni Persarum, & nemo mihi fuit adiutor nisi princeps vester Michael.* Hoc vtique dicitur Danieli Hebræo qui de Iacob originem trahit. Multitudo ergo credentium Deo, hi qui audiunt verbum Doctoris, Vineæ nuncupatur: Illi verò qui præsuot populo, & verbo doctrinæ ædificant auditores; ficulneæ intelliguntur. Colonus verò vineæ (vt supra diximus) Angelus antedictus, cum magna fiducia in conspectu Dei est, magnáq; cura laborat pro

Luc. 13. b; Dan. 10. e

[Mat.21.b] rat pro omnium salute illi commissa. Videns namque [Matt.21.c] inter credentium multitudinem, huiusmodi infructuosam stare ficum Dominus vineæ: eos scilicet qui sibi honorem & locum doctoris audacter præsumunt & ea quæ cùm doceant ad plebem nec sermone proferunt nec vitæ exemplo: similes facti principibus Iudæorum qui vmbra potentię suæ gloriantes, fructus proferre noluerunt & quibus tanquàm ficui, vnius anni scilicet à passione Domini vsque ad Templi euersionem concessa venia pœnitendi; id est, vnius generationis terminus, annorum xlij. huic nunc sic maledicit, posteaquam Apostolos protulit quibus credere noluit, vt nunquam de ea fructus doctrinæ nascatur, quæ arefacta (omni decore nudata) nihil in se nisi ignis æterni alimenta conseruat. A cuius conuersæ oppressionis vmbra, liberata plebs cœpit (amotis malis Doctoribus) in Christo credendo florere; & suo exemplo, aliarum gentium nationes ad florem credulitatis prouocare. De quibus sequēti versiculo dicitur; *Vineæ florentes dederunt odorē suum*: Credendo namque in vnum Deum omnipotentem, florēt; pro eius vero nomine moriendo, suauissimum confessionis dederunt odorē. Nam sicut hyemis tēpore absq; frondibus & floribus, sine decore sunt vineæ; ita fuisse absque decore iustitiæ vel sanctitatis ornamento prædictas nationes (quas nunc vineas appellauit) certissimè comprobatur. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Iacebat ergo satis in humili loco & abdito, multùm longè auocata hæc amica speciosa vel columba quæ nunc in toto Mundo regnare probatur, conturbata vel oppressa dæmonum tempestate: sed vbi passionis Christi sacramenta sunt celebrata; & per Apostolorum doctrinam in quibus Christus loquitur, aduocat vt surgat & veniat ad deambulantem Sponsum in vineis, ad congaudendum, & in prouentum fructus iustitiæ prædictarum nationū: id est; vt veniat ad eum, pro eius nomine moriendo qui pro ea moriendo mortis destruxit imperium; vt veniat eum in humilitatis perfectione qui in se credentibus [Mat.11.d] dicit in Euangelio, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego requiescere vos faciam, & discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Humiliando se enim anima, in conspectu Dei surgit; exaltando, alliditur secundùm [Luc.14.c. & 18.] quòd ipse Christus dicit; *Omnis qui se humiliat exaltabitur & qui se exaltat humiliabitur.* Tunc fit eius amica, eò quòd propitium sibi fecerit Creatorem: delota verò Fonte baptismatis, speciosa efficitur vel formosa: Vbi [Ioan.1.c] autem susceperit in se Spiritum sanctum qui in columbæ specie in Iordane ostensus est; columba efficietur. Sed vt queat ad hanc gloriam peruenire: id est; ad perfectionem plenitudinis Christi, ne accipitrum, dæmonum (malè credendo in coæternam & indiuiduam Trinitatem) vngulis lanietur; ostenditur ei via per quam veniat ad aduocantem: ne forte de brumali errore Gentilium liberata, vel de perfidiæ Iudæorum latebris educta; non per viam regalem quæ ducit ad regnum, sed per floridos campos qui rhetoricorum verborum delectatione iliciunt, aut philosophorum vel hæreticorum dogmata, currere delectetur; vbi accipiter diabolus, omni facilitate, perfectas animas (columbas effectas) deuorat: sed docet eam tumidæ sapientiæ campos omni modo deuitare, & per augustam viam, relictis terrenis desiderijs in quibus diabolus obtinet re- [Luc.13.e] gnum, de morte ad vitam venire. Quicumque ergo desiderat ab hostibus aëriæ potestatis illæsus euadere; in foraminibus huius petræ quam beatus Paulus demonstrat, rectam fidem seruando semper ingrediatur. De [1.Cor.10.a] qua dicit; *bibebant autem filij Israel de sequente eos petra, Petra autem erat Christus.* Sed hæc Petra habet multa foramina: id est; aditus per quos intratur ad Patrem regnum credentibus præparantem, quæ sunt genera virtutum exemplorum foramina, hoc est, mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, contemptus diuitiarum, nullarum acceptio personarum, pernoctatio in oratione, misericordiæ magisterium, castitas immobilis, forma benignitatis, singulare speculum, indiuiduæ Trinitatis agnitio, in qua est nostra redemptio. Hæc sunt proculdubio foramina, in quibus docetur amica ad gaudium regni cœlorum venire: per hæc foramina lux diuinitatis in tenebris huius mundi resplenduisse occulta fide probatur. Hæc est vtique Petra inter Deum & homines mediatrix: per cuius foramina, homines Deo, & Deus hominibus demonstratur. Cognoscuntur & illa in hac petra Christo quinque foramina in manibus pedibúsque clauorum, & in aqua & sanguine per latus effuso. [Ioan.19.f] Per hæc foramina Ecclesia in beato Thoma vocatur, verum Deum in vero homine cognoscendo, venire, cum dicitur ei; *Mitte manum tuam in locum clauorum & in latus meum, & vide quia ego ipse sum, & noli esse incredulus sed fidelis.* [Ioan.20.g] In quibus foraminibus verum Deum, verúmque hominem confitēdo, incredulæ plebi ostendit dicendo: Deus meus, & Dominus meus. Illíque maxime plebi præsens versiculus conuenire intelligi datur, quæ post cruenta odia, & criminum feritatem dominicæ persecutionis, columbæ in se simplicitatem per pœnitentiam informauit: vt per hęc foramina viscera Christi confidant, verum Dei Filium Deum & hominem confitendo, quæ ipsa in eo clauorum & lanceæ ictus fecerant non credendo. Possunt siquidem foramina Petræ & quatuor Euangeliorum assertiones intelligi, quæ eius, quem Apostolus petram pronunciat, perforatum supradictis ictibus corpus testantur. Cauerna verò maceriæ, Apostolorum doctrinam intelligi opinamur: de quibus vt vineæ, credentium plebi firmissimam maceriam, ob infestationem malignorū spirituum Deum construxisse probatur. Nam sicut ipsi per Christum, ita & nos per Apostolos agnoscentes diuina mysteria, intra conspectum fidei, quam ipsi confessi sunt, continemur. De quibus velut de quadratis lapidibus, vineæ suæ credenti in se plebi initium tantum maceriæ ædificasse monstratur: cum in fide, vt dictum est, primo ab eis prolata, à dæmonum insidijs defensatur, quam se ab ingrata plebe Iudæorum per Esaiam Prophetam auferre minatur, dicendo: *Nunc adnunciabo vobis quid faciam vineæ meæ; auferam maceriam eius, & erit in direptionem.* [Esa.5.b] Venit ergo ad notitiam Creatoris, sicut in foraminibus petræ, ita & cauerna maceriæ, & per Apostolorum virtutes, qui velut membra multi vnum corpus sunt in Christo petra, & vnum Deum prædicando, vnam fidem tenendo, vna maceria Ecclesiæ facti sunt. [1.Cor.12.b] Nam sicut de multitudine petrarum vna, ad communiendam vineam, maceria fit, ita & hi, in Christo vnum sunt per sancti Spiritus coniunctionem, Christi pro humana salute implent locum. Venit namque Ecclesia ad Christum in foraminibus petræ, eius incarnationem credendo: venit in cauerna maceriæ per Apostolos, eius diuinitatem agnoscendo, cum Petrus & Ioannes Apostoli, sanato claudo, admirante plebe, Crucifixi virtutem exponunt. [Act.3.b] Ad quorum doctrinam, quasi de antro incredulitatis, cœpit faciem suam, iam corde compuncto, ostendere creatori. Et quæ tanti piaculi collapsu fœdauerat faciem suam, Dominum maiestatis persequendo perfusa sanguine iusti, quem super se sua effuderat voce, dicendo; *Sanguis eius super nos:* [Matt.27.c] nunc conuersæ ad se, dicit: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis & facies tua decora.* In principibus scilicet sacerdotum & in doctoribus legis esse facies plebis intelligi datur, quæ in Christi passione consputorum & blasphemiarum vulneribus crudeliter fuerat maculata: nunc in Nicodemo & Ioseph, vel in Paulo, & in ea multitudine quæ per Apostolos credidit, ad pristinam pulchritudinem reuocata est. Et vox eius, quæ horridam, interclusam, impietatis raucedine amarissimam, & lamentabilem reuocauerat vocem dicendo; *crucifige, crucifige*; [Ioan.19.b] tali haustu, & medicinali poculo sanguinis, quam effuderant, Christi, ad canoram dulcedinem renouata est, confitendo se credere Deum

quem vt hominem damnauerat ante Pilatum. *Capite vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.* Tranſacta videlicet dæmonum tempeſtate, quam ſuperiùs hyemem appellauit, inuitatur Sponſa iam regis corpori iuncta per baptiſmi ſacramenta; in vineam, id eſt, credentium ſibi plebem ex gentibus: & inuenit eam producentem flores, per bonum naturæ ad contendum Deo cœli paratam; ſed calliditate inſidiiſque vulpium, maturitatem fructus expectantium, ad demoliendam deuorandamque paratam: quæ ſunt peruerſarum hæreſeos mordaciſſima dogmata: per quæ, nõ viribus ſed verſutijs & ſubreptione, diabolus fructum illius animæ lædit vel deuorat. Quæ vulpes, ſi quippiam captiuauerint, ſecum ad ſua cubilia trahunt in inferos. Quarum inſidias proſpiciens Dei ſermo, iubet cuſtodibus vineæ (ſcilicet ijs qui præſunt populo Chriſtiano & locum Doctoris ſuſcipiunt) ſolertiſſimè, rete fidei tendere prædicando; vt ſi ſuæ ſententiæ vino manſueſcere noluit, tamen demoliri deſinant vineam Chriſti.

Vulpes in Scripturis ſignificat mordaciſſima hæreſeon dogmata.

B In vulpium ergo vocabulo, hæreticorum dialectica peruerſaquè tergiuerſatio demonſtratur quæ arte cuſtodum vineæ prohibetur: ab illis ſcilicet, qui ſagacitate ſua inſtanter verbo Dei operam dant, & ſciunt ſe, aut integritate prædictæ vineæ coronari, aut in læſione damnationis pœna multari. Illi quàm maximè in hoc loco admoneri videntur, qui ex ſæcularium literarum peritia, velocitate poſſunt ad mundandam vineam, philoſophica arte, reciprocis argumentis reſoluere falſa ligamenta ſententiarum: Sicut Hiſtoria Eccleſiaſtica refert poſt diſceſſum Apoſtolorum ex ipſis autoribus literarum magiſtris, ex gentili errore conuerſis, & populo Chriſtiano magnis à ſacerdotibus conſtitutis, velut ſagaciſſimi canes, vt profunda ſyllogiſmorum (ſupradictarum vulpium cubilia) rimarentur: de quibus dicit Pſalmographus; *Lingua canum tuorum ex inimicis.* Nam vulpes manſueſcere non poſſunt; ita & autores hæreticorum, etiam capti & iam victi nunquam redeunt ad ſalutem; eò quòd per ſapientiam vel ſcientiæ tumorem vltrò in mentibus ſuis locum parauerint diabolo perſuaſori. Quorum omnis fiducia non in virtute veritatis, ſed in calliditate profundæ dialecticæ artis eſt. In quarum vulpium parte, id eſt in inferno, erunt omnes, qui martyres iugulauerunt. De quibus Eccleſia dicit in Pſalm.

Hæreticorum dialectica tergiuerſatio.

Pſal. 67.

A lxij. Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ (hoc eſt, in tartara) tradentur in manus gladij (quod eſt, pœnarum Angelis) partes vulpium erunt. Et vt oſtenderet ſaluator cui perſonæ in ſcelere participes eſſent hæreticorum autores, ita de interfectore beati Ioannis Herode pronunciat: *Ite* (inquit) *dicite vulpi illi, ecce ego hodie & craſtino facio virtutes, & tertia die conſummabor.* Docetur ergo, ſicut per Herodem paruulos in corpore interfecit diabolus (fecit) quia par fuit vtique in credulitate interfector prædicti Ioannis ita & per hæreticos, paruulos in doctrina Euangelica, quaſi vineas exterminat. Vulpes enim, paruulas adhuc nouellaſque vineas faciliùs demoliuntur, vt quæ non altè adhuc a terra ſurgant. In quo verſiculo videntur, vt dictum eſt, ſacerdotes moneri, quibus docendi officium eſt commiſſum, vigilanter doctrinę operam dare, vel vitæ immaculatæ exemplo, ad eos vel maximè, qui adhuc paruuli ſunt in Chriſto: de quibus dicit nunc præſenti loco: vinea floruit. Nam duplici ratione intelligitur quod ait, noſtra: ſiue ſuam dixerit & patris, ſiue Eccleſiam ſibi coniunctam participem dicat. Venit ergo per incarnationem Sermo Patris in Vineã, gentem Iſrael; & propagines de ea per Apoſtolos toto Mundo porrexit; & fidei germine, de ſingulis gentibus ſingulas vineas fecit, & ad ſingularem boni operis fructum Sponſam inuitat ad congaudendum in Vineis. Quas cum flores credulitatis vidiſſet præferre, ante præparat venatores vel cuſtodes, qui vulpes capiant, quam flores maturos fructus parturiant. De quorum numero eſt vnus, qui dicebat; *Corripientes omnem hominem, & in captiuitatem redigimus omnem ſcientiam extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.* Qui reti doctrinæ ſuæ, admirante populo, C calliđiſſimam Vulpem captiuauit, magnum illum Elyman, Proconſulis exterminantem vineam mentis: Nam ſiue dæmones vulpes intelligantur, ſiue peruerſi doctores, per quos dæmones loquuntur blaſphemias, vtrumque conuenire manifeſtum eſt: per quos mentes hominum, in quibus habitat recta fides Eccleſię, diſterminantur. Quorum exterminium vel occultas inſidias vt cauere mereamur, indeſinenter Chriſti Domini noſtri adiutorium imploremus, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Luc. 13. a

Ioan. 1. a

Coll. 1. d
2. Cor. 10.

Act. 13. b

FINIS LIBRI QVARTI.

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM,

LIBER QVINTVS.



ILECTVS *meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.*

Coniũcta itaque Eccleſia Chriſto, hoc eſt, anima verbo Dei, vt eam abundãtiore gaudio cumulet, per omnia, & in quibus ipſe per lætitiam paſcitur, & quo ipſe delectetur in ea, oſtendit: Et quid illa reſpondere debeat pro tãtis beneficijs edocetur. Spõſus videlicet decoram faciẽ in ea ſemper videre deſiderat, quæ nulla peccati nigredine ſit maculata, non turpium verborum mendaciique vmbris abſcõſa, vel blaſphemiarum rancedine voce horrida, ſed dulcedinem ſuis laudibus reſonantem: vt retro iam dixerat: quia facies tua decora, & vox tua ſuauis. Ille vocat eam ad paradiſum ſcientia legis ſuæ: Illa ei ex fructu voluntatis ſuæ, vernantia paſcua præparat caſtitatis: in quibus eum præſenti loco paſci pronunciat dicẽ- D do: Qui paſcitur inter lilia. Quanta autem gaudia poſita fuerint, ſuis conſodalibus adoleſcentulis læta exponit dicendo; *Dilectus meus mihi*: gratia (inquit) vocationis, redemptionis inſigne, adoptionis clariſſima libertate. Et quid ego illi? Voluntatis obedientiam, conſeruandæ integritatis ſtudium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conſeruandæ virginitatis exemplum, naſcendo per virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam, denuo naſcendo per baptiſmum, in toto corde meo ſeruando præcepta, angelicam, cœleſtẽmque imitando naturam, vt intactum corpus redeat ad paradiſum, quod intacto de vtero matris induxerat naſcendo in mundum. Nam ſicut diabolus cruenta iracundia, & execrando cœno libidinis ſaginatur, ita & Chriſtus Dei filius, miſericordiæ, manſuetudinis, vel caſtimoniæ lilijs paſcitur. Licet & cum aluerint & alia bona. Tres illi pueri Hebræi tamen, caſtitatis dilectione miſſi inter babylonicas flammas, in eis medius ardente fornace, quaſi inter lilia paſcitur: cuius præſentia caminus in paradiſum, & furor ignis in rorẽ mutatus eſt: & qui ad deuotãdũ ſuſcepti erãt, velut materno gremio fo-

mio fœtus, refrigerij imbre perfunduntur. Et hoc quod illis legimus Deum fecisse, vsque in finem præsens versiculus ostendit futurum: eo quod semper pascatur mansuetudine, semper requiescat in cordibus diligentium castitatem, dicendo: donec aspiret dies & inclinentur vmbræ: hoc est, donec dies ille iudicij verus adueniendo aspiret: & huius sæculi caducarum rerum vmbræ, quæ nos impediunt iustitiæ perfrui Sole, inclinentur cum suis aromatibus in chaos inferni.

Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, aut hinulo ceruorum super montes Bethel.

In hoc loco opinor per eos intelligi loqui Ecclesiã qui in carne posito Domino Christo adhærebãt: quibus de futuro passionis mysterio exponens dicebat; *Ecce vado ad Patrem meum, & nemo vestrum interrogat me quo vadu: sed tristitia occupauit cor vestrum:* Et quibus dicit; *Non vos derelinquam orphanos, sed vado & veniam ad vos & iterum videbitis me & gaudebit cor vestrum:* In quo Versiculo docetur & Domini resurrectio prænunciata. Et sicut Apostoli in eo pauebant, perterriti insidijs Iudæorum, ita anima sine adiutorio Spiritus sancti, nuda quodammodò & inermis, insidijs Dæmonum deterretur. Quæ quum delectabiles operum illos retrodictos flores, ad pascẽdum Dominum in sua parauerit mente, gaudens dicit: *Ego Dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Cùm autem aliquid ei contrarium negligenter commiserit, prolongat ab ea: quo prolongante, adpropinquare necesse est inimicum: quæ per hanc vocem emendationis, reuocare ad se prolongantem docetur, vt per correctionem vitæ, fiduciam sumat dicendi: Reuertere, similis esto dilecte mi, capreæ, aut hinulo ceruorum super montes Bethel. Prolongatio scilicet Christi ab Ecclesia tunc est, quando negligentia eorum, qui præsunt populo Christiano, ad castigandam plebem tribulatio induci permittitur: cum siccitas, vel nimius imber, aut gladius, vel fames, seu pestilentia vindex grassatur. Reuersio autem eius est, dum precibus, ieiunijs, lachrymisque ad misericordiam inclinatus, ad vestigia pietatis suæ velocius recurrit quàm prosilierat vindicando: similis factus cursus vel cõsuetudinis capreæ hinulóque ceruorum: quarum natura est, voce ante se in montibus resonante post tergum emissa, dum obuiam sibi opinantur occurrere quippiam, ad locum vnde abcesserant velociore cursu reuerti. Et hæc est causa, vt exasperata ab hostibus, cõsuetam noluit derelinquere sedem: sicut & Christus Dominus noster; quamuis prouocatus, quamuis exasperatus peccatis hominum; pietatis tamen nõ derelinquit consuetam sedem. Super montes vero Bethel, quod cum reuerti peccator, in cuius finibus crucifixus est, velocitate resurrectionis die tertia celebranda prophetasse monstratur. Nec mortalis siquidem amittendus est sensus. Vnusquisque enim credentium Deo, ipse se fecit montem Dei per sanctam conuersationem: aut mõtem diaboli peruerse viuendo, Bethel scilicet domus Dei interpretatur. Quicumque ergo ita exhibuerit vitam suam, vt in eo delectetur Spiritus sanctus habitare, mons efficitur, domus Dei, quæ est Ecclesia eius. Super hunc ergo, quando offensus peccatis populi prolongauerit, reuertitur Christus: hoc est, ipsius precibus reuocatus à vindicta, ad pietatis cõsuetam reuertitur sedem: Sicut flentibus Apostolis vel sanctis mulieribus quæ secutæ fuerant eum, reuocatus Dominus Christus, eorum præsentiæ redditur à mortuis resurgendo. In quibus geminum luctum Ecclesiam habuisse probatur, Dominũ lamentando: Vnum videlicet, gloriosum vultũ eius, & verba doctrinæ recolendo: Alterum, quia non licebat in die propter metum Persecutorum, eius requirere sepulchrum, sed furtim in nocte requirunt Dominũ in monumẽto, cùm Angelus dicit mulieribus; *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* cùm diceret Maria: *Tulerunt Dominũ de monumento, & nescio vbi posuerunt eũ:* Et anxij pauentes Petrus & Ioannes, ad monumentum concurrerent, sicut vox Ecclesiæ nunc in sequentibus ait:

Ioan. 16. b
Ioan. 14. c
Canticorum Cap. 3.
Mat. 28. c
Luc. 24. a
Ioan. 20. c
Luc. 24. a
Ioan. 20. a

In lectulo meo in noctibus quæsiui eum quem diligit anima mea: quæsiui & non inueni: & vocaui eum, & non respondit mihi.

Hæc ergo prænũciata sunt, quæ consummata agnoscimus in domini sepultura, dum mulieres ad sepulchrũ, vt dictum est, peruigilant: cum Apostoli intolerabiliter lugent. Sed amplius hæc ad animam referenda sunt, id est, ad moralem sensum. Sicut per supradictas personas lectum suum Ecclesia Christi sepulchrum dixisse intelligatur, vbi certissime in adsumpta carne, quæ participiũ est corporis, iacuisse probatur: Ita & vnaquæque anima, nõ alibi requiem poterit inuenire, nisi veram eius passibilem carnem confitendo, verámque impassibilem diuinitatẽ in cruce: aliud in sepulchro mansisse per triduũ, & aliud penetrasse inferna ad liberationem iustorum. Lectus namque requiei locus est, vbi infirma, lassaque consueta sunt membra requiescere. Quam requiem anima, si fidem accommodauerit Euangelio, in Christi sepultura inueniet, vt ex persona Ecclesiæ ostẽdit Spiritus sanctus in eius sepultura hanc requiem inueniri. In hoc lectulo in noctibus quem diligit perfecta anima quærit, id est, in terra tenebrosa persecutorum plebe Iudaica. ibi inuenit eius sepulchrum, ibi inuenit suæ requiei locum. Illuc enim de omni Mundo, de omni gente concurrit multitudo credentium animarum, requiem suam (Dei Filium) requirendo; qui dixit: *Tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Illuc vtique per noctes in multis secretis cogitationibus, credẽdo, multitudo animarum, suæ voluntatis ingressus extẽdit. Sed licet laborem quærendo impendat, non tamẽ inuenit quẽ requirit, nisi inluxerit dies. Nihil enim legimus, in principio dũ ornatur fabrica mũdi, dominũ operatũ in nocte, sed lux per lucem, in luce diei omnia condidisse mõstratur. Docet videlicet & hoc modo posse intelligi præsentem locum, quod quæsitum in noctibus, id est, peruersa fide, multis & obscuris syllogismorum discussionibus Dei filium non inueniri. Quicũque enim solum hominẽ credit Christum, nõ inuenit eum. Et quicũque deitatẽ non credit in Christo, vocat quidẽ in noctibus peruersorum sensuũ suorum Dominũ Dei Filiũ; sed non respondet ei, sicut non respondit Sauli regi à quo recesserat Deus. Sine causa igitur laborem impendit quærendo, qui æqualem hominibus absque peccato, & coæternum Patri, nõ fuerit vtraque natura confessus Deũ qui redemit hominem, & per quem redemit perditos Deus. De quo dixit Propheta Dauid; *Frater non redemit, redimet homo?* Sicut ergo supradicti Apostoli vel sanctæ mulieres intolerabili desiderio quærebant eũ in sepulchro; ita & anima dum cœperit Deum sitire, quærit eum in lectulo sensus sui, in noctibus: id est; in multis secretis cogitationibus: quomodò potuit Dominus maiestatis crucifigi secundùm Apostolum; vel quomodo potuit homo crassioris naturæ, cœlo recipi ascendendo? Sed cum surrexerit de humili & terreno lectuli sui sensu, & cœperit discurrere per diuinorum librorum apices (quos præsenti loco vicos & plateas appellauit) & eorum habitatores (id est, qui in eis meditentur die ac nocte) interrogauerit; tunc agnoscet quod omnipotenti impossibile nihil sit, sicut nunc etiam ait:

Exurgam & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni. Inuenerunt me Vigiles qui custodiũt ciuitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis? Paululùm tùm pertransissem eos, inueni quem dilexit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ.

Ab his ergo, à quibus inuenta est diligens anima Deum (quæ secundùm corporalia, amore cœlesti inflãmatur) qui angelorum vices agunt, qui ita custodiũt rectam fidem, sicut angelorum custodia erga animas contra dæmonũ impugnationem iussu Creatoris constituta probatur: qui vigilant in verbo doctrinæ diuinæ; de

Matt. 11. d
1. Reg. 28. a
Psal. 48.
1. Cor. 2. b
Luc. 1. d

Psal. 118. quibus dicit Propheta, *beati qui scrutantur testimonia eius*: Qui ciues, quærenti animæ Christum possunt dicere: Esa. 53. a *Et non habebat decorem neque speciem, & quasi humiliatus & absconditus vultus eius: Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & attritus est propter scelera nostra, & oblatus est quia ipse voluit: generationem eius quis enarrabit*? Hæc igitur audit in vicis & plateis circumiens ciuitatem. Ciuitas ergo, recta intelligitur fides; vici, Prophetæ: plateæ verò, pia intelligentia Incarnationis: vigiles autem qui hanc circumeunt ciuitatem, supradicti die noctúque in lege Domini meditantes; qui quærenti animæ Sponsum iter demonstrant, quomodò verum Deum verúmque hominem credendo inuenire possit. Nam ausculta quid ei quærenti in plateis Euangelistæ ore beati Ioannis re- Ioan. 1. b spondeatur: *Vidimus*, inquit, *gloriam eius*: non illam passionis, vbi celatur diuinitas, quam prædixerat Esaias futuram, Sed illam resurrectionis, in qua vnus cum Patre est: de qua dicit; *Gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate*: Et est *lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Hos vtique prædictos cum pertransierit vicos & plateas ciuitatis, ciuésque, & quamuis meditationem, lectionémque assiduã, inuenit quem diligit anima eius. Inuenit eum scilicet in Pro- Esa. 41. b pheta Esaia dicentem; *ego Dominus, primus, & ego nouissi-* Esa. 43. b *mus; ante me non fuit Deus, & post me non erit alius; Ego & ma-* Osee. 13. b *nus mea extendit cœlos & omnibus syderibus eius lucere manda-* Hier. 27. a *ui; Ego feci terram, & hominẽ super eam creaui, & spiritus à me procedit, flatus omnes ego facio*. Et dum exposuisset diuinitatẽ suam, prædicit incarnationis infirmitatem alio loco in Hier. 10. c sequentibus dicendo: *Hæc* (inquit) *infirmitas mea est, & ego portabo eam*: Tunc, inquam, proculdubiò inuentus est à quærenti Ecclesia dilectus Christus, quando eum testimonio prophetarum verum Deum, veri hominis infirmitatem portasse agnouerit. Nam cùm pro omnium salute occisus ponitur in sepulchro, prolõgatur ab Ecclesia, id est, de cordibus adhærentium sibi, dum solum hominem eum opinantur: & tunc eum quærere dicitur supradicta, & non inuenire. Vbi autem Angelorum testimonio, qui mortuus homo lugebatur, asseritur surrexisse vt Deus; vel vbi ipse se resurgens ostendit dicendo; Luc. 24. f *Videte & palpate & quia ego ipse sum & non sum phantasma*: inuenit eum Sponsa & inuẽtum tenuit, nec iam vltra dimisit eum, firmissima fide verum Deum & verum eum hominem confitendo. Donec introduceret eum in domum matris suæ Synagogæ (cuius doctrinæ adoleuerat lacte, vnum Deum cœli credendo) hoc est, persuaderet plebi Iudaicæ prædicãdo Deum maiestatis crucifixum, quæ eum blasphemandum docebat: Et in cubiculum genitricis suæ: in eius scilicet plebis secretum mysteriũ regenerationis, quæ illi per baptismum beati Ioannis genitrix fieri cœpit. Cuius bono exemplo in baptismate in notitiam perfectæ Trinitatis genita est: Sicut ait; *Tenui eum nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ*. Donec ergo, siue veteris testamenti doctrina, siue per baptismum Ioãnis, quamuis de cœlo fuerit datum nõ nisi introductione Christi per Spiritum sanctum firmari inuenitur Ecclesia vtique in Apostolis post resurrectionem. Et introduxit eũ in domum prædictæ matris suæ, synagogæ, exponendo Prophetias quæcumque venturum promiserat: Et introduxit eum in cubiculum antedictæ genitricis suæ, veram eius redemptionem humani generis ostendendo, quæ in mysterio sacri baptismatis celebratur. Lex namq; lactat Ecclesiã, gratia generat. Rectè ergo vsque ad Christi aduẽtum primum mater ponitur Lex, ad quam nos gratia generatos cœlo alendos trãsmittit. Iam enim à Christi aduentu gratia præcedit: quia omnis natus, nisi renatus per gratiam, nec putabitur natus. Mater enim, à lactis mammas porrigendo, & à generando, genitrix nũcupatur. Et sicut lactantibus, præ omnibus alimonijs necessaria sunt vbera lactis; ita & animabus generatis per gratiam, præ omni censu terreno necessaria est obseruãtia legis diuinæ, ad quam nos gratia nutriendos trãsmittit. Cum ergo legem diuinam mundo legeris corde, &

A quæ præcepit facienda docueris, exultantem Christum in domum matris inducis: Cùm autem eius mirabilia mysteria disserere fueris dignus, & cæco Iudæo & Gentili, gratiæ donum (veram humani generis redemptionem) annunciando; Christum renascentem, in cubiculum genitricis introducis. * * Temporis iniuria deprehendimus hic peruetustum illud exemplar mutilum, vt in quo desiderarentur aliquot paginæ, ab hoc versiculo, Adiuro vos, vsque ad versiculum, Media charitate cõstrauit: in earum autẽ locum substituimus ea quæ Lucas Abbas in Cantica edidit: ob id potissimũ, quod breuibus verbis & quasi summariolis, nostri huius Autoris sententias perstrinxit, ipsius etiam verbis nusquam immutatis.

Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.

Vbicumque autem in hoc Cantico similia verba repetuntur, diuersis temporibus, credentium diuersorum populorum personæ introducuntur. Hîc namque illius plebis persona videtur induci, quæ post ascensionem Christi, persecutionibus & tribulationibus fatigata, in securitatis somno requiescit. Plebs verò Hebraica mihi

B dicta videtur vsque ad hunc locum; *cuius erat cor vnum et anima vna*. Ideò autem repetit hunc Versum Sponsus, ne minorem eum Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quàm Iudæis habere solicitudinem putares.

Quæ est ista quæ ascendit per Desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?

Hanc ego opinor plebem per desertum ascenderem, quam doctor gentium Paulus ab Iericho vsque ad Illyricum congregatam & vnguentis doctrinæ delibutam mysteriorúmque cœlestiũ aromatibus aspersam, vsque ad pacifici Regis lectum perduxit: sicut reor, en lectum Salomonis! Hoc ergo miraculum est plebi Hebrææ; videre gentium Ecclesiam ascendentem per Desertum ad

C altitudinem lecti notitiæ Christi. Verè enim desertus est locus vbi Christi nomen non fuerit nominatum. De qua ergo dicitur: Et gentibus aperuit Deus ianuam misericordiæ. Nam quemadmodum mortificandæ gentes miratæ sunt Ecclesiam Israel ascendentem de Ægypto per Desertum; ita miratur plebs Hebræa ascendentem Ecclesiam per arduam conuersationis viam, de Ægypto erroris: Et sicut multa suauissimi odoris in vnum pulucrem redacta, ad delitias regum à pigmentarijs aromata præparantur, & dum sunt multa in vnum corpus collecta, vna magni odoris virgula, vaporata ignibus, redditur: ita vnanimitate multorum populorum confessio rectæ fidei & rationum, vnum suauitatis odorem in conspectu Dei reddere demonstratur: velut

D pigmentarius rationalis, congregat sensus cœlestia aromata.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Suprà; lectulum, sepulchrum diximus; hîc autẽ sublimius aliquid demõstratur. Salomon, pacificus interpretatur; Israel, mente videns Deum. Et quis alius pacificus nisi Christus? Hic sibi lectum fabricauit in virgine Maria, quia etiam super animam sibi obediẽtem requiescere comprobatur. Sexaginta verò, angelorum ministeria demonstrantur de quibus dicitur; *tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt & ministrabãt ei*. Quod per sin- Matt. 4. b

E gulos sensus corporeos, visus, auditus, odoratus, gustus, tactúsque quinquies duodecim (hoc est, sacrato sexaginta numero) in ea gloriosa mysteria implentur. Fortissimi verò quod dixit, ostendit plus sanctos posse, quàm dæmones. *Tenẽtes gladios*: præceptum eos eiusdem Creatoris semper tenere edocuit. Ad bella doctissimos ait, quò per sanctitatis bonum amplius Doctores posse dæmonum præuidere malorum insidias ob custodiam animarum, quàm illos nocendi arte excogitaret mõstraret. *Ex fortissimis Israel*; quod ostendit, Ministeria ista de illo Exercitu esse qui semper faciem Patris vident in cœlis, Et quod ait; *Vniuscuiusque ensis super femur*; edocuit angelos sanctos contra singulos Principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus, spiritalibus armis accinctos, propter insidias eorum nocturnas & occultas.

Ferculum

Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, Columnas eius fecit argenteas, Reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit propter filias Ierusalem.

In ducimur itaque in chori cantantis persona, à persona Apostolorum narrantium quantam gloriam parauerit ad nuptias Rex iste pacificus. Non dubitandum quanti saporis sint pulmentaria ferculo imposita, cùm eum agnoueris. Thuris quoque succus soli omnipotenti Deo in odorem suauitatis adolebatur. Libanus interpretatur lingua nostra candidus vel candidatus. Videtur ergo mihi hoc ferculum Domini in Cruce intelligi, vbi totius Mundi vitam (licet nesciens) Iudæus imposuisse probatur, sicut testatur Dominus; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ferculum autem, à ferendo nomen accepit: quod dicit de lignis Libani factum; in quo monte lex data est. Quod ferculum Crucis, secundum hæc mysteria de lignis cedrinis factum, non erit incongruum intelligi. In cuius columnis argenteis, verum immaculatúmque à contagio peccati corpus candescit, & gloriosæ animæ auri rutilat fulgor, in qua vsque nunc Dei sermo reclinatorium habere probatur, & corporeus, regalisque deitatis coruscat sensus. Hæc quippe tria in prædicto ferculo crucis fuisse, absq; iniuria Deitatis, nullus rectæ fidei dubitauit. Et quicquid per pacificum regem agnouerįs consummatum, hoc & in Apostolis, qui cum eo vnum effecti sunt conuenit: in quibus est recta fidei, & castitatis, & martyrij gloria.

Hic versus loquitur Apostolus.

Media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.

Ioan. 15. b De hac charitate Dominus in Euangelio dicit; *Nemo maiorem hac charitatem habet, quam vt ponat animam suam pro amicis suis.* Est ergo firma charitas inter medium humanitatis & maiestatis constrata, vt adsumendo hominem paradiso redderet, quod homini tulerat hostis, media charitate constrauit, humiliando se charitas Dei vsque ad ignominiam crucis pro suæ maiestatis imagine reparanda, media charitate constrauit resurrectionis accelerando mysterium, ne inter moras, electi etiam eius, incredulitatis offendiculo colliderentur. Hæc sunt proculdubiò tapetia charitatis, quæ media humanæ naturæ & maiestatis consternuntur, propter sanctarum animarum salutem, & gaudia filiarum illius supernæ Ierusalem. *1. Cor. 13. c* Hæc est vtique constrata charitas, quæ *omnia sustinet*, secundùm Apostolum Paulum, quæ calcata numquam cadit sed allisos erigit suę humilitatis exemplo. Nę igitur filiæ Ierusalem, quæ ante supradictum thalamum ludunt, nisi constratæ sæpe dicta charitate, fierent paululum consternatæ: Nunc miraculis coruscante die desponsationis pacificæ, toto tripudiant corde: Et non solum ipsæ, sed etiam filias Sion ad societatem lætitiæ, ad stupendum decorem sponsi inuitant dicendo:

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius & in die lætitiæ cordis illius.

Ad hanc vtique lætitiam, ad hoc miraculum, ad huius tam profundi mysterij contemplanda secreta, non infirmæ aut paruæ scientiæ animæ conuocantur, sed perfectæ; quæ aliud in rege Salomone pacifico, qui est pax nostra, intelligere possent intrinsecus, aliud peruidere *Ephes. 2. c. Act. 1. b.* extrinsecus. Sion enim, mons est vnde Dominus ascendit in cœlos: in quo vel in cuius finibus, hæc quæ exponuntur, ab initio Mundi, mysteria, præluxerunt: qui mons *specula* vel *habens speculam* interpretatur: qui ex eo *Gen. 22. b* tempore nomen accepisse Sion adprobatur, ex quo in eo Abraham filium suum Isaac ad victimam duxit, & ibi vidit Abraham redemptionis humanæ in Isaac & ariete futurum mysterium; aliud deuotione mentis, & aliud manibus immolatum: Et vocauit nomen loci illius, *Dominus vidit*, vel, *Dominus visus est.* Quæcunque ergo animę *Esa. 61. a Esa. 28. b* harum personarum lacte doctrinæ fuerint doctæ, & effectæ fuerint quales sunt prædicti immolatores, per quos mons nomen accepit: quæ circumspectæ in fide Trinitatis, inter cætera opera bona, vitam suam duxerunt: & quibus ita in corde æqualitas Trinitatis osten- A ditur, sicut prædicto Abrahæ in effigie angelorum in tabernaculo ostensa probatur. Istæ filiæ (beatam namque animam Abrahæ figuraliter intelligi dictam Sion, non erit incongruum opinari, quę verè vt mons inter alias animas eminentior adprobatur: in qua Deus velut in monte excelso speculator consistens, ad eius vitę exemplum omnes animas hortatur ascendere) quæ eius imitatrices effectę, eiusque doctrina generatę, ipsas necesse est intelligi filias Sion appellari. Et istę inuitantur ad regis insignia peruidenda. His dicit; *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater eius in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis illius.* Ad has vtique fit sermo in similitudinem Chori cantantis per doctrinę Apostolicæ os vt dum audiunt pręclarum exponi mysterium Passionis, diémque salutis to- B tius Mundi (quod impijs ignominia videbatur) egrediantur de conclaui ignorantię, ad verę scientię aulam de sensu Iudaïco, ad Apostolicę lucem doctrinę: per quam videant se geminum specimen in vna salutis victoria; aliud moriens, aliud semper viuens; aliud coronatum spinis à crudelissima matre, aliud exaltatum semper manens cum Patre; id est, verum hominem ab scelerata matre Synagoga visibiliter coronatum spinis; & verum Deum Verbum Patris, ipsam credentium plebem quę de illo creatur, pro corona inuisibiliter gerentem sicut ei per Esaïam Prophetam dicendo promittitur; *Vocabitur tibi nomen nouum & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Crudelis mater spinis visibilibus coronauit Filium pacificum regem: C Clementissimus verò Filius, sua morte inuisibilibus eam gemmis, si credat, ornauit. Illę igitur animę ad epulas intelligentię huius mysterij inuitantur quę possunt capere magnæ gloriæ esse illius inuisionis funebrísque spectaculi diem, quando sibi quasi tradito annulo in conspectu omnium Virtutum cœlorum effuso pretioso sanguine, despondit Ecclesiam: quando sacrilega mater spineo diademate coronauit eum Synagoga. De qua prædixit Dauid in. cviij. Psalmo; *Peccatum matris eius non deleatur*; quia crudelior stetit mulieribus adulteris & *Christi & Ecclesiæ sponsalitia in sua Passione.* homicidis quæ crudeliter furtimque generatos filios, crudelius trucidabant: quæ gloriosè editū, morte turpissima condemnauit. Ostendunt ergo filiabus Sion desponsationis dies inter Dei Filium Verbū & Ecclesiā, in D eius Passione celebratos. Desponsationem enim annuli & osculi traditionem, Corporis & Sanguinis sui Sacramentum sub Passionis tempore in Apostolis tradidisse probatur. Quod ergo in capite huius Cantici Ecclesia precatur ad Patrem Sponsi, dicendo; *Osculetur me osculo oris sui*: nunc præsenti loco quomodò consumma- *Cant. 1. a* tum sit figuris enarratur. Diem verò lætitię cordis Christi esse Spiritus sanctus edocuit, die qua lugubriter gaudebat Iudęus, & lętitię lachrymas in morte Christi fundebant Apostoli lugebant & elementa, pendebant in patibulo condemnatum: sed lętabatur qui pependit, quoniam mors pendentis omnibus credentibus vitam & gaudia adportauit. Cordis vtiq; erat lętitię dies Domini Christi, quando Meretrix lachrymas fundendo, E Raptor quadruplo malè direpta restituendo, Publicanus relicto telonio pręsentibus lucris contemptis sequendo, Latro, vociferando, regnum cœlorum à se longè alienum peruasisse monstratur: Sic quippe coronatus à matre Pacificus, quę eum secundùm carnem genuit Synagoga rex Christus verus Salomon. Et hęc fuit dies desponsationis cordísque lętitię, cùm immaculatus cōiungitur maculatis, quatenus sui Corporis & Sanguinis tactu efficeret immaculatam Ecclesiam: quam ab omni macula peccatorum mundatam sacrosancto baptismate, & omni ruga hereticę attractionis doctrinę luto extensa, pulcherrimam reddidit Iesus Christus Dominus noster: Cui est gloria & imperium in sęcula sęculorum.

FINIS LIBRI QVINTI.

COMMENTARIORVM APONII IN CANTICA CANTICORVM.

LIBER SEXTVS.

Canticorum Caput 4.



QVAM *pulchra amica mea, quàm pulchra es; oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet:*

A Abrasa scilicet omnium vitiorum consuetudine carnis; & à multorum deorum turpium cultu ad vnum verum Deum conuersę Ecclesiæ gentium, & animæ & corporis geminam pulchritudinem laudat Dominus Christus. Prima est enim animæ pulchritudo, vt cognoscat Factorem suum: Secunda, vt semetipsam agnoscat, qualis vel creata sit. Deinde pulchritudinis ornamenta sunt, desinere à malis operibus & facere bona; vt iurgia fugiat, pacem & charitatem sequatur; & casto auditu aures ornētur, vt verecundiæ retinaculis ab omni quod turpe est oculi teneantur, vt qui consueuerant in modum Accipitris inhiare ad prædam, ad concupiscendum aliena & lasciua, nunc agnito Christo, columbarum simplicitate compositi, misericordiæ mansuetudinis & castitatis lumine coruscant. Nihil enim inter cætera membra Ecclesiæ, nisi hi qui oculorum vices agunt, primùm laudantur: eò quòd non sit omnibus membris corporis quicquam oculis charius. Exemplo suo ergo, huiusmodi personæ, vel sermone doctrinæ, ducatum toto corpori Ecclesiæ præbēdo in mansuetudine in simplicitate in castitate congruè oculi Ecclesiæ nuncupari intelliguntur: & harum auiū oculis comparantur, quarum natura est aduersarium venientem de longè videre. Circumspectè igitur viuendo nullum offendiculum ponendo viuentibus; columbarum oculis comparantur. Quando verò ita intrinsecus Deo reddunt decorum mentis aspectum, secus foris hominibus; ipsum est quod à Christo cultum laudatur, quicquid illud boni operis fuerit, dicendo: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet:* vt quicquid agunt, totum Deo & nihil ad laudem hominum & vanæ gloriæ detur.

Anima pulchritudines.

Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.

Diuites & deuoti corpus Ecclesiæ exornant.

In oculis (vt dictum est) duces rectorésque populi Christiani, id est, sacerdotes intelliguntur: in capillis verò, religiosorum Diuitum persona monstratur; qui delicatis tegminibus contecti auro gemmísque resplendent, fragrantissimis pulueribus aromatum sparguntur, delibuti vnguento, seruulorum ministerio stipati, lumine rectæ fidei suæ & misericordiæ decorati, totum Ecclesiæ corpus exornant. Hi enim propter quod in rebus corporalibus iocundantur, & Apostolicam Philosophiam grauitate sequi non possunt; caprarum gregibus comparantur: Et quanti (reddendo diuitias) capilli Ecclesiæ esse meruerunt! Et non quibuscunque capris, quasi vilibus, comparantur; sed his quæ ascenderūt de monte Galaad: Galaad namque, *transmigratio testimonij* interpretatur. Iustæ sunt vtique animæ quarum malicia & testimonium, ad bonitates, per conuersionem rectæ fidei transmigrauit; de quibus dicebat Paulus Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* Et quibus dicebat; *gloria mea & corona mea vos estis, si stetis in Domino.* Quæ ex rapacitate ad misericordiam, ex multorum complexuum inluuie ad vnum legitimum coniugium castum, ex omni mendacio ad omnem veritatem, ex omni lasciuia castæ ad vnius Domini Creatoris laudem in perpetuo transmigrantes. De monte autem descendere dicitur, & in montem ascendere; sed istæ animæ, quia ex deterioribus ad meliora transmigrasse docentur, laudantur vtique de monte Galaad non descendisse sed ascendisse: Caprarum enim consuetudo est, cum lasciuiæ cursu de monte ad camporum planitiem descendere, ad montem verò cum magna ascendere grauitatis quiete. Vnde ergo intelligitur, quòd pars illa diuitum quæ suis contenta est & alienis non inhiat rebus; & per supradicta à temporalibus ad æterna ascendit, & Ecclesiæ corpori glutinatur: Illa verò quæ in conualle cupiditatis remanet; aut de prædicto monte vbi ascenderat, descendit; ab Ecclesiæ corpore, velut capilli de capite euulsa proijcitur, & versa vice à bono ad malum testimonium transmigrasse notatur.

Ephes. 5. b. Philip. 4. a 1. Thess. 2. d

Dentes tui sicut greges detonsurarum quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

Dentes itaque Ecclesiæ, illos opinor intelligi, qui non lacte doctrinæ indigent, sed infantiæ transcendentes ætatem, non solùm fortissimum cibum mandunt, sed etiā mutuo fortissimi in Ecclesiæ corpore ad diuidendam & ruminandam carnem verbi Dei constituti probantur, &

B acutissimi ingenio ad diuidendas vnicuique animæ pro possibilitate, vt cuique conueniat, diuinas sententias. Omnes quidem dentes in vno ore consistunt, sed aliud officium habent qui laborum vicinitati iunguntur, qui in partes diuidunt cibum: & aliud qui diuisum, ad vnam subtilitatem spiritalem redactum, ad omnia membra Ecclesiæ sustentanda transmittunt, sicut ait Magister Gentium Paulus: *Vnicuique* (inquit) *diuisit Deus secundùm mensuram fidei, & primum constituit Deus in Ecclesiam Apostolos, inde Prophetas, tertio Doctores.* Primi ergo dentes videntur mihi secundùm historiam exponendo, diuidere verbum Scripturæ diuinæ, quid vnicuique personæ conueniat esse præceptum, secundùm illud, *In Lege Domini meditabitur die ac nocte:* Et illud; *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram:* Et illud, *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Gregibus verò quòd comparantur tonsarum, de lauacro ascendentibus; illud videtur docere in Prophetia, quia

Rom. 12. a 1. Cor. 12. b

Psalm. 1. Psalm. 2. Psalm. 81.

C semel tonsi, Noui & Veteris Testamenti gemino cultro doctrinæ, & abscissa ab eis veteris consuetudine sordētis peccati, lauacro baptismatis ad meliorem & immaculatam vitam superascendunt: sicut enim post-tonsarum ouium greges; ab omni sorde mundissimi efficiuntur loti in aqua: Ita & hi loti semel salutifero fonte, nunquam stolam candidissimam quam suscipiunt in baptismate, inquinare docentur. Et ad cumulum laudis, semper eos discipulorum gemellis fœtibus multiplicari & decorari demonstrat, nec vnquam imminuto numero sterilitatis vitio decrescere; sed fœcunditatis benedictione, alios vitæ exemplo pariendo, gemellis fœtibus quotidiè innouari.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

Coccum, color est sanguinis: Vitta coccinea, mitra di-

D citur; quæ colligata pendebat in capite Aaron summi pontificis, regalem demonstrans insignem honorem qui per confessionem nominis Christi veri Regis adquiritur; qui proculdubiò cruor martyrum intelligitur in Ecclesia labijs rutilare. Confessorum enim & martyrum personæ, Ecclesiæ pulchritudinem reddunt: Ipsam enim ab iniurijs, retrodicti dentes defendunt; vt qui non credat verbo Doctoris, & irreprehensibilem legem ab omnipotente Deo (ore Prophetarum vel Apostolorum) non processisse blasphemet quæ vitam æternam post mortem corporis repromittit, martyrum testimonio credat. Qui amicitijs suis, quas vni Deo credendo adquisierunt à Deo, & meritorum magnitudine. vt labia dentes, ita eos virtutibus signorum, qui verbum Dei ruminant, ab iniurijs malorum hominum, vel dæmonum infestatione, suis orationibus defensare probantur.

Martyres flagris & verberibus agunt Dæmones.

tur. Quos etiam pro Christi nomine interfectos, viuere cernunt; & mortis suæ autores dæmones, flagris, verberibúsque perspiciunt agere. Nam sicut de intra conclusione dentium, & labiorum spiramine vox resonans repercussa melodiæ dulcedinem reddit; Ita virtute signorum martyrum, & gratia interpretationis arcanorum mysteriorum per eos qui dentium vices agunt exponendo rectè verba Legis diuinæ, inspirante Spiritu sancto, dulce eloquium Ecclesiæ redditur.

Sicut fragmen mali punici; ita gena tua, absque eo quod intrinsecus latet.

Castitas fideles & infideles potest magnificare. In genarum pulchritudine, virginitatis vel castimoniæ verecundia intelligitur demonstrari: quoniam nihil ita speciosum in Ecclesiæ specie, quod fideles simul & infideles possit magnificare, nisi castimoniæ decus. Nam quod dixit; *sicut fragmen mali punici*: id est; granati, Domini Christi nostri operum ostendit imitatricem esse virginitatem. De quo retrodixit Ecclesia; *quasi malum punicum inter syluas, sic Dilectus meus inter filios.* Quæ arbor profert ex se pomum, & visione pulcherrimum & sapore dulcissimum & satis commodam languentibus medicinam; quia qui pro hominum salute per Virginem Mundo ostensus est, integritatis & castimoniæ flores toto Orbe sparsit. Cuius pulchritudinis partem (id est; fragmen) virginitatem & continentiam ostendit habere, Ecclesiæ facies intacti sanguinis cõseruati pulcherrima demõstratur. Illud verò quòd ait; *Absq; eo quod intrinsecus latet*; solam præ omnibus bonis operibus etiam castitatem in his qui ministri sunt plebis Christianæ (in qua homines vident castitatem) speciosam Ecclesiam reddere indicat, absque eo quod intrinsecus in secreto mentis Deo pulcherrimum est & homines latet. *Duæ Mariæ, Principes virginum Christianarum.* Principes autem Virginum Ecclesiæ; alteram in Veteri Testamento, alteram in Nouo; duas Marias (sororẽ Moysi & Aaron, & electam Matrem Domini) virgines opinor intelligi; quæ primæ cœperunt, Sponsæ Ecclesiæ genas mirandas efficere, integritatem seruando.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis: Mille clypei dependent in ea, omnis armatura Fortium.

Collum Ecclesiæ, eos intelligere possumus qui studio lectionis instructi sunt scientia rectæ fidei: per quos totum corpus Ecclesiæ, ita vt est Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritum sanctum de vtroque manentem, vnius essentiæ, loqui probatur: qui suscipientes supradictorum expositionum sententias Legis diuinæ; qui oculis, labijs, vel dentibus comparantur; fidei verbum animæ, ad totum Ecclesiæ corpus, non solum voce sed & vitæ exemplo transmittunt: qui per illustrem vitam inter caput Ecclesiæ Christum & cętera membra consistunt, adsimilati beato Moysi per quem Deus ad populum Israël & ipse loquebatur cum Domino: qui non recta ceruice superbiæ, sed inclinato collo humilitatis incedunt ante Deum & homines sicut de Moyse Scriptura testatur: *Erat* (inquit) *Moyses mitis & mansuetus super omnes homines.* *Num. 12. a* *Esa. 66. a* De cuius similibus per Esaïam Prophetam Dominus dicit; *super quem requiescam nisi super humilem & mansuetum & trementem sermones meos?* Isti sunt ergo qui collum Ecclesiæ congruè intelliguntur; super quos caput Ecclesiæ Christus sedere probatur, glorificantes & portantes dominum in corpore suo. Nam quod ait; *sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis*; similes eos qui collum Ecclesiæ sunt, Moysi esse ostendit: qui Christi & suam similem Prophetiæ dignitatem fecit dicendo ad populum de Christo; *Deut. 18.* *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester, quem sicut me audietis & quicunque non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo suo*: in quo velut in turre Dominus requiescens, legem Populo promulgabat. Quem opinor hac de causa Dauid turrem intelligi; cui collum Ecclesiæ similatur, eò quòd Dauid manu fortis interpretatur. Et quis fortis manu alius potest intelligi, nisi ille qui ex semine Dauid, quasi de turre ostensus hominibus per carnis assumptionem, verum se brachium Patris vniuersa se creantem probauit? Quicunque ergo rectam fidem tenuerit de incarnatione, & mansuetudinem possederit beati Moysi, & qui dignus sit à Deo susceptam gratiam reuelationis arcanorum mysteriorum hominibus impertire; hic mihi videtur Ecclesiæ collum intelligi, adtracta in se similitudine illius turris quæ per manum fortem ædificata est de materia carnis ex Virgine. Cui dexteræ dicit Propheta; *deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* *Psal. 60. c* Quod ergo ait: *quæ ædificata est cum propugnaculis suis*; docuit non sufficere solam rectæ fidei sententiam ad deuitandas insidias inimici, nisi super hæc ædificata fuerint propugnaculorum exempla, quæ faciendo tradidit Christi Sermo Patris, manu fortis; id est, dilectio Proximi, misericordiæ inconcussa veritas contemptus præsentium rerum, tranquilitas mentis, ieiuniorum & assiduæ orationis consuetudo. *Sola recta fides sententia non est satis ad salutem.* Hæc sunt vtique propugnacula quæ in nobis, bonę voluntatis manibus fabricantur. Ista sunt propugnacula procul-dubio quæ impetus sagitarum aëriarum Potestatum repellunt, quę per carnis concupiscentiam in negligentem animam infiguntur. Cuius similitudinem propter hostium insidias Rex Dauid in arce Sion legitur fabricasse, vbi arma & custodia regis sit. Vnde etiam verus Dauid manu fortis, Verbum Patris ad cœlos ascendit; qui nobis in arce Sion (sæpè dicta turre) cibum animarum nostrarum, Corporis & Sanguinis sui, & Crucis arma defensionis nostrę, posuisse docetur. De quibus armis in præsenti dicitur; *mille clypei dependent in ea omnis armatura fortium*; *mille*, plenarius numerus est qui ab vno & primo elemento literę surgit secundùm Hebræam & Syram & Græcam linguam, & cõsummatur in vno; ad quem dum millia millium numerum hauris, reuerteris; cui addere nihil potes. His si detraxeris, numeri plenitudinem dissipasti; quem si in partes quas secaueris, imparem facis si tripertieris; id est, non erit parilis concordiæ numeri, secundùm Arithmeticam vel Geometricam disciplinam, qui millenarium numerum solidum indiuisibilémque esse pronunciant. Quem Ecclesiastica in plerisque non renuit regula, eò quòd multa mysteria comprehendantur ab Spiritu sancto per numeri rationem in Scripturis diuinis. Qui millenarius numerus in Hebręa, Syra, & Gręca lingua, per primum elementum literę (vt dictum est) sicut vnum per solam literarum primam sine apice ducta, ita & millenarius numerus tracto apice demonstratur; vt intelligatur, sicut in vno & in primo numero per primum elemẽtum ostenso, vnius & primi (ante quod nihil) Dei Patris omnipotentiam demonstrari. In quo elemento numeri ducto apice indiuisibilis & coęterna, per millenarium numerum Trinitas declaratur: quæ arma nobis per Crucis mysterium inuictissima, contra Dęmonum turmas donata esse noscuntur. Qui vt Hebręus, Syrus, & Gręcus calculus millenarij numeri per primam literam, ita in Latino calculo vicesima prima litera singulare videtur, quàm X latinitas nuncupat; quæ duabus virgulis intersertis, licet iacentibus, Crucem depingit. Quę litera in vicesimo primo numero posita, per septiformem Spiritum splendescens perfecta Trinitas protegens credentium in se animas, demonstratur. Duobus autem dextera, lęuáque, conclusa, duorum Testamentorum veteris & noui media crux, integro defensionis nostræ numero arma designat. Quæ arma in illo dependent, *qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, qui factus est nobis turris fortitudinis à facie inimici, quia ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia* arma militię populi Christiani; quibus hortatur Apostolus Paulus militem circumdari: *Per arma* (inquit) *iustitiæ dextris & sinistris.* *Rom. 1. a* *Rom. 9. a* *Psalm. 60.* *Rom. 11. d* *2. Cor. 6. b* Hæc ergo turris de conualle lachrymarum (credentibus) præstat ascensum ad montem Paradisi. Hanc turrem (per manum fortem) fabricatam ridebat Iudęus, compunctus, mirabatur Centurio, confitendo ascendit Latro ad regnum cœlorum. Cui turri, gloriosæ animæ *Matth. 27. e.* *Marc. 15. d* *Luc. 23. f*

comparantur, quæ collum Eccleſiæ meruerunt eſſe; *Omnis armatura Fortium*, illud edocuit, quòd nemo ſit fortis, neque regum, neque principum, nec quiſquam diuitiarum molle ſuffragatus, neque præpotens membrorum robore, neque bellica arte edoctus; niſi ille qui pro ſcuto, Cruce Dominica, toto mentis affectu protectus incedit. Ipſo enim clipeo fortiſſimi protecti, iacula malignorum Spirituum non timuerunt; quæ arma velut in turre dependebant in Paulo, per quem Chriſtus de corpore Eccleſiæ loquebatur & ridens gloriando dicebat; *Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto*: Et, *mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini mei, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego Mundo.* Hæc ſunt vtique vera & fortiſſima arma quæ illæſum poſſunt Chriſti militem conſeruare, dimicantem aduerſus cuneos, aeriarum Poteſtatum, quæ per vitiorum immiſſiones cum Fidelibus dimicant quotidiè. Sed fortis eſt huiuſmodi miles, cui ad vitam glorioſam victoria pugnanti repromittitur per prophetam dicendo; *Cadent a latere tuo mille, & decem milia a dextris tuis.* Per hanc armaturam totus Mundus redemptus eſt; cum hac expugnauerunt Martyres, Reges & Princeps terræ & omnes dæmonum legiones. De hac, magna fiducia tribuitur Iuſto, cùm dicitur; *Scuto circumdabit te Veritas eius*: id eſt, veritas Verbum Dei Patris, ſcuto defenſionis per crucem, qui dixit; *Ego ſum via, veritas, & vita.* Hæc autem ſæpè dicta armatura Crucis, quàm diu maledictos trucidabat, dependentes in ſe mortalium iudicum, infirmorum erat armatura pœnalis: vbi verò ſuſpenſus mortificatúſque in ea eſt, benedictus; fortium & ſemper viuentium armatura effecta eſt in ipſo prædicto millenario numero clipeorum. Sed hæc armatura fortem profectò Trinitatis bellatorem requirit, qualis erat vnus de illis fortibus, qui dicebat, *ſed in his omnibus ſuperamus, & gratias ago ei qui me confortat*: Et vt paruulus ab omni iactantia ſubtractus, *nihil aliud ſe ſcire* aiebat *niſi Chriſtum, & hunc crucifixum* pro totius Mundi peccato.

Epheſ. 6. e — *Gal. 6. d* — *Ibidem.* — *Pſalm. 90.* — *Ibidem.* — *Ioan. 14. a* — *Rom. 8. g* — *Phil. 4. e* — *1. Cor. 2. a*

Duo vbera tua, ſicut duo hinuli capreæ gemelli qui paſcuntur in liliis.

Per duo vbera ſponſæ Eccleſiæ; duo filios Aaron primi in lege ſacerdotis. Eliezer & Phineen præfiguratos opinor, quorum loco ſubrogantur qui nunc in plebe Dei, doctrina ſalutari & vitæ ſanctæ exemplo paruulas adhuc & lactentes in fide animas nutriunt Auditorum. Pectus autem Eccleſiæ, de quo prædicta vbera germinauerunt; ipſum Aaron intelligi non mihi videtur abſurdum: qui ita auro textis veſtibus gemmarum varietate irradiante circumdatus, iubetur in tabernaculum teſtimonij ingredi, ſicut ſponſa regina regi nuptura, toto vero auri pectore auro gemmiſque refulgens, thalamū vel cubiculum regis ingreditur. Duo vbera propterea dixit, quoniam hic quicquid doctor profitetur & animarum nutritor, niſi de vtroque teſtamento docuerit auditores (id eſt, vetere & nouo) ab vno omnipotenti Deo proceſſiſſe; homicida animarum eſt. Nam vnum quaſi vber ſugendo, quis vnquam augebit vires vt ad perfectum perueniat virum, ætatem plenitudinis Chriſti. Sed aut cum Iudæo ſolum vetus ſuſcipiendo, tabefactis, aridiſque greſſibus, ſubiectione alterius indigebit: Aut cum Manichæo ſolum nouum & aquoſo hydropi ſuperbiæ morbo diſtentus, morietur. Ideò duo vbera ſicut duos hinulos capreæ gemellos dixit, vt æqualitate duorum, & ſimilitudine conuenienti ſenſu doctrinæ, lac porrigere auditoribus moneantur hi qui Eccleſiæ vbera ſe præbere noſcuntur: vt quicquid vetus Teſtamentum per typos in prophetia futurum pro humana ſalute pronunciauit, hoc in Nouo oſtendatur perfectum per Domini noſtri incarnationem. Per quem Trinitas quæ non euidenter ſed ſub imagine in Lege Moſayca coruſcabat, nunc velut Sol in totius Mundi facie ſplendeſcit. Verbi gratia: dixit Deus per Moyſen in primo libro Geneſeos; *In principio fecit Deus cælum & terram*: Et in ſequentibus; *Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas*: Ecce habes tres Perſonas in vna potentia; Principium, Deum, Spiritum; qui fecit, in quo fecit, qui facta animauit. Harum autem trium Perſonarum vnitas omniſariam in nouo Teſtamento, per beatum Ioannem Euangeliſtam, per Verbi vocabulum luce clariùs manifeſtatur, dicendo; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Patrem autem in Filio omnia feciſſe, ipſe Filius adprobauit, qui interrogatus à Iudæis, *Tu quis es?* reſpondit ſe eſſe principium; in quo beatus Moyſes cœlum & terram facta teſtatur, dicendo, *Principium quod & loquor vobis.* Principium autem interpretatur, ante quod nihil; vt euidenter doceret, ante Principium, ante Verbum Deum, ante Spiritum ſanctum, nihil fuiſſe, ſicut confirmat Apoſtolus Paulus: *Omnia ex ipſo*; id eſt, ex Patre; *& in ipſo*, id eſt in filio; *& per ipſum* conſtant qui eſt Spiritus ſanctus. Hæc eſt igitur ſimilitudo, vel pulchritudo vnius fidei vberúmque gemellis capreatum hinulis comparantur, quæque de suo pectore Eccleſiæ, Spiritus ſancti pinguedine replente, lactea doctrina ore Doctorum orthodoxorum germinaſſe laudantur; quemadmodum hinuli capreę gemelli, vnam ſimilitudinem gerere comprobantur. Nam quod ait; *Qui paſcuntur in liliis*; pulchritudini dantur augmenta: ſimúlque declaratur, vt ſicut hinuli caprearum amplius ſurſum erecta frutetorum quā ſolum herbidum delectantur depaſci; ita & illorum de quibus lac doctrinæ in Auditorum corda infunditur, ſemper debent & ſermo & vitæ exempla non de inferioribus floſculis ſecularium literarum ſed de ſupernis Apoſtolicis montibus, exhortando flores depaſci; ſemper in eis de pudicitia, de continentia, de conſeruanda integritate, exhortatorius ſermo ad populum reſpondere, & ſemper eis in caſtarum animarum exemplis paſcua doctrinæ eſſe collocanda: eorum præcipuè qui inter ſpinoſas ſyluas, in prædictorum quaſi in liliorum cādore, caſtimonię odoribus fluxerunt, id eſt, beati Heliæ, Heliſæi, Danielis, Hieremiæ, Ioſephi, Ioannis, Mariæ, Teclæ, vel quicunque ſunt horum ſimiles, quos enumerare longum eſt. De his liliis decerpendi flores imitando, de his floribus manducandum eſt docendo, de his exemplis vnicuique paſcendum eſt cogitando. Tunc enim licet plena ſint prædicta vbera pinguedine Spiritus ſancti; additur pulchritudo cum his liliis, hinulorum more, & imitando paſcuntur: tunc quam maximè implebuntur lacte doctrinæ; cùm talium florum fuerint vitæ exempla depaſti. Vbi enim amor eſt caſtitatis, ibi ſpiritus multiplex ſapientiæ Dei: *Et vbi ſpiritus Dei, ibi* ſermonis *libertas*, & vbi libertas, ibi nulla ſeruitus conſcientiæ turpis; & vbi nulla ſeruitus conſcientiæ, ibi affluentia miræ doctrinæ. Nam hoc eſt quod docet Spiritus ſanctus, vt ſicut hinuli capreę gemelli, paſcentes inter florentia lilia, delectabilem præſtant aſpectum; ita & populi doctor iucundiſſimum auditoribus in ſe gaudiū exhibebit, ſi inter alia bona, caſtitatis candore, toto ſuo vitæ tempore fuerit circundatus; ſicut ſequitur: *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*: Per quod declarauit, tam diu plebem Dei neceſſariam habere ſanam doctrinam, donec dies ille magnus Iudicij aſpiret, qui pars eſt tenebrarum; & cuius aſpiratio, huius tenebroſi ſæculi vmbras in occaſum inclinat. Quicquid enim in hoc Seculo magnum videtur, vmbra vel ſomnia deputanda ſunt: pulchritudo ſcilicet corporis, ſapientia literarum, robur membrorum, in flore, in dignitate, in regni potentia, omnia hęc ad comparationem illius æterni Iudicij diei, vmbra & ſomnia comprobantur. Hinulis ergo caprearum, Eccleſiæ vbera cōparantur; eò quòd ſemper vnius aſpectus, & pulchri ſint viſione & veloces ad fugiendas ſeculi cupiditates & illecebras; & nunquam pigri excelſa & ardua, Deo placita conſectari. Nam vnicuique animæ tunc aſpirat dies, quando per pœnitentiam, ſuum quęſierit Creatorem, & deſinendo a malis operibus, inclinatę fuerint ei ignorantię vmbrę.

Ioan. 1. a — *Ioan. 8. c* — *Rom. 11. d* — *Coll. 1. c* — *Non ex ſecularium ſed ex Apoſtolicarum literarum floſculis texendi ſunt exhortatorij ad populum ſermones.* — *2. Cor. 3. d* — *Caſtitas prædicanti neceſſaria.* — *Omnia (comparatione Iudicij) ſomnia ſunt.*

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Vadam, per retrodicta doctrinę myſteria. Perfectam reddidit

reddidit Dominus noster Christus Ecclesiam; quam diximus per amicum Paulum Apostolum vsque ad cubi- A culum regis ex deserto adductam: eam nunc ad aliam gentem amarissimam & pro suo nomine morituram, & per sanctam vitam hostiam acceptabilem quandoque futuram, montem nominando, potentissimam in malitiæ supercilio demonstrauit. Myrrhæ namque montem dicendo, salutarem eius quæ per disciplinam adquiritur mortificationem quam Apostolus ad præsens amaram esse testatur, postea verò per exercitationem sensus, fructum pacatissimum parare dixit; quod beata anima pacationis munus suo offert Creatori. Thus autem peculiare Deo sacrificium, in Veteri legimus Testamento; quod humilitatis bonum accipere possumus, quod per cordis contritionem adquiritur. De quo dicit Propheta; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum.* Quicunque ergo mortificationem Christi, cor- B pore suo circumferre lætatur: pro iustitia tribulationes non refugiendo amarissimas (quod, myrrha, interpretatur) & quisquis membra sua ab omni fœditate luxuriæ continentiæ lomento diluerit, & dulcissimam thuris hostiam, per hanc viam præparauerit carnem suam Deo: hic mons myrrhæ & collis efficitur thuris, super quem sermo ascendat ad totam pulchritudinem Ecclesiæ contemplandam: id est, cui reuelatum, si nullam offensionis maculam adtraxit plebs, an ex alio offendiculo castigatio admouenda est.

Heb. 12. c

Exo. 30. d
Leuit. 2. a

Psalm. 50.

2. Cor. 4. c

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Matth. 28. d
Marc. 16. d

Fides est namque recta in qua Christus iussit Apostolis baptizare omnes gentes vnitate Trinitatis; & vita immaculata, quæ totam pulchram & ab omni macula detersam Ecclesiam vel animam reddit. Est vtique plebs, ad quam contemplandam ad *montem* thuris se iturum per suam doctrinam Saluator *ait in* Euangelio: *Oues meæ vocem meam audiunt:* Et *alias Oues habeo quæ non sunt ex hoc Ouili, & ipsas me oportet adducere vt fit vnus grex & vnus Pastor:* id est, grex vnius fidei in toto Mundo. Vt vnus grex populus Christianus in vna fide, & vnus pastor Dominus Christus: qui promisit Ouibus suis vel Pastoribus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hæc ergo gens quæ per Desertum ascendit, per beati Pauli doctrinam, quæ ex diuersis populis congregatur & gentibus quibus dicit; *Gratias ago Deo meo quia omnium vestrum linguas noui:* edocta veri Dei & veri hominis, per Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Sacramentum; nunc ad perfectionis culmen martyrij amore ascendit, & ita gloriosa singulis membris effecta, vt in qua nulla sit macula. Quicunque in hac plebe in humilitate illustriores, & in martyrij culmine sublimiores reperiuntur; ipsi montes myrrhæ & colles thuris intelliguntur, quia humilitas Christi, discipulum facit martyrem Christo vicem rependentem pro eius nomine moriendo quem pro suis peccatis mortuum cognouit esse. Nam sicut *preciosa* est *in conspectu* Angelorum, Archangelorum & Dominationum, pro impijs, Christi Domini mors; ita & sanctorum Martyrum preciosa in conspectu eius laudatur; Cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Hoc loci paginam laceram nacti inuenimus quæ tamen vix in omnibus vna deerat linea integra, eam sic repleuimus.

Ioan. 10. c

Matth. 28. d.

1. Cor. 14. d.

Psal. 115.

FINIS LIBRI SEXTI.

VDALRICI REGII CENSVRA LOCORVM QVORVMDAM EX HOC LIBRO VI. COMMENTARIORVM APONII millenario & centenario numeris, in vetusto Codice miserrimè deprauatorum.

Millenarium, imparem facis si tripertieris: *Millenarius enim per tria æqualiter diuidi non potest, vt constat*

xxi	*hac figura: Atque ita per Ternarium, abstrusè nobis significatur sacratissima & indiuisibilis Trias;*
1000 (333 $\frac{1}{3}$	*per vnitatem verò in diuisione relictam exhibetur nobis monas & vnitas Triadis.*
	Millenarium numerum, solidum indiuisibilémque esse pronunciant. *Millenarius, di-*
333	*citur numerus solidus, quod sit Cubus denarij, nam decies decem decies, faciunt mille: vide Hieronymum super Amos, cap. V.*

Sicut Vnum per solam literarum primam sine apice ductam; sic & millenarius, tracto apice demonstratur. *Sensus is est: א prima Hebræorum litera, in numeris sine puncto suprapposito, signat vnum siue vnitatem; cum punctulo verò sic א, repræsentat mille: & sic vnitas Trinitatis, iterum exhibetur occultè per vnitatem literæ & numeri (millenarij scilicet) in tria non diuisibilis.*

Per septiformem Spiritum splendescens perfecta Trinitas: *nam ter septem producunt, xxj.*



Voniam reliquos Aponij libros desideramus, nec quicquam præter ea quæ dedimus, in vetusto illo nobis oblato codice deprehendimus, obseruauimúsque Lucam illum (cuius antea facta mentio) ab initio in huius Autoris commentaria, Summariola quædam euulgasse, ipsius etiam verbis non immutatis: itaque ne sedulitati tuæ (candidissime Lector) defuisse videremur, operæ pretium nos facturos opinati sumus, si Lucæ illius Summariola hic adnecteremus, is enim in finem vsque Autorem est prosecutus, donec diuini numinis benignitate; reliqui tam solidi tamque exacti Autoris in eadem Cantica Libri, alicubi deprehensi, in lucem producantur.

SVMMARIOLA LVCÆ, ABBATIS S. CORNELII, IN APONII COMMENTARIA IN CANTICA.

Veni de Libano Sponsa mea, soror mea, veni de Libano, veni.

PERFECTAM per Apostolos, eorúmque discipulos ostendit Spiritus in antedicto libello plebem, núc eius conuersationis exemplo aliam potentissimam in malicia vocat. Hæc namque plebs vocatur de Libano, & alta & superba sapiẽtia; quæ in literatura sibi & in Philosophia confidebat. Et ideò soror appellatur, quod nonnulli ex ipsa studiosè, vnum & verum Deum cœli confessi sunt, & hunc humanæ naturæ parentem: sibi, & non Deo donanti, scientiam adscribentes, *stulti sunt* reputati; qui pia miseratione Creatoris, signis & virtutibus ad plenam fidem Christi vocantur. Soror ergo, vt dictum est, propter sapiẽtiæ amorem appellatur; Sponsa verò propter gratiam sacri lauacri, vbi vnus cum Deo spiritus efficitur anima. Quod tertiò vocatur, in Trinitatis confessionem, ad tanti Regis consortium venire docetur, & tria remedia ei à cœlesti medico (si necesse fuerit) promittuntur: Primum scilicet baptismi, secundùm pœnitentiæ, tertium beati martyrij. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Interpretatur autem Amana, *mecum*, in Hebræa lingua, & Syra; per quod docuit illam animam coronari quæ cum Christo effecta fuerit vnum. Vox est adsumpti hominis, qui credenti in se plebi vel animæ promittit. *Coronaberis de capite* mecum. Benedictio ergo animæ in Christum credentis, est corona, quæ septem gemmis pretiosis septiformis Spiritus, in capite Ecclesiæ, toto mũdo coruscat. Veniens anima, dat obedientem volũtatem, suscipit supradictam coronam de Christo capite: quod est, Deus omnipotens. Sed hæc corona quinque vocabulis præsentis versiculi super animam ostenditur, cùm ait: *Coronaberis de capite Amana:* hoc est, vt credat vocanti, vt baptizetur, vt anathema dicat diabolo qui eam elongauerat à Creatore, vt corpus Christi sibi iungat & eius sanguinẽ sumat. Sanir, interpretatur *nouitas*, vel *Deus lucerna*. Cùm igitur venerimus ad sacrosanctum baptisma; leuamus super nos nouitatem scansus de vertice nouitatis; id est, summam & inæstimabilem diuinitatem, quæ in tribus Personis vno splendore credẽtes illuminat: sicut lucerna tribus materijs, lichni scilicet, olei, & igni plena, vnũ lumen ostendit; quam ardentem lucernam intelligere possumus. Quando ergo confitebimur nos credere in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, leuamus nouitatem: vbi verò renunciauerit quis mundo, efficitur lucerna, in quo Verbũ Dei lucẽ illuminat (discussis ignorantiæ tenebris) ambulantis summa maiestas, de cuius nouitate Ecclesia coronatur. Coronatur enim Ecclesia *de capite Amana* in martyribus, *de vertice Sanir* de his qui post baptismũ non indigent pœnitentia: de *Hermon*; de his scilicet qui post violatum baptismũ anathemate digni, ad pœnitentiam conuertuntur. Coronatur & *de cubilibus leonũ, de montibus pardorum:* nam dæmones, pro crudelitatis sæuitia, leones; pro magicarum artium & variorũ terminorũ adinuentione, Pardi nuncupantur. Quẽadmodum enim leones occupant sibi cubicula, vbi capiã deuorent prædã; & vt Pardi, quasi secretissimos mõtes vbi animalia simpliciora captent: Ita & dæmones in subditorum sibi mentibus cubicula collocauerunt, in quibus sæuitiam suam per homicidia, per crudelissima sacrificia explent; in alijs verò per incantationes magicarum sortium, per malefica, per auguria, & reliqua, montes sibi abditos in talium cordibus fecerunt: qui-

A bus nunc expulsis, victor in eorum cordibus leo de tribu Iuda habitator existit probante Paulo; *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vncata igitur (vt diximus) & coronata; nunc dicit eius Sponsus, *Vulnerasti cor meum.* Sed ista vulneratio non ad infirmitatem respicit Sponsi, nullis enim subiacet passionibus, sed profectum fidei Sponsæ, & augmenta iustitiæ. Duos esse oculos quibus bona & mala videmus corporaliter, nemo ignorat; & nisi vterq; pulcher in homine fuerit, fœdum necesse est reddat: sed quomodo hic vnus laudatur, Redemptor noster rogandus est vt ostendat. Ipsum enim oculum tertium animæ audio numerari, de quo dicit; *si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit:* Et de quo dicitur etiã voce pœnitentis; *Turbatus est præ ira oculus meus.* Et illud; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vides secundùm B Domini sententiam de duobus corporeis oculis præsentia & terrena cerni, & de vno cordis (qui in Sponsã laudatur) Ecclesiam conuerti. De cuius pulchritudine non solùm angeli admirantur, sed etiam ipse Sponsus proclamat cor suum vulneratum; in admiratione vtique & non in passione, eò quòd seipsum quasi in lucidissimo speculo in eius inspicit corde. Magnum enim miraculum Christo & angelis est, vt hæc anima quæ cæco corde multitudinem deorum turpium prædicabat, pũro oculo vtitur. Sicut igitur Ecclesiæ singularem oculum in eis demonstrauit qui nihil aliud corde intendũt; ita quærendum quòd ait Ecclesiæ vnicum crinem, per quod sic exornetur vt pulchritudine eius cor suũ Christus proclamet vulneratum. Illos opinor, qui obliti aliquid diuitiarum vel honoris in sæculo se possedisse, exemplo eius; quos ita charitas vnit in Christo, vt eos *neque gladius, neque fames, à charitate Christi*, quæ est recta fides, valeat *separare.* Qui vsque ad Ecclesiæ collum exor- C natum perueniunt; id est, ad gratiam Mosi qui à Deo suscipiens verbum, ad totum Ecclesiæ corpus porrigebat: De quo Crine Ecclesiæ, singularem laudem Actus Apostolorum extollit dicens; *multitudinis aut credentium* Christo *erat cor vnum.* Tunc igitur vnusquisque Fideliũ exornat Ecclesiæ collum (id est; lætificat eum per quem eloquitur Christus) cum propter vnicum Christi amorem, diuitias vel honores contemnit. Sicut enim soluti, sparsiq; capilli fœdum: & in vnum collecti, decorum reddunt caput: Ita & multitudo fidelium, per misericordiam in vno vno vinculo charitatis à Spiritu sancto cõnexa, impertiendo omnem substantiam suam in cibos pauperum, pulcherrimam nimis reddunt Ecclesiam; eos videlicet qui à capite Christo cibum susceptum, ad Ecclesiæ membra, sua exhortatione transmittunt. Oculus D ergo decorat caput, crines verò, collum: de collo verò pectori infunditur verbum, ex quo germinant mammæ vel vbera, quæ impleta nutriunt pueros. *Quam pulchra sunt mammæ tuæ soror mea, sponsa mea: pulchriora vbera tua vino.* Mammæ, ad fœcunditatis benedictionem, Vbera verò, virginitatis gloriam respicere opinamur: In genitricibus enim, mammæ, in virginibus, vbera appellãtur. Quibus Ecclesia, tempore apparitionis Christi, pulchra ostenditur, eò quòd quotidie concipit, quotidie parit, quotidiè lactat & virgo est. Hoc igitur qui non credit Deum per Ecclesiam facere quod fecit per Mariã Virginem, infelix est. Nam mãmas lactentibus porrexit per eũ qui dicebat; *vnusquisq; vir suam habeat vxorẽ:* quãdo verò profundiori mysterio, sensus scripturæ diuinæ tractat de arcanis,

Philosophorum quidam, ex philosophis, vnum Deum confessi sunt. Rom. 1.

Ephes. 5. b.

Math. 9. d.

Psalm. 6.

Matth. 5. a.

Rom. 8. g.

Act. 4. f.

Deus per Ecclesiam facit quod olim fecit per virginē Mariam. *1. Cor. 10. a*

vel quæ gloria mateat conseruantes castitate, seu cum indiuiduæ Trinitatis putitas traditur, Ecclesiæ vbera pulchriora sunt vino: illo scilicet núcio gaodij Prophetarum; quo quod in veteri Testamento obtectum mysterijs nunciabatur, nunc ab his qui sponsæ vbera esse meruerunt, luce clatius in Nouo demóstratur. Qui per inuisibilis Spiritus sancti vnguenta, infundunt eredentibus spiritalia opera pietatis; quibus, Christus quasi odorihus delectatur. *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*

Pluralr vtique numero vnguentum pro multiplici gratia quæ ab vno Spiritu sancto procedit, intelligitur dictum: sicut pro se suisque Paulus, cùm dicit; *alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* Et hoc præfigurabat, illud quod Moyses iussus compooere quinque speciebus admixto oleo mandauerat confici vt fieret Pontificale vnguentum; quo significátur quinque modi quibus actiones peraguntur. Quicumque eius voluotatem impleuerit per hæc officia, fragaotissimis vnguentis in conspectu Dei redolet. Hæc sont vtiq; vnguenta, quæ præcellunt in illo veteri. *Fauus distillans labia tua, Sponsa; mel & lac sub lingua tua.* Fauum videlicet legem veteris Testaméti intelligere possumus, quod de flotihus cœlestium camporum, in modum apum, à Patriarchis & Prophetis vatio sermone futuræ redemptionis nostræ cóstructum; mirabilem suauitatem cooclusit. Quem fauum, mollia prædicando (id est, mores quos diligit Dominus) distillaot hi qui Ecclesiæ labia esse meruerút. Illi quippe quorum tota vita martyrium est de quibus indesinenter fauum futuræ lætitiæ stillat, Linguam, eos intelligere possumus qui scientia sancta præditi, nullius pertimescunt personam; qui vulneratas diaholi iaculo animas melle medici sermonis illiniunt, ad emundandas de cordihus peccati putredines. Lac autem, consolationis verbum, paruulis adhuc in Christo ad profectum mioistrant; & amarissimam scientiam inflatam literatura mundana, mitissimo sermone in mellis suauitatem conuertunt, qui superbum candorem bumilitatis lacte mutauerunt. *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Vestimenta Ecclesiæ eos opinor intelligi qui in Dei omnipotentis honorem decimas de iustis laborihus suis, Ministris Ecclesiæ præbenti, sicut in Leuitico Dominus fieri iubet; egenis ministrant indumenta, pauperes tegunt vt cum eis mereantur futuri sæculi gaodium: *Beati enim pauperes spiritu;* quomodo cuncti qui propter amorem Dei & spem futuræ lætitiæ, voluntate potiùs quàm oecessitate se in pauperum numerum aggregauerunt: Quorum famam similem pronunciat Spiritus sanctus eorum qui sacrificium Dei efficiuntur; id est, Martyrum; eò quod thus soli Deo in odorem suauitatis offerri iussum sit. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus; Cyprus cum nardus, nardo cum croco; fistula & cinamomum, cum vniuersis lignis Libani; myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.* Perfectam virtutibus in singulis membris plebem vocari de Libano cum ostendisset Spiritus sanctus ore Salomonis, nûc gloriosos suos fructus laudibus effert. In quo vtiq; Apostolicus proficit labor, vt magnæ delectationis hortus Regi cœlorum effecta sit, in quo nulla desit vitæ substantia: quæ vndiq; vitam Apostolicam imitando & fidei regulam seruando, præceptorum maceria exclusit furem diabolum; vt pro magna laude, *hortus conclusus, fons signatus* Regis sit appellata. Est igitur *hortus conclusus* Ecclesia, credendo perfectum hominem Christum Virginem peperisse. Est & *fons signatus*, Verhum Patris Christum Deum verum, credendo in hominem ex vtero processisse; qui est fons vitæ, & fons luminis. Fit ergo Ecclesia hæc, fons; vtputa, corpus eius effecta. Sicut *fons* vitæ *signatus* à Patre, dicitur Christus, ita & Ecclesia, *fons signatus*, regali videlicet signaculo Crucis appellatur, à Christo, continens intra se aqoam baptismatis: quam signaculo ex pretioso fonte suscipiunt iniqui dum lauantur; quos dicit, *Emissiones tuæ, &c.* eò quòd *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, & induerit Christum qui mali granati arbor cum pomorum fructibus figuratur, ornamentum esse non poterit paradisi. Nam quicumque emissus ex veteri Ecclesiæ paradiso fuerit: necesse est vt arbori mali punici, id est, similis Christo sit, eius in se reparando imaginem. *Cyprus* interpretatur *tristitia* vel *mæror.* Vnde ergo pomorum ordines in Ecclesia positos, tristitia, si patienter suscipiatur, continuò consolationis Spiritus saocti Nardus subsequitur: per qnem spem, iam teoemus promissum eius qui dixit; *Beati qui lugent nunc* Nardus frigorem de algentibus membris expellit. Crocus ardentibus refrigeria confert, boc est, timorem mortis præsentis expellit, & futuræ vitæ amore accendit. *Fistula* abstinentiæ fructum significat, eò quòd in tenerrimis virgultis siccata, à verme, propter austeritatem corticis, reseruatur; quæ infirmitates viscerum intrinsecus curat: si & abstinentia, exiccata pelle corporis, animæ medicina reseruatur. Cinamomum autem secundum quod vicino capite fistulę gignitur, & diutissime suá viuacitatem seruare probatur, spiritales sensus viuacitate sapiétiæ atque abstinentiæ gigni demostrat. Cum vniuersis vero lignis, quosdam magni odoris fructus, quos enumerat Apostolus, simul germinare de abstinétia verbo sapientiæ edocuit. *Myrrha* ad mortificationé membrorum accipienda est, secúdum Apostoli disciplinam quæ ad pręsens amara videtur, dicétis; *mortificate membra vestra*: quæ cœlestis medicina cognoscitur de arbore vitæ Christo disciplina procedens, sicut myrrha de arbore myrrhæ prohatur. Aloë autem, propter succi virtutem quam habere móstratur, & in viuis ac mortuis corporibus necessaria species docetur. Medicinale illud exemplum, multiplici medela animarum & corporum repletum; quemadmodum secundum carnem fæcis per contéptum habendi, & nullam ab hominibus gloriá requirendo tradidit mortalibus Christus, intelligendum est. *Cum omnibus primis vnguentis*: id est, Spiritus sancti dooationibus de quibus delibutus Magister gentium dicit; *Omnia omnibus factus sum. Fons hortorum, &c.* Vna est Ecclesia in toto mundo, cuius caput Christus fons vitæ per lauacri regenerationem agnoscitur: Et quòd multitudo animarum vel gentium de eius doctrina à Christo suscepta irrigatur; ideò fons hortorú nominata est. *Puteus* verò *aquarum viuentium*, ad laudis cumulum nominatur, eò, quòd profunda sapientia Christi per Trinitatis mysterium de alijs gentibus manasse iotelligitur. Quæ flumina de illo proculdubio monte, qui secundum Danielem sine manibus succisus de monte est lapis, fluunt: qui, quia sacrificium pro peccatis, Libanus nominatur: quod thus patria dicitur lingua. De quibus aquis dicitur; *si quis credit in me, flumina de ventre eius fluent. Surge Aquilo, veni Auster; perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Vt frigor Aquilonis, & calor Austri efficiunt temperatum aerem paradiso, quem perflaot; sic commixto frigore tribulationis cum calore securitatis, animarú paradisi defluere ad alternos auctus. Legis enim Euangelij doctrina, ab Austro spiritalem virtutem suo calore inspirans, humanis mentibus, vt arbusculis, indidit dulcissimi succi medullam: quam Aquilonis immuodus Spiritus, per regnú Romanorum (sanctorum corpora laniando) ad odorem suauitatis, nesciens perduxit. Aromatum ergo, vt sæpe dictum est, multæ fragrantissimæ speciea in vnú redactæ, pretiosum efficiút puluerem, qui tunc maximè reddit odorem suauitatis, quando in necessarios vsus fuerit ventilatus: Ita & Deo credentium animæ tunc suauitatem exempli sui fundunt posteris profuturam quando dæmonum tempestates de corporibus fuerint decussæ. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Narrans igitur hic Sponsa adolescentulis suis, quomodo laboribus passionum ad antiquam gloriam sit regressa, vnde reatu commissi pulsa fuerat in Adam: Spoosum inuitat, vt primitias boni operis, fructum pomorum virginitatis, ipse confectet, ipse delibet procedeodo de Virgine, ipse

Marginal notes: *1. Cor. 12.* — *Exod. 30. c. 40. b.* — *Leuit. 27. d* — *Matth. 5. a* — *Pauperes voluntarios, martyrium aequales esse ait Spiritus sanctus.* — *Ioan. 3. a* — *Matth. 5. a* — *Galat. 5. d* — *Hebr. 12. c* — *Coloss. 3. a* — *1. Cor. 9. d* — *Ephes. 1. d* — *Tit. 3. b* — *Daniel. 2. g* — *Ioan. 7. f*

gaudij pœnitentiæ pomum susceptum ab Ecclesia, Angelis transmittat ad cœlum: ipse misericordiæ botrum degustans, regni tribuat munus, &c. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo.* Venit scilicet inuitatus lacrymis Prophetarum, vel omnium qui intellexerunt tantam gloriam perditam, in hortum plebis suæ per incarnationis mysterium. Messuit myrrham amaram quondam, nunc medicinæ exemplum; per conuersionem truculenti Latronis cum aromatibus pœnitentiæ Meretricis: Comedit *fauum cum melle* suo, in his delectando scilicet qui studio intelligentiæ Legis diuinæ, in corde suo, quasi in vasculum, Prophetarum vel Apostolorum verba vt flores congregans; & in modum apum, rectæ fidei pretiosissimum fauum comedunt. In huius cibi figura, post resurrectionem postulatum ab Apostolis

Luc. 24. f

cibum comedit, & reliquas ipsis protulit. Quicumque enim lætificat Christum, necesse est vt lætificet Apostolos eius, qui cum eo vnum effecti sunt. Nam omnis hæreticus construit quidem fauum, exponendo legem peruersè; sed veritatis mella non congregando, minimè ea

Ioan. 17. b

pascitur. *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Per talem ergo doctrinam verbi cœlestis, satiantur Christi amici, qui per Apostolos se comedisse testantur credulitatem, & eos sibi charissimos effici; quibus mirantibus suæ resurrectionis velocitatem; exponit aliud esse dormire in mortem, aliud, nunquam recedere, dicendo: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Diuinus vtique Sermo, qui sub cordis vocabulo intelligitur nominari; nun-

Psal. 120.

quam obdormiuit, *neque dormitat:* Ego (inquit) dormio vobis, per absentiam corporalem; sed vigilo corde, nunquam recedendo à vobis per præsentiam deitatis. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mei soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni capitis mei guttis noctium.* Vbi omnium animarum amator Christus animam securam, carnis delicijs occupatam, ingressum in corde præbentem latroni diabolo (licet abiret) timendum, & videret eam vallatam insidijs Inimici; reuersus per noctis secretum (id est, per occultam compunctionem) pulsat ostium mentis eius, vt suscitata à somno letali, videat se periculis circumdatam, & deprecetur à se adiutorium. Sororis igitur honorem tribuit secundum carnis adsum-

Tit. 3. b
Rom. 5. b

ptæ originem: Amicæ nomen, per lauacri regenerationem; vbi ex inimicis amici efficiuntur homines Deo. Columbæ, per imaginem eius, quæ per Spiritus sancti cōmonitionem reparatur, qui in columbæ specie super cœleste caput Christum in Iordane descendit: Imma-

Ioan. 1. e
Matth. 3. d
Matth. 1. b
Luc. 3. b

culatæ verò, per similitudinem eius agnitam, rectissimam fidei regulam Trinitatis, per repudium Idololatriæ in se reformando: & hæc enumerat, vt memor horum, aperiat. Quia (inquit) rore sapientiæ & scientiæ plenum est caput meum; aperi ergo mihi piè castéque viuendo, vt ad ingressum meum descendat in te is per cuius roris venam, fontes & flumina de tuo corde procedunt; per quem, iustitiam scripserunt Patriarchæ Apostoli; sine quo, iniustitia philosophi hæretici. Quid sit

I. Co. 11. b

caput Christi, gentium Magister ostendit: *Caput* (ait) *Christi Deus.* Cincinni verò huius capitis intelliguntur Angeli, Archangeli, & reliqua; qui guttis occultæ sapientiæ pleni sunt: & hominibus, de capite delapsi, ipsi stillant in eis qui membra Ecclesiæ sunt; nunciādo futura, reuelando arcana; *Aperi mihi soror mea,* & reliqua. *Expoliaui me tunica mea: quomodo induar illa? & laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Docemur ergo per hanc malam cōsuetudinē difficile esse, aut vix aliquando cum magno labore expoliatam animam charitatis tunica, reuestiri: quæ sola vtique cooperit omnes nuditates animæ; id est, multitu-

Matth. 7. b

dines peccatorū. Et semel reuocatos à via angusta Euangelica, per delitiarum consuetudinem, & desidiæ aqua

Ephes. 4. d

dilutos: cum magna contritione cordis, in præparatione Euangelij reuocari, & spe consuetudinis recōtegi. Nam cum cœperis hæretico persuadere vt ad vnitatem Ecclesiæ reuertatur, respondet se huiusmodi societatibus non inquinari. Omnis autem qui credit non in manu hominis, sed inuocatione indiuiduæ Trinitatis maculas peccatorum lauari: nec dicit (extollendo se de sanctitatis munditia) pulsanti Deo, *laui pedes meos;* sed respondet,

Psal. 50.

multum laua me ab iniustitia mea; clemens Dominus non ad duritiam vel stultitiā, sed ad suam immobilem bonitatem intendens, inuitat etiam nolentem, signorum virtutibus occultis & cōpunctionibus ore Doctorum. *Dilectus meus misit manum suam super foramē, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi vt aperirem Dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima, pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat atq; transierat.* Quando vtique supradicta in quocumque errore posita anima, pulsanti non aperit; Christus *per foramen* mittit *manum suam,* castigando per damna rerum, per famem contumacem, & tradit flagellandum per vastationem hostilem, per orbitatem propinquorum; & reliqua. Mittit per foramen vt sentiat quidem, sed non dat vt videat manū quæ corripit contēptorem. Intumescit enim venter animæ, id est, sensus, quando pro peccatis, iuncis fuerit acerrimis flagellatus. Sic contigit plebi Israël dum se captiuam cōspiceret; surrexit aperire dilecto, clamando ad eum dum tribularetur. *Manus eius stillauerūt,* & reliqua: hoc est, opera eius (quæ pro manibus accipiūtur) stillauerunt per amaros gemitus compunctionis, per mortificationem peccati; de qua digiti confessionis culparum procedunt, qui pleni sunt lacrymarum probatissimæ myrrhæ clamando ad Deum patrum suorum, qui liberauit eam in patribus de manu Pharaonis: At ille de-

Exod. 14. g

clinauerat atq; transierat, non interficiendo neque subdēdo hostes eius, quos propter eius disciplinā seruabat; sicut fit de aëris Potestatibus quæ ad animarum contu-

1. Cor. 5. b
2. Tim. 1.

macium impugnationem reseruātur. Quibus traduntur rebelles, à Paulo Apostolo, vt disciplinam accipiant ne

Exod. 14.

blasphemēt. *Anima mea liquefacta est vt Dilectus locutus est.* Dum loquitur eis, videlicet per Angelū dicens; *quid clamatis ad me: ite ad deos vestros,* quibus igniris locutionibus, animæ eius, ab omni frigore criminū, velut cera liquefacta est. *Quæsiui eū, & non inueni eum; vocaui & non respondit mihi.* Non in toto corde exquirendo, non tenuit eum: & quia non obliuiscendo alios falsos deos, vnum & verum vocauit; ideò non respōdit ei. Non enim fecit quod ille

Psal. 118.

dixit; *Clamaui in toto corde meo.* Dum ergo multi quærentur ab anima; nullus liberator adeò inuenietur. Hæc igitur omnia quæ contingebant, nunc duriùs contingere ad-

Rom. 8. c
Idola cordiū nostrorum.
Coloss. 3. b

probantur. Qui non secundum carnem sed secundum Spiritum viuere iussi sumus; faciendo contra Christi præcepta, in cordibus idola fabricamus: auaritiam scilicet diligendo, mendacium, turpem sermonem, blasphemiam ex ore proferendo, signa & auguria obseruando, & reliqua; & declinat à nobis Iesus Christus clamantibus in tribulatione, atque transit. Quo declinante, tradimur non solùm carnalibus sed etiam nequissimis Spiritibus, castigandi. Inuocamus eum & exaudire non dignatur, sicut & per hunc Salomonem ait; *Clamabam &*

Prou. 1. e

non exaudiebatis, extendebam verba mea & non intendebatis; itaque & ego vestram perditionem ridebo. Hæc namque terribilis locutio quæ liquefaciet animam contemnentem Dei præcepta, quæ vtique lacrymabiliter demonstrat qualia perpessa sit, eò quòd mox pulsanti aperire contempsit, sicut ait: *Quæsiui, &c. Inuenerunt me custodes qui circumierunt ciuitatem, percusserunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Christo prolongante, approximat animarum latrones dæmones, & inualescunt in animam cuius adiutor prolongat Christus: qui insidijs suis custodiunt rectæ fidei ciuitatem quæ Apostolicis muris ambitur. Vnde si quēpiam ceperint; percutiunt, vulnerant, atq; expoliant, ne credat

Ioan 19. e
1. Petr. 2. b
Psal. 117.

veram carnem in Christo, quæ ligno affixa est; & verum Deum, qui veram animam quam gerebat, quādo voluit posuit, & quando voluit sumpsit. Petrus dicit: *Coædificamini in summo angulari lapide Christo.* De qua ciuitate

(vt

(vt dictum est) quisquis errando à fide, declinando à mandatis Dei, egressus fuerit; statim à prædictis custodibus (id est, insidiatoribus) percutitur titulo hæreticæ persuasionis, expoliatur sacrosancti baptismatis pallio. Illius itaque Animæ quæ ad pœnitentiam reuertitur, est vox ista lamentationis: *percusserunt; &c.* quæ licet vulnerata, ad seruitium tamen sui Creatoris festinat. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Intantum indignam & degenerem credit se effectam vt non audeat pro se fundere preces, sed filias Ierusalem adiurat lacrymabili præconio, vt ipsę dignentur intercessionibus suis lamentationem eius, Dilecti auribus insinuare, quatenus errantem reuocet, consoletur percussam, vulneratam resanet, expoliatam reuestiat. Filias autem Ierusalem, cœlestes virtutes omniúmque Sanctorum choros (vt sæpè dictum est) intelligimus: quæ docentur opem ferre (exemplo Moysi) qui tot millia peccatorum solus sua prece à reatu criminis liberauit. (Exod.32.g) Metuit, ne fortè & ipsis abscondatur nimis offensus dicendo: *si inueneritis;* & reliqua. Posuit scilicet similitudinem amoris carnalis, de quo, turpes turpia diligendo periclitantur; vt ostendat qua mensura debeat diligi Christus, qui animā nostram (post innumera mala) quasi nutrix, sinu aperto suscipit venientem. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Interrogant filiæ Ierusalem, pœnitentem animam, cuius potentię vel pulchritudinis sit hic qui dilectus fuerat ante culpam; & ex dilecto offensus factus est post peccatum: vt dum certa delectat eius pulchritudinis figura (rectam eius fidem confitendo) filiæ Ierusalem supplicando quærunt, vt & ipsa eius formam recolens amplius accendatur in eius desiderio. Quod autem ait, *adiuro,* & non dicit per quid; subaudiatur, per quicquid *in tota anima, in tota virtute, & in toto* diligunt *corde* eas adiurasse. (Deut.6.a Matth.22.e) Et ideò quasi contubernales dicunt; quem quæris, *quia sic adiurasti nos,* terribiliter? (Genes.22.) per eum scilicet, quo nihil charius habemus, cui Abraham nec dulce vnicum pignus præposuit. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* (Ioan.8.b Luc.2.a Genes.3.b) Candidus, quia *lux Mundi est,* quia Sol iustitiæ *illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum:* Rubicundus, quia carnis indumentum de Maria virgine abstractum, ictu lanceæ rubicundum protendebatur. Electus verò ex millibus, eò quòd à lapsu primi hominis vsq; ad Virginis partum, vnus ex millibus inuentus est de stirpe Dauid, qui electus à Deo mitteretur ad bellum contra hostem diabolum. (Luc.2.b) *Caput eius aurum optimum, comæ eius quasi elatæ palmarum, nigræ quasi corui.* In capite, fulgorem deitatis figurauit. Amandus præ omnibus quæ cogitari possunt, solus Deus, *in toto corde, in tota anima, in tota virtute,* (Deut.6.a Matth.22.d) sicut præ cæteris membris caput diligitur; & velut aurum à cupidis regibus amari probatur, qui eius amore mortibus se committere non pertimescunt. Quod quantò in subtiliores laminas fuerit productum, tantò splendidius redditur & ductilitate sua crescit: ita & deitatis potentia, quantò ampliùs de eius scrutari voluerimus maiestate, tantò immensiùs pelagus dilatatur. Et quemadmodum auri materia, quò deduxeris, sua mollitie sequitur; ita Maiestatis immutabilis bonitas, quantumcumque ab impijs irridetur, non frangitur. *Comæ eius:* In Comis scilicet, Virtutes Cœlorum, Throni, Dominationésque monstrantur. *Elatæ* verò *sicut palmarum comæ,* quòd dixit; docuit, nunquam eum declinari à sua potentia suóque officio sed semper permanere, sicut Palmarum comæ vires semper & virtutem tenentes in sublime erectæ sunt. *Nigræ* autem *quasi corui* dicendo; latibulum mysteriorum secretorum, & magis obscurata angelorum mysteria, per quos exercentur iudicia iusta, demonstrauit, vt, *nubes & caligo in circuitu eius.* (Psal.96.) *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum; quæ lacte sunt lotæ, & resident super flumina plenissima.* Oculi totius corporis duces sunt: quos congruè opinor Orthodoxos diuinæ Legis, soli Deo adhærentes intelligi: de quibus

A vnus dicit; *In principio erat Verbum.* (Ioan.1.a) Hi ergo tales viri, exponendo diuinam legem, ostendunt simplicioribus occultas insidias dæmonum; semper verò intendentes Prophetarum, Patriarcharum, Apostolorum dicta (qui riuuli vel flumina, aut fontes intelliguntur) perueniunt ad Euangeliorum plenissima fluenta. Totus cœlo est, qui in tā glorioso capite meruit collocatus oculus esse; & candorem iustitiæ, in quo creatus est per baptismum, nunquam ambitionum sordibus infuscat. Nam sicut ex sanguine lac vbera replet, paruulis alimoniam ministrans; ita sacratissimus sanguis Christi in animarum salutem conuersus, & vitam tribuit sempiternam & Angelorum splendorem candidissimum. *Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs.*

B In singulis igitur laudibus membrorum dilecti Christi, singulæ charismatum donationes demonstrantur; quatenus non doleat se vnusquisque omnes minimè possidere; dummodò vnam quamlibet gratiam possidendo, in Christi corpore membrum esse mereatur. In genarum pulchritudine intactus rutilat sanguis; qui, conscientiæ, intrinsecus, Creatori integritatem conseruando; & foris, hominibus, pingendo exemplo, faciem Christi decorat. *Consitæ à pigmentarijs,* ait, quòd Apostolorum labore & arte edocti, suo Creatori delectabilem odorem reddunt. *Labia eius, lilia distillantia myrrham primam.* In labijs, illi videtur intelligi qui vices Christi agunt in terris, quibus *ligandi & soluendi* potestas tradita est: (Matth.18.b Ioan.20.e) qui ore Christi prolata iussione, iustè peccātes alligant condemnando, & iustè pœnitentes reconciliando condemnationis vinculo soluunt. Qui sapientibus quasi liliorum odor, incessam delectationem & animæ medicinam ministrant; C insipientibus autem, velut myrrha amara sentiūtur: sed curati, laudant & ipsi tantæ medicinæ myrrham quæ viuentia corpora à vitiorum doloribus intrinsecus sanat, & mortua à corruptione vermium inlæsa conseruat; ita & memorata doctrina, & in præsenti curat, & in futuro à verme pœnarum conseruat. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* (Marc.10.a Marc.16.d Luc.10.e) Manus Christi, opinor illos quibus potestas eijciendorum Spirituum immundorum indulta est; qui fulgore conscientiæ, & in conuersatione, hominibus resplendent. Hæc ergo talis anima, est digna quadriformi laude, vt manus intelligatur, & aurea manus, & tornatilis examinationis præcepti, decorata manus pretiosis hyacinthinis gemmis: manus quæ circumferendo plena est gemmis & suo sermone & vitæ exemplo D lucrificatas animas de lapideis nationum montibus præparat Christo offerendas, eò quòd Hyacinthus *præparans* interpretatur. *Venter eius eburneus, distinctus Sapphiris.* Venter, conceptaculum escæ est; vbi tota corporis substantia congregatur. Eburnea, ossa sunt pretiosa Elephantia. Sapphirus, gemma regalis est, cuius nomen interpretatur *pretiosus siue egregius.* In quo illi intelliguntur qui licet alios docere suo sermone nō studeant: cibum tamen animarum Spiritum sanctum, renascendo percipiunt. Per sanctam conuersationem igitur intra se pacis silentio clausum conseruant, in quibus nec materia præterijt eboris; in eis decorem fortitudinis & impenetrabilitatem demonstrando) qui per omnem gloriam E retrodictam, distincti speciosis egregijsque gemmis integritatis, prædicantur: qualis illa multitudo de qua dicitur; *Et cum mulieribus non sunt polluti.* (Apoc.14.) *Crura illius, columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Crura igitur tanti corporis, illi mihi videntur intelligi qui (se humiliando) tantæ efficiuntur fortitudinis, qui omnia membra subuehant capitis; sicut ipsius vox per Prophetam dicit: *Super quem respiciam nisi super humilem?* (Esa.66.a) & reliqua; & in se continent similitudinem illius petræ de qua dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* (1.Cor.10.) Et super bases aureas fundatæ laudantur; quas bases opinor, Abel, Seth, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Eliam, Elisæum, Danielem, eorúmque consimiles; qui verè per bonum naturæ, aureæ propter humilitatis stabilitatem bases intelliguntur. *Species*

eius vt Libani; electus vt Cedri. Libanum vt diximus, *thus* interpretatur quod à Pontifice super hostiam pro peccato & holocaustum, & quod peculiare Deo erat sacrificium, iubebatur imponi. Ergo species eius vt Libani; nihil de contagione peccati (conuersando inter impios) contrahendo: cuius omnis actus, sacrificium est acceptabile Deo Patri omnipotenti. De quo Propheta dicit;

Psal. 44.
Esa. 53. c

Speciosus forma præ filijs hominum. Quod autem ait, *Electus vt cedri;* incommutabilem patientiam vel humilitatem (per quam *dolus non est inuentus in ore eius*) prædicere videtur; per quam exaltatus inter consortes eiusdem monstratur, Paulo dicente: *Humiliauit se:* & reliqua; *propter quod & Deus exaltauit illum.* Porrò autem electio eius ideò Cedris comparatur, quia *quotidie in augmentum* sui *corporis (quod est Ecclesia) crescit.*

Philip. 2. a
Ephes. 4.
Coloss. 2.

Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis est: Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. Guttur Domini, illi mihi videntur qui ab omni negocio Mundi alieni, mellifluenta eloquia Domini meditantur; & relictis vrbibus deserta petêtes, nihil in se triste sed totum quod plenum sit gaudio Deo & Angelis, continentes. Nulla ergo amaros homines causa efficit, nisi lata possessio Mundi. Et ideo totum efficit desiderabile corpus Christi, qui guttur est per supradicta, dũ vident homines opera eius bona, & glorificant patrem. Hic est qui dilectus meus, pro mea dilectione mortuus verus homo: & iste amicus meus, pro mea glorificatione resurgendo à mortuis verus Deus. Hunc itaque pœnitentis persona ex dilecto, dilectum suum diligendo effectum, & propter amissas amicitias eius semper se lacrymasse testatur. *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum.* Vbi cognoscunt eam confiteri hæc, quæ Angelorum sermo testatur, & pulcherrimam appellant, & pariter se ad quærendum pergere pollicentur. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*

Sola mundi possessio efficit homines amaros.
Matth. 5. b

Descendit vtique cum tropheo victoriæ de altitudine Crucis, in hortum suum, paradisum, qui fuerat per Adam clausus: clausus vt pascatur ibi primum fructu salutis latronis confitentis: vbi areola aromatis, multa merita animarum, multis tribulationibus, acquisita ostendit: quas de regione adgregauit inferni resurgendo. De quibus nunc ait: Et pascatur in hortis, & colligat lilia. Quas lilijs comparatas credo, propter candorem castimoniæ. Et cuius fœditate offensus declinauerat, nunc eius pulchritudinem admiratur dicens: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Pulchritudo videlicet in lenitate morum, suauitas in mundicia cordis ostenditur: decor autem in amore pacis: eo, quòd Ierusalem visio pacis interpretatur: Terribilitas verò in veritatis & castimoniæ armis. Quibus accincta anima, non solùm nihil metuit in præcinctu contra hostes suos, sed etiam terribilitatem incutere probatur.

Luc. 23 f

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Namque in anima errante, oculi nequissimi ad notitiam creatoris, qui Christum non rectè intendendo, *totum corpus tenebrosum* efficiunt: quibus offensus, auolauerat ab ea: & incidit in latrones: quos dixit custodes murorum. Sed illis oculis se intendi desiderat, de quibus dicit Apostolis; Beati oculi qui vident quæ vos videtis: quibus vtique corpus Christi extrinsecus homo videtur, intrinsecus intellectu videtur Deus. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de Galaad, Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & non est sterilis in eis. Sicut cortex mali punici gena tua, absque oculis tuis.* De his retrodiximus: sed ne videamur in totum prætermittere præsentem locum, Sunt capilli huius plebis, qui post offensam dilecti sui, per pœnitentiam reuocati sunt, illi, in quibus sola credulitas rectæ fidei, & mina iusti laudatur laboris: eo quòd ministris Dei impertiendo solatia, Ecclesiam Christi decorant: eo quòd non dicit ascendisse, vt retro, de ea quæ non est ad vomitum reuersa: sed dicitur:

Matth. 9. e
Luc. 16 c
Luc. 10. e
Luc. 10. d

A *Capilli tui,* & reliqua. Inter ascendere enim & apparere multum distat. Nam secundum geometricam disciplinam ascensio in tribus diuiditur partibus, & longo, & lato, & grosso: Apparitio autem in duabus, longo, latóque, nimiæ tenuitatis, qualis in aranearum telis attenuatis monstratur. Vnde & intelligi datur, illos, qui ascendentibus comparantur de monte Galaad, esse, qui ab inferiori sensu carnali, ad Trinitatis notitiam, & intelligentiam spiritalem sublimantur: eò quòd Galaad aceruus transmigrationis vel testimonij interpretatur. In his nempe sidit aceruus testimonij, in quibus longitudo & latitudo noui & veteris Testamenti credulitas vix apparet tenuiter: quibus sufficit credere, Christum promissum & ostensum in terris. In

1. Petr. 2. d

B dentibus verò hi, qui de plebe Iudaïca in sancto lauacro veteri consuetudine deposita, propter acumen ingenij boni, & verbum Dei ruminandum, & robur tolerandi propter Christum iniurias, fortissimi dentes Ecclesiæ nuncupantur: propter innocentiam vel patientiam ouibus simulantur. Ad baptismum siue ad bonam conuersationem conuersi, ascendere laudantur; qui mente intrinsecus Deo placita, & corporis actibus bono exemplo, sanctitatis gemellos generant. In genis autem eos, qui lapsi post baptismum luxuriæ maculis imaginem in se fœdauerunt creatoris: mundati verò lacrymarum lomento, faciem Ecclesiæ pulcherrimam reddunt. Qui ideò cortici mali granati comparantur, quoniam lapsus sui metu alios continent (eos qui asperitatem pœnitentiæ ignorant) à peccato. *Sexaginta*

C *sunt reginæ.* Nisi sermo patris deprecandus adfuerit, adhæret sensus noster disciplinæ artis Geometricæ & Arithmeticæ. Altera numero, altera cogit mensuris: Et ita esse coniunctæ probantur, vt vna sine altera stare non possit. Et sunt apud eos numeri diuisibiles & indiuisibiles. Diuisibiles, qui in duas partes secti, æquas partes ostendunt, vt duo. Indiuisibiles verò, qui inæquales, vt tria, & reliqua. Et sunt certi numeri, qui vnam diuisionem recipiunt, vt sexagenarius: Sunt qui tres, vt quadragenarius: Sunt qui septem, vt octogenarius. Sed longum est per singula currere, sufficiat hos tangere, qui in hoc Cantico habentur. Millenarius autem solidus & indiuisus est, qui vnius deitatis tenet figuram: à quo sexagenarius generatur, qui Reginarum

D nobilitatem ostendit. De quo duo indiuisibiles nascuntur numeri, noui & veteris signantes imaginem: in quibus cohærentes animæ in toto corde, reginæ efficiuntur: in quarum medio rex Christus consistit. Et ipsæ ita rectæ & perfectæ animæ, quæ in se nobilitatem veram, in qua creatæ sunt, reformauerunt, reginæ dicuntur: eo quod regnent peccato, vel regendus eis populus Christo credentium sit commissus: Quæ adhærendo verbo Dei, concipiunt & pariunt reges. De quibus ipse rex dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te,* id est, in hoc sacrato numero reginarum: qui numerus per Patriarchas & Prophetas, vsque ad tricenarium in doctrina veteris peruenit, id est per Legem naturæ, & circumcisionem, & Legem Mosaïcam: quæ promisit Legem salutis: Qui ostensus in no-

Psal. 21.
Hebr. 2. c

E uo per Baptismum, per Pœnitentiam, per Martyrium, id est, tricenarium numerum. Quia hoc quod præfigurabatur in veteri per Prophetas, in nouo ostensum est per Apostolos: qui Trinitatis fidem vt in veteri numeratur, ita in nouo Testamento suscipiunt, & immaculatè custodiunt. Quæ per eos sacrato numero, qui vnam recipit diuisionem, calculabantur, quia semel diuisæ per vnum indiuisibilem Deum, non credunt terrenis operibus, vt iterum necesse sit diuidi. *Octoginta concubinæ.* Qui numerus apud supradictos Arithmeticos, diuisiones recipit quatuor: vel Geometras, qui mensuris agunt, Qui octogenarius, octo beatitudines germinat: quæ octo septiformi spiritu interserto, inter se diuisiones recipere comprobantur. De quo Paulus ait; Operatur hæc

Matth. 5. a
1. Cor. 12.
Matth. 5. a

hæc omnia vnus atque idem spiritus. De quibus beatitudinibus quæcumque auidius quærẽdo plures poterit possidere vel omnes, magna vocabitur in regno cœlorum, vel regina. Quæ autem paruum quiddam adepta fuerit, vocabitur minima aut concubina. *Adolescentularum non erat numerus.* Opinor illarum dici personas, quas imperitiæ vel negligentiæ actus, de verbo Dei (licet ei iungantur per baptismum) concipere prohibet: quæ adhuc sub pędagorum vel doctorum cura gubernantur, quousque in perfectionem ætatis plenitudinis Christi perueniant, id est, Angelorum, quas immatura ætas non sinit parere filios per doctrinæ exemplum, sicut reginæ vel concubinæ parere possunt. Sed hæc est reginarum regina, quam Dei sermo sumpsit, per quam Spiritus sanctus semper mansurus, descendit in Iordane, cuius coniunctione perfecta est concubina. *Vna est columba mea, & perfecta mea: vnica est matris suæ, electa genitricis suæ.* Manifestissimè scilicet vnica est matris suæ Synagogæ, quæ genuit eam secundùm carnem: cuius amica nunquam dedit voluntatis suæ dexteram peccato. Electa est genitricis suæ, illius proculdubio virtutis altissimi, quæ omnes animas generat. Nam vt doceret omnes animas hominum non cum corporibus, sed eius potentia generari, non dixit, vnica est matris suæ, sicut de Synagoga dixerat: sed ostendit inter multitudinem animarum, vnam esse electam meditatricem inter robur diuinitatis & carnis fragilitatem: quæ missa in corpus, cum corpore egressa, intactum vterum virginis derelinquens, vnica effecta est virginis: quæ matris mammas lactigeras porrigendo, iure dicitur mater.

Galat. 4. a; Matth. 3. d; Marc. 1. b; Luc. 3. d; Ioan. 1. c

Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt reginæ. & concubinæ laudauerunt eam. Viderunt eam scilicet, quæcumque virtutes cœlestis Ierusalem ciues, charitati paternæ vnitam, nascentem in terris, pannis inuolutam, maiestatis gloria coruscantem: & beatissimam prædicauerunt dicendo: *Gloria in excelsis Deo.* Quæ omnes beatitudines sola in terris inter omnes in integro obtinuisse monstratur. De quibus si, qui poterit obtinere vnam, beatus est, quanto magis hæc, quæ in se omnes aggregauit, superlatiuo gradu beatissima prædicanda est? Reginæ verò & concubinæ, retrodictæ animæ, pro viribus eius pulchritudinem laudant, quam in ea per munditiam cordis conspicere possunt. Adolescentulæ verò, quæ satis procul sunt à consortio prædictarum eius pulchritudinem narrant collaudantes. *Quæ est ista, quæ egreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Egreditur videlicet antedicta amica post ignorantiæ flammas, matutina luce quasi consurgens, ad sacrum baptisma, per singulas virtutes, pulchra vt Luna, quæ tot annis sapientia & ætate corporis proficit, quot diebus Luna complet orbem & minuit. Quæ, vt Luna in ortu ostensionis suæ præstat lætitiam viatoribus contristatis, in nuptijs exhausto vino, inter (exordia *) adhuc credentium, splendens ostenditur: & in cuius occasu totum mundum tempestas quassauit, & amoris luminaribus, tenebris operuit. Electa vt Sol, post resurrectionis gloriam plenissimam, paterna claritate consistens. Possunt siquidem tres isti gradus, laudibus pleni, in futuro iudicio intelligi. Apparebit iustis in pulchritudine Lunæ, cœlorum virtutibus in maiestate fulgens, impijs autem deputatis æterno igni, terribilis vt castrorum acies ordinata. *Descendi in hortum meum vt viderem poma conuallium.* Reddit videlicet rationem descensus sui Dei sermo vnicæ electæ animæ. Descendi ergo (exinaniendo potentiam deitatis) ad hortum, id est, ad gentem mei notitiam habentem, vbi Patriarchæ & Prophetæ, non parum desudauerunt laborando in doctrina: ad conuallem huius mundi, id est, ad conuersationem humanam offensam in Adam: vt viderem poma conuallium, hoc est, lacrymas iustorum, quas pro exilio vel carcere omniũ hominum, qui in inferno à diabolo, siue errore Idololatriæ tenebãtur captiui, fundebant. Has igitur animas de conualle

Luc. 2. a; Philip. 2.

lacrymarum in montem paradisi transplantat, sicut dicitur: Inducens plantas eos in montem hæreditatis. *Vt inspicerem si floruisset vinea.* Illa vtique, de qua Esaias dicit: *Vinea Domini Sabaoth domus Israël est*: id est, vt inspicerem si flores agrorum cogitationum orirentur in ea, per quos dignus fructus pœnitentiæ adolescat. *Si germinassent mala punica.* Præconia Prophetarum scilicet, quæ intra se mysterium magnæ dulcedinis vel medicinæ obtectum continent animarum, quo verbo doctorum remota superficie, credentium multitudem nutriuit: quæ in beato Ioanne Baptista super virginitatis amorem in descendentis aduentu cœperunt germinare. *Nescivi: Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Sicut dicitur: *Congregata sunt super me flagella, & ego ignoraui*: hoc est, non fuit pro quo fieret crimine, quando astiterunt reges terræ, & reliqua; Aminadab interpretatur lingua Hebræorum, populus meus spontaneus. Hic ergo populus immundorum spirituum, qui impiorum ceruicibus insident ad scelera perpetranda, per hoc quod factura est Dei, quàm diu voluit per libertatem arbitrij in sanctitatis stare vestigijs, populus Dei fuit: vbi electus, propria voluntate, relicto rege suo, spontaneus factus est (quia per calliditatem homines ad suum seruitium inclinat) quando supradictis quadrigis inhærens, Pilato, milite Romano vel promiscuo vulgo clamante crucifige, crucifige, Christum conatur occidere. Ecce quadrigis se dicit adsumpta anima conturbatam, in propria voluntate exinanitam, dicendo, Nesciui: anima mea, & reliqua, narrante Euangelista: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Vt tria de ipsa plebe persecutorum intelligantur, interpretatio nominis docet. Sunamitis enim interpretatur, despecta, captiua, vel comparata. Hanc plebem diabolus sub iugum suum miserat, & iumentis insipientibus comparati fecerat, quam clemens Dominus noster quadrisona voce per quatuor Euangelia vocat ad pœnitentiam quotidie. Vel intueamur te, vt per confessionem Trinitatis, & lauacri mundationem, vel dignæ fructum pœnitentiæ, imago (inquit) nostra, quam in te contulimus, videatur in te: sicut Apostolis, quibus videtur eloquitur Deus.

Exod. 15. c; Esa. 5. b; Psal. 34.; Psal. 2.; Luc. 23. c; Ioan. 19. c; Math. 26. d; Psal. 48.

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Sunt proculdubio armis multis & diuersis iustitiæ muniti, galea salutis, lorica charitatis, scuto fidei, gladio Spiritus sancti, assiduæ orationis, chori castrorum ex illa plebe Iudaïca, quæ Christum persequendo, dæmonum fuerat effecta: qui contra aërias potestates sanctè viuendo, orationi instando, & reliqua; castra contra diabolum componunt quotidie. Nam sicut nulla virtus protectionis armigeros contra hostem nisi adiunctio scutorum: ita Christianum populum vnanimitatis congregatio à mucrone diaboli protegit. In singulo autem certamine erit dubius euentus vitæ, vbi ex quo latere iaculum caueas ignores. Ideò magnis laudibus exaltantur hi, de quibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. In his dicitur patri à Christo: quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Illam opinor intelligi, quæ cum longè abesset, per doctores qui ex illa egressi sunt, plebique soror vel amica appellantur, effecta est propior in sanguine Christi: quæ ad hoc apta est fidei gressibus currendo, & cõfessionis voce clamando, à finibus terræ, quæ recalcando à proprio creatore, facta fuerat filia principis huius mundi. Cuius ideò primùm præ omnibus membris pulchritudo gressus laudatur, quia non priùs capita, Duces vel Reges, de ea conuersi sunt ad doctrinam Apostolorũ, sed illi qui subiecti regibus, & minimi in potentia, pedibus comparantur: qui pulchri quidem viam præceptorum currentes, & alijs membris ducatum prestando laudantur, dicendo in calceamentis: vt adiutoriũ nostrum in nomine Domini, & à pedibus vsque ad caput ascendatur collaudando.

Ephes. 6. c; Coloss. 4. a; Act. 4. g; Ephes. 2. c; Psal. 118.; Psal. 122.

Nam in alijs personis introductis, quę sorores vel amicę sunt appellatæ, à capite earum pulchritudo describitur A vsque ad pectus: pro eo opinor, quod proceres illius plebis primi sunt conuersi ad notitiam creatoris. Sed per hoc docemur, vt qui apud hominum dignitatem inferiores videntur, conuersi ab errore ad veritatem, apud Deum fortiores, & qui totius plebis infirmitates sustinent, eliguntur. *Iunctura femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Congruè magnorum doctorum, qui ingressus Ecclesiæ intelliguntur, dignitati, iunguntur hi, qui derelictis vanitatibus idololatriæ, populo fidelium corpus Ecclesiæ cōstruunt, manu artificis Christi exemplo & doctrina fabricati: qui exemplo sanctæ cōuersationis ita generant sui imitatricem plebem, occulta opera iustitiæ facientes de iustis laboribus manuum suarum, sicut prædicta membra occultis natiuitatibus rediuiuam posteritatem generare adprobantur. B Nam sicut per generationis successiones totus mundus ornatur, ita & hi, qui prompti sunt in operibus misericordiæ, exornare totum corpus Ecclesiæ comprobantur: implentes illico: Cùm feceris eleemosynam, noli tuba canere ante te. *Vmbilicus tuus sicut tornatilis crater, nunquam indigens poculis.* In quo mihi videntur illi laudari, qui non solùm à terrenis desiderijs renascendo abscissi sunt à peccato, sed iam torno cōsuetudinis vel desiderij boni admirabiliter expoliti, lætitiæ poculis vltra non indigent, sed alijs indigentibus, animæ absolutionem, exemplo conuersationis, ministrant. Nullus enim animam sitientem Deum, post criminum ariditatem ad pinguedinem sanctitatis perducit, nisi qui exemplis laudabilibus poculum subministrat, Vbi enim excindendo C turpissimos actus laudatur, & castitatis dulcedinem alijs sitientibus porrigit, Sicut paruulis mox de matrum visceribus egressis, obstetricum cura vmbilicus præciditur, ita & animabus adhuc paruulis in Christo, doctorum diligentia prospiciendum. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Sicut enim venter conceptaculum escæ est, per quem tota moles corporis roboratur: ita & docentur animæ vigilantes in verbo eloquij Dei, abscondendo in corde suo, alias animas sustentare: quæ infirmiora membra Ecclesiæ intelliguntur. De quibus ille dicit: In corde meo abscondi eloquia tua. Rectè aceruo tritici comparati, qui iam à palearum leuitate separati, grauitate morum, pudicitiæ lilijs circumdati, illius splendidissimi grani tritici expresserunt in se imaginem, qui prò totius mundi vita in terra absconsus est D singularis, & in toto mundo pullulantia in se credentium, resurgendo fructeta porrexit. *Duo vbera tua, sicut duo hinuli gemellæ capreæ.* Hoc igitur ratio naturæ poscit, vt cùm impletus fuerit ex conceptu fœmineus venter, horrea lactis in augmento vberum construantur. Similis ergo mihi videtur huius plebis, quę filia principis nominatur, causa narrari, in cuius corpore, id est, congregatione, alia intelliguntur membra quæ concipiunt, alia quæ nutriunt animas. Illi enim quorum vita in secreto, pro sancto exemplo, confirmatas animas in Dei amore, de tenebris errorum nutriēdas ad vbera perducunt, venter Ecclesię intelliguntur: Hi verò vices vberum peragunt, qui doctrinæ lacte paruulas animas in Christo, ad maturam ætatem martyrij perducunt. E Hi ergo, hinulis gemellis propterea similantur, vt & pulchritudo sensus, & vnitas similitudinis ex Prophetarum doctrina & Euangeliorum gratia processisse doceret. Capreæ autem filijs comparantur, qui sicut didicerant à lege Christum esse vitam omnium animarum, ita & eos enutriunt sua doctrina, & ad montes Apostolicos necessitatis tempore confugere instruunt: sicut capreæ peculiare est natura, persecutionis tempore veloci cursu ad montes confugere, quæ & acumen visus, & velocitatem cursus tota vita obtinet, & filios suos quousque adolescant ad cursum semper abscondit. *Collum tuum sicut turris eburnea.*

Matth. 6. a

Psal. 118.

Ioan. 12. d

Collum opinor huius plebis eos, qui colla sua sub iugum seruitutis Christi mittentes, nunquam subducunt: qui gloriosum exemplum martyrij à capite Christo susceptū, ad totum corpus Ecclesiæ, posteris profuturum transmittunt: qui dignè turri eburneæ comparantur, cùm in toto mundo altis virtutibus ab omni populo conspiciuntur. Ebor enim quàm diu carne obtegitur, non apparet pretiosus: cùm autem à carne fuerit separatus, tunc ad ornatum proficit regis: Ita & supradictorum anima tunc erit thronus, vbi Deus per virtutem signorum sedere conspicitur, cum à corpore fuerit separata: Qui moribus bestiæ fuerant dum carnaliter viuerent aliquando, nunc cognito creatore, pretiosa martyrij in conspectu Domini adfecti sunt morte. *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* In oculis scilicet Ecclesiæ, pro eo quod piscinis Esebon comparatur, illi videntur ostensi, siue qui pro suis communibus aliquando, siue qui pro alienis criminibus fontes proferunt lachrymarum. De quibus dicitur: *Beati qui lugent nunc*, & reliqua; quoniam & Esebon mœrorem, siue cingulū mœroris interpretatur: quæ ciuitas Amorrhæorum interpretatur amara. Qui oculi per hanc comparationem ab imminente periculo gladij vel cuiuslibet flagelli, docētur suis lachrymis populum liberare, sicut piscina Esebon vrbis habitatores à sitis periculo liberauit. In qua regnum tenuit Seon, qui interpretatur germen inutile, quam interfecto rege cum habitatoribus, destruxit & reædificauit Israël: qui interfecto rege, cœpit in ea germen necessarium multiplicare. Vbi enim mente videtur Deus, destruitur iniquitas, ædificatur veritas, destruitur cogitatio mœrorē gehennæ parturiens, ædificatur cogitatio vitam æternam germinans, & reliqua; Nam intelliguntur & illi Ecclesiæ oculi, qui priùs Deum cœli per inanem philosophiam horrebant, nunc prædicando in errore positis demonstrant; *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ contra Damascum respicit.* Narrat historia à Salomone domum in Libano ædificatam propter delectationis aspectum, quæ respiceret Damascum. Sed quia omnia quæ à Patriarchis vel Prophetis gesta sunt, spiritalem in se continent intellectum, turris Libani, cui nasus Ecclesiæ cōparatur, eo quòd thus libanum patria lingua dicitur: Damascus vero osculum sanguinis vel potus sanguinis. Cùm verò diabolus deceptis hominibus, cruenta amicitiarum suarum oscula sanguinis propinaret vel pocula, facit sibi omnipotens Deus turrim suauissimi odoris, vbi nullus peccati reperitur fœtor, per carnem absumptam de virgine Maria: vnde respiciendo destrueret diaboli regnum. Vnde mihi videntur nasus Ecclesiæ intelligi, quibus maior zelus, & ardentior fides in destructionem idololatriæ inest. Hi itaque non frustra supradictæ turri comparantur, qui vitæ exemplo virtutibus refulgentes, inter gentiles positi, dæmonum culturam destruunt: qui inter cæteras donationes, præscientię múnus meruerunt. In quibus Ecclesia quasi per olfaciendi officium, & prolongantem iratum, & adpropinquantem propitium Deum agnoscit. *Caput tuum vt Carmelus.* Caput huius plebis reges Romanorum intelligo, illos duntaxat, qui agnita veritate, Christo exhibēt supplicem famulatum: eò quòd Carmelus, fluuius mollis cognitio circuncisionis interpretatur, non in carne, sed in anima. *Et coma capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.* Comas eas personas intelligere possumus, quæ Christum venerantes, lateribus coniunctæ sunt regum; Et sicut purpura circumdatum regem fulgentissimum reddit: ita & prædictæ personæ largitate, benignitate, & reliqua: imperatoris Christi, qui est Ecclesię caput exornant, maximè, dum per cōfessionem martyrij purpuratur Ecclesia. Per quem decorem effuso sanguine sanctorum, sanguinem conseruant fundi, qui ita in fide Trinitatis Ecclesiæ captiui monstrantur, sicut & regalis purpura à suscepto liquore concipitur. Iuncta canalibus, quibus decurrens succus suscipitur iterum profuturus; ita & ipsi, suum sanguinem fundendo, alijs prosunt, qui eorum exemplum sequi desiderant. Hæc est igitur decem membrorum totius corporis huius plebis mirabilis

Matth. 5. a

Iudic. 21. d

3 Reg. 7. 4

Luc 1. d
Ioan. 1. b

Rom. 2. d
Coloss 2. b

Ephes. 1. d

Exod. 10. 4

mirabilis pulchritudo, quæ in pleno decem præceptorum catalogo, nullam in se partem membrorum fœdam
A
Ioan. 11 a derelinquit. *Quam pulchra es, & quam decora charissima in deliciis.* Liberata videlicet à crudeli patre principe mũdi, ad antiquam pulchritudinem, paradisi delicias, cognito vero patre, per baptismum reuocata pulchra laudatur.
1. Cor. 4 d *Statura tua adsimilata est palmæ, & vbera tua botris vineæ.* Fi-
Philip 3 d gurantur Christi imitatores (de quibus vnus dicebat: imitatores mei estote, sicut & ego Christi) botro: illo proculdubio, cuius gerebat imaginem ille de terra repromissionis à Iudæis in deserto portatus, qui gemino ligno suspensus, expresso suo sanguine, iam mortuum mundum reddidit vitæ. Cuius imitatrix prædicta plebs effecta, confessionis rectę fidei martyrij protulit fructus, quos ipsa beata anima, quã Dei sermo comparauit, adprehendere delectatur, & cum gaudio munus offerre,
B
sicut ait: *Dixi, ascendam ad palmam, adprehẽdam fructus eius.* Ascendit enim in palmam crucis, ibique suos inuenit victoriæ fructus, castimoniæ, misericordiæ, & reliqua; Filia namque principis adsimilata est palmæ, quę vere vt
Luc. 2 f palma, vix aliquando multo labore doctorum, in latronis confessione patri offerendos portauit. *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.* De quibus vnus dicit: Secundum
1. Cor. 4 d Euangelium ego vos genui. Botri enim vineæ ad vtrumque aptisunt, & cibum esurienti, & potum tribuunt sitienti: quòd etiam hæc vbera esuriẽtibus iustitiam, vitæ
Marc. 15 a exemplum, & sitientibus scientiam, exhortationis sermonem facere adprobantur.

Et odor oris tui sicut malorum punicorum, guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labijsque & dentibus illius ad ruminandum. Huius plebis os mihi vide-
C
tur beatum intelligi Paulũ, qui solus & prior ad vrbem Romam epistolã destinauit: de cuius intelligentia quasi per os loquitur. In quo ore odor est malorum granatorum, & omnium redolent exempla sanctorum: vt ait;
2. Cor. 2 d Bonus odor sumus Christi. Guttur verò eius beatum Petrum, eiúsque vicarios pronunciabo: è quibus optimum vinum per Trinitatis confessionem manare probatur. Cuius vini dulcedo nimis grata, per quam mundus redimendus est, vnica creditur anima laudata. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Hæc vox illius, quàm reginæ admirando collaudant: quę dilecto suo verbo Dei inuisibiliter inhæret. Et ad me conuersio eius, per incarnationis collegium: ita & verbum earum fieret. Hæc ergo immaculata vnita cum eo, hortatur eum ad redem-
D
ptionem aliarum gentium, quæ eum non videtur in carne per discipulorum sermonem de aula Synagogæ
Act. 2 a egredi. *Veni dilecte mi, ingrediamur in agro, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea:* Egressus namque ad agrum gentium per aduentum Spiritus sancti, qui per Apostolorum splendorem, noctem ignorantiæ in agnitionem veritatis conuerteret matutina luce, & spinas turpium cogitationum abstergeret. Et commoratur in villis, in simplicissimis videlicet mentibus hominum: quibus præsentia sancti Spiritus ore doctorum, cùm ignorantiæ tenebræ occidissent, noua matutina cœpit cõsurgere veritatis cognitio. Mane surgamus ad vineas, loquendo verbum Euangelij ad eas animas, quæ alijs sitientibus, poculum vini & lætitiæ
E
propinare intelligũtur. *Videamus si floruit vinea.* Floribus videntur decoratæ vineæ, cùm derelictis Idolis ad baptismum veniunt: Ipsi verò flores, fructus parturiunt, præcepta seruando. *Si flores fructus parturiunt, si floruerunt Mala punica.* Flores Malorum punicorum, conseruandæ virginitatis desideria mihi videntur: quæ cùm adoleuerint, pulchriora efficiuntur: cùm autem per martyrium aut per debitum resolutionis corporeæ floruerint, cum fructu suauissimo, Creatori, gaudij poculum præparant. *Ibi dabo tibi vbera mea. Ibi:* proculdubio in agro gẽtium, ibi porrigam tibi vbera mea rectæ fidei, misericordiæ, & integritatis, &c. Prædicta vnica promittit, *tibi dabo tibi vbera mea:* licet in multis Deo acceptis operibus hæc vbera intelligantur, tamen integritatis & martyrij (quæ

propriè de pectore eius germinasse probantur) quibus
A
Dei sermo lactatur; alterum mihi videtur martyrij in Petro, alterum virginitatis in Ioãne. *Mandragoræ dederunt odorem in portu nostro.* Mandragora, herba est cuius radix per omnia humanum deformat corpus absque capite: & germinat mala arboribus similia, magni odoris: quæ herba inter cęteras virtutes, his maxime dicitur tribuere medelam qui nauseæ infirmitate laborãt & nec cõtinere nec appetere possunt cibos: & huius suauitatis, post omnes quæ in Cantico hoc nominãtur, odore, prædictæ animæ delectantur. Et hi odores non in agro sunt, sed *in portu*: id est, prope finem mundi. Quæ gentes illæ vi- *Rom. 11 e*
dentur, quæ per legem naturæ, rationalibus hominibus similes sunt, capita verò fidei non habent: quæ de suis sedibus, duabus de causis pulsæ ab angelis; ad medicinã animæ in nostros terminos deducuntur; sicut prædicta
B
herba, propter remedia corporum, non ab homine, sed reflexa stirpe euelli de suis sedibus fertur. Per quam animæ habentes Dei notitiam; & nec appetebant cibos salutis doctrinæ verbi Dei, nec per vim ingestos poterant in sua mente continere; nunc angustijs coartatæ, cùm magno desiderio in tribulatione requirunt cibos quos in delitijs fastidiebant. Altera verò ex causa adducuntur super ingratos: vt dum pro correptione Christianus disciplinam accipit vt se emendet, illæ occasionem salutis per verbi notitiam, ore sacerdotum quos captiuos obtinent, percipere gratulentur. Nam poterat & alia causa immodica esse, quòd scilicet propterea homo per hominem flagellatur, vt in disciplina alter ab altero occasionem accipiat. Istæ ergo mandragoræ, prope finem
C
Mundi; quod est, *in portu: cum plenitudo gentium;* id est, ex omni gente quæ est sub cœlo, quantitas conuersa est ad Dominum, tunc cõfessionis suæ credendo dabunt odorem. *Omnia poma noua & vetera seruaui tibi dilecte mi. Noua,* mihi videntur per baptismum innouatæ animæ diei, *vetera poma*, veræ pœnitentiæ afflictione emendatæ: vtræque in canistro [illegible]lesiæ collectæ intelliguntur seruari; & ideò primùm noua poma, deinde vetera posuit, quæ sunt, siue illi qui in nouitate colliguntur quotidie, & qui in veteri per Ioannem præcursorem collecti sunt. *Quis mihi det te fratrem meũ sugentem vbera matris meæ?* Ostendit bonitatis suæ affectum supradicta anima, & dicit gentium animas per se congregari posse in vitam æternam, & solam remansisse incredulam plebem Iudaicam, matrem secundùm carnem. Optat itaque Verbum Dei se
D
per adunationem à Synagoga lactari, sicut ab Ecclesijs gentium lactatur. *Vt inueniam te solum foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat.* Adsumpta ergo persona Iudaicæ plebis, sæpè dicta beata anima Redemptoris, optat vt eam foris extra literam in mysterio agni, & claudentem Vastatorẽ Ægypti inueniat: & corporis eius sacramentum suo corpori coniũgendum, & sanguinem eius suo sanguini, deosculetur vt prius; & qui eam solebant despectui habere, iam nemo despiciat. *Apprehendam te, & inducam te in domum matris meæ; ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum Malorum meorum granatorum.* Sola est anima; id est, natura humana; quæ Sponsum desiderat apprehendere, & circundatum carne in domum matris Synagogæ introducere, & ibi ab eo do-
E
ceri ea *quæ nec oculus vidit, &c.* De qua circumdatione vel apprehensione prædixerat Hieremias dicens; *Creauit* *Esa. 64 b*
Dominus nouum super terram, & fœmina circumdabit virum. *1. Co. 2 b* *Hier. 31*
Ibi me docebis; *Tollite iugum meum super vos;* & reliqua. Ex vino condito, proculdubiò confessione Trinitatis coæternæ: *Et mustum,* videlicet martyrij. In his igitur ver- *Matth. 11 d*
siculis mihi videntur labores tribulationum prophetari, plebis Iudaicæ illius quæ, sub finem sæculi agnitionem Redemptoris mirabitur; de qua dicit Apostolus: *Læua* *Rom. 9 e. &*
eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læua sub *11 e*
capite ponitur, repulsis aliquantulum impugnationibus quæ persuadendo stimulant animam; Dextera verò illius amplexatur, desiderijs cœlestibus compungendo: Et vocando à malis & ad bona trahendo, læua sub capite

& dextera intelligitur amplexari. Sed quia impatientes
sunt filiæ Ierusalem nimio desiderio, huiusmodi perso-
nam videntes à dæmonum laqueis liberatam in terris; A
ad suum optant consortium peruenire in cœlis, ne iotea
motas aliquid damni patiatur io terris: sed præscios di-
lectus Sermo Patris, qui nouit Mundum obscurari sine
talium luminaribus animarum, tam diù vult eas esse in
hoc Mundo quàm diu tristari in aliquo penitus nō vult,
vt patiatur paululùm post Persecutionum ærumnas re-
quiescere in somno; qui & dixit: *Adiuro vos filiæ Ierusalem,*
ne suscitetis & vigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

Omnia quæ à capite huius Cantici vsq; ad præsentem
locum figuris narrantur, illa intelliguntur quæ ab incar-
natione Domini vsque ad finem conuersionis Gentium
Rom. 11. acta sunt vel aguntur, *quando omnis plenitudo gentium intra-*
uerit: & reliqua: Nunc verò præsenti versiculo, vsque
ad finem Cantici, ea quæ ad diem Iudicij agenda sunt B
ostendūtur; in quibus diebus erit tribulatio qualis nun-
Matth. 24. quam fuit. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens,*
innixa super dilectum meum? Quę requiescit io sopore, eui-
gilans vidit quandam, & totam suam fidem in vnum Re-
demptorem Mundi dilectum suum, ponentem; & de
deserto incredulitatis ascendentem, admirando. *Sub ar-*
bore Malo suscitaui te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est ge-
nitrix tua. Docetur videlicet in his versiculis, quòd plebs
4. Reg. 17. ista quæ ascendit de deserto, decem Tribus io Assyrios
ductæ à rege Salmanasar intelligantur: quam vsque ad
finem mundi reuertentem, reliqua plebs Credentium
non inuidendo sed admirando ait; *quæ est ista?* Nunc se-
quenti versiculo, comperta fide eius eam agnoscit, di-
cens; *Sub arbore malo suscitaui te:* id est; sub potestate dia- C
boli dormientem (is est arbor mortis) sua doctrina vo-
cauit, suo exemplo suscitauit. Nam sicut Christus arbor
vitæ, ita diabolus arbor mortis probatur; qui verè malus
& rebus & nomine docetur sicut Ezechiel dicit: *Pater*
Ezech. 16. *tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea.* Quod nomen Amor-
rhæi, porrigendo potiùs quàm genera[...]o sortitur. Ge-
nitrix verò huius violata à diabolo, intelligitur plebs Iu-
daïca. *Pone me vt signaculum super cor tuum, pone me vt signa-*
culum super brachium tuum. Hoc est; in cogitatione cordis,
& in operibus brachiorum sit semper anima quæ aduer-
sarij nequitias superare desiderat: Sicut lex bellantibus
esse probatur, certum sermonem à duce traditum in se-
creto omnium corde tenere; quod symbolum nuncu-
pant, per quod hostis io conflictu, aut collega agnosci- D
tur; & signum certum in brachio ponere, quod prohi-
bebat gladium commilitonis. In quibus versiculis do-
cetur, frustrà sibi plaudere animam in Dei cultura, si
Deum Christum non crediderit Dei sapientiam, quod
est, signaculum cordis, & Dei virtutem, quod est
brachij inuictum signaculum. Hoc vt credat plebs ista,
sæpe hortatur anima. *Quia fortis vt mors est dilectio, dura*
sicut infernus æmulatio tua. Cuius esset fortitudinis mors
quę inuaserat mundum, perdocuit, cùm eam dilectioni
quæ est inter se & verbum, prædicta comparare nō hor-
Ioan. 16. ruerit. Cuius fortitudo tanta fuit, vt à nullo nisi à solo
Ioan. 14. hoc poterat vinci cuius vox est; *confidite, ego vici mundum.*
Et, *venit enim Princeps huius mūdi & in me nihil inuenit:* Quæ
sola inter omnes animas hoc potuit dicere, & factis pro- E
bare. Hanc autem regulam fidei quisquis Electus egredi
attentauerit, æmulando superbiæ duritia, Inferni dia-
bolo comparatur: qui nunquam, pœnitendo, à sua du-
ritia mollescere potest. Infernus autem, tormentorum
locus est, vt neque precibus neque lacrymis neque in-
teruentione cuiusquam possit ad pietatem molliri; vt,
Esa. 38. d *In inferno autem quis confitebitur tibi?*

Cuius possessor diabolus ita durus effectus est vt ne-
queat à sua duritia molliri: Cui per omnia æquari fortes
vel hæretici omnes, ita vniti ab eo penitus separari non
possint. Nam sicut humilis æmulatio, quæ Christum in
in corde, & Christum io operibus perficiat, sublimat ad
Luc. 14. c regnum; ita superba æmulatio deijcit ad infernum. De
qua dicit; *qui se exaltauerit, humiliabitur.* Magnus itaque

est ille qui seruum se Christi audeat dicere & confiteri,
vt Paulus dicit; *Paulus seruus Iesu Christi.* Siquidem am-
plius se præsumendo putauerit quis, in diaboli collegio Rom. 1. a
vel Simonis Magi deputabitur, qui spiritu plenus dia-
bolico, Christum sibi adsimilare non potuit. *Lampades*
eius, lampades ignis atque flammarum. Viuacitas verbi dei-
tatis & flammarum illuminationis mentium, Spiritus
sancti inluxit de lampade. Adsum pro nomine proce-
dere præsenti docuit loco; & vt ostenderit de vna ea- Iob 41. b
démque luce illuminari iustos, impios autem cremari;
lampades ignis dixit procedere. *Aquæ multæ non potuerūt*
extinguere charitatem, neque flumina obruerunt illam; De qua
Paulus ita prosequitur; *quis nos separabit à charitate Christi?*
hæc charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum: Rom. 8. g Rom. 5. a
nec multitudine insipientium populorum, pro idolola-
triæ defensione, extingui potuit vnquam: de quibus
præceptio, tormentorum inundatione non potuit ex-
tingui, licet quasi de fluminibus inūdauit. *Si dederit homo*
omnem substantiā domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicient
eum. Hic namque dilectionem pro amore posuit in quo
si quis incederet; nec periculum cogitat, nec si dederit
omnem sensum domus suæ sentit: & quātò magis mul-
tas personas curauerit, tantò vilior efficitur & despe-
ctior. Cœlestis dilectionis animæ perfectæ inducitur
amor pręsenti loco: quæ si viri fuerit dilectione inflam-
mata, & toto affectu adhæserit; nunquam meruit ignem,
bestias, & reliqua, pro eius fide & pro eius nomine.
Omnis enim casta anima non multas sed vnam formam
diligit: & ideo nunquam despicitur ab ea sed vsque in
finem diligitur; & non exhaurit substantiam domus suæ
per multas, sed augmentat substantiæ mercimonijs the-
sauros domus mentis suæ: de quibus dicitur; *bonus odor;* 2. Cor. 2.
& reliqua, de qua dicitur, *Vnā petij à Domino*, & reliqua, Psal. 26.
& quam Salomon omnibus diuitijs anteponens accipit. Prou. 8. b.
Nam vt nobis exempla castitatis vel sapientiæ pinge- 19. b. & 17. a
rentur; in diuinis libris, Patriarcharum connubia descri- Genes. 16. a
buntur. Abraham igitur non leuitate tractus sed pro-
pter posteritatem, deprecanti Saræ vt coniugio vteretur
ancillæ suæ; vix legitur præbuisse consensum. Isaac simi-
liter vnam legimus duxisse, de qua dicitur; *suscepit Isaac*
Rebeccam & dilexit eam. Iacob autem, licet de quatuor, Gen. 24. g
suscepit Liberos; vnam tamen dilexit Rachel. Paulus Gen. 29. d
ait: *Et si habuero prophetiam*, & reliqua; *charitatem autem non* 1. Cor. 13. a
habeam, nihil mihi prodest. si pro nomine eius interficiar,
D nihil feci boni operis, Despiciunt eum qui charitatem
non habet pœnarum Angeli in die Iudicij: Nam de hoc
non dubito Apostolum dicere; *Qui totam seruauerit, offen-* Iacob. 2. b
dit autem in vno; & reliqua. Quid autem prodest omnis
obseruatio Legis, hæretico qui ipsum Legislatorem per-
didit blasphemādo: cuius dictio vnica excludit omnes.
Soror nostra parua est, & vbera non habet; quid faciemus sorori
nostræ in die quando alloquenda est? Soror, proculdubiò
plebs ipsa Iudaica sub finem Mundi adducta ad fidem
intelligitur; quam diximus de incredulitatis deserto as-
cendisse, vbi Deus non colitur; innixa super verbum
Dei, delitijs affluens cognita fide indiuiduæ Trinitatis.
Soror, quoniam de semine descendit de quo Christus se- Rom. 9. a
cundum carnem, & Ecclesia secūdum fidem; quæ vnum Ephes. 5. f
E corpus Christi, sicut anima Christi vna persona cum ver-
bo effecta probatur: Et quæ pietatis affectu dicit; *Soror*
nostra parua est, quia in nouissimis diebus ventura est ad
hanc gloriam fraternitatis. Nam quod ait, *vbera nō habet:*
ostendit eam in Mundi fine sapientissimos viros docto-
res non habituram per quos nutriat alias animas, sicut
aliæ gentes; eò quòd infantiæ tempore, necdum ad pu-
bertatem adducta. Dies autē allocutionis plebis huius,
illi mihi videntur quando ab Antichristo vel eius mini-
stris alloquenda est plebs Christiana an eligat negato
Christo sibi inflectere colla an atrocissimæ morti suc-
cumbere. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula ar-*
gentea: si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis. Videtur
mihi in hac plebe, eos intelligi muros qui vnum Deum
omnipotentem cognouerunt, proximi facti Deo Patri:
Illi

Illi verò, qui pto eius nomine parati sunt sanguinem fundere, qui exemplo suo ostium credulitatis præbent; A ingressui ad salutem comparantur. Sed huiusmodi murus, necessaria habet ædificari super se verbo Dei Christo, per notitiam Trinitatis, per baptismi sacramenta, per Spiritum septiformem, propugnacula argentea; in quibus à sæculis, redemptionis nostræ splendor emicat; in quibus tutissimus consistat à diaboli sagittis, rationabilis animæ sensus. Igitur tanta est benignitas Domini nostri, vt quòd ipse per naturam deitatis est, hoc in imagine per virtutem signorum martyres eius efficiantur: id est; vt sicut comparibus virtutibus fulgebant martyres

Ioan. 14. quibus dicitur, *maiora horum facietis*; Ita eorum exempla sequentes, eius similes fiant. Hic magnus artifex Sermo Dei, in Apostolorum electione parat sibi, imputribili materia, tabulatum. *Ego murus:* Vna Ierusalem ciuitásque B Ecclesia, cuius Christus, culmen; cuius Patriarchæ, fundamētum; cuius muri, Prophetæ, cuius portæ, Apostoli; cuius serui, imitatores eorum; cuius filij (hoc est, ciues)

Psal. 147. omnium Credentium multitudo: Cui dicitur, *Lauda Ierusalem Dominum*, & reliqua. *Et vbera mea sicut turris ex tempore quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Quicquid in mysterio præfiguratum est, vel in omnium gentium vel in quorum persona à capite huius Cantici vsque ad præsentem versiculum dictum est, intelligitur esse completum. Hinc verò in his quæ sequuntur, propriæ & singulariter electæ vox inducitur; per quam pax terra effusa est, quæ per fidem tectam in visceribus Christi, intra vrbem inexpugnabilem fortissimo muro vallata consistit. Et huic contra hostem dicit pugnanti, adsumpta anima Redemptoris; *Ego murus* proculdubiò consolationis C

Ioan. 16. g vox est prænunciata quam dixit Apostolis; *confidite, ego vici mundum.* Per quod vetus hominum defensor probatur, docendo, *Ego murus*; & reliqua. Vbera ergo huius, Apostoli; susceptam doctrinam porrigunt paruulis animabus. Sicut turris; Quia sicut per os nutrit, ita per eos defendit Ecclesiæ ciuitatem: qui vt turris, murum; ita doctrinam Christi ornare probantur. Securus ergo in his turribus, diuinæ scientiç armis circumdatus consistit qui in eorū fide immobilis permanet. Nam sicut turris portatur à muro, & intra turres arma posita; ita per fidē à Christo sustentantur Apostoli, & per Apostolos Fidelium turma; in quibus vitæ exempla & rectæ fidei arma sunt collocata: quæ, qui indesinenter tenet, vincit; qui dimiserit vincitur. Et quemadmodum facta est immaculata, ita permansit coram eo: quæ sola inter Deum & D hominem pacem reperit & Mundo tradidit clamantibus Angelis in eius ortu, *Gloria in excelsis Deo*; & reliqua.

Luc. 2. a Et ipse dicit; *Pacem meam do vobis.* Et Paulus dicit; *Qui est*

Ioan. 14. d *pax nostra*: Vtique pacem inuenit celando potestatem, &

Ephes. 2. d monstrando infirmitatem *Vinea fuit pacifico in ea qua habet populos, tradidit eam custodibus; Vir adfert pro fructu eius mille argenteos.* Hæc vinea plebs Israël; cuius caput Ierusalem, in qua erat sedes Salomonis: Qui vinea; id est, populus

Ephes. 2. d habens Dei notitiam; *fuit Pacifico*, per hoc quòd crederet

Ioan. 15. a Prophetis qui Christum prænunciabant venturum, qui est pax nostra; & (vt ipsemet ait) *Ego sum vitis vera.* Nam sicut ciuitas vel murus est, cum defendit ab impugnatione dæmonum; ita vitis est, cùm doctrinæ suæ liquorem credentibus porrigit. De hac ergo vite, est Christo E

Esa. 5. b tota vinea domus Israël, vel omnis humana progenies

Hier. 2. c quæ conuersa fuerit ex amaritudine vitis alienæ & ei inserta esse probatur. Cùm in toto mundo Vitis nomine appellatur populus, totus credentium Christo chorus intelligitur. Huius vineæ agricola Pater, in ostensione Filij sui, tradidit eam custodibus Apostolis eorúmque vicarijs, vt fructus fidei (quos per Trinitatis confessionem profert) non à Volucribus vel bestijs cœli dæmonibus deuorentur. Inter quos custodes, ille *adfert pro fructu eius mille argēteos* qui vir fortissimus est, sicut Paulus

1. Cor. 15. b qui dicit; *Amplius illis omnibus laboraui.* Argentum enim ad splendorem doctrinæ refertur, vel interpretationem diuinæ scripturæ; Mille verò, quia solidus, plenarius & indiuisibilis numerus est, ad fidei confessionem, in qua A vnus integer & perfectus dicitur Deus in tribus personis coæternis, referre possumus. De qua fidei confessione pullulat decies centesimus fructus Apostolicus, *Exod. 20. a* per decem verba præceptorum decalogi seminatus. Sic tamen tradita custodibus, vt ipse præsens vineæ semper, ab eius custodia non recedat, sicut sequitur.

Vinea mea coram me est. Talibus tradita est custodibus, qui digni sunt audire; *Ecce ego vobiscum sum vsque ad con-* *Matth. 28. d* *summationem sæculi. Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.*

Pro vinea excolenda; *Pacificus*, Christus assumptus homo; per doctrinæ, vitæ immaculatæ, & amarissimæ passionis laborem: *mille argenteos*; id est, honorem maiestatis accipit, per quem coniunctus indiuisibiliter per verba Patris comprobatur. De quo Paulus dicit; *Humi-* B *liauit se vsque ad mortem, &c. Vt in nomine Iesu omne genu* *Philip. 2. b* *flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quæ trina genuflexio præfiguratur per millesimum numerum qui & Trinitatis formam & vnius deitatis potentiam dignoscitur designare. (Millesimus enim numerus, qui venit in parte pacificum, per trecētenos & centenos æternos cucurrit, trium reperies personarum.) Vno verò qui superest, qui supplet numerum; vnus Deus monstratus, in Christo Mundum reconcilians. Siue numerus videlicet ducentorum, duplicem coronam designat, quam sint custodes vineæ percepturi: Alteram immaculatè viuendo, alteram rectè docendo: Alteram quam Saluator pro dimissis affectibus & substantijs sæculi, centuplo in præsenti sæculo reddit; alteram quam in vita æterna, in fu- C turo donabit. Redditus ergo iusta merçes vtrisque; plan- *Matth. 19. d* tanti morientíque pro vinea, assumpto homine, paci- *Marc. 10. d* fico, & custodibus vineæ. Illic inter innumeros millena- *Luc. 18. d* rios, diuinitatis gloriam; Apostoli verò eorúmque consimiles, ipsam crucem suscipiunt Redemptoris, Quoniam sicut per Hebræam, Syram, & Græcam linguas, per primam literam, vnum & mille signatur: ita ducenti, per literam decimam (quæ Crucem deformat, & est similis Latinæ literæ X vicesimæ primæ) signantur. In qua quia nouit diuinitas omnes animas collocatas, dicit; *Matth. 16. d* *si quis post me venire voluerit*; id est, in *gloriam* maiestatis; *abneget semetipsum sibi, & tollat crucē suam. Qui habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Omnia quæcūque ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi acta sunt vel aguntur; à capite huius Cantici vsque ad hunc D versiculum, in persona Ecclesiæ in ænigmatibus vel figuris dicta sunt: Nunc verò prope finem Cantici, vsque ad hunc versiculum; in persona Ecclesiæ, ea quæ agenda sunt dum finem acceperit Mundus, exponit Spiritus sanctus. Hæc ergo sponsa; id est, congregatio sanctarum animarum; vocatur ad gloriam resurrectionis: ad quam gloriam, ducatum præstant humilitas, & charitas, & apostolica fides. Significat igitur Spiritus sanctus quòd nouissima Persecutione nihil aliud desiderat à Iudæis Creator, nisi confessionis vocem, qui dicit; *Si quis me* *Marc. 8. d* *confessus fuerit coram hominibus*; & reliqua. Tunc comple- *Luc. 12. b* bitur confessionis vox per turbam Martyrum in omni Mundo. *In hortis*, id est; in conuenticulis Fideliū: quam apparere desiderat agminibus Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, vel Martyrum; quos, amicos præ- E senti loco nominauit. Proculdubiò gaudēt in eius confessione, sicut eius crudelitate fuerunt contristati cum diceret, *crucifige*: nunc autem dulcissimam confessionis vocem eius, ex inimicis amici effecti auscultant. *Fuge di-* *Luc. 23. c* *lecte mi, & adsimilare capreæ hinulóque ceruorum super montes aromatum.* Hæc videlicet Sponsa, prædicta plebs, vocata à Christo ore Doctorum, hanc reddit vocem responsionis suæ qua confitetur se ad hoc de cœlorum montibus descendisse vt prostrato hoste, adsumptam carnem (triumphans) secum ad cœlorum montes leuaret. Aromata autem (vt sæpè dictum est) ex multis odoramenti speciebus in tenuissimum puluerem redactis, conficiuntur: vis medicamenti, & mortuis corporibus (fugat

fœtore) tribuit incorruptionem, vt supradicti montes cœlorum influxisse spiritalem animæ medicinam probantur. Hortamur ergo eum per hęc ænigmata, non deiectis locis vel quibuscumque montibus (sicut retro in alijs locis dictum est) sed super montes aromatum, vnde venerat carnē adsumere, repedare. *Caprea* eum hortatur exemplo comparari; quæ vt vetustissimis locis abscondit paruulos, & sic ad arduos & ad excelsos montes, si fuerit necesse ascendit, & pleno vbere veloci cursu repedare ad fœtus suos festinat; sic & Dominus se promittit facturum, dicendo: *Non relinquam vos orphanos.* Qui vtique per vnitatem Spiritus sancti paternæque virtutis, & prædictos aromatum possidet montes, & de terris ab Ecclesia non recedit: per hoc quod se dicit in Propheta cęlum & terram implere. Hinulo autem ceruorum eum adsimilari precatur, multam eius super peccatores & impios patientiam implorando: non vt cornua potentiæ præferat iudicando, & asperetur blasphemijs impiorum sicut armati cornibus cerui aduersus hostes suos facere consueuerunt; sed per patientiam hinulorum qui exasperati vel comprehensi non tribuunt talionem, fac me audire vocem tuam. Vocat Ecclesiam Christus dicendo; *Venite ad me omnes*; & reliqua, de qua vocatione dicitur, *Fac me audire vocem tuam.* Et hæc vox quam audire desiderat Christus; est, vt sicut eum verum hominem credidit crucifixum quando venit habitare in hortis (id est; in cœtu Fidelium) ita verum eum Deum credat in maiestate paterna, cùm ante tribunal persecutores adducti fuerint ad iudicandum. Dicendo enim; *fuge dilecte mi*; auditam fecit vocem suam quam desiderat Christus audire. Per quod confitetur eum solum in terra, solum inter omnes homines; hominem quidem, sed inenarrabili ordine natum: qui omnino solus sordidam conuersationem hominum fugiens, solus supradictos montes aromatum ascendens, vt cœli terræque dominator efficeretur, sicut dicitur; *Considerabam ad dexteram*; & reliqua: Et non fuit vtique qui eum cognosceret, eò quòd solus homo nouo ordine de intacto vtero inter veteres homines apparuit Mundo. *Perijt fuga* (inquit) quando in manibus impiorum tenetur: nunc autē ad illam potentiam maiestatis vtique caro supradictam Ascensionis fugam migrauit, vbi Cherubim & Sedes, & reliqui, quos Spōsa aromatum montes appellat; vnde iustus vltor criminum veniet in gloria Dei Patris. Diuersarum gētium plebem pro loco vel causa, amicā, Sponsam, sororem, & immaculatam appellat: de quibus, velut vnum corpus quinque sensibus quibus vniuersa opera agnoscuntur, fit; ita in hoc Cantico figurauit quinquies Sponsæ imaginem, mutando personas ex illo: *Sexaginta sunt reginæ*; & reliqua: Vel filiam, & illam vnicam matris suæ, & eam quæ vbera habet. Quas quinque personas, quinque opinor intelligi linguas; Hebræcā, Græcam, Ægyptiā, Latinam, & Syriacam. Postea verò quęcumque sub cœlo sunt aliæ conuersæ ad Christum: his quasi membra corpori inseruntur. Quæ omnes vnum Deum credentes omnipotentem, vnū Redemptorem Christum Dei Filium confitentes, vnum Spiritum sanctum ex vtroque procedentem suscipientes; vnum corpus Ecclesiæ faciunt. De quibus quinque linguis opinor per Esaiam Prophetatum: *Erunt* (inquit) *in die illa*, cùm disruperit Dominus vinculum populi sui quinq; ciuitates erunt in terra Ægypti loquentes linguam Chanaan: Et Ciuitas Solis vocabitur vna. Ægyptus scilicet, *obscuritas* vel *caligo* interpretatur: quod totus Mundus in incarnatione Christi fuisse à Ioanne docetur cùm de eo ait; *Lumen in tenebris lucet*: & reliqua. Chanaan autem, *ardens populus*: de quo dicitur; *Et sedit super singulos eorum velut ignis.* Et de plebe Hebræa Sol iustitiæ Christus ortus; sciens in eius Ascensione ad regnum reuocari vt acceleret perpetuæ lætitiæ dies, in quo, eo facie ad faciem perfruatur.

Ioan.14.c; Psal.103.; Matth.11.d; Matth.25.c; Matth.18.d; Psal.141.; Ibidem.; Matth.16.d; Esa.19.c; Ioan.1.a; Act.2.a

FINIS EPITOMES LVCÆ IN COMMENTARIA APONII IN CANTICA.

VDALRICI REGII SCHOLIA IN ALIQVOT D. LVCÆ ABBATIS LOCOS, EX EIVS SVMMARIOLIS IN CANTICA.



VNAM diuisionem: *Ego puto legendum esse*; duas diuisiones: *est enim numerus ille. lx. impariter par. Sunt qui tres, vt xl.*) *rectè: nam numerus ille. xl. tertiò diuiditur in partes æquas. Vnde & ipse impariter par est. Ibid. lin. Sunt qui septem, vt. lxxx. Arbitror & hoc loco mendam esse, ac legendum,* Sunt qui quatuor, *vt lxxx. Nam is numerus quater admittit æqualium sectionem, vnde & ipse quoque impariter par est. Et hanc meam censuram confirmat quod sequitur linea, diuisiones recipit quatuor. Hæc omnia ex Geometrico numero demonstrari quoque possunt.*

Fol. lin. trium reperies personarum *melius fortè sic:* Triada repræsentat personarum; *vel* Trinitatem repræsentat personarum. *Videtur autem esse sensus: Si quæras, 3. in 1000. per diuisionem, vnámque duntaxat quotientis figuram, habebis pro quotiente 300. & pro residuo 100. Porro per 300. quemadmodum Trinitas in personis, ita per centum significatur nobis vnitas diuinæ Naturæ: Siquidem 300. à ternario, 100. vero ab vnitate ducunt appellationem: Deinde, quia Trinitas pariter & vnitas in deitate est; Deúsque pacis Deus est vt piè philosophatur Apostolus* 1. Cor. 14. & 1. Thess. 5. & 2. Thess. 3. *Millenarius ergo rectè dicitur venire in parte pacificum. Ibidem, linea* Siue numerus: *melius?* Vel numerus.

Fol. lin. Per primam literam vnum & mille. Per א *enim sine puncto, vnum; cum puncto sic,* א *mille significantur.*

Lin. Ita ducenti: *Ego censeo legendum esse*; Ita decem, per literam decimam, & notam quæ Crucem format & est similis Latinæ literæ, *x* vigesimæ primæ: signantur. *Est enim ille character seu nota, x, qua denarius vulgò repræsentatur. Porrò decima litera apud Hebræos est* י *Iod; cuius figura neutiquam similis est vigesimæ primæ literæ Latinorum, X. Signat autem* י *Iod in numeris, decem: ducenta verò per literam* ר *resch significantur.*

S.P.N.

S. P. N. THEOPHILI PATRIARCHAE ANTIOCHENI OPVSCVLA.

Commentariorum siue Allegoriarum in sacra 4. Euangelia; Libri 4.

Eiusdem, contra Christianæ Religionis calumniatores; ad Autolycum, Libri 3.

DE EODEM S. P. NOSTRO THEOPILO; EX EVSEBII ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIB. 4. CAP. 19.

Antiochenæ Ecclesiæ, &c.

Idem Nice. Ecclef. Hist. lib. 3. cap. 25. Alij habent Anatolio: Porro idem quod hic Euseb. Niceph. ait, hist. li. 4. c. 19.

ANTIOCHENÆ *Ecclesiæ cùm post Heronem Cornelius 4. ab Apostolis præfuisset; eo mortuo, Heros, quintus ordine obtinuit Episcopatum, cuius deinde, Theophilus 6. Episcopus designatus fuit.*

Ex eiusdem Libri Cap. 23.

THEOPHILI *verò (quem Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum fuisse supra monstrauimus) tres Libri extant, quos, Regionis elementa & quasi seminaria complectentes, Autolyco dedicauit. Aliud item opusculum edidit cuius inscriptio est, Contra Hermogenis hæresim, in quo testimonijs sumptis ex Apocalypsi Ioannis vtitur. Alij sunt eius libri qui ad primam Christiani in fide Institutionem spectant.*

Ex Guilielmi Archiepiscopi Tyri, Lib. 4. Historiæ Belli Sacri, Cap. 9.

ANTIOCHIÆ *Apostolorum princeps Cathedram obtinuit sacerdotalem, & Pontificali primùm functus est dignitate; viro venerabili Theophilo qui erat in eadem Ciuitate potentiss. in proprio domate, Basilicam dedicante; Cui Lucas eadem ex vrbe origin. trahens, tam Euangelium suum quam Actus Apostolorum scripsit; Qui & B. Petro septimus in ordine Pont. in eadem Ecclesia successit.* †

† Certum est Lucã scripsisse Euangeliũ viuẽtibus adhuc Apostolis, vt S. Augustinus de consensu euangelistarũ, l. 4. c. 8. affirmat Theophilactus & Euthymus præfatione in Lucã aiũt ipsũ scripsisse quintodecimo post Ascensionem Domi. anno. In annalibus Ecclesiasticis tomo I. anno Christi 58. optima coniectura cõsignatur scriptionis euãgelij Lucæ tẽpus anno salutis 58. Porro S. hic Theophilus Antiochenã sedẽ accepit 8 anno imperij Marci Aurelij, vt testis est Eusebius in Chronico, id est anno Christi nati 170. prorogasse autẽ ipsum vitã vsq; ad Cõmodum imperatorem, hoc est ad annum Christi 182. ex libris eius ad Autolycum, in annal. Eccles. apertè deducitur. Quocirca ex ratione tẽporum non fit verisimile Lucam ad hunc Theophilum suũ cõscripsisse Euangeliũ.*

Ex D. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum catalogo.

THEOPHILVS *sextus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus sub Imperatore M. Antonino Vero, Librum contra Marcionem composuit qui vsque hodie extat. Feruntur eius & ad Autolycum 3. Volumina, & contra Hæresim Hermogenis Liber I, & alij breues, elegantésque Tractatus ad Ecclesiæ ædificationem pertinentes. Legi sub eius nomine, in Euangelium & in Prouerbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum superiorum Voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere.* Gustum eius modicum exhibet in Expositione Parabolæ de Villico iniquitatis quam ipse de Commentarijs eius transtulit cùm ad Algasiam de Quæstione eius Parabolæ interrogatus ab ea responderet: Sixtus Sen. Bibliothecæ sanctæ. Lib. 4.

S. P. NOSTRI THEOPHILI PATRIARCHÆ ANTIOCHENI; COMMENTARIORVM, SIVE ALLEGORIARVM, in sacra 4. Euangelia, LIB. I.



QVATVOR Euangelia quatuor animalibus figurata Iesum Christum demonstrant. Mattheus enim Saluatorem nostrum natum passúmque homini comparauit. Marcus Leonis gerens figurã, à solitudine incipit dicens, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*; sanéque regnat inuictus. Ioannes habet similitudinem Aquilæ, quod ab imis alta petiuerit: Ait enim, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum*: Vel quia Christus resurgens volauit ad cœlos. Lucas Vituli speciem gestat; ad cuius instar Saluator noster est immolatus. Vel quod sacerdotij figurat officium *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahã*: quamuis ordine successionis; posterior sit Dauid, ideo tamen prior quàm Abraham in Domini generatione describitur quia princeps fuit generis Christi, & quòd in regno clarus enituit, Abraham vero populorum fuit fideliũ pater: & ob hoc priùs, Dauid filius dicitur Christus. Sciendum est, quoque quòd Matthæus per reges, Lucas autem per sacerdotes ductam Christi originem comprobauit. Et non est mirandum si pauciores secundum Matthæum successiones vsq; ad Christum fuerint, plures verò secundum Lucam; cùm per alias personas generatio deducta sit Iesu Christi: potuit enim fieri vt per eundem temporum cursum, alijs breuior, alijs longior vita prouenerit. *Christi autem generatio sic erat.* Cum Ioseph nõ sit pater Domini Saluatoris; quid pertinet ad Dominum, generationis eius ordo deductus vsque ad Ioseph? Sciendum est primùm non esse consuetudinis Scripturarum vt mulierum generatio describatur: Deinde ex vna Tribu fuisse Ioseph & Mariam; vnde, ex Lege, eam vt propinquam ducere cogebatur in vxorem, Ideóque in Bethleem simul censentur quòd de vna stirpe sint generati. *Cum esset desponsata mater eius Maria*: quare non ex simplici virgine desponsata concipitur Christus; primùm, vt per generationem Ioseph, origo Mariæ monstraretur: Secundò ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: Tertiò vt in Ægyptum fugiens, haberet solatium viri: Quartò vt partus eius falleret diabolum putantem, Iesum de vxorata non de virgine natum. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethleẽ ciuitate Iudæ*; hoc est, in domo panis: Nam Bethleem, domus panis; Iuda verò, confessio interpretatur: Illic natus est Iesus qui dixit; *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* Pannis obuoluitur vt scissam humani corporis vnitatẽ, suo redimeret in corpore. Obtulerunt Magi ei munera: aurũ vt regi, thus vt Deo, Myrrham vt homini ad sepulturam. *Admoniti sunt ne redirent ad Herodem*: quoniam his qui ex gentibus ad Christum veniunt, recursus ad sæculum denegatur. *Tunc misit Herodes & occidit Infantes*; quod legimus Infantes pro Christo occisos esse; significat, incipientes peccare con-

Marc. 1. Ioan. 1. Cur Christus dicitur filius Dauid, deinde Abraham. Matthæi & Lucæ genealogiarũ Christi differẽtia.

Cur Christus ex desponsata sit genitus.

Ioan. 6.

Matth. 2.

1 Cor. 10. Psal. 136. filia sua ad Christum debere cõuertere, de quo scriptum est; *petra autem erat Christus*, Et *Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram*: hoc autem intelligendum est de baptismate dixisse Prophetã. Nam quod ait, *à bimatu & infrà*; Gentilem populum atq; Iudaïcum dicit venturos ad baptismum. *Vox audita est in Rama*: id est, in excelso; scilicet longè latèque dispersus. Ierem. 31. *Rachel plorans filios suos*: Rachel vxor fuit Iacob, hîc pro Ecclesia ponitur quæ esset Martyres habitura. *Et noluit consolari*, æstimans, filios suos mortuos in sempiternum esse victuros. *Quoniam Nazaræus vocabitur*: Isaac Nazaræus. Nazaræi dicuntur ex repromissione nati quorum capita, ferrum non tangebat; vt fuit Isaac, Samuel, Ieremias, Ioannes Baptista, Christus Deus noster; & Sanson qui in figura fuit Saluatoris nostri, homo magnæ virtutis; quia ad instar septiformis Spiritus, septem crines legitur habuisse, in quibus ideò vires gerebat quia *Caput viri Christus est*. Et sicut Sanson, per coniugem amissis crinibus, voluit interire: Ita Christus pro coniuncto sibi genere; id est Iudæis, & deserentibus se Discipulis qui sunt fidei lumina; spõte passionem subijt Crucis: Deinde velut recuperans crines, resumpta maiestate, resurrexit à mortuis; æternam necem, male conuersantibus illaturus, *Vox clamantis in deserto*; id est, in sæculo; eò quòd non habentes fidem Seculares deserunt cultum Dei, Matth. 3. Isa. 40. *parate viam Domini*: id est, animas Credentium in quibus ambulaturus erat Dominus. *Omnis vallis implebitur*; id est, omnis Mundus doctrina Christi replebitur *& omnis collis humiliabitur*; id est, diaboli nequitia contereretur. *Et erunt praua in directa*; scilicet cùm mala reuertuntur in bona. *Cibus Ioannis erant locustæ & mel syluestre*: per locustas, populos agrestes significat; mel autem fructum indicat credulitatis ipsorum quibus prophetantibus, dulcis auditus erat vt fide sua pasceret prædicantem. Siue per Locustas, gentes: per mel autem, significat Iudæos, credulitate sua, fructus Deo dulcissimos offerentes, Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: lapides pro paganis ait propter cordis duritiã, vt in Ezechiel dicitur: Ezech. 11. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. *Ecce securis ad radices arboris posita est*: id est; prædicatio sermonis diuini, ex vtraque parte habens acutum noui ac veteris Testamenti: vnde alibi ait, Psal. 149. *& gladij ancipites in manibus eorum*. Radices verò arbori, spes & curas hominum dixit. *Ille vos baptizabit in spiritu sancto & igni*: hoc ideò ait, siue quia ignis Spiritus sanctus est vt Acta Apostolorum docent; Act. 2. cùm eo descendente, sedit quasi ignis super credentium linguas & impletus est sermo Domini dicentis, *Ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Baptismus ignis in futura vita. siue quia in præsenti vita Spiritu baptizamur; in futura autem, igni, *habens ventilabrum in manu sua*: hoc est; Crucem. *Et purgauit aream suam*; scilicet Mundum vel Ecclesiam suam: *& colligat frumentum in horreum suum*; id est, in Paradisum congregabit Sanctos, Nam per paleas, peccatores significat, Matth. 4. *Statuit Iesum super pinnam Templi*: per templum, hominem significat; vt & Apostolus, 1. Cor. 3 & 6. Matth. 3. *vos estis Templum Dei*; per pinnam templi, nostram indicat sublimitatem de qua Christum descendere diabolus hortabatur dicens; *mitte te deorsum ne offendas ad lapidem pedem tuum*: Lapidem verò, pro homine inuidioso, propter duritiam cordis diabolus dixit vt & supra; *Dic vt lapides isti panes fiant*. *Vade retro Satana*: id est, vade in ignem æternum. Diabolo hæc dixit: Nam beato Petro hoc dixisse; significat, sequere me quia contrarius es voluntati meæ, *Vos estis sal terræ*: sal appellantur Apostoli, quia per illos cõditur vniuersum genus humanum. *Si sal euanuerit, in quo salietur?* Id est; si Doctor errauerit, à quo alio Doctore emendabitur? *Vos estis lux Mundi*: hoc Apostolis dicit qui illuminant Mundum doctrina cœlesti *Non potest ciuitas abscondi super montem posita*. Matth. 5. Ciuitas; à ciuibus dicitur: id est; ab habitatoribus appellatur: Ciuitas, Ecclesia: mons, intelligendus est Christus super quem ædificata est Ecclesia. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio sed super candelabrum*: Lucerna, Verbum Dei est, modium autem, lex, eò quòd in abdito loco fuerit: Candelabrum

A verò, crux Christi, quæ totum Mundum fulgore sui luminis illustrauit. *Non veni legem soluere sed adimplere*; quia dilectio proximi; legis est plenitudo, & causa humanæ dilectionis, Christus corpus humanum sumere dignatus est, Ideòque non soluit Legem sed impleuit Saluator adueniens. *Iota vnum vel vnus apex non præteribit à Lege donec hæc omnia fiant*: Ibidem. per iota, vetus significat Testamentum quo Decalogus continetur: Iota enim pro decem est apud Græcos; Apex autem quatuor literas habens, per Euangelium quadruplex, Testamentum indicat nouum. *Esto consentiens aduersario tuo*: Ibid. hoc est; Legi diuinæ consenti, quam omnis peccator aduersarium putat obuiantem desiderijs suis: & benè es in via; id est, in hac præsenti vita, vel in carne, *ne tradat te Iudici*: B Age igitur quod præcepit lex, ne te dissentientem sibi tradat Iudici scilicet Christo, & Iudex tradat te ministris, id est Angelis; & mittaris in carcerem, id est, in Gehennam. *Et non exeas inde* † *donec reddas nouissimum quadrantem*: † Gehennam qua exitur, Purgatorium appellamus. id est, de omni ocioso sermone rationem omnino persolues. *Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue illum*: dextero oculo & dextera manu; fratrum, vxoris, liberorum, affinium, & propinquorum monstratur affectus: quem si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, supra dictas truncare debemus istiusmodi portiones, ne dum volumus lucere supra cæteros, ipsi pereamus in æternum. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*: Matth. 6. Dextra, & sinistra, mystice quid sit. per sinistram, præsens vita; futura verò, per dexteram declaratur: vel ex dexteræ indicio, significat Christianos colentes Christum se- C dentem ad dexteram Patris; per sinistram verò, hæreticos indicat vel Iudæos. *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram*: id est; nolite habere fiduciam carnis. *Vbi tinea*; id est, auaritia decipit vel libido: *& vbi fures effodiunt*; id est, dæmones sollicitant peccatores. Nam per thesauros, fidem significat; per terram, carnem; per cœlum, spiritum. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus*: Lucernam, oculum; lumen pro Episcopo vel his qui in Ecclesia clari sunt, dixit. Corpus, pro Ecclesia; Tenebras, pro peccatis vel ignorantia posuit. *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit*: Luc. 11. Lippientes oculi solent lucernas videre numerosas; simplex autem oculus & purus, simplicia intuetur & pura. Hoc est ergo quod ait: quomodò totum corpus in tenebris est si oculus ei non fuerit; D ita si anima principalem fulgorem sapientiæ perdiderit, vniuersus sensus in caligine commoratur. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, in tuo autem trabem non consideras?* Matth 7. hoc autem ad eos ait qui malè viuentes audent cum simplicioribus de lege contendere; quorum ab oculis, stipulam coronæ Dominicæ mundare nituntur, & in suo trabem non sentiunt Crucis. *Nolite sanctum panem dare canibus*: per canes significat eos qui post pœnitentiam peccant. *Neque miseritis margaritas ante porcos*; per porcos, illos vult intelligi qui necdum Euangelio crediderunt, & in luto incredulitatis suæ vitijsque versantur: quibus, ait *Margaritas*: id est, mystica Sacramenta fidei non debere committi. *Nunquid colligunt de spinis vuas: aut de tribulis ficus?* Hæreticorum nulli Martyres. In spinis & tribulis hæreses intelligendæ sunt de quibus iustitiæ fructum nemo colligit; id est, E Martyres & hæreticis nemo nouit. *Non potest arbor bona malos fructus facere*; Arbor mala, homo peccator est qui malos fructus facit; hoc est peccata libidinis & auaritiæ: Arbor autem bona homo bonus est placens Deo, faciens fructus bonos. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, similis est viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram*: Petra, Christus est intelligendus; domus, vita hæc præsens innixa Deo; Matth. 7. Luc. 6. Ædificata omnia in Hæresi, corruunt. fulmina & venti impetus persecutionis; arena, hæresis in qua quidquid ædificatum fuerit cadit. *Accessit quidam Centurio*: hic figuram gerit populi Gentilis credentis in Deũ & venientis ad fidem ex omni Orbe terrarum. Sanè quòd ait; *Filius huius regni ibunt in tenebras exteriores*, Iudæos incredulos taxat. *Vulpes foueas habent*: in te scilicet, tanti doli tantæq; sunt fraudes, vt in

vt in tuo corde vulpes videantur feci ſe cubilia, *Et volucres cœli nidos*: id eſt, tantùm ſuperbus es vt volare te æſti- A
mes; cùmque ſit pectus tuum plenum iniquitate & arro-
Matth. 9. gantia, Chriſtus illic ſuccedendi non inuenit locum. *Sine mortui ſepeliant mortuos ſuos*: id eſt; permitte infideles offi-
Ioh. 6. cia præbere naturæ. Tu autem viuificaturus animas meus eſto pediſſequus. *Numquid poſſunt filij Sponſi ieiunare quandiu cum illis eſt Sponſus*? Sponſus, Chriſtus eſt; filij autem Sponſi, nouiſſimi Chriſtiani qui diuina faciendo præcepta minimè ieiunamus adhærentes ei qui dixit, *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi*: quiſquis er-
Matth.9.b go ab eius mandatis fuerit alienus, auferetur ab eo ſponſus; id eſt, Chriſtus; & tunc ieiunabit. *Nemo mittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus*: Indumentum vetus veterem hominem ſignificat; Nouum verò indumētum hominem indicat ſpiritalem qui carnali iunctus maio- B
rem facit ſciſſuram maiúſque peccatum. *Neq; mittunt vinum nouum in vtres veteres*: Vinum nouum, ſacramentum eſt noui Teſtamenti; vtres autem veteres, Iudæi ſunt. Nam vtres noui, nos ſumus Chriſtiani: muſtum bibentes id eſt, doctrinam ſancti Spiritus. *Ecce mulier quæ profluuio ſanguinis laborabat*: per mulierem Emorauſam, Eccleſia ſignificatur ex Gentibus; in cuius imagine, antè iugulati ſunt Machabæi cæterique Prophetæ: Sed veniens Chriſtus iudicio Crucis ſuæ; non in muliebri profluuio fecit ſanguinem Martyrū fundi, ſed in gloria ſua. Veſtimentum autem Saluatoris tetigiſſe mulierem, diuinas ſignificat Scripturas: 12. verò anni, Apoſtolorum numerū monſtrant. *Non eſt mortua puella ſed dormit*: hoc ideò, ait quoniam Deo viuunt omnia. *Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit et tenuit manum puellæ*: Non enim erant digni vt vide- C
rent myſterium reſurgentis, qui reſuſcitantem Dominū indignis contumelijs deridebant. *Et tenuit manum eius, et ſurrexit puella*: Niſi priùs mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ ſanguine plenæ ſunt, Synagoga eorum mor-
Matth.10. tua non reſurget. *Meſſis quidem multa operarij autem pauci*: meſſis; id eſt populus: operarij autem pauci; id eſt, Doctores Eccleſiæ. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*: Lupos, perſecutores; Oues autem, Chriſtianos ait. *Aſtuti eſtote ſicut Serpentes*: Qui in neceſſitate mortis, caput ſuū celant corpus autem ſuum velut minùs neceſſarium negligunt cædi exponentes; Ita & nos caput noſtrum facultatéſque noſtras abijciamus, *Simplices ſicut Columbæ*; Columba, Eccleſia eſt. *Cum autem perſequuntur vos in hac* D
ciuitate, fugite in aliam. Hoc Apoſtolus ait: cum vos in hac congregatione Iudaïca fuerint perſecuti; fugientiū more, celeriter ite ad gentes; hoc eſt, Paganos: &, ſi apud eos perſecutionem prædicatio diuina pertulerit, migrādum eſt rurſus mente non corpore; ad illos ſcilicet, qui
Ioh.10. errantes, viam veritatis affectant, de quibus dicit Ieſus; *& alias Oues habeo quæ non ſunt ex hoc Ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: Tenebras, pro Iudæis; lumen autem, pro Chriſtianis ait;
Ephes. 5. vt dici Apoſtolus, *eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino, ergo vt filij lucis ambulate. Et quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*: Aurem populo ait propter audirum; ſi oculi Principes intelliguntur, eò quòd cæteros illuminent prædicatione diuina: tecta autem, promiſſa diuina ideò dixit quia Credentes remoueri habebant à conuerſatione terrena, & in via cœleſtis diſciplinæ conſtitui. Hic eſt ſenſus, omnia quæcunque à me auditis; populo, publicè ac veluti in ædito, prædicate. *Nonne duo paſ-*
Psal.123.b *ſeres aſſe veneunt*? Spiritum animámque ſignificat, vt ſcriptum eſt; *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*: Aſſis autem, denarius fidei eſt ad quam religionis ſtudio conuenimus. *Et vnus ex eis non cadet ſuper terram*. Super terram, verè hominem ſignificat qui ſine voluntate Patris cœleſtis nec animam nec ſpiritum ſumit. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*. Quod caput noſtrum Chriſtus eſt; Capilli eius, Sancti ſunt intelligendi quos Chriſtus numerare dignatur: Non ergo hic capilis
Matth.6.6. noſtris ſignificat comā quæ in noſtra vel in Tonſoris eſt

poteſtate. *Non egent ſani medico ſed malè habentes*: Infirmitas Mundi viſitata eſt aduentu Saluatoris Domini; omnes enim peccauerant & egebant gloria Dei: Aduentu verò eius nullū iuſtum inuenit ſed omnes reos & qui freneticа rabie mediū occiderūt, qui infirmitates noſtras & labores noſtros portauit & crucifixus eſt pro nobis vt de ſanguine ſuo fieret medicamētum quo ſanaretur omnis ægrotus, *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*. Matth.13.
Theſaurus abſconditus in agro gratia eſt in mundo miſſa, dicente Domino; *Ager autem hic Mundus*. Ideò autem ait theſaurum abſconditum, quia non omnibus datur. *Margarita precioſa*, eſt Trinitas ſancta quæ diuidi nō poteſt nam in vnitate conſiſtit. *Rete miſſum in mare*; eſt prædicatio data ſeculo. Capti ſunt piſces; id eſt, conuenerunt ad Eccleſiam boni & mali; ſed mali ruperunt retia, ſchiſmata facientes; & multi infideles exierunt de congregatione Catholica. *Seceſſit inde in Nauicula*: Nauis eſt Eccleſia; quia Eccleſia ſimilis Naui.
vt illa de tabulis, ſic & iſta de animabus eſt compoſita fidelibus: vela extendit orando, anchoram fidei figit in Matth.14.
cœlo, habet arborem crucis, funes Charitatis extendit, & remigia ſanctæ operationis habere cognoſcitur. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, &c. manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt*. De quinque panibus; hoc eſt de doctrina Penthateuci: & duobus piſcibus: hoc eſt, duobus Teſtamentis, Vetere & Nouo; quinque millia hominum ſaturata ſignificant quòd quinque ſenſibus perfecti ſunt: id eſt, videndi, odorandi, guſtandi, & palpandi, & ipſi de ſiniſtra ad dexteram tranſeunt. *Vel*; De Marc. 6.
ſeptem panibus (id eſt doctrina Spiritus ſeptiformis) & paucis piſcibus; id eſt, Apoſtolis; quatuor millia hominum ſaturata ſignificant quòd in quatuor cardines Mūdi verbum Dei cucurrerit, vt legimus: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*: per ſeptem etiam ſportas, ſeptem Eccleſias dicit quas in Apocalypſi legimus, quæ vnitatis gratia continentur. *Et ambulabat Ieſus ſuper Mare*: ideò Ieſus ambulabat ſuper Psalm.68.
Mare, quia venientem in hunc Mundum *non demerſit tēpeſtas aquæ neque abſorbuit Profundum, nec coarctauit ſuper eum puteus os ſuum*. Et quia venit Princeps huius mundi, & in eo nihil inuenit ſuum. Denique ſupra Mare ambulabat, Matth. 14.d
quia nullo pōdere peccati grauabatur: Petrus verò ſupra 2.Pet.2.b
petram fundatus, in quo figurabatur Eccleſia in qua bo- Matth. 18.
ni & mali ſunt iuncti, mergebatur: ſed Domini eſt dextera ſubleuatus, quia *nouit Dominus pios de tentatione eripere. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eū & proijce* abs te. Oculus ſcandalizat: cuius ſacerdos, tantùm dictor eſt & non factor, dicēte Domino Apoſtolis: *vos eſtis lux mūdi*. Et quid eſt, *erue eum abs te*; niſi quòd cùm aliquis ſacerdotum de Catholico dogmate in aliquam hæreſim declinauerit, abijciendus eſt ne cum illo plebs in gehennam mittatur? per manum autem, amicum; per pedem verò, ſeruum ancillámque ſignificat. *Ouis erratica*, anima eſt quæ habens pabulum ſpiritale, ſine paſtore in peccatis errabat; quam Angelis Dominus ſociauit. *Erunt primi no-* Matth.19.
uiſſimi, & nouiſſimi primi: Ex gentibus ſcilicet Chriſtiani: Gen. 25.c
& primi nouiſſimi; id eſt, Iudæi: Vt legimus, *maior ſeruiet* Rom. 3. c.
minori. Deus cæcos illuminauit; Iudæos atque Gentiles: *Omnes* Matth. 22.a
enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Hi iuxta viam errant E
quia in Chriſtum necdum crediderunt, qui eſt via veritas ac vita. *Simile eſt regnum Cælorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo*: Dominus Ieſus venit hîc ad nuptias vt animā noſtram ſpiritui maritaret; quorum copula ſpiritali filios procreamus, Charitatem ſcilicet, pacem, gaudium, ſpem, bonitatem, manſuetudinem, cōtinentiam. *Cui au-* Matth. 11.e
tem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſe- 1.Cor.14.d
dentibus in foro & clamantibus. Duo genera puerorum ſunt alij ſenſu, alij malicia tales ſunt, vt legimus; *nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote vt perfecti ſitis ſenſibus*. Forum autem, Ieruſalem ſignificat in qua diuinæ Legis Iuſtitia tractabatur: In quo foro olim dicun- Ioh 21.
tur fuiſſe Prophetæ, poſtea Apoſtoli carētes malitia quibus ait Ieſus; *Pueri numquid pulmentarium habetis? Cantauimus vobis & non ſaltaſtis*: id eſt, Aduentum & gloriam

Domini prædicauimus, & credere noluistis, Saltare enim, lætati est. *Lamentauimus & non planxistis:* excidium scilicet Ierusalem, & dispersionem populi, nec tamen pœnitentiam egistis. (Math. 11. a)

Abijt Iesus Sabbato per segetes Ager est omnis Mundus iste; Agri segetes, fœcunditas numerosa Sanctorum: Spicæ agri, fructus Ecclesiæ, quos discutientes Apostoli, operibus suis pascebantur. Confricantes autem manibus suis spicas, Apostolos manducasse ob hoc ait Euangelista, vt paleas & aristas (id est, peccata) à Credentibus, Baptismate separarent. Dies verò Sabbati, aduentum indicat Saluatoris: 5. enim libri Mosis, quinque dies computantur, & omniũ Prophetarũ dicta, liber vnus sextúsque dies accipit, vnde Sabbatum septimo ponitur loco. (Math. 12. a) *Inuenit Iesus hominẽ habentẽ manũ aridã*, id est, fructuosam: cui, dicendo, *Extende manũ tuã*, significat, eũ non auarum debere esse sed largũ. (Math. 12. b) *Arundinẽ quassatã non cõfringet, & lignũ fumigans non extinguet*: Qui peccatori nõ porrigit manũ nec portat onus fratris, iste quassatã arundinẽ cõfringit; & qui modicã scintillã fidei contẽnit in paruulis, hic lignum extinguit fumigans, quorum vtrumq; non fecit Christus, ad hoc enim venerat vt saluũ faceret quod perierat. (Math. 12. c) *Quomodo potest intrare quis in domum fortis & vasa eius diripere nisi prius alligauerit fortẽ?* fortis erat præterito tẽpore Sathanas qui omne genus hominũ in hoc Mundo velut vasa propria possidebat: Sed veniẽs fortior eo Filius Dei, victo illo, passione sua eruit nos è potestate ipsius; & fecit nos vasa sua, dãs nobis Spiritũ sanctũ. Hunc autẽ habemus thesaurũ (vt ait Apostolus) in vasis fictilibus: ergo corpora, vasa dixit. *Quicunq; dixerit verbũ, contra Filiũ hominis, remittetur ei: qui autẽ dixerit contra Spiritũ sanctũ, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro:* Sciendum est quia filius hominis cuiuslibet, quæ carnis sunt, sapit: Cui si cõtradicitur, iustitia est ante peccatũ, Nam Iesus Christus Dominus noster, humilitatis studiosè filiũ hominis dicebat, cùm esset & per Patrẽ Deus & per matrẽ homo (Rom. 8. Gal. 3.) quãuis omnes facientes iustitiã (sicut ait Apostolus) *Filij Dei vocemur & simus*. Propterea ergo negat contra Spiritum sanctũ emissum verbũ posse dimitti, quia Deus spiritus est, & spiritalis est lex diuina. Ergo sicut quẽcumq; filiũ hominis humana meditantẽ impunè contẽnimus, ita dicenti agentique spiritalia, vt filiũ Dei nõ resalutare perpetuus est reatus nisi pœnitentiæ remedia consequantur. Nam peccator conuersus ad Deum, & delictis suis terminũ ponens; desinit esse peccator vt ait Ezechiel. (Ezech. 18.) *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die errauerit; & iniquitas iniqui non disperdet eum quocũque conuersus fuerit.* Denique Paulus persequens Ecclesiã Dei, spiritale peccatum gerebat, sed misericordiã est cõsecutus à Domino, quia ignorans fecerat in incredulitate sua. (Math. 12. d) *Regina Austri surget in iudicio*; sicut regina Saba venit ad Salomonẽ, ita Ecclesia cum multitudine Credentiũ, ab omni orbe terrarum venit ad Christũ: de hac Ecclesia, Dauid ait. (Math. 13. d Psalm. 44.) *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate. Simile est regnũ Dei grano sinapis:* granũ sinapis missum in agrum, seipsum Saluator ostendit qui missus est in hunc Mundum à Patre, de cœlis: quod minimũ granum minus est quidẽ omnibus seminibus, scilicet quòd ipse deposito honore cœlesti, humilior sit factus omnibus hominibus vt ait Apostolus; (Philip. 2.) *qui cum in forma Dei esset* (inquit) *non rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsũ exinaniuit formã serui accipiens*. Ergo propter cõtumelias quas ipse pertulit nostri causa humiliorẽ se omnibus demonstrauit: sed postquã creuit Christus, scilicet vel in cruce vel resurgens, recepta iam potestate, maior omnibus hominibus vt sanctus Paulus ait: *propter hoc* (inquit) *exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Arborem autem fieri, ita vt volucres cœli habitent in ramis eius, Ecclesiam quæ post passionem & resurrectionem Domini nata est, ostendit: cuius ramos esse Apostolos, constat, ad superna tendentes. Volucres autem cœli habitantes in ramis, homines significat spiritales qui in Apostolorum catbolica doctrina requiescunt: qui ideò volucres appellantur quoniã sanctæ conuersationis studio volare videntur ad cœlum, à terrenis operibus recedentes. Tum & vt ait Apostolus; *& nos qui viuimus simul rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic cum Domino erimus*. (1. Cor. 15.) Siue propterea Regnũ Dei, grano sinapis adæquatur; quia ita difficilia in deuotis præcepta diuina, sicut vehemens est ac molestum sinapi illud sumentibus. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*: Ager hic, Mundus est; thesaurus, Christus est qui triduana latuit passione: Vnde vendendum est nobis omne quod habemus in hoc sæculo, vt vitam mereamur æternam. (Math. 13.) *Accepit Iesus quinque panibus & duobus piscibus*: Per quinque panes, Pẽthateucum significat, id est, quinque libros Mosis: per duos pisces, duo Testamenta; vetus & nouum; quibus Dominus genus humanũ pascit. (Math. 14.) *Vespere autem facto solus erat ibi: Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus:* Mare significat seculum; Nauis, Ecclesiam, ventus, Diabolum, quarta vigilia Euangelia designat, quæ adueniẽs in fine sæculi nobis detulit Christus. Turbatum autem Petrum visa tempestate diabolicæ auræ, Passionem indicat Christi cùm penè subuersa est fides negantis Apostoli. *Et rogabant eum vt vel fimbriã vestimenti eius tangerent*: Vestimentum Saluatoris, lex est diuina in qua sunt plura mandata, sicut in vestimento multæ suor fimbriæ: quarum vnã siquis contigerit (id est, de multis, vel vnum præceptum Saluatoris faciens) remedium percipit salutare. (Marc. 6.) *Ecce mulier Cananæa de finibus illis veniens:* hæc mulier, Gentilis populi habebat figuram qui rogabat Dominum vt congregatio eius ab erroribus Idololatriæ mutaretur: At Iesus dissimulabat, vt fides mulieris omnibus fieret manifesta. (Math. 15.) *Et Apostoli dixerunt, quid clamas post nos?* significantes, post Resurrectionẽ Domini, Gentilẽ populum crediturum. *Respondit Iesus, non se missum esse nisi ad oues perditas domus Israël*: id est, ad populum Iudæum saluandum, si tamen credere voluissent. *Non licet* (inquit) *accipere panem filiorum, & mittere canibus*: Panem corpus suum dixit; Canes autẽ Gentiles homines velut indignos gratia diuina. *At illa respondens ait, vtique Domine*: id est, verum dicis. *Sed & catuli edunt de micis mensæ dominorũ suorũ*: per catulos ostendit omnes gentes venturas ad fidem Dei, & esuras ex micis: id est, ex Prophetarum Apostolorũq; doctrinis: quas de mẽsa cadere, est de cõgregatione populi Iudaïci separari ad resurrectionẽ generi humano præbendã: Mensa enim, congregatio populi est intelligenda. *Vade ad Mare et mitte hamũ, & eũ piscẽ qui primus ascenderit tolle*, Hoc tributo, Passio Domini designatur; quia homo abstrahendus erat à sæculo, habens in ore suo staterẽ: id est, didragma, 4. continẽs dragmas, quibus intelligenda sunt, 4. Euangelia: quorum proditio, testimonia fidei demonstrabat, vnde debitum (id est; peccatum) generis humani possit absolui, quia passione Christi, liberandi eramus à debitis peccatorum. (Math. 17.) *Nonne hic est filius Ioseph fabri?* Filium fabri, vel ab obtrectatoribus se Iesus voluit appellari quia ipse Conditor Mundi Deus in principio fecit cœlum & terram: Et quia terrena nos docent quæ sunt cœlestia, quasi bonus animæ faber, spiritalia vitia nostra circumdolat; citò etiam securim admouens arboribus infœcundis, secare doctus exigua, sublimia seruare culminibus; rigida mentium, spiritus igne mollire, & in varios vsus, omne humanum genus diuersa ministeriorum qualitate formare.

Herodes enim tenuit Ioannem & alligauit eum, caputque eius in disco ad mensam sibi fecit afferri: Discus, nouissimam seculi partem significat, futurum enim erat nouissimis tẽporibus, vt puella (id est, Ecclesia) acciperet caput Christi, quod obtulit matri, scilicet Synagogæ: ergo passionem Christi significabat Ioannis passio. (Math. 18. e) *Non dico tibi septies, sed & vsque septuagesies septies*: id est, 490. vicibus, vt totiens ille peccanti dimitteret in die quotiens ille peccare non posset: siue quia hic numerus ita veniæ conuenit vt pœnæ. Nam de Lamech ita septuagies septies vindicatũ est, sicut & posteri imitatoresque maliciæ eius

Iudæi,

Iudæi, 70. anno (Esdra ducente) de Babylone redire captiui. *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei, 10. talenta*: Per seruũ debitorẽ summæ prædictæ, vniuersos homines significat generaliter, qui transgresso Decalogo debitores Deo sumus & nobis Dominus dimisit debita peccatorum per gratiam baptismatis, siue per pœnitentiã. Ita ergo & nos cæteris debitoribus nostris indulgere debemus, ne affectibus sensuum nostrorũ amissis cogamur debita nostra soluere. *Iesus ascendit in mõtem*: id est; maiestatẽ Patris. Et vultus eius immutatus est: id est; maiore sui luminis claritate, ne discipuli de ipso adhuc dubitarent. Nam dixerat sancto Petro: *Modicæ fidei quarè dubitasti*: Per vestem ipsius splendidam, adsumptionem sanctorum futuram inducit: per tria verò tabernacula; triduanam habitationem passionis ostendit, siue Trinitatis figuram. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*: per diuitem, populum significat Iudæorum, qui cum diuitijs egressus est de Ægypto, & de quo legitur, *diuites eguerunt & esurierunt*, per camelum autem; Gentilem populum dicit, nihil habentem rectum, gerentémque sarcinam peccatorum, ac per foramen acus intrantẽ; id est, per arctam viam incedentem, quæ ducit ad regnum cœlorum: nam & Iudas de precio perditionis diues fuit, sed vitam æternam non meruit, *Simile est regnum cælorum homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suã*. Paterfamilias, Christus est qui operarios conducit & qui credentes colligit vt mercedem suæ sanctitatis accipiant; Vinea verò, obedientia legis est; denarius autem, vita æterna. Primæ horæ operarij, virgines sunt qui se laborem corporis & calorem primæ ætatis tolerasse dixerunt, per cætera autem ætatis augmenta, incontinentes accipiendi sunt. Vespere accepisse mercedem, aduentum Christi significat. Siue, primæ horæ operarius est Adam, Tertiæ, Noë, Sextæ, Abrahã, Isaac, Iacob, & cæteri Patriarchę; Vndecimæ, Apostoli, & omnes Christiani fideles: quibus vniuersis, remuneratio æqualis est data; id est, denarius habens figuram Domini æternam vitam Credentibus dantis. *Homo quidam habuit duos filios, & accedens ad primum dixit; Fili, vade operare in vineam meam: At ille respondens ait; volo*: per duos filios, duos populos dicit, Iudaïcum atque Gẽtilem: quorum prior, Gentilis est intelligendus negasse paternis parere præceptis, & tamen fecisse: posterior autem promisit se facturum quod insserat (vt puta Iudæi) & promissa minimè compleuit: Vinea verò, lex est accipienda, ad cuius præcepta omnes homines inuitantur. *Homo erat pater familias qui plantauit vineam, & sepè circumdedit eam*: id est; Deus omnipotens plantauit domum Israël: turrem verò, legem dicit; lacum, Templum: Coloni autem, Iudæi sunt; Sepis, fides est: Seruos occisos, Prophetas; Alios posteà missos, Apostolos dicit, ex quibus vnum decollauerunt, Ioannem. Nouissimè Filium suum misit; scilicet Christum, quem occidisse noscuntur. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: Tempore persecutionis reddendum Cæsari præcipit corpus, in quod solummodo potestatem habet; Deo autem dicit debere reddi constantiam spiritus & animæ, *De septem fratribus vnã vxorem habentibus*. 7. fratres, libri veteris Testamenti intelligendi sunt: Vxor eorum significat synagogam cum qua Patriarchæ conuenientes dederunt semen fidei Christianæ; sed illa non concepit. *Exurget regnum super regnum*: id est; aduersus regnum Christi Catholicum, audebit Diabolus, hæreses concitare. *Erunt terræ motus & fames*: significat, homines verbi diuini famem passuros; qui timore Diaboli, ad hæreses confugient. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*: per Iudæam terram sanctam, significat hominem castum confugere debere ad Apostolorum doctrinam. *Et qui in agro est*; in Ecclesia: *non reuertatur tollere vestimentum suum*; hoc est, veterem hominem derelinquat. *Va autem prægnantibus*: hîc significantur qui in corde cõcipiunt aliquod opus sanctum, & perficere illud causa auariciæ dissimulant; eo autem neglecto, voti sui veluti prægnantes existunt: Lactentes autem sunt, qui diuina præcepta negligenter docent aut sapiũt vt paruuli, quibus non solidus cibus sed lac necessarium est. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato*: id est; ne refrigescente charitate, ad Gentilitatem reuertaris: aut Iudaïsmo consentiens, ex præcepto Antichristi Sabbatum colas: siue hic sensus est, ne propter asperitatem temporis, frigus fidei patiamini, aut in Sabbati ocio, deuotionis timorem minime seruare possitis vel certè persecutores euadere non valeatis. *De die illa autem vel hora, nemo scit*: diem & horam Deus se tantùm scire, nõ hominẽ voluit, & ideò nec Filium dixit scire, vt improbitatem humanam in Iudicij diuini curiosa inquisitione confunderet, cùm filium hominis hoc nescire dixisset: cæterùm Filius Dei, qui Deus ex Deo est, hoc ignorare non poterat, quippe dixit; *Omnia Patris mea sunt*: Si ergo natura Patris in filio erat, scientiæ natura degenerare non poterat; ergo diuinitas vna Patris & Filij, diem & horam nouerat quam creauit; nõ poterat autem nosse humana fragilitas quod vtiliter ignorabat: *Tunc erunt duo in agro, Vnus assumetur & alter relinquetur*. In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam, vt ait sanctus Paulus: *Ego plantaui, Appollo rigauit, Deus incrementum dedit. Duo in lecto*: in lecto esse, Monachos significat qui amant quietem, alieni à tumultu generis humani & Domino seruientes, inter quos, sunt boni: & mali per molam, mundum indicat & eos qui mundanis actibus conteruntur: nam sicut mola duobus lapidibus constat, ita alter populus inuisus Deo, alter Catholicæ Ecclesiæ Orbem in terris complent, & horum aliqui Deo complacent, aliqui artibus sæculi ita vtuntur vt inde nequeant liberari, cùm alij sic ibi sint (ait Apostolus) *vt qui vtuntur hoc Mundo, tanquam non vtantur. De decem virginibus*, interpretatio hæc est: quinque esse corporis sensus, scilicet videndi, audiendi, odorandi, gustandi, & tangendi: qui propter abstinentiam illicitarum rerum & propter integritatem fidei in vtroque sensu continent, Virgines appellantur vt ait Apostolus, *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*: & quia Virginitatis deuotionisque ipsius corruptor est Diabobolus, adiecit Apostolus; *timeo autem ne sicut Serpens Euam seduxit versutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur à Charitate quæ est in Christo*. Lampades autem, opera bona dixit, sicut Saluator discipulis suis, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*: in Lumbis accinctis, est intelligenda virginitas, In lucerna verò ardenti, opera bona. Quinque igitur sapiẽtes Virgines nolunt videre quod malum est, ab illicitis sacrificiorum cibis ora subtrahunt, complexum detestantur alienum, auditum suum à detrahente conuertunt; odorem diuinæ charitatis inquirunt frangendo panem esurienti, hospitem in domum suam introducendo, vestientes nudos, concordantes litigiosos, visitantes ægrotos, sepelientes mortuos: hoc agentes, & virgines & sapientes Virgines comprobantur: Negligentes verò, & bona prædicta non facientes, stultas esse non dubium est. Et sapientes lampades habent lucentes oleo in vasis allato, quod est, charitatẽ consciẽtiæ suæ in Proximos, habere probatum: Nam sicut oleum omni liquori supernatat & eminet, ita charitas præcellit omnibus rebus & laudibus. *Tardante autẽ sponso, obdormierũt omnes*, scilicet fatuæ: Nam prudentes nisi perseuerassent in vigilijs vsque in finem, non introissent regiam Sponsi: *Ecce media nocte clamor factus est*: Noctem pro ignorantia posuit, ac si diceret; cùm nescirent: Ipse enim ait, *Non est vestrum scire tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*. De hoc clamore etiam dicit Apostolus, *in nictu oculi, in nouissima tuba, & mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur. Dum eunt emere*: id est, dum quærunt aliorum fauorem & adulationem suffragia & non operari optant *cœperunt aptare Lampades suas*: id est, in Resurrectione à mortuis, cœperunt operum suorum Deo reddere rationem, quia tunc nemo venalis est nec quisquam alteri plus quàm sibi consulit. *Ite ad vendentes et emite vobis*: hoc responsum dedere, irridentes non consulentes,

Ibidem. Matth. 17. d. Matth. 19. Matth. 17. d. Psalm. 33. Matth. 20. a. Matt. 21. e. Ibidem. Matth. 22. Matth. 24. Voti sui prægnantes. 1. Cor. 3. Matth. 24. Ioh. 16. b. 1. Cor. 3. 1. Cor. 7. Matth. 25. 2. Cor. 11. Luc. 12. e. Act. 1. 1. Cor. 15.

vt irent ad adulatores & emerent sibi oleum; id est, laudem famamque probitatis. *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis:* ne ad arrogantiam nobis accidat si vobis diuinorum præbeamus munerum portionem. *Pulsantes dixerunt Domine Domine aperi nobis*, dictum quidem à Domino, *pulsate & aperietur vobis*; sed in hac præsenti vita, quando misericordiæ non iudicij tempus est. *Et vni dedit quinque talenta:* id est, Penthateucum; quem accipiens fidelis Seruus, Decalogi præcepta compleuit. *Alij dedit duo talenta:* hoc est, duo Testamenta, Vetus & nouū; de quibus fidelis Seruus, Euágelia virtutum opere coæquauit. *Alij dedit vnum talentum*: vnam sententiam; *quod tibi non vis fieri, alij ne feceris:* quam sententiam, nequam Seruus, non exequendo; id est, alijs non præbendo; celasse & obruisse comprobatur, velut si quis lucernam sub modio, tenebris per liuorem abscondat: *Venite dies Pascha*: Pascha, Domini passio est vel transitus; triduum, Ecclesia est; per patrem familias, Domini Patrem significat, per domum eius, Ierusalem cœlestem debemus intelligere vbi cum sanctis est conuiuium habiturus Christus Dominus noster. *Inuenietis pullum asinæ:* per asinam, figurate intelligenda est Synagoga; per pullum asinæ, lasciuum populum Gentilem indomitumque significat ad quē duos ex Discipulis misit, Petrum in circumcisionem, Paulum in gentes. *Tunc imposuerunt vestimenta super illum, & Iesum super sedere fecerunt.* Id est; Vestis Apostolica, Scripturarū est expositio diuinarum; & nisi cœlesti doctrina instructa fuerit anima, sessorem habere Deum, non meretur: Vel; *adduxerunt asinam & pullum eius:* id est; Gentilem populum qui & præsepe Domini sui ignorauit; hoc scilicet de quo cibaria sumimus: *Ramos de arboribus abscindētes:* peccata sunt, quæ in nobis virebant; Arbores enim, homines sunt: vel ramos de arboribus cædere, & viam sternere; est peccata sua Domino confiteri, quo facilius in corde credentium Christus Dæmonum victor incederet. *Hoc est enim corpus meum*: Corpus suum, panem dicens de multorum granorum adunatione congestum; populum hunc quem assumpsit indicat adunatum. *Hic est calix sanguinis mei*: Sanguinem suum, vinum appellans be botris atque acinis plurimis expressum & in vnum coactum, Item cōgregationem nostram significat commixtione adunatæ multitudinis copulatam. *Pater si fieri potest, transeat*: vel; *transfer à me calicem istum*: fragilitatem in se Dominus præfigurabat humanam, qui sine labore patiendi liberari se cupiebat à corporis nexu. Ob hoc, Calicem, pro passione ait: Nam vinum, sanguis interpretatur; & calix, corpus agnoscitur: Sicut enim vino, calix; ita sanguine plenum est corpus humanum. *Et percussit Petrus seruum Principis sacerdotum & amputauit eius auriculam dexteram*; Is autem cui ablata est, Malchus dicebatur: id est; rex quōdam populi Iudæorum, seruus factus est impietatis Iudaïcæ, qui ideò perdidit dexteræ auris auditum, quia totam liberè ciuitatem audire consueuerat per fenestram: sed & Dominus, his qui ex Iudæis credere volunt reddit aurem dexteram, & facit eos ex seruis genus electum: *Velum templi scissum*: significabat populum ad videnda Sacramentorum Mysteria conuersum ad Deum ex gentibus quas credidisse noscitur; Ideò enim Christus passus est maledictionem, vt nos à maledictionibus liberaret, Illud ipse passus est, vt nos ab illusione dæmonum qui in hoc mundo versantur, auferet: *Spineam in capite coronā accepit*; vt sententiam capitalem quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur, eriperet. *Aceto potatus est*; vt acredinem qua sanguis noster efferbuerat, in se susciperet, & ipse liberaret à passionis calice qui nostris passionibus debebatur. *Expoliatus est* vt nuditatem Parētum nostrorum, ob quam (Serpentis consilio factā) doluerāt niueo vestimentorum tegmine mirabiliter operiret. In ligno suspensus est, vt ligni præuaricationem ligno suæ tolleret passionis: Mortem quoque ad se venire permisit, vt eam aduersum se colluctantem dimicantémque prosterneret: & quæ per serpentem, regnum inuenerat; cum ipso serpente postea fieret captiua per Christum.

Matth. 7. — Matth. 25. — Math. 26. — Matth. 21. — Præsepe Christi de quo cibaria eius sumimus — Matth. 26. — Matth. 27.

Cur Latroni saluator ait; *hodie mecum eris in Paradiso*; cum vtique illius, secūdùm hominem, corpus in terra, anima apud inferos fuerit? Sciendū est quod hanc promissionē secūdùm affectum diuinæ potestatis impleuit, quia vbique Deus esse credendus est; & vbi est Deus, illic & vita atque amœnitas æterna. Quomodò die tertio resurrexit Christus à mortuis? Sciendum est quòd prior fuit nox, die; nam tenebræ erant super aquas antequam à Domino fieret lux: & cùm primo die azimorum facto vespere, Christus à Iuda sit traditus; primus, Parasceuæ passionis Dominicæ intelligendus est dies; secundus, Sabbati; Tertius, is qui à resurrectione Domini Dominicus appellatur & primus est Sabbati. Sanè enim quòd legimus in Matthæo; *Vespere Sabbati venisse Mariam ad sepulchrum:* Vesperam ait pro eo quòd est, serò vel tardè: Nam subijciendo, *quæ lucescit in prima Sabbati*, non dubium est, Dominici diei significasse diluculum. Siue hoc magis intelligēdum est, quòd hora sexta Parasceuæ qua dimisit spiritum factæ sunt tenebræ quæ pro nocte sunt accipiendæ: quibus finitis reddita est lux Mundo, quæ prima accipienda est dies Dominicæ passionis, secunda verò, sequēs nox diésque Sabbati: Tertia, ipsum mane post Sabbatum, id est, diluculo cùm surrexit Dominus noster. *Noli me tangere*: id est, noli me corporali tactu, sed fide pulsare. *Nondum enim ascendi ad Patrem:* hoc est, nondum in te ascendi quæ viuentem cum mortuis quæris, & ideo ad Discipulos mittitur, quorum credere disceret exemplo, Amen.

Luc. 23. f — Latro quomodò in Paradiso. — Matth. 28. — Nox prior fuit die. Gen. 1. — Dies dominicus.

S. P. NOSTRI THEOPHILI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, COMMENTARIORUM SIUE *Allegoriarum in Euangelium secundum Marcum.*

LIBER II.



ECCE *mitto Angelum meum ante faciem tuam:* Per Angelum, hîc hominem Ioannem Scriptura significat; sicut & in Genesi ait: *Videntes Angeli Dei filias hominum quòd speciosæ essent, sumpserunt sibi vxores:* Angelos enim istos Dei intelligimus homines sanctos lapsos in peccatum. *Vox clamantis in Deserto:* significat Ioannem clamasse Iudæis; nam Desertum, dicit terram Iudæam à sancto Spiritu derelictam. *Erat autem Ioannes ipse indutus pilis cameli:* per habitum eius & cibum, gentes significat tortuosas, Cameli similitudinem habentes, venturas ad Baptismum: & per Locustas Iudæos qui non militantes Deo, sine Rege sunt vt Locustæ: per mel autem siluestre, rusticos dicit; qui, credentes, dulces facti sunt Deo. *Et erat in Deserto 40. diebus & 40. noctibus.* Hoc propter eos dictum est qui imaginario corpore dicunt eum fuisse, & phantasma; vel propter eos qui hominem eum tantùm fuisse putant, nam 40. diebus & 40. noctibus ieiunare non potuisset. *Et cùm venisset Iesus in domum Petri, inuenit socrum eius febricitantem.* Socrus Petri, Synagoga est; filiáque eius Ecclesia, quam regendam Petrus Apostolus accepit: Febris ergo, est iniquitas clandestina: à qua infirmitate; id est, à perfidia Iudæorum ipsos euasisse probamus Apostolos & velut resuscitatos gentibus ministrasse cibos ac potus salutis æternæ. *Tunc ierunt ad eum portantes Paralyticum in lecto, qui à quatuor portabatur:* à corpore scilicet; quod corpus viuentis ex quatuor substantijs constat, humore, flatu sanguine, & carne. Nudatum verò tectum, confessionem significat peccatorum: Nam grabatum, hominem ipsum oppressum onere delictorum debemus accipere; cui ideò dimittuntur peccata, vt ablata languoris iniuria, purificata anima corpus suum baiulans pergeret ad propriam domum; hoc est, ad Legis diuinæ custodienda præcepta. *Hi sunt qui supra terram bonam seminati sunt, qui audiūt verbū Dei & faciunt vnū tricesimū*; quod ad coniuges pertinet:

Marc. 1. — Gen. 6. a — Marc. 1. Luc. 4. — Petrus Ecclesiā regendam accepit. — Marc. 2. — Sic Clemens in tropologica sua descriptione Ecclesiæ ad Iacobum fratrem Domini. — Matth. 28. — In Epistola Mar. 4.

Aliud sexagesimum, hoc ad viduas respiciens dicit: *Aliud centesimum*, Virginibus fructus iste conuenit. *Et facta est procella magna venti.* Figuratè, procella venti, insidias diaboli significat: Nauis verò, Ecclesiam; Mare, sæculum; fluctus maris, humores: & Saluatorem dormisse dixit Euangelista, vt hominem demonstraret quem excitatum Discipuli Deum approbant dicendo eum imperasse vento & mari. *Et facta est tranquillitas magna:* id est, serenitas. *Et exeunte de naui obuiauit ei homo de monumentis, habens spiritum immundum:* Monumenta, sunt mortuorum: id est, infidelium loca; vt legimus, *dimitte mortuos vt sepeliant mortuos suos:* quorum habitator habebat dæmonium Legionem; hoc est, plura peccata, quæ scilicet quoniam dæmonum stimulis cõmittuntur, tanta sunt quanti eorũ auctores: *Nec quisquam poterat ligare eũ cathenis:* Reuera qui amicus est sæculi, diuinæ Charitatis vincula disrupit: *Et lapidibus se concidebat:* Concidebat imaginem illam ad quam plasmatus erat, pro Deo lapides adorando. *Deprecabantur* (inquit) *Iesum Christum, dicentes; mitte nos in porcos:* id est; in homines luxuriosos & sordidos & porcorum more viuentes de quibus dicit alibi; *nec miseritis Margaritas ante porcos. Et mulier quædam erat in profluuio sanguinis, annis duodecim.* Cùm iret Dominus ad filiam Archisynagogi saluandam; id est, populo Iudaïco medicaturus: hemorroyssa mulier; hoc est, Gentilis populus sanguinem idolis fundens; tacta fimbria vestimenti, id est, totius legis minimum præceptum exequens (scilicet, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*) vel certè perseuerantiam fidei habens, sanata est. *Egressus Iesus vidit turbam multam, & misertus est eius.* Cùm videret Dominus fame verbi diuini populum laborare, misertus est eius; scilicet vt ostenderet ad hoc se venisse vt spiritalem escam omnibus credentibus daret. Et quia necdum fuerat passus, *ait discipulis suis, date vos illis manducare:* hoc est, prædicate illis Filium Dei, quia *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem* erant. Diem autem declinantem, quia in fine Mundi sumpto corpore Iesus in sæculum venit: locum verò desertum Iudaïcum populum dicit, qui ob incredulitatem suam desertus est à Spiritu sancto, vt ait Dominus. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quinque panes, quinque libri Mosis intelligendi sunt: Duo pisces, duo Testamenta sunt: quod autem iussit populum discumbere & cessare super fœnum, corpora nostra significat, Esaïa dicente, omnis caro sicut fœnum. Duodecim cophinos autem superesse, manifestum est duodecim Apostolos plenos Spiritu sancto significari, quorum doctrina post escam legis quotidie satiamur. *Homo quidam erat diues*, Christus est intelligendus: *Is abijt in regionem longinquam*, nihil enim est longius quam terra à cœlo: *Hic venit accipere regnum*, humani generis, *Et reuersus, vocauit seruos suos, & dedit illis decem minas, & ait ad illos, negotiamini dum venio: Ciues autem eius oderant eum*, Iudæi scilicet: *Venit ergo primus dicens, domine mna tua acquisiuit decem minas*, hoc est præceptum tuum seruans, acquisiuit verba decalogi: *Et ait illi Dominus, Euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem Ciuitates*, id est, decem animas, quibus more Angelorum homo ille præponitur, quicunque in pecunia, id est, in prædicatione diuina Domino suo perseuerans ac fidelis extiterit. *Et secundus venit dicens Domine mna tua acquisiuit quinque mnas*, id est, mandatum tuum custodiens adeptus sum spiritaliter Penthateuci scientiam ad 5. corporis sensuum perfectionem. *Et huic dixit*, & tu esto super quinque ciuitates, id est animas, eo quod pecuniam Domini & eloquia casta quasi argentum probatum, mentibus hominum fœnerasti. Denique celanti diuinam doctrinam velut lucernam sub modio ait Dominus, *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam nummularijs & ego veniens cum vsuris vtique exegissem eam?* Vnde sciendum est quia spiritualis pecuniæ, id est, prædicationis diuinæ vsura, exercitium est boni operis. Sæcularis autem pecuniæ vsura, peccatum est. *Et statim apertæ sunt aures eius, & soluta est lingua eius.* Sciendum est quod Christus non solùm spiritualia, sed & carnalia miracula faciebat, præbendo lumen cæcis, surdis auditum, mutis loquelam: Apostoli autem spiritalia miracula faciebant, prædicando scilicet vt monitis ipsorum conuersi homines & verba veritatis audirent, & viderent diuina mysteria, ac Deo placita loquerentur. *De 3. mortuis à Christo resuscitatis.* Tres mortui à Saluatore resuscitati, tria genera peccantium indicant; Nam per filiam Archisynagogi intra domesticos parietes resuscitatam, eos scriptura Euangelica demonstrat qui in cordibus suis cùm adhuc meditantur delinquere, inspiratione diuina reuocantur à peccato mortis æternæ: Per iuuenem autem defunctum, quem elatum de domo, sed necdum sepultum Dominus suscitauit, intelligendi sunt qui prauum aliquid mox vt publica actione commiserint, diuina reuerentia compuncti peccare desistunt: Per Lazarum verò quatriduanum ac fœtentem, eos scriptura declarat quos consuetudo peccandi facit horribiles, eosque Saluator obiurgans & fremens spiritu, id est, minis terroribúsque pœnarum à necessitatibus eripit delictorum.

Matth. 8. Luc. 9. Marc. 5. Luc. 8. Marc. 5. Matth. 7. Ioh. 1. Matth. 23. Isa. 40. Luc. 19. Prędicatorũ præmium. Marc. 7. A B 3. Mortui à Christo suscitati mystice quid sint.

S. P. NOSTRI THEOPHILI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, COMMENTARIORUM *siue Allegoriarum in Euangelium secundum Marcum.*

LIBER 3.

C VINUM *& siceram non bibit*, vinum propter luxuriam, Siceram vero propter dulcedinem & voluptatem, quæ sicera est succus dactili. *Potens est Deus de lapidibus*, istis suscitare filios Abrahæ: Lapides pro Iudæis posuit, pro cordis duritia, De quibus suscitauit Apostolos: vel quia de gentibus martyres extiterunt. *Iam securis ad radices arborum posita est:* securem pro cruce ait, cui similis est per manubrium: Nam arbores pro martyribus ait. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio:* Lucerna Christus est, siue lex diuina illuminãs cor nostrum: Modium, pro seculo ait: Candelabrum, auctoritas veritatis est, vnde oportet nos mandata Christi non celare sed palam prodere, vt luceant opera nostra omnibus qui in domo sunt, id est, in Ecclesia. *Iesus ascendit in montem*, id est, in maiestatem Patris, *& vultus eius immutatus est*, scilicet D maiore sui luminis claritate, ne de ipso adhuc discipuli dubitarent, Nã dixerat sancto Petro, modicæ fidei quare dubitasti? per vestem verò ipsius splendidam, Assumptionem Sanctorum futuram indicat: *per 3. enim tabernacula*, triduanam tumuli habitationem ostẽdit, siue Trinitatis figuram. *Quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ sunt.* Cum dicat saluator Tyrum & Sydonem pœnitentiam agere potuisse si in eis diuinarum apparuissent signa virtutum, non ea propter illic facta non sunt, quia salutem fuissent credentibus allatura, sed quia Dominus ac Saluator pro diuina dispẽsatione non venerat, nisi ad oues quæ perierãt domus Israël. Et quid est quod non venerat nisi ad oues quæ perierant domus Israël? Quia inter reliquas vsquequaque nationes speE cialiter Israël vnum Deum coluit, atque, vt ita dixerim, peculiaris illius populus fuit ob merita Abrahæ, Dauidis, & cæterorum Patriarcharum, quibus Christus proprie repromissus est; atque ex eorum stirpe descendens inde ipsam carnem in qua terris apparuit, assumpsit: sed tamen quia virtutes postea & in gentibus factæ sunt, ita hoc testimonium intelligi potest vt vbi dicit; *non veni nisi ad oues*, subaudiatur illic, *prius*; & ita hoc testimonio, veritas & misericordia Dei in vniuersos prompta clareat magis: *Ecce efferebatur mortuus filius vnicus matris suæ quæ erat vidua, & multa turba Ciuitatis sequebatur eam:* per Ciuitatem, intelligendus est Mundus, per filium vnicum mortuum, exterior homo (id est, corpus) accipiẽdus est; cuius matrem, animam; patrem verò

Luc. 1. Luc. 3. Luc. 8. Marc. 9. Marc. 14. Luc. 7.

Spiritum credimus Dei, à quo anima in hominem afflata est quæ corpus humanum & vnicum filium ab infan- (A) tia instituit ac nutriuit: quam animam ideò matrem viduam debemus accipere; quia cùm in Adam accepta lege extitit præuaricatrix, recedens ab ea Spiritus Dei, viduam illam reliquerat, & ob hoc vnicum filium suum (id est, Adæ corpus mortuum peccato) amisit. Quam, ideò ait quòd multa turba sequeretur Ciuitatis; quoniam multi ex hoc Mundo sequuntur Adam: Fletus autem Matris viduæ, pœnitentiæ fuit indicium. Huic Dominus ideò ait, *noli flere*, quia restituere illi filium disponebat: & quod funus eius contigit Dominus, congressurum se cum morte in assumpto corpore indicabat. Ille autem iuuenis, quòd resurgens sedit ac loquebatur, Adam resuscitandum, & animæ (hoc est, matri suæ) reddendum designabat. *Homo quidam descendit ab Ierusalem in Ierico*: Ierusalem, interpretatur *visio pacis*; Ierico, sæculum; homo quidam, Adam: Incidit in latrones, id est, in diaboli voluntates quæ illum expoliauerunt, hoc est, abstulerunt ei indumentum immortalitatis, & ingesserunt ei peccatorum plagas. Hunc semiuiuum neglexit Sacerdos atque Leuita, id est, Aaron, & Helias, vel Moses qui vulnera illius non lauerunt; id est, peccata gentium non curauerunt. Samaritanus autem, Christus intelligendus est qui vulnera nostra curauit, *oleum infundens*; id est sanguinem suum & Chrisma largitus est: Impositum iumēto perduxit ad stabulum; id est, assumptum hominem ad Ecclesiam duxit; nam stabularij Episcopi sunt. Quòd autem dixit; *reuertens reddam tibi*; in futuro Aduentu mercedem medicinæ ac prædicationis suæ daturum se pollicetur Episcopis. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus, possessio attulit*: Luxuriosum hominem significat plenum peccatis, quem cupientem amplius delinquere per illecebras vitiorum, Dominus alloquitur dicens, *stulte hac nocte*, scilicet quāto plus peccas & latere te æstimas, *anima tua a te auferetur*, id est, carnis erit socia, qua stimulante peccata moliris. *Ignem veni mittere in terram*, id est, Spiritum sanctum carnalibus dare. *Erunt quinque in domo vna diuisi*, tres in duobus & duo in tribus, matrem, patrem, filium, filiā, nurum: hos quinque persecutio separabit dum alij Christo, alij vniuntur seculo, nec non cum venerit Antichristus, legem veteris Testamenti scriptam in duabus tabulis, prædicabit: Helias autem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum annuntiabit. Tunc Sancti confessuri sunt Trinitatem: impij verò, Diaboli sequentur doctrinam. Ita diuiduntur duo à tribus, & tres à duobus: *Et inimici hominis domestici eius*, inimici veritatis, erunt etiam domestici hominis, cum vel pater filium, vel filius patrem doctrinæ diabolicæ consentire fuerit adhortatus dicens, Caue ne occidaris, consentias ei qui dixit, hæc omnia mea sunt, & cui volo, do illa: *Quis ex vobis volens turrem ædificare, non prius sedens computat sumptus si habet quæ opus sunt*? per turrem, vitam nostram significat, quam ex omnibus mandatis Christi debemus ædificare, & trabe Crucis Christi consignare operis cœpti finem, id est, perseuerantiam fidei, ne forte aliqui imperfectum opus nostrum derideant. *Homo quidam fecit cœnam magnam*, per Cœnam, Aduentum Saluatoris nostri Scriptura significat, quod omnes gratiam spiritualem cōuiuio Domini sumpturi eramus, & ideo cœnam ait, quia sub vesperā seculi Christus aduenit, *Qui misit seruos suos*, id est, Apostolos, vt vocarēt Iudæos ad conuiuium Domini iam pridem inuitatos per Prophetas: illi autem nollentes Christo credere, *excusauerunt se*, per sollicitudinem sæculi præsentia diligentes, & futura contemnentes, ad cœnam Dominicæ passionis venire contempserunt per mille excusationes. Qui per quinque iuga boum se excusauerunt, illi intelliguntur qui de lege Penthateuci recedere noluerunt vt ad cœnam, id est, ad Christi perfectionem venirent, Euangelium suscipiendo: Illi autem qui per vxorem ductam se excusant, sunt qui à libidine corporis detinentur & ad Christum venire non merentur, licet per legem sint vocati. *Deinde mittuntur sui*, id est, Apostoli ad exitus viarum vt quia Iudæi indignos iudicauerunt non recipiēdo Aduentum Domini, & conuiuium sancti Sacramenti spreuerunt: *Conuocarent luscos*, id est, sacrilegiis suis Deum non videntes: *claudos*, id est, qui per viam veritatis minimè ambulabant: *Mendicos*, id est, pane vitæ æternæ egentes: pro his vocatis & venire nolentibus, Apostoli venerant ad conuiuium Domini: *ex his vnus qui non habuit tunicam nuptialem*, id est, bonam conscientiam, vt Iudas Iscariothes, in exteriores tenebras proiectus est: vel generaliter hoc debemus accipere, quia quisquis crediderit ex gentibus, nisi fideliter mysterium Baptismatis fuerit consecutus, peccatorum tenebras non potest euitare, quia nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. *Simile est regnum cœlorum fermento quod accepit mulier*: per mulieris figuram, propter filiorum procreationem Ecclesiam significat, sicut alibi scriptura, virginem ponit eam propter integritatem: *Hac accepit fermentum*, id est, doctrinam Christi: Sata tria, significant Trinitatem, & abscondit illud in farina, hoc est, populo tradidit numeroso, quia permixtione vniuersitas multiplicata est Christiana. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit illi iunior, Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*: hîc autem Adam & Christus est intelligendus: Nam per Patrem, patrimonium Paradisi scriptura significat, quem accipiens Adā, per inobedientiam perdidit: *Abiit in longinquam regionē*, id est, in sæculum, vbi *fames est facta*, diuini scilicet verbi, *& cupiebat se de siliquis saturari quas porci manducabant*, id est, sæcularium cibis vti delectabatur: quod autem penitus ad patrem reuersus est, significat gentes quæ Adæ figurā habent cogituras creatorem suū. *Stolam primam*, vitam scilicet quam diabolus ademerat, per Christum recepit, *& annulum*, inquit, *in manu eius*, fidem dicit quam amiserat: per calciamenta verò, vestigia munita intelliguntur quibus diaboli non timeat lapsum, vt ait Apostolus, calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, per vitulum occisum, Christum pro Adam, scilicet pro gentibus significat passum: Senior frater, Iudæus est: Cui pater ait: *tu mecum semper es, & omnia mea, tua sunt*: à quo de regressione fratris, hac framea longinqua probatur, repellitur inuidia. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum*: Hanc cōparationem saluator villico iustitiæ, id est, Episcopis dedit, vt quomodo domino suo fraudem fecit vt haberet vnde postea viueret, ita Episcopi non omnia peccata vlcisci debeant, sed locum pœnitentiæ reseruare eos conueniat, cùm præsertim ipse Dominus dixerit, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur à via sua & viuat. Ideò autem laudauit Dominus Iesus fraudatorem Domini sui, vt eius sequentes exemplum non omnia debita exigamus. Et occurrerunt ei decem viri leprosi: per decem viros leprosos mundatos vnumque gratias agentem, Iudæos arguit Iesus, quia cum omnes eos à diuersis languoribus liberasset, ingrati eius fuere virtutibus, solúsque Naaman gentilis ab Eliseo purgatus gratias egit Deo. *Iudex quidam erat in Ciuitate*, hoc est, Pilatus erat in sæculo, *nec Deum timens, nec hominem reuerens*: Christum scilicet dicit, qui Deus erat & homo. *vidua quadam*, id est Synagoga, *cœpit ad illum dicere, vindica me de aduersario meo*, hoc est de Christo: & Pilatus nolebat multo tempore, dicens, quid enim mali fecit? *post hæc autē dixit intra se, etsi Deum nō timeo, neq; hominē reuereor*, id est, Christū qui vtrúque erat, *tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illā*, scilicet Synagogam: significat ergo congregationem Iudæorum insolentem fuisse Pilato, cum clamaret, non hunc dimittas sed Barrabam, ille autem lotis manibus dixit, innocens sum à sanguine iusti huius, vos videritis: & dimisit illis Barrabam, Iesum verò flagellis cæsum tradidit eis vt crucifigeretur: *Zacheus statura pusillus erat*, scilicet quia necdum habuerat fidem quem adeptus est in arborem ascendens, id est, credens in eum qui crucifigendus erat: *Ecce dimidium bonorum meorū domine do pauperibus, & si cui aliquid fraudis feci, reddo quadruplū.*

Non

Marginalia (left): Luc. 10. — Chrisma. — Episcopi sunt hominum stabularij. — Merces prædicationis. — Luc. 14.

Marginalia (right): Matth. 22. — Ioh. 3. — Luc. 13. — Luc. 15. — Luc. 16. Episcoporum indulgentia. — Luc. 18. — Luc. 19.

Non est hoc cõtrarium ei quod alibi dicit Iesus, dimitte omnia tua & sequere me, quia dimidium bonorum A suorum daturum se pauperibus pollicetur, & dimidium his quos frandatus fuerat, impartiturum. *Homo quidam erat pater familias, qui plantauit vineam & sepem circumdedit ei, & fodit torcular in ea:* Matt. 21. per patrem familias, Deum patrẽ significat plantantem vineam, scilicet populum Israel: Sepe circumdantem, Prophetarum prædicationibus munientem: fodientem torcular, patientiam voluntatis & deuotionis perseuerantiam: vbi per lignum crucis & lapidem angularem affluere faciant spiritalis dulcedinis fontem *& ædificauit Turrem*, gloriam suam & altitudinem diuinæ legis ad quam Euangelij prædicatione conscenditur: *& locauit vineam agricolis*, id est, Doctoribus legis ac Sacerdotibus qui interfectis seruis ac Prophetis exigentibus ab eis fructum iustitiæ fideique, per B quos credere debuerant in aduentu filij Dei quem peremerunt, putantes negato eo se hæreditatem patris posse lucrari. *Qui habet, dabitur illi*: verbi gratia, si fidem habens, charitatem non habet, etiam cadet à fide quam se habere credebat. Quomodo Saluator secundum hominem euectus est ad cœlum, aut quomodo cœlũ permittitur Sanctis, cum dicat, *nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filium hominis qui est in cœlo?* Aut quomodo in cœlo erat, cum adhuc esset in terra? Sciendũ est quod secundum carnem in terra erat, secundum Deitatem in Cœlo non deerat: ideo & ipse ascendit qui descendit, quia licet homo factus sit, non tamen Deus esse destitit: idem est ergo homo & Deus, id est. Christus vna persona est: & vtique cum ille sit caput, sancti autem sint mẽbra eius, necesse est vt sequantur membra eius quò ca- C put præcessit, vt sit in cœlo Christi corporis plenitudo. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, hoc de filio propriè intelligendum est, in quo est plenitudo diuinitatis: nam homines secundùm mensuram accipiunt gratiam Spiritus sancti. *Arborem fici quidam habuit plãtatam in vinea sua:* Luc. 13. apta Synagogæ arboris istius cõparatio est: quia sicut illa arbor folijs redundans affluentibus, spem possessoris sui, cassa speratorum prouentuum expectatione destituit, ita etiam in Synagoga, Doctores eius operibus infœcundi, diuinis verbis tantum velut folijs redundãtibus gloriantur. Inania verba legis exuberant, spes autem falsi expectata prouentus, populi vota credentis illudit. *Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata.* In muliere infirma, est figura D Ecclesiæ, quæ cum mensuram legis in qua est Decalogus, & Resurrectionem Christi, in qua octo beatitudines sunt, impleuerit. Tunc Sabbato, id est, quiete perpetua perfruetur & in sublime erecta fastigium, inclinationem nostræ infirmitatis sentire non poterit: ideo autem curata est hæc mulier, id est, populus Christianus, quia & legem impleuit, & percepit gratiam in lauachro, per quod morimur sæculo, & resurgimus Christo. Nam in decem verbis legis perfectio est, in octauo numero Resurrectionis est plenitudo. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam nouum in regno Patris mei*: per germen vitis, populum significat Iudæorum, quem negat se esse assumpturum, nisi in regno Patris sui, hoc est, nisi in fide ipsius crediderint: & ap- E pellatione patris se asserit filium, quia pater non dicitur, nisi habens filium: per regnum autem, fidem indicat, vt Luc. 16. alibi ait, Regnum meum inter vos est. *Diues qui habebat villicum siue dispensatorem*, Deus omnipotens est, quod nihil ditius: huius dispensator erat Paulus, qui ad pedes Gamalielis sacras literas discens, legem Dei susceperat dispensandam: hic cum cœpisset credentes in Christum persequi & omnem domini sui dissipare substantiam, Act. 9. dictum est ei: Saule, Saule quid me persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare! Dixitque in corde suo: quid faciam? magister fui, & cogor esse discipulus Ananiæ, villicus, & operarius in gentibus: fodere non valeo, omnia enim mandata legis conspicio destructa, & legem ac Prophetas vsque ad Ioannem Baptistam esse finitos: mendicare erubesco, vt scilicet qui doctor A fueram Iudæorum, cogar ad gentes per Ananiam discipulum, veritatis & fidei mendicare doctrinam: faciam ergo quod mihi vtile esse cognosco, vt cum proiectus fuero de villicatione mea recipiant me Christiani in domos suas: cœpit eos qui prius versabantur in lege, & sic in Christum crediderant, vt arbitrarentur se in lege iustificandos, docere legem abolitam, Prophetas transisse, & quæ antea fuerant pro lucro in stercora deputari: vocauit itaque duos de plurimis debitoribus: primus qui debebat centum batos olei, eos videlicet significat qui fuerant ex gentibus congregandi & Dei misericordia indigebant: ac de centenario numero qui perfectus est, fecit eos scribere quinquagenarium numerum conuenientem pœnitentibus, iuxta Iubilæum, & illam in Euangelio parabolam, in qua alteri quinquaginta dena- B rij remittuntur. Luc. 7. Secundum autem vocauit populum Iudæorum, qui pabulo mandatorum Dei vnitus erat, & debebat ei centenarium numerum, quem coëgit, vt de eo faceret octoginta, id est, crederet in Domini Resurrectionem, quę octauæ diei numero continetur, & octo decadibus completur, vt de sabbato transiret ad primam sabbati: Ob hanc causam à domino collaudatur, quod bene fecerit, & pro salute sua in Euangelij clemẽtiam, de legis auctoritate mutatus sit. Ideo autem vocatur villicus iniquitatis, quia licet bene offerebat, non bene tamen diuidebat, credens quidem in patrem, sed filium persequens: habens Deum omnipotentem, sed Sanctum Spiritum negans: prudentior itaque fuit Paulus Apostolus in transgressione legis, filijs quondam lu- C cis, qui in legis obseruatione versati, Christum qui Dei Patris est verum lumen, perdiderunt. *Qui fidelis est in minimo*, id est, in carnalibus, *& in multis fidelis erit*, hoc est in spiritalibus: qui autem in paruo iniquus est, vt non det fratribus ad vtendum quod à Deo pro omnibus est creatum, iste in spiritali pecunia diuidenda iniquus erit: Si autem (inquit) carnales diuitias quę labuntur non bene dispensetis veras æternasque diuitias cœlestis doctrinæ quis credet vobis? & si in his quæ aliena sunt (alienum est autem à nobis, quod sæculi est) infideles fuistis, ea quæ vestra sunt & propriè homini deputata, quis credet vobis? vnde corripit auaritiam, dicens, eum qui amat pecuniam, Deum amare non posse: Sciendum est autem hanc comparationem saluatorem nostrum Episcopis posuisse. D

Luc. 16. De Episcopis, temporalia male administrantibus quod sperandum.

S. P. NOSTRI THEOPHILI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, COMMENTARIORUM *siue Allegoriarum in Euangelium secundum Ioannem.*

LIBER IIII.



IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: Ioh. 1. Principium est Deus, Verbum filius Dei Christus de quo paterna vox dicit in Psalmo, Eructauit cor meum Verbum bonum, id est, Christum per quem omnia facta sunt: *et sine ipso factum est nihil*, 1. Cor. 8. E id est, idolũ, quod vt ait Apostolus Paulus, scimus quia nihil est in mundo. *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea:* Ioh. 2. hoc ideo ait, quia Christus, & Deus erat de Deo natus, faciens miracula: & homo erat per matrem, humana tractando: ergo nunc, quia mysterium operaturus erat, aquam in vinum mutando, nihil se commune dicit habere cum matre, id est, nihil humani, sed diuini operis ait se esse facturum: Nam per nuptias, cõiunctionem Christi & Ecclesiæ, hoc est veteris & noui Testamenti traditionem debemus accipere: per septem autẽ hydrias Lapideas, septem Ecclesias super petram fundatas, aqua plenas, id est, Baptismatis gratia repletas: quod autem dicit scriptura, *capientes metretas binas vel ternas*, binæ eos significant, qui matrimonijs coniũguntur;

quod vero ternas dicit, eos demonstrat qui Trinitatis virtute spiritales effecti sunt, Arcbitrichinus autẽ, Moyses: & nouus sponsus, Christus est intelligendus: aquas in vinum conuersas, significat fideles Baptismate cruorem passionis appetere. Ioh. 4. *Respondit mulier, & dixit, non habeo virum:* hæc mulier Samaritana erat, quam per quinque viros, quinque libros Mosis dominus habuisse significat: Ioh. 5. *Est autem Hierosolymis natatoria piscina, quinque porticus habens:* per quinque porticus, quinque libros Mosis significat, quibus populus Israel continebatur: nam per aquam, populus Iudaicus est intelligendus, qui aduenıente Domino nostro ita turbatus est eius vidẽdo miracula, sicut aqua per Angelum mouebatur: Ideo autem ad motum aquæ vnus curabatur, quia vnica est Ecclesia: Iacob. 4. ob hoc etiam scriptum est quod, *non nisi descendisset, sanabatur,* quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat B gratiam: quod vero eum triginta octo annos in infirmitate iacuisse scriptura commemorat, sciendum est quadragenarium numerum, plenitudinem conferre Iustitiæ: Ieiunium 40. dierum. Nam quadraginta diebus ac noctibus Moses & Helias & Christus ieiunasse noscuntur, quoniam ab vno qui Deus est vsque ad quatuor multiplicatio facit decem, quot sunt præcepta Decalogi: qui denarius numerus veteris Testamenti per Euangelium, quadragenarium numerum facit: ad quem implendum qui duo mãdata deerant infirmãri, scilicet, diliges dominum Deum Exod. 20. tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum tanquam teipsum: Venit ad ægrum Iesus qui erat Deus & homo, vtriusque dilectionis auctor atque collator, & sanauit eum, dicens: *Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam:* C & quid est ferre grabatum, nisi quod voluntatem carnis nostræ in qua iacebamus, quasi in lecto comprimere debeamus, & cum fuerimus saluati diuinitùs, ferre nitamur vt carne nostra potiores probemur? Nam quod ait, *vade in domum tuam,* hoc præcepit vt faciamus diuina mandata per quæ ad æternam domum peruenire possimus, Ioh. 7. *Et nemo misit manum in eum quia nondum venerat hora eius:* hæc hora non secundum Mathematicos intelligẽda est, sed potius hora illa qua ipse crucifigi & pati voluit: Inde ait: *nondum venerat hora eius,* quia nondum vniuersa propositæ operationis impleuerat Mysteria, propter quæ carnem dignatus erat sumere: Ioh. 9. *Et præteriens vidit hominem Cæcum à natiuitate sua:* per cæcum naturaliter non videntem & illuminatum, significat humanum genus originali peccato detentum. *Mittitur in Syloa,* id est, D in Baptismatis fonte, à gentilitatis sacrilegio detentus, liberatur: Lutum vero factum de saliua oris domini, ac positum super oculos cæci, significat hic quod naturæ deerat, opere suo implere figulum: vt illuminationem nostram auctori imputemus potius quam naturæ. Ioh. 11. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania:* per Lazarum, humanum genus ostenditur, quod ante Aduentum Christi in sæculi noctibus dormiebat: Institis autem cõstrictus, significat peccatis proprijs obuolutum. *Martha vero & Maria,* Ecclesiæ fides & opera intelliguntur, rogantea Christum vt Lazarum, id est, humanum genus viuificet: Lapis autem reuolutus à monumento, significat infidelitatis duritiam ab hominum corde submotam: per quartum diem resurrectionis eiusdem, quatuor Euangeliorum demonstrat figuram, quorum prædicatio duri- E tiam à nobis aufert cordis, quod autem lachrymatus est Iesus, vel propter perfidiam Iudæorum, vel vt se hominem demonstraret, fleuit. Luc. 16. Item aliter de alio Lazaro Lucæ inquirendum est, quomodo in parabola Lazari diues in tormentis sit ante iudicium: aut quomodo digitum Lazari dicat. Nunquid corpora apud Inferos sunt: Aut ipse qui aquam, desiderat, nunquid sitim corporis sentiebat? hæc autem omnia secundum eos affectus loquitur, quos aliquando pro necessitate corporis gesserat: Cæterum ille ante iudicium tormẽtorum sensus quasi pro loco custodiæ in quo erat, accipiendus est. Res quippe ipsa in custodia non est absque tormentis. In hoc quoque quod apud Infernum, Abrahamum videt, hic subesse à quibusdam ratio putatur, quod omnes A Sancti ante Aduentum domini Iesu Christi etiam ad inferna, licet in refrigerij locum descendisse dicuntur: Alij opinantur locum illum in quo Abraham erat, ab illis inferni locis seorsim in superioribus fuisse constitutum: propter quod dicit Dominus de illo Diuite, quod eleuans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham de longe: Sinus quoque ipsius Abrahæ, designat loci illius & regionis quietem. *Ambulate dum lucem habetis:* per lucem, Christum legẽmque significat: per tenebras verò, Antichristum erroris auctorem. *Vado ad patrem, quia pater maior me est:* Ioh. 12. & 14. cur igitur alibi ait Iesus, Ego & pater vnum sumus? Sciendum est quod Christus Dominus noster ita verus homo & verus est Deus, de patre Deo: de matre homine, homo: Illic secundum hominem, hic secundum Deum loquutus creditur: iuxta B quam rationem etiam in reliquis quæ aut æqualitatem cum patre, aut humilitatem eius humanitatis sonant, facilè intellectus patebit, *Ego sum vitis vera, pater meus autem agricola est:* Ioh. 15. quoniam pluuiam & serenitatem ministrans, nostrarum est cultor animarum: per palmitem verò fructiferum, Catholicum Populum significat vbique diffusum: per infructuosum autem, hæreticos notat, quos velut Sarmenta arida Gehennæ ignis expectat. *Recondе gladium in theca:* Ioh. 18. hic per gladium, spiritus est intelligendus, vt alibi ait Dominus Iesus: non veni pacem mittere sed gladium. Matt. 10. *Auricula autem à Petro amputata,* auditus est Iudæorum vt ait Isaias, Aure audietis & non intelligetis. Theca autem pectus est Petri, in quo latebat Spiritus sanctus. Ioh. 21. *Et traxit rete in terram, plenum magnis* C *piscibus,* 153. Sciendum est quod mare, sæculum significari per nauem Ecclesiam, per Piscatores, Apostolos, per Pisces magnos, Animas sanctas, quas ideo 153. esse Euangelista commemorat, quoniam qui Decalogi Præcepta custodiunt, accepto Spiritu septiformi, sancti esse noscũtur: Nam ab vno vsque ad decem & septem multiplicari crescendo 153. faciunt. Spiritales ergo legunt Euangelium, quia seruantes numero & merito Apostoli eliguntur. Cæteri verò, quorum vita expers est Ecclesiasticæ disciplinæ, vagantur in fluctibus. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11. Et cur alibi legitur propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Manifestum est quidem quod omnes qui in Christo piè volunt viuere, persecutionem patiantur. Sed tamen diligentibus Deum quæ sunt dura in præsenti vita, fiunt D leuia spe futuri gaudij. *Regnum Dei intra vos est:* in vno quoque pro bonorum malorũmque distantia aut Deus regnat, aut diabolus: quia necesse est vt cuius voluntatem opere perficit, eius imperio videatur esse subiectus, itaque si iusti sunt quidem, Deus in his regnare videtur & dicendus est: Si autem iniusti, diabolus. potest & fides regnum Dei dici per quam scilicet iustus viuit, & per quam Iesus Christus habitat in cordibus sanctorum suorum. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est:* Ioh. 8. Prophetæ videntes olim appellabantur, ideo quod sancti Spiritus munere ea quæ cæteris erant clausa quasi futurorum prescij videbant, inter quos Abraham Iesum Christum vidit in spiritu. Ioh. 4. *Dixit Iesus ad Samaritanam, da mihi bibere,* id est credulita- E tem tuam sitio & conuersionem dicit ei quoque, *voca virum tuum,* hoc est accommoda intellectum, quinque viros habuisti: vel Penthateucum, vel quinque corporis sensus significat. Ideo Iesus pedes Apostolis lauit, id est ne quid in eis terrenæ cogitationis & maculę remansisset vel remaneret. Ad hoc quod legitur Ioannes recubuisse super pectus Iesu, quia solus virgo fuit, quià virginis filio præ cæteris præferretur. Hic de secreto pectoris sui hauriebat aquam viuam quæ ei nunquam faceret sitim. Ideo accepta buccella legitur quòd Satanas in Iudæ pectus intrauit, quia sicut antidoto fugatur venenum, ita dato pane apparuit Satanas in Iuda, in quo dum furaretur, latebat, & ideo subdidit dicens, quod facis, fac celeriter, vt ostenderet horam passionis

propria

propria voluntate sibi imminere, Ortus Domini est Ecclesia Catholica in qua sunt rosæ martyrum, lilia virginum, violæ viduarum, hædera coniugum: nam illa A quæ æstimabat eum hortolanum esse, significabat, scilicet, cum plantantem diuersis virtutibus, credentium vitam, Amen.

S. P. NOSTRI THEOPHILI PATRIARCHÆ ANTHIOCHENI, CONTRA CHRISTIANÆ RELIGIONIS CALUMNIATORES, AD AUTOLYCUM.

LIBER PRIMVS.

Orationis subiectum considerandum potius quam verba.



LINGVA quidem diserta & dictio tersa delectationem & laudem afferunt, nec non plurimum conducunt miseris mortalibus, quorum animus depravatus est, ad vanam gloriam parandam. B Cæterum veritatis studiosus non animum adijcit sermonibus corruptis, verum sedulo inquirit quænam materia, siue quis effectus, aut quodnam opus sit orationis. Tu me, ô amice, tantum non obruisti sermonibus tuis, quibus declaras te multum gloriari & superbire propter deos tuos lapideos, ligneos, sculptos, fusos, fictos, & pictos, qui neque cernunt neque audiunt. Præterea mihi crimini vertis, quod sim Christianus, & insigne præclarumque hoc nomen geram. At ego quidem liberè confiteor me esse Christianum, gaudeoque istoc nomine quod Deo gratum & acceptum est, appellari: & nihil æque in votis habeo quam vt sim εὐχριστος, id est, bonus erga Deum, siue vt me bonum Deo exhibeam. Non enim, vt tibi videtur, odiosum & molestum nomen illud est. Verum enimuero tu fortassis ita sentis de Deo, quod ἄχριστος, id est, malus erga deum, Sin autem obieceris, Age ergo ostende mihi Deum tuum, respondebo: Age ergo ostende mihi hominem tuum: fac te hominem esse cognoscam, & quis meus sit Deus demonstrare non morabor. Animi tui oculos præbe videntes: cordis tui aures da operam vt videant. Quemadmodum enim oculis carnalibus humanæ vitæ actionem apprehendimus, probantes ea quæ inter sese differunt, siue lucem siue tenebras, album aut atrum, pulchrum aut turpe, commensurabile aut incommensurabile, id quod suis numeris aut constat aut distat, aut quod partibus excedit aut mutilum est siue defectum patitur: similiter quæ sub auditum cadunt, quemadmodum explorat auris, acutane sint siue grauia aut iucunda: sic se res habet quod attinet ad aures cordis & ad animi oculos, si id quæritur, vt Deum aspicere possint.

Deum, quinam videre possint.

Nam Deus non ab omnibus videtur, verum illi soli eius aspectu frui possunt quibus datum est, ijs nempe qui animi oculos offerunt, non clausos, sed apertos, Omnibus quidem sunt oculi, at quorumdam adeò sunt obscurati, vt Solis lucē intueri nequeant. Cæterum non propterea Solares radij fulgore carent, quòd à cæcis non videntur, immò seipsos & suos oculos potius culpent cæci.

Peccatum est causa spiritualis cæcitatis.

Pari ratione, ô homo, animi tui oculis offusa est caligo, cuius causam nullam aliam, quàm tua scelera & peccata dicito. Vt speculum splendidum, sic hominis animum purum & mundum esse oportet. Si rubigo inuaserit speculum, quod hoc patitur, idem & tibi accidit, vbi peccatum te occupauerit. Talis, vt dicam quod sentio, Deum cernere nequaquā valebit. Si itaque desideras vt Deum meum tibi ob oculos ponam, primum pero temetipsum mihi ostendas, vt sciam, sis ne adulter, scortator, fur, raptor, spoliator, cynædus, contumeliosus, calumniator, iracundus, inuidus, & superbus: sis ne contemptor, percussor, auarus, parentibus parum obtemperās, plagiarius, tuósque liberos vendas.

Liberorum venditor.

Cæcitas ex impietate.

His, qui prædictis criminibus sunt innexi, nequaquam apparet Deus nisi priùs ab omni inquinamento se repurgatint. Hæc omnia tenebras oculis tuis inducunt, non secus ac si humor aliquis in oculos exteriores influat, qui obstat, quò minus solis lucem diligētius contemplari queant. Haud dissimili ratione, ô homo, impietas tua te occæcat, quo fit vt nequeas deū videre. Dicas igitur: Tu, qui videns es, obsecro, Dei formam mihi enarrato.

Deus incomprehensibilis.

Audi, ô homo: Dei quidem forma nobis occulta explicari haud quit, nec corporeis oculis videtur. Nam ea animi parte, qua opinantur, percipi non potest: nec magnitudo eius comprehendi, aut altitudo mente valet capi. Fortitudine nemini est conferendus, eiúsque sapientia planè censetur incomprehensibilis.

Deus est incomparabilis.

Bonitate nemo est qui eum possit imitari, sumúsque imbecilliores quàm vt eius beneficentiam nostris linguis explanare possimus. Lumē si eum dixero, creaturam eius (siquidem à Deo lux creata est) dico: Sermonem si dixero, principatum eius dico: mentem si dixero, prudentiam eius intelligo: spiritum si dixero, respirationem eius demonstro: sapientiam si dixero, filium eius sentio: fortitudinem si dixero, potentiam eius accipio: potentiam si dixero: operationem eius efficacem

Dei attributa quid significent.

C intelligi volo: prouidentiam si dixero, bonitatem eius in cōspectum produco: regnum si dixero, gloriam eius profeto: dominum si dixero, iudicem, si dixero, iustum eum esse pronuncio: patrem si dixero, omnia eum esse determino: ignem si dixero, iram eius indico.

Opinor aliquid deesse.

At obijcias: Irascitur Deus? Maxime, iram enim suam porrigit in omnes qui mala designant, bonitatem vero & mansuetudinem, nec non misericordiam suam impartitur ijs omnibus, à quibus vt pater & timetur & amatur. Pios enim instruere & docere nō cessat: interim impios pœnis subdere non omittit: impios magna seueritate & iudicat & vindicat. Principio caret, est enim ingenitus; nulli mutationi subiacet, est enim immortalis.

Deus vnde dicatur.

Deus nominatur, διὰ τὸ τεθεικέναι, id est, ab eo quod omnia in D suam securitatem collocauit. Idem nomen & à θεῖν, id est currendo fortitus est. Omnia enim mouet, in operationem producit, nutrit, sua prouidentia disponit, gubernat, vegetat & viuificat. Dominus nuncupatur quia omnia eius dominio sūt subiecta. Pater appellatur, quia ante hoc vniuersum extitit. Opifex & creator vocatur, quia condidit & creauit hanc Vniuersi machinam. Altissimus perhibetur, quia super omnes siue omnia, est. Imperator dicitur, quia omnia complectitur, suóque imperio temperat. Nam altitudines cœli, profunditates abyssi & fines orbis in manu eius sunt. Nec locus est aliquis in quo moretur & quiescat. Cœli sunt opus atque creatura. Mare præterea, ipse condidit. Homo, figmentum & imago eius est. Sol, luna, astraque, elementa E eius habentur in signa; tempora, dies, annosque comparata, Condita sunt hæc omnia vt ministrent & inseruiāt homini.

Mundus est à Deo conditus.

Præterea Deus vniuersa, cum non forent, creauit, vt ex operibus suis quàm magnus, quàm excellens sit homini innotesceret. Vt anima in humano corpore non videtur inuisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur: sic nec Deus humanis & corporeis oculis videri potest: cæterum ex prouidētia, qua singula ordinat: suisque operibus aspicitur & apprehēditur. Quēadmodum si quis cernat nauem suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certe credit aliquem, à qua gubernetur, in ea esse gubernatorem. Sic certe nemo adeò abiecti animi, quin credat Deum esse

gubernatorem omnium, quamuis oculis carnalibus eum non assequamur: quia nullo modo à nobis percipi potest. Nam si in solem, quod sanè minimum est elementum, homo oculos intendere nequit propter caloris & potentiæ excellentiam: multo minus gloriam Dei, quæ ineffabilis est homini, homo mortalis contueri potest.

Dei gloria ineffabilis.

Mali Punici ad Deum, & Mundum analogia.

Quemadmodum malum Punicum cortice velatur, qui interiora continet: habet & mansiones loculosque cõplures pellibus interceptos & distinctos qui plurima grana intra sese complectuntur: sic vniuersa natura à Dei continetur spiritu. Spiritus, qui vniuersam naturam consertam tenet, à Dei manu continetur. Quemadmodum granum mali Punici, quod cortice exteriore includitur, corticis exteriora cernere haud potest: sic nemo mortalium qui tenentur manu Dei cum vniuersi natura, Deum cernere valet.

Dei, & Imperatoris terreni comparatio.

Imperator terrestris esse præsumitur (quamuis nõ ab omnibus videatur) oculos vertenti in leges & imperij administrationem. Præterea esse cognoscitur si quis oculos in potentatus & potestates nec non imagines eius conijciat, & Deum ex potentia & operibus suis cognoscere cunctaris? Opera Dei, ô homo, obseruato, statam & certam temporum mutationem & vicissitudinem, stellarum reuolutiones, elementorum ordinatum cursum, dierum, noctium, mensium, annorumque elegãter dispositum ambitum, seminum, plantarum, fructuumque mirabilem amœnitatem, variam & eximiam quadrupedum, volatilium, reptilium, natatilium, aquatiliumque prolem.

Animalium prudentia.

Vide ad hæc prudẽtiam animalibus inditam ad generandum, & erudiendum fœtus, nec id faciunt respectu priuatæ vtilitatis, sed vt homo alimenta & necessaria capiat, sic procurante diuina prouidentia, dum omni carui alimenta parat.

Mundi consideratio elegans.

Solem intelligit.

Nota mirabilem obedientiam, quam induxit Deus vt omnia homini parerent. Contemplare fontium dulciũ & fluuiorum perennem fluxum, roris, pluuiarum, imbriumque qui statis temporibus fiunt, certam suppeditationem. Vide cœli in primis admirandum motum, Luciferum exorientem, & perfecti syderis aduentum prænunciantem. Suspice Pleyadum & Orionis coniunctionem, Arcturum & reliquorum astrorũ processum, qui in cœli peragitur circulo, quibus omnibus excellẽs Dei sapientia, nomina propria imposuit. Hic ille Deus solus est, qui ex tenebris creauit lucem, qui ex thesauris suis lumen profert: qui præparauit receptacula Austri, thesauros abyssi, terminos maris, niuis & grandinis thesauros: quique congregat aquas ex abyssi thesauris.

Fulmen, & Tonitru, cur fiant.

Hic idem colligit in suos thesauros tenebras & lucem iucũdam, suauem, desiderabilem delectabilemque ex promptuarijs suis depromit. Nubes à terræ extremitate sursum rapit, fulgura cum imbribus multiplicat, mittit fulmen in terrorem mortalium, fulminisque fragorem corruscante fulgure prædicit, ne anima prostrata & subito consternata è mortali corpore euolet. Fulguris ex cælo descendentis magnitudinem ita contemperat, ne terram comburat. Nam si suo arbitrio feratur, orbis concremaretur: si tonitru suo impetu feratur, omnia quæ in orbe sunt subuerterentur. Hic meus est Deus & vniuersorum dominus, qui cœlum extendit solus, latitudinem terræ quæ sub cœlo est posuit, conturbat & concitat profunditatem sinuosi maris, resonare facit procellas eius, maris potentiæ potenter imperat, procellarum turbinem sedat & placat: qui inædificauit aquis veluti fundamento, terræ orbem: spiritum subministrat liberalissime qui orbem vegetat, huius spiraculum viuificat hoc vniuersum, quẽ si apud sese retineat, deficiet hoc vniuersum.

Spiritus Dei.

Hunc, ô homo, loqueris, hunc spiritum spiras & hauris, eumque ignoras, quod ideo tibi euenit, quia geris mentem occæcatam & cor obstinatum. Cæterum, si voles, sanabere. Medico temetipsum committe, & oculos animi tui cordisque aperiet, iisque visum restituet. At quis ille medicus? Deus qui sanat & viuificat per sermonem & sapientiam suam. Deus per sermonem & sapientiam suam condidit vniuersa. Nam sermone eius firmati sunt cœli & spiritu eius. In sapientia fundauit Deus orbem, prudentia præparauit cœlos, prouidentia eius abyssi rupti sunt, imbrésque promanare fecerunt rorem.

Deus vt videatur.

Si in hunc modum fueris, ô homo, institutus, & eadem sapis, caste sanctéque viuens, profecto Deum videre quibis. In primis tamen requiritur fides & timor Domini, quæ duo in animo tuo præcedere oportet. Hæc autem tum intelliges, vbi deposueris mortale hoc corpus, & incorruptibilitatem indueris, tum demum condigne Dei cõspectu frui poteris. Nam Deus suscitabit carnem tuam, eamque vnà cum anima immortalitate donabit. Tunc igitur, si nunc fidem habueris, immortalitate amictus Deum cõspicabere, tunc scibis & senties quæ impio ore contra ipsum es in hac vita loquutus.

Resurrectio mortuorum.

Si nunc parum credis mortuorum Resurrectionem, tunc nolens volens credere cogeris. Cæterum fides tua, tunc temporis incredulitas reputabitur, nisi nunc fidei te adiũgas. Quid obsecro incredulus es? Non animaduertis actiones omnes antecedere fidem? Quis cedo, agricola metere potest, nisi prius semen credat sulcis?

Fides omni actione anterior.

Quis mare poterit traijcere, nisi prius semetipsum credat naui & gubernatori? Quis morbis implicitus sanitatem recuperare poterit, nisi semetipsum prius credat medico? Quam artem, quam scientiam quis discere poterit, nisi prius semetipsum tradiderit & crediderit præceptori? Si igitur agricola credit telluri, nauigaturus naui, infirmus medico, tune refugis temetipsum credere Deo à quo tot fidei arrabones accepisti? Primum quidem cum non fores, te creauit. Nisi enim parentes tui fuissent multò minus tu extitisses. Cum non esses, te formauit ex humida & minima substãtia, & ex minutissima guttula, quæ nec ipsa aliquando erat. Et eo modo in hanc vitam te produxit Deus. Itane tandem quæso credis idola quæ humana parauit manus, deos esse, & virtutes operari, Deo autem conditori tuo, qui operari potest, diffidis?

Dij gentium Saturnus, Iupiter.

Nomina quidem eorum deorum, quos te colere ais, nomina sunt mortuorum hominum. At qui & quales fuere homines? Saturnum perhibent proprios deuorasse natos. Sin huius filium Iouem dixeris, obsecro & huius vide opera: eiúsque vitam & conuersationem perpende. Primum quidem in Ida monte à caprea enutritus est. Hanc deinde mactans (vt fabulæ docent) ex pelle sibi vestem fecit. Reliqua eius opera, quod cum sorore cõcumbit, adulteria committit, pueris insidiatur, melius de ipso Homerus alijque poetæ commemorant.

Hercules. Bacchus. Appollo. Venus. Mars.

Quid filios eius enumerare attinet? Herculem, qui seipsum concremauit: Bacchum, ebrietati obnoxium, & furore peremptum: Apollinem qui Achillem metuit, & fugit, Daphnẽ amat & Hyacinthum mori nescium. Venerem vulneratam: Martem hominum occisorẽ, & sanie semper manantem. Hos omnes in deorum numerum referunt. Hæc quidem quæ hactenus dedimus, mediocria sunt, cum reperiatur Deus in primis decantatus Osyris nomine.

Osyris.

In huius honorem quotannis initiationis fiũt, vt qui perierit, & iterum inueniatur dum cantu quæritur. Nec, an interierit, intelligitur: nec, si inueniatur, ostenditur.

Attis. Adonis. Æsculapius. Serapis. Diana. Endimion. Ægyptiorum Dij.

Quid dicam Attim castratum? Adonim in syluis errantem & venantem & ab apro vulneratum? Æsculapium fulmine ictum? Serapis Sinopa profugi in Alexandriam aduentum? Dianam Scythicam & ipsam profugam homicidam, venatricẽ & Endymionis amore furentem? Hæc non à nobis literarum monumentis produntur, vestri scriptores ea commemorant, & vestri poetæ ea deprædicant. Quid refert recensere numerum animalium reptilium, iumentorum, bestiarum volatilium, aquatilium, & natabilium, quibus diuinum cultũ præstant Ægyptij? Præterea quid commemorem pelues & reliquos turpitudinis sonos? Si dixeris Græcos & reliquas gentes. Certe & hæ colunt lapides, ligna, & reliquam materiam, quemadmodum prædiximus & imagines defunctorum hominum.

Phidiæ Iupiter, & Minerua. Iouis quam multi.

Phidias Pisis Eliensibus Olympium construit Iouem: idem Atheniensibus Mineruam,

neruam, quæ in arce locata est, elaborauit. Te interrogare lubet & quot tandem inueniantur Ioues, Iupiter primum quidem nominatur Olympius, deinde Latialis, A Cassius, fulminator, propater, peruigil, vrbium defẽsor, Capitolinus. Et quidem Iupiter Saturni filius Cretensium rex, in Creta sepultus est. Reliqui Ioues, vt arbitror, ne quidem sepultura digni habiti sunt. Sin autem in medium produxeris eam, quæ deorum mater celebratur, respondeo: Dij meliora vt sustineam vel ore eloqui opera eius. Nã ea saltem nominare nobis haud fas est. Nec eius ministrorum, à quibus colitur, opera recitabo, nec etiam vectigalia & oblationes quas inferunt regi. Preterea nec ipsam nec filios eius deos esse iudicandum est, sed idola sunt, quemadmodum supra docuimus. Opera sunt, quæ confecit manus humana, & dæmonia impurissima. His similes reddantur quicunque ea fabricant, & in eis spem collocant. Quæ cum ita B sint, magis honorabo regem siue Cæsarem, non tamen eum adorabo, verum pro eo orabo. Deum, qui vere verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. Dicas ergo: Quare regem siue Cæsarem adorare recusas? Quia non ad id institutus est vt adoretur, sed vt legitimo, qui ipsi congruit honoretur honore. Rex enim siue Cęsar, Deus non est, sed meminerit se esse hominem à Deo in hanc dignitatem promotum, non vt adoretur, sed vt iuste, quemadmodum iustitia exigit, iudicet. Nam regnum siue imperium, rerumque administratio ipsi, à Deo commissa & demandata est. Hinc Cæsar siue rex, neminem subiectorum aut regem aut Cæsarem appellari vult. Regium enim siue Cæsareum nomen ipsi soli competit, nec alius id vendicare audet. C Ita adorandi cultus nemini nisi Deo soli deferendus est. Itaque, ô homo, in omnibus errore duceris. Regem quidem siue Cæsarem honora: honora, inquam, magna, cum beneuolentia, subiectus ei existens, & orãs pro eo. Hæc faciens, Dei voluntatem exequeris. Nam diuinæ legis hic tenor est: Honora fili mi Deum & regem, nec vnquam eorum inobediens sis. Subito enim hostes suos vlcisci possunt. Quod tibi ludibrium debeo, dum me Christianum nuncupas, non magni facio, immò respondeo te nescire quid dicas. Nam vnctionis hoc nomen, in primis bonum suaueque est, nec risum meretur. Quæ etenim nauis bona & vtilis esse potest, nisi prius vngatur? Quæ turris aut domus elegans & vtilis esse potest, nisi prius vngatur? Quis mortalium, qui D progreditur in hanc vitam quæ certaminum arena est, & non oleo inungatur? Quodnã opus ornatum haberi potest, nisi perungatur, & quasi splendore illustretur? Præterea aër, & omnis quæ sub cœlo est creatura quodammodo lumine & spiritu inungitur, & tu recusas macerari Dei oleo? Certe nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod diuino oleo perfundimur. Præterea negas mortuorum resurrectionem: Ais namque, Ostende mihi saltem vnum ex mortuis reuocatum, quem si videro, verbis tuis fidem habebo. Sed quid memorabile facis, si videas & credis? Si credis Herculem, quem flamma absumpsit, viuere, Æsculapium fulmine tactum vitæ restitutum: quæ dementia est nolle dare fidem illis, quæ Deus loquitur? Dubitatio me tenet, & si tibi præsentarem aliquem è mortuis euoca- E tum, an apud te fidem inuenire possem. Cæterum Deus plurima rerum argumenta suppeditat, quibus incredulitatem nostram, quantum ad resurrectionis negotium attinet, propellat. Obserua, nisi molestum sit, temporum, dierum & noctium interitum. An non animaduertis vt ista & moriantur & resurgant? Quid præterea referam resurrectionem fructuum & seminum, quæ omnia nostræ vtilitati seruiunt? Si enim granum, exempli gratia, tritici, aut reliquorum fructuum in terram sparseris, primum quidem moritur & dissoluitur, & tum demum nascitur, & in culmum fructificantem assurgit: Arborum & quercuum natura secundum Domini imperium occulta quadam vi nobisque inuisibili statis temporibus fructus proferunt. Interdum passerculus aut alia auicula deuorans semen mali, aut ficus aut alterius rei, auolat in locum aliquem æditum, saxosum & id in foueam aliquam per diuersam corporis partem emittit. Quid fit? Semen illud subcrescit, & in arborem magnã euadit, quamuis deuoratum per tantum calorem transierit. At hæc omnia operatur Dei sapientia, quibus cõfirmare aggredirur, tibi non esse impossibile præstare ea, quæ de vniuersali resurrectione feruntur. Sin autem volueris mirabilius spectaculum cernere, quod ad id comparatum est vt maiore euidentia mortuorum resurrectio comprobetur, iubeo te erigere vultum non solum ad terrestria, verumetiam ad cœlestium resurrectionẽ. Lunam vide, quæ singulis mensibus & perit & renascitur, nec non & alia considerato astra. Præterea & in temetipso, quamuis id ignores, resurrectionis operationem agnosce, ô homo. Nam non non dubito, quin aliquãdo aduersa valetudine afflictus amiseris carnes tuas & formam roburque. Cæterum Deus misericordiam tibi impartiens, & medicinam tribuens effecit, vt carnes amissas formam roburque recuperares. Et quemadmodum ignoras quò te relicto carnes abierint: sic te fugit vnde redierint, & vnde eas receperis. Verum enimuero, inquis, quasi nesciam, ex alimento & saporibus pulchrè in sanguinem conuersis carnes repullularunt. Cæterum & Dei, ne erres, hoc beneficium est, neç alteri est accepto ferendum. Quapropter moras nectere cessa, quin magis fidei te mancipato, Et ego quidem quondam parum credidi resurrectionem futuram: vt ea cum animo diligenter voluens reuoluensque quæ modo diximus, nihil hæsitans libenter ijs fidem accommodo. Fidem meam plurimum adiutarunt literæ sacræ, quas legi, in primis tamen prophetarum oracula, quæ Spiritu sancto afflati prædixere, plurimum mihi contulere. Nam præterita, non secus ac euenere, prædixerũt, similiter & præsentia, nec non futurorum quis modus quiue ordo futurus sit præmonuere. Confirmatus igitur ex ijs quæ prædicta sunt à prophetis & contigere, non amplius hæsito, sed Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans: cui te adhortor quoque, obedias: ne, si nunc incredulus es, aliquando credere cogaris, magno tuo malo subditus sempiternis pœnis. Harum pœnarum mentionem fecere & prophani vestri scriptores philosophi & poëtæ: at proprio Marte ne somniare quicquam de illis potuere, verum expilantes scripturam sacram, pœnarum illarum mentionem in suis scriptis fecere, vt sua dogmata magis constabilirent. Sed non abs re factum est quod etiam hi commemorarunt, immò prænunciarunt pœnas, quæ impios & incredulos manent. Nam hæc quidem in testimonium vergent mortalibus, ne se excusare possint, dicentes: Non audiuimus nec cognouimus. Verum tu ipse, si placet consule literas sacras. Hæ etenim maiore euidentia te instituere possunt, quo pacto possis euitare sempiternas pœnas, & nancisci perpetua bona, quæ suis cultoribus pollicetur Deus. Nam is qui dedit os ad loquendum, qui formauit aurem ad audiendum, qui finxit oculos ad videndum, exquiret & assidua indagine excutiet omnia: & sententiam suam iustissimè pronuntiabit, tribuens cuique secundum opera sua. His quidem, qui operibus bonis intenti quærunt immortalitatem, donabit vitam perennem, gaudium, pacem, requiem, & abũdantiam bonorum quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt. At incredulis, contemptoribus non obtemperantibus veritati, parentibus vero iniusticiæ, & qui inquinantur adulterijs, scortatione, mascula Venere, auaritia, & nephario simulachrorũ cultu, ijs inquam cedet ira, furor, tribulatio & angustia, Et vt ad pauca redeã, ignis infernalis hos perpetuò cruciabit. Cum igitur tu mihi imperaris vt tibi ostenderẽ, ô amice, quis sit Deus meus, puto me meo officio perfunctum, cũ tibi significarim quis meus sit Deus. Hunc vt timeas eique credas tibi pectore toto consulo.

Deorum Matris flagitia.

Imperator quomodo honorandus.

Orandum pro Regibus. Prou. 24.

Christianorũ nominis unde ductum.

Resurrectionis fides.

Resurrectionis quædam exempla.

Lunæ renascentia.

Philosophi, & Poëtæ meminerunt pœnarum infernalium.

Bona opera. 1. Cor. 2.

Theophili ad Autolicum.

Liber. II.

ANTE hosce aliquot dies, optime Autolyce, sermonem habuimus te audiente: & satis euidéter declarauimus, quis meus sit Deus. Interim tu quidem, ne id omiserim, aures præbuisti attétas, cum de mea religione verba facerem. Quibus peractis, mutua salutatione facta singuli digressi sumus domos suas amici, quamuis antea sæuissimæ inter nos exarderent inimicitiæ. Meministi enim dubio procul quod nostrę religionis sermonem, deliramentum & nihil aliud nisi stultitiam iudicaris. Veruntamen cum me adhortatus sis vt latius de nostra religione differam, quã-
B
uis dicendi sim imperitus, volo tamé in præsenti libello maiore luce demõstrare vanitatem & inutilem religionem, quam tu tenes. Hic me plurimum iuuabunt paucissimæ (nam inde argumenta demonstrationis peréntur) quædam, quas legis, historiæ. Forsitan enim ipse nequis adhuc ad veritatem ipsam penetrare. Verum enimuero mihi perquam ridiculum videtur lapicidas, fictores, fusorésque, fingere, pingere, sculpere, fundere, deósque parare, quos vbi soluerint, & laborarint, ipsi vilipendût primi, & ne flocci quidem faciunt. Vbi aurem dij illi opera humanarum manuum fuerint ære redempti, & in templum aut in domum aliquam collocati, non dubitât in eorum honorem victimas cædere emptores & artifices, qui eos & fecerunt & vendiderunt & accedunt pariter magno studio & exquisito sacrificiorum apparatu,
C
vt eos adorent. Putant eos esse deos, nec cogitant, qualescunque nunc sint & appareant, tamen cum fabricarétur fuisse, aut saxum, aut æs, aut lignum, aut colorem, aut aliam materiam. Hoc quidem vobis, quod mirum est, accidit, qui historias & genealogias eorum legitis qui dij dicuntur, Dum genealogias eorum contexitis, in hominum numerum eos ponitis. Hos postmodum deos appellatis, iisque, diuinos cultus exhibetis, & tanta vestra socordia est, vt neque cogitare neque intelligere velitis eos tales esse, quales natos siue genitos legitis, videlicet homines. Et quidem deorum, si modo nati fuere fœcunda & copiosa reperitur generatio. At vbi nunc deos gignere, ostendi potest? Nam si tum genuere & geniti sunt, oportebat eorum generationem huc-

De generatione deorum genitum.

D
usque porrigi. Sin secus se res habet, certè infirmum deorum genus reputabitur. Aut enim senio cõfecti generare desierunt, aut mortui sunt, aut è viuentium numero penitus sunt sublati, & in nihilum redacti. Si enim aliquando dij nati sunt, eorum generationem hucusque protendi necessarium erat quemadmodum & hominũ generatio ea quo cœpta est, non est intermissa. Hinc tãdem illud consequium colligererut, plures esse deos quam homines sicuti & Sibylla perhibet. Nam si generationi dant operam & immortales permaneot, profecto maior nunc deorum quam hominum foret affluentia. Siquidem quæ fati crudelitas ipsis immortalitatem adimere valeret? At hominum mortalium, qui modico tẽpore durant, proles esse hucusque demõstratur, nec inter homines quicquam à generãdi ordine cessatum esse
E
liquidò constat. Quapropter plurimæ vrbes subinde conduntur, vici construuntur, regiones inhabitantur. Qui fit igitur quod non eadem ratione deos, quos poëtæ immortales canunt, oportebat & gignere & gigni, cum asseueretis, eos etiam generationi incumbere, & eorum genealogias literarum monumentis manderis? Præterea mons ille, quem Olympũ nominant, iam planè occupatus & insessus à dijs foret. Cæterum is mons nunc desertus est. At qua de causa? Ea tempestate Iuppiter in Ida monte domicilium habebat, & apud omnes constabat ex testimonio Homeri aliorumque Poëtarũ, eum ibi morari. Nunc vbi sit ignoratur. Qui fit autem quod non vbique erat, sed saltem in vno terræ angulo

Olympus.

Iuppiter.

reperiebatur? Aut enim reliquos negligebat aut nõ po-
A
terat simul vbique esse, & omnium prouidentiam agere. Nam si erat (exempli gratia) in loco orientali, non inueniebatur in occidentali. Sin versabatur in occidente, eius præsentia desiderabatur in oriente. Cæterũ Dei altissimi qui omnia regit, reque vera existit, hoc quasi proprium est, vt non solum vbique sit, verũ omnia præsens inspiciat & audiat. Præterea nec loco capitur: alioqui locus qui ipsum capit, eo maior inueniretur. Nã id quod capit, eo quod capitur maius est. Deus loco nequaquam circumscribitur, verum ipse est omnium locus. In dubio est, verum Iupiter morte præuentus, aut quia locus non perinde placebat, Idam dereliquerit. At quò abijt? in cœlos? nequaquam. Quò igitur? in Cretam profectus est, quod quidem eo comprobatur, quo se-
B
pulchrum eius ibidem adhuc hodie visitur. Verum ais Pissas concessit, vbi hucusque Phidiæ manum concelebrat. Veniamus nunc, his relictis, ad Philosophorum & Poëtarum scripta. Stoici quidẽ Deum esse in vniuersum abnegant: aut si sit, asserunt eum nullius quam sui curam gerere. Hæc quidem Epicurus & Chrysippus delirant. Quidã astruunt omnia fortuitò siue casu subsistere: præterea mundum non esse genitum, verum esse, naturam quãdam peculiarem: & (vt ad pauca redeam) dicere ausi fuerunt, Dei prouidentiam eum esse verum vniuscuiusque conscientiam Deum constituunt. Quidam asseuerant spiritum per omnia diffusum & consertum Deum esse. Plato cum suis asseclis Deum quidem confitetur ingenitum, Patrem præterea & conditorem omnium: at deinde subijcit siue supponit Deo materiã quoque in-
C
genitam quæ simul cũ Deo prodierit siue extiterit. Verum si Deus censetur ingenitus, & materia perhibetur ingenita, iam nec amplius Deus conditor & creator est omnium etiam secundùm Platonicos: nec quod vnus & solus sit ab ijs vere demonstratur. Quemadmodũ Deus ingenitus, ita etiã immutabilis est. At hac ratione si materia ingenita foret, nulli mutationi siue alterationi obnoxia foret, nec quicquam differret à Deo. Nã id quod gignitur, mutationi & alterationi succumbit. Cæterum illud quod ingenitum est, nullam mutationem vel alterationem agnoscit. Quod insigne & præclarum opus foret, si Deus ex subiecta materia mundum creasset? Etenim & homo, qui artificium aliquod callet, si materiam ab aliquo accipiat, quæ vult, ex ea cõficere potest.
D
Dei potentia in hoc ostenditur, dum absque materia supposita, quæ vult, operatur. Animam infundere & motum assignare, nullius alterius est, quàm solius Dei. Homo quidem similitudinem aliquam statuere aut effigiem effingere valet, at operi suo vel rationem vel respirationem vel sensum ingenerare nequit. At hac prærogatiua gaudet Deus. Nouit enim rationem, spiraculum & sensus formare. Quemadmodum igitur in his omnibus potentior ostenditur Deus homine: sic etiam in eo excellit, quod ex non existentibus producit, & produxit entia quotquot voluit & quomodo voluit. Ex quibus colligitur parum inter sese conuenire Philosophorum & reliquorum scriptorum sentétias. Cum hæc ad finem deduxerimus, ecce occurrit Homerus, alio quodam modo non solum mundi, sed & deorum generationem in-
E
troducens. Inquit enim alicubi: Oceani deorumque generationem & matrem Thetim, ex quo omnes fluuij & vniuersum mare, &c. At quæ recenset nequaquam Deũ constituunt. Quis enim nescit, Oceanum esse aquam? At si aqua est, non igitur Deus. Si autem Deus, vt nemo it inficias, vniuersorum est conditor, condidit ergo aquam & maria. Hesiodus non solum deorum generationem verumetiam mundi explanauit. Cum autem diceret mundum esse genitum, adeò imbecillus fuit, vt non ausus sit eius conditorem nominare. Etiam ipsos deos eloquutus est, videlicet Saturnum, eiusque filium Iouem, nec non Neptunum & Plutonem, quos quidem iuniores mundi generatione nouimus. Tradit insuper Saturnum à Ioue filio suo esse debellatum. Sic enim canit:

Dei proprium vbique esse.

Stoici negant Deo, Prouidentiam.

Conscientia.

Platonicorum opinio de Deo.

Materia non sit ingenita.

Dei potentia, sine materia operari.

Thetis Deorum mater.

Dei Mundo iuniores.

Saturnus victus à filio Musæ. nit: Perdura, quia vicisti patrem Saturnum. Bene attamen singula immortalibus disposuit & honores distribuit. Postea infert compellans Iouis filias, quas & Musas nominat, quibus supplex fit, cupiens ex ipsis discere quo modo omnia facta sint, & ait:

Salucte liberi Iouis, date vero amabilem cantilenam.
Celebrate quoque immortalium diuinum genus semper existentium.
Qui tellure prognati sunt, & cælo stellato,
Nocte caliginosa, quos item salsus nutriuit pontus.
Dicite insuper, vt primum dij & terra fuerint
Et flumina, & pontus immensus æstu feruens,
Astraque fulgentia, & cælum latum superne:
Et qui ex his nati sunt dij, datores bonorum:
Vtque opes diuiserint, & quomodo honores distinxerint.

Atque etiam quomodo primum multis implicatum sphæris tenuerint cœlum.

Hæc mihi dicite Musæ cælestes domos inhabitantes.
Ab initio: & dicite quodnam primum fuerit illorum.

Cæterum quomodo hæc norunt Musæ, cum multò iuniores sint mundi creatione?

Aut quomodo ista explicare potuere Hesiodo, cum pater earum nondum foret genitus? Verum Hesiodus quodam modo testatur materiã causam esse mũdi creationis, dum mundi creationem exponit, Ait enim:

Primo omnium quidem chaos fuit, atque deinde
Tellus lato pectore prædita, omnium fundamentum solidum semper
Immortalium, qui tenent iuga niuosi Olympi.
Tartaráque tenebricosa in recessu terræ spaciosæ:
Atque Amor, qui pulcherrimus inter immortales deos,
Soluens curas & omnium deorum, & omnium hominum,
Domat in pectoribus animum, & prudens consilium.
Ex Chao vero Erebus, nigráque Nox editi sunt.
Nocte porrò tam Æther, quam dies prognati sunt,
Quos peperit, vbi concepisset Erebo amore mixta.
Terra verò primum quidem genuit parem sibi.
Cœlum, stellis ornatum, vt ipsam totam obtegat.
Vtque esset beatis dijs sedes tuta semper.
Genuit præterea montes altos, dearum gratas speluncas.
Nympharum quæ habitant per montes concauos.
Atque etiam infrugiferum pelagus peperit, vnda concitatum.

Quamuis autem Hesiodus hæc pronuntiatit, nõdum tamen demodstrauit à quo condita sint. Si in principio erat Chaos, liquet materiam quandam ingenitam ista antecessisse. Quem igitur, cedo, dabis qui hanc disposuit, temperauit, formauitque. Nũ materia semetipsam & formauit & exornauit? Iupiter enim, tempore longo interiecto, materiam ipsam, mundúmque, & hominum multitudinem sequutus est. Præterea magis pater eius Saturnus dicendus erat, materiam ordine debito temperasse, siquidem senior erat. Aut forsitan aliud quippiã est, maiore virtute præditum, quod eam fecit. Deum autem dico, qui eam quã pulcherrimè exornauit. Ad hæc manifestum est, Hesiodum omnia illa ineptissimè tradere, & sibi contraria proferre. Dum enim inquit, Terram, cœlum & mare, &c. quid aliud sentit, quam ex his prodijsse & natos esse Deos? Inde recéset homines potentissimos ex dijs prognatos, videlicet Titanum & Cyclopum prosapiam, nec non multitudinem Gygantum, qui quodam modo deorum cognati reputantur. Deorũ dæmonúmque Ægyptiorum, nec non vanorum hominum meminit Apollonides cognomento Horapius, in libro cui titulus est, Semenuthi. *Apollonidis liber, Semenuthi.* Præterea & in reliquis, quas scribit, historijs mentionem facit superstitionis circa cultum diuinum Ægyptiorum, & regnum, vanitatémque in his declarant. Quid necesse est Græcorũ repetere fabulas? Plutonem videlicet tenebrarum regem, Neptunum sub mari incedentem, & Menalippe *Neptunus.* in complexus ruentem, ex quo congressu nascitur filius homines deuorans? Quid commemorem Iouis filios, & quæ tragicè admodum de his scriptores memoriæ prodidere. Cæterum vt constet eos non deos sed homines fuisse, non abs re scriptores ethnici genera siue gentilitatem eorũ pandunt. Aristophanes in ea Comedia, quæ Aues inscribitur, exordiens sermonem de mundi creatione ait: In principio omnium constitutio mundi fuit, primum patiens nigris suffulta pennis autora. Satyrus, qui composuit historiam populorum Alexandrinorum, initium faciens à Philopatre, qui & Ptolomæus nuncupatus est, eius generis siue gentilitatis caput, Bacchũ extitisse indicat. *Satyrus Historicus.* Quamobrẽ eam tribum Ptolomæus, primam designauit. Cæterũ verba Satyri hæc sunt: Ex Baccho & Althea, quæ Thestij fuit filia, orta est Deianeira: ex hac & Hercule Iouis filio genitus est Hyalus: ex hoc Cleodimus, ex hoc Aristomachus, ex hoc Temenus, ex hoc Ceisõ, ex hoc Marõ, ex hoc Thestius, ex hoc Acous, *Ptolomæorum genus Ariadne.* ex hoc Aristomidas, ex hoc Caranus, ex hoc Cœnus, ex hoc Tyrimmas, ex hoc Perdicca, ex hoc Philippus, ex hoc Æropus, ex hoc Alceta, ex hoc Amyntas, ex hoc Bocerus, ex hoc Meleager, ex quo Arsinoe. Hæc & Lagus procrearunt Ptolomæum cognomẽto Sotera: ex hoc & Berenice descendit Ptolomæus Philadelphus: ex quo & Arsinoe exortum habet Ptolomæus Euergetes: ex quo, & Berenice quæ simul cum eo Cyrenem gubernauit, originem trahit Ptolomæus Philadelphus. Regum Alexandrinorum cum Hercule cognatio in hunc modũ se habet. Quapropter in Dionysiaca tribu populi inter sese sunt discreti. Althes ab ea quæ iuncta fuit Baccho, initium sumit, & extitit filia Thestij. Althea Deianeiræ ex filia Bacchi & Althea, vxore vero Herculis. Hinc tribus, quæ penes ipsos sunt institutæ, adhuc ea nomina retinent. Ariadne nomen habet à filia Minois, quæ fuit vxor Bacchi filij. Hinc adamãs patrem sub aliena forma cum eo concubuit. Thestis nominatur à Thestio Althea parente. *Bacchi Soboles.* Thoantis dicitur à Thoante Bacchi filio. Staphylis nominatur in hunc modum à Staphylo Bacchi filio. Euænisis vero ab Eunoe filio Bacchi appellatur, Maronis nomen tenet à Marone Ariadnes & Bacchi filio. Nam si omnes traduntur esse filij Bacchi. Cæterùm & aliæ plurimæ denominationes factæ sunt, quæ adhuc durant. Ab Hercule, Heraclidæ: ab Apolline, Apollonidæ & Apollonij: à Neptuno, Neptunitij, à Ioue, Iouij & Ioue geniti sua nomina sunt adepti. At quid necessum est abundantiam huiuscemodi nominum & genealogiarum repetere? *Dij gentiliũ.* Apparet igitur magnopere decipi scriptores omnes, poëtas & Philosophos! præterea illuduntur & falluntur illi omnes, qui hosce audiunt. Nam nescio quas fabulas & quæ delyramenta consuerunt de suis dijs. Interim nos haud Deos esse docent, verum homines: quosdam ebrios, alios scortatores, alios vero vt homicidas inducunt. Præterea & de mundi *Philosophorũ opiniones de Mundo.* generatione pugnantia tradidere, Primò, quidam mundum ingenitum asserere ausi fuerunt, quemadmodum supra significauimus. Illi qui mũdum ingenitum & peculiarem quandam dixere naturam, nequaquam cõsentiunt cum ijs qui mundum genitum esse proponunt. *Philosophi de prouidentia. Act. 7.* Nã sequuti rerum similitudines & mentem humanam nec ipsam veritatem, huiuscemodi sententias protulere. Sunt qui prouidentiam agnoscunt, at alij horum dogmata subruerunt. Aratus ait: Ex Ioue incipiamus, hunc nequaquam sinamus, ô viri, inexplicatum. *Arati de Prouidentia opinio.* Plenæ sunt Iouis omnes plateæ, omnia etiam hominum fora. Plenum est & mare, pleni sunt & portus. Vbique Ioue fruimur omnes. Huius enim genus sumus. Ipse benignus hominibus dextera nunciat. Populos ad opus excitat faciens eos meminisse vitæ. Dicit præterea quando gleba optima bubus & ligonibus. Indicat quoque quando dextræ sint horæ, vt plantæ virides flectantur & transplantentur, & quando omnia sunt spargenda semina. Cui igitur fidẽ dabimus? Arato, an Sophocli qui clamat. *Sophocles negat prouidentiam.* Nullius est prouidentia, sed casu quodã, vt quilibet potest, viuitur? Huic præterea Homerus non concinit, inquit enim: Iupiter virtutem viris auget minuitque. Similiter & Simonides ait: Nemo absque dijs virtutẽ accepit, non vrbs, non homo, non prudẽs Deus. Nihil au-

tem integrum inest eis. Euripides: Nihil hominibus
absque Deo est. Menādet: Non igitur quisquam nostri
curam gerit quàm solus Deus. Euripides iterum: Salua-
re quando visum fuerit Deo, multas occasiones ad salu-
tem suggerit Deus: & Thestius: Deo volēte saluabitur,
etiamsi io Euripo nauigarit. Talia quidem multa canen-
tes, pugnantia inter se pronunciarūt Sophocles in quo-
dam loco aperte testatur, citra prouidentiam omnia ge-
rit: deinde inquit: Dei autem pœnam non effugiet mor-
talis. Præterea hoc vniuersum à multis, quidam, ab vno
administrari docuere. Cum quidam prouidentiam cre-
derent, fuere alij qui eam è medio tollerēt. Quapropter
Poetæ à Dæmonibus inspirati. Euripides dicit: Occupati sumus quidem circa multa,
præter spem frustra quidem laborantes. Quæ cum ita se
habeant, liquet eos plane ignorare veritatem. Si quid
autem in medium produxere, id fecerunt à dæmonibus
inspirati & inflati. Quapropter & si Homerus & Hesio-
dus: aut alij Poëtæ, quidpiam eloquuti sunt, afflari à Mu-
sis, id nequaquam est credendum. Nam phantasia qua-
dam rapti, & errore nec spiritu puro ducti vaticinati sūt
vt vel hinc elucescit. Siquidem obsessi, interdum sanan-
tur adiurationibus quæ fiunt in virtute re vera existentis
Dei. Et seductores spiritus, qui expellūtur, ad eum mo-
dum confitentur eos esse dæmones, qui tum temporis
& in illis vires suas exercebant & operabantur. Verum
Poetæ ex Prophetis quedā decerpserunt. quidam ex Poëtarum cœtu, animu vigilantes deprom-
psere interdum & Prophetarum vaticulis consona, vi-
delicet de vnitate Dei eiúsque iudicio: nec non de reli-
quis, quæ in ipsorum operibus videntur. At earum ipsis
tum reliquis mortalibus in testimonium vergunt. Cæ-
terùm Dei homines pleni spiritu sancto & à Deo inspi-
rati instituti que, Prophetæ ordinati sunt, Proinde fuere
à Deo docti, sancti, iustique. Quapropter digni habiti
sunt vt essent organa Dei, à quo accipiētes sapientiam,
vaticinati sunt de creatione mundi, & de reliquis om-
nibus. Siquidem eorum Prophetiæ habentur, de fame,
de peste, & de bellis. Nec est vt quis putet vnum solum
aut duos fuisse: sed plurimi fuere suis temporibus, vt cō-
modum videbatur, apud Hebræos. Nec interim Græ-
ci Sibyllis caruere. Prophetæ profecto omnes adeò
consonantia inter se dixerunt, de præteritis, & de præ-
sentibus quæ nunc fiunt, vt non dubitemus de futuris,
quin sint euentura, quemadmodum priora contigere
Prophetarum doctrina. omnia. Iam primùm omnium, consensu magno nos do-
cuerunt, Deum ex nihilo omnia creasse. Nihil enim cū
Deo floruit aut vixit: sed ipse sibi locus erat, nullius in-
digens & ante sæcula subsistens. Hinc ductus, hominem
à quo cognosceretur, condere voluit. Hinc præparauit
mundum. Is genitus, proinde egens est: ipse verò inge-
nitus, nullius rei eget. Deus igitur habens suum sermo-
nem in suis visceribus, genuit eum cùm eum produce-
ret cum sua sapientia ante hæc vniuersa. Hoc sermone
vsus est in mundi creatione, & omnia quæ condidit per
ipsum fecit. Hic principium dicitur, quia omnium est
principium, dominatórque omnium quæ per ipsum fa-
cta sunt. Hic igitur existens spiritus Dei, principium &
sapientia, altissimíque potentia, descēdit in Prophetas,
per quos, ceu organa, de mundi creatione, nec non de
reliquis loquutus est. Non enim erant Prophetæ cū mū-
dus crearetur: sed sapientia Dei, quæ in ipso est, sermó-
que eius sanctus semper præsto erat. quapropter per Sa-
lomonem Prophetam sic fatur: Cum ipse præpararet
cœlos, aderam: & cum firmaret terræ fundamenta, ade-
ram: simul cum eo disponens & ordinans. Moses vero,
qui multis annis præcessit Salomonem, inquit, immo
Genes. 1. sermo Dei per Mosen: In principio creauit Deus cœ-
lum & terram. Primo quidem principium & eius crea-
tionem nominauit: deinde ipsum Deum posuit. Non
enim fas est, Deum temere & ociose nullo opere subie-
cto nominare. Nam diuina sapientia prænouerat fore
qui ineptias effutirent, & multitudinem deorum intro-
ducerent: vt igitur Deus, qui vere est, ex operibus suis
deprehēderetur, & constaret Deum sermone suo creas-
se cœlum & terram, scriptum est: In principio creauit
A Deus cœlū & terram. Postea vt eorum creatio pateret,
ait: Terra autem erat informis & inanis, & tenebræ erāt
super faciem abyssi, & spiritus Dei mouebat se super fa-
ciem aquarum. Hæc in primis scriptura sacra agit & *Mundi materia.*
monet vt doceat materiam à Deo esse quodammodo
factam ex qua mundum constituit, & in decentem or-
dinem redegit. Cæterum principium creationis lux est.
Siquidem exornata & in mundum producta, lux mani-
festat. Quapropter testatur Moses: & dixit Deus, Fiat
lux, vt quæ plurimum esset profutura homini: & distin-
xit Deus inter lucem & tenebras. Vocauítque Deus lu-
cem, diem, & tenebras vocauit noctem: & fuit vespera,
fuitque mane dies vnus. Et dixit Deus, Fiat firmamen-
tum in medio aquarum, & faciat distinctionem inter a-
B quas & aquas. Et fecit Deus firmamentū, distinxitque
inter aquas quæ erant sub firmamento, & inter aquas
quæ erant supra firmamentum, factúmque est ita. Et vo-
cauit Deus firmamentum, cœlum: & fuit vespera, fuit-
que mane dies secundus. Et dixit Deus, Congregentur
aquæ sub cœlis in locum vnum vt videri possit arida: fa-
ctúmque est ita. Et vocauit Deus aridam terram, & col-
lectionem aquarum vocauit Maria, & vidit Deus quod
esset bonum. Et dixit Deus, germinet terra herbā viren-
tem, quæ seminificet semen lignum frugiferum, faciens
fructum iuxta speciem suam cuius semen in semetipso
sit super terram: & factum est ita. Et prodire fecit terra
herbam virentem, seminificantem semen iuxta speciem
suam, & arborem facientem fructum, cuius semen fuit
in semetipsa iuxta speciem suam, & vidit Deus quod
C esset bonum. Factáque est vespera, & factum est ma-
ne dies tertius. Dixit vero Deus. Fiant luminaria in fir-
mamento cœli, & distinctionem faciant inter diem &
inter noctem: & sint in signa, & in certa tempora, & in
dies atque in annos: & sint luminaria in firmamento
cœli, vt lumen præbeant super terram & factum est ita.
Fecit autem Deus duo luminaria magna, luminare ma-
ius, in dominium diei: & luminare minus, in dominium
noctis, & stellas. Posuítque eas Deus in firmamēto cœ-
li, vt lucem præberent super terram: & vt dominarentur
in diem atque noctem, & distinctionem facerent inter
lucem & inter tenebras: & vidit Deus quod esset bo-
num: Et fuit vespera, fuítque mane dies quartus. Et dixit
Deus: Reptificent aquæ, reptile animæ viuētis: & auem
D quæ volitet super terram, in facie firmamenti cœli. Et
creauit Deus cetos magnos: & omnem animam viuen-
tem & motabilem, quā repere fecerunt aquæ iuxta spe-
ciem suam, & omnem auem pennatam, iuxta speciem
suam: & vidit Deus quod esset bonum. Et benedixit il-
lis Deus, dicens: Fructificatæ & augescite, & implete a-
quas in fretis, & auis multiplicetur in terra. Et fuit vespe-
ra fuítque mane dies quintus. Et dixit Deus: Producat
terra animam viuentem secundum speciem suam, iu-
mentum reptile & bestiam terræ secundum speciem
suam: & factum est ita. Et fecit Deus bestiam terræ iuxta
speciem suam, & iumentum secundum speciem suam,
& omne quod reptat super terram iuxta speciem suam:
& vidit Deus quod esset bonum. Dixítque Deus: Fa-
E ciamus hominem in imagine nostra, secundum simili-
tudinem nostram, & dominetur in piscem maris, & in
volucrem cœli, & in iumentum, & in omnem terram,
& in omne reptile quod reptat super terram. Creauit
itaque Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei
creauit eum masculum & fœminam creauit eos. Et be-
nedixit illis Deus, dixítque ad eos Deus: Fructificate
& augescite, implete terram, atque subijcite eam: & do-
minamini in piscem maris, & in volucrem cœli, & in
omne animās quod reptat super terram. Et dixit Deus:
Ecce dedi vobis omnem herbam seminantem semen,
quæ est in superficie vniuersæ terræ, & omnē arborem,
in qua est fructus arboris & quæ semen seminet, vt sint
vobis in escam. Sed & omni bestiæ terræ, & cuncto vo-
latili cœli, atque omni illi quod reptat super terram, in
quo est

quo est anima viuens, dedi vniuersum virorem herbæ in cibum: & factum est ita. Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum, & facta est vespera, fuitque mane dies sextus. Et perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus illorum. Consummauitque Deus in die septimo opus suum quod fecerat, & quieuit in die septimo ab omni opere suo quod fecerat. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum, eo quod in eo quieuisset ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret. Cęterum Hexameri nullus homo potest vel ordinem, vel dispositionem pro dignitate eloqui, nec si quis haberet decies mille ora, totidémque linguas: neque si totidem annis in hoc mundo peregrinans viueret vel sic quippiam tanta materia dignum profari posset. Tanta est excellentia magnitudóque, & tantæ sunt diuitiæ diuinæ sapientiæ quæ latet in præscripto Hexamero. Plurimi Scriptores imitati sunt prædicta sex dierum opera, & de iis sermonem facere instituerunt. Accepta igitur inde occasione disseruere, de mundi creatione, de hominis natura: sed eorum sermone vel scintillulam quidem veritatis complectitur: Ea quæ Historici, Philosophi aut Poëtæ tradidere, nonnihil probabilia videntur: at verborum lenocinium tolle, stulta & vana eorum scripta apparebunt. Siquidem scripta eorum, quid aliud quàm infinitas nugas continent? nec in iis vel particulam veritatis quis cernere potest. Præterea si quando credis aliquid quod veritate nititur, ab ipsis prolatum, attamen semper errore & mendacio corruptum est. Quemadmodum pharmacum aliquod mortiferum, si melle, vino, aut alio quodam liquore amabili temperetur totum inutile & noxium redditur. Sic loquacitas, quæ in prædictis scriptis reperitur, vanus & irritus labor est, & maxima incommoda fert iis, qui garrulitati illorum fidem habent.

Ornatur.

Mundi creationem pro dignitate eloqui nemo potest.

Præterea de die septimo, qui inter omnes mortales celebris est magna apud plerósque ignorantia est. Hic enim dies, qui ab Hebræis Sabbatum vocatur, Græcè, si quis nomen interpretetur, septimus dicitur. Hoc nomine mortales omnem diem istum appellant, at nominis causam nesciunt plærique. Quod Hesiodus Poëta canit ex Chaos processisse Erebum, terram & amorem qui diis hominibúsque imperat, quis nescit eius sententiam planissimè esse vanam & frigidam, & plurimum ab ipsa veritate exorbitare? Deum etenim voluptate vinci nequaquam oportet. Siquidem homines quidam inueniuntur tanta modestia præditi, vt abstineant ab omni inhonesta voluptate superéntque malam cupidinem. Præterea quod à terrestribus & infimis telam creationis vniuersorum exorditur, humano more facit. Siquidem ea omnia planè humilia & infirma sunt respectu Dei. Nam homo qui in vna mundi regione est, super terra ædificium ponere solet: nec nisi fundamento iacto, fastigium ædificio imponere potest. Cæterum Dei potentia hinc innotescit, Nam ex iis quæ non sunt, facit, vt libitum est, quæ vult. Quæ enim apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia habentur. Quapropter Prophetia testatur, creationem cœli factam esse primò, non, vt hominum more fit, sed in modũ fastigii. Dicit enim: In principio creauit Deus cœlum id est, per principium conditum est cœlũ, quemadmodum supra edocuimus. Terram dicens, intelligit fundamentum & quasi pauimentum: Abyssum nominans, aquarum multitudinem & abundantiam repræsentat. Tenebras pronuncians, ob oculos ponit caliginem, quæ cœlum creatum obscurarunt & contexerunt, quemadmodum aquæ potu salubres operuere superficiem terræ. At spiritum, qui ferebatur super aquas, largitus Deus creaturæ vt eius opera posset producere viuentia, non secus ac homini animam attribuit, tenue tenui commiscens: Spiritus namque sua natura tenuis est, itidem & aqua. Cæterum aqua addita spiritui nutrit & cõseruat creaturam vniuersam per omnia means. Vnum quidem spiritum lucis qui formam obtinet, inter aquã

Sabbatum.

Mundi creatio contra humanam consuetudinem instituta.

& cœlum constituit medium ne tenebræ communicarent cum cœlo quod proximum Deo est, antequam ipse diceret: Fiat lux. Verum non secus ac fornix cœlum, terram glebæ assimilatam cõplectitur. Nam Propheta quidam nomine Esaias de cœlo ad hunc modũ fatur: Deus qui fecit cœlum & fornicem siue cameram, & extendit vt tabernaculum ad inhabitandum. Hæc verò Dei ordinatio est, nempe sermonis accendentis lucem quasi in domo, quæ illuminat orbem sub cœlo vniuersum. Lucem Deus vocauit, diem: tenebras nominauit noctem. Nullus enim mortalis potuisset luci aut tenebris, vt par erat, nomina imponere. Alii aliis nomina indidere, at illa à solo Deo nomina sua acceperunt, vt qui ea creasset. Primò autem loco, vbi scriptura sacra tractat creationem seu mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili, sed aliud quoddam cœlum nobis inuisibile proponit, secundum quod visibile hoc firmamentum nũcupatum est, quod quidem aquæ dimidium sursum rapuit, vt in hominum visum, pluuiam, imbres & rorem funderet. Reliqua aquarum dimidietas relicta est terræ, vt sint flumina, fontes atque stagna, mariáque. Cæterum cum aqua adhuc teneret superficiem terræ, maxime tamen se recepisset in cauernas eius, Deus per sermonem suum id præstitit, vt aqua in vnum abiret locum, & terra, quæ prius haud cernebatur, appareret. Verum enimuero terra quamuis oculis esset subiecta, attamẽ ornatu suo, vt quæ foret informis, carebat. Quapropter Deus id negotii sibi desumpsit, & eam quã pulcherrime exornauit omnigenis seminibus, floribus plãtísque. In his obserua, ô homo, variam & diuersam tum pulchritudinem tum multitudinem. Per hęc manifestissimè vniuersalis hominum resurrectio demõstrari quit, quasi apertissimo & euidẽtissimo exemplo. Quis enim, si modo aduertat animum non miretur ex paruo ficus semine nasci arborem ficum? aut quem non admiratio defigat cernentem ex reliquis seminibus & quidem minimis arbores crescere maximas? Cæterum mundus si rem recte reputare volumus, comparatur verissima ratione, mari. Quemadmodum mare, ni subinde scaturiret & experiretur fontium fluminúmque fœcundum influxum, & alimentum caperet ex salsugine sua vsque dulcibus aquis diluta, iamdudum intercidisset: Sic & mundus ni haberet legem & prophetas manãtes & subinde scaturientes dulcedinem, misericordiam, iustitiã & doctrinam sanctorum Dei præceptorum, propter peccatum & malitiam, quæ duo in eo potẽter & copiosè regnant, certè iamdudum interiisset. Quemadmodum in mari insulæ quædam prominent habitabiles, frugiferæ, & quibus est aqua salubris: nec non naualia & portus commodi, quo se naufragi recipiũt: Sic Deus dedit mundo qui peccatorum tempestatibus & naufragiis iactatur, synagogas, quas Ecclesias nominamus, in quibus veritatis doctrina feruet, ad quas confugiunt veritatis studiosi omnes quotquot saluari, Deíque iudicium & iram euitare volunt. Vt verò & aliæ sunt insulæ saxosæ, aqua potabili vacuæ, steriles, efferatæ & inhabitabiles, quæque plurimum damni tum nauigantibus, cũ naufragis afferunt, In his etiã naues atteruntur, & quotquot ad eas appellunt, extrema pericula subeũt: Ita sunt doctrinæ erroris, dico autem hæreses, quæ suos sectatores perdunt. Non enim à veritate præuia ducuntur, verum, quemadmodum pyratæ, vbi impleuerunt suas naues, penetrant ad prædicta loca vt exitium apportent: Sic accidit his, qui relicta veritate in hæreses abeunt, à quibus tandem perduntur. Dies quartus erat quo luminaria creata sunt. Deus etenim præsciuerat nugas vanorum Philosophorum, quod dicturi essent (vt irritũ Deum facerent) omnia quæ terra profundit, fieri ex causis elementorum. At vt res veritas omnibus conspicua foret, ostendit plantas & semina creatione sua anteuertisse elemẽta, quæ posteriora cũ sint, quis adeò delirus est, vt credat ea potuisse facere ea, quæ creatione sũt priora? Cæterum astra hæc typum magni mysterii præse

Psal. 103. Isa. 40.

Cœlum quoddã inuisibile.

Resurrectionis exempla.

Ecclesiæ portus veritatis & salutis.

Hæretici, similes Pyratarum.

Opus 4 diei.

A B C D E

Sol & Luna, Dei & hominis typus.

ferunt. Sol etenim Deum quodammodo repræsentat, Luna vero hominem. Vt Sol multis (quod dicitur) parasangis, antecedit lunam, potẽtia & gloria: Sic Deus plurimum excellit hominem. Vt Sol plenus semper cõspicitur, nec vnquam diminuitur: Sic Deus perpetuò perfectus existit, plenus potentia, intellectu, sapientia, immortalitate & reliquis bonis omnibus. Luna singulis mensibus occumbit, eiúsque potentia emoritur, hominis conditionem ostentans: deinde regeneratur & augetur ad designandam resurrectionem cunctorum futuram. Tres dies, qui præcessere creationem duorum luminarium, Trinitatis mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet Deum, sermonem, sapientiam. Quartus dies, typus est hominis qui lumine indiget, nempe vt sit Deus sermo, sapientia, homò. Atque hæc est causa, quare quarto die luminaria sint condita. Verum astrorũ positio & ordo, iustos & pios qui seruant legem & Dei præcepta, denotat. Nam illustriora astra suo splendore imitantur Prophetas. Quapropter nullo modo inclinãtur, nec ex vno in alterum transcenduut locũ. Astra, quæ secundum ab his locũ dignitatis obtinent, referũt, quasi typus quidam, populum iustum. Astra mobilia, quæ vaga ex vno in alterum locum abeunt, & Planetæ nominantur, ostẽdunt eos homines, qui à Deo deficiũt, eiúsque legem & præcepta deserunt. Dies quintus produxit animalia quę ex aqua Dei iussu procreata sunt, in quibus mirabilis quoque Dei sapiẽtia elucescit. Quis enim horum multitudinem variámque sobolem enumerare valet? Præterea animalia, quæ humor profert, benedictionem Dei consequuntur. Quare autem id fit? Vt notum sit mortalibus, fore vt pœnitentiam apprehendant & peccarorum remissionem nanciscantur per aquam regenerationis lauacrum, quotquot accedunt ad veritatem, & regenerantur accipiẽtes benedictionem à Deo. Ceti & volucres carniuoræ in memoriam nobis redigũt homines auaros & præuaricatores. Sunt etenim ab vna radice tam aquatilia quàm volatilia procreata, & quædam naturale ius obseruant nulli imbecilliori iniuriam inferendo, verum decenter legem Dei custodiunt, & victitant seminibus terræ. Quędam vero ex istorum grege transgrediuntur Dei legem, carnes vorant & infirmiora iniurijs afficiunt. Ad eum modum quotquot sunt in iustorum album relati, legem Dei sedulò obseruant, neminem lædunt, neminique iniuriam faciunt, sanctè & iustè vitam agentes. Cæterum raptores, homicidæ & impij nihil differũt à cetis, feris & carniuoris auibus. Potenter enim deuorant infirmiores. Et quidem aquatilium & reptilium soboles nacta benedictionem Dei, nihil proprij prorsus acquisiuit. Sexto die cum Deus conderet quadrupedia, bestias, & reptilia terrestria, reticet benedictionem, eámque reseruat homini, quem sexto die creare instituerat. Cæterum quadrupedia & bestiæ quædam pulchrè nobis depingunt homines quosdam qui Deum ignorant, impia patrant, terrena sapiunt, nec vnquam ad pœnitentiam conuolant. Nam qui conuertuntur ab iniquitatibus & iuste viuunt, animo quemadmodum aues sursum volitant, cœlestia & superna curantes, deóque placere satagentes. Qui vero voluntatem Dei nesciunt, & impia facinora committunt, similes sunt auibus, quæ pennas quidem habent sed onere corporis pressæ nequeunt sursum volare: Sic & hi peccatorum saburra degrauati, non possunt ad superiora contendere, & altiora deitatis, humi repentes, animo percurrere. Feras autem Græci nominant, θηρία ἀπὸ τοῦ θηρεύεσθαι, id est, quod venando capiantur. Nec tamen à rerum primordio noxiæ & exitiales creatæ sunt. Nam nihil noxium ab initio à Deo conditum est. Sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit, Vbi primum homo legem Dei transgressus est, etiam reliqua præuaricata sunt & degenerarunt. Vt enim si pater familias sapienter vitam instituit suam etiã domestici & reliqui familiares ordinatè & decenter viuent sequitur haud inconuenienter. Sin autem

Astra Mystice quid. — *Planetæ.* — *Opus 5. diei.* — *Ceti, & aues carniuoræ, Mysticè quid.* — *Auari.* — *Opus 6. diei.* — *Terra Hominis peccato effœta.*

herus peccarit & negligentiæ se corrumpendum dederit, huic dubium ne est quin & serui delinquãt & socordiam amplectantur? Pari ratione cõtigit in præsenti negotio, vt peccãte homine, etiam reliqua quæ in hominis ministerium creata erant, præuaricarentur. Vbi autem homo ad suam naturam & pristinum ingenium nec nõ dignitatem redierit cessans malefacere, etiam aliqua animalia in primitiuam restituentur mansuetudinem. Quod attinet ad hominis creationem, scias eam ab homine non posse sufficienter enarrari, quamuis breuibus & paucis scriptura sacra eam pronũciet. Nam cum dicit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c. hominis excellentiam & dignitatem prodit. Cum enim cętera omnia sermone nudo cõstitueret Deus, & ea quasi obiter nulla peculiari adhibita diligentia conderet, hominem existimauit solum esse opus sempiternum, suísque manibus dignum: Præterea, dum hæc loquitur, videtur ea proferre quasi auxilio aliquo egeat: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, &c. At hæc verba ad neminem alium, quàm ad suum sermonem sapientiámque dixerit. Creato homini benedictionem impartitus est, vt augesceret & impleret terram. Omnia eius manui & potestati subiecit. Ordinauit quoque primitus, vt victum haberet à fructibus terræ, seminibus, herbis & glandibus, quibus vnà vesceretur cum reliquis animalibus quibus eadem alimenta constituit. Cum in hunc modum consummasset Deus creationem cœli & terræ, maris & omniũ quæ in ipsis continentur, die sexto, ab omnibus operibus die septimo conquieuit. Deinde, his expositis, scriptura sacra omnia quasi in quandam summam contrahens, inquit: Istæ sunt generationes cœlorum & terræ cũ crearentur in die cum faceret dominus Deus terram & cœlos. Et omnem plantulam agri antequam esset in terra, & omnem herbam agri antequam germinaret, quia non pluere fecerat dominus Deus super terram, nec erat homo qui coleret humum, &c. His verbis manifestissimè docet vniuersam terram primitus irrigatam esse à diuino fonte. Nec terra postulabat laboriosas hominũ manus, sua sponte ex præcepto Dei proferebat fructus, ne homo operando lassaretur. Ne autẽ quæstio inter mortales moueretur imperuestigabilis super hominis formatione, cum dixisset: Faciamus hominẽ, &c, quia creatio eius nõdum patefacta erat. Ideo infert scriptura nos omnia docens: Fons siue vapor ascendebat de terra, & irrigabat vniuersam faciẽ humi. Formauit quoque dominus Deus hominem, puluerem de humo, & inflauit in nares eius flatum vitæ, factúsque est homo in animã viuentẽ. Inde anima à plerisque dicitur immortalis. Cõdito homini Deus elegit regionem in locis oriẽtalibus, amœnitate eximiam, lumine coruscantem, & splendido aëre illustrem, plantis varijs fœcundam. Et in hac collocauit hominẽ. Verũ verba sacræ historiæ sic habẽt: Plantauit insuper dominus Deus hortum in Eden ab oriẽte, & posuit illic hominem quem finxerat. Fecit etiam germinare dominus Deus de humo omnem arborem, quæ concupiscibilis erat visui & cõmoda in cibũ: & arbor vitæ erat in medio horti, atque arbor scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandũ hortũ, & inde diuidebatur, & erat in quatuor capita. Nomen vnius Pison: ipse est qui circuit totam terram Hauilach, vbi est aurum. Et aurum terræ illius est bonum, est quoque ibi bdellium & lapis Onychinus. Nomen vero fluuij secundi Gihon: ipse est qui circuit totam terram Æthiopię. Porrò nomen fluuij tertij Hidækel, & hic vadit ad orientalem plagam Assyrię: & quartus fluuius est Euphrates. Tulit itaque dominus Deus ipsum Adam, & posuit eum in hortum Eden, vt coleret & custodiret ipsum. Præcepítque dominus Deus ipsi Adam, dicens: De omni ligno horti comedendo comedes, de arbore verò scientiæ boni & mali, nequaquam comedes ex illa: alioqui quacumque die comederis ex ea, moriẽdo morieris. Et rursum dixit dominus Deus: Non est bonum vt sit

Hominis Creatio. — *Genes. 1.* — *Anima immortalis. Paradisus terrestris.* — *Fluuij 4. ex Paradiso terrestri profluentes. Hidækel, fluuius.*

vt sit Adam solus, faciam illi adiutorium quod sit coram eo. Itaque formauit dominus Deus de humo omnem bestiam agri, & omne volatile cœli, adduxitque ad ipsum hominem, vt videret quomodo appellaret illud: Omne enim quod ipse homo vocabat in anima viuente, illud nomen eius erat. Igitur vocauit ipse homo nomina cuique iumento & volatili cœli, omnique bestiæ agri: & pro homine non inuenit adiutorium, quod esset coram eo. Et fecit illabi dominus Deus soporem in Adam, & obdormiuit, tulitque vnam ex costis illius, & clausit carnem pro ea. Et ædificauit dominus Deus costam quam acceperat de homine in mulierem, & adduxit eam ad hominem illum. Et ait homo ille: Hac vice os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hinc vocabitur virago, eo quod de viro sumpta sit ipsa. Propterea deseret vir patrem suum & matrem suā, & hærebit cum vxore sua, erúntque in carnem vnam. Erant autem ambo illi nudi, homo inquā ille & vxor eius, & non erubescebāt. Serpens vero fuit callidior omni bestia agri, quam fecit dominus Deus, & dixit ad mulierē: Etiamsi dixit Deus, non comedetis de omni ligno horti? Et dixit mulier ad serpentem: De fructu ligni horti comedimus, de fructu vero arboris quæ est in medio horti, dixit Deus nequaquam comedetis ex ea, neque contingetis illam, ne forte moriamini. Et dixit serpens ad mulierem: Non moriendo moriemini. Sed scit Deus, quod ipsa die quando comederitis ex ipsa, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Videns itaque mulier quod bona esset arbor illa in cibū, & oculis concupiscibilis, desiderabilis quoque esset ipsa arbor ad prudentiā comparandam, tulit de fructu illius & comedit, deditque viro suo existenti secū, qui & ipse comedit. Et aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi essent, & consuerunt folia ficulneæ, fecerúntque sibi cinctoria. Et audierunt vocem domini Dei deambulantis in horto ad ventum diei, & abscondit se Adam & vxor illius à facie Domini Dei inter arbores horti. Et vocauit domius Deus ipsum Adam, & ait illi: Vbi es tu? Qui ait: Vocem tuā audiui in horto, & extimui, quia nudus ego, & abscōditus sum. Et ille dixit: quis indicauit tibi quod nudus esses? nunquid de ipsa arbore, de qua præcepi tibi, vt non comederes ex ipsa, comedisti? Et dixit Adā: Mulier ipsa quam dedisti vt mecum esset, ipsa dedit mihi de arbore, & comedi: Et dixit dominus Deus ad mulierē, Cur hoc fecisti: Et dixit mulier: Ipse serpens seduxit me, & comedi. Et dixit dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es præ omni iumēto, & præ omni bestia agri: supra ventrem tuum gradieris, & puluerē comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitias ponā inter te & inter ipsam mulierem, inter semen tuum, & inter semen illius, ipsum conteret tibi caput, & tu conteres eius calcaneum. Ad mulierem vero dixit: Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptū tuum: in dolore paries filios, & ad virum tuum erit desiderium tuum, & ipse dominabitur tibi. Ad Adam vero dixit. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de arbore, de qua præcepi tibi, dicens, non comedes ex ea, maledicta est humus propter te, in dolore comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ. Et spinam atque tribulū faciet crescere tibi, & manducabis herbam agri. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in humū, ex ea enim sumptus es, quandoquidem puluis sis, & in puluerem reuersurus sis. Verba sacræ scripturæ, quantum attinet ad historiam hominis & Paradisi, sic se habent. Obijcias igitur mihi: Supra tradidisti Deum loco non comprehendi, nunc vero ais eum in Paradiso ambulare? Audi responsum: Deus quidem vniuersorum pater, loco nec includitur, neque in loco inuenitur. Non enim est locus in quo ipse quiescat. Cæterum sermo eius per quem omnia creauit, existens potentia & sapientia patris, assumit personam patris & domini vniuersorum. is venit in paradisum sub persona Dei & colloquebatur cum Adamo. Siquidem scriptura sacra disertè ponit Adamum dixisse: vocem tuam audiui. At vocem quid aliud dixeris, quàm sermonem Dei, qui eius filius est? Nec arbitreris, vt poëtæ & fabularum scriptores perhibent, Dei filios ex cōcubitu esse natos: sed intellige hoc loco enarrari sermonem perpetuo existentem & insitū in corde patris Dei. Antequam enim quicquam eorum quæ facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit, vt qui mens & prudentia eius foret. Cum verò iam condere, quæ deliberauerat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum vniuersæ creaturæ, nec interim Deus exinanitus est sermone, sermonem gignens, & sermone alloquēs quæ volebat semper. Hæc nos docent sacræ literæ & omnes sancto Spiritu afflati, quorum de numero est Ioannes ad hunc modum differens: In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, &c. Significans in principio solum fuisse Deum & in eo sermonem. Postea infert: Deus erat ille sermo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Deus itaque existens sermo, & ex Deo progenitus, quando vult pater vniuersorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum. Qui adueniens, auditur & videtur ab eo missus, & in loco reperitur. Deus, vt ex præmissis apparet, hominem die sexto creauit. Eius tamen creationem patefecit post septimum demum diem, cum & paradisum parasset, in quo, vt in meliore & in excellentiore regione, homo degeret. Cæterum eorum, quæ tradidimus, veritatem res ipsa declarat. An non animaduertimus grauissimos dolores, quos in partu perpetiuntur mulieres? Horum deinde leui momento obliuiscuntur, vt multiplicetur & incrementa sumat mortalium genus. An non videmus condemnationem serpentis, quam exorsus sit humi serpens & terram vorans? Quæ quidem omnia plurimum faciunt ad comprobandam prædictorum veritatem. Præterea Deus exoriri fecit ex terra omnem arborem visu pulchram & bonam ad comedendum. Quare hoc? In primis namque semina, plantæ, herbæque solæ habebantur, quas imperio domini tertius produxerat dies. At quæ Paradisus proferebat, amœnissima & pulcherrima erant, siquidem eorum plantatio ab ipso nec ab alio Deo peracta est. Reliquas quidem plantas haud absimiles habuit mūdus: at duas istas arbores, arborem vitæ, alteram cognitionis, nulla alia terra tenuit quam sola paradisus. Verum vt sciamus paradisum esse terram, & super terra excultam, docemur à scriptura sacra, quæ inquit. Et plantauit Deus paradisum in Eden in regione Orientali, & in eo posuit hominem. Et prodire fecit Deus ex terra omnem arborem pulchram visu & bonam ad comedendum. Quod igitur ait, Ex terra, & in Orientali plaga, &c. diserte nos docet scriptura sacra paradisum esse sub hoc cœlo, sub quo Oriens & terra conspiciuntur. Dictio Eden, quæ Hebraica est, si transferatur in nostram linguam, versionem significat. Præterea indicat scriptura sacra fluuium procedere ex Eden ad irrigandum paradisum, qui inde in quatuor dispescitur capita, quorum duo vocantur Phison & Geon, & humectant Orietales regiones maxime tamē Geon, qui quasi circulo, vndique alluit vniuersam Æthiopiæ regionem. Hunc perhibent generare Nilum flumē Ægyptiacum. Reliqui duo fluuij manifestò à nobis cognoscuntur, & nominantur Tigris & Euphrates. Hi vsque ad nostra climata accedunt. Hominem autem Deus perduxit in paradisum, vt eum operaretur & custodiret, eiq; præcepit vt ederet de omnibus fructibus, nec etiam arborem vitæ excepit. Cæterum vetuit ne gustaret quidem fructum arboris cognitionis. In hūc modum trāstulit Deus hominem in paradisum, ei vndique occasiones suggerens vt cresceret & perfectus redderetur, & declaratus tandem Deus, in astra ascenderet. Mediam etenim conditionem obtinuit homo, nec totus mortalis, nec totus immortalis existens, verum vtriusque extitit particeps. Sic quoq; paradisus æternitate donatus in medio cœli & terræ constitit, quātum ad amœnitatem & pulchritudinem attinet. Quod inquit, vt

Margin notes: *Genes. 2. Matt. 19.* — *Genes. 3.* — *Eua tentata à serpente.* — *Christus cum Adam colloquutus. Filius Dei Patri coaeternus.* — *Coloss. 1.* — *Ioh. 1.* — *Christus à Patre missus, reperitur in loco.* — *Genes. 2.* — *Nilus fl.* — *Hominis prima conditio.*

eum operaretur, &c. nullum aliud opus nullúmque laborem præcipit, quàm vt sedulò seruet mandatum Dei ne impingens seipsum perdat, quemadmodum accidit ei propter peccatum. Arbor quidem cognitionis erat bona, erat bonos & eius fructus. Non enim, vt quidam opinantur, aliquid noxij vel leriferi ea arbor tulit, sed inobedientia mortis causa fuit. Nam fructus nihil aliud habebat, quàm cognitionem solam. Verum cognitio bona & pulchra est, si quis ea rectè vtatur. Eo tempore adhuc infans seu puer erat Adam. Quapropter eam cognitionem digne percipere nequiuit. Nam etiamnum infans recenter natus pane vesci nequit, at prouectiore ætate etiam ad solidiorem cibum procedit. Idem euenit vt in Adamo. Quapropter non inuidês (vt quidam sentiunt) Deus Adamo, eum ab arbore cognitionis abstinere iussit. Præterea hominem probare volebat Deus, an dicto audiens esse vellet. Ad hæc cupiebat vt homo tempore lõgo simplex & syncerus maneret quasi puer. Id enim sanctum & laudabile censetur, non solum apud Deum, sed & apud homines, videlicet in simplicitate, & absque omni malitia subijci parentibus. Præterea ius naturale postulat, vt liberi sint parentibus subditi. Si autem liberos parentibus subiectos esse oportet, quanto magis conuenit vt Deo patri omnium pareamus? Indecorum est pueros, antequam puerilem egressi fuerint ætatem, supra ætatem sapere. Quemadmodum enim ætas & statura incrementum sumit paulatim, sic etiam prudentia pedetentim augetur. Cum lex aliquid vetat, nec homines legi positæ obtemperant, iam pœnam non lex, verum hominum inobedientia gignit. Nam & pater interdum filio edicit, vt ab aliquibus abstineat: si paternum imperium respuit & in vetita nititur, virgis cæditur, pœnámque non paternum edictum, verum inobedientia meretur. Nec res ipsæ, verbera seu pœnas continent, sed inobedientia inobediẽti pœnam & ignominiam importat. Ad eum modum, Protoplastum nostrum inobedientia ex paradiso expulit. Nec propterea, quasi aliquid mali scientiæ siue cognitionis arbori inesset, homo primæuus in labores, tristitiam & postremo in mortem prolapsus est, sed inobedientiam potiùs culpet, quæ horum malorum causam extitit. At Deus maximum beneficium homini præstitit, ne perpetuum in peccatorum sordibus hærere cogeretur. At quod est illud beneficium? Nempe quod eum eiecit paradiso, solum vertere quasi exulem, iubens, vt statuto sine determinato tempore peccatum exoluens, & probe omnia edoctus & institutus, postremo reuocaretur. Quapropter cum homo iam recens in mundo conditus foret, quasi sub ænigmate, & mysterio in Genesi scriptum reperitur, hominem bis in paradisum esse collocatum. Prima in paradisum inductio contigit: altera eueniet post vniuersalem resurrectionem & extremum iudiciũ. Quemadmodum vas aliquod, modo factum artificis manu si non respondit ad animum artificis, denuo fingitur & funditur vt sit nouum & integrum, sic homini accidit per mortem. Nam eius potentia confractus est vt inueniatur in resurrectione sanus, id est mundus, iustus, immortalis. Quod Deus vocat hominem, & ait. Vbi es Adam? &c. ne tu factum intelligas, quasi rerum fuerit ignarus. Deus longanimis existens, ei occasionem pœnitentiæ & confessionis subministrabat. Sed dicat quis: Mortalis ne creatus est homo? Nequaquam. Quid igitur? num immortalis? Ne hoc quidem. Nam à primordio suæ creationis nec mortalis nec immortalis cõditus est. Si immortalem ab initio eum fecisset, Deum eum constituisset. Si mortalem eum formasset ab initio, Deus sanè posset author hominum mortis videri. Apparet igitur hominem a Deo nec mortalem nec immortalem esse factum, sed quemadmodum supra significauimus, vtriusque quodammodo participem, vt reperet ad immortalitatem seruans mandatum Dei, & vt hanc caperet mercedem, tandem & ipse Deus factus: Sin autem conuersus fuerit (inobedientiam sectatus) ad peccatum & reliquerit Deum, sibijpsi vt author foret mortis. Nam liberum & sui iuris creauit Deus hominem. Quod autem sibi per iniuriam & inobedientiam accersiuerat, id ei nunc donat Deus per suam humanitatem & misericordiam faciens homines sibi obedientes. Quemadmodum enim sua inobedientia quasi proprio iumento mortem sibi apportauit homo: Sic qui Dei voluntati non recusat obtemperare, sibi æternam potest parare vitam. Nam legem & præcepta sancta communicauit nobis Deus, Quæ si homo seruarit, salutem consequi: & resurgens, hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit. Adam paradiso exactus cognouit Euam vxorem suam, quam ei formauerat Deus ex costa. Cæterum ex costa mulierem finxit non ideo, quasi ex alia materia præstare id non valeret, sed alia causa est. Deus prænouerat homines Deorum multitudinem introducturos. Eius igitur rei præscius existens, & quasi certò sciens serpentem, per multitudinem Deorum (qui non sunt) errorem allaturum (nam cum sub idem tempus vnus foret Deus, iam tum meditabatur error siue diabolus multitudinem deorum subserere, & dicere: Eritis vt dij) ne exurgerent qui dicerent: Hic Deus virum, alius format mulierem, &c. Euam ex costa compegit, & duos fecit ambos. Simul per hæc, quasi in mysterio, suam monarchiam siue vnitatem demonstrari voluit, dum simul vtrumque creat. Et erunt duo in carnem vnam. Hoc quidem in nobis experimur completum. Quis enim legitimas nuptias contrahens, non cõtemnat matrem, patrem, vniuersam cognationem, propinquos & amicos, vt suo compari adhæreat? Et quo maiore inuicem deuincirentur beneuolentia, ad Euam dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Præterea vaticinatus est, dicens. Huius rei gratia deseret homo patrem suum & matrem, & adglutinabitur vxori suæ, eruntque duo in carnem vnam. Hoc quidem in nobis vsuuenire quis est qui nõ videat? Quis enim legitimis nuptijs sese committens, non spernit matrem & patrem, omnem cognationem, atque adeò omnes propinquos & adglutinatur & coadunatur magis vxori, quam prædictis omnibus? Hinc videre est quosdam propter sponsas suas non cunctari extrema subire vitæ discrimina. Hanc Euam principem & caput peccati (quia seducta est à serpente per quem maleficus diabolus loquutus est, qui diabolus & Satan vocatur & vsque adhuc operatur in ijs qui ipsius spiritu aguntur) diabolus non cessat vocare. Diabolus quoque draco nominatur. At eius nominis etymologia deriuatur ἀπὸ τοῦ δεδρακέναι, id est, qui fugerit, ceu fugitiuus à Deo. Siquidem in principio suæ creationis Angelica fulgebat dignitate. Et hæc quidem de diabolo, cuius alias multam fecimus mentionem in alijs nostris scriptis. Quapropter nolumus nunc ea iu re esse prolixiores. Adam vbi cognouit vxorem suam, ea concipiens peperit tandem filium nomine Cain, & dixit: Acquisiui hominem à Domino. Deinde denuo concipiens & alterum filium enixa est, cui parentes nomen dixere Abel. Abel rem pecuariam exercebat: Cain erat agricola & agriculturæ dabat operam. Quod ad hos pertinet, historia sacra complectitur plura, & alio, quam nos enarramus, modo. Quopropter si quis cupit hæc exactius & quasi ad vnguem nouisse, consulat librum, qui inscribitur, Generatio mundi: & omnia perfectius addiscet. Diabolus videns non solum Adamum & Euam vita frui, verum & liberos procreare, quos cum non posset perimere, inuidia stimulatus instigauit Cain, vt fratrem suum Abel, qui gratus & acceptus erat Domino, crudeliter enecaret. Hoc pacto diabolus principium & origo fuit mortis quæ postmodum latè vsque ad nostra tempora in vniuersum genus mortalium euagata est. Deus ductus misericordia sua voluit pœnitentiæ & confessionis Cain, sicut & Adæ præbere occasionem, & dixit: Vbi est Abel frater tuus? Cain respondet, admodum præfractè inobediens existens Deo & inquit, nescio, num ego custos sum

Arbor cognitionis.
Adam infãs.
Puerorum sapientia, & subtilio.
Homo bis paradiso collocatus à principio.
Adam cur à Deo vocatus.
Adam initio nec mortalis nec immortalis.
Eua cur formata ex costa.
Adam Propheta.
Diabolus.
Cain.
Diabolus origo mortis.

ctos sum fratris mei? Hinc iratus Deus, dixit: Quare fecisti hoc? vox sanguinum fratris tui clamat ad me A de humo. Et nunc maledictus es tu è terra, quæ aperuit os suum ad suscipiendum sanguines fratris tui de manu tua. Mobilis & vagus eris in ipsa terra. Ex hoc tempore, terra timore perculsa non amplius hominis nec etiam alterius animalis sanguinem fudit. At homicidij culpam non hærere in terra, verum in homine transgressore, omnibus manifestum reor. Sed & Cain natus est filius, cui nomen erat Enoch. Pater dehinc extruxit vrbem, quam nomine filij sui appellauit Enoch. Eo tempore cœptæ sunt vrbes condi, & quidem ante diluuium. Proinde falsum & mendax est testimonium Homeri canentis: Nec enim dum vrbs posita erat hominum distinctas linguas habentium. Enoch natus est filius nomine Gaidas, qui genuit Meel, qui genuit Mathusalem, qui genuit Lamech. Lamech accepit vxores duas, quarum nomina Ada & Sela. Eo enim demum tempore inoleuit mos multas habendi vxores. Hoc eodem tempore & musica inuenta est. Nam Lamech nati sunt filij tres, quorum nomina, Obel, Iubal, Thobel. Iubal inuentor Psalterij & Citharæ est. Thobel fuit faber æris & ferri Hucusque excurrit genealogiarum cathalogus, quæ sequutur obliuio aboleuit, quod commisit fratrici lium. At Deus, vt alius in locum Abel perempti substitueretur, dedit vt Eua conciperet & filium æderet, qui nominatus est Seth, à quo ad nostra vsque tempora mortalium genus propagatum est. Sed si qui cupidine aguntur & reliquas audiendi genealogias, quas quidem scriptura sacra tradit, scripturam sacram adeant, & rem omnem inuenient. Nam etiam nos conscripsimus, vt supra testati sumus, orationem quæ continet genealogiarum seriem. Cæterum genealogiarum ordo est in primo sacræ historiæ libro. Hæc omnia, quæ hactenus tradidimus, docet nos Spiritus sanctus per Mosen & reliquos Prophetas. Ex quibus constat, nostra scripta, qui pij sumus & veram religionem tenemus, esse antiquissima: præterea demonstrantur veriora esse omnium poëtarum & authorum scriptis. Quod ad Musicam attinet, eius inuentorem quidam nugati sunt esse Apollinem. Alij hoc inuentum Orpheo acceptum referunt, vt qui Musicam ex suaui auium concentu venatus sit. Verum quis non intelligit horum rationes vanas & mendaces esse? Nam Apollo & Orpheus longo demum post diluuium tempore vixerunt. De Noë, quem nonnulli Deucalionem vocant, in libro quem supra ostendimus, loquuti sumus: quem, si lubet, ipse inspicere potes. Post diluuium denuo vrbes cœptæ sunt extrui, & regna distingui. Vrbs prima fuit Babylon, hanc ordine subsecutæ sunt, Orech, Archat, & Chalanæ conditæ in regione Senaar. His, & rex præfuit Nembroth. Inde originem sumpsit Assur, vnde Assyrij suum nomen sunt adepti. Nembrothica opera sunt Niniue, Rhoboon, Calaë & Dasan, quæ in medio Niniues & Calaës sita est. Niniue primitus, vrbs admodum fuit magna. Alter filius Sem filij Noë, nomine Mesrain, genuit Laudonim, Euemigim, Labiim, Nephrhalim, Patrosoniim & Chasloim, vnde progressus est Philistim. Verum, quod attinet ad trium filiorum Noë consummationem & genealogiam, quid refert plura commemorare, cum omnia ista prolixè tractata sint in Epitome eius libri de quo supra? Nunc, quod superest, recordabimur vrbium & Regum, qui eo tempore fuere, quo hominibus adhuc ignotæ erant variæ linguarum dialecti. Vrbes, quas modo diximus, ædificatæ sunt ante linguarum diuisionem. Cum autem tempus diuidendarum linguarum instaret, homines consilium cepere, at non ex Deo, extruendæ vrbis & excitandæ turris, cuius fastigium cœlum attingeret, Et hoc pacto sibi immortalitatis famam parare nitebantur. At quia præter Dei cõsilium, adeò temerarium exorsi sunt opus, factum est vt Deus eorum opus dissiparet, turrímque sterneret. Eo tempore hominum linguas Deus mutauit, dans singulis propriam dialectum. At hæc quidem Sibylla significauit, mundo iram futuram annuncians, & sic fatur: Sed quando magni Dei perficiuntur minæ quas comminatus est mortalibus, quando turrim fabricarunt regione in Assyria: Omnes erant eiusdem linguæ & parabant in cœlum scandere stelligerum. At Deus immortalis magnam iniecit necessitatem ventis: Verum venti deinceps magnam & excelsam illam turrim deiecerunt præcipitatam ex alto, & inter mortales contentionem excitarunt. Sed vbi turris corruit, linguæ hominum in multas mortalium diuisæ sunt dialectos, &c. Hæc quidem euenere in terra Chaldæorum. Cæterum in terra Chanaan condita est vrbs nomine Charra. Sub idem tempus primus Ægypti rex fuit, quẽ vocarunt Pharaonem, qui idem Nechaoth secundùm Ægyptios appellatus est, & ab hoc mutua successione aliorum regum Ægyptus administrata est. In terra Senaar, quam tenebant Chaldei, rex primus extitit Arioth. Huic successit Ellasar, in cuius locum substitutus est Chodollagomor rex Ælan, in cuius locum surrogatus est Thargan rex gentium quæ dicebantur Assyriorum. Fuere & aliæ quinque vrbes in ea terræ parte, quam sibi vendicarent filij Cham, quem genuit Noë. Harum nomina hæc sunt, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, quæ & Segor nũcupata est. Nomina regum, qui istis vrbibus præfuere, sic habent: Ballas rex Sodomorum, Barsas rex Gomorrhæ, Senaar rex Adamæ, Hymur rex Seboim, Balach rex Segor, quam vrbem alio nomine vocarũt Cephalam. Prædicti reges tributarij fuere Assyrio. Chodollamogor, annis 12. Anno verò 13. defecerunt ab Assyrio. Hæc defectio peperit bellum quod gestum est quatuor regibus Assyriorum cum quinque regibus qui tenebant regionem Cham filij Noë. Eo tempore cæsi sunt gigantes Carnain, necnon cædem senserunt gentes robustæ: eadem cædes traxit Ommæos habitantes in vrbe, & Chorræos colentes montana Seyr vsque ad Terebinthum Pharam, quæ visitur in deserto. Ea tempestate floruit rex iustus nomine Melchisedech domicilium habens in vrbe Salem, quæ nunc Ierosolyma dicitur. Hic primus omnium sacerdos Dei altissimi fuit. Ab hoc Salem Ierusalem dicta est, cum antea nominaretur Hierosolyma. Hic cum fuisset primus sacerdos, factum est vt ab eo sacerdotes initium sumentes peruaserint vniuersam terram. In huius locum successit Abimelech, qui regnauit in Geraris. Huius successor fuit alter Abimelech. Post hunc regni gubernacula cepit Ephron cognomento Chettæus. Nomina eorum regum qui illa tempestate viguerunt, sic se habent. Assyriorum reges, qui multis annis interiectis regnarunt, silentium & obliuio oppressit. Omnes enim saltem postremorum meminere temporum. Assyriorum, quod scimus, reges fuere Theglaphasar, Selamanasar, Senacherib. Huius triarchus fuit Adramelech Æthiops, qui etiam Ægyptiaci tenuit gubernacula regni, quamuis hæc, quod ad nostra scripta attinet, recentiora sint. Hinc videre, & nusquam alibi, historiarum & antiquitatis studiosi possunt, an ea quæ à nobis traduntur per Prophetas sanctos sint nupera. Cum primis temporibus pauci forent homines in Arabia & Chaldæa, post linguarum diuisionem aucti & multiplicati paulatim sunt. Hinc quidam abierunt versus Orientem, quidam concessere ad partes maioris continentis: alij porrò profecti sunt ad Septentrionem, sedes quæsituri. Nec prius desierunt terram vbique occupare, quàm etiam Britannos in Arctici s climatibus accesserint. Fuere qui sibi subijcerent Iudæam, Phœniciam & regiones Æthiopiæ, Ægypti, Libyæque, nec non eam regionem quæ torrida dicitur, & loca qui in Occidentem porriguntur. Fuere qui incipientes à regione maritima & Pamphylia, Asiam, Græciam, & Macedoniam sibi assignarent. Reliqui porrò Italia, Gallijs, Hispanijs & Germania sunt potiti. Atque adeò vniuersa terræ superficies abundat habitatoribus seu incolis. Primò quidem loca Orienti, Meridiei & Occidenti subiecta inhabitata sunt. Postmodum inde

Marginalia (left column): Vrbes condi cœptæ. — B — Polygamia. — C — Musica quãdo inuenta. — D — Noë, qui & Deucalion. — Vrbes antiquissimæ. — Niniue. — E — Turris Babel Gen. 11.

Marginalia (right column): Sibylla. — Pharao Nechaoth. — Melchisedech à quo omnes sacerdotes. — Abimelech. — Adramelech.

Mundi forma. progressi paulatim homines, etiam reliquas orbis partes inuaserunt. Hæc dum ethnici scriptores nesciunt, attamen audent asserere mundi formam esse instar globi, propter soliditatem & suum ad centrum recessum, non cunctantur eam cubo comparare. At qua fronte audent horum veritatem adstruere, cum mundi creationem ignorent, præterea non constet penes ipsos vt paulatim, sicuti prædiximus, homines dispersi sunt habitandi gratia per vniuersam terram, Ad eum modum cœptæ sunt habitari insulæ maris, nec non reliqua orbis climata. Quis igitur ex isto magno Philosophorum, Poëtarum & scriptorum grege potuit verum pronunciare, cum multo sint creatione mundi iuniores, & Deorum multitudinem docuerint, quos liquidò elucet natos esse longo demum tempore post vrbes conditas, regna distincta, gentes diuisas, & bellorum exortum. Si sanè voluissent veritatem rerum demonstrare, oportebat eos quæ præcessere diluuium, tradere: videlicet mundi & hominis creationem, deinde etiam reliqua quæ contigere, non silentio præterire. Ad hæc conueniebat, vt & Ægyptiorum & Chaldæorum vates & reliqui scriptores quotquot diuino & puro spiritu illuminati fuere, non solum præterita aut instantia prædicerent veritate subnixi, sed & futura quæ essent, mundo magna veritate prænũciare. Ex quibus omnibus apparet omnes scriptores cæteros errore tractos solos, vero Christianos veritatis factos esse compotes, Docemur etenim & instruimur à sancto Spiritu, qui loquutus per Prophetas, iam olim omnia quæ mundo euentura essent, prædemonstrauit. Et tibi quidem in facili est scrutari ea quæ sunt Dei, id est, ea quæ per Prophetas iam olim prędicta sunt. Quæ si diligéter inspexeris, collatione facta eorum quæ à vobis & ab reliquis prophanis Rhetoribus feruntur, veritatem facilè assequi poteris. Nomina eorum, quos deos dicitis; satis liquet ex illis quæ supra annotauimus, & ex reliquis historiis, esse nomina hominum demortuorum. Horum imaginem subinde adhuc hodie finguntur, quas quid aliud, quàm simulachra, humanarum manuum opera dixeris? Ista suppliciter colit vanorum hominum multitudo: Cæterum Creatorem & opificem altorémque omnis spiritus irritum faciunt & vilipendunt mortales, nec recusant obtemperare vanis dogmatibus sequuti stultam à patribus traditam sententiam. Verum Deus non dereliquit humanum genus, imò pater & conditor huius vniuersi legem dedit, misit & Prophetas sanctos vt annuntiarent & demonstrarent efficaciter hominibus vt euigilent, atque vnum solum esse Deum cognoscant. *Prophetarum doctrina.* Prophetæ docuerunt abstinere ab nephario idolorum cultu: iusserunt quoque vitare adulterium, cædem, scortationem, furtum, auaritiam, periurium, iram, mendacium, nec non omnem lasciuiam & immundiciem. Præterea sedulò cauere præceperunt, ne quis faciat alteri, quæ sibi minime fieri velit. Quare? Vt homo ad eum modum opera bona faciens pœnas sempiternas effugiat, & dignus sempiterna vita à Deo pronuncietur. Nec solum idolorum cultum lex diuina inhibet, sed interdicit quoque, ne quis elementa, solem, lunam, & reliqua astra adoret. Præterea prohibet colere cœlum, terram, mare, fontésque: sed sedulò inculcat vt reuera existens Deus, qui creator est vniuersorum, in sanctitate cordis, puròque animo adoretur. Quapropter sancit sancta lex; Non adulterium committas, Non occidas, Non furtum facias, Non falsum testimonium dicas, Non concupiscas vxorem proximi tui, *Exo. 20.* Idem docent & Prophetæ. Solomon ita nos instruit, vt ne nuto quidem nos peccare velit, dicens: Oculi tui in directum aspiciant, & palpebræ tuæ rectum teneant iter ante te. *Prou. 4.* Moses qui & ipse Propheta est, de vnitate Dei in hunc modum disserit: Hic Deus vester qui firmauit cœlum & creauit terram, cuius manus ostendit vniuersam militiam cœli, Non eam vobis monstrauit vt post eam abireris. *Deut. 17. Isa. 42.* Esaïas inquit: Sic dicit Dominus Deus qui firmauit cœlum, & creauit terram, & ea quæ sunt in ipsa: qui dat spirationẽ populo super ea, & spiritum iis qui calcant eam: Hic Dominus Deus vester. Iterum per eundem ait: Ego feci terram & hominem super ea. Ego manu mea firmaui cœlum. Idem in alio capite: Hic noster Deus, qui parauit extremitates terræ. Non esuriet nec fatigabitur, nec prudentia eius vestigari potest. Similiter & Hieremias dicit: Qui fecit terram in virtute sua, & parauit orbem in sapientia sua, atque intelligentia sua extendit cœlos. *Hier. 10. & 51. Psalm. 134.* Qui per vocem suam dat copiam aquarum in cœlis, & leuat nubes ab extremitate terræ: ipse fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de thesauris suis. Videre est quàm consona loquuti sint omnes Prophetæ vno eodémque spiritu afflati explanantes vnitatem Dei, mundi hominísque generationem. Præterea grauiter doluere deplorantes impium mortalium genus: nec non obiurgarunt, & reprehenderunt magna seueritate eos qui sibi sapientiam arrogabant, cùm essent interim erroribus & tenebris immersi: *Hier. 51.* Hieremias clamat: Infatuatus est omnis homo à scientia, & confusus est omnis conflator propter sculptile, eo quod conflatile eius mendacium sit, & non sit spiritus in eis, Vanitas sunt & opus errorum, in tempore visitationis eorum peribunt. *Psalm. 52.* Idem sensit & Dauid, dicens: Corrupti & abominabiles facti sunt suis studiis, Non est qui faciat bonum, Non est vsque ad vnum, Omnes declinaturt simul & inutiles facti sunt. *Abac. 2.* Assentitur his & Abachuch, inquiens Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus vt esset conflatile, & quod annunciat mendacium? & tamen fiduciam habent in eo, fictor scilicet in figmento suo, vt faceret idola muta, Væ qui dicit ligno, euigila: & lapidi insensibili, excitare. His adstipulati sunt in suis prophetiis & reliqui sacrosancti veritatis vates. Ad quid necesse est multitudinem enumerare Prophetarum qui plurimi extitere: & omnia inter se consona, adeò vt nulla contrarietas deprehendi possit, protulere. *Propheta illiterati.* Si quis ea scire gestit. Prophetarum ianuæ patent. Hos legat accedens mente pura, & exactè veritatem ipsam cognoscet. Cæterum Prophetæ illi, quorum mentio facta est, fuere in populo Israelitico illiterati, pastores & idiotæ. *Sibylla.* Verum etiam Sibylla Græcorum & reliquarum gentium prophetissa, in principio suæ prophetiæ inuehitur in mortalium genus, dicens:

Viri mortales & carnes nihil, existentes
Quomodo statim exaltamini, vitæ finem non inspicientes?
Nec contremiscitis nec timetis Deum inspectorem vestri,
Altissimum cognitorem & omnium speculatorem, testem omnium, *Dei descriptio.*
Nutritorem omnium & creatorem, qui dulcem spiritum omnibus,
Indidit, & ducem mortalium omnium statuit.
Vnus Deus solus regnat, magnitudinem excedens & ingenitus,
Omnipotens, inuisibilis, videns ipse solus omnia,
Ipse non videtur mortali a carne vniuersa.
Quæ enim caro potest cælestem & verum
Oculis cernere Deum, immortalem qui vrbem habitat?
Verum nec ex aduerso radiorum solis
Homines stare possunt: mortales genus
Viri, ossa, venæ & carnes existentes
Ipsum solum existentem colite ducem mundi,
Qui solus in sæculum & ex sæculo natus est:
Ex se genitus, ingenitus, omnia tenens, semper
Cunctis mortalibus significans iudicium in luce communi.
Stultitiæ dignam accipietis mercedem,
Quod Deum omittentes verum sempiternum
Laudare, eique immolare sacras hecatombas,
Dæmonibus sacrificastis qui sunt in inferno.
Superbia & furore peruersi incessistis, & callem
Rectum deserentes abiistis per spinas,
Et per vepres errastis: Mortales cessate vani,
Errantes in tenebris & in obscura nocte atráque,
Relinquite tenebras noctis & lucem apprehendite:

Hic

Cognoscite ponentes sapientiam in præcordiis vestris.
Hic, ecce, omnino verus & errore vacuus existit.
Venite, nec tenebras sectemini & caliginem semper,
Solis dulce visu ecce lumen splendet:
Vnus Deus est, imbres, ventos, terræmotus immittens.
Fulgura, famem, pestem, & curas tristes,
Et niuem glaciémque: Quid omnia singulatim commemoro?
Cælum gubernat, terram tenet, ipse existit,
Et ad eos qui geniti dicuntur, loquutus est:
Si genitum omnino & corrumpitur, non potest ex viri
Semine & matrice formatus Deus esse,
Sed Deus solus, vnus, excelsissimus,
Qui creauit cœlum, solem, astra atque lunam,
Fertilem terram, & marinas ponti procellas,
Montes excelsos & perennes fontium scaturigines:
Etiam aquatilium generat innumerabilem multitudinem,
Reptilia terra se mouentia, & qui frigido nutriuntur,
Varia animalia suauiter sonantia vocéque titubantia,
Pulchra, alis dulce crepantia, turbantiáque aërem alis.
In saltibus montium syluestrem prolem posuit ferarum:
Nobis iumenta subiecit omnia mortalibus:
Omnium principem constituit hominem à Deo conditum:
Viro subiecit admodum pulchra capsúque facilia.
Quæ etenim caro potest cognoscere hæc omnia?
Sed ipse solus nouit qui fecit hæc ab initio,
Immortalis, conditor sempiternus, æthera inhabitans,
Bonis bonam proferens & multiplicem mercedem:
At malis, iniustis, bilem & furore excitans,
Et bellum, & pestem, & dolores lugubres.
Homines quid frustra exaltamini? eradicabimini.
Erubescite, mustelas & bestias consecrantes,
Non furor est, & rabidorum hominum vanáque onera?
Boues furantur dij, rapiúntque ollas
Circa aureum polum & fœcundam terram.
Vermibus exesa aspexistis, & densis araneis velata
Timuistis, adorantes serpentes, canes, feles: stulti
Etiam liberos colitis & reptilia animalia terræ,
Et lapideas statuas & simulachra manufacta,
Et in itineribus lapidum aceruos: hæc adoratis
Et alia multa vana, quæ sanè turpe fuerit prædicare.
Sunt enim dij hominum deceptores stultorum.
Horum ex ore funditur letale venenum,
Neque est vita, & incorrupta sempiternáque lux,
Et melle dulciorem viris risum
Profundit. Huic soli ceruicem flecte,
Et semitam in pijs seculis inclina.
Illa relinquentes omnia, iustitia plenum poculum
Parum forte pressum admodum bene temperans
Traxistis imprudentia me sola: quia spiritu omnes
Et noluistis euigilare, & ad prudentem mentem reuerti,
Et cognoscere regem Deum omnia inspicientem.
Huius rei gratia ardentis ignis splendor venit ad vos,
Flammis combureminí in seculum quotidie.
Falsis confisi idolis & inutilibus.
Qui vero Deum colunt verum & sempiternum,
Vitam hæreditabunt in sempiternum, ipsi
Inhabitantes paradisi amœnum hortum,
Edentes dulcem panem à cœlo stellato.

Dei prouidentia. *Homo omnium princeps conditus.* *Gentilium Idololatria reprehenditur.* *Ignis Gehennæ.* *Piorum vita æterna.* *Panis cælestis.*

Quod autem hæc vera, vtilia, iusta, gratáque sint omnibus mortalibus, manifestum esse reor. Præterea quod malefactores necessariò suorum scelerum pœnas persoluant, etiam Poëtæ quasi oracula quædam cecinerunt. Sed ea in testimonium cedunt ijs qui scelera committunt, vt qui propter ea sint pœnis subdendi. Nam Æschylus inquit: Patranti scelus, & pœna debetur. Pindarus ait: Eum qui iniuriam infert, & pœnas dare (vt videtur) oportet. Euripides dicit: Æquo animo pœnas patere nam delinquens gaudebas. Legis esse puto, hostem male mulctare, virum, vbi eum ceperit: idem, hostem male multare virum, viri iudico esse partes. Ab his non dissentit Archilocus, dicens: Vnum noui, & illud quidem magnum, malefacta malefactori grauissimis cõpensatum iri malis. Ad hæc Deum nihil latere, sed omnia ipsius oculis esse subiecta, & esse longanimem vt possit conniuere vsque dum iudicaturus sit vniuersum mũdum, satis euidenter Dionysius docuit: Iustitiæ oculus, placida forma veniens, vt fax splendens, quam proximè accedet si videat. Quod Deus mundum sit iudicaturus, & mala subitò sint deinde impios & sceleratos apprehensura, testatur Æschylus his verbis: Malum quidem celere venit mortalibus, inueniunt & delicta eum qui negligit Themin. Vides iustitiam tantam & occultam dormienti, incedenti & sedenti. Inde proponit decretum, aliud deinceps nõ inuoluet nox delictum. Cum igitur quid feceris mali, inspectorem aliquem præsto esse credito. Nónne his & Simonides concinit scribens: Non est malum, quod præter expectatum obueniat hominibus. Breui momento vicissitudinem inducit Deus. Euripides. Nunquam felicitatem mali viri & superbas diuitias stabiles fore conijcere oportet, nec etiam felicitatem nouam iniquè partam. Tempus enim in lucem protrahit hominum vitia. Idem iterum inquit: Non enim intellectu caret Numen: imò intelligere potest si qui male sint positi & vi oppressi. Sophocles inquit: Si cupiuisti siue fecisti mala, etiam mala te perpeti oportet. Præterea quod Deus iudicium sit redditurus in extremo die de periurio & alijs peccatis, Poëtæ quoque ferè prædixerunt. Quod pertinet ad conflagrationem mundi, nolentes volentes consentiunt cum Prophetis, quãuis temporis respectu his multò sint iuniores. Attamen ea ex Lege & Prophetis, vt supra monuimus, suffurati sunt. Sed quid refert priores vel posteriores fuerint Prophetis? In hoc negotij cardo vertitur, quod haud absimilia Prophetarum oraculis prædixere. De mundi conflagratione vaticinatus est Malachias Propheta: Ecce dies Domini venit vt clibanus ardens, & incendet omnes impios. Similiter & Esaïas: veniet enim ira Dei veluti inundans grando, & turbo subuertens, veluti impetus aquarum validarum & inundantium qui omnia fortiter deijcit ad terram. Hæc quidem Sibylla & reliqui Prophetæ vaticinati sunt. Verum & Poëtæ Philosophique scripserunt de iustitia, de iudicio, de æterna condemnatione, necnon de Prouidentia. Nam non solùm sua prouidentia Deus, nos qui adhuc vita fruimur, sed & mortuos curat, quicquid tamen alij garriant. At eorum oratio à veritate subuertitur & redarguitur. Solomon vnus è Prophetarum sanctissimo choro de mortuis loquutus est, dicens. Erit sanatio carnibus, & curatio ossium. Idem testatur & Dauid: Exultabũt quæ sunt humiliata. His haud incongrua pronunciauit Timocles dicens, mortuis impertitur misericordiam æquus Deus. Præterea scriptores, quotquot tradidere deorum multitudinem, tandem ad Dei vnitatem deuenere: qui docuere non esse prouidentiam Dei, tandem eam confessi sunt: qui voluere Deum non iudicaturum orbem, tandem credidere iudicium futurum, etiam illi qui negabant post mortem esse sensum. Homerus quidem dixit: Anima instar somni auolauit. Et alibi: Anima ex membris auolans ad inferos descendit. Et alibi: Sepelito me, vt quàm primum portas Plutonis transeam. De reliquis puto te melius nosse, vt qui legeris authores qui ea tradidere. Hæc omnia intelliget qui Dei sapientiam exquirit studens ei placere per fidem, iustitiam, & per bona opera. Nam quidam eorum Prophetarum, quos supra ostendimus, nomine Oseas ait. Quis sapiens & intelliget ista, & prudens cognoscet ea? quoniam rectæ sunt viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: iniqui autem corruent in eis. Oportet igitur te, si es discendi cupidus, frequentiùs accedere scripturam sacram vt viuas: & audiens vocem Dei, ad vnguem (quod aiunt) veritatem consequere.

Poëtarum testimonia de pœnis impiorum. *De Prouidentia.* *De Iudicio extremo.* *Diuitiæ superbæ, instabiles.* *Mundi conflagratio.* *Poëtæ multa suffurati ex Prophetis.* *Psalm. 5.* *Gentiles omnes tandem confessi eadẽ quæ Christiani.* *Homeri sententia de anima.* *Osee.14.*

THEOPHILI AD AVTOLYCVM, LIBER TERTIVS.

Scriptorum studia.



THEOPHILVS Autolyco salutem dicit. Scriptores cæteri aiunt multos libros conscribere, quibus vanam venentur gloriam: libros itaque componunt aut de diis, aut de bellis, aut de temporibus dum annales condũt. Alij fabulis inutilibus & alijs deliramentis opera sua cõplent. Et tu quidem hactenus multum in fabulis fingendis desudasti, nec nunc ab isto labore recedis, & quamuis nobiscum sis congressus & disputaris, attamẽ adhuc arbitraris veritatis sermonem esse nugas. Nam existimas nostra scripta esse recentia & nupera. Proinde ego nihil cunctabor (adsit modo Deus) à prima origine repetere nostrarum literarum antiquitatem, breue & succinctum Hypomnema conficiens, ne verborum multitudine deterritus, si prolixior forem, id legere morareris. Hinc autem cognosces reliquorum scriptorũ, qui circa prophana versantur, ineptias & nugas. Oportebat enim scriptores testes esse oculatos eorum quæ tradunt, aut rerũ veritatẽ exactè didicisse ex ijs qui rebus gestis interfuere. Nã qui incerta quæ ipsi ignorant, scribunt, quodammodo (quod dicitur) aërẽ cædunt. Quid Homero profuit bellũ Iliacũ descripsisse, & multis eo opere fucum fecisse, dum falsa commemorat? Quos fructus percepit Hesiodus ex catalogo genealogiæ deorũ, quos ipse fingendo cõgessit? Quæ vtilitas manauit ad Orpheum ex eo quod trecentos & sexaginta deos confessus est, quos tandem reiecit in testamento suo cum obiret mortẽ, asserens Vnum esse Deum? Quem fructum consequutus est Aratus ex sua sphærographia mũdani Cycli? Aut quẽ fructum sensere alij qui ijsdem incubuere studijs. Certè nullus alius laborum fructus ad eos deuenit, quàm vana gloria hominum, quam ne quidem ipsi condignè consequi quiuerunt. Sed quid veri ex ipsorũ scriptis aut verbis elici potest? Quid vtilitatis Euripides, Sophocles, & reliqui Tragici scriptores ex suis cepere tragedijs? Aut quem fructum Menander, Aristophanes, aliique Comici tulere ex suis comœdijs? Herodotum & Thucididem historiæ non iuuerunt, nec Pythagoram occulta & arcana, nec etiam Herculis columnæ. Diogeni, quid Cynica philosophia: Epicuro, asserere non esse prouidentiam, Empedocli, docere non esse Deos, cõtulit? Socrati quid cõmodi attulere dæmonia, quæ inuocabat? Quid præterea, quòd iuraret perquam sanctè, Canem, Anserẽ, Platanum, & Æsculapiũ fulmine tactum? Nam quid ista viro conduxerunt? Præterea quod voluntario animo nihil trepidãs mortuus est, quam sperat post obitum mercedem nancisci? Quid Platoni profuit sua disciplina & Philosophia? Quid vtilitatis pepererũt reliquis sua dogmata philosophis, qui plurimi fuere? Nolo enim omnes nunc, quia plurimi fuerunt, recensere. Hæc quidem enumeramus, vt demonstremus, & quasi ob oculos homini ponamus impias & inutiles eorum esse sententias: nec ipsi veritatem assequuti sunt, nec alios ad veritatem cohortati sunt. Nam ex suis ipsorum, dum contraria sibi proferunt, scriptis, mendacij arguuntur. Quidam etiam sua scripserunt dogmata. Nec solum semetipsos subuerterunt, verum nonnulli Philosophi etiam propria dogmata, infirma & irrita fecere. Itaque gloria eorum cessit in infamiam & stultitiam, vt inde habiti sint stulti & inglorij. Nam intellectu præditi facile eorum scripta intelligunt, eorúmque vanitatem perspiciunt, Aut enim loquuti sunt de dijs, & deinceps docuere non esse deos. Aut si de mundi generatione disseruerunt, postremò omnia fortuito, & casu quodam sua sponte facta esse confessi sunt. Aut de prouidentia sermocinantes, tandem statuere mundum fortuito, nec prouidentia gubernati. Quid præterea de moribus instituendis dicam? An non dum conantur de morum grauitate scribere, docuere adulteria, scortationem atque omnem immunditiem perpetrare? Ad hæc exosam & detestandam masculam Venerem introduxerunt. Et vt hæc magis grata & accepta sint mortalibus, canunt & Deos vsos concubitu non dicendo. Præterea vetitos & nepharios induxerunt cibos Saturnum suos liberos vorare perhibent. Aiunt Iouem huius filium, Prouidentiam in Illia demisisse. Scribunt & scelerata conuiuia dijs apparata. Vulcanum quendam claudum & fabrum diis ministrare docent. Proponunt Iunonem vxorem Iouis & sororem non solum propter nuptias incestas, sed ore quoque patrare impuro quæ minimè dicere expediat. Flagitia eorum omnia quæ poëtæ celebrant, omitto commemorare. Siquidem ipse ea pernouisti. Quid attinet commemorare Neptunum, Apollinem, Bacchum, Herculem, Mineruam sinus amantem, Venerémque impudicam, cum abundè de his loquuti simus in alia nostra oratione? Nec oportebat sanè nos nunc ista confutare. Sed quia te adhuc ambiguum, quod spectat ad veritatis sermonem video, confutationem apprehendo. Cum enim sis prudens, æquo animo stultos pateris. Siquidem nequaquam moueris à stultis hominibus, qui te à vera religione vanis verbis auertere moliuntur, neque iis obtemperare studuisti, qui falsò nos, qui Christiani nominamur, calumniis onerant. Aiunt enim nostras vxores esse communes, & promiscuo concubitu nos vti criminantur. His accedit, quod crimini nobis vertunt, quasi nec à propriis sororibus nobis temperemus, verum & has incesta libidine temerario ausu violemus. Istud præterea & crudelissimum & immanissimum est, quod nobis intendunt crimen, dum impio ore garriunt, nos humanis vesci carnibus: nec cessant nostram religionem seu doctrinam maledictis incessere vt nuperam, & omni veritate vacuam, quam nec nos, si controuersia exoriatur, satis luculentis demonstrationibus tueri possimus. Ad hæc nostram doctrinam nihil aliud quam stultitiam esse & meras nugas cauillantur. Verum enimuero maxime te admiror, qui præ reliquis studiosius omne scientiæ genus inquiris, nos tamen nostráque negligentius audis. Nam, si facultas datur, etiam noctu non cunctaris in bibliothecis morari. Cum igitur plurima scriptorum monumenta perlegeris, cedo quid tibi videntur quæ Zenonis aut Diogenis aut Cleanthis continent & docent libri; Nam tradunt morem vescendi carnibus humanis, & patres quidem à propriis filiis assari & deuorari. Præterea si quis nolit aut abominetur detestandum illum cibum, aut abiiciat membrum oblatum, reliquis licere & hunc mactare & edere. At sermo Diogenis magis impius esse deprehenditur, dum docet liberos cædere in sacrificiis suos parentes atque eorum carnes in ventrem demittere. Herodotus quoque historicus an non fabulatur Cambysem Harpagi filios necasse, occisos & coctos patri apposuisse? Fabulatur, etiam apud Indos esse morem, vt patres à suis comedantur liberis. O impiam (exclamare libet) doctrinam eorum qui talia scribunt, non scribunt, imò docent! O impietatem & scelera! ô mentem peruersam eorum qui ad hunc modum se perfectè philosophari putant, & veram philosophiam se docere profitentur! An non hæc & talia docẽtes mundum impietate complerunt? Etenim quod ad impium adulterij & scortationis vitium attinet, pulchre illi qui circa philosophiam errarunt, inter se consensere. Et primus, immò princeps Philosophorum, Plato, statim in primo libro, qui de Republica inscribitur, quodammodo lege sanciri vult, vt omnium vxores sint communes, sequutus nimirum exemplum Iouis, & Cretensium legislatorem, vt hoc sub prætextu, frequentior & abundantior proueniret soboles: & vt tristitia affecti ob communem vxorem concubitum, consolationem aliquam inde caperent. Epicurus, vt satis euidenter impietatem doceret, suadet incestos concubitus, videlicet, vt quis cum matre & sorore coëat, quamuis eo tempore extiterint leges, quæ hanc impietatem prohibebant. Nam

Pictarũ mendacia inutilia.

Orpheus moriturus vnum Deum confitetur.

Socratis iusiurandum.

Socratis obitus nil ei profuit.

Platonis Philosophia inutilis.

Philosophi vani, & inconstantes.

Philosophorum fabula.

Deorum gentilium flagitia.

Autolici prudentia.

Paganorum calumniæ in Christianos.

Autolicus studiosus.

Philosophorũ doctrina.

Herodotus fabulator.

Plato Philosophorum princeps.

Epicuri impietas.

Nam etiam Solomon legem tulit, quæ iubet vt ex matrimonio, liberi legitimè nascantur, legitimo, præuenire A volens, ne liberi ex scortatione aut ex adulterio exoriatur. Quod si fieret, periculum esset, ne filius eum qui nō est pater, vt patrem honoraret: ei autem qui reuera est pater, nullam paternam deferret, ignorantia ductus, reuerentiam, quemadmodum Romanorum Græcorúmq; leges & cæteræ postulare videntur. Quare igitur Epicurus & Stoïci introducunt incestus qui cum sororibus committuntur, & masculam Venerem, quibus omnibus bibliothecas repleuerūt? Huius ergo nullam aliam causam reddere possum, quam vt pueri statim ab ineunte ætate addiscant impias & detestandas coniunctiones. Et quid attinet diutius hîc immorari, cum & suis diis eadē flagitia adscribant? Præterea dum asserunt esse deos, cōtinuo ad nihilum eos deducunt. Quidam enim tradidere, eos ex atomis consistere, quidam vero eos in atomos B procedere, & nihil amplius quam homines posse docuerunt. Plato, dum de diis loquitur, eos materiales siue ex materia constare perhibet. Idem sentiunt Platonici omnes. Pythagoras magno labore, summa imáque perscrutatus, extremam naturam Deum esse autumat. Adstruit quoque omnia fortuitò fieri, & deos, mortalium nullam curam gerere: nec non & illa quæ Clitomachus Academicus protulit, dicens deos non esse. Quid præterea Critias aut quid Protagoras Abderites pronuncians in hunc modum de diis? Si enim dij sunt, nequeo de iis disserere, neque quales sint possum demonstrare. Nam multæ sunt causæ quæ me prohibent. Nam quæ impurissimus Euimarus commemorat, ea superuacaneum reor in medium afferre. Cum enim plurima de diis C ausus fuisset proponere, postremò deos prorsus è rerum natura tollit, & hoc vniuersum casu & fortuitò nec prouidentia regi confitetur. Dum autem de Vnitate Dei & de hominis anima disputat, quam immortalem credit, an non rursum sibi contraria infert? Ostendens etenim animas defunctorum in alios transire homines, quorundam etiam animas illabi in bruta animalia, quis non mēte sana præditus, horrendum & impium hoc dogma exsibilabit? videlicet, vt is qui quandoq; fuit homo, nunc lupus, canis, asinus, aut aliud quodpiam sit irrationale iumentum. Huic haud dissimilia inuenitur nugari Pythagoras, præter id quod prouidentiam non agnoscit. Cui igitur istorum fidem dabimus? num Philemoni Comico, qui ait: Nam hi qui Deum colunt, spes bonas habent ad salutem, &c. An his quos prædiximus, credemus, Euimaro, Epicuro, Pythagoræ & reliquis pietatem negantibus, & prouidentiam è medio propulsantibus? De Deo quidem & prouidentia sic inquit Aristo: Bono animo sis, opitulari consueuit omnibus bonis Deus. Hanc quidem prærogatiuam habent omnes, quotquot sanctè suam vitam instituunt. Itaque pia vita excellit impiam. Sic quidem res se habet, confiteor: verum eos qui sanctè vitam agunt, video innumeris obnoxios esse malis: è regione, illos, qui nil nisi priuatam vtilitatem sectantur, honoratius & feliciùs cerno in præsenti seculo viuere. At, si me audias, re porrò prospicere, & omnium finem te expectare iubeo. Nec animus adjiciendus est huic opinioni, quæ apud quosdam inoleuit, videlicet viuendum esse vt lubet: Hæc enim omnia iudicant esse viatica mali ad malos suos mores. Est autem (si verum fateri velimus) sanctè viuentibus, suus honor: & impiè viuentibus, sua pœna. Nam absque prouidentia nihil prorsus fit. Cæterum videre est, vt illi ferè omnes aut plures qui verba facere instituerunt de Deo & prouidentia, inter sese pugnantia dixerint. Quidā enim Deum & prouidentiā in vniuersum è medio subtraxerunt. Quidā porrò deos constituerunt, & omnia prouidentia gubernari confessi sunt. Intelligentē itaq; lectorē & auditorē diligenter attendere oportet ea quæ dicūtur quēadmodum & Symylus testatur. Nā eodem nomine superfluos natura & pulchros Poëtæ nominare consueuerunt. Oportet enim iudicare ex quo quid sit, quēadmodum etiam Philemon inquit: Difficilis res est auditor non intelligens & sedens; Nā propter dementiam, seipsum non culpat. Proinde necesse est vt is qui Philosophos & Poëtas audit legitq; singula cum iudicio examinet & perpendat. Nam dum negant deos esse, continuo eosdē iterū esse cōfitētur, nec nō eos impia facinora cōmittere demōstrant. Et primū quidē magna voce decantant Poëtæ, Iouis flagitia. Chrysippus quomodò nō inuenitur multa impuro ore ineptiens, significans Iouem cum Iunone cōcumbere? Præterea omitto recēsere lasciuiā matris Deum & Iouis lateatij sitiētis humanū sanguinem. Prætereo quoque Attim castratum, & Iouem cognomento Tragœdum, qui inundans manum suā (vt perhibent) nunc à Romanis diuinos honores accipit. Silentio transmitto Antinoi Lucos, & reliquos qui cæteris diis dedicati sunt: etenim cū sint istæc literarum monumentis prodita & legātur, profectò fieri nō potest, quin intelligenti lectori risum moueāt: siue quis legat eos negare deos, & tandem sibiipsis contraria dicere: aut promiscuos & illegitimos ipsorū cognoscat cōcubitus. Etiā ex ipsorū monumentis quis elicere potest, humanis carnibus vesci esse licitum: & deos, quos præcipuo cultu venerati sunt, primos id factitasse produt. Cæterum nos Deum cōfitemur vnum cōditorem, creatorem & opificem huius vniuersi mundi. Præterea nō ambiginus omnia diuina administrati prouidentia, & ex ipso solo legē sacrosanctam didicimus. Immò nullum alium habemus legislatorē quàm illum qui reuera Deus est: qui nos pie, iuste & honestè viuere docet. Quòd ad piam vitam attinet, sic præcipit: Nō erunt tibi dij alij præter me. Nō facies tibi sculptile, atque omnem similitudinē quæ est in cœlis desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra. Nō adorabis ea, neque coles ea. Quia ego Dominus Deus tuus, &c. Vt bona opera faciamus sic nobis imperat: Honora patrē tuum, vt & matrē tuam, vt prolōgentur dies tui super terrā (quam Dominus Deus tuus dat tibi.) Quod ad honestam & piam vitam spectat, sic inquit: Nō mœchaberis. Nō occides. Nō furaberis, non respōdebis cōtra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem proximi tui, aut seruum eius, aut ancillam eius, aut bouem eius, aut asinum eius, aut quodcunque fuerit proximo tuo. Nō euertes iudicium pauperis tui, in causa sua. A verbo falso longè aberis, nec innocentem & iustum occides, Nec impium iustificabis. Munus ne acceperis, quia munus excæcat videntes, & peruertit verba iustorum. Huius diuinæ Legis minister fuit Moses famulus Dei, cuius ministerio & opera vniuersus mundus, præcipuè tamen Iudæi, Legem acceperunt. Hos cùm etiam Hebræi nuncupatentur, primus in seruitutem redegerat rex Ægypti. Fuerunt autem prædicti Hebræi soboles piorum, iustorum & sanctorum virorum, descendentes ex Abraham, Isaac, & Iacob. Verum Deus recordatus Hebræorum, multis miraculis & prodigiis æditis per Mosen, eos in libertatem asseruit & ex Ægypto eduxit. His per desertum ductis restituit terram Chananæam postmodum Iudæam appellatam. Legem quoque eis dedit, & per eam eorum inconditos mores reformauit. At Lex cum in multa præcepta sit diffusa & admirabiliter vniuersam iustitiam contineat, scias ea quæ supra dedimus, saltem esse Legis decem capita, siue decem articulos. Hebræi in Ægypto aduenæ & peregrini fuere. Nam Hebræi ex Chaldæa oriundi sunt. Eo autem tempore, famis vehementia cogebantur transire in Ægyptum vt frumentum coëmerent, vbi & aliquanto tempore habitarunt. Cæterum id ipsis accidit cum iam dudum id prædixisset Deus. Cum igitur morati fuissent in Ægypto annis quadringentis & triginta, eo anno quo eos inde ducere parabat Moses per desertum in terram promissam, Deus legem posuit, statuens: Peregrinum ne afflixeritis aut tristitia affeceritis. Vos enim nostis animum peregrini, ipsi enim peregrini fuistis in terra Ægypti. Legem, quam Deus tulerat, præuaricati

Marginalia (left): *Stoïcorum incestus.* — *Philosophi.* — *Plato de Diis* *Pythagoras negauit prouidentiam.* — *Euimarus.* — *Philemon Comicus de Deo.* — *Prouidentia.* — *Philosophi quàm varij inter se de prouidentia.*

Marginalia (right): *Auditor non intelligens. Philosophi & Poëtæ cautè legendi.* — *Antinoi luci.* — *Fides Christianorum.* — *Decalogi 3. Partes. Exo. 20. Leuit. 19. Deut. 5.* — *Moses.* — *Hebræi.* — *Chananæa Iudæis restituta.* — *Hebræi ex Chaldæa oriundi coacti fame migrare in Ægyptum.*

sunt. Cæterum Deus bonus & misericors existens, eos perdere noluit: & prӕterquam quod legem ijs cõmunicauit, etiam Prophetas non peregrinos, sed ex ipsorum corpore misit: qui eos docerẽt legem, eamque in memoriam ijs redigerent, & ad pœnitentiam peccatores conuerterent, porrò abstinẽtes à peccato. Sin autem in peccatis & vitijs perseuerarent, interminatus est fore, vt dispergerentur in omnia orbis regna. Hoc quidem ijs euenisse, nemo est qui nesciat.

Deus semper exhortatus est homines ad pœnitentiam.

Cæterum Esaïas Propheta cõmuniter omnes, in primis tamen Iudæos cõpellat, vt ad pœnitentiam cõuolent, dicens: Quærite Dominum, quando ille inueniri potest: inuocate eum, quando ille propè est.

Isa. 55.

Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam abundabit vt remittat. Alius prӕterea Propheta Ezechiël, inquit:

Ezech. 3.

Quod si impius auersus fuerit ab omnibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia statuta mea, feceritque iudicium & iustitiam, viuendo viuet & non morietur. Omnes iniquitates eius quas fecit nõ venient in recordationem eius, sed in iustitia sua quam fecit, viuet. Nunquid desidero aut volo mortem impij, dicit Dominus Deus? an nõ magis vt cõuertat se à vijs suis & viuat? Esaïas iterum inquit pœnitentiam inculcans: Cõuertimini qui profundum cõsilium initis & iniquum, vt saluemini.

Isa. 45.

Similiter Hieremias: cõuertimini ad Dominũ Deũ vestrum quemadmodum vindemians ad cartallum, & misericordiam cõsequemini.

Hier. 35.

Plurima sunt & numerum ferè omnem excedunt, quæ in scriptura sacra de pœnitentia agenda cõprehenduntur. Nam semper Deus hoc egit vt humanum genus ad pœnitentiam conuerteret, quo liberarentur ab omnibus peccatis.

Exhortationes ad iustitiam.

Prӕterea de iustitia cum lex suggerit, non dissimilia videre est in Prophetis & Euangelistis. Quia vtriusque Testamenti ministri, vno eodemque spiritu inspirati, loquuti sunt. Esaïas sic clamat:

Isa. 1.

Auferte malitiam conatuum vestrorum à cõspectu oculorum meorum, cessate malefacere, discite benefacere, quærite iudicium, saluate oppressum agite in iudicio causam pupilli & viduæ. Idem alibi dicit:

Isa. 58.

dissolue impias colligationes, solue fasciculos onerosos, dimitte confractos, liberos, & vt dirumpatis omne onus? Nunquid vt partiaris esurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum? Si videris nudũ, operies eum, & à propinquo tuo te non abscondes. Tunc proferetur quasi aurora lux tua, & sanitas tua velociter crescet, & ibit ante te iustitia tua. His astipulatur Hieremias dicens:

Hier. 6.

State iuxta vias & circumspicite, interrogate de semitis ãtiquis, & quæ via melior fuerit, in ea ambulate, vt inueniatis requiem pro animabus vestris Iudicium iustum iudicate. Quia in his consistit voluntas Domini Dei vestri. Huic cõsentit Moses, qui ait: Custodite iudicium, & appropinquate ad Dominũ Deum vestrum, qui firmauit cœlum, & cõdidit terrã. His haud contraria fatur Ioël:

Ioel. 2.

Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, colligite paruulos & eos qui fugiunt vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorẽt sacerdotes, vt misereatur vestri Deus, & delebit peccata vestra. Ab his non dissentit Zacharias, dicens:

Zach. 7.

Sic ait Dominus exercituum, dicens: Iudicate iudicium veritatis & facite pietatem atque misericordiam vnusquisque cum fratre suo. Viduam & pupillum, peregrinum & pauperem nolite calumniari: neque cogitetis in corde vestro vnusquisque malum fratris sui. Quod spectat ad morum grauitatem atque adeò ad vniuersam virtutem, docemur diuinis oraculis non solum opere non peccare, sed ne mente quidem. Similiter scriptura sacra vetat, ne vel animo aut cogitatione aliquod vitium concipiamus:

Etiam lex vitus cohibet mentem.

prӕterea ne videntes alienam vxorem eandem cõcupiscamus. Nam Solomon, qui rex & Propheta extitit, tradit:

Prou. 4.

Oculi tui in directum aspiciant, & palpebræ tuæ rectum teneant iter ante te. Stude librare semitam pedis tui; & cunctæ viæ tuæ rectè disponantur. Prӕterea Euangelica vox maiore vehementia & authoritate

A castitatem docet, in hunc modum sonans: Quicunque aspexerit vxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo.

Matth. 5.

Et quicunque repudiatam duxerit adulterium committit. Et quicunq; repudiauerit vxorem suã, nisi causa stupri, efficit vt illa sit adultera. Nam Solomon sic testatur: Nunquid fouebit aliquis ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non comburantur? Aut si gradietur quis supra carbones, vt pedes eius non adurantur?

Prou. 6.

Sic qui accedit ad vxorem proximi sui: non innoxius erit quisquis accesserit ad eam. Prӕterea quod non solum nostri generis homines, verum & alienos amore complecti debeamus, in hunc modum monet Esaïas; Dicite his qui oderunt vos & his qui execrantur vos, fratres nostri eritis, vt nomen Domini glorificetur & videatur in lætitia eorum.

B Ad hæc Euangelica historia sic habet: Diligite inimicos vestros, benè precemini deuouentibus vos benefacite his qui vos odio prosequuntur.

Matth. 5.

Orate pro his qui lædunt & infectantur vos. Nã si dilexeritis eos qui diligunt vos, quod præmium habetis? nonne latrones & Publicani idem faciunt? Ne prӕterea sua bona opera, boni gloriosius iactent, docet Euangelium: Nesciat manus tua sinistra, quid faciat dextra.

Matth. 6.

Etiam magistratibus & potestatibus vt pareamus, diuina scriptura monet: præcipit quoque vt pro his preces fundamus ad Dominum, vt tranquillam & quietam transigamus vitam. Iubet omnibus diuina sapientia reddere omnia: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui tributum, tributum: nemini quicquam debeatis nisi vt vos

Rom. 13.

C mutuo diligatis. Nunc vide an hi qui talia docentur, taliáque discunt, possint more brutorum animalium viuere, & possint nepharijs cõmixtionibus: aut possint, quod quidem omnium immanissimum est, carnes humanas attingere? præsertim cum etiam monomachias spectare nobis interdictum sit, ne videlicet participes huiusmodi cædium reddamur.

Monomachia interdicta cur.

Nec cætera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostræ hauriant prophana, quæ ibi decantantur, carmina nempe dum Thyestis tragica facinora commemorat, & Terei liberos deuoratos recitant. Nec phas nobis est audire adulteria deorum, hominúmque, quæ suaui verborum modulantur mercede, & præmijs inducti celebrant.

Spectacula cur interdicta Christianis.

Vita Christiana.

D Verum absit, absit inquam à Christianis, penes quos modestia & temperantia florent, continentia viget, vnius vxoris legitimum matrimonium seruatur, castitas colitur, iniustitia expellitur, peccatum eradicatur, iustitia exercetur, lex regnat diuina, religio tractatur vera, quos veritas gubernat, gratia seruat, pax protegit, diuinũ verbum ducit, sapientia docet, Christus qui vera est vita regit, Deúsque solus imperio temperat, absit inquam vt talia facinora vel cogitemus, nedum faciamus. Certe multa supersunt nobis, quę de nostra religione & viuendi consuetudine, nec non de Dei iustificationibus & mundi opifice, in medium adducere possemus, verum hæc sufficere putamus. Nam satis arbitror hæc sufficere quantum attinet ad id, vt prædicta omnia tibi in mentem reuocentur. Non dubito quin inde discendi nostra

E cupidior factus, plura quemadmodum hactenus fecisti, addiscas. Cæterum nunc instituto, adsit modo Deus cœptis, exactius temporum computationem demonstrare, vt cognoscas non esse nuperam nec fabulosam nostram historiam, verum quod pertinet tùm ad antiquitatem cùm ad veritatem, esse vetustiorem & veriorem poëtis & historicis, qui omnes incerta scripsere.

Christiana Historiæ veritatem demonstrat, à constantia temporũ supputatione.

Nam quidam eorum mundum ingenitum ponentes, in infinitum processere. Alij, qui mundum genitum esse affirmarunt, dixerunt ab eius creatione myriades annorum transijsse quindecim, & annos ter mille & septuagintaquinque. Horum quidem author est Apollonius Ægyptius. Plato, qui videtur sapientia & eruditione Græcos omnes excelluisse, ad quas ineptias & nugas deuoluitur? In libris enim, qui de Republica inscribuntur, disertè ponit; Quo-

Philosophorum inconstans Chronologia. Quomodo enim, ô vir optime si hæc in sempiternum, ita se, (ait) vt modo habentia, permansissent, nouum alicui esset inuentum? Nempe, quia innumerabilis quædam multitudo annorum ignorabatur ab illis. Mille autem tali vel duo millia intercessere, ex quo quicquam dicitur partim Dædali, partim Orphei, partim Palamedis inuentum. Dum autem hæc scribit, testatur decies mille myriades annorum intercessisse à diluuio vsque ad Dædalum. Verum cum multa disseruisset de vrbium exornatione, habitatione, gentibúsque, tandem confitetur, se hæc sub similitudine quadam exposuisse. *Platonis temporum supputatio.* Inquit enim: O hospites, quis nobis suggerat Deus, vt aggrediamur legumlationis speculationem, eorum inquam nunc nimirum sub similitudine, si similitudine quadam scripta sunt quæ tradidit Plato, non ergo vera sunt. Oportet igitur nos magis discipulos esse legislationis diuinæ, quemadmodum etiam Plato confitetur, dicens: Non exactè posse disci, nisi Deus docuerit per legem. Quid? Non Homerus, Hesiodus & Orpheus Poëtæ testati sunt, se à diuina prouidentia seu inspiratione, quæ literarum monumentis prodiderunt, didicisse? *Poetæ fatentur se à Prophetis doctos.* Perhibent quoque vates & prophetas priscis temporibus extitisse ex quibus cognouerint scriptores, quæ literarum monumenta retulerunt. Quæ cum ita sint, quantò magis nos ipsa veritate potimur, qui eam discimus ex oraculis Prophetarum sanctorum, qui diuino spiritu afflati vaticinati sunt? Quapropter hoc spiritu impulsi, consona & nullo modo pugnantia prædixere quæ euentura sint mundo vniuerso. Nam discendi cupidos, imò veritatis studiosos certus rerum prædictarum euentus docere potest vera esse quæ per Prophetas annunciata sunt, tum quæ spectant ad tempora quæ à diluuio ad nostra vsque excurrerunt, cùm quæ spectant ad tempora quæ præcessere diluuium. Nec cunctabor à condito mundo vsque ad nostra tempora certam proponere temporum computationem, vt demonstrem & quasi ob oculos ponam ineptias & nugas scriptorum, qui omnes falsa tradidere. *Platonis doctrina de diluuio.* Plato enim, cum incideret in mundi diluuium, ait non vniuersam terram, sed saltem campos inundatione aquarum esse occupatos: Eos verò qui effugerint, in summis montibus esse saluatos. Alij loquuntur seruatos esse ab vndis diluuij Deucalionem Pyrham in arca cõstitutos. *Deucalionis fabula.* Deucalionem autem ferunt, postquam ex arca progressus est, retro iactasse lapides, ex quibus homines exorti sunt. Hinc aiunt multitudinem hominum λάὡς, id est populos, esse dictam. Alij porrò memoriæ prodiderunt Clymenum in secundo diluuio extitisse. Quod igitur miseri & prorsus impij stultíque sint qui talia commemorarũt, siue Philosophi siue alij scriptores, ex prædictis constare arbitror. At noster Propheta Moses, qui fuit minister Dei, de mundi generatione historiam contexens, dilucidè exposuit quo tempore diluuium acciderit: necnon enarrat, quo pacto aquæ vniuersam terræ superficiem operuerint: nihil fabulosi vel de Pyrha vel de Deucalione, vel de Clymeno tradens. Indicat præterea nõ solum campos, verum & montes diluuium sensisse, nec quemquam mortalium in his salutem esse consequutum. Nullam quoque mentionem alterius siue secundi diluuij facit: imò apertè significat, nullum aliud quam prædictum, fuisse, nec aliud mundo euenturum. Docet autem solos homines octo incolumes euasisse, qui conseruabantur in arca quæ Dei iussu non à Deucalione, verum à Noë (cuius nomen si interpreteris requiem denotat) composita & extructa fuerat, quemadmodum alibi memorauimus. *Noe prædixit diluuium.* Noë mortalibus diluuium prædixit, hortans: Venite, Deus ad pœnitentiam nos vocat. *Noe cur à Græcis dictus Deucalion.* Inde propriè Deucalion ἀπὸ τῦ χαλεῖν, id est vocando, dictus est. Huic Noë tres fuere filij, quorum nomina sunt, Sem, Cham, Iaphet, quibus totidem fuerunt vxores. Hunc virum quidam Eunuchum nominarunt. Omnes igitur homines in arca inuecti, quos octonarius numerus comprehendit, abiere diluuio intacti & inuiolati. *Gen. 7.* Idem Moses manifestat diluuiũ quadraginta diebus totidémque noctibus sæuisse cœli cataractis abruptis, & fontibus abyssi fortiter manãtibus, adeò vt inundationis aquę exaltatæ sint super vniuersum montem excelsum, cubitis quindecim. Hoc modo vniuersum mortalium propemodum interijt genus. Octo saltem, quos arca tenebat, incolumes enatarunt. *Reliquiæ Arcæ Noe.* Arcæ huius reliquiæ adhuc durare perhibentur in montibus Arabicis, & ibi ostendi. Cæterum vt summatim dicam, diluuij historia sic se habet quemadmodum prædiximus. Moses dux fuit Iudæorum, qui eiecti sunt ex terra Ægypti à rege Pharaone, cuius nomen fuit Tethmoses. *Pharao Tethmoses.* Hic, pòst exactum populum, regnauit annis 25. & mensibus 4. vt supputat, Manethos. *Forte Manethõ qui hodie circumfertur.* Huic successit Chebrõ, qui regnauit annis 13. Huic successit Amenophis, qui regnauit annis 20. & mensibus 7. Huic successit soror nomine Amessa quæ regnauit annis 21. & mense 1. Huic successit Mephres, qui regnauit annis 12. & mensibus nouem. Huic successit Methrammuthosis, qui regnauit annis 20. & mensibus 10. Huic successit Tythmoses, qui regnauit annis 9. & mensibus 8. Huic successit Damphenophis, qui regnauit annis 30. & mensibus 10. Huic successit Orus, qui regnauit annis 35. & mensibus 5. Huic successit filia, quæ regnauit annis 10. & mensibus 3. Huic successit Machates, qui regnauit annis 12. & mensibus 3. Huic successit filius nomine Armæs, qui regnauit annis 4. & mense vno. Huic successit Messes Miammi filius, qui regnauit annis 6. Huic successit Rhamasses, qui regnauit anno vno & mensibus 4.* & mensibus 2. *Hic desunt quædam.* Huic successit Amenophis, qui regnauit annis 19. & mensibus 6. Huic successere Thossus & Rhamesses, qui regnarunt annis 10. Hos ferunt habuisse illis temporibus plurimas copias equestres & n uales. Hebræi sub idem tempus incolẽtes Ægyptum in seruitutem redacti sunt à rege, vt præmonuimus Tethmose. Hiuc extruxere vrbes munitas Peitho videlicet & Rhamesen, quarũ altera est Heliopolis *Exod. 1.* Itaque constat Hebræos antiquiores esse vrbibus, quæ apud Ægyptios tum erant famosissimæ. At his Hebræis, vt nostris maioribus gloriamur. Ab his accepimus sacros libros, qui vetustate superant omnes profanos scriptores, quemadmodum supra declarauimus. *Ægyptus à Rege Sethos dicta.* Ægyptus autem suum nomen sortita est à rege Sethos. Nam aiunt Sethos, si quis hoc nomen exponat, significare Ægyptum. Huius, quem modo nominauimus Sethos, frater erat Armæn. *Danaus.* Hic idem & Danaus vocatus est, qui relicta Ægypto Argos adueniens, ibi moratus est. Eius meminere reliqui scriptores, vt qui fuerit antiquissimus penè omnium qui vetustate celebrantur. Manæthos plurima de Ægyptijs fabulatus est, etiam blasphemam linguam soluit in Mosen, & Hebræos quorum ductor extitit. Nam ait eos ex Ægypto propter lepram, qua infecti fuerint, esse eiectos. Dum autem testatur eos fuisse pastores & bellum gessisse cum Ægyptijs, nequit exactam temporum cõputationem assignare. Quod autem eos pastores fuisse calumniatur, præter voluntatem professus est veritatem. Nam maiores nostri, cum incolerent Ægyptum, reuera, ne quis erret, pastores fuere: interim tamen mentitur, dum eos leprosos fuisse comminiscitur. *Iudæi sacerdotes sanabant omnem morbum.* Cum enim venissent Ierusalem, & Iudæam cœpissent inhabitare, satis constat quomodo eorum sacerdotes permanentes in templo & exequentes cultum diuinum ex præscripto Dei sanarint omnem morbum. Itaque non solum leprosos curarunt, verum omnem languorem. At templum excitauit Iudææ rex Salomon. Quod autem Manæthos plurimum aberrarit in temporum computatione, ex prædictis apparet: nec non ex rege Pharaone, à quo sunt Ægypto pulsi, non enim amplius ipsis imperauit. Nam hic persequutus hostiliter abeuntes Hebræos, submersus est in mari rubro cum vniuerso exercitu suo. *Exod. 15.* Præterea quod scribit eos, quos ipse pastores nuncupat, debellasse Ægyptios, egregiè mentitur. Nam trecentis & sexdecim annis ante egressi sunt Ægypto, & eam regionẽ occuparunt, quæ etiãnum

Pag. 1011.

Iudæa appellatur, antequam Danaus quoque in Græciam perueneri. Hunc quoque plurimi credunt, Græcorum esse antiquissimum vt manifestum esse cunctis reor. Itaque Manæthos in suis ordinibus quos descripsit, inuitus veritatem pronunciauit, quamuis ab ea aberrarit: Primum quidem quod eos pastores confessus est; deinde, quod postmodum inquit eos ex Ægypto abijsse. Quapropter etiam ex his scriptis liquet, Mosen & Hebræos nongentis aut mille annis vetustiores esse Iliaco bello. Præterea Tyrij quoque annotarunt quomodo & quando ædificatum sit templum à Salomone in Iudæa, quingentis, & sexaginta annis demum post exitum ex Ægypto. Et quidem in antiquitatibus eorum seruantur monumenta, quæ apertè euincit templum Salomonis esse positum ferè centum & triginta annis & mensibus quatuor, antequam Carthago à Tyrijs sit condita. Octo annotati sunt nimirum menses ab Hieromo qui rex fuit Tyriorum & filius Abeimali. Nam Hieromus amicus fuit & familiaris Salomoni propter paternam amicitiam. Etiam sapientia, qua cunctos mortales infra se reliquit Salomon, hanc amicitiam conciliauit. Nam quæstionibus & interrogationibus propositis se frequenter exercuerunt. Eius rei manifestum signum perhibent literæ & epistolæ, quæ feruntur adhuc hodie apud Tyrios seruari. Etiam mutuis literis se inuicem compellarunt, quemadmodum meminit Menander Ephesius, qui conscripsit historiam Tyriorum regni, & sic loquitur: Mortuo Abeimalo rege Tyriorum, regni gubernacula suscepit filius eius Hieromenus, qui vixit annis 53. In huius locum subrogatus est Bazorus, qui vixit annis 43. & regnauit annis 17. In huius locum substitutus est Methuastartus, qui vixit annis 54. & regnauit annis 12. Huic successit frater Atharymatus, qui vixit annis 58. & regnauit annis 9. Hunc interfecit frater nomine Helles, qui vixit annis 50. & regnauit mensibus 8. Hunc peremit Iuthobalus Astarnæ sacerdos, qui vixit annis 40. & regnauit annis 12. Huic successit filius nomine Bazorus, qui vixit annis 45. & regnauit annis 7. Huic successit filius nomine Mettin, qui vixit annis 32. & regnauit annis 29. Huic successit Pygmalion Pygmalij filius, qui vixit annis 56. & regnauit annis 7. At in septimo anno eius regni in Libyam fugiens, vrbem condidit quæ adhuc hodie Carthago appellatur. Decurrit igitur omne tempus ab Hieromi regno vsque ad conditam Carthaginem ad annos 155. & menses octo. Duodecimo anno regis Hieromi ædificatum est templum Ierosolymitanum. Itaque vniuersum tempus ab constructo templo vsque ad conditam Carthaginem complectitur annos 155. & menses 8. Quod autem attinet ad Phœnicum & Ægyptiorum testimoniū, sicuti scripsere de tēporibus quæ ad nos spectant: Manæhos Ægyptius & Menander Ephesius, nec non Iosippus, qui contexuit historiam belli Iudaïci cum Romanis gesti, ista sufficere in præsentiarum reor. Nam satis euidenter inde demonstratur, dum ea quæ à Mose nobis allata sunt, etiam illis antiquissimis scriptis antiquiora sunt: non falsum videri & si asseratur Mosaïca scripta, reliqua quoque scripta quæ longo demum tempore vulgata sunt, vetustate excellere. Etiam quæ reliqui Prophetæ nobis tradidere, vetustate, profanorum scriptorum monumenta superant. Nam Zacharias, qui inter Prophetas nouissimus censetur, attigit tempora regis Darij. Præterea satis constat, post Mosen & Prophetas, demum omnes reliquos legumlatores viguisse & leges posuisse. Si quis dicat Solonem Atheniensem vt antiquum legislatorem: respondeo eum extitisse temporibus Cyri & Darij regum, quo tempore & Zacharias prædictus floruit. Sanè multi intercessere anni vsque ad legislationem Solonis. Sin autem quis adijciat Licurgum, Draconem, aut Minoa legumlatores, sanè reperiet sacros libros etiam his antiquiores esse, cùm satis manifestum sit scripta diuinæ legis per Mosen oblata, præcedere Iouem Cretensium regem & Troianum bellum. Attamen & exactiorem

Mosis antiquitas. — *Hieromus Tyrius.* — *Menandri Ephesij. Historia regni Tyriorum.* — *Carthago.* — *Iosephi Hist. belli Iudaici.* — *Zachariæ Prophetæ ætas.* — *Solonis tempora.* — *Iupiter Cretensis.*

temporum cōputationem edoceamus (auxiliante Deo)
A non solum quæ diluuiū præcessere, sed & quæ diluuium sequuta sunt enucleabimus: vt quatenus possibile est, omnium certum teneamus numerum. Id verè præstabimus recurrentes ad primordia conditi mundi, quemadmodum ea commemorat Moses Dei famulus sancto Spiritu afflatus. Nam dum creationem mundi, primique hominis, & cætera quæ sequuta sunt, magna fide docet, etiam annos qui antecessere diluuium commemorauit. Verum enim vero ego gratiā peto à solo Deo, vt voti compos fiam, & secundū voluntatem eius exactè rerum veritatem explanem: vt tu & quiuis alius hæc nostra legens, à veritate Deique gratia ducatur, nec tenebris & errori inuoluatur. Principium autem sumam à generationis libro, quemadmodum, in eo, genealogiæ à primo homine condito comprehensæ sunt: verum
B initium à primo homine faciam:

Chronologia Biblica.

Adam natus annos † 330. genuit filium nomine Seth.
Seth natus annos † 205. genuit filium nomine Enos.
Enos vixit annis † 190. & genuit filium nomine Cainan. † 130.
Cainan natus annos † 170. genuit filium nomine Malaleel. † 105.
Malaleel natus annos † 165. genuit filium nomine Iared. † 90. † 70. † 65.
Iared natus annos † 192. genuit filium nomine Enoch. † 162.
Enoch natus annos † 175. genuit filium nomine Mathusala. † 162.
Mathusala natus annos † 187. genuit filium nomine Lamech. † 65.
Lamech natus annos † 188. genuit filium nomine Noë. † 182.
C Noë natus annos † 500. genuit filiū nomine Sem. 500.
Sub Noë, cum annos natus esset 600. contigit diluuiū. † Biennio.
Itaque ab cōdito homine vsque ad diluuium reperiuntur anni, vt ex prædictis liquet. 2322. Gen 11.
Sem natus annos † 100, genuit filium nomine Arphaxat statim post diluuium.
Arphaxat natus annos † 155. genuit filium nomine Cainan.
Cainan natus annos 130. genuit filiū nomine Sala, 130.
Sala natus annos 130. genuit filium nomine Heber: ab hoc vniuersum ipsorum genus Hebræi dicuntur. 30.
Heber natus annos † 134. genuit filium nomine Phaleg.
Phaleg natus annos † 130. genuit filium nomine Rhagen.

Scriptura non meminit Cainam sed immediatè ponit, Sala patrem Heber, genitum ex Arphaxat nato annos 35.

D Rhagen natus annos † 132. genuit filium nomine Seruch. † 32.
Seruch natus annos † 130. genuit filium nomine Nachor. Gen 11. † 29.
Nachor natus annos † 79. genuit filium nomine Tharra. † 30.
Tharra natus annos † 70. genuit filium nomine Abraham. † 70.
Abraham Patriarcha noster natus annos 100. genuit filium nomine Isaac. Gen. 21.
Itaque anni numerantur à condito homine vsque ad Abraham 3592.
Isaac natus annos 60. genuit Iacob. Gen. 25.
E Iacob natus fuit annos 130. cum proficisceretur in Ægyptum. Gen. 47.
Hebræi in Ægypto morati sunt annis 430.
Egressi Ægypto, hæsere in deserto annis 40.
Hi anni, si addantur supra positis, faciunt 4252. annos, qui elapsi sunt vsque dum ingrederentur in terram promissam.
Hoc tempore decessit Moses. Quo mortuo, imperij administrationem suscepit Iesus filius Naue qui præfuit populo annis 27. Iesu defuncto cum Hebræi defecissent à præceptis Domini, seruierunt regi Mesopotamiæ, cui nomen Chusarathon annis 8.
Deinde ad pœnitentiam conuersi, Iudices à quibus gubernarentur, nacti sunt. Iudic. 3.
† Gonothoel iudicauit Hebræos annis 40.

† Othoniel. Seruierunt filij Israel.

† Eglon

† Eglon Regi Moab, 18. an. † Eglon iudicauit Hebræos annis 18.
Aioth iudicauit Hebræos annis 80. †. 8.
Indic. 3. Dehinc præuaricati legem Domini alienigenis seruierunt annis 20.
Iudic 4.
Iudic. 5. Debbora postmodum iudicauit Hebræos annis 40.
Iudic. 6. Deinde seruierunt Madianitis annis 7.
Iudic. 8. Deinceps Gedeon redemptos iudicauit annis 40.
Iudic 9. Abimelech Hebræos iudicauit annos 30.
Iudic. 10. a Thola Hæbræos iudicauit annis 23. & 22.
Iudic. 10. Iair Hebræos iudicauit annis 22.
Iudic. 12. Postea Hebræi seruierunt Philistinis & Ammonitis annis 18.
Iephte in libertatem antiquam assertos iudicauit annis 9.
Abessan. Elon. † Esbon Hebræos iudicauit annis 7.
Iudic. 13. † Ailon Hebræos iudicauit annis 10.
Iudic. 15. d Abdon Hebræos iudicauit annis 8.
1. Reg. 4. Postea seruierunt alienigenis annis 40.
1. Par. 29. h Samson deinde iudicauit Hebræos annis 20.
2. Par. 9. Deinceps pax Hebræis fuit annis 40.
2. Par. 12. Inde Samira iudicauit Hebræos anno 1.
3. Reg. 15. Elis iudicauit Hebræos annis 20.
† 40. Samuel iudicauit Hebræos annis 12. †
† Aza. ibid. Iudicibus successere reges, quorum primus fuit Saül qui regnauit annis 20.
3 Reg. 22. Dauid pater noster regnauit annis 40.
4. Reg. 8. Athalia mater Ochoziæ post obitum filij tyrannidē occupauit annis 6. Inueniuntur itaque anni 495. decurrere ab Isaac vsque ad regnum Dauidis.
Dauid (vt diximus) regnauit annis 40.
4. Reg. 11. Salomon templi ex Dei præscripto conditor regnauit annis 40.
† Ioas.
4. Reg. 12. Roboam regnauit annis 17.
29. Annis regnauit. † Abias regnauit annis 7.
† 4. Reg 14. Asa regnauit annis 41.
† Azarias filius Amaziæ. Iosaphat regnauit annis 25.
† Ioram regnauit annis 8.
4 Reg. 15. Ochozias regnauit anno 1.
† Ach z regnauit in Ierusannis 16. † Gothoniel regnauit annis † 6.
Iosias regnauit annis † 40.
Amasias regnauit annis † 39.
† Ozias regnauit anni 552.
† Iotham regnauit annis 17.
† Achaz regnauit annis 16.
† Ezechias regnauit annis 29.
† Manasse regnauit annis 55.
† Amos regnauit annis 2.
† Iosias regnauit annis 31.
Ochas regnauit mensibus tribus.
Ioachim regnauit annis 11.
Ioachim alter regnauit mensibus tribus, & diebus decem.
Sedechias regnauit annis 11.

†. Reg. 16. †4. Reg. 18. †4. Reg. 21. ibid. 4. Reg. 22. † Ioac. 4 Reg. 23. ibid. †4. Reg. 24. ibid. Sub idem tempus cum populus Iudaïcus perseueraret in peccatis, nec pœnitentiam vllo modo cogitaret, quamuis subinde ad pœnitentiam vocarentur à Propheta Ieremia, venit rex Babylonis in Iudæam, nomine Nabuchodonosor. Hic populum in Babylona transtulit, & templum, quod Salomon extruxerat, destruxit.
In Babylone fuerunt Iudæi annis 70.

Tempus igitur vniuersum à condito homine vsque ad transmigrationem Babylonicam complectitur annos 5035. menses sex & dies decem.

Vt Deus per Ieremiam prædixit captiuitatem Babylonicam, ita etiam significauit completis annis septuaginta, eos ex captiuitate in patriam reuersuros.

Cyrus rex. Ierem. 27. Consummatis igitur quinquaginta annis, Persarum rex declaratur Cyrus, qui cuddum Prophetam Ieremiæ secundo sui regni anno pronunciauit per præcones & & rescripta, vt omnes Iudæi, qui in ipsius regno agerent, redirent in Iudæam, & templum quod demolitus fuerat Nabuchodonosor, reædificarent. *Cyri pietas in Iudæos. 1. Esdr. 4.* Præterea idem Cyrus (sic enim ferebat Dei voluntas) imperauit suis satellibus fidelissimis Sabessaro & Mithridati, vt sacra vasa quæ abstulerat prædictus Nabuchodonosor, reportarent Ierusalem & in templum reponerent. Secundo Darij regni anno, complentur anni septuaginta ab Ieremia prædicti. Hinc videre licet antiquiora & veriora esse sacra scripta, quibus nos innitimur, quàm Græcorum, & Ægyptiorum scriptorum, quamuis plurima extiterint, monumenta. Herodotus, Thucidides, Xenophon, alijque scriptores complures, initium ferè scribendi ab Cyri & Darij regno fecerunt, attamen nequiuerunt exactè antiqua & priora commemorare tempora. Quid enim magni de Cyro & Dario Barbarorum regibus recensuerunt? aut de Græcorum regibus Zopyro & Hippia? Nam literarum monumentis mandarunt, Atheniensium & Spartanorum bella, aut Xerxis res gestas, aut Pausaniæ gesta, qui in Mineruæ templo, famis mortiferæ periculum adijt: aut Themistoclem, aut bellum Peloponnesiacum, aut Alcibiadem, aut Thrasybulum in sua monumenta retulere. At nolo nunc singula ista enumerare, haud enim loquacitatis sumus studiosi. In animo est, significare numerum annorum à condito mundo vsque ad nostra tempora, & redarguere vanissimas profanorū scriptorum nugas. Nec enim sunt, vt Plato perhibet, viginti mille myriades annorum à diluuio ad sua vsq; tempora. Nec interuenere quindecim myriades annorum & 375. anni, quemadmodum prædiximus annotasse Apolloniū Ægyptium. Nec etiam mundus ingenitus est, & omnia sponte substitere sicuti Pythagoras & reliqui nugati sunt. Genitus est, & Prouidentia Dei qui ipsum creauit, administratur & regitur. Vniuersum tempus & anni exactè traduntur volentibus obtemperare veritati. At ne videamur saltem, tempora quæ ad Cyrum vsq; excurrunt, enarrasse, & reliquos annos qui interuenere, neglexisse quasi non potuerimus eos demonstrare, conabimur nunc (adsit modo Deus) sequentium temporum ordinem, quatenus possibile est, enucleare.

Cyrus cum regno præfuisset annis 38. interfectus est à † Myriade in Mesangia, Olympiade sexagesima secunda. *† Tomyride.* Ea tempestate etiam Romanorum res crescebant non citra auxilium Dei, condita vrbe à Romulo qui fuit filius (vt aiunt) Martis & Iliæ Olympiade septima, ante decimum septimum calendas Maij, eius anni qui tum decem numerabatur mensibus. *Cyri mors. Annus decem mensium.* Cyro defuncto, sicuti prædiximus Olymp. 62. fuit conditæ vrbis annus 220. *Romanorum reges. Tarquinij superbia.* Eo tempore regnauit Tarquinius cognomento Superbus. Is primus in exilium quosdam Romanos relegauit, pueros corrupit, Spadones fecit quosdam Romani soli incolas: virgines quas viriauerat, elocabat alijs. Quapropter meritò vocatus est Superbus. Id enim nomen, Romanorum lingua, fastuosum & elatum significat. Primus hic decreuit, vt si à quo salutatus foret ab alio resalutaretur. Regale sceptrum tenuit annis 25.

Huic successit annuus magistratus Consules, Tribuni & Ædiles, quorum nomina recensere superuacaneum reor. Sub annuis magistratibus fuere Romani, annis 453. Si quis horum nomina scire auet, legat Chrysorum & Cratorem liberum M. Aurelij Veri. Crator à condita vrbe vsque ad obitum patroni sui Veri manifeste & exactè annotauit cùm nomina, tum tempora. Annui igitur magistratus, vt modo diximus, præfuere Romanis annis 453.

Cæsares. His successere Cæsares seu Imperatores. Caius Iulius ordine primus est, qui imperauit annis 3. mensibus 4. diebus 6.
Augustus imperauit annis 56. mensibus 4. & die 1.
Tiberius imperauit annis 22.
Caius alter, imperauit annis 3. mensibus 8. diebus 7.
Claudius imperauit annis 23. mensibus 8. diebus 24.
Nero imperauit annis 13. mensibus 6. diebus 28.
Galba imperauit annis 2. mensibus 7. diebus 6.
Otho imperauit mensibus 3. diebus 5.
Vitellius imperauit mensibus 6. diebus 22.

Vespasianus imperauit annis 9. mensibus 11. diebus 22.
Titus imperauit annis 2. diebus 22.
Domitianus imperauit annis 15. mensibus 5. diebus 6.
Nerua imperauit anno vno, mensibus 4. diebus 10.
Traianus imperauit annis 19. mensibus 6. diebus 16.
Adrianus imperauit annis 20. mensibus 10. diebus 28.
Antoninus imperauit annis 22. mensibus 7. diebus 6.
Verus imperauit annis 19. diebus 10.

Tempus igitur vniuersum Cæsarum, qui imperarunt à Iulio vsque ad mortem Veri imperatoris continet annos 237. & 5. dies.

Vniuersum tempus, quod decurrit à morte Cyri, & à regno Tarquinij Superbi vsque ad obitum imperatoris Veri, contrahitur in annos 744.

At omne tempus à condito mundo vsque ad mortem imperatoris Veri, summatim in hunc supputatur modum.

A condito mundo vsque ad diluuium numerantur anni 2242.

A diluuio vsque dum gigneret liberos Abraham Patriarcha noster, decurrunt anni 1036.

Ab Isaac filio Abrahæ vsque ad mortem Mosis, qui in deserto mortuus est, computantur anni 660.

A Mosis morte & Iesu filij Naue imperio, vsque ad obitum Patriarchæ nostri Dauidis inueniuntur anni 498.

A morte Dauidis & regno Solomonis vsque ad transmigrationem Babylonicam reperiuntur anni 518. menses 8. dies 10.

A Cyri regno vsque ad mortem imperatoris Aurelij Veri sunt anni 744.

At vniuersum tempus à condito mundo vsque ad mortem imperatoris Veri habet annos 5695.

Antiquitas fidei Christianæ. Ex temporum itaque computatione, & ex reliquis quæ prædiximus, liquido constare iudico, doctrinam & religionem nostram non esse nuperam, imò quę supra dedimus, manifeste designant antiquitatem literarum propheticarum & diuinitatem nostræ religionis. Neque ea, quæ nos tradimus, fabulosa & falsa sunt, quemadmodum quidam calumniantur, imò antiquitate & veritate, nostra scripta superant longe, prophanorum scriptorum monumenta. *Belus Dijs auxiliatus contra Titanes Gygus.* Meminere quidam profani scriptores, Beli Assyriorum regis & Croni, dicentes, Belum, bellum gessisse Titanis, adiunctum cum Ioue & cum reliquis dijs qui stetere à Iouis partibus. Aiunt hoc in bello Gygum extensum, fuga euasisse in Tartessum. Hæc regio tum temporis Acte nominabatur, nunc Attica dicitur cui Gygus præfuit ea tempestate. At reliquæ regiones & vrbes vnde nomen sint sortitæ, nunc dicere non est nostri instituti, in primis cum ad te scribam qui alioqui historias omnes ferè ad vnguem tenes. *Autolycus historicus.* Apparet quoque non solum Mosen, sed & reliquos prophetas vetustiores esse omnibus profanis scriptoribus. Mosen quoque antiquiorem esse Crono, & Belo, & Iliaco bello satis euidenter demonstratur. *Mosis antiquitas.* Nam etiam Thali historia edocet Belum antiquiorem esse Troiano bello annis 322. At Mosen præcedere Troianum bellum maxime annis 938. satis supra ostensum esse arbitror. *Beli ætas.* Plurimi prætereа ignorant Belum & Cronum contemporaneos extitisse: etiam plurimi nesciunt quis Cronus, quisve Belus fuerit. Quidam diuinos honores Crono deferunt eúmque Belum & Bal nominant, maximè tamen id factitant homines qui orientalia climata inhabitant nescij quis Cronus & quis sit Belus. *Cronus qui & Saturnus.* Cronus à Romanis Saturnus appellatur, qui nec ipsi satis nouere Saturnus quem colunt, sit Cronus, aut sit Belus. Si quis respiciat Olympiad. initium, facile assequetur Cronum ab Iphito primitus cœptum coli. Sunt qui perhibent à Lino introductum esse cultum qui defertur Crono, inde cognomen alij nactus est. Quis verò sit ordo & quantus sit numerus annorum & Olympiadum satis supra quàm exactissime dabatur ostendimus. Quantum igitur pertinet ad refellendas calumnias, quibus nos hactenus Christiani sumus impetiti, & quantum pertinet ad computationem annorum, satis vobis dictum pro ingenij nostri viribus opinor. Nam etiam si nos latuit tempus fortè annorum 50. aut 100. aut 200. non tamen exorientur siue excrescent myriades aut chiliades annorum quemadmodum Plato & Apollonius nec non reliqui profani scriptores fasò commentati sunt. Nec nos forsitan exactè omnium annorum numerum tenemus. *Chronologia sacra.* Nam in sacris libris non annotati sunt superflui menses & redundantes dies. Verum quod attinet ad nostram computationem, bene nobis conuenit cum Beroso qui apud Chaldæos philosophatus est, & Chaldæas literas Græcis ostendit. *Berosi Chaldaei scripta.* Hic quoque quædam Mosi consona dixit de Diluuio & de reliquis multis. Etiam quædam tradidit in quibus non dissentit à prophetis Ieremia & Daniele. Nam conscripsit ea quoque, quæ Iudæi perpessi sunt à Babyloniorum rege quem ipsi Abobassarum vocat, Hebræi eum Nabuchodonosor nuncupant. Idem declarauit quomodo Chaldæorum rex solo æquauerit Ierosolymitanum templum: præterea vt secundo Cyri regis anno noui templi fundamenta sint iacta, & vt secundo Darij regis anno, templum consummatum sit, satis magna claritate docuit. *Græci, literas sero didicerunt.* Cæterum sacrarum literarum veritatis haud meminere Græci scriptores. Eius rei causa prima est, quod nuper admodum literarum scientiam assequuti sunt. Nam & ipsi confitentur literas quidam esse Chaldæorum quidam Ægyptiorum quidam Phœnicum inuentum. Secundam causam assigno, quod plurimum à Deo vero aberrarunt & adhuc aberrant. Eius enim nullam mentionem faciunt, sed subinde versantur circa res vanas & inutiles. Et quidem Homeri, Hesiodique & reliquorum Poëtarum magna voluptate recordantur: at Dei, qui nulli corruptioni obnoxius est, gloriam non solum silentio prætereunt, sed etiam conuitijs lacerant. Præterea Christianos qui verum Deum venerantur hactenus sunt persequuti, nec adhuc hodie persequi cessant, imò ijs qui verborum quibusdam illecebris Deum conuitiantur, præmia & honores decernunt: quosdam eorum qui festinant ad virtutem capessendam, & sanctam vitam agunt, lapidibus obruere: quosdam interfecere. *Christiani virgis cæsi.* Adhuc hodie non cessant Christianos crudelissimè & immanissimè virgis cædere. Quapropter necessariò amiserunt sapientiam Dei, & veritatem ipsam inuenire nequiuerunt. At si tu cupis veritatem ad vnguem (quod aiunt) nosse, hæc lege, quæ tibi vt symbolum & veluti arrabonem veritatis proponimus.

DD. PETRI

DD. PETRI LAODICENSIS ET GERMANI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI EXPOSITIONES IN ORATIONEM DOMINICAM.

PATER NOSTER QVI ES IN COELIS.

Math.6. Luc.11.

D. PETRVS LAODICENSIS.



NVnc demùm se Deus Patrem nostrum dici vult, cùm Spiritus sanctus adueniens, Christi nos adoptione dignatur. Quisquis enim Deum Patrem vocat, is purus à peccatis, hæresque regni cœlestis esse debet: temerarius autem, diabolo similis effectus, Deum Patrem dicit quem non glorificat. Cæterùm hoc pronomine, *Noster*, in vno multos indicat; quia videlicet vnum omnium sit corpus, vnumque caput, qui Christus est. Subinnuit etiam oportere, vt alij inuicem pro alijs oremus, quia fratres sumus omnes. Rom.12. 1.Cor.12.

D. GERM.) Reuera, pater omnium nostrum est, quasi πάντας τηρῶν; hoc est, omnes conseruans. Quod si voluntatem eius facimus, pater noster est: sin minùs, cuius opus exequimur, is pater est. Vel: An patrem eum vocas? vt filius actiones tuas institue, vt ipsi Patri cœlesti acceptus esse queas. Quis enim sub inferioris Mundi principe militans, eique per mala opera in filium adoptatus; ausit eum Patrem appellare, qui sit boni cuiusuis Dominus & author? Constat vtique ab eo qui sit huiusmodi, non Dominum Sabaoth patrem vocari, sed aduersarium, cuius etiam opera facit. Vel: Tun', ô homo, Deum patrem tuum appellas? Recte dicis. Is enim omnium nostrum Pater & Creator est: verùm ea opera festinanter exequere quæ Patri tuo grata sunt. Quòd si mala opera facis, haud dubiè diabolum patrem inuocas; hic enim malorum ἔφορος, seu præfectus est. Proinde hunc quam primùm effuge, bonóque Patri & factori tuo gratus euade.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

D. PETR.) Hoc porrò verbum, *Sanctificetur*, non imperatiuum, sed optatiuum est: vt sit, ἁγιασθήτω οἷον ἁγιασθῇ, hoc est, *sanctificetur*: quasi, vtinam sanctificetur; non vt sanctum è profano fiat, sed, vt eius sanctitate nobis reuelata, sanctitatem eo dignam exhibeamus, præsertim quotiescúmque Dei nomen exprimimus.

D. GERM. Nomen intellige filij Dei, quod super nos inuocatum est. Siquidem Christus est, nósq; Christiani; & nomen eius super nos inuocatum est. Proculdubiò Deus verè sanctus est: at nos eum obsecramus vt sanctificet in nobis nomen suum, quod est opus nostrum rationi cōsentaneum sanctúmque: corpus nostrum omni ex parte purum reddet, vt ab omni reprehēsione tutum in die illa inueniatur, in qua de factis & dictis omnibus reddenda erit ratio. Age verò, an Deus sanctus non est; certè sanctus est, sed hoc dicit: In me sanctificetur nomen tuum; vt *homines bona opera* mea *videant*, & te, qui Pater & creator meus es, *glorificent*. Matth.5.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

D. PETR.) Cæterum regni Dei nomine, vel futuram bonorum fruitionem, vel gratiam quam ille per Spiritum sanctum nobis impertit, vel secundum eius Aduentum intelligit. Quia verò Christus natura Deus ratione dispēsationis seu carnis assumptæ, Rex tanquam homo vocatur; idcircò fideles orant vt idem regnum Infidelibus quoque adueniat, vt in Christum credentes eum Regem suum esse profiteantur.

D. GERM.) Regnum Dei, sanctus Spiritus est, vt inquit, *Regnum cælorum intra vos est*: Quandoquidem Spiritui sancto vnà cum Patre & Filio regnare curæ est; vt qui Virtutes intellectuales & Angelicas Exercitúsque cœlestes, atque *omnem hominem venientem in hunc Mundum*, credentémque in nomine Patris, & Filij, & sancti Spiritus, sanctificet atque illuminet verè rex cœli & terræ visibilium & inuisibilium. Verum enimuerò quemadmodū ciuitas cùm ab hostibus obsidetur regis auxilium implorat; ita & nos cum ab aduersarijs Potestatibus & à peccatis obsidemur, petimus ab illo vt nobis opem ferat nósque redimat. Regem ne vocas? vt spiritalis miles efficitor, vt regi gratus esse queas qui te stipendiarijs suis accensuit. Agè verò; an Deus rex non est, quia regnum eius aduenturum est profectò rex omnium est, verùm quemadmodum ciuitas, &c. vt iam diximus. Aliter: Quandoquidem cùm inquit Propheta, *Regnauit Deus super gentes*; tempore præterito tanquam futuro vtitur, idcirco exclamamus, *Adueniat regnum tuum* super nos qui gentes sumus, Domine. Ioan.1. Psal.46.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN COELO ET IN TERRA.

D. PETR.) Horum autem verborum, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sensus hic est.

Quemadmodùm Angeli omnes in cœlo purè atque inculpatè cōuersantur, fac vt homines quoque in terris eodem se pacto gerant. Vel; Quemadmodùm sunt in cœlis Angeli; ita facito, vt nos etiam per spiritalis puriq; corporis resurrectionem ibidem simus. Vel; Quemadmodùm Ecclesia in cœlis pacifica & tranquilla est, ita fiat & in terris.

D. GERM.) Voluntas Dei & Patris, œconomia est seu dispensatio filij eius; & vt Angelis in cœlo mutua est concordia mutuúsque consensus, ita & nos in charitate sine hypocrisi viuere quæramus. Quærísne qualis ea sit voluntas, quæ fit in cœlo? eam quæ in terra est, te adimplere oportet. Sensus hic est. Domine quemadmodum fit in cœlo voluntas tua, & Angeli omnes in pace degunt, nec vllus est inter eos qui pellat & qui pellatur, neque qui affligatur, neque qui bellum gerat & qui bello impetatur, sed omnes te profunda in tranquillitate glorificant; ita etiam in nobis terrestribus hominibus fiat voluntas tua, vt omnes Gentes vno ore, vnóque corde te Creatorem & Patrem omnium nostrum glorificemus. Hypocrisis.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

D. PETR.) Panem verò ἐπιούσιον, vel cum intelligit quod nostrum corpus sustentatur; id est, quotidianum: vel ἐπιόντα; hoc est, futurum (hac autem velut ὀνοματοποιΐα, seu nominis cōfictione, deriuatur τὸ ὁμοούσιον; siue id, cuius eadē cum aliquo essentię ratio est) vel παρὰ τὸ ἐπιέναι; hoc est, ab eo quod aduēturus est. Vt sit sensus, Tu, panem, non pręsenti sæculo congruum sed eum qui Sanctis in futurum sæculum repositus est, *da nobis hodie*. Vel: Quandoquidem οὐσία; hoc est, essentia, propriè & firma & stabilis est, quippe quæ sit animi nostri natura quæ imaginē inuisibilis Dei præ se ferat; idcirco

panis ἐπιούσιος, is dici potest qui cum vera versatur essentia; nimirùm Deus Verbum, *panis viuus*.

Ioan.6.

Christus se manducandũ præbet.

D. GERM.) Panis supersubstantialis vel quotidianus est Christus, qui est & priùs erat & in æternum permanet; qui vltrò se manducandum præbet, atque semper superest inconsumptus, vitámque Mundo dat: quem baptismatis intermedio susceptum, omni tempore accipere, habere, & manducare poscimus; quippe qui essentiæ nostræ conueniat, pro vt nobis sic satis est, ne egentes & fame confecti ad blasphemiam adigamur, aut nimia bonorum abundantia efferamur, atque à te procul abijciamur. Si panem quæras, aurum ne acumules; sin eo careas & priueris, hoc ipsum excitet te, vt quæras. Supersubstantialem seu quotidianum panem accipere postulamus, quandoquidem omnis homo duabus ex naturis constat; nimirùm anima & corpore: hinc fit vt panem petamus qui vtrique naturæ conueniat. Panis quidem certè corporis, hic ipse est quo vescimur; animæ verò panis, verbum Dei est. Fili, aperi os tuum, & frequentius Dei memor esto; imò potiùs illum respirato.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITtimus debitoribus nostris.

Iniuriarum obliuio.

D. PETR.) Deinceps idem Dei verbum nos exhortatur ad ἀμνησικακίας; hoc est iniuriarum nobis illatarum obliuionem, præsertim cùm peccatores nos esse sciamus: & moderatè agendum esse monet, si velimus nobiscum eadem moderatione mansuetudinéve agi. Ait enim, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Porrò peccati genus omne debitum est.

Nisi quis autem virtute τῆς ἀμνησικακίας, seu malorum obliuionis, excolat animum; fieri non potest vt peccatorum remissionem consequatur.

D. GERM.) cùm dicimus; *condona nobis peccata nostra sicut & nos ijs condonamus qui nos offenderunt*; certè si hoc faciamus, ipse quoque nobis ita faciet. Quare cùm cuiquam remiseris, si fratrem odio habere desiueris, tum ignosci tibi postula. Sin autem illatæ iniuriæ recordaris, qualem remissionem petis? Porrò huiusmodi solutio hæc est, verbi gratia; *Domine, dimitte nobis debita nostra*; id est, peccata nostra & offensas; *sicut & nos dimittimus omnibus* qui peccant & delinquunt in nos fratribus nostris, & liberis, & seruis; omnibus denique qui nobis subijcientur. Hæc cùm dicis, ô homo; an ita facias, ipse in animo perpende; siquidem *terribile est incidere in manus Dei viuentis*; & vbi te correxeris & emendaueris, tunc demum conuertere ad Deum qui tuus & Pater & Creator est.

Hebr.10.f

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM. SED LIBERA nos à malo.

D. PETR.) Postremò docet detrectanda non esse certamina; ita tamen ne nos ijs temerè obijciamus. Quòd si necessitas vrgeat, orandus est Deus vt nos liberet nec eis succumbere sinat. Quisquis enim vincit in certamine, nec animum despondet; is non intrat in tentationem. Tentatio enim est, quotiescumque diabolo succumbimus, & ab eo in errorem inducimur: quisquis autem cassibus tentationis irretitus non est, is liberatus est à malo. Malus porrò, diabolus est; non natura, ἐκ προαιρέσεως; hoc est, optione liberáque electione.

Diaboli malitia, ex libera electione est.

Si quidem malitia seu vitiositas rebus naturalibus haudquaquam accensetur, sed ex vitioso affectu qui nostra in potestate positus est, atque à voluntate procedit. Cæterùm diabolus, κατ' ἐξοχήν; hoc est, excellentiæ cuiusdam ratione malus appellatur; quia in eo præ cæteris omnibus vitiositas exuberat. Aliter: Ob nostræ carnis infirmitatem à Deo petimus vt tentationem deuitare queamus. Porrò ex peccatis alia corporalia sunt, alia spiritalia. Corporalia quidem hæc esse dicimus, ventris ingluuiem, ebrietatem, luxuriam: spiritalia verò odium erga proximum, inuidiam, contentionem, vanam gloriam, superbiam. Iam hæc vitia in nostro inualescunt animo; si charitas ab eo continentiáque abfuerint. Euanescũt autem omnia, partim dilectione spiritali, partim ieiunio & abstinentia: Mens enim nostra tunc demum & propriom lumen recuperat, & Deum remotis omnibus obstaculis intuetur.

Affectus vitiosus est in nostra potestate.

Peccatorum 2. genera.

D. GERM.) Nos, Domine, nullo non supplicio digni sumus, obsecramúsque ne nos in manus infestissimorum hominum malorúmque dæmonum prodas, vt pœnas de nobis repetant; sed tu, Domine, nos erudi & castiga tanquam filios: quia quemadmodum φιλανθρωπία; hoc est, humanitas & clementia tua se habet, ita etiam παιδεία seu castigatio tua. Quid hoc? An hominem Deus in tentationem inducit? Absit: nec enim Deus autor malorum est, sed obsecremus eum, ne, in tanta miserationum suarum copia, nos in tentationem incidere permittat. Domine si quæsierit nos Satanas cribrãdos vt triticum (quemadmodum sanctos quoque tuos Apostolos quæsiuit quidem, at non assecutus est) vel quemadmodum veterem illum Iob; ne permittas vt quicquam in nos possit. Imò etiam si maleuolus homo nos tentare voluerit; ne nos eius voluntati tradas, sed sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Luc 22.
Iob 2.

QVONIAM TVVM EST REGNVM ET VIRTVS, ET GLORIA PATRIS, & Filij, & Spiritus sancti; Amen.

D. GERM.) Nam in tua manu & potestate sunt misericordia & salus, mors & vita; Pater, & Filij, & Spiritus sancti; nunc & semper & in sæcula. Domine, *quia regnum tuum est*, fac ne regnum aliud formidemus, neque potestatem, neque dominatum; sed quámlibet supplicijs propter peccata nostra digni simus, tu pro arbitratu in nos animaduertito, nec nos hominum manibus exponas; fac in tuas potiùs manus incidamus, vt enim magnificẽtia, ita & misericordia tua est, Pater omnipotens.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ, EX TERTVLLIANI LIBRO, DE ORATIONE.



COMPENDIIS paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum! sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta! quot simul expunguntur officia! Dei honor, in patre; fidei testimonium, in nomine; oblatio obseqoij, in voluntate; commemoratio spei, in regno; petitio vitæ, in pane; exomologesis debitorum, in deprecatione; sollicitudo tentationum, in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio Orationis; & de Spiritu ipsius, iam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata; suo priuilegio ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.

Exomologesis debitorum.

ARNOLDI

ARNOLDI, CARNOTENSIS, ABBATIS BONÆVALLIS, OPVSCVLA.

ARNOLDI, BONÆVALLIS, ABBATIS, de laudibus sanctæ ac perpetuæ Virginis.

DE ARNOLDO CARNOTENSI; ABBATE BONÆVALLIS, ET EIVS SCRIPTIS.

ARNOLDVS *Abbas Bone-vallis vixit D. Bernardi ætate, eíque familiaris vt apparet ex ea Epistola quam ad illum scripsit D. Bernardus paucissimis diebus antè suam è viuis profectionem qua incidit in annum Christi, 1163. & est trecentesima & decima inter eius Epistolas; quam etiam Goffridus Clarauallensis inseruit libro quem scripsit quartam de eiusdem S. Bernardi vita: qua ex re constat, ni fallor, lapsum Tritemium cùm ait descriptam à D. Arnoldo S. Bernardi vitam Libris 4. Primus enim est Godefridi Abbatis S. Theodorici, cui subscripsit eo mortuo Burchardus Abbas Balernensis ad quem extat D. Bernardi Epistola 310. Tres postremi sunt Goffridi illius Clarauallensis. Epistola verò illius cum nulla extent quòd sciam, hæc tibi exhibemus illius Opuscula:*

De laudibus sanctæ ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ; Tractatus.	De nouissimis 7. verbis Domini in Cruce; Tractatus 6.

Eáque hoc ordine; consultò omnino & ex mente eiusdem Arnoldi. Quòd enim paulò antè finem huius Tractatus; Postulabat ordo, *inquit*, vt & de cæteris Capitulis quæ Christus in Cruce tetigit, aliqua scriberemus, sed supra nos esse scimus, &c. *ac statim eadem summa Capita perstringit: Apertè indicat profectò, cùm hunc ederet Tractatum, ex nimia humilitate nondum ausum fuisse Tractatus illos posteriores aggredi; quod tamen sanctorum verborum reuerentia permotus, eloquenter posteà præstiterit ac fœliciter.*

ARNOLDI CARNOTENSIS, ABBATIS BONÆVALLIS; DE LAVDIBVS SANCTÆ AC PERPETVÆ VIRGINIS, Matris Christi Mariæ; Tractatus.



I linguis hominum loquar & Angelorum; A nihil dignè, nihil propriè, de sanctæ ac perpetuę Virginis matris Christi Marię gloria eloqui potero; quia verè in laudibus eius modulãdis non inuenitur conueniens organum, & hebes est cuiuscumque subtilitatis ingenium. Cùm enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper quod Maria prædicatur *gratia plena*, manifestum est indiuiduam esse Matris & Filij gloriam; & commune esse vtriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum: quia etsi illud antiquum consiliũ de incarnato in sancta Virgine Ver- B bo quod Deus apud Deum erat, palam factum sit Mundo; tamen huius tam insolitæ actionis modum (quia res miraculi est, & ordinem non sequitur naturæ) sensus humanus timet attingere & hæret ancipiti affectu, quia & stupori est majestas operis, & ingratitudinis foret pręterire silentio laudes Auctoris. Res mira & inaudita, mater Virgo, Verbum caro, Deus homo! quis in tam celebri miraculo sileat? Item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem supra nos esse, hoc aggredi; sed illa in cuius sacratissimo vtero Verbum caro factum est, locuturis de Verbo, cõciliat Verbum: Nec fas est muta esse gaudia Ecclesiæ, vbi impleuit non Verbo hoc ha- C bemus in mente quod Mater in vtero. Et ipsum quidem vnigenitũ Patris; ipsa priùs mente concepit quàm carne. Salutata ab Angelo, credidit sibi manere virginitatis propositum, & nasci ex se Sanctum Sanctorum quia & hoc acceperat cœlitus intimatum quòd non esset *apud Deum impossibile omne verbum*. In huius beatitudinis commercio, vnita sunt diuinis, humana, terrenis cœlestia. Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus nudato latere, Patri ostendit

Luc. 1. Indiuidua est Virginis Matris & Filij gloria. Ioan. 1.

Luc. 1. Virginitatis propositum in Dei-para.

Mater, Mediatrix est nostra ad Filiũ.

latus & vulnera; Maria, Christo pectus & vbera; nec A potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt & orant omni lingua disertiùs, hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia. Diuidunt coram Patre inter se, Mater & Filius pietatis officia; & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negocium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile Testamentum. Maria, Christo, se Spiritu immolat & pro Mundi salute obsecrat; Filius impetrat, Pater condonat. Magnum quidem est, quòd Latroni conceditur venia; sed & hoc stupendum, quòd consummata dispensatione incarnationis, exturpaturus Iesus Matrem tanto affectu honorat victor suppliciorum; & quasi sui immemor, ad B matrem de Cruce conuertitur & colloquitur intimans quanti apud eum meriti esset & gratiæ quam solam in illo puncto respiceret cum iam capite vulnerato, fossis manibus & pedibus, in vltimis esset. Mouebat enim eũ Matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnúmque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verùm altiùs repetenda sunt operis huius capitula, & breui est sermone colligendum, quo initio, quo progressu, ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta deuenerit vt cum Christo communem in salute Mundi ef- C fectum obtineat, & à dextris eius regnans in cœlestibus, *Circumamicta varietatibus, in deaurato vestitu* assistat. Inuẽta est Virgo ab Angelo in Nazareth, solitaria, seorsum à turbis, vacans proculdubiò meditationibus sanctis, credo secum pertractans quomodò sine offensione Legis maneret in proposito castitatis; quia hãc elegerat, hanc Deo vouerat, & integritatem carnis & spiritus apud se Domino consecrarat. Stabat in aduerso Lex, vrgebat ad coniugium Moyses; qui maledictum intentans sterilibus, semen & sobolem à filijs Israel exigebat. Nullum de Virginibus à Domino datum erat præceptum, sed

Psal. 44. Luc. 1.

Virgo Maria vouet Deo Castitatem.

1. Cor. 7. nec erat Apostolus qui daret consilium: Acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum sanctum, familiare mandatum; non ex responso Angelico, sed ex inspiratione secreta quæ ei & affectũ virginitatis intimauerat, & vsque ad necessitatem voti purum desiderium alligauerat: quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum diuinitùs; sed huiusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat Spiritus sanctus. Ob hanc eam æstimo elegisse solitudinem segregatam, vt diebus & noctibus in huius controuersiæ angustijs, congruis se rationibus muniret, quibus & stare sibi posset optata virginitas; nec tamen quasi in contemptum sui, Legis indignaretur auctoritas. Hoc enim (vt diximus) id est, coniugium, ad propagandum populum Dei, ita lex omnibus indifferenter exigebat, vt nec summos Sacerdotes pateretur immunes; quia necesse erat Filium Patri defuncto statim substitui, nec alium quemquam in ordinem Pontificalem assumi. Ideóque propter successoris necessitatem oportebat eos misceri coniugibus, vt essent parati Filij statim cum Pater obijsset, consecratione patrata, ad continuationis Incensum accedere, & intra Sancta manè & vesperè secundùm ritum Legis omni die offerre: tantáque erat huius rei necessitas, vt cum immundis & contaminatis concubitu, ex aliarum Tribuum cuiuscúmque officij personis, nullus ad Sancta pateret accessus; solam summi Pontificis personam, propter hanc impossibilitatem, lex à ministerio non excluderet: licet & à quibusdam ita accipiatur, vt noctibus propter incensum matutinum vxores non tangerent; & ab illa hora si hoc egissent, vsque ad vesperam permanerent immundi; qua hora purificati, Lege non temerata, ex ordine ministrarent. His difficultatibus vallata, quia humani consilij ratio non occurrebat qua & decretum & votum pariter conuenirent, causam suam Maria Domino commendabat, & meditationibus & sanctis orationibus vacans de Cœlo expectabat consilium; vbi Spiritu & mente cõuersationem sibi parabat, vbi cœlebs animus medullitùs inhærebat: Nec defuit consolatio. Gabriel Archangelus desursum illabitur; solus solam affatur *Aue* (inquit) *Maria gratia plena Dominus tecum.* (Luc. 1.) Raro in veteri Testamento, salutatione Angelica quemquam honoratum reperies. Non salutatur Abraham cum extollitur titulo fidei, cùm credit nil hæsitans nasciturum de Anu sterili filium sibi iam seni: neque cùm eundem filium, de quo & cui promissiones factæ erant, mactare iubetur, nec cunctatur. (Genes. 15.) Non salutatur cum iugulatis quinque Regibus, erepto Loth, victor reuertitur: & licet à Melchisedech oblatis Decimis (Genes. 22.) dignus sit benedici, non tamen meretur cœlitùs salutari. Sub arbore Mambre, & Deo loquitur & euntem in vltionem Sodomę supplicationibus deuotis prosequitur; (Genes. 14. Genes. 18.) & licet conuiuio & hospitio dignus inuẽtus sit, & licet, si in illis quinque flagitiosis vrbibus decem inuenirẽtur immunes, reliquis veniam impetrasset, non tamen ad salutationis familiaritatem peruenit. Non salutatur (Exod. 3.) Moyses, cum de rubo eum Deus alloquitur, neque cum (Exod. 19.) in monte Sina Testamenti tabulis honoratur. Adnunciaro Christo salutationes incipiunt, iam proximo Iesu qui est Saluator, Mundi salute nõ longè posita; Verbum sanctæ spei, Verbum incolumitatis & restitutionis nostræ de Cœlis ad terras defertur, iam hoc Verbum priùs rarum omnino incipit frequentari. Salutat Angelus (Luc. 1.) Mariam, nec multò post Elizabeth occurrit & ipsa salutans & prophetans. Salutant Angeli post Resurrectionem sanctas mulieres, salutat ipse Christus Discipulos. Deniq, & hunc salutandi morem, salutata per Christum, semper gaudia sua commemorans, exultans seruat Ecclesia. Inuenta est in Christo perpes lætitia, & salutis æternæ medicamina per ipsum sunt nobis in pœnitentiæ Balsamis designata. Maria lingua Syriaca, Domina dicitur: Christus Dominus, Maria Domina; & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc seruituris genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est

super omnem creaturam; & quicumq; Iesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicat & accliuis. In supernis & infernis admirationi est Virgo puerpera; stupent dæmones, gaudent homines, in Cœlo gloriam Deo concinunt Principatus & Potestates. (Luc. 2.) Non cadit in Angelos zelus, nec inuidiæ liuore candidatus ille tabescit exercitus, nec de præposito sibi carnis ordine offenduntur, (Psal. 8. Hebr. 2.) quia & si Christus aliquando *paulò minus ab Angelis*, propter passibilitatem, sit imminutus, modò *gloria & honore* coronatus *sub pedibus* suis continet omnia subiecta. Nec à dominatione vel potentia Filij, Mater potest esse seiũcta. Vna est Mariæ & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: & ex quo dictum est ei; *Dominus tecum;* inseparabiliter perseuerauit promissum & donum. Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest; & Filij gloriam cum Matre nõ tam communem iudico quàm eandem. Ecce tabernaculum Dei, habens intra se Sanctum Sanctorum, virgam signorum, tabulas Testamenti, altare incensi, ambo Cherubin respicientia in alterutrum, Manna, & sine vmbra Propitiatorium palam expositum. Hæc non in figuris sed in ipsa veritate, sacrarium Virginis in se cõtinebat reposita, exhibens Mundo legem & disciplinam incensionem zeli, castitatis odorem, concordiam Testamentorum, panem vitæ, inconsumptibilem cibum, sanctitatem, humilitatem, & obedientiæ holocaustum, pœnitentiæ omnibus tutum naufragis portum. Nulla facta est Angelicæ dignitati iniuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat virgo exaltata sicut Cedrus in Libano. Cedrus arbor est procera, & imputribilis: Virginitas quoque Mariæ quia nulla concupiscentiæ carnalis viscatur putredine, in hoc procerior & altior virginitate videtur Angelica, quòd hæc virtutis; illa, naturæ: hæc, voluntatis: illa, necessitatis: & in carne quod nõ est carnis agere, res incomparabilis meriti est & gloriæ singularis. Prosequi Prophetarum oracula quæ de Maria scripta sunt, non est nostri propositi; neq; enim rem tanti culminis sibi noster arrogat stilus. Quomodò enim illud diuinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum est, vbi (Luc. 2.) in angusto Tugurio hospitata virgo non habens diuersorium, infantem Iesum lacinijs reposuit fasciatum; vbi Virgo & obstetrix & genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clientelã: Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi vsuram pœnarum pro voluptate vltio repetebat. Neque enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum. Vnde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal, vltrò natura ianuas reserabat. Aderant illic Cherubin & Seraphin; & gratulabundus, *gloria in excelsis*, Deo decantabat cœlestis Exercitus: & vsque ad Pastorum excubantium (Luc. 2.) aures harmoniæ Angelicæ consonantia perstrepebat. *Reges Arabũ & Sabba* ab Oriente egressi, sequuti Stellam (Matth. 2. Psal. 2. Psal. 71.) insoliti luminis, genibus curuatis & humi purpura defluente, Iesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt. (Reges ab Oriente venerunt ad Christum.) Ab ortu Saluatoris vsque ad Baptismum anni, 30. defluxerant, nec toto hoc tempore seiuncta est Mater à Filio, semper indiuidua illi adstitit, & diuini conscia secreti, humili affectu venerabatur vt Deum, amplectebatur vt Filium. Ventum est (Luc 3.) ad miracula, & illicò Iudaïca perfidia mouit calumnias & corde felleo doctrinam Euangelicam persecuta, ringens in Christum despumabat conuicia dicens eum *in Beelzebub ejicere dæmones*; & non esse à Deo, Sabbati contemptorem. (Matth 9. Ioan. 9.) Multa præterit succinctus & ad finem properans stilus. Quid singula prosequar? Nec mortuo Christo quieuit inuidia, nec saturata est cruentæ plebis malicia, cùm pedibus & manibus claui, cùm lancea lateri, fel ori, spinæ capiti, & totũ corpus hæreret Cruci. Obseruabant milites Crucifixum, irridebant Iudæi nec extorquebant responsum. Fugientibus Apostolis, in faciem Filij se opposuerat Mater, & gladio doloris animæ eius infixo, vulnerabatur Spiritu, & crucifigebatur affectu:

fectu : & quod in carne Christi agebant claui & lancea, A hoc in eius mente, compassio naturalis & affectionis maternæ anguſtia. *Stabat ante Crucem*, non minor quàm matrem Christi decebat : Fortaſſe autem quia in morte Filij intelligebat Redemptionem Mundi, etiam ſua ipſa morte ſe aliquid æſtimabat publico muneri addituram. Sed Ieſus alieno adiutorio non indigebat qui dixit; *factus ſum ſicut homo, ſine adiutorio, inter mortuos liber.* Suſcepit quidem Parentis affectū, non tamen quæſiuit auxilium: imò ipſa inter reliquos pro quibus ſui ſanguinis Patri ſacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus eſt. Ecce bone Ieſu, coram te eſt Mater tua. Cur modò non dicis : *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Modò matrem non abijcis, nec ignoras, ſed commendas diſcipulo, & vicariam imponis ſolicitudinem illi quem præcipuè diligis qui *ſupra pectus* tuum *in Cœna recubuit*, *Mulier* (inquit) *ecce Filius tuus*, *& ad Diſcipulum; ecce Mater tua.* B Supererat Ioſeph, ad quem vſque ad illud tempus præcipua obſequij ſpectauerat ratio, & cui ad hoc ipſum fuerat deſponſata; & modò, quaſi hoc miniſterio cenſeatur indignus, Ioannes aſſumitur. Hunc intellectum circūſtantia ſermonis videtur exigere : verùm ſecretiori ratione virginitas virginitati commendatur, vt hoc teſtimonio iuguletur Bonoſus hęreticus & profanus Heluidius; qui in ore fœtido auſi ſunt garrire quòd de vtero Virginali alius pręter Christum partus effuſus eſt; & poſt Saluatorem natum, Ioſeph eam licentia maritali contigerit. Ipſe Christus de Cruce Maternæ Virginitatis eſt arbiter, idem & aſſertor. *Obſtructum eſt os loquentium iniqua; ſuſcepit eam Ioannes in ſuam*, non abnuente Ioſeph, nec aliquam calumniam referente : ſuſcepit eam in ſuam; C non quaſi maritus ſed loco Filij aſſecla & cuſtos & teſtis, & conſcius. Erant quidam ambo in miniſterio Mariæ, Ioſeph cędente pro tempore & cauſa; Ioanne, præpoſito. Christus quidem in eum expenſis contumelijs & tormentis; iam hora propinquante, in Matre ampliùs quàm in ſe pati videbatur : nec diſſimulans quòd humano pungeretur affectu circa nouiſſima expreſſit quàntam Matri vellet reuerentiam à Mundo exhiberi, cui in vltimis tam officioſum reliquit dilectionis indiciū : in ipſo mortis articulo exponens, quòd Matris eſſet intemerata virginitas, & quòd ei gratiæ ſingularis æterna maneret hæreditas. Suſcepit itaq; Diſcipulus, quod ei commendatum eſt; & Christus dixit; *Conſummatum eſt.* Hoc dixit;

Ioan. 19. Virgo, cur non minor quàm decebat Christi matrem, ante crucem non ſtabat.
Ioan. 13.
Ioan 21. d Ioan. 19. Ioſeph Chriſto ſuperſtes. Bonoſus hæreticus. Heluidius profanus. Pſal. 62. c Ioan. 19.
D. Ioannes & Ioſeph erant in miniſterio Virginis Mariæ.
Ioan. 19 f

A & bono pietatis fine, myſterium omne compleuit. Poſtulabat ordo, vt & de cæteris Capitulis quæ Christus in Cruce tetigit, aliqua ſcriberemus; ſed ſuprà nos eſſe ſcimus, ad tantæ profunditatis myſteria mittere manum. Quis enim diſſerere ſufficiat, quòd ſe derelictum clamat in Cruce, quaſi infirmus; & latronem in Paradiſum pręmittit quaſi Deus? quòd orat pro eis qui illi maledicunt, & crucifigentibus obtinet veniam? & quòd in eodem puncto in quo apud Patrem, totius Mundi cauſam allegat; quàm propriè & ſingulariter Matrem reuereatur indicat! quòd de ſiti, & non de corpore vulnerato eloquitur; quod tunc demum proteſtatur omnia conſummata, & ſic in manus Patris, ſpiritu commendato, capite inclinato, emoritur? Magis hæc noſtro videntur honoranda ſilentio, quàm indigni ſermonis auſu temerario contingenda. Verum de Maria quod cœpimus, vt breuiter proſequamur, B hoc ex actionibus Apoſtolorum traditum nobis accepimus, quòd Paſſionem Christi, cum Apoſtolis vſque ad Pentecoſten in orationibus & ieiunijs vnanimiter conuerſa eſt. Poſteà verò, Ioanne in eius obſequijs perſeuerante, non diù vocatione dilata, migrauit ad Filium : & Angelis occurrentibus & deportantibus illam inclytam animam, aſſumpta eſt in Cœlum. Vtrum in corpore, aut ſine corpore, nullius Canonicæ Scripturæ diffiniuit auctoritas : ſed quocumque modo ſit; eam cum Christo eſſe, dubium nō eſt. Nec fas eſt homini loqui quid illud gloriæ ſit, qua beatitudinis plenitudo qua illa perfruitur; quia ſicut ſcriptum eſt, *pax illa omnem ſuperat intellectum, nec eam oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* C Hoc certum eſt, quod ibi eſt vbi tam ipſa quam Filius *vultui Dei* aſſiſtunt pro nobis, miſericordiam poſtulantes non iudicium; & obtinentes omni pœnitenti remiſſionem peccatorum. Imò datum eſt Filio *à Patre omne iudicium*, & eius eſt temperare & diſpenſare ſeueritatis diſtrictæ decretum, qui non facilè eos quorum aduocatus exiſtit condemnat : cùmque idem ſit Aduocatus & Iudex; nequaquam crudeliter iudicat, qui ſemper miſericorditer interpellat. Merces quippe mortis eius, ſalus eſt hominum. Nec illud ſibi perire facilè patitur, pro quo & ſanguinis precium magnum datum eſt; & tantum reconciliationis humanæ ſtudium fuit, vt ſua diſpendia non attenderet dum erroneum lucraretur.

Math. 27. Luc 23. Ibidem. Ioan. 19.
Act. 1. Virgo Maria non diu poſt Filium obijt.
Dei-para Virginis Aſſumptio.
Phil. 4 b 1. Cor. 2.
Hebr. 9.
Ioan. 5.



EIVSDEM ARNOLDI, CARNOTENSIS ABBATIS BONÆ-VALLIS, TRACTATVS DE VLTIMIS SEPTEM VERBIS DOMINI, IN CRVCE.

PRÆFATIO.



LTIMA Christi verba quæ cruci affixus, noui Testamenti hæredibus tractanda proposuit licet sparsim à nonnullis Commentarijs Euangeliorum videantur exposita; mouit me tamen verborum sanctorum reuerentia, ampliùs eorum penetralia scrutari, & quòd illa hora qua consummata videbantur quæ de eo fuerant Prophetata, prolata sint, cum iam non doctrina sed passionis agebatur negocium; & quòd in eis sua omnia Christus recapitulat dogmata, tam diffusè priùs prædicata, breuibus coarctat capitulis: ita vt in illo verborum compendio, Christianæ fidei ratio splendeat; & de semine exiguo seges immensa vniuersitati Credentium profutura consurgat. Quantò enim breuiùs dicta sunt, & in illo articulo quo seria & necessaria agi, rerum circumstantia postulabat; tantò diligentiùs inquirenda sunt: & tantò penitiùs inquirenda, quantò fœcundior & causalis & seminalis ratio in eis delitescit. Euolutis igitur causis; quasi ex quibusdam latebris, & ex quodam reclinatorio aureo honorabilem internorum intellectum maiestatem producens in medium, & egredietur palam in decore suo cognoscibilis veritas quam anteà oppositus velaminibus ignorabas: & cùm propiùs accesseris & infunderit se tibi illuminans sensum tuum diuinæ radius veritatis, intelliges & videbis in scintilla incendium, & in stilla reperies pelagus; & in lechito olei, vnde creditori reddas debitum, & tibi affatim supeditabit inconsumptibilem cibum. Ante tamen exordium, attendamus quisnam ille sit qui se clamat derelictum. Nonne ipse qui Latroni promittit & donat Paradisum? Vtrobique, Verbi virtutẽ intellige. Audi quid hæc vltima schola subtilitatis edoceat. Hic idem qui se derelictum causatur, non pro Latrone Patrem rogare sed potestatiuè (immerito

Math. 27. *donatis reatibus) repente flagitiosum sanctificat, & cœlestibus inuehit sedibus, & secum in gloria locat. Hoc fundamentum fidei esse, hoc argumentum probabile & necessarium, omni euidentia constat, quod regni Christi etiam in Cruce perfecta sit efficientia; nec minuatur humilitate carnis, imperij dignitas: imò hæc ad gloriam crucifixi pertineat, quod in illa contumelia Crucis, sapientiam & fortitudinem Mundi huius vincat & superet, quod stultum & infirmum æstimabatur incarnati Verbi venerabile sacramentum. Quod enim Filius in persona derelictorum conqueritur, non est impossibilitatis indicium; sed hoc potiùs intimat, quod diminutio illa excellentiæ superioris, humanitati corporis tribuat incrementum: vicissim humilitas & sublimitas quibusdam reuolutionibus inter se partiantur negocium; forma Dei se exinaniens, & forma serui nomen quod est super omne nomen accipiens. Non derelinquitur vsquequaque, sed dispensatoriè singularum exprimitur ratio naturarum, quia & relinqui & pati & mori, quidam arcti & difficiles sunt transitus, per quos ad solidum & immobilem statum quasi pelle peccati deposita & omni scabie vitiorum detersa, renouatus homo perueniat. Vnde etiam quòd sit in Cruce fons vitæ; quòd supplicante Christo, etiam crucifigentibus locus est veniæ; quod inter conuicia & supplicia, pietate matris afficitur; quod omnibus consummatis victor migrat ad Patrẽ; indiscussum relinquere, ingratitudinis esset & torporis: & cùm hæc singula capitula proprium syntagma requirant, & meditatores Legis Dei totius hic religionis reperiãt semina de quibus exercitatus animus Diuinorum intellectuum fructus vberes metat. Ad quarum rerum indaginem licet insufficientem me, iudicem; nec oculis impuris puram lucem intueri sustineam: interim tamen sub vmbra Diuinorum secretarum sedens, à prohibitis & inaccessibilibus abstinens, ad reliquas Paradisi arbores præsumpsi manus extendere, & experiri gustu quid saporis intra se dulcedinum multitudo proposita contineat.*

ARNOLDI, ABBATIS BONÆ-VALLIS TRACTATVS DE NOVISSIMIS SEPTEM VERBIS DOMINI, IN CRVCE: ET PRIMVM DE VERBO ILLO;

Math. 27. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*



OST regulas fidei, Euangelico dogmate promulgatas, post signa & miracula & documenta iustitiæ; quia iter longum fuit per præcepta, ventum est & ad compendiosum & efficax, per exempla. Et ne aliquid doctrinæ deesset, sequuta est forma; quæ ideò ad vltimum dilata est, vt quasi piæ hæreditatis Testamentum filij superstites eo deuotiùs amplecterentur, quò Christi sanguine conscripta priuilegia sua viderent, & impressam obedientiæ eius imaginem Bulla imputribilis exhiberet. Ideóque ex illa cathedra Crucis quoddam Deuteronomium dictatum est in recapitulatis breuiter quæ multa prolixitate diffusa erant; ac satagit simul Magister bonus facere & docere & exemplo consummare doctrinam, nec tam

Marc. 15. veritatis præceptor esse quã testis. *Deus meus, &c.* Modò vltrò eloquitur qui paulo ante ad Herodis & Pilati inquisitiones conticuit; curiositatem & fastum tumentium A hominum aspernatus, pauperes spiritu de patibulo edocet: ibique scholam religionis iterum instituens, pauca proponit Capitula in quibus & affectum charitatis intimat, & zeli sancti imitationem commendat. Non possunt impedire tormẽta doctrinam, sed quasi hebes contemnitur ferrum; & prouidet sollicita pietas, vt ad regulam fidei, discipulorum mores æquẽtur; & conquadrato fundamento ædificatio firma stabiliter innitatur. Se igitur ipsum modò hominẽ exhibet, modò Deum; modò omnipotentem & modò infirmum: vt inter se sublimitas & humilitas, vices negocio congruas partiantur. Modò supplicat, modò imperat; modò se dicit derelictum, modò Latroni promittit Paradisum. Agit secundùm vtrámque naturam quod exigit causa. In hac contemnitur, in illa gloriam regnúmque largitur. Perstrepebant ante Crucem clamores irrisorij; & ad dolorem vulnerum, cruenta plebs addebat cõuicia: ringebat, & toruis aspectibus in faciem quam conspuerat intendebat,

& vnanimi

Matth. 27. Marc. 14.

& vnanimi classico acclamabat; *Vath qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas.* Vide quantùm mali, error & perfidia Principum adliniuerat plebi; quantùm rubiginis suæ affricuerat populo imprudenti, auctoritas sacerdotum; quantùm conualuerat coniuratio facta in Christum cùm occideret eum & nomen eius delerent è medio. Non verebantur omnes, homicidij titulo in perpetuum esse notabiles, vno in se & in paruulos suos tanti sceleris reliquias congerebant, & vltrò damnationis suæ Chirographo subscribebant. Nondũ expirauerat Christus, sed fossis manibus pedibúsque & scisso vepribus capite viuebat in cruce; & parricidalium mẽtium intuens vota, nõ tam clauorum acumine quàm illorum crimine pungebatur. Pro his igitur ad Patrem conuertitur, & charitatis argumento prolato in medium; inauditum dicendi genus nouus orator assumit: & inimicorum in causa allegans, ipsis inuitis atq; negligentibus parti contrariæ suffragatur: & vtrùm plus possit peccatum quàm iustitia, Deo patri quæstionẽ proponit: Et edisserit esse inconueniens vt amplioris sit virtutis delictum quàm donum, & præualeat malicia bonitati, & perditio saluti. Cùm enim ipse ad hoc nitatur vt saluentur; & Iudæi, ad hoc vt damnentur; plus debet apud Deum posse Filij charitas, quàm populi cæcitas: quia & hoc non minimũ habet pondus quòd causæ huic nõ patrocinatur alienus sed Filius, neque Reipublicæ commodum ex hac indulgentia minuitur, sed augetur: ideóque nec Legibus nec Iudici derogat, si temperatur sententia; quia cùm communibus vtilitatibus tribunalia deseruiant, non est sibi contraria institutio quæ quocúmque tramite ad propositum redit; quæ, quod à statu integritatis suæ elapsum erat, restituit. Alioqui subtracta sibi agonum suorum stipendia Christus quæritur; protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores, si hi quibus tanti laboris opera impensa est sic relinquantur, & ad salutem eorum inefficax sit hæc humilitas, & ita sanguis Filij in cõspectu Patris vilescat vt non omnia postulata obtineat. Clamat igitur; *Heloi Heloi, quare me dereliquisti?* Non improperat Patri nec derelictum se dicit, quasi contumelia Crucis contra propositum videatur apposita, vltrò enim & vlnas patibulo & palmas ferro exposuit; sed quantum sit obedientiæ fundamentum & culmen, interrogans innuit, cùm se & minorem & æqualem ostendit. Deseritur humilitas, adest maiestas; fortius est & sapientius omni virtute & sensu hominum, quod in Christo Iudæus & Græcus stultum æstimat & infirmum. Secundum formam serui, legationis suæ ministerium non erubescit, non diffitetur carnis naturam passibilem & mortalem. In hac forma Patri blanditur meditator attentus, nec abnegat quod videtur, nec rapinam arbitratur si aliquid pro potestate loquitur & Patrem aliquando ex æquali affatur. Deum igitur suum vocat, ne quis quod proprium est alterius ad alterum, existimet alienum; & quod commune videtur, secare præsumat quasi diuisum. Naturæ diuinæ communio inter Patrem & Filium, non admittit scissuram: & licet sit ibi discretio Personalis, vna tamen est diuinitas & essentia naturalis. Suum dicit, vt manifestum fiat quòd ille qui suus est, in nullo ei contradicere possit. Deum suum dicit, vt nobis minimè formidandũ Iudicem intimet, quem sicut suum flectere possit; & ad eum, tutum esse accessum, quem non vt alienum appellat, sed suum. Nec paruam confidentiam huius familiaritatis germanitas exigit, quæ in conspectu Patris tantam derelictorum sollicitudinem gerit, vt se quoque in eo quod constat voluntarium esse & spontaneum, dicere non dubitet derelictum. Impossibile sanè est, vt in Patrem bonũ, bonæ voluntatis cadat ingratitudo; & non magis in tam benigno dilecti sibi Filij affectu complaceat. Quod autem derelictum se Filius commemorat, mercedem obediẽtiæ postulare videtur; nec diù beneficium differri tolerat, quod deberi sibi obedientia morti obuiam procedens, confidenter proclamat. *Quare* (inquit) *me dereliquisti?* Huius mysterij ra-

Vnumquemque in sanguine proprio introire oportet in Sancta.

tionem nondum intellexerat Mundus, necdum tanti sacramenti effectus palam aduenerat; & necesse erat, vt
A tam opus quàm virtus huius Holocausti innotesceret, & auditoribus Euangelij imprimeretur hęc forma vt discerent ex præsenti regula, vnumquemque oportere deinceps introire in Sancta in sanguine proprio, & finem aduenisse earum expiationum, quæ factæ erant eatenus in sanguine alieno. Periret enim & prorsus dilueretur religionis auctoritas si iterum circa imagines & vmbras veritatis occuparetur; & non magis ipsam veritatem apprehendens, mores in se Taurinos vel Hircinos mactaret, & in Altari intrinseco puræ deuotionis nõ adoleret fragrantiam, pro turture & columba pietatis & sanctimoniæ intẽdens affectui. Deseritur Christus ad modum Ionæ Prophetæ; proiectum in Mare, venter beluæ suscipit: sed propè erat susceptio matutina, de qua Pater Ion. 1.
B prædixerat dicens ad filium; *Exurge gloria mea:* & Filius Psal. 107.
ad Patrem; *Exurgam diluculo.* Exarmata erat nauis, fractúmque remigium; sed recollectis reliquijs, iterum nauigij supellectilem Gubernator magnus aptat ad cursum: & cuius res deploratæ esse videbantur dum clauderetur intra Sepulchrum, deuicta morte victor egrediens, imperauit ventis & Mari: Et Infernus obstupuit Iudicem, quem quasi prædã peculiarem vnguibus carni infixis pro consuetudine indifferenti attraxerat. Sane ille Psalmus cui titulus est; *In finem, pro susceptione matutina;* ex persona Christi sic incipit: *Deus Deus meus, respice in me* Psal. 21.
quare me dereliquisti? Sed hæc erant verba delictorum; id est, in persona eorum quibus ipse se vnierat, quibus per omnia absque peccato similis erat. Suos dicit peccato-
C res propter quos venerat, quorum caput erat; neque, membra sua à se abscindi, conueniens iudicabat: Alioquin absque nota & labe peccati si corpus inquiras, caput sine corpore constituas: nec erit cui proficiat bonitas, si non sit infrà quæ regatur infirmitas. Agit igitur caput, causam corporis sui; & pro infirmis suis sollicitus medicus in tantùm compatitur, vt etiam ex parte se infirmari non dedignetur; & (vt ampliùs dicam) sit peccatum, qui abradebat peccatum. In qua parte patitur, derelinquitur; quia naturæ impassibili, in nullo congruit iniuriari vel pati. Absentat se passioni diuinitas: hoc solius carnis est, in hoc solo se deseri Filius innuit, vt vndique sanæ Fidei veritas elucescat; & palam sit, quia secundum quòd Deus est, omnino non moritur; secun-
D dum quòd homo, dispensatoria ratione ad tempus moriturus deseritur. Deseritur itaque cum derelictis; & pro natura quam assumpserat, tributum soluit; & euecturus secùm genus suum vltra huius sæculi pelagus, Piratis rapacibus naulum carnis suæ protulit; inuiscatísque dentibus eorum illusit voracibus, & tam se quàm prædam suam abstraxit & euexit. Pro debitoribus debitorem se obiecit, & quod ex se non debebat, vltro debere non abnuit; ideóque totius debiti summam ab eo qui pro omnibus se tradebat, exactor exegit. Relictum vidit ad tempus & penitus posse extingui arbitratus est: sed abiectio volũtaria non expers erat omnipotentiæ; & calix ille amaritudinis, concupiscentię venena infusa antiquitùs, ab imò auulsit, & vomitu repentino tota veteris fermenti cõspersio eiecta est. Extensis igitur brachijs Chri-
E stus in Cruce totum corpus suum infra se positum complexus est: & sub alis Crucis aggregato genere nostro, ibi & protexit & fouit vbi nihil posse putabatur; & in quo victus æstimatus est maximæ victorię vexilla erexit, quia neque mors in eum vsquequaque præualuit, neque Pater vllo modo negare Filio indulgentiæ priuilegium potuit quod ad pedes eius prostrata charitas postulauit. Obtinuit itaque deiectio capitis veniam corpori; & percusso vertice, solidata sunt membra: vt non segnis sit recompẽsatio, & semper quid debeat homo Christo pro quo ille mortuus est, in hac forma meditetur & relegat, fixúmque præ oculis sit hoc charitatis argumentum, maneátque hoc viuum documentum & continuæ persuasionis exemplum. Sed & nobis qui toties dere-

linquimur, quoties non tentamina colaphizant non negligenda quæstio est, inquirere cur derelinquimur, & intellectis causis indagare remedia; Quia non poterit in illa mente diù labes obrepere, quæ se prouida studuerit circumspectione munire. Deserimur nonnunquam cùm hanc curam negligimus, & commonent nos contumeliæ propulsantes vt solliciti simus, & medetur quandóque negligentiæ confusio; compellúntque ad remedia confessionum nonnullos (cùm se erubuerint aberrasse) ipsa tentationum ludibria. Castigatur sæpe ex casu, superbia; & præsumptio, ex ruina. Pulsatur sanctitas, ne extollatur; & vt exerceatur, vexatur ad tempus; in modico derelinquitur, & in magnis miserationibus denuò congregatur. Labitur, & erigitur, deficit, nec sufficit ex se vt ad medicum recurrat. Ad hanc inquisitionis formam proposita à Christo in Cruce quæstio nos inuitat quoties nos pungit stimulus carnis, vel rapit in mirabilibus supra nos elatio mentis. Nec tamen peremptorius æstimandus est recrudescentis peccati pruritus, cui obuiam pergit ratio, & serpēti scabiei opponit cauterium. Licet enim subsinnigent afflata incendia, & flamma vorax iam tectorum clambat fastigia; vna gratiæ stilla subitúsque respectus clementiæ, vno flatu ea in cineres rediget: sedatáque procella diuinitus, quod putabatur detrimentum inuenitur solatium; & quod relictum & oblitum, assumptum & restitutum.

In rebus aduersis, inquirendæ sunt causæ & remedia.

Confusio medetur aliquādo negligentiæ.

ARNOLDI, ABBATIS BONÆ-VALLIS, TRACTATUS SUPER verbo illo; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23.



DOMINE *Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuū in vniuersa terra,* qui & ex impiorum *ore perficis laudem.* Ecce vnus de derelictis assumitur, Latro ille collateralis tuus, damnatus ob scelera: illum victoriæ tuæ præcursorem constituis, & viuificatum ex gratia in Paradisum præmittis; in quo confusus est inimicus, & vltor hæreticus, & proditor peruersus discipulus, & detractor Iudæus. Opponebatur à Pharisæis, Christo, pro crimine; quòd cum peccatoribus quos Lex abdicabat, ad Legis iniuriam non tantùm verbo sed etiam communicaret conuiuio. Cùm enim leprosos & immundos, ex ritu & decreto extra Castra depelleret; abrasísque parietibus earum domorum in quibus fuerant cōuersati, ipsis quoque in quibus consedissent subsellijs, propria mādaretur purgatio; hoc arguebant in Christo quòd huiusmodi personatum nec mensam vitaret nec domum, sed susciperet & sanaret. Inoleuerat superstitio; & occasione Legis intellectæ carnaliter, persequebantur quidem Ministri Legis peccatum, cùm tamen nec ipsi essent à peccato immunes; subscribebántque damnationibus proprijs, nullum locum misericordiæ reseruantes. Nephas putabant, quòd Christus curabat in Sabbato, quòd misericordiam præponendam docebat iudicio. Ita & quidam hæretici (in quibus sunt Nouatiani) qui volunt videri defensores Ecclesiæ; eos qui in quocumq; crimine post baptismum lapsi sunt, pœnitētia censent indignos, & omnino non posse restitui dogmatizat illa impietas, quem in aliquod crimen humana impegit infirmitas. Verùm Christus & falsos defensores Fidei hæreticos, & inimicos gratiæ Iudęos præsenti iudicio destruit & conuincit; mutans Legem in gratiam, terrorem in mansuetudinem, asperitatem in lenitatem, vmbram in veritatem, iudicium in misericordiam. Nouus rex, noua lex; nouus dux, noua lux; fractis prioribus Tabulis & silice ad silicem comminuto, nouis subscriptionibus figit titulum; & dictat pietas, & discernit omnia charitas. Scribitur tribus Linguis insignibus, Hebraïca, Latina, & Græca regnum Christi; & dominatio eius emanatura in Gentes, Cruci insculpitur, nec corrumpere Pilatus quod

Psal. 8.

Nouatiani videri volunt Ecclesiæ defensores.

Ioan 19. d

A scripserat voluit. Et licet tam insignem titulum deleri perfidia Iudæorum clamosè expeteret, obtinere nullo modo præualuit. Iam ad hanc scripturam Latro Crucifixus pertinebat, & cum intra se illæ literæ colligebant: iam spes subintrabat conuerso, quia (Crucifixo sibi Mundo) inhiabat cœlestibus dilatatúsque charitate, quasi consputis repudiatísque quę infrà sunt, cùm Christo tractabat de regno, affectabat superiora: & cum iam anima egressum accelerans in primis labris esset, & hora vltima aduentaret; æquo animo ibat; nec vrgebat formido pœnarum conscientiam quæ se sanguine Christi præterfluēte sentiebat ablutam. Exacuebant linguas venenatas, blasphemantes Christum Iudæi, & conclamabant & euomebant conuicia, & quasi victores insultabant pendenti: fugerant Apostoli, sola plebs maledicta, B firmatis nequam sermonibus, celebrabat ludibrium; Romanis militibus, seditionibus tumultuosis, cedentibus; pro potestate mysterium potiùs exhibentibus, quàm consensum. Sed & alter Latro oblatranti plebi assentiens, quòd nec se nec alios saluos posset facere, testabatur; irridebátque comparticipem suum qui in eum quem in eadem secum damnatione videret, spem poneret: & nugatorium omnino videbatur, illum credere regem vel Deum, quem secum oppresserat idem opprobrium & simile tormentum. Erat itaque vnus irrisor, alter Confessor; vnus exprobrator, alter venerator; hic sperans, ille desperās; hic diligens, ille negligens: aderátque illi controuersiæ, Iudex qui data sententia blasphemum ad Tartara, confitētem præmisit ad regna. Sane hic de quo agimus Latro, mansueti animi, & sicut C testem Christi decebat, in Auditorio publico, fidei protulerat argumenta; & nouo Philosophandi genere, supplicij tanti immemor, cum blasphemo illo de timore Dei, & iustitia disputabat. *Neque* (inquit) *tu times Deum, qui in eadem damnatione es; & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.* Credit & confitetur, testis est innocentiæ Christi; increpat maledicum nec sibi parcit, sed tantùm accusator sui, seipsum (aduersum se, sententiæ veritate prolata) persequitur. Damnatio (inquit) similis quidem est, sed causa differens: cùm hic ad hoc destinatus sit ex obedientia, nos ob flagitia. Causam accusat, non arguit pœnam; execratur scelus suum, non detrectat iudicium. *Neque* (inquit) *tu times Deum;* fateri non erubescit, quem, ex inuidia non ex merito, D nouerat crucifigi. Intelligere enim, reuelante non carne & sanguine, sed ipso cui attestabatur iam poterat; quia quod fiebat, voluntarium erat non necessarium, quia vt sic fieret, voluntariè fuerat diffinitum. Ibi igitur philosophatur & prædicat & fatetur, vbi non tantùm diffugiunt & tremunt Apostoli sed & ipsi maligni Spiritus iamiam impositi sibi freni saliuaria masticantes, per antiquum Organum suum (linguam fœmineam) nitebantur colligationes illas impietatis dissoluere; scientes quia fortis Armatus hic ancipiti gladio erat eos de diù possesso huius Mundi atrio eiecturus. Itaque concionator illustris, oblato confessionis & fidei adoramento, impositóque latroni blasphemāti, silentio; victoriæ suæ palmam & auctoramentū à Iudice exigens, ad Christum conuertitur & dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in re-* E *gnum tuum.* Considerare necesse est, quem locum, quem modum, quod tempus hæc causa habuerit, & quàm celerem auditum confessio meruerit; quid possit pęnitentia, quando bonus Dominus, tribulato corde clamantem ad se seruum suum, etiam in vltimo peccati puncto non negligat. Hora mortis erat, iámque confitentis anima faucibus hærebat, iámque linguam eius alligabat angustia; illóque articulo temporis, ferè ab ipsis Apostolis salus desperabatur. Modus passionis, Crux, inter omnia supplicia turpissimum & atrocissimum. Quibus postpositis, quasi plagarum & sanguinis immemor, dictator Euangelij Latro efficitur; & (quod persuaderi illa hora difficile erat) Christū Deum in Cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat; multa simul pietatis officia complectitur. Credit,

Luc. 23.

Fœmina antiquum maligni Spiritus organum.

Credit, & timet, cōpungitur, & pœnitet, confitetur, & prædicat, amat, confidit, & orat. Fide illuminatur, timore subditur, compunctione mollitur. Pœnitentia cōcutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur; confidentia sperat, oratione impetrat.

S. Petrus Apostolorum Princeps. Matth. 26. Luc. 22.

Ne irascatis, princeps Apostolorum: tibi dico Petre, cui *claues regni cœlorum* commissæ sunt: Et te amare flentem Christus respexerat, & donauerat negationis reatū; qui non ex sententia, sed ex infirmitate desciueras: Te tamē iuxta Crucem non video; territus lates, nec saltem Matrem Christi fœminásque sanctas prosequeris, quæ spectaculo lugubri astabant immobiles. Nec ibi Apostolica auctoritate vteris, vbi ad inuicem fixis iuxta crucibus priuata miscent colloquia, Saluator & Peccator. Absens eras, & ministerij tui claues (quod pace tua dixerim) modò non profers. Supplet vicē tuā summus Sacerdos, apertísque seris antiquis, Latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Christo) in regnum cœlorum. Amouetur ab introitu Paradisi, custodia ab initio peruigil; & versatilis gladius ille minax, quem Cherubin ab antiquo non vibrauerat. Ibi Latro locatur, vnde Lucifer corruit; & cui tu forsitan vltra septies ignoscere nolles, vltra septuagies septies reus sed absolutus à bono Iesu, modò cum Angelis cōuersatur. Resurge, & disce ignoscere; neque annumeres peccata vel multiplices tempora. Nō arctatur numero, nō clauditur fine, nullas omnino habet metas diuina clemētia: sit qui inuocet, erit qui exaudiet; sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Nō huic pœnitenti, multorum annorum ieiunia imponuntur; non nudipedalibus vel sacco afficitur; simul & confitetur, & iustificatur, & glorificatur. Vide horam, nota personam. Vltima hora, peccatrix persona, multa antiquáque peccata illicò abolet gratia, nec processu motáque temporis indulgentia limat corróditque culpæ rubiginem: sed vbi repentè, facto cœlitus sono, Spiritus sanctus illabitur; quicquid immaduerat peccati tabe, siccatur: nec superest vllum fœditatis vestigium vulneri quod misericordiæ abluit lauacrum. Fœtebat etiā quatriduanus in monumento Lazarus, suscitans non tabescit languore; Erigitur, soluitur, & statim conuescitur. Nulla lepræ crepido, nullus sinus in facie Simonis superest. Hospes incolumis, curatori suo hylarem exhibet famulatum: nullum signum horroris comitantibus Magistrum, idē conuiua & minister prætendit. Maria Magdalenæ ad pedes Christi plorat & orat, tergit & vngit, nec improperat Christus vitam infamem & inuerecundā, nec opponit quod diluit, nec exprobat quod ignoscit: quicquid agit in huiusmodi, sceleri nutu Spiritus sāctus consummat nec emendicat aliunde suffragia, qui quod illuminat, format, qui statim, piscatores facit doctores; & idiotas prædicatores. In hac gratia non affligitur expectatio dilatatione, nec interuallum est inter optatū & datum. Dauid dicit; *Peccaui*: & Propheta, *translatū est peccatum tuum.* Ad Cain dicitur; *Peccasti, quiesce:* Ad mulierem in adulterio reprehensam; *Non te condemnabo noli vltra peccare.* Quid commemorem Niniuitas, quorum pœnitentia subitò Iudicem amouet & sententiā? Quid Achab & Manassem reges impios; quorum contritionē in angustijs non est aspernata diuina clementia? Inter cætera pietatis exēpla, Latro noster nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confessionis forma, indulgentiæ præco, spei exemplum; qui dum ingemit, subitò quod quærit inuenit, quod petit accipit, & illicò audit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non ad loca Purgatoria, flammásque peccatorum vltrices, confitens destinatur, non ad loca tenebrosa & tormenta deducitur; nullam pars aduersa gratiæ Dei præsumit inferre calumniam: vna Crucis pœna, omnia abolet crimina: imò non pœna, sed gratia. Præmittitur igitur in Paradisum hic nostræ nuncius absolutionis, & primitias libertatis nostræ (testis libertate donatus) Paradisi ciuibus id expectantibus & desiderantibus, primus inuexit.

Gen. 3. — Nudipedalia. — Ioh. 11. — Luc. 7. — Ioh. 11. & 12. — 2. Reg. 12. — Gen. 4. — Ioh. 8. — Ionæ. 3. — 4. Reg. 24. — Loca purgatoria.

A ARNOLDI, ABBATIS BONÆ-VALLIS TRACTATVS DE VERBO ILLO Domini; *Mulier, ecce filius tuus.* *Ioh. 19.*



VBI *sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Quid differs? Iam venit hora; mater tua coram te est, & Ioannes quem diligis. Latroni loqueris, & matri non loqueris? Intuetur te illa in mulieribus benedicta; & confixis in te oculis, vulnera tua, materna pietate considerat. Et licet nō ignoret quid boni conferat Mundo Passio tua; tamen Parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecus, & erumpentes reuocat lachrymas; & eo amplius anxietas intumescit, B quò prohibetur egredi & per luctus lamentáque dissolui. Emergebant quidem aliquando gemitus, sed increpati reprimebantur; reuertebantúrque in sinum mentis de quo prodibant, & collidebant se adinuicem introrsus, erátq; in anima illa, tempestas valida, occurrentibus sibi procellis; & quasi in sartagine frixis medullis, ebulliebat amaritudines quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perseuerās. Imperabat quippe dolori silentiū, formido, & ringentium Iudæorū toruì in eam oculi, illos turbines suffocabant. Verùm illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat: Et (quod difficillimum erat) moriebatur & mori non poterat; & clauso tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat: nec poterat ex facie colligi Crux illa animæ & patibulum spiritus in quo erat hostia viua, beneplacēs Deo, C & medullatum holocaustum; quod cùm ipsa incenderet, tantùm conscientiæ ministerio vtebatur; ipsáq; sine strepitu seipsam mactans, in altario interiori & ligna & flammas & latices congerebat. Nimirum in Tabernaculo illo, duo videres Altaria: Aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi; Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa, ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem; & eleuatis in Cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu (corporali morte) redēptionis nostræ cōsummare mysterium; sed hoc solius summi Sacerdotis priuilegium erat, vt de sanguine munus intra Sancta inferret: nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo dignitas; & in Reparatione hominis, nulli Angelo, nulli hoD mini cum eo fuit aut esse potuit communis auctoritas. Cooperabatur tamen plurimum secundùm modū suū, ad propiciandum Deum, ille matris affectus; cùm, tam propria quàm matris vota, charitas Christi perferret ad Patrem; cùm, quod mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, & Filius Patrem; mater verò post vtrúmque ardebat; vnúmq; erat, quod diuersa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater sancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, simúlque se complectebantur pietas & charitas & bonitas, Matre supplicante, Filio interpellante, Patre propiciante. Filius ad pectus Matris & vbera, Pater ad Filij crucem & vulnera respiciebat: & quid inter hæc, tanta pignora E non mouerent? quid illa sanctitatis Schola nisi pietatem doceret? quid nisi misericordiam informaret? Dilectio & sanctitas & bonitas nihil sibi contrarium sapere poterant, nec reluctari sibi nec aduersari, concordiæ congruebat: & omnino decebat, vt supplicatio & sanctificatio & exauditio, in negocio rectitudinis conuenirent. Iesus ergo vt per omnia, pietatis fœdera commendaret, antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictauerat, obseruauit, & Matrem adhuc volens sic esse, ad cōsolationem Apostolorum reseruauit superstitem, vt ex his quæ ipsa ab initio audierat & viderat & cōtulerat in corde suo, Senatus Apostolicus doceretur, & Euangelica firmaretur doctrina. Honoratur etiam

Virgo Maria pendente Christo, erūpentes lachrymas reuocabat. — Virginis Mariæ dolor ne ex eius quidem vultu pendente Christo, poterat agnosci. — Solus Christus potuit hominis lapsum reparare. — Exo. 20. — Deut. 5. Matth. 15.

affatu familiariſſimo; & licet breuis fuerit ſermo, intimatus tamen eſt debitus affectus, & expreſſa ſingularis dilectio, *Mulier* (inquit) *Ecce filius tuus.* Præſens erat Ioannes, cui & dicitur; *Ecce mater tua.* Non eſt paſſus Chriſtus vt Iudaïca rabies in ſanctuarium ſuum, prophanam mitteret manum, vel aliqua infeſtatione violaretur illud templum Spiritusſancti: Poſitus eſt fidelis æditiuus ad tanti theſauri cuſtodiam. Diſcipulus qui in cœna Dominica ceruical ſibi in pectore magiſtri aptauerat, ecce iterum alio priuilegio honoratur; & poſt illud reclinatorium in quo viderat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, officina illa in qua Verbum caro factum eſt, diligenter à Filio ei commendatur: probato dilectóque Diſcipulo pudor virgineus, matris thalamus & ſanctimoniæ integritas aſſignatur, vt teſtis eſſet idoneus, virgo virgini, fidelis cubicularius Matri Domini ſui, miniſter deuotus pro reuerentia Magiſtri. Vices Filij naturalis, filius accepit adoptiuus, & transfunditur in miniſtrum filialis affectus: formaturque & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus concórſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ. Vnum igitur contubernium Ioannis & Mariæ virginitas accipit; & vnius moris in domo, vnum integritatis propoſitum, vnam habitationem meretur communémq; conuictum. Ecce Ioannes, piæ hæreditatis ſuſcipis teſtamẽtum; eligeris, & in hoc præponeris omnibus. Ioſeph qui eatenus miniſtrauerat, te ſubrogato, cedit nec maritalia iura opponit; vt obſeruatur os loquentium iniqua in poſterum, quia matrimonium illud diſpenſationi diuinæ nõ copulæ carnali ſeruierat. Ideoq; nec Ioſeph, cùm Ioãnes eam ſuſcipit in parentem, queritur de diſiuncto connubio quod diſpenſatorium fuerat ſine vllo carnalis copulæ cõmercio. Hoc teſtimonium integritati matris Chriſtus in fine perhibuit, vt haberet Eccleſia ſancta ex Euangelio lapidem quem Bonoſi Heluidiiíque hæreticorum impudenti fronti infigerent, qui in matris illibatæ virginitatem auſi ſint impia blaſphemáque garrire. Tu igitur Ioannes ſancte, ad hoc eligeris vt miniſtres & obſequaris ea dilectione qua filius, ea obedientia qua diſcipulus, ea ſubiectione qua miniſter & famulus. Petro commendatur Eccleſia, tibi Maria: illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica & quieta: illi atria & veſtibulum, & altaria ſanguinum, tibi commendatur Altare incenſi, & Sancta Sãctorum. Ad culmen myſterij tui nullus tecum admittitur; ſolus illi aſſiſtis propitiatorio, ſolus illud Vas aureum continens Manna, illud diuinæ Legis ſcrinium Pontifex deſtinatus obſeruas. Loco filij poſitus es, & vt vicem in Matre ſuppleas ordinaris; nec abnuit te Mater ſancta vicariũ licet longè imparẽ & inferioris tituli; tamen quia ſic viſum eſt Filio, amplectitur ſucceſſorem. Certè piſcator fueras, & in hac arte à parentibus inſtitutus; nullum te ſtratagema inclytum facit: ſed qui infirma Mundi elegit vt fortia confundat, in aſſumptione tua, paupertatis & humilitatis & caſtitatis gloriam commendauit, fundatámque charitatem & illuſtris animæ puritatem, hoc ſingulari titulo honorauit. Intueor igitur quadrigam qua currendum eſt ad Patrem, ſic debere diſtingui vt per te ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium verò attingere poſſit pœnitentis affectus ad Patrem. Et in hoc ferculo quod nos ab hoc ſeculo euehit, tu ſis columna argentea; mater, aſcenſus purpureus; Filius, media charitas, reclinatorium aureum, viſio Patris in decore ſuo, & æternæ pacis iocũda trãquillitas. Hãc interim gloriã propriè virginitas promeretur. Per hanc, in hunc gradum Diſcipulus ſublimatur; per hãc ipſa Mater & Virgo placuerat Deo, & obumbrante virtute Altiſſimi, in illo beatifico vtero, Verbum caro factum eſt: per hãc fuerat Gabriël Archãgelus Mariæ domeſticus, immò tota militię cœleſtis multitudo & naturæ Angelicæ gloria (admirãs quòd ſic integram in terris reperiſſet) circumfuſa vndique cognato cœlibatui exhibebat reuerentiã, & diuino incolatui clientelã: propriè tunc Gabriël & Ioannes huic aſſignati officio, cõmunibus ſtudiis miniſtrabãt; ſimúlq; ab ambobus tã in cœlo quàm in terra, diuina & humana conſolatio procurabatur: Ioãne, iuxta quod res poſtulabat, prouidente ſubſidium, Archãgelo pia vota perferente ad filium. Factum eſt igitur vt Dominus imperauerat; & cohabitabãt ſimul in bono iocundóque conuentu, virginitas & humilitas, dilectio & puritas; & erat vnanimitatis participatio in idipſum, inter Dominã & miniſtrum ſicut magiſtri ordinarat auctoritas. Bonus itaq; Dominus, bono fine cõſummãs pietatis myſterium, in Cruce iuſtificat impium, & debitum Matri reddit affectum. Addit quoque & tradit exemplum quod ad conſeruãda quæ ſancta ſunt, debeat eligi ſanctitudo, nec Sacramẽtorum arcana impuris ſint exponenda conſpectibus, nec poſſit dignè ſacris miniſtrare myſterijs niſi qui in Schola ſtuduerit continentiæ conuerſari. Decet enim vt qui mundandis vel mundis officium exhibeat, omnimoda ſplendeat ſanctitate; quia omnino huic formæ contrarium eſt vt contrectet incorrupta corruptus, & purificatorijs muneribus manum apponat impurus. Quod non ideò dicimus quòd in his qui iam abluti ſunt & ſanctificati, de quantiſcúmque naufragijs euaſerint, aliqua poſt indulgentiam nota permaneat; quia niſi ad antiqua reuertatur contagia, nulli prior præiudicat vita.

Ioh. 19. — *Ioh. 13. & 21.* — *Matrimoniũ virginis Mariæ Ioſeph.* — *Bonoſi & Heluidij impietas in Deiparæ Virginitatem.* — *D. Petro cõmendata fuit Eccleſia.* — *Quibus intercessoribus ſit accedẽdum ad Deum.* — *Cant. 3. d* — *Virginitatis merita.* — *Cælibatus. Angelica naturæ cognatus.* — *Virginis Mariæ & S. Ioãnis cohabitatio.* — *Sancta debẽt à Sanctis contrectari & conſeruari.* — *Schola continentiæ.*

ARNOLDI, ABBATIS BONÆ-VALLIS TRACTATVS DE VERBO ILLO Christi in Cruce; *Sitio.*

Ioh. 19.

ECce iterum myſteria; & ad inuicem ſibi Sacramenta diuina occurrunt. Reſponſum erat de Cruce Latroni, & Matri, & ad confirmationem ſpei, pietatíſque exemplum; Latro in regnum præmittitur, Mater interim ob rerum myſterium reſeruatur. His piè prouidéque diſpoſitis, Chriſtus inter ſupplicia ſitit. Exhauſtum erat ſacrum pectus ſudore ſanguineo; & lignum illud cui affixus erat, ſanctis baiulauerat humeris; & vt ſolet mœſtitia ſomnus nonnullis obrepere, ſic poterat ſitis illa accendi. Forſitan ſic erat: Ego verò ſacramentalem hanc ſitim intelligo, in qua non tam deſiderarut potus quàm hominum ſalus. Neque enim ab irriſoribus & interfectoribus poterat beneficiũ expectari, quia omnes ad impietatem proni, paratiores erant augere iniurias quàm miſereri vel compati. Perſeuerabant adhuc; nec flagellis, nec ſputis, nec colaphis poterant ſaturari. Vnde nec conſequens videtur, vt audita ſitis, eorum cor immolliret quibus parũ erat quod in Cruce pendebat; nec ſatis actum eſſe ipſa morte, malignantibus videbatur. Chriſtus tamen, ſicut per Dauid prædixerat, irruentibus in ſe vniuerſis, *tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ*, currit & ſitit. Sitit conuerſionem, currit ad remiſſionem, exoluit quæ non rapuit. Et licet illi precium illud magnum cogitarent repellere; iã abſorbto Serpente feſtinat ad lauacrum inimicorum & moritur pro impijs, & rebelles adoptat, & tanti effectus beneficij largitur ingratis. Hoc etiã in titulo Pſalmi. 33. continetur; vbi affectare Dauid in perſona Chriſti prædicitur, cùm coram Abimelech vultum ſuum mutaſſe perhibetur. Affectabat Dauid, & Tympanizabat ad oſtia ciuitatis, & ferebatur manibus ſuis, & in barbã eius diffluebãt ſaliuæ: Affectãte quippe Chriſto, & hoc ſitiente vt manſueſceret domus exaſperans, & duræ ceruicis populus molliretur; exhauſtóque pœnitentiæ antidoto, felleas viſcoſáſque peccati fæces euomerent; viſa ſunt eis huius doctrinæ verba omni ratione carentia, & dementiæ adſcribebant quò deos ad carnis ſuæ edulium inuitabat. Horrebant potum ſanguinis, & carnem humanam cibum inſolitum menſis ſuis inferre, impium & nepharium iudicabant. *Durus* erat *ſermo huiuſmodi*; quia ſenſu carnis oppreſſi, ſpiritum & vitam in verbis veracibus contemnebant. Hoc intimabant illæ per barbam Dauid fluentes ſaliuæ, quòd infantilia hæc

Pſalm. 61. — *Ioh. 6.* — *1. Reg. 21.*

hæc verba & friuola æstimarent Iudæi;& contemnenda
essent prophanis sacramenta Dominica, & quasi arre-
pticij & furibundi reputandi essent horum dogmatum
discipuli,& intellectualium mysteriorum ministri. Sed
Christus diffinitiones patientiæ edocens, nec irascitur,
nec vlciscitur; sed sustinet & præstolatur, & affectat vt
illuminetur populi cæcitas,vt conualescat & exurgat in-
fidelitatis mole suffocata illa tyrannica & effrenis ob-
stinatio, tandémque pateat veritas, & redeat ab errore
Psalm.143.c conuersa impietas. *Tympanizat* ergo *ad ostia clausa*; ad au-
res oppilatas, & incredulis cordibus intonat, & exten-
sa,in Cruce,pelle corporis sui; *in psalterio decachordo*, ve-
teris & noui Instrumenti concutit consonantiam: &
quasi incantatis Serpentibus, ad insolitam harmoniam
reddit edomitos;& detractores,facit cãtores, & impios
modulatores. Mutatur omnino facies Christi in specie
sacramentorum; *coram Abimelech*, id est, coram Iudæis
qui ad regnum Dei Christi ex promissionibus factis ad
patres pertinere videbantur.Hic Achis; id est,ignorans
hic est ex parte, populus ille qui non credit nec intelli-
git. Porrigit quidem discipulis suis, imò toti Ecclesiæ,
Eucharistia. proprijs manibus Eucharistiã, quasi se ipsum ferens:quã
qui dignè accipit,viuit; nec immeritò proscribitur, qui
contemnit: & alijs quidem tantæ rei mysterium *odor est*
2. Cor. 2. *vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem.* Vnde & Achis,
1.Reg. 29. Dauid dimittit, quia quibusdam ex Iudæis repellenti-
Act. 13. bus verbum hoc & *indignos* se *vitæ æternæ* indicãtibus,do-
ctrinam huiusmodi Christus ad gentes conuertit. Abi-
melech & Achis, non sunt vnius personæ nomina, sed
quia vnius mysterij continent rationem,non incongruè
diuersis respectibus vni personæ aptãtur.Ex parte, Achis
id est,ignorãtia & error,adhuc in eodem populo perse-
uerat: & qui filij regni videbantur, contempto affectu
charitatis Christi & tympano crucis,quasi Dauid à se di-
mittunt vt eat,cùm dicunt Christo, *Recede à nobis,scientiam*
4.Reg.2. *viarum tuarum nolumus.* Maledicũt adhuc Iudæi Christo,
& veri Helisæi derident caluatiam: necdum tamen Vr-
sis;id est,dæmonibus,derisores exponit,sed in multa pa-
tientia expectat pœnitentiam, & differt nec infert pro
meritis iram.Sed peruersa & auersa mens carnalium, si-
tis huius non intelligens sacramentum, sancto ori ama-
ritudinem applicat in calamo,& fonti misericordiæ,ve-
nena propinat. Non tangit Iudæe Christus poculum
Deut.32.c tuum,non gustat acetum *de suburbanis Gomorræ & vinea*
Sodomorum. Fons ille de quo aquæ viuæ emanant, cuius
riui in æternitatem prosiliunt,non exaruit; neque, vt à
te impleatur,affectat. Hoc potiùs ille fons sitit irriguus,
vt ex eo affatim haurias,illáq; repleatis dulcedine,vt pu-
ri te refrigerent latices,& ardentium in te libidinum ex-
tinguant carbones.Hoc sitit,vt virens in te charitas per-
seueret, vt sicut palma in sublime comã spei attollas, &
sicut cedrus Libani imputribilis viuas. Pincernas vene-
ficos, sitis ista discernit, & propinatores amaritudinis
horret & abijcit. Nullis passionum ardoribus fons iste
siccatur,nullis pressuris Charitas exhauritur. Etiam vbi
percutis & irrides,vbi fel porrigis, non cõmutat se dul-
cedo in amaritudinem,nec exigit Charitas vltionẽ.San-
guis & aqua, de latere exeunt vulnerato, aqua in laua-
chrum,& sanguis in mortis exemplum. Charitati igitur
Christi quæ esurit & sitit iustitiam nostrã, testimonium
perhibet in cœlo,Trinitas,ipse Filius qui iustificat, Spi-
ritus qui sanctificat,Pater qui glorificat, quia & iustitia,
& sanctitas, & claritas nostra desursum est, & testimo-
1.Ioh. 5.b nium Dei (*quod maius est hominis*) hæc in nobis dona sua
commendat, & informat, & confirmat. Nihilominus
in terra,per visibilia & corporalia sacramenta, quod in-
tus inuisibiliter agitur, commendatur extrinsecus, &
attestantur fidei Christianæ, *spiritus, aqua & sanguis*, quæ
tria vnum sunt & indiuidua manent, nihílque eorum
à sui connexione seiungitur, quia Catholica Ecclesia
ac fide viuit & proficit, vt iam nec sine vera diuinitate
humanitas,nec sine vera humanitate credatur diuinitas.
Nec sufficere nobis posset ad intellectum veritatis,testi-

monium quod de cœlo est, quod sibiipsi perhibet Tri- *Argumentu veritatis fidei Christianæ.*
A nitas, nisi & bonis innotesceret aliquibus signis & ali-
quibus argumentis,fidei veritas. Sunt itaque hæc tria,
spiritus sanctificationis,sanguis redemptionis, aqua pu-
rificationis.Non redemit sanguis nisi quos gratia vocat
& lauat, nec nisi ablutos & mortuos peccato, Spiritus
sanctificat. In commune participãt, redemptio & ablu-
tio & sanctificatio. Alterum sine altero esse non potest,
quòdq; agitur, vnum est non multiplex. Spiritus nam-
que sanctus superfertur mysteriis, interest sacramentis,
quorum rationem aqua mundans significat, quæ illius
rei cõtinet signum, cui & sanguis Christi & spiritus Dei
præbet affectum.In aqua mundamur,in sanguine infor-
mamur. Mirum dictu,tremendum relatu. Profluẽtibus
de sacro latere aquis viuentibus,& emanantibus de fon-
te vberi largis liquoribus, Christus sitire se perhibet, &
B ipse mundum irrigãs & fœcundãs,de ariditate causatur.
Omnino sane sitis illa exprimit, raros tunc extitisse qui
crederent, cùm ipsi & laterent & dubitarent illa hora
Apostoli, & adhuc non illabebatur sanguis & aqua in
corda discipulorum radicitus, nec inmaduerant ebrie-
tate spiritus quorum animas timor & dubietas siccaue-
rant. Te sitit Christus, ô Petre:reuertere, & dic liberè,
Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Reuertere & cõfi- *Act. 5.*
de, & cùm frater tuus in aliquo delicto præoccupatus
fuerit tu qui spiritualis es iudica in spiritu lenitatis. Et tu
tentatus es aliquãdo & ad vnius vocem ancillę à propo- *Gal. 6.*
sito excidisti. Verùm sanguis Magistri hunc reatum as-
persit, manet tibi eadem gratia, non priuaris Apostola- *Matth. 26.*
tu,manent tibi claues tuæ, & eadem excellentiæ tuæ di-
C gnitas perseuerat, Exurge, & bibe de fonte misericor-
diæ, *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*, & in ea- *Luc.22.d*
dem mẽsura qua propinatum est tibi, remetire eis: & ad
formã tuam, *qui stat, videat ne cadat; & qui ceciderit, adijciat*
vt resurgat. Etiã te Iudęe parricida, Christi charitas sitit: *1. Cor. 10.*
Muta intentionem,replica orationẽ. Dixisti, *sanguis eius* *Matth.27.*
super nos & super filios nostros. Bonum est quod dicis,si rectè
intenderis.Sit super te sanguis eius,& consepelire ei per
baptismum in mortem.Opta saluari,non damnari, bibe
& tu nobiscum de calice passionis illius. Non est hoc *Exod.12.*
horroris,sed poculum pietatis. Liminate frontis tuæ li-
ni hoc sanguine, & præteriet te Angelus percutiens,
nec tanget primogenita tua, sed attrita Ægypto eua-
des illæsus.

D

ARNOLDI, ABBATIS BONÆ-VAL-
LIS TRACTATVS DE VERBO ILLO
Domini in Cruce; *Pater ignosce illis,* *Luc.23.e*
quia nesciunt quid faciunt.



CVLVM *pro oculo, dentem pro dente* euelli, *Exod.21.e*
lex præcipit. Nemini parcit Moyses,om- *Leuit.24.d*
nes iniurias suas persequitur & vlciscitur *Deut.19.d*
& absque vlla miseratione, Decretorum
eius contemptor occiditur. Tempore
gratiæ temperantur edicta, & Euangelica mansuetu-
do à populo acquisitionis, iram & conuicium & con-
temptum excludit, nec *Racha*, fratri dici, aut *fatue*; vel *Matth.5.d*
E etiam irasci, Magistri nostri disciplina permittit. Ipse
quoq; qui Iudex est omnium,cuius est vindicta, nequa-
quam per singulos dies irascitur, & gladium in vaginam
reuocari præcipiens,percutientes in gladio,gladio peri-
turos denunciat.Ipse scisso dorso verberibus, vellicatis
genis, facie sputis illita, puncto capite vepribus, latere
saucio,terebratis palmis,pedibus cõfossis,tanquã agnus
iugulatori suo alludens, carnem suam non reluctans ex-
plicuit,& nudum corpus, quasi incudem, malleatorum
ictibus patienter supposuit.Poterat vtique accitis mul- *Luc. 6.*
tis millibus Angelorum agere pro se, & de tantis lu-
dibrijs erui: sed qui præceperat, percussori sinistræ ma-
xillæ porrigi dexteram; & auferenti pallium præberi
& tunicam, seipsum intra regulas suas concludens vo-
luit, vt à capite, patientiæ forma prodiret in membra:

& in hoc, æmulatio filiorum probaretur, si non se degeneres exhiberent. Igitur quid prius sitierit, manifestat; & iterum conuersus ad Patrem, orat vt hæc ignorantia populo dimittatur: *Pater* (inquit) *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Luc. 23.

Quid est Domine, quod dicis? Non accusas, non quæris vindictam? potiùs excusas, & coniurationis illius spissamentum attenuas; & hæreditarium onus ab impijs transferens, crimen maliciæ nõ opponis, qui ideò dimittendum censes quia admissum ignoranter ipse testaris. Vbi est illud quod dixeras priùs; *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & Patrem meum?*

Ioh. 15.

Viderunt quidem; & oderunt; & quod de te scripserat Moyses, & antiqua conclamabant volumina, omni Sabbato decantabant. Intrasti Synagogam, & sicut palam erat, nequaquam ex Commentario literatus librum Esaiæ explicas, & in auribus omnium legis; *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me*; & in Auditorio publico, in te impletum huius Scripturæ vaticinium, protestaris. Quis ignorantiæ locus erat, cùm ipsis inquirentibus *quomodo literas nosses quas non didiceras*; hoc ipsum diuinæ sapientiæ documentũ esset, quod te quem in Scholis suis nunquam elementarium viderant, eruditum in Lege probarent? Certè latere non poterat, sed in hoc te Vniuersitas mirabatur. Ex te sapis, ex te intelligis, disputas publicè de Lege cum Scribis; & ex Lege brutos heberésque Doctores conuincis. Quis dubietatis locus quæ ignorantiæ ratio esse potest, vbi *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, resurgunt mortui, pauperes Euangelizãtur?*

Luc. 4.
Isa. 6.
Iudæi nullus de Christo dubitandi relictus locus.
Ioh. 7.

Sed obstinatis animis & nolẽtibus intelligere vt bene agerent; nec signa ipsa persuasoria erant, nec virtutes operariæ. Intantùm in eorum pectore Christi induruerat odium, vt & bona quę negare non poterant, non virtute Dei sed præstigijs dæmonum fieri dicerent: Opera Christi, Beelzebub ascribebant; & Spiritus sancti vnctionem, Dæmonijs. Et tamen Christus nescire eos quid agant affirmat; ideòque pro errore eorum & cæcitate obnixè supplicat Patri.

Matth. 12.
Marc. 3.
Luc. 11.

Sed habebat hæc ipsa postulatio ordinem; & necesse erat, in terra sterili & palustri & purgamenta creante pro frugibus, vsque ad imum fidei fundamenta infigi, & ex profundis Adytis primùm submoueri sensus erroneos, vt firmam stabilémq; domum sibi veritas aptaret & illustraret, fideique fundatum tẽplum spes gloriæ pingeret. Nec tamen licet tanti criminis molem Mediatoris authoritas elimaret, obstinatio illius infidelitatis ex se excusabilis erat; nec habebat quid opponeret destituta ratione mens, & animus ad vera prospicienda caligans, cui rectissima species veritatis (ad instar remi qui in aqua demissus, curui præfractique similitudinem reddit) aliter intelligebatur quàm erat: & cùm esset præ oculis res ipsa, nullàque interiectio impediret; ex se in transuersum intuens, strabus ludificabatur aspectus. Ideóque nec ratio nec doctrina in culpa erant, quæ vtique non deerant; sed dum multo impendio temporis superuacua quæruntur; malum inolitum in ipsis visceribus sedens, medicantem non admittebat manum: Ideòque quia se ægrotare nesciebant, sanitatis contemnebant subsidia. Neque aliquid ipsa luce oculis malignis erat infestius; demissisque palpebris & complosis in arctum, violenter sibi cæcitatem imprimebant; vsq; adeò in hoc malum voluntarij, vt voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessitatem; necessitas verò vsq; ad illam vecordiam erumperet, vt nescirent quid facerent.

Necessitas ex consuetudine.

Hæc erat illa animi crassitudo quàm Esaias populo Iudæorum improperat; per quam in hanc hebetudinem venerant *vt videntes non viderent, & audientes non audirent*: quia exasperantes animos dignum erat in proprijs sensibus confundi; & qui abutebantur iustitiæ documentis & veritatis radios abhorrebant, abdicati à naturæ & gratiæ luce, in cæcitate sua tabescerent, & haberent intra se fumosas exhalationes quæ totum candorem intellectuum & sensuum denigrarent.

Isa. 6. c
Marc. 4. b

Legis quippe saliua quam ab antiquo imbiberant, ita eorum faucibus inuiscata hærebat; & cæremoniarum veterum sapor, palatum mentis perfidæ ita infecerat vt esset eis in Sathan, quisquis à Moyse doceret discessum, & de occidente Litera viuificantem spiritum hauriret. Vnde & Moysen Christo præponentes; quasi in blasphemum, linguam zelantes armabant: præferebant seruum Domino, & discipulum magistro. Nec negare poterant miracula; sed tanti ponderis odiũ erat, tantæ immanitatis inuidia, vt Christi bene gesta vel dicta eis non saperent. Ad vesanas mentes nullus omnino veritati patebat accessus; & quæ palàm erant & nulla tergiuersatione abscondi poterant, peruersè prout poterant interpretabantur; & in defensione Legis, iam non tam rationibus quàm conuicijs vtebantur. Ex ipsa quippe Lege conuincebantur, & proprijs cõcludebantur dogmatibus; nec supererat aliquod præuaricatoribus effugium, nisi quod detrahebant & persequebantur violentia, veritatem: vnáque communis intentio omnium ad hoc conspirauerat, vt cõtumelia gloriã suffocarent; & mortis opprobrio, pariter & nomen eius delerent & famã. In hoc, omne cõsilium eorum voluebatur; & ad hãc definitionem, omnia perfidiæ argumẽta conuenerãt, vt sanctum & iustum (quia *contrarius* erat eorum *operibus*) de medio tollerent, ac per hoc probarent, nullum ei esse cum diuina natura cõsortiũ, cùm sicut cęteri homines, mortalis & passibilis videretur.

Sap. 2. c

Hæc erat cæcitas, hæc ignorãtia plebis erroneæ, quã dimitti Christi charitas postulat, beneficium præstans ingratis, quod vtique & ibi ex parte completum est, & in fine perfectè complendum, quãdo intra huius indulgentiæ sinum tota Israelitici populi massa concurret, cum *gentium intrauerit plenitudo*. Hoc *sciens Iesus quod omnia dederat ei Pater in manus*; cũ dare posset quod petebat, & potestatiuè hoc propria contineret auctoritas, supplicantis tamen pro tempore personam exhibuit, vt ex affectu charitas, & ex subiectione humilitas, & ex effectu innotesceret veritas quòd in tanti absolutione criminis, nulla esset inter Aduocatum & Iudicem compugnãtia voluntatũ, sed vna & concors esset in hoc negocio allegatio vtriusq;: quia nullus omnino seueritati locus ibi esse poterat, vbi vulneratus Christus proprij mercedem sanguinis exigebat.

Iudæorum ignorantia pro qua orauit Christus.
Rom. 11.

Exauditur ergo *pro sua reuerentia*; nec tunc gratis accipit, sed ingens erogat preciũ vt cõmendetur his pro quibus res tanti põderis agitur, qua desperata esset humani generis causa quæ aliter componi non poterat nisi exsolueretur pro pace eius, tanti precij quantitas quod singulariter habebat apud se humilitas Christi & assumpta humanitas. Conuenerunt itaque *iustitia & pax*, & osculum datum est; & pro captiuo suo Vadem fidelem Liberator se posuit: tantáque auctoritate firmatum est huius indulgentiæ priuilegium, vt in ipsius Christi Crucifixi membrana, proprio sanguine conscriptæ sint illius absolutionis Literæ; maneatq; infixum vsque hodiè sigillum, plaga lateris, quã semper oculis Patris exhibet præsentia Saluatoris.

Heb. 5. a
Psalm. 84. c
Plaga lateris Christi.

Perennem igitur huius gratiæ hæreditatem Testator noster trãsmisit ad posteros, & Originalis mali præcisa radice, licet recrudescat peccatũ in multis, generalitas tamen in illa ita abrasa est vt ad expiationem eorum quæ quotidiè admittuntur, non iterũ Christum crucifigi oporteat, sed vnum confessionis ad omnia crimina sufficit lauacrum, & ad omnia flagitia, vna pœnitentiæ sufficit hostia. Vnde illud Crucis sacrificium factum est nobis & sanitas & exemplum, quia & propriè sanguis ille nos purgauit, Christo aspergente populum, semel in sancta illatus; & nos, similis introitus formã, in proprio sanguine (crucifixis mẽbris nostris, & abdicatis voluptatibus) retinemus.

Confessionis lauacrum.
Introitus vniuscuiusque, in sancta, in proprio sanguine.
Heb. 9.

Nec nos latitudinis Crucis, & altitudinis & longitudinis & profunditatis vsquequaque mysteria intacta prætenire conuenit. Nam sua profunditate vsque ad intima nostra penetrat hoc vexillum, & cuspide præacuto rimatur interiora; *& pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*, ipsis infigitur affe-

Crucis Christi quantitates & earum mysteria.

affectibus, secretósque abditos comprimit motus, & totius petulantiæ perforat appentus. Hoc in profundo cordis Crux agit abscondita. Intus compungit animam; subtérque, Leuiathan verme venenato, hoc vecte transfixo; intrinseca nostra pacificat & conscientiam munit, & meditationes sanctificat. *Exo. 15.* Et sicut lignum Moysi à Domino ostensum, aquis Matath immersum, omnem illarum amaritudinem in dulcedinē vertit; ita sanctæ Crucis virtus animo recondita, omnem tentationum salsuginem sua immersione contactúque indulcat. Iam verò longitudo quæ à pedibus vsque ad Ligni transuersi incrustaturam se erigit, continuæ mortificationis Christianæ indicium est; *Christiana mortificatio.* & oportere crucifigi simul cogitationes & opera, efficax documentum. Necesse quippe est, quantumcúmque longa sint huius sæculi spacia, vt omni vita, infatigabilis ad ea quæ ante sunt semper tendat semper se euehat patientia constans & longanimitas perseuerans. *2. Cor. 11.* Latitudo autem charitatis, zeli amplitudine vniuersa complectitur; cum ægris infirmatur, & cum his quibus est scandalum, vritur. Extendit se & superfertur afflictis, affectu nutricio; expansísque alis, pullos implumes aggregat & fouet & protegit; & seipsam in tutelam paruulorum exponens, negligit; neque alios vt defendat, propria damna formidat. *Psal. 119.* *Cum his etiam qui oderunt Pacem*, in tantùm est pacifica vt nec læsa exigat vltionem, nec exacerbata referat contumeliam: *Correctionis modus.* & si corrigat, omnino sollicitè agit vt plus agat beneuolentia quàm seueritas, cohortatio quàm commotio, humilitas quàm potestas. *Charitatis descriptio.* Iustum & impium simul complectitur: alterum, vt stet; alterum, vt resurgat. Non est ei aduena bonitas, nec emendicata aliunde clementia, nō stimulis non Legibus, nō lori: ad portanda aliena onera vrgetur: vltrò demisso poplite curuat scapulas, nec graue iudicat eos pari qui seipsos ferre nō possunt, *2. Cor. 12.* sed de alterius miseria beneficium ordinat, & liberalitatē exornat. Si qua sint apud infirmos inhonesta, his abundātius honorem circundat, non improperat, nō diffamat; sanat, non vulnerat; curat non lacerat; exonerat, non grauat; *Operit peccata*, non diuulgat. *Christus medius inter latrones.* Huius latitudinis mysteria Christus etiam inter supplicia commendans in eo quod expansis manibus eleuatáque læua & dextera inter Latrones se medium exhibebat, volebat intelligi commune esse illud beneficium; & non solùm bonis sed & impijs quod agebatur proficere, & se potiùs medicamina illa ægris proposuisse quàm sanis; & gratia illa, pari libertate donasse eos qui de libera & eos qui nati fuerant de ancilla. *Gal. 4.* Restat altitudo, quam vsque ad summum intimat pars porrecta. *Spei effectus.* Hæc est bonæ spei confidentia quæ crucifixos Mundo, cœlestibus inuehit; & ex bonæ conscientiæ testimonio securos certósque illi gloriæ consociat, iam iāque bonis illis manum intentat, iam gustat, iam os aperit, iam delibat, iam conuersatur cum Angelis, iam illa prosequitur agmina, iam agnoscit, iam liquescit, iā amat, iam iubilat, iam lætatur & delectatur, hilarescit & quiescit, intelligit & diligit, & tamen quātálibet perfectione quisque quæ sursum sunt sapiat, inter est tamen plurimū inter fidem & speciem, nec sine Cruce est electis illatio plenitudinis, quos iam probatos consummatósque nulla quidem tentatio concutit, sed (vt diximus) hoc solùm deest ad cumulum pacis, quod nondum ex toto se integram exibet contemplatiō veritatis.

ARNOLDI TRACTATVS DE SEXTO ET SEPTIMO, VLTIMIS VERBIS *Domini in Cruce.*



POST myrrhatum calicem & reliqua Crucis ludibria, quod à Matthæo & Marcho & Luca fuerat prætermissum, Ioannes nō tacuit: hoc videlicet, quòd benè dispositis omnibus & assignato in nouissimis testamēto gratiæ, & certæ spei regulis cōmendatis; ad intimandum quòd nihil omnino deesset ad doctrinā formámque iustitiæ, Christus intulerit: *Consummatum est*; *Ioan. 19. Luc. 23.* ac deinde in manus Patris, spiritu commendato, inclinans caput, quasi gratias agens, potestatiuè emiserit animam, consummans omnem legaliū rationē hostiarū, & vltimā ænigmatibus antiquis manum imponens. *Christus & Spiritum & corpus obtulit pro nostra redemptione.* Sese itaque totum obtulit Patri, & consummata est illius holocausti plenitudo, expēsis in illud ministeriū carne simul & spiritu; quia & pro carne & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animę obtinendam, spiritus ille descendit ad Inferos & ascendit ad Superos; ibi cōfringēs *ferreos vectes*, hic portas aperiens *æternales*. *Psalm. 23.* Et à corpore quidem, Anima Christi per illud triduum se absentans, non ita diuinitatem quemadmodùm carnem deseruit; sed erat Deus in ea indiuisibiliter, *1. Cor. 5.* *Mundum reconcilians sibi*, tollens à nobis mortis formidinem, per maturam Resurrectionem; purgans illa amaritudine, quicquid voluptatum venena infecerant, victoriæ suæ gloriam cœlo exhibēs & Inferno. *Patres expectatione Christi, diu languerant.* Abstractísque his qui in illa expectatione diù languerant, etiam Angelorum desideria compleuit, quibus hæc hominum restitutio grata fuit. Nec fuit mora inter oblatū & impetratum; sed sub omni celeritate se cōplexæ sunt Passio & absolutio. Itaque alterum ex altero cōstitit, vt eadem hora & repleret superos, & Inferos captiuaret: Acta sunt tamen in cœlestibus gaudia illa prolixiori spacio, neq; statim reuersa est ad corpus suum Anima Christi; sed interim his quos de tam antiquis tenebris liberauerat, splendoris diuini gratulabundam exhibebat præsentiam: & his qui in Mundo erant, cōsolationem dispensatoriè aliquantulùm differebat, vt & dilatio augeret desiderium, & Resurrectionis repentinæ lætitia impleret affectum. Quia igitur hoc *in capite Libri scriptum* *Psalm. 39.* erat, vt hanc Patris voluntatem filius faceret, & res diù expectata & multis præfigurata modis, occultam à seculo faciem in lucem protulerat; exoneratum peccatis populum nō vltra passus est Christus superuacuis grauari culturis, quia deinceps non esset religio sed superstitio si cæremoniarum veterum fæces cum vino mero in Euangelico calice miscerentur. Nec tantùm Passionum suarum finem, sed illarum etiam obseruantiarum intelligi voluit; vt postquam aduenerat veritas, figuræ cessarent, nec vltra superfluè vexarentur fideles spinosis circuitionibus per deuia aberrando, cum indicaret eis ipsa veritas viam, & loqueretur publicè *quia ego ipse qui loquebar ecce assum*. *Esa 52. Psalm. 44. Hebr. 1. Esa. 10.* Vnctus erat Christus *oleo lætitiæ præ* cunctis humanæ naturæ *participibus*, qui etiam *præ Angelis nomen hæreditabat differentius*: & exiccata iam erat *a facie* huius *olei* Iudaica vnctio; & necesse erat vt complicarentur *Ephod, & Teraphim* *Os. 3.* non aptarent & quicquid Beseleel vel contexuerat vel cœlauerat, *Exod. 38.* locum daret viuis & rationalibus documentis; & abessent vmbræ & imagines & typica integumenta, vbi ipsa veritas nudam formam & puram speciem intuentibus exhiberet. Itaque finem Legis aduenisse, in fine Passionum Christi monstratum est: & quicquid ab antiquo in sanguine Hircorum & Vitulorum, siue in alijs quibuscunq; vel odoramentis vel libamentis, lex multipliciter ad expiationem peccatorum agendum decreuerat, gratia reduxit ad cōpendium; & abbreuiato tantæ fatigationis itinere vnum sanguinem, vnam incensionem proposuit, & vnum holocaustum omnia continens, ea moderatione aptauit vt ad id comparandum, quantęcúmque mendicitatis esset homo, haberet sufficiens precium, nec quemquam persona vel locus impediret à tantæ dignationis accessu. Vnum igitur Agnum habet Ecclesia; *Exo. 12.* neque quoties Pascha reuoluitur, quæri alterum necesse est: & cùm vna sit Tribus & familia populi Christiani, vni populo vna sufficit hostia; & in vna domo, vna ponitur mensa. Vnum habet Panem & Calicem vniuersitas fidei; & multitudini Credentium vnus cibus apponitur, idémque sumitur nec consumitur; & cùm omnes impleuerit, superest &

Exod. 25. Math. 10. & 11. abundat. Mutabantur Panes propositionis per singula Sabbta, appositisque calidis, frigidi tollebantur, quia A veteres oblationes, quasi frigidas & calorem Spiritus non habentes, repudiandas tempore gratiæ, ipsa panum mutatio intimabat. Agnus noster idem est, nec diuersi per diuersas familias immolantur; quia sicut vnitas Ecclesiæ nec scindi potest nec diuidi, ita necesse est vt vnũ agatur ab omnibus, & vniforme obsequium deuotio Exod. 12. communis exhibeat, totiusque vniuersitatis cōsensum, sacrificij singularitas ipsa commendat. Quòd verò ad esum Agni, si fortè quid superesset, vicinis coniunctus domui eius cui supererat, vocari præcipitur; introductionem Gentium ad cōmunionem sacramētorum Ecclesiæ exprimit: quas vtiq; per Euāgelium vocatas, conuiuij huius sapor illexit. & catenus ieiunos ad ea quæ Iudaïcus populus edere non potuit, gratia mater admisit. B

Esus Agni Paschæ is mystica explicatio. Mirum omnino est dictu, & res ipsa spiritualem exigit intellectũ; quòd cum agnus non nisi ab vna familia posset immolari, quæ esse posset tantæ paucitatis familia ita catens filijs vel nepotibus aliisque propinquis, vt vnum non posset per se agniculum edere; maximè cùm tā numerosa illius gentis esset fœcunditas, multaque coniugia multiplicem sobolem cumularent? Sed (vt diximus) intimata est Propheticè vocatio gētium, & admissæ sunt per fidem ad participationem Sacramentorum, Iudæis secundùm carnalem sensum literaturæ hærentibus, nec peruenire valentibus ad spiritualis plenitudinem intellectus. Assatus est ergo agnus noster in veru Crucis, subter incensis tormentorum carbonibus; nihil crudum aut carnale in eo iam sapimus, nihil elixum aut molle: sed il- C la boni odoris assatio in patibuli flamma indurnit, ita solidata est vt nihil in eo vltra supersit vel passibile vel mortale, sed omninò mortis pyra ab antiquo accensa, sanguinis illius conspersione extincta est. Ideòque & sibi & nobis constat inconsumptibilis illius integritas; quia nec corrumpi potest quod omnino est solidum, nec minui quod æternum. Caput eius cum pedibus edimus, nec abhorremus intrinseca; quia fides nostra in hoc Ioan. 1. viuit & proficit, hoc fatetur, hoc credit quòd *Verbum* quod *erat in principio apud Deum, factum* sit *caro* in fine sæculorum, & maiestas diuina vsque ad infirmitatis nostræ descenderit intestina nec nostræ fragilitatis abhorruit officinam: & qui erat nostrum principium, ad finem quoq; nostrum accessit constituens nobis in se metam D & terminum; per finem temporalem reuocans ad finem infinitum; & consocians corporis & capitis gloriam, indiuidua connexione astrinxit in vnum. Sic caput, sic pedes, sic intestina comedimus, cùm ita altitudinem Christi prædicamus, vt non erubescamus humilitatem; ita infirmum, vt fortitudinem quoque non negemus; ita stultum, vt sapientiam admiremur; quia hoc amplius stupendum est in illo nostræ Redemptionis negocio quòd exinaniti sic se passa est, diuinitatis sublimitas, quā quòd in se incommutabilis virtus & incomprehensibilis magnitudo stat in beatitudine sempiterna immobiliter Ezech. 10. perseuerans. Atque ita & apud Ezechielem faciem & pedes Dei quasi prima & nouissima Cherubin contegunt, media tantum videnda exponunt; quia quæ ante E Mundi constitutionem apud ipsum erant, vel quis status rerum futurus sit post iudicium vltimum, cibus est fidei & spei: Interim dum intelligere satagit quæ secundùm carnem gesta sunt, & humanitatis indagare affectus; quasi ex charitatis eius visceribus, religionis mansuetudo pascitur. Carnē igitur hoc modo comedimus: ossa verò igne comburimus, quia sacramenta quidem (quæ quasi diuinæ virtutis caro sunt, & veritatis integumenta) visibiliter secundùm suam speciem percipimus & sumimus; ipsam verò substantiam secundùm in intelligibilem & inuisibilem statum firmam omnino & solidam nec frangimus nec minuimus, sed flammis inijcimus; id est, spiritualibus intelligentijs commendamus; Ioh. 6. quòd *spiritus & vita* sint in diuinis mysterijs, nec fas sit intellectu humano tantæ rei confingi notitiam, quam interim intra se Spiritussanctus colligit *donec euacuato quod ex parte est, perfectum* prodeat palam: & co- 1. Cor. 13. gnoscentes sicut & cogniti sumus; iam non hoc, sacramento agamus sed specie. Ideò nocte Agnum mactare præcipimur; quia nondum ad liquidum elucet huius operis ratio, cuius fides ministra est quam in splendoribus Sanctorum deteget veritas, cum nouum vinum in regno Dei propinabitur, accēsisque lampadibus, Virgi- Matth. 26. nes Animæ ad æternas nuptias admittentur; positáque Matth. 25. inextinguibili lucerna super cādelabrum, omnibus qui Apoc. 21. in domo erunt lucebit, tam sacramentorum veritas, quam ipsius ratio Trinitatis. Interim sanè immensi quæstus res agitur, & virtutem inuisibilem manifestus effectus eloquitur, fideique certitudinem beneficia indulta corroborant; & ex collatione præsentium, firma fixáque est expectatio futurorum. Datur nobis agnus iste ad Exod. 12. epulum, datur sanguis eius ad poculum. Mundatur, extrinsecus liminaribus & postibus domorum nostrarum sanguis ipse apponi in signum, vt munitum sit quod patet & quod latet; habeantq; caro & Spiritus secura præsidia, cùm cibus potúsque diuinus Animā introrsus alat & vegetet, abigatque extra virtutes contrarias signum Crucis & sanguinis nota. Nec dubium quin omnino Crucis character sine dubio, dæmonibus terrorem incutit. formident dæmones Passionis formam, terrorémque eis caracteris huius inspectio ipsa incutiat. Etiam ipsos Sacramenta sancta & fidei muniunt signa, quos constat non quantùm expedit Christiano dogmati & castis moribus conformari, sed solius fundamenti obtuitu cui 1. Cor. 3. quoquomodo inhærēt: nec statim propter *ligna & fænū* quæ superponi à negligentibus vident, irruunt Dæmones in quoscunque carnales; sed reuerentur fundamentum, & disparent ad viuificum signum, nec temerè acce- Viuificum signum Crucis. dunt ad consecratam sanguinis balsamo domum. Alioquin, si ad singulos excessus vim suam penitus Sacramē- Crucis titulus in frontibus. torum subtraheret virtus; & inaniter frontibus errantiū Crucis titulus pingeretur, & nulla spes superesset ruentibus. A quibus, licet lapsus articulo Spiritus sanctus abscedat, manent tamen etiam in reis nec sunt inania sacramenta; ad quæ, vt compungitur qui deliquit, idem Spiritus redit: Tantáque est Sacramentorum dignitas, vt ipso Spiritu absente non audeat Vis inimica ingredi, nisi desperatione & consuetudine deliberatóque consensu, signum sanctum, victa captiuáque mens, apostasiæ Signum sanctum Crucis. scapello erraserit. Hinc est, quod exterminator Angelus, Exod. 12. Primogenita quæque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, à liminibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet; enecatisque Ægyptiis, illæsi incolumésque manent quorum latera frontémque cruoris huius conspersio rubricauerat. Sic Raab cùm esset meretrix, appensa Iosu. 6. ad fenestram reste coccinea, saluatur, & sola ex Hiericho libera euadit; nec patuit domus eius, vastationi & prædæ, quam tam celebris signi reuerentia muniebat. Iube- Exod. 12. tur etiam vt festinanter & auidè hoc agatur conuiuium; vectésque itinerarios, habentes in manibus; lumbis præcinctis, panes Azimos edant cum lactucis agrestibus; quia tanti operis ministros, nec desides decet esse nec molles; neque viaticum accipientibus exiturísque de Ægypto, quærenda sunt diuersoria voluptatum; sed *in exitu de populo barbaro*, simul se debent componere amaritudo pœnitentiæ & sinceritatis vitæ. Hæc carnaliter aliquādo, sicut & cætera Legis ænigmata, profuerunt, dum fides & pietas ad id quod promiserat veritas, concurrebant; sed *vbi venit plenitudo tēporis, finisq; Le-* Gal. 4. *gis Christus*, quicquid de agno vel hœdo vel Iuuenca russa Rom. 10. mandatum est; omnia factus secundùm congruos status, & in se omnia referens iuxta proprios intellectus; cessatum est à multis, vbi vnum sufficientiam posuit; nec oportuit adhiberi signantia, vbi significatum aduenit. Sacrificia de craticula vel sartagine, zelum fer- Leuit. 2. uorémque Sanctorum perloquuta sunt: suffumigationes aromatum, incensiones orationum, & pia vota affectúsque Sanctorum; incensi adipes, emortuas voluptates. Indumenta sacerdotum; multiplicium Sacerdotalium vestes veteris Legis indu... gratiarum

gratiarum ornatum continebant. Fœminalia quæ ad operienda pudenda primo loco posita sunt; tātam edocent oportere esse continentiæ verecundiam, vt ne suspicioni quidem locum relinquat; & ita abscondi quidquid id est inhonestatis notabile, vt nullo casu ad ea intuenda, zelotes admittatur aspectus, Sed talem se exhibeat conuersatio Sacerdotum, quasi sine sexu sit; & omnino abominetur huiusmodi labem, quinetiam cōfundatur & erubescat ad membra communia, ipsámque operiat naturam consciam sui, detestetúrque quod potest non quod agit, & quasi emortuas & fœtidas partes illas sepeliat & abscondat. Secunda vestis, quæ Poderis; id est talaris; dicitur, linea est; quæ munditiæ perseuerantiam intimabat, & vitæ immaculatæ candorem, quæ stricta erat & adhærens corpori, quia singularitatem hoc propositum diligit, & expeditos esse oportet qui sanctis ministrant altaribus, carnémque & vestem & totam conuersationem solitariam exhibere. Tertio loco aderat Balteus, lineam tunicam inter vmbilicum & pectus astringens; vt in eandem Legem sub eiusdem propositionis vinculo, mens & actio conuenirent; & vtrūque quadam necessitudine ageretur, carnalísque & spiritualis affectus hanc regulam sibi pari voto conscriberent, & in idipsum communi studio perenniter consentirent. Quartus ornatus erat Thyara vel Cydaris: qui capitis cultus (eo quod domestica est ibi camera sensuum, & propria sapientia domus) indicat, quò philosophica contemplatio tendat, & quantæ sit sapientiæ, eligere cœlibatum. Hæc omnia fieri iussa sunt de lino, vnde & byssus aptatur, vt non lateat huius studij & propositi animos, quia multis ablutionibus opus est vt ad hunc candorem exercitatus quisque perueniat, diu torqueri, & longa consuetudine carnales solidari affectus ne tentationum mole facilè disrumpantur. Et quidem ad caput nostrum (quod est Christus) hac Cydari signante, tota puritatis nostræ referenda est gloria; & tunc demū tuta poterit esse perseuerantia, si in eo fixa sit spes, & fiducia radicata. Hæc quatuor indumenta minoribus & summis Sacerdotibus, ex Lege & decreto erant communia. Quatuor reliqua, sunt propriè summi Sacerdotis. In primis, post indumenta prædicta, Tunica hyacinthina summus Pontifex induebatur, dependebántque in inferiori eius parte per circuitum lxxij, tintinnabula; & inter duo tintinnabula, vnum Malum punicum. Omnia erant ex auro purissimo, vt totus vocalis ingrederetur in Sancta, si aliter ageret, continuò moriturus. Vestis sanè illa hyacinthina, animam in sanctimonia enutritam, ad illum profectum indicat peruenire, vt Spiritu viuat Spiritu ambulet, à nemine iudicetur & omnia iudicet. Hoc enim est summum Sacerdotium, ad hūc apicem sanctitatis attingere vt totum se vir iustus cœlestem exhibeat, moresque supernos & diuinam exprimat formam; solique Creatori mente infixa, indiuidua conuersatione inhæreat; hoc totum complectens, tunica hyacinthini coloris insinuat. Tintinnabula vero aurea erant: Mala autem ex hyacintho & purpura, cocco & bysso, in modum sphetulæ facta; hoc signante Spiritu sancto, quòd viri contemplatiui quorum *conuersatio in Cœlis est* & qui *quæ sursum sunt* sapiunt *non quæ super terram*; fidei Christianæ doctrinam: & maximè, nouissimum debent populis denunciare terribile Iudicium: totúsque eorum incessus & sermo resonare debet diuina mysteria; nec gratiam diuinam quæ data est illis, premere vel suffocare debent silentio: Quia non satis est, acceptum in sudario reposuisse talentum, nisi à negociatione feruus reuertatur cum lucro; nec prodest hyacinthina tunica, nec castitatis continentiæque insignia Doctori sufficiunt, nec pacificus est ad Altaria sancta ingressus, si negligit annunciare impio viam suam, peccatíque stipendium; cùm & ille non habens correctorem, in peccato suo pereat; nec prosit Doctori sua Iustitia, cùm sanguinem errantis Iudex de manu speculatoris requirat: nec magnum est sibi viuere, nisi satagat & alios secum

[Margin: *Fœminalia mystica explicatio.* Exod. 28. — *Sacerdotum castitas.* — *Sapientia est eligere cœlibatum.* — *Summus Pontifex, totus vocalis introibat in Sancta.* 1. Cor. 2. — Phil. 3. Colos. 3. — Matt. 25. Luc. 19. — Ezech. 3.]

viuere. Vt ait Seneca; qui res & homines fugit, qui alios videre nō potest, sed velut timidum atque iners animal metu obluit; nequaquam dicendus est viuere sibi, sed somno & ventri. Ideò ingrediens in sancta Sanctorum, totum vocalem se debet summus Pontifex exhibere & virtute verbi quasi floribus odoriferis allicere auditores; vt Prædicatio quasi tintinnabulum ex auro purissimo, puritatem perfectionémque singularis intelligentiæ indicet; & ex omni parte per circuitum sermo eius, lucis diuinæ intonet claritatem: & ipsi florum colores in hyacintho (vt dictum est) cœleste desiderium; in purpura magnanimitatem regiam aduersus peccatum; in cocco bis tincto, inflammatum in dilectione Dei & Proximi, piæ mentis ostendat affectum. Oportet sanè, vt sacerdotalis actio semper sit & auro sapientiæ fulgida, & hyacintho spei in sublime erecta, & purpura regni (vt debellatrix peccati & in captiuitatem redigens dæmoniorum monstra) circundata; & cocco bis tincto, dilectione gemina, flammea & bysso retorta semper in oppressione & castigatione carnis sollicita. In Malis punicis quæ intra corticem vnum contegunt multa grana, virtutum multifaria operatio exprimitur, quæ vndique vno charitatis integumento ambitur. Et rectè tinnabulis Mala miscentur cum simul prædicatio & actio cohærent; & Doctor ipse, quæ dicit, hæc facit. Sextum deinde additur indumentum, quod Superhumerale dicitur; hoc apud Hebræos etiam Ephod appellatur. Hoc Samuel cùm puer esset, habuisse legitur; & Dauid ante Arcam hoc tulit. Sed Ephod; id est, superhumerale quod summorum erat Pontificum; erat ex hyacintho & purpura & cocco byssoque contextum. Aliud vero Ephod quod & pro tunica linea accipitur; simplex erat & lineum. In hoc Superhumerali, duo lapides onichini auro inclusi inserti erant; vnus in ora vna, & vnus in altera: & sculpta erant nomina filiorum Israël; sex in lapide vno, & sex in altero. Itaque in Superhumerali Pontificis hoc debet intelligi, quomodò in portandis fratrum oneribus officium illud se habere debeat; quantáque eis ex debito regiminis, sollicitudo incumbat, vt proprijs humeris ouem perditam ad ouile reportent. In hoc bonorum operum patientia, in laboribus perseuerantia indicatur. In coloribus vero superhumeralis, quæ sit ratio, dictum est supra. Quod autem nomina Patriarcharum gestat in humeris, ob recordationem eorum vtique fit; vt videns populus Patrum nomina conscripta in veste Pontificis, eorum imitetur iustitiam, veniátque in memoriam fides Abrahæ, mansuetudo Isaac, patientia Israel, castitas Ioseph, disciplina Moysi, zelus Phinees, victoria Iosue, Samuelis sinceritas, Dauid humilitas, eorūque qui de illis xij. Patriarchis egressi sunt Principibus vel Sacerdotibus, rectè facta vel dicta: qui *per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Duplex autem ratio est, quare hæc in humeris Pontifex nomina portet: vt & ipse auditoribus sequenda Patrum exempla proponat; & ipse, eos quos verbo instruit & exemplo, si præoccupati fuerint *in aliquo delicto in spiritu lenitatis* ferat, & ampliùs exonerare quàm grauare infirmos intendat. Eorum enim onera, ipsum Lege officij sui ferre necesse est; & per singulos, sicut diuersi morbi exigunt, cum his qui ignorant vel errant, & infirmari & vri. Quòd autem sex nomina in sinistra parte erant, & sex in dextera, in lapidibus Onichinis sculpta; illud est, quod ad conscriptionem hæreditatis supernę pertinent, non tantùm qui probitati perfectique videntur, sed etiam qui minoris æstimationis habentur: quia imperfectum nostrum non abijcit diuina perfectio, & *calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Amplexatur quidem dextera eius, eos qui digni sunt promoueri ad oscula; sed & læua eius supponitur eorum capitibus, quos imbecillitatis vertigo inclinat, nec patitur lapsos omnino collidi quos corruentes excipit, & piam manum inclinatis supponit. Onix vero, lapis est habēs vnguis similitudinem, albisque

[Margin: *Sacerdotalis actionis perfectio.* — 1. Reg. 2. 2. Reg. 6. — *Ephod, duplex.* — Luc. 15. — Exod. 28. — *Patriarcharū virtutes.* — Heb. 11. — Galat. 6. Heb. 5. 1. Cor. 11. — C. 12. Esa. 42.]

cingentibus zonis igniculos emittit: vnde per hunc lapidem, in quo dextrorsum & sinistrorsum nomina xij. A filiorum Israel sculpi iubentur; rectè intelligimus hanc Scripturam pertinere ad Christum qui in carne assumpta, quasi vnguem se nobis exhibuit & operuit multitudinem peccatorum: zonis candidis (id est continentiæ doctrinis) cingēs electos, & miraculorum igniculis accendens ad fidem, ardebat intrùs & lucebat exteriùs. Ipse est autem lapis ille in quo & Lex est conscripta diuinitùs; & in quo scribuntur nomina eorum omnium qui nomen ipsius non assumūt in vanum, quos nulla tribulatio vel aduersitas, cùm semel insculpti fuerint, eradere poterit vel delere. Ideò à dextris & à sinistris locantur, quia fundatos vel scriptos in petra, nec altum concutit nec profundum: quia per arma iustitiæ, in prosperis & in aduersis gradiuntur inuicti. Sequitur indumentum B septimum, quod Hebraicè hosen; Græcè, λογιον; Latinè verò, rationale vocatur. Hoc ex eisdem speciebus & coloribus quibus est Superhumerale, & propter easdem rationes aptari iubetur. Duplex verò fit propter lapidū pondus, ne forte rumpatur. Quadrangulū quoque erat, & palmi mensuram tam in latitudine quàm in longitudine continens. In quaternario doctrinæ Euangelicæ iugem memoriam accipe: In palmi mensura, plenam iuris mensuram, quātum possibile est operationi humanæ attingere. Qui enim palmo aliquid metitur, expansis digitis manum extendit vt possit attingere in locum quò tendit. Eadem igitur mensura erit piæ intentioni in longitudine boni operis, & in latitudine charitatis. Intexti quoque erāt in eo, xij. lapides per quatuor ordines; terni & terni in latere vno. & terni & terni in latere altero. C Et sculpta erant nomina filiorum Israel in singulis singula, per tribuum differentias & ætatum. Per quatuor verò rationalis angulos, quatuor annuli aurei erant, habentes contra se in Superhumerali alios quatuor annulos; vt annulus contra annulum veniens, cathenulis aureis vtrinque ad hoc insertis, Superhumerale & Rationale inuicem iungeret, & mutuo copularet. Sed & vncini erant in Superhumerali infixi, in quibus catenæ inserebantur, quę annulos vtrinq; sibi occurrentes nectebant. Erāt etiam & in lateribus & in superiori parte Rationalis & Humeralis, annuli duo in summitate, & duo in lateribus; & per singulos discurrentes catenæ, sub & supra: vt in quatuor angulis & in ambobus lateribus iniūcturæ adessent, & ad scapulas & ad extremitates & ad D media vtrúmque indumentum firmæ stringerent ligaturæ. Hoc autem indumentum non tantùm rationale sed etiam rationale iudicij, à Domino dictū est: In quo doctrina & veritas poni iubentur, & hoc, summi Pontificis pectus cùm ingreditur in Sancta Sanctorum, ornatur. Imprimis diligenter attendendum est, quòd qui hac veste induitur, in qua, litteris, doctrina & veritas impressa est; consecratum doctrinæ & veritati pectus suum intellligat: neq; debere sæcularibus negocijs & actionibus & lucris occupari; sed doctrinam fidei exemplo & moribus indicare: quia omnino infame est, abuti ratione, & corrumpere doctrinam, & circumuentionibus vel technis opprimere veritatem. Oportet quippe vt omnia quæ agit moderatrix ratio, sic disponat & sic suis locis aptet misericordiam & iudicium; vt cùm iudicat, E seueritas non excludat clemētiam, & cùm miseretur iustitiā pietas non relinquat; & siue percutiat siue parcat, à veritatis tramite non recedat. Considerans igitur loca & tempora & modos actionum, & ætates & gradus; in numero & pondere & mensura, singula suis aptet rationibus discretio Sacerdotis; in cuius pectore horum debet esse scientia, cuius etiam necesse est vitam esse doctrinam: nec vllum locum in anima illa habeat falsitas, quæ ad iudicij diuini regulam quadrare debet quæcunque vel docet, vel agit, vel statuit, vel corrigit. Superhumerale etiam & Rationale, sibi iunctis annulis cathenarum complexu ad inuicem copulantur; vt puri cogitatus in mente sancta & rationabiles conueniat actiones,

2. Cor. 6.

Pontifex, secularibus negotijs non occupetur. Iudicij modus.

& omnia vinculo pacis cohæreant, vniuersámque Pontificis dispositionem charitatis complexus astringat. Aderat pręter has ligaturas quę cœlestibus desiderijs piísque affectionibus aptantur, præter Ephod quod posteriùs & anteriùs Logion coniungebat; Baltheus ram Tunicam hyacinthinam quàm ipsum Superhumerale & Rationale supernè constringens, tanta firmitate vt triū indumentorum vna species esse videretur, & omnia sibi strictim cohærerent: vt daretur intelligi, quanta sit diligentia, sanctitas obseruanda; cui etiam post tantæ excellentiæ gloriam, post dona virtutum, post agones & colluctationes & victorias innumerabiles, restant plerúmque circà nouissima etiam, carnis pericula: & necesse est vt semper huiusmodi solicitudo & intùs & extra inuigilet vt actionum & meditationum, in finē, illabata gloria perseueret. Etiam summos fulgura feriunt montes. Et nisi hoc Baltheo, etiam cum omnia catenùs benè disposita fuerint, & ratio & opera iugi nexu stringantur; per motus & impulsus diuersarum tentationum disiungi potest & dissilire quod nullo turbine propellente firmum videbatur & competenter dispositum. Baltheus iste ex purpura erat & Bysso retorta, & hyacinto & Cocco bis tincto; in similitudinem pellis Colubri in rotundo contextus. Gestat autem sic ornatus Pontifex, nomina filiorum Israel; pro diuersis rationibus, in pectore & in humeris. In humeris quidem, à dextera & læua; propter causas prædictas.

Vel ideò in duobus tantùm ordinibus, quia noster summus Pontifex, *cuius Imperium super humerum eius*, & Gentibus scripturam Crucis reliquit, & eorum nomina Redemptioni intimauit inscripta quorum linguas Crucis titulus continebat. In Rationali vero, quatuor lapidum ordines distinctè sunt positi (vt dictum) in quatuor eius extremitatibus; suprà terni, & infra terni. In nominibus Patriarcharum quæ hærent pectori summi Pontificis, hoc intimatur quòd qui in regimine sunt, semper affici debeant pro his qui ad eorum sollicitudinem pertinent; & quantùm possibile est, recordari eorum debēt ex nomine, & Orationis exhibere suffragia: neque aliud illud pectus occupare debet, quàm animarū zelus, quia officij illius est, reuocare deuios, reconciliare erroneos, confirmare eos qui proficiunt in iustitia; & qui deficiūt, cohortari ne desperent de venia. Sed & seipsum etiam ad præcedentium Patrum quorum gestat nomina, conformare debet exempla; vt quorum recolit gloriā, imitetur & vitam; neque ab eorum fide & operibus se alienum exhibeat, quorum actus & titulos circumfert & probat. Quòd autem duodenarius numerus in quatuor ordines diuisus, per singulas partes, ternarium reddit; accipi non incongruè potest, quòd Euangelij quadrantura præ omnibus Scripturis insinuat Trinitatem. Et hæc est Apostolica doctrina quæ decem Legis præcepta in duobus consummat; & totum illud antiquarum traditionum dispendium, in dilectione Dei & proximi abbreuiat & coarctat. Sequitur octauus ornatus Pōtificis, Thyara videlicet quam etiam nonnulli vocant Galerū, vel cydarim. Hac etiam minores Sacerdotes vtebantur; erátque byssina, circundata coronula aurea, opere textili facta, sicut hodie Phrygium Mitris nostrorum Pontificum plerúmque consuitur: erátque in modum cassidis porrecta aliquantulùm, verticis cacumen in sublime excedens; astringebatúrque capiti vitta hyacinthina, ne casu aliquo, immolante Pontifice laberetur. At verò summi Thyara Pontificis, excellentior erat; & præter hæc, laminam auream (quam Platteum vocant) frōti habebat insertam: in qua nomen Dei quod apud Hebræos ineffabile dicitur, scriptum erat. Hæc Thyara quæ caput tegit & ornat Pōtificis, totámque eius pulchritudinem coronat & protegit (vt dictum est supra) omnes sensus capitis Deo indicat consecratos; & totam corporis gloriam debere ad caput referri. Totus enim bonæ mentis candor, & sapientiæ splendor, prædicationis gratia mūdiciæque gloria, benignitas charitatis, & quæcunque sancti

Esa. 9.

Pontifex debet, subditis exhibere ex nomine, Orationis suffragia. Pontificis officia.

Mitra Christianorum Pontificum.

Coloss. 2. sanctitatis insignia, ab illo vniuersali capite veniunt eo quòd totum corpus per cõnexiones & subministrationes crescit ac proficit, solidatur ac perficitur. Ideóq; ad totius candoris indicium, & complanatæ mentis compositum statum, omniúmque sensuum concordiam intimandã, Cydaris byssina in capite Põtificis ponitur. In vitta verò hyacinthina quæ Cydarim capiti astringit, hoc intelligitur, quòd amor & regni cœlestis desideriũ, huius perfectionis apicem cumulat; & ille respectus totas gratiarum connexiones vnit & sociat. Auri vero lamina, cui nomen illud Dei quod diffiniri non potest ab homine, erat inscriptum; subiectam & suppositam diuinæ essentiæ omnem indicat creaturam. In superioribus quidem hoc nomen ponitur, vt quicquid vndique est, quãtumcúmque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius: & si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat vnde accepit, illique excellentiæ deuotus asscribat. Hoc nomen tetragrammaton id est, quatuor literarum erat; scilicet יהוה: Cuius interpretatio lingua Hebraica, ineffabile sonat: non quia dici non possit, sed quia (vt dictum est supra) sicut est, nec capi humano sensu possit, nec diffiniri: In fronte verò hoc nomen Pontifex gerit, *quod vtique est super omne nomen, cui omne genu flectitur;* de quo & in Apocalypsi legitur Ioãnis, quòd cum agno stabant supra montem Sion, cẽtum quadraginta quatuor millia, habẽtes nomen eius & nomen Patris eius, scriptum in frontibus suis. Ibi enim verecundiæ sedes est, & significat professionis nostræ fiduciam; per quam non tãtùm in nomine gloriæ vel omnipotentiæ Dei, sed etiam in Cruce Christi gloriamur, Vnde & ipsæ quatuor literæ; quatuor Crucis intimant cornua, de quibus Abacuc ait: *Cornua in manibus eius, ibi absconditaest fortitudo eius.* Sic ornatus Pontifex, creaturarum omnium typum portabat in vestibus Sãctis; in quarum coloribus, totius Mundi similitudinẽ præferebat. Byssus enim, terræ deputatur de qua gignitur, Purpura, Mari, quia ex eius Cochleis tingitur, hyacinthus, aëri cuius speciem habet, Coccus, propter ruborem, Igni vel Ætheri: Iustum enim erat, vt Pontifex Creatorem non solùm pro Israel, sed etiam pro vniuerso Mundo (qui ex his quatuor constat) rogaret, & indicaret cuncta indigere misericordia Dei; & cùm sacrificaret, vniuersalis conditio expiaretur. Nec tantùm pro liberis & Parentibus, sed pro omni creatura & voce & habitu precaretur. Hæc quæ dicta sunt in visibili Pontifice, ad inuisibilia iustitiæ ornamenta nos mittunt, de quibus dicitur: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Et alibi; *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Hæc omnia, noster Pontifex indutus *decore & fortitudine*, in Spiritu & veritate consummauit: & ingressus sacratiore cultu quàm Aaron, virtutum significatarum; ipsam rem ampliùs nos voluit moribus implere quàm vestibus; & lumbos spirituali zona succingi percipiens, ad lucẽ sui intellectus & cognitionem diuinam, sine carnis mũditiaque munditia neminem posse peruenire, in illa præcinctione nos docuit. Denique ipse Tunica incõsutili quasi Podere Pontificali indutus, integritatem Charitatis & vnitatem Spiritus in vinculo Pacis, in eo nos obseruare docuit. Crucem autem quasi Superhumerale, Sacrificiũ oblaturus pro populo, humeris imposuit: & plaga & sãguis, loco Rationalis; non solùm intra se duodecim filiorum Israel nomina concluserunt, sed & totius generis humani opus illud complexum est naturam; sicut & infixus capiti titulus cõtinebat, scriptus Græcè Hebraicè & Latinè. Nihil ad sanguinem Christi Coccus Legis bis tinctus apparet; vltrà septuagies septies nostra tinctura præcedit: totum pallidum est quicquid Lex typice colorauit, & ad comparationem veritatis totum marcidum est quicquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi; quia cùm *Verbum caro factum sit*, totum cœleste erat quod nulla peccati infecerat macula, nec quicquam ei de suo Princeps huius Mundi adliniuerat. Nec byssus nec purpura huius munditiæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur; omnia superat eius potestas & sanctitas, sanctitudo naturæ, & principatus iustitiæ; & amplioris gloriæ sunt quàm fila quælibet, torquentibus digitis elaborata, vel conchiliorum sanguine delibuta. Imposita est capiti Christi corona pro Cydari, & intextæ illi Serto erãt pro bracteis spinæ; & pro lamina aurea in qua nomen Dei sculprũ erat, lignum ceruici supereminens; in quo Pilatus pro Beseleel, conscripserat nomen quo nihil in cœlo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius; IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hæc scripsit Gentilis homo nesciens quia ipse esset Rex etiam Gentium. Ideò autem scripsit, vtique non intelligens quia ad hunc titulum peruenturus erat & iungendus aliquando populus Gentium. Vnxit etiam manus Sacerdotis nostri; immò & caput & pedes & latus, sanguis Balsamo preciosior; quem vtique puncturæ veprium & Clauorum & Lanceæ exprimebant, & fundebant extrinsecùs: erátq; omni Oleo liquor ille celebrior; sanctificationem & emũdationem nostram non significans, sed consummans. Hæc & alia multa quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat, Christo transfigurato in Monte, paucis patuere Discipulis; & consummato in Cruce, facta sunt euidentia vniuersis: Ruptum quippe est illud velum integumentorum carnalium, & patuit Candelabrum, & propositionis Panes, & Altare incensi, & Cherubin & Propitiatorium, & Sancta Sanctorum. Petræ quoque scissæ sunt, & sepulchra reserata; quia hæc consummatio, & lapideis cordibus aperit spiritualem intellectum; & ad eos qui mortui erant in peccato, vitalem reuocat spiritum: ita vt qui desperati erant, & malæ consuetudinis Institis alligati, in ciuitate Dei nostri (quæ est sancta Ecclesia) deinceps viuentes appareant; & qui diu fuerant cineres, fiant Doctores; & qui sepulti, magistri.

Marginalia: Phili. 2. b; Apoc. 14.; Abac. 3.; Psal. 131.; Esa. 11.; Psal. 92.; Luc. 12.; Anagogica Pontificalium indumẽtorum veteris Legis, interpretatio. Ioan. 19.; Ioan. 1.

DE VICTORE ANTIOCHENO, ET TITO BOSTRENSI EX THEODORI PELTANI, E. S. SOCIETATE IESV THEOLOGI & Interpretis Epiſtola dedicatoria ad illuſtriſſ. Principem Marquard. à Berg. Eccleſiæ Auguſtanæ Epiſcopum, & altera ad Lectorem.

HOS cum cernerem, neque ita longos, vt pertimeſcere deberem, & ita eruditos, vt multis poſſent magnam vtilitatem afferre, diuina confiſus ope, ambos in Latinum vertere conſtitui. Ambo hi auctores, toto explanationum curſu magis aliorum doctrinam indiciáque ſequuntur & probant, quàm ſua: id quod clarè diſcas ex præfatione Victoris: in qua confitetur, ſe tanquam in vnum corpus collecta redegiſſe, quæ Eccleſiæ doctores diuerſis locis & particulatim annotaſſent. Titus ſimiliter non rarò antiquorum ſententias interponit, quibus commentationes ſuas confirmat atque illuſtrat. Quibus vero temporibus vixerint; etſi nihil dum pro omnino comperto habeam, ſuſpicor tamen, vtrumque ſatis vetuſtum eſſe. Siquidem ætate Victoris, Hieroſolymitani templi fundamenta, & parietina, & alia quædam reliquiæ ſupererant, quod teſtatur ipſemet in cap. 13. Marci. Atque Nicephorus commemorat, Imperatore Iuliano Apoſtata fundamenta illa cæleſti quodam portento ita fuiſſe conuulſa ac diſiecta, vt ne lapis quidem ſuper lapidem remaneret. Annotat eodem capite pleroſque adultos, Baptiſmum ad extremam ſenectutem per ea tempora diſtuliſſe. Et cap. ſequenti, Catharorum hæreſim plurimùm graſſatam. At enim quàm multa ſæcula effluxerunt, ex quo Eccleſia tum hæreſim illam profligauit, tum Baptiſmi dilationem prohibuit. Eodem tempore, aut non multo poſt, vt idem Nicephorus auctor eſt, Titus quoque floruit: ſiquidem Iuliani principis mandato, ex Cyzicenorum ciuitate eiectus fuit, & ſynodo Antiochenæ, quæ in Iouiniani imperium incidit, iam tunc ſenex interfuit; Et cum Euſebio Emiſſeno, Baſilio Ancyrano Serapione, multíſque alijs ætatis illius orthodoxis patribus τὸ ὁμοούσιον; aduerſus Arrianos propugnauit. Et quia Titus iſte non Lucæ tantùm, verùm Matthæi quoque Euangelium expoſuit, idcirco quæ Lucæ cum Matthæo communia ſunt, vel omittit, vel leui brachio exponit, vt commentarius eius tam perfectus non ſit, quàm Victoris. Scripſit idem aduerſus Manichæos, & alia quædam, quæ perierunt, aut fortaſſe in Bibliothecis inter reliquias vetuſtatis puluere conficiuntur. Neuter porro horum, quod ſciam, hactenus Latina lingua prodijt in lucem nec putarim facilè typis Græcis impreſſos reperiri.

Peltanus Euſebium Emiſſenum & Baſilium Ancyranum epiſcopos inter orthodoxos patres recenſet, quos fuiſſe hæreticos nemo non nouit. S. Hieronymus in Chronico anno Domini 350. ait, Euſebius Emiſſenus Arianæ ſignifer factionis multa & varia conſcribit. Et libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Baſilius Ancyranus ſub rege Conſtantio Macedonianæ partis cum Euſtathio Sebaſteno princeps fuit. Vide Tom. 4. annal. Eccleſ.

VICTOR PRESBYTER ANTIOCHENVS IN SACROSANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM ſecundùm Marcum: Opera THEODORI PELTANI Societatis Ieſu Theologi, nunc primum Latinitate donatus.

QVANDOQVIDEM permulti in Matthæi & Ioannis, pauci verò in Lucæ; nulli autem omnino, vt equidem arbitror, in Marci Euangelium ſcripſerunt (certè veterum monumentorum indices ſtudioſè euoluens, nullum qui illud ediſſeruiſſet, in hodiernum vſque diem comperi) viſum eſt mihi, quæ Eccleſiæ Doctores ſparſim & per partes in præſentem Euangeliſtam annotarunt, in vnum quaſi corpus redigere, ſuccinctámque in hoc ipſum quoque Euangelium explanationem conſcribere. *Nulli veterũ in Marcum ſcripſerunt.*

A

Cæterum Marcus hic, qui alio nomine Ioannes appellatus eſt, poſt Matthæum Euangelij hiſtoriam contexuit, matremque, vt ex Apoſtolorum Actis conſtat, Mariam illam, apud quam Hieroſolymis diſcipuli Chriſti diuertere ſoliti erant, habuit. Et quidem initio, vt in iiſdem illis Apoſtolorum Actis proditum extat, adhærebat Barnabæ cognato ſuo & Paulo. Verum vbi Romam veniſſet, ſecutus eſt Petrum. Quare is in priori ſua Canonica ad hunc modum de illo, ſcribit: *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Quin Apoſtolus Paulus quoque, non in ea tantùm, quam ad Coloſſenſes ſcripſit, ſed in poſteriori quoque ad Timotheum mentionem illius facit. *Marcum*, ſcribit hic, *aſſume, & adduc tecum.* ibi verò: *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ.* Marcus itaque cœleſtis doctrinæ ſemen, quod ab Apoſtolis hauſerat, cùm alibi, tum Romæ quoque ad tempus proſeminauit. At verò cùm aliò iam auocaretur ab iiſque, qui Romæ Chriſto per fidem adiuncti fuerãt, vt ſalutaris prædicationis ſeriem ſcripto exponeret, enixè rogaretur, haud grauatim annuit. Atque hinc Euangelium, quod ſecundum Marcum inſcribitur, natum traditur.

Marcus Euãgeliſta homonymus. *Cap. 12.* *Cap. 15.* *Cap. 5.* *Col. 4.* *Marcus Euãgelium ſuum Romæ ſcripſit.*

CAPVT I.

B

INitium Euangelij Ieſu Chriſti, Filij Dei: ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, &c. Euangeliſta Marcus Spiritu illo, qui è ſublimi in hominum corda demittere ſolet, afflatus, à prophetico oraculo Euangelium orditur. *Vox clamantis in deſerto &c.* Hoc vaticinium hiſtoriæ, quę de Ezechiæ ægrotatione, apud Eſaiam agit, ſubtexitur. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Hoc dictum non ex Eſaia; ſed ex Malachia depromptum eſt. Euangeliſta enim compendio vſus; duo diſtincta oracula, ſub vnius Eſaiæ nomine in medium adfert. Marcus, ſcribit Origenes, duas prophetias diuerſis tẽporibus; & à diuerſis editas, in vnum con-

Cap. 40. *Cap. 3.* *Totum adſcribitur Eſaiæ, tãquam potiori vati.* *Tom. 7. expoſ. in Ioan.*

Pœnultimi nostri codices græci, alter locum hunc legunt habent enim: Sicut scriptum est in Prophetis.

constans, ait: *Sicut scriptum est in Esaia Propheta: Ego mitto Angelum meum &c.* Et vt compendij gratia, duas prophetias conflauit in vnam; ita, vt eidem Origeni placet, loco ill Malachiæ *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam &c.* illud *ante te*, vel, *ante faciem tuam*, adiecit: Siquidem in Prophetæ contextu isthæc non leguntur.

Cap. 3. Ioan. 1.

Vox clamantis in deserto &c. Hæc Ioannis Baptistæ fuit oratio ad illos, qui à Pontificibus, populique Doctoribus ad eum missi fuerant. Cùm enim illi percunctarentur, anxiéque: *Quis es tu, vt responsum demus his, qui miserunt nos? &c.* ab illo exquirerent, ipse vicissim intulit; *Ego vox clamantis in deserto &c.*

Ioan. 1. Quo sensu Ioannes præcursoris personam sustinuerit.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ. Et hæc quoque appendix ibidem subiungitur: Nam, cur baptizaret, interrogatus, statim subiecit: *Ego baptizo in aqua, &c.* Discis B hinc autem Ioannem præcursoris tantum personam sustinuisse; hoc est, viam ad cœleste illud donum, quod est peccatorum remissio, docendo & prædicando ita muniuisse; vt tamen illud non impartiret. Nec mirum; Siquidem munus illius non erat expiare, aut sanctificare; sed eorum animas, qui vniuersorum Deum suscepturi erant, ad eiusmodi munditiem disponere, & præparare. Pœnitentiæ itaque Baptisma, quod prædicabat Ioannes, ad sanctitatem, internamque animi munditiem disponebat, at perfectam verò sanitatem, vt Baptisma Christi, nequaquam præstabat. Hæc enim sanitas contingit per gratiam, qua Ioannis Baptisma destituebatur.

Baptisma Ioan. neque peccata expiabat neque gratiam præstabat.

Cap. 3.

Et erat Ioannes vestitus pilis Cameli &c. Clarius hæc Matthæus; ait enim: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Cameli.* Hic autem habitus, & pœnitentiæ, & luctus, & regiæ quoque potestatis, vt nonnullis placet, symbolum præ se ferebat. *Et Zona pellicea circa lumbos eius*, Zona hæc pellicea, cùm internum animi mœrorem, tum carnis quoque mortificationem adumbrabat. Atque huc spectat illud Seruatoris: *Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. Et Locustas, & mel syluestre edebat.* Esca Ioannis, spiritalis, ni fallor, populi Iudaici escæ signum erat: Nec enim vllis ille omnino mundis cœli volucribus vescebatur. Quamuis enim sublimi quadam cœlestique doctrina pasci videbatur; attamen mysticis alis non subuehebatur, neque è terra assurgebat, aut vocem tollere poterat. Sed & melle quoque syluestre vtebatur: nam licet illud ab intelligentibus apibus, hoc est, à Prophetis congestum, confectúmque esset: nihilominus, quòd per diligentem inquisitionem, germanámque explanationem non excoleretur, neque edulcaretur, vsque agreste & insipidum manebat.

Habitus Ioan. pœnitētiam & luctū designabat.

Luc. 7.

Quid esca, qua Ioan. vescebatur, insinuabat.

Cuiusmodi spiritalis Iudæorum esca.

Et prædicabat dicens: Venit fortior me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam Calceamentorum eius. Aliud est Calceamenta portare, quod dicit Matthæus; aliud procumbere, & Calceamentorum corrigiam soluere, quod habet Marcus: At neuter interim Euangelista, aut à veritatis scopo aberrat, aut cum altero pugnat: Verissimile fit enim (quòd alia & alia disserendi occasio sese offerret) Baptistam diuersis temporibus vtrumque dixisse. Quin eandem quoque rem, diuersis sæpe verbis, diuersoque modo commemorant: quippe qui maiorem rerum, quàm verborum curam habere, magísque id operam dare soleant, vt res summatim perstringant, quàm vt singula, quæ vel dicta, vel facta fuerant, accuratè ad memoriam reuocent.

Euangelistæ maiorem rerū, quàm verborum rationem habuerunt.

Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Quæ dicit, huc tendunt: Cùm ad summam illam Christi Redemptoris dignitatem, summamque diuinæ eiusdem naturæ præstantiam mentis oculos conijcio, indignum me planè sentio, qui vel infimi ministri locum apud illum obtineam (hoc enim calceamentariæ corrigiæ, vel ligulæ solutione denotatur.) Siquidem vniuersa mortalium natura, cum Dei maiestate comparata, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatur: totáque eiusdem iustitia instar panni menstruatæ habetur.

Quid sit calceamentorum corrigiam soluere.

Esa. 40. Esa. 64.

A *Ego baptizaui vos aqua, &c.* In aqua se baptisare asserit: quandoquidem necdum datus erat Spiritus sanctus: At Christum vero Spiritu sancto baptizaturum prædicit. Cæterùm diuino huius spiritus dono primi omnium, post Domini ad cœlos ascensum, potiti sunt discipuli: idque Christi Seruatoris sponsioni consentaneè; aiebat enim: *Ioannes baptizauit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Discrimē inter Christi & Ioan. Baptisma. Apostoli Spiritu primi eo potiti. Act. 1.

Cur, inquis, Ioannes anticipatione quadam vsus, dicebat: *Venit fortior me post me.* Rursum: *Ille baptizabit Spiritu sancto?* Ne Christum inter cæteros Dei seruos ad Ioannis Baptisma accedentem cernens, turbareris; sed illius celsitudinem & maiestatem hinc potiùs admirareris. Siquidem hæc in rebus illis abiectis & humilibus relu- B cet vel maximè.

Marc. 1. Luc. 3.

Porrò autem ad Baptismi Ioānis vim rationem quod attinet, obtinebat illud medium quodammodo inter nostrum & Iudæorum: Erat namque Iudaico perfectius, nostro verò multis partibus imperfectius. Quare ex ipsa Baptismi natura, quo Dominus vsus est, in peccatorum expiationem ablutum non esse manifestum est: Ipse enim vnus ille erat, & est, qui tollebat & tollit peccata mundi: *Qui quis peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Sed neque ob id quoque Ioannis Baptismo initiatus est, quod Spiritus sancti gratia, aut aliquo eiusdem spiritus dono indigeret: Siquidem Baptisma illud vtriusque vacuum, neutrum per se præstare poterat. At multò verò minùs in pœnitentiæ symbolum (quo sensu cæteri ad Ioannis Baptismum accedebant) in Iorda- C nis flumine lustratus est: Quandoquidem erat is Ioanne multis modis maior, infinitísque partibus illo sanctior & purior.

Ioan. Baptisma medium quodammodo obtinebat inter nostrum & Iudaicum. Christus Dominus non est baptizatus in peccatorum remissionem. Ioan. 1. 1. Pet. 2. Ioannis Baptisma non præstabat gratiam.

Et cur ergo baptizatur? Quò multitudini patefiat, eáque ratione fidem ab illa impetret. Ea etiam de causa Spiritus sanctus aspectabili forma in illum descendit: Neque enim descensus hic ob id contigit, quòd tunc primùm diuini Spiritus illapsu potitus esset (nunquam enim ille diuini huius exors fuerat) sed quò orbi illum commonstraret, vniuersæque creaturæ quasi digito ostenderet, quem Ioannes prædicabat.

Dominus pluribus de causis Ioan. Baptisma suscepit.

Baptizari adhæc voluit, quò omnem iustitiæ partem in se impleret. Hæc porro iustitiæ expletio vna præceptorum obseruatione præcipuè cōstat. Inter cætera au- D tem præcepta Prophetæ Ioānis Baptisma extabat quoque: Nam quòd DEVS Iudæos Ioannis præcursoris Baptismo initiari voluerit, id ex illo Ioannis disce: *Qui, inquit, misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c.* Et ex illo rursum Christi: *Publicani & meretrices iustificauerunt Deum, baptizati Baptismo Ioannis; Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreuerunt non baptizati ab eo.* Si ergo iustitiæ ratio exigit, DEO obsequamur, isque Ioannem, quò populum baptizaret, miserat, consequens fit, Christum Dominum, qui cum alijs vniuersis legalibus, hanc etiam cæremoniam obseruauit, omnem iustitiæ partem expleuisse.

Iustitia diuinorum præceptorum obseruatione præcipuè constat. Ioan. 1. Luc. 7.

Iustitia exigit obedientiam.

Denique si ob id quoque à Ioanne baptizari voluisse dixeris, quo aquas nobis sanctificaret, neutiquam à ve- E ritatis scopo aberraueris. Argumento sit Spiritus sanctus, qui in specie columbæ descendit, nam vbi reconciliatio cum Deo intercedit, ibi columba præstò esse consueuit. Quare vt in Arca Noë columba non defuit; ita nunc quoque Spiritus sanctus in columbæ specie, non in assumpto corpore aduenit; subque aduentu Dei misericordiam Orbi annunciauit: simul etiam hominem spiritalem mansuetum, & simplicem omnisque nequitiæ & doli expertem esse debere, indicauit. Alia itaque Christo extitit causa, cur ad Ioannis baptisma accederet; alia cæteris mortalibus.

Christus suo Baptismo aquas sanctificauit.

Genes. 8. Cur Spiritus sanctus in specie columbæ apparuerit.

Vidit cælos apertos &c. Cœli σχιζομένους, diffinduntur vt habet Marcus: vt autem Matthæus legit, ἀνοιγομένους aperiuntur. Denotat hoc autem, sanctimoniam hominibus è cœlo obuenire, cœlestiáque rebus terrenis

sese consociare.

Et vox facta est de cælo. Vox hæc cœlitus delata, non Patris propria extitit, sed in Patris persona, Angelorum ministerio efformata fuit.

Cur Dominus post susceptum Baptismum in desertum abductus & à Dæmone tentatus.

Et statim Spiritus expulit illum in deserto &c. Quandoquidem quæcunque Dominus faciebat, aut tolerabat, ad nostram doctrinam & instructionem faciebat & tolerabat, propterea sese in desertum abduci, Diabolíque tẽtamentis exponi patitur, ne videlicet Baptismo expiati, animo statim concidant, si post susceptum Sacramentum, graui nonnunquam inexpectatáque tentatione pulsari se sentiant, verùm infracto semper imperterritóque animo consistant cunctáque, quæcunque tandem euenerint, viriliter perferant.

Multæ graues causæ, cur Dominus Baptismo initiatos ab omni statim tentatione non absoluat.

Et cur, inquis, Deus Baptismi Sacramento initiatos, à Diaboli vexationibus, molestísque eiusdem tentamentis non prorsus absoluit? Nimirum vt hinc discas, multò te nunc maiori robore pollere, quàm dudum antè. Deinde verò, quò carnis & Dæmonis tentationibus etiamnum obnoxium te intelligens, intra mediocritatis limites te contineas; neque propter donorum magnitudinem, nimium te extollas. Hinc vt malignus Spiritus per tentationum experimenta edoctus, perfectè te illum deseruisse, plenéque ab eodem recessisse cognoscat. Mox vt hac conflictatione, veluti ferrum induratus, fortior subinde euadas. Postremò vt quanti thesauri opes tibi concreditæ sint, euidenter ex hac re perspicias: Neque enim Diabolus adeò infestus esset, nisi in maiori honore & loco te nunc, quàm antea constitutum, animaduerteret.

Nemo vltroneis tentationibus obycere se debet.

Cur Spiritus Christũ Dominum expulerit in desertum.

Diabolus quò acrius tentet, solitudinem obijcimus.

Et statim Spiritus expulit eum in deserto. Cur Filiũ in desertum non simpliciter profectum; verùm secundùm œconomiæ rationem per Spiritum eo abductum dicit? Insinuare per hæc voluit, neminem vltroneis tentationibus se obiectare; verùm si quo casu in illas inciderit, animosè eisdem resistere debere. Expulit autem Spiritus Christum in desertum, quia Diabolum ad pugnam prouocare, commodámque eidem inuadendi occasionem, non modo per inediam, verùm per loci quoque solitudinem offerre voluit. Nam tunc demũ Diabolus homini præcipuè insidiari, & insultare consueuit, quando illum solitarium, & quasi seorsim ab alijs positum cernit. Hinc etiam desertum, in quod Dominus concessit, inuium, ferísque bestijs refertum, scribitur.

Heb. 1.

Angeli humanæ salutis causam promouent & adiuuant.

Et Angeli ministrabant illi. Angeli post debellatam tentationem, obtentámque aduersus Diabolum victoriam, Christo administrant. Adminiculantur hi enim humanæ saluti iuxta illud Apostoli: *Nonne omnes administratorij Spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Aduerte hîc autem, accuratéque obserua, omni tandem tentatione perfecta, Angelos accessisse, debitúmque cultum & ministerium Christo Victori detulisse.

Cap. 4.

Posteaquam traditus est Joannes, venit IESVS *in Galilæam &c.* Hæc Euangelista Marcus satis consentaneè ad ea, quæ exponit Matthæus. Ille enim posteaquam dixerat: *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei,* statim subiungit: *Cùm audiuisset Jesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam;* & paucis interiectis: *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.*

Matth. 3.

Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei. Obseruandum est hoc loco, Ioannem quidem, dum prædicandi initium in deserto Iudææ facit, cœlesti regno pœnitentiam præmittere; ait enim; *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum;* Christum verò Seruatorem nostrum, posteaquam ciuitate Nazareth, vt Matthæus exponit, relicta, secessisset in Galilæam, Capharnaúmque, quæ ciuitas maritima est, habitatum venisset, non quidem statim: *Pœnitentiam agite,* prædicare & dicere cœpisse; Verùm *impletum est tempus, appropinquauit regnum Dei.* nec ratione sanè hæc ordiendi dissimilitudo caret: Nam cùm Ioannes ad hoc missus esset, vt viam Domini præpararet; par erat, vti pœnitentiam ante cœleste regnum prædicaret.

Cur Ioan. & Christus non eodem prorsus modo ordiantur prædicationem.

Secundùm Marcum igitur Dominus noster ita orsus est: *Impletum est tempus & appropinquauit regnum Dei.* Porrò autem quod Christus Dominus hoc loco tempus impletum vocat, hoc Apostolus ad Galatas scribens, temporis plenitudinem appellat, ait enim: *Vbi venit temporis plenitudo, misit Deus filium suum &c.* Iam enim, quæ de Christi aduentu, eiusdémque œconomia per Prophetas prædicta fuerant, ad finem deuenerant

Cap. 4.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Post omnem tentationem absolutã, Angelorúmque ministerium expletum, Ioannem carceri mancipatum esse, ad Dominum perfertur. Statim igitur à patria digressus inter cætera cœpit dicere; *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Non pugnant hæc autem cum ijs, quæ paulò antè exposita sunt: Siquidem pœnitentia, quam prædicabat Ioannes, non erat eiusdem rationis cum ea quam exigebat Christus: Ioannes enim pœnitentiam prædicando, ad vitæ emendationem, hoc est, ad peccatorum, quæ in vita designarant, detestationem, scelerúmque patratorum expiationem auditores prouocabat: Christus autem per verba illa: *Pœnitentiam agite,* Iudæos à legali litera, ad legalem Spiritum, qui in Euangelijs reuelatur, transferre satagebat. Quod autem hic germanus loci huius sit sensus, id ex eo patet, quod μετανοεῖτε, hoc est, resipiscite, vel conuertite vos, statim adiungit: *Et credite Euangelio.*

Pœnitentia, quam Ioan. & Christus prædicabat, non erat eiusdem rationis.

At quorsum, dixerit hic quispiam post captum Ioannem Dominus secedit in Galilæam? Quò peruersis quibusdam, qui vim illi parabant, det locum, seséque doctrinæ & curationibus, quas ante crucem & mortem explere, certum deliberatúmque habebat, integrum asseruet. Post has autem expletas, vltro se humiliauit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Post Ioannem itaque traditum secessit; neque persecutionis procellam expectauit, verùm in aliud tempus eam reiecit.

Dominus persecutioni cedit, & quare istuc.

Philip. 2.

Et præteriens secus mare. His planè similia exponit Matthæus: vnum hoc solùm inter hunc & illum intercedit, quòd Marcus Matthæo narrat contractiùs.

Et ingrediuntur Capharnaum. Post Apostolos electos statim subiungit: *Et ingrediũtur Capharnaum.* Quibus cognata refert etiam Lucas. Ex vnde, inquis, profecti, venere Capharnaum? Ex Nazareth, vt apud eundem Lucam videre licet.

Et ingressus in Synagogam, docebat eos Sabbatis. Sabbatis enim, vel solùm, vel potissimùm inter se coibant Iudæi. Idque nõ tam virtutis, hoc est, sanctimoniæ & obedientiæ amore, quàm legalis pœnæ formidine. Nam vt per Sabbata conuenirent, lege cautum extabat. Docebat ergo Sabbatis in Iudæorum Synagogis, auditorum animos aucupari, & ad pietatem allicere contendens.

Iudæi Sabbatis ad Synagogas conueniebant.

Et stupebant super doctrina eius. Cur stupebant? quia non loquebatur ad gratiam; neque vlli prorsus adulabatur; nec auditorum laudes captabat; sed erat sermo eius in potestate.

Christi oratio Iudæos in stuporem rapiebat, & quare.

Hortabatur enim non ad quæuis promiscuè; sed ad cœlestia, & animæ salutaria, perfidísque & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur.

Et erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo. Per hoc, quod Spiritum hunc immundum appellat, secernit illum à cæteris omnibus rebus, quæ Spiritus nomine designantur. Nam & aër, & anima, & spiritus administratorij, hoc est, Angeli, & ipse etiam Spiritus sanctus, Spiritus vocantur. Ne ergo ob communem illam notionem, in aliquam hæsitationẽ incideremus, Dæmonium hoc Spiritum immundum nominat. Dicitur autem hic Spiritus immundus, cùm propter obstinatam in impietate mentem fœdámque à Deo defectionem; tum maximè, quòd obscœnis flagitiosísque operibus mirificè oblectetur.

Varius vsus nominis huius Spiritus.

Cur Dæmon immundus Spiritus appellatur.

Et exclamauit voce magna, dicens: Quid nobis, & tibi IESV *Nazarene?* Te tandem, clamat nequam Spiritus, præsentem

Dæmones Christum

perfectè non cognoscebant.

tem conijcio: te tandem aduenisse suspicor. Nam etsi hoc absolutè se scire simulet, perindéq; ac si certò sciat, verba fundat, attamen necdum certam & firmam satis de illius præsentia notitiam hauserat.

Venisti ante tempus perdere nos. Quorsum hæc pertinent? huc vtique. nullum nobis ampliùs locum reliquum facis: nam & impietatē è medio tollis, & errorem proscribis, & Dei notitiam mortalium pectoribus inseris.

Scio quòd sis sanctus Dei. Sanctus erat Prophetarū vnusquilibet: verùm non loquitur hîc de vulgari quopiā vate, aut promissuæ fortis homine; sed vnum illum, qui ex vno procedit, præstò esse annunciat: Siquidem per articulum adiectū, vnum quempiam præ cæteris eximium designat; metúque perculsus, omnium Dominum sese agnoscere neutiquam dissimulat.

Et comminatus est ei IESVS. Increpat illum IESVS, quia veritati, vt per malignos Dæmones statueretur, aut per aduersariorum testimonia cohonestaretur, opus nō erat. vnde Euangelista: *Et comminatus est ei, dicens: Obmutesce, & exi ab homine.* Quin salutare quoque documentum per hoc nobis tradidit, ne videlicet vllam vnquam Dæmonibus fidem habeamus, etiamsi vera se dicturos profiteantur.

Dæmonib. etiam vera dicentibus, non est fides habenda.

Et discerpens eum Spiritus, & exclamans voce magna exijt ab eo. Cur Dæmon obsessum hunc fudit in terram? Dominus ob id illum iactari, discerpique passus est, vt omnibus palàm fieret, Dæmonem fuisse, qui dicebat: *Scio qui sis &c.* & non hominem: tametsi ea sobrietatis verba essent. Exiuit autem ab illo, nihil eum lædens. Nam etsi immundus Spiritus permissus est eum iactare, & humi sternere, non tamen vulnerare. Indulsit autem Dominus istiusmodi vexationem, quò imperantis virtus præsentibus manifesta fieret. At ægrum verò hominem cōsauciari, aut grauiter ea iactatione lædi non permisit. *Et mirati sunt omnes.* Quæ enim propalàm cernebantur, certam fidem faciebant; neque enim simplex auditus, qui animum quodammodo diuidit (constituit enim eum medium inter fidem & dubitationem) eorum, quæ fiebant, testis erat, sed oculus. Quare etiam nō absque stupore inter se disquirebāt, dicentes: Quidnam hoc rei est? quid hoc factum portendit? aut nos docet verius? Imperat malignis Dæmonibus, & è vestigio è medio facessunt. Prodibant in medium Prophetæ, at, hæc dicit Dominus, aiebant, hic autem: *Ego dico vobis*, ait. Ecquæ hæc noua doctrina? non enim Prophetarum more Deum inuocat; verùm ipse cum potestate: *Obmutesce, & exi ab eo*, intonat. Omnino omnium hunc Dominum esse, nobis probabile fit. Quamobrem miraculum hoc per vniuersam mox regionem diuulgatum est. *Et protinus egredientes de Synagoga.* Post signum patratum Synagogam egressi, quòd Sabbatum esset, cibi sumendi causa ad discipuli domum diuertunt. Verùm quæ illis ministratura erat, febribus detinebatur.

Cur Dominus dæmoniacum passus est discerpi.

Visa certiora sunt, quam ab alijs audita.

Statim ergo discipuli ea de re illum certiorem faciūt: siquidem certum de illius virtute experimentum iam tum ceperant. *Et accedens, eleuauit eam.* Accessit ad illam Verbum, corporeáque manu extensa, febricitantem erexit. Nam indiuulsam se cum carne sua societatem habere, persuasum volens, pleráque miracula & signa per corporis ministerium edebat. *Et ministrabat eis.* Socrus Petri à febribus liberata, suum vicissim ministeriū & seruitium exhibet: nos per hoc erudiens, ne sanitatis beneficium frustra, aut præposterè à Deo expetamus; verùm eo præcipuè animo, vt sanitatem iam adepti, præceptis illius accuratiùs parere, Sanctísque eiusdem necessaria vitæ præsidia faciliùs subministrare valeamus. *Vespere autem facto, cùm occidisset Sol.* Non temerè additur, post Solis tandem occasum multos ægros oblatos esse. Quandoquidem Iudæis persuasum erat, Sabbato curare fas non esse: Eius ergo rei causa Sabbati finem expectabant. Sed & Iudæorum proceres quoque, ob id Domino insultabant, quòd Sabbato sanaret. At

Christi corpus sanitatis instrumentū.

Quo animo sanitas à Deo expetenda.

Iudæi nefas putabant Sabbato curare. Ioan. 9. Luc. 13.

Christi verò discipuli, qui nōnnullos iam in fide progressus habebant, vespera non expectata, Iesum, vt Petri
A socrum à morbo exsuscitet, rogant. *Et curauit multos.* Euangelista Marcus Christum multos malè habentes curasse asserit; Verùm is, aut scripturarum more multitudinis nomen generatim pro omnibus accipit (scripturę namque dictionem hanc frequenter in eo sensu vsurpant, notum est enim illud Pauli: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi*) aut certè per τὸ multos eos omnes & solos denotat, qui in illum credebant. Fides namque ad præstandum sanitatis beneficium alliciebat. Verùm Lucæ contextus cum priori expositione magis facit; ait enim: *At ille singulis manus imponens, curabat eos. Et dæmonia multa eijciebat.* Quæ hîc dicuntur, ea ijs non aduersantur, quæ habentur apud S. Lucam. Ille e-
B nim scribit ad hunc modum: *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum Christum esse.* Marcus autem compendio vsus, illud: *Clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei*, tanquàm è superioribus notum, prætermittit. *Quia sciebant eum.* Dæmones norant illum Christum esse: iam enim de virtute illius experimentum ceperant; partim quidem ex miraculis, quæ iam antè patrarat; partim verò ex peculiari modo & ratione, qua signa & verba faciebat.

Scripturæ multitudinis vocabulo vniuersitatem sæpe designant. Rom. 5.

Cap. 4.

Cap. 4.

Dæmones duplici de causa Dominum Iesum Christum esse colligebāt.

Dæmonum testimonium de veritate suspectum. Cap. 4.

Et non sinebat ea loqui. Non patiebatur hæc illos dicere: nos per hoc, vt paulò antè dictum est, docere volens, ne vllum omnino testimonium à Dæmonibus recipiamus: *Et diluculo valde surgens.* Cum his per omnia conspirant,
C quæ narrat Lucas: *Facta autem die*, scribit ille, *egressus, ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum.* Marcus autem Apostolos multitudinis aduentum anteuertisse insinuat; ait enim: *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inuenissent eum, dixerunt ei: quia omnes quærunt te:* Verùm hæc non pugnant; fieri enim potuit, posteaquam Apostoli ad Iesum iam peruenerant, turbas mox à tergo consecutas, Christum comprehendisse, enixéque, vt illum apud se detinerent, contendisse. Dominus autem peregrinationis suæ tempus breue futurum compertum habens, doctrinæque suæ thesauros cum alijs quoque communicare volens, illos, vt ab incepto desistant, admonet, ait namque: *Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicem, &c.*

D *Ad hoc enim veni.* Commodè hoc subdit Euangelista: Neque enim sola Diuinitatis illius authoritas, per hoc adumbratur; verumetiam spontaneæ euacuationis humilitas. Lucas autem, quò verbi œconomiam exprimat; *ad hoc enim missus sum*, scribit. Quare in Patris de verbis incarnatione beneplacitum, Apostolatus nomine designat. Quin etiam Ioannes, quando; *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*; in deserto prædicabat, ad vnum hoc mysterium spectabat. Nec enim aliud ille regnum cœlorum annunciabat, quàm Verbum caro factum est, hoc est, Christum. *Egressus abijt in desertum locum.* Secedit Christus pusillum in desertum locum quò absens eorum desiderium acuat, qui illum sequebantur; suóque nos exemplo admoneat, vt post miracu-
E lum patratum, aut opus aliquod illustre perfectum, aliquò seorsum secedamus, ne quod inanis gloriæ venenum, aut humanæ laudis studium, in animos nostros irrepat; sed Deo sua vbique gloria, debitáque gratiarum actio nusquam non constet. *Ibique orabat*, Orabat autē, non quod is vllo prorsus precum præsidio egeret; sed quod præstantissimæ cuiusque actionis formam seipsum nobis proponere vellet. *Et erat prædicans in Synagogis eorum.* Prædicat in Iudæorum Synagogis Dominus, quò vnum ex veteri & nouo Testamēto doctrinæ corpus absolui; seséque veteris æquè, ac noui instrumenti authorem esse ostendat; & non alterius tantùm, vt impij nugantur hæretici. Vbique autem; quò doctrinæ suæ robur & fidem conciliet, verba sua miraculis confirmat, *Et venit ad eum leprosus deprecās eum.* Qui terrarum orbem,

Quale erat regnum quod Ioan. annunciabat.

Cur Dominus post patratum miraculum secedit in desertum.

Christus non sui; sed nostri causà orabat.

ab impietatis lepra expiatum venerat, is nunc lepram, quæ corpori cohærebat, expiat. Quò autem illud in integrum restituat, quod est secundùm naturam, primò omnium mentem per fidem & spem emundat. Dicit autem ad eum leprosus.

Christus animã ante corpus sanat.

Si vis, potes me mundare. Noui te omnia posse, modò sola adsit voluntas. Si operari placuerit, nihil extat, quod impedire te valeat. Ex tota anima leprosus aiebat: Certò scio, te id posse; sed neque ignoro quoque, hoc me beneficio prorsus indignum esse: Iusto namque iudicio Dei patior, quæcunque patior. Quamobrem si id beneficij præstare nolueris, non repugno.

Magna leprosi cuiusdã humilitas & fides.

Iesus autem misertus eius, &c. Seruator misericordia motus, leprosum tangit. Eccur, ais, Dominus hominem lepra contaminatum tangit, & non solo verbo sanitatem illi restituit? Lex Mosaica eum pollutum pronunciabat, quicunque leprosum contigerat. Vt ergo constet, naturalem fœditatem Seruatorem inficere non posse: Tũ rursum, vt legem illam contra se latam non esse ostẽdat, sed contra cæteros homines, quantumlibet excellẽtes, dicit leproso: *Volo, mũdare.* Verbóque prolato morbum mox fugat, adeóque quod verbo leprosus dixerat, hoc ille opere ipso verum esse demonstrat. *Vide nemini dixeris.* Non indigeo tua prædicatione; si enim morbus, quo laborabas, me non prædicauerit, mũditia tua nulla erit. *Sed vade, & ostende te principi sacerdotum.* Quò impudentem Iudæorum linguam obstruat, secundum legis decretum, ad Sacerdotum principem mundatum amandat. *Vade,* inquit, *ostende te Sacerdotum principi:* vt cùm paulò post, veluti errorem & impostorem me persequentur, tutè mihi testimonium perhibeas, & quod à me sanatus fueris, & quòd iuxta legis præceptum, Sacerdotis iudicio te sistere iussus. Ostende te nihilo secius, ne extra hominum cõsortium eijciare: Siquidem lex cauebat, vt lepra cõtaminatus, tanquã pollutus, extra castra maneret. Quod si qui sponte mundabantur (id quod Dei voluntate contingere nõnunquam poterat) illi extra hominum consuetudinem non proscribebãtur. Interim dũ summus Sacerdos illiusmodi homines expiatos declararet, tanquã adhuc coinquinati, vnà cum cæteris pollutis, extra castra consistere compellebantur.

Et egressus cœpit prædicare. Leprosus hic debitæ gratitudinis nequaquam oblitus, vbique locorum benefactorem suum laudat, & prædicat.

CAPVT II.

Cap. 5.
Cap. 9.

ET *venerunt ad illum ferentes Paralyticum.* His nõ absimilia exponit Lucas quoque, vno illo duntaxat excepto, quòd ciuitatis, in qua miraculum editũ fuerat, nomen non exprimat. Matthęus verò, quod de tecto reuulso narratur, suppresso, eadẽ ferè verborum serie, signũ in sua ciuitate factũ scribit. At ciuitas illius non Capharnaum; sed Nazareth habebatur: nisi quis Capharnaum ob id forsan ciuitatẽ illius appellatam dicat, quod frequenter admodum in illa degeret, multáque subinde miracula in ea patraret. Sunt qui putent, (quòd loca illa paruo interuallo a se inuicem distarent) Euãgelistas non tam curasse, vt locum præcisè indicarent, quàm vt miraculum ipsum exponerent; de hoc autem omnium sententias inter se conspirare; etiam si alij alio modo historiam texant. *Et cum non possent offerre eum illi, præ turba.* Venerunt ergo, qui paralyticum baiulabant: Cùm autem ianuam magna hominũ multitudine vndique obseptam comperissent, adeo vt nullus omnino per illam aditus ad Christum pateret, (Nec enim ij, qui intus erant, illis, qui foris vrgebant, concedere, aut vllum prorsus accessum ad medicum indulgere volebant) capto repente consilio, cùm salutis ægri essent oppidò auidi, supra domum conscendunt, rémque, ob certam sanitatis spem, adoriuntur nouam, planeque inusitatam. Etenim tecto euerso, lectum vnà cum onere, hoc est, virum paralysi detentum, vnà cum grabato ante Christi Seruatoris nostri pedes in terram demittunt.

Quo sensu Capharnaum Christi ciuitas appellatur.

Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait Paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Hîc tu mihi nunc Christi Domini benignitatem, & mansuetudinem perpende: Perpende, inquam, quomodo transactis, quę modò audiuimus, ægro mox peccatorum veniam indulgeat, nõ ignarus, quod illo minus erat, paulò pòst vltro illi obuenturum. Dominus itaque fide illorum comperta, quem sumpserant laborem, inanem abire, nequaquam passus est, ait autem: *Fili*, vel, vt Lucas habet, *homo, dimittuntur tibi peccata tua.* Quod autem Paralyticum hunc filium vocat, illud, aut propter fidem, quam de ipso conceperat, facit; aut certè ad creationis causam respicit. At quid hoc est, intra se ille, quod de peccatis audio? Aliud expecto, & aliud largiris. Detulerunt me huc illi, vt recuperata sanitate inambulem, tu verò aliud pro alio sanas? Cernis haud dubiè, quæ illi non cernunt. Cognoscis enim, quæ secretò admisi, quæ illi non cognoscunt. Anima præ corpore laborat; morbi itaque causam è medio submouens, ipse etiam morbus vnà submouebitur. *Quod est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, &c.* Vtique peccata re ipsa dimittere difficilius est, quàm dicere: dimittuntur tibi peccata tua. Neque enim is facilè falsitatis redargui potest, qui dicit: dimittuntur tibi peccata tua; quippe cùm hic effectus sub sensum non veniat: Siquidem vulnus non paret, vt medici virtus dijudicare possit. Dicit ergo, vtrum est facilius, dicere ne, an facere? haud dubiè dicere, quandoquidem opus, quod promittitur, sensibus non obijcitur. Quia ergo fidem non habetis, en opus adijcio: quò illud statuatur, quod sub aspectum non cadit. Etenim si Dominus primùm exterius paralyticum sanasset, atque deinde peccata illi condonasset, rati fuissent, primum quidem præstitum, secundum verò manere incertum. Quia ergo primum erat ambiguum, vulgoque parum creditum, adiectum est secundum: nempe opus ipsum, quò hac ratione infidelitas redarguatur, quódque animo agitabant, vanitatis reuincatur.

Cap. 5. Cur Christus Paralyticum filium vocat.

Peccatorum remissio non cadit sub sensum.

Tibi dico surge, & tolle grabatum tuum, Tibi, ait, dico mẽte hosce; infideles enim sunt, maláque, & improba animo volunt. Te, inquam, non illos compello, quandoquidem remissa sunt tibi peccata tua; idoneusq; sermonum meorum auditor euasisti; & dignus nihilo secius habitus, cui sanitatis beneficium impenderetur. Surge proinde, sublatóque grabato vade in domum tuam. *Et statim surrexit ille.* Exijt ex ore verbum, & e uestigio consecutum est miraculum. Redijt statim sua vis corpori, totúmque extemplò consolidatum est. Paralyticus autem sanitatis sensu percepto (hunc namque Dominus illi impertiuerat) in pedes mox se erigit, plantarúmque, ac cæterorum membrorum articulos & neruos intendens, sanus in domum suam abijt.

At quorsum Seruator signum patraturus, præmittit: *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata?* Haud alia de causa istud facit, quàm vt planum hinc fiat, diuinitatis vim, propter indiuulsam vtriusque vnionem, in humanam quoque naturam sese diffundere. Quod ergo dicit, eiusmodi est: Quiuis homo iam factus, cùm Deus alioqui essem, propter carnis œconomiam in terris degam, & familiariter cum hominibus agam; nihilo secius, vt Deus, signa omnem rationem superãtia edo, peccatisque obstrictis, peccatorum vincla relaxo. *Ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deũ.* Quod maioris momẽti erat, puta peccatorum remissionem, missum faciunt; id vnum autem, quod in omnium oculos incurrebat, demirantur. Etenim si rectam rationem inire voluissent, dicere omnino debebant: iam non tantùm paralyticum surrexisse admiramur, quantũ hinc edocti, animam illius sanitatem, hoc est, à peccatis liberationem, consecutam credimus.

Vis diuina in humanam Christi naturam se diffundebat.

Maius est animo quam corpori sanitatem præstare.

Et egressus est rursum ad mare. Iterum post editum miraculum,

culum, doctrinam in medium proponit: viam hac ratione, ad certam indubitatámque fidem audituribus A aperiens. *Et omnis turba veniebat ad eum.* Dum omnem turbam ad eum venisse scribit, qui illum sequebantur, non Scribas, aut Pharisæos, extitisse insinuat; sed homines simplices, omnísque fuci & astutiæ expertes, nec non sano incorruptóque iudicio præditos. *Et egressus est rursus ad mare.* Obserua hic quo modo Seruator noster, nusquam non ab omni prorsus ambitione, & fastu alienum se ostendat: Neque enim cùm ingens multitudo ad eum conflueret ad frequentes ciuitates se conferebat, aut in medium forum se inferebat; verùm ad desertum, vel montem sese recipiebat. Per hoc uos admonens, ne quicquam vnquam ad ostentationem faciamus; sed secessum quæramus, cùm alias sæpe, tum verò præcipuè, quando sacrarum rerum meditationi B insistendum, aut de rebus ad salutem necessarijs disserendum est. *Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi, &c.* Seruator noster non per diuturnum rerum visum, vt cæteri mortalium solent, discipulorum animos explorat, verùm vt is, qui omnium hominum conscientias intimè compertas habet, quos idoneos iudicat, seligit. Quare si quam margaritam cœno obrutam, alicubi iacentem viderit, eam mox è sordibus excipit, latentémque animæ eius candorem in lucem producit. Egressus igitur comperit Leui, ad telonium sedentem. Est autem Leui hic idem omnino cum Euangelista Matthæo. Et quidem B. Marcus & Lucas nomen, quod illi familiare erat, priscua appellatione obnubunt. At ipse verò Leui, dũ Euangelij historiam contexit, palàm, quæ ad se pertinebant, denunciat, ait enim: *Cùm transiret Iesus, vidit hominem se-* C *dentem in telonio Matthæum nomine.* Quò enim medici artem impensiùs admiteris suum ipse vulnus aperit. *Sequere me.* Hominum amator, Seruatórque noster Iesus, Leui, tametsi totus, quantus erat, in iniquitatum fæcibus immersus iaceret, non aspernatur; sed clemẽter inuitat, amantérque ad se vocat; ait autem: *Sequere me.* Ille verò animæ salutem cæteris omnibus potiorem ducens, cunctis desertis, se totum euestigio, vocantis nutui, & voluntati mancipat, neque morosa dilatione Christum vocantem contristat; verùm ob vocationis beneficiũ, gratum se declarat: Nam magno mox conuiuio in domo sua instructo, cùm Christum ipsum, tùm cæteros omnes familiaritate coniunctos, benignè ad illud inuitat. Facit id autem, ne ipse solus beneficium accipiat; sed reliqui D omnes, qui vocati ad epulum venerant.

Turba & simplices sequuntur Christum, Pharisæi non item.

Vt certò eligat, non eget probatione Deus.

Matthæus honorem exeruit.

Christus peccatores clementer ad se inuitat.

At is verò, qui illum in discipulorum numerum cooptauerat, nihil prorsus cunctatus, aut veritus, statim in domum illius ingreditur, in qua, præter vnam patris familias pœnitentiam, nihil prorsus boni comperit. Neque ob id tamen succenset, aut, quod acciderat, probrosè obiectat; verùm tanquam naturæ Dominus, ad conuiuium ingressus, vnà cum cæteris comedit & bibit, susceptæque carnis veritatem, omnibus palàm ostendit: Neque oblatam interea benefaciendi occasionem negligit.

In domo Matthæi nihil boni coperitur, præter patris familias pœnitentiam.

Scribæ autem & Pharisæi videntes, &c. Veneruntit eo etiam Scribæ & Pharisæi, non quidem quò aliquid discant; verùm quò in ea, quæ fiebant, curiosè inquirant. E Cùm ergo Publicanos vnà cum alijs accumbere vidissent, Discipulos vocant, & quod fieri conspicantur, malignè incusant.

Pharisæi Christ. clementiam malignè interpretantur.

Non necesse habent sani medico, &c. Et vos quoque medici opera egetis, ait: nam nisi malè haberetis, Medici benignitatem in culpa nequaquà poneretis. Neque enim nescio hosce Publicanos esse; neque ægritudinem, qua illorum animæ tenentur ignoro. Noui quòd ægrè habeant, nisi enim ægrè haberent, curationis gratia ad illos non venissem. At cur, inquis, Scribæ & Pharisæi Seruatorem eo nomine reprehendunt, quòd cum Publicanis & peccatoribus cibum capiat? Quia lex inter Sanctum & Profanum secernebat: Pharisæi autem Christum ita comparatum ignorabât, vt supra legis consuetudinem, clementiam & gratiam exhibere vellet, & posset. Lex A enim polluta omnia simpliciter rejiciebat, Christi autẽ gratia, malum in bonũ conuertebat. Neque enim Christus venerat, vt Iudex, sed vt medicus. Quarè quòd Medicorum professio, & ars deposcit, familiariter cum ijs agebat, qui sanationis egentes erant.

Pharisæi æquè ægri at Publicani.

Christus supra legem operabatur, veniátque idẽ non vt Iudex, sed vt medicus.

Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem non ieiunant? Postcaquam primam quæstionem solutam vident, adoriuntur secundam; dicunt autem: *Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem non ieiunant?* Hoc autem quæsito aliud nihil moliuntur, quàm infinitè sapientem arte capere, infinitéque rectum, certæ cuiuspiam prauitatis reum facere.

Iudæi infinitè sapientem dolo adoriuntur.

Numquid possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Nunc nuptiarum, nunc vocationis, nunc doctrinæ tempus est; nunc pueri educãtur; nunc vocati la- B cte pascuntur; nullus nunc ieiunationi locus est. *Nõ possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est ieiunare.* Dominus autem tempus, quo in carne cum discipulis familiariter versabatur, nuptias vocat: quia omnem ægritudinem omnémque animis molestiam secundùm se secludere natum erat. Is enim iustam lugendi causam habet, qui bonum, quod desiderat, non obtinet: siquidem optati boni absentia, sua natura affligere solet: experitur namque eius fruitio: At verò, qui præsenti bono iam potitur, is ab omni cura mœroréque solutus iure meritóque lætatur. Cęterùm humanæ naturæ sponsus, est illius dux, & princeps, Dei nimirum Verbum caro factum, quod offert nobis semen vitæ. Quando ergo auferetur ab illis, hoc est, Apostolis, sponsus, tunc demum ieiu- C nabunt, præsentiam illius desiderantes. Ieiunabunt autem, quo à corporeis voluptatibus seiuncti, sequestratique, saltem secundùm spiritum cum illo versentur. *Cùm auferetur ab illis sponsus.* Hoc est, quandò is ad cœlos assumetur, qui Ecclesiam sibi desponsaturus est: Siquidem priori nupta, hoc est, Synagoga eiecta, repudiatáque, facta est noua quædam desponsatio. Desponsatio autem aliud nihil est, quàm arrabonis datio. Arrabo porrò, qui hic intercessit, est Spiritus sancti gratia: per hanc enim, & mundus credidit, & piscatorum cœtus terrarum orbem flexit, & in aliud vitæ genus transformauit.

Cur Dominus tempus, quo in terris versabatur, nuptias vocat.

Humanæ naturæ sponsus Christus.

Christus Dominus Synagoga repudiata, Ecclesiam tanquam sponsam complexus est.

Nemo assumentum panni rudis, &c. Quemadmodum, inquit, rudis intonsúsque pannus, si obsoleto vestimento assuatur, natiua sua firmitate eiusmodi indumentum di- D scindit: & vt vinum nouũ, in vetustos vtres immissum, suo calore & vapore vtres disrumpit; ita hic quoque contingit. Cùm enim Apostoli noui Testamenti Præcones & Doctores sint instituti, non debent nũc veterum cæremoniarum, & obseruationum legibus obstringi. Vos itaque, qui priscis illis ritibus, & consuetudinibus etiamnum addicti, obstrictique hæreticis, Mosaica ieiunia meritò obseruatis: Isti verò, qui, vt noua, antéq; inaudita præcepta, & leges hominibus tradant, designati sunt, ad vestras ieiunationes hoc tempore compelli non debent, nec iure quoque valent. At suis nihilominus locis, vnà cum cæteris virtutibus, ieiunij quoque obseruãtiam, & religionem ostensuri sunt. Non quod aliqua legis necessitate ad hoc adigentur, aut quod vestro more, aut sensu, veteribus ritibus adhuc insistendum arbitra- E buntur; sed quòd hoc medium veluti salutare, & opportunum, ad virtutis perfectionísque studium, suo postea tempore adhibituri sunt.

Apostoli noui Testamenti Doctores.

Quo sensu Apostoli ieiunarunt, & ieiunandum præscripserunt.

Enimuero inter eos, qui in Moysi, & eos rursum, qui in lege gratiæ ieiunijs dant operam, hoc, præter cætera, interest, quòd illi quidem ieiunia à Deo præfinita habebant, quæ proinde modis omnibus explere obligabãtur, etiam si alias noluissent; hi verò virtutis amore, liberáque voluntatis electione ieiunant verius, quàm vlla omnino legis coactione. Quod si verò quadragesimale, vel aliud quodcunque ieiunium definitum habemus, propter ignauos, & negligentes; quò nimirum ij quoque officium faciant, præfinitum habemus. Studiosi nãque, pietatique dediti, certo animi consilio, propensa-

Quid intersit inter Iudæorum & Christianorum ieiunia.

Ieiunia propter negligentes præscripta.

que voluntate ieiunium illud persoluunt magis, quàm vlla omnino legis, aut præcepti vi compulsi.

A *Et factum est iterum cum Sabbatis ambularent per sata.* Discipuli cum veritate iam præsente ætatem agentes, exemplúmque à Christo Domino mutuantes, in vmbratilibus & typicis illis rebus liberiùs se gerunt: Ea propter perpetua illa à rebus mundanis quiete, per, & propter Christum Seruatorem paulatim iam sese prodente, figuralis Sabbati requiem minoris faciunt. Etenim cùm Sabbato quodam nihil, quo inediam sedarent, ad manum esset, spicas citra scrupulum vellunt, seménque inde excussum, in corporis alimentum vertunt. At illi verò, qui veritatis expertes, typis eiamnum seruiebant, pro vmbris depugnant, illique, qui absolutam in omnes potestatem obtinet, eandémque pro libitu cum alijs communicat, insultant, dicunt enim: *Ecce discipuli tui in Sabbatis faciunt, quod non licet.* Obijciunt hæc autem illi, quia non expendunt, legislatorem sua lege haud teneri: Neque enim quicquam est omnino, quod regi in suis legibus non liceat. Dominus autem nulla insultatione, aut potestatis ostentatione, sed patrum tantùm exemplo vsus, intentatam calumniam, mansueta oratione refellit. Nam etsi illi corporales ritus, résque typicas magni facerent, neutiquam tamen tanti faciebant, vt naturæ necessitati illas anteferrent. Præ cæteris autem in medium adfert Dauidem, qui legis sanctimoniæ aduersatus videri potuit, quando sacerdotalem annonam accepit, acceptámque illis, qui cum ipso erant, in escam distribuit. Facit hoc autem eo consilio Dominus, quò per honorem, & reuerentiã, quam Dauidi deferebant, compescat impudentem sycophãtiam, quam Apostolis malignè intentauerant.

Apostoli corporis necessitatem Sabbato anteponunt.

1. Reg. 21.

In Magno honore & pretio Dauid apud Iudæos.

Numquid legistis, quid fecerit Dauid, &c. Quasi dicat si Prophetam Dauidem à violatæ legis crimine absoluitis, eò quòd non temerè, verùm rerum necessariarũ egestate compulsus, in legem præuaricatus fuerat; cùm is tamen tanquam seruus, legi obnoxius esset: cur discipulis meis succensetis, legémque contra illos vindicare contenditis, quòd panis obsonio destituti, lautioris mensæ loco, seminum apparatum apposuerunt? An non Dauidem legis seruitute obstrictum meministis? Ego autem, etsi Filius hominis dicar, Sabbati nihilominus Dominus sum. Vocat autem Dominus seipsum hominis Filium, quia vt verus homo, inter homines versabatur.

Tantum intercedebat inter Dauidem & Christum quantum inter seruum & Dominum.

1. Reg. 21.

Sub Abiathar principe Sacerdotum. Cùm Regum historia, quod de Dauide hîc exponitur, sub Achimelechi sacerdotio accidisse commemoret, cur Dominus ad Abiatharem Sacerdotum principem factum hoc transfert? Sunt qui Achimelechum binominem extitisse existiment; adeóque hunc eundem esse omnino cum illo. Alij Regum libros Achimelechi tanquam simplicis sacerdotis meminisse respondent; Abiatharem autem, cuius hoc loco Saluator mentionem facit, per idem tempus Pontificem, hoc est, summum Sacerdotem fuisse. Et huic sententiæ satis fauet Scripturæ contextus: Neque enim Achimelechum Pontificem, sed Achimelechum sacerdotẽ, pluré sque alios Dei sacerdotes, Saulis iussu, trucidatos asserit.

Achimelech & Abiathar quorundam sententia vnus & idem.

CAPVT. III.

Cap. 6.

ET introiuit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, &c. Euangelista Lucas cæteris adiungit, docendi gratia in Synagogam venisse: Tum sanitate potitum, dextram manum aridam habuisse. Matthæus autem de miraculo hoc in hunc modum scribit: *Et dixit illis Iesus: Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem vnam, si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue!* Omnia hæc summo consensu probant, humanæ salutis causa, corporale Sabbatum soluere, nefas non esse: Neque enim ex diuinis tãtùm Scripturis Dominus id euincit, sed oppositum statuentes, euidentibus, planéque inuictis rationibus refellit; adeóque miraculum ab omni prorsus crimine, sinistráque suspicione alienum esse ostendit.

Cap. 12.

Licet Sabbatum soluere ob hominis salutem.

Et circumspiciens, &c. Circumspicit Christus Dominus, quò abalienatos vultu ipso, si fieri queat, alliciat; simúlque Sabbatísne curare, animam saluam facere, an perdere liceat, ex Pharisæis interrogat. At illi tacuerunt: intelligebant enim, vtcunque respondereut, se captos, foréque, vt integram omnino sanitatẽ, ægro restitueret. *Surge in medium.* Constituit ægrotum in medium, quò ipso aspectu eos flectat: nempe vt spectaculo hoc fracti, ruboréque, ob sanati hominis præsentiam, perfusi, furere desinant, omnémque malitiam semel ex animo eijciant. *Et dicit eis; licet Sabbatis benefacere?* Marcus & Lucas Dominum ex Pharisæis id sciscitatum scribunt, Matthæus

B autem Pharisæos, liceret ne Sabbato curare, ex illo interrogasse narrat. Vtrumque accidisse verisimile fit. *Dicit homini, extende manum.* Verbo adiungit signum: nam vbi primum homini dixit, *extende manum*, isque extendisset, statim per solam vocem consecutus est sanitatem. Dominus autem per hæc omnia, & rationem pro discipulis reddit, eósque à Pharisæorum calumnia defendit, & vitæ, quod tenebat, institutum, legali multis partibus sublimius esse ostendit. *Exeuntes autem Pharisæi.* Pharisæi ob miraculum, quod meritò venerari, & admirari debebant, malitiæ malitiam adijciunt: vsque adeò liuor & inuidia illorum mentem occæcauerat. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare.* Ne rei; naturę vim adferat, hoc est, ne quid grauius, ante præfinitum tempus,

C ab ijs patiatur, qui de industria vitæ illius insidiabantur; (id quod, si diutius apud illos hæsisset, futurum omnino erat.) Tum rursum quo ea secessione, quantum res ferebat, gratiam illis faciat, hoc est, vt præpediat, ne citiùs, quàm par erat, nefario cædis Christi scelere sese contaminent, vnà cum discipulis alio concedit, éque illorum conspectu tempestiuè sese subducit.

Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum. Cùm Euangelista Marcus, magnam hominum turbã Christum, à Galilæa consecutam dicit, breui compendio multa simul comprehendit: Neque enim ambitiosè, magnóque verborum apparatu & pompa, verba de Christo facere soliti sunt Euangelistæ, singula videlicet, quæ, vel dicta, vel facta fuerant, prolixa narratione exaggerando;

D verùm quò auditorum infirmitati consulant, oppositum sectati, omnia breuiter & concisè narrant. Si enim omnia & singula (quod fieri alioqui nequibat) scripto complecti voluissent, ne ipse quidem mundus, vt Ioannes Theologus loquitur, libros, qui scribendi erant, capere potuisset. Nihilominus quòd illustria Christi opera, in omnibus illis locis latè percrebuissent, ingens vndique mortalium turba, ad illum confluebat: partim quidem vt ea, quæ præclarè ab eo fiebant, coràm viderent, visáque alijs denunciarent: partim verò, vt omnis generis morbis detentos, ipsi offerrent; oblatísque sanitatẽ ab illo impetrarẽt.

Euangelista Christi facta citra vllam exaggerationem, aut verborum amplificationem exponunt.

Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum. Christus Dominus sectantium, certatímque in se irruentium studio oblectatus, ampla mercede laborem illorum pẽsandum

E existimauit: Quarè omnes illorum infirmos integrè & mox sanauit.

Et spiritus immundi procidebant ei: & clamabant, &c. Cur Christus immundis spiritibus: *Tu es Filius Dei*, clamantibus, pronáque adoratione, se Dominum suum agnoscere, testantibus ne se manifestum faciant, imperat? Ne eiusmodi vociferatione Scribarum & Pharisęorum iram magis excitent, eorũdémque inuidiam vehementiùs accendant. Asseruabat enim passionem ad tempus à se definitum.

Et ascendens in montem, vocauit ad se, quos voluit. Christus Dominus non temerè, verùm, vt Lucas scribit, orationis causa in montem ascendit. Plurimùm enim miraculis orationẽ adiungit: non quò per hoc pro-

gressum

Omnium bonorum operũ causa est Deus.

gressum in virtutibus faciat; sed quò nos exemplo hoc excitati, in Dei oratione pernoctare discamus, ipsúmque bonorum operum, quæ facimus, causam, vt effectorem, & adiutorem statuamus: adeóque ihuiusmodi donorum largitorem, debitis hymnis & laudibus efferamus.

Sacra ordinationi preces præmittenda.

Inter alia quoque, Ecclesiæ duces & pastores admonere per hoc voluit, vti priùs in oratione pernoctent, quàm illis manus imponant, quos ad sacrorum ministerium consecrare deliberatum habent; ne fortè eiusmodi promotio frustra cadat. Ille enim qui omnium corda, vt Deus, explorata habebat, omniaque, quæ futura erant, accuratè tenebat non absque iudicio Apostolorum delectum habuit. Etsi interim, quò palam fieret, non ipsam hominum naturam in causa esse, vt alij seruétur, alij pe[r]eant, sed liberam vniuscuiusque volútatem, Iudam Ischariotam, sciens voléńsque in Apostolum asciuerit. Vnusquilibet namque se ipsum vita, vel interitu dignum declarat. Nam quòd Dominus Iesus Iudam traditorem fore non ignorauerit, id Euangelia passim commonstrant.

Non natura, sed voluntas praua perditionis causa.

Cùm ergo dies factus esset, vt Lucas narrat, aduocauit, quos voluit, duodecimque ex toto numero (aderát enim plures) selegit, illósque Apostolos nominauit. Selegit autem ad operis, quod tum præ manibus erat præparationem; & ad muneris rursum, quod suo postea tépore obituri erant, procurationem. Delectis porrò morbos curandi, dæmonésque pellendi virtutem, & potestatem impertiuit.

Et imposuit Simoni nomen Petrus. Ne quis cain, aut temerè Apostolos electos putet, Euangelista singulorum nomina ordine recenset. Dicit autem Simoni imposuisse nomen Petri, quò nimirum nomen rem ipsam anticipet. Quia enim Christus Dominus supra Petram, hoc est, supra infractam, sanámque Petri doctrinam inconcussámque eiusdem fidem, Ecclesiam suam ædificaturus erat, ob id Prophetico spiritu Petrum illum appellat: Filios autem Zebedæi; Iacobum nimirum & Ioannem, Boanerges, hoc est, filios tonitrui vocat: Siquidem diuina illorum prædicatio magnum quendam & illustrem sonitum, per terrarum orbem datura erat. Nominauit ordine deinde cæteros.

Ecclesia supra Petri fidem & doctrinam fundata.

Cur Ioannes & Iacobus Boanerges appellati.

Et venit ad domum. Duodecim Apostolorum electione facta, mox in domum se recepit; Sed neque hic quoque requiem inuenit; sequitur enim: *Et conuenit iterum turba, ita vt non possent, neque panem manducare. Cum autem audissent sui, exierunt tenere eum: Dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Vnde isti venerint, vel vnde Christum furere audiuerint, disertè non exponitur: Probabile fit autem, malum hoc à Scribis & Pharisæis, qui ab Hierosolymis venerant, ortum fuisse: Illi enim cùm admirabilia illius facta audiuissent, turbásque ingentes vndique circumfusas vidissent, inuidia simul & ira perciti, & quasi in væsaniam acti, illum furere dixerunt: atque ita, vt eum tenerent, iuerunt, alijsque, vt idem facerent, auctores fuere. Arbitrabantur enim id illum pati; quod ipsi reuera patiebãtur. Furia enim aperta, & pudenda mentis væsania erat, tantarum rerum opificem, tantúmque animarum curatorem, cœlestísque doctrinæ magistrum, in furorem versum existimare. Quare statim de quibusdam, disertis verbis hæc subdit: *Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant dicebant, quoniam Beelzebub habet.* Quandoquidem ijs, quæ facta fuerant, gloriosèque subinde ab eo fiebant, contradicere omnino non poterant, alia rursum via illius opera in calumniam rapere conantur: blasphemant enim in Beelzebub dæmoniorum principe dæmonia eijcere. Quamobrẽ turbæ multò in Christum æquiores, multòque in illum benigniores erant, quàm Iudæorum proceres. Horum enim mentis iudicium impediebat ambitio, vanæque gloriæ cupido; illorum verò quædam tantùm animi hebetudo, mentísque caligo. Hac autem semel discussa, qui antè cæcutiebat, facili negotio ad veritatis lucem,

Pharisæi in Christo imponunt quod ipsi patiebantur.

Turba æquiores in Christum, quàm Scribæ & Pharisæi.

Facilius sanatur inscitia quàm inuidia aut malitia.

verámque Dei cognitionem adducitur. Porrò Legisdoctores non ex inscitia, sed de industria calumniabantur, rémque à diuinis legibus alienissimam, Christo tribuere non verebantur; Puta dæmonum opera dæmones ab hominum corporibus profligare. *Quomodo potest Sathanas Sathanam eijcere?* Dominus ab ipsa rerũ natura, quod illi dicebant, fieri non posse, validissimè probat: Siquidem omne omnino regnum, intestinis tumultibus & seditionibus inter se dissectum, non potest paulatim non infirmari, penitúsque tandem dilabi. Hoc ipsum etiam in familijs, & ciuitatibus, & quibuscunque alijs communitatibus contingere videmus. Eapropter si Sathanæ regnũ inter se diuisum est, vt reuera diuisum est, si Sathanas Sathanam ex homine pellit; interitui vicinum fit necessum est. Quandoquidem imperium, quod dæmones obtinent, in homines potissimùm obtinent. Si hoc autem sibi mutuò adimunt, nihil aliud dici potest, quàm regnum illorum dissolutum iam esse. Quòd si verò diaboli regnum adhuc subsistit, isque rerum humanarum etiamnum potitur; manifestum fit, regnum illius nec dum è medio sublatum esse: atque ideo Sathanam diabolum non expellere. *Nemo potest vasa fortis, &c.* Quandoquidem homines propter peccata, dæmonum vasa euaserant, inque potestatem illorum deuenerant, fieri non potuit, vt dæmones suo illo peculio priùs orbarentur, quàm bello fusi, in vincula peterentur; ne ampliùs videlicet sese erigere, nouáque in posterum bella, ne adempta sibi possessione ciere possent. Hæc autem dæmonum fusio, & in vincula petitio, à dæmonibus nũquam est facta: Sed neque fieri quoque potuit vt ipsi ea potestate, quam in homines exercebát, se mutuò quandoque spoliarẽt. *Qui blasphemauerit in Spiritum sanctũ, non habebit remissionem.* Blasphemiã in Deum (quem Spiritus sancti nomine designat: siquidem vt Spiritus sancti virtus est regnum Dei; ita cõuitium in Spiritum sanctum, est blasphemia in Deum) venia indignam pronũciat. Cæterùm ob id peccatum hoc venia indignum perhibetur, quia ex se veniæ causam non adfert: At verò blasphemiam in Filium, cum altera illa collatam, venia dignam affirmat. Nam etsi hic reipsa Deus esset, vulgò tamẽ tenuis sortis, obscurique generis homo habebatur. At grauius censetur peccatum, quod committitur in Deum, quàm quod in hominem. *Non habebit remissionem in æternum,* Apud Matthæum legitur: *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro,* hoc est, neque suppliciũ in hoc sæculo in blasphemos constitutum euadet, neque illud etiam, quod in futuro. Quandoquidem lex morte eum mulctari iubebat, qui in Deum blasphemus extiterat. Cui legis decreto Dominus sese conformans, eiusmodi peccatum neutrobique remissum iri comminatur.

Cur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur, in Filiũ autem non item.

Quo sensu blasphemia in Deum in neutro sæculo condonetur.

Reticetur hic autem ea condonatio, quæ fit per Baptismum: siquidem per id tempus, nec dum opportunũ erat, ea de re apud Iudæos verba facere. Nam absolutio isthæc medium quodammodo obtinet, inter iudicium, quod exercetur in hoc sæculo, & condemnationẽ, quæ in futuro: Quandoquidem omnis omnino baptizatus, huic sæculo certa quadam ratione moritur; adeóque à legis onere, & condemnatione absoluitur; notum est enim illud Pauli: *Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet?* Interim examen, quod inter hanc & illam vitam intercedit, baptizatus non euadit.

Rom. 8.

Itaque miracula, dæmonúmque expulsionem, quæ solius Spiritus sancti opera sunt, Sathanæ attribuere, nefarium, citra vllam controuersiam, manifestúmque blasphemiæ crimen est: & illud quidem eiusmodi, vt nullum ex se veniæ locum reliquũ faciat. Hæc autem cum de blasphemiæ peccato Seruator noster differit; neque conuitium in Filium absolutè remissibile; neque blasphemiam rursus in Spiritum sanctum simpliciter irremissibilem definire vult: Quasi nullus prorsus eiusmodi blasphemis hominibus (dummodo ad sanam mẽtem redire in animum induxerint) pœnitentiæ locus re-

Peccatum in Spiritum sanctum non est absolutè irremissibile.

lictus sit; verùm comparatione quadam inter hanc & illam contumeliam facta, indicat eam, quæ cadit in Filium, tanquam quæ in hominem proximè ferri videatur, multò minorem censeri illa, quæ temerario nefarioque ausu effunditur in Spiritum sanctum. *Quæ est mater mea, & fratres mei? &c.* Insinuat hoc loco, omnibus cognatis, fidei domesticos se anteferre. At isthæc interim non depromit, quòd matrem vlla prorsus ratione aspernetur, aut fratres contemnat: absit hoc; verùm quò planum faciat, familiarem animæ, cum Deo coniunctionem, quauis carnis cognatione potiorem se ducere. Propter hanc enim genere quoque propinquos amabat; & huc illos adducere contendebat. Cùm is ergo, qui differentem interpellabat, familiarium præsentiam, causam idoneam apprimèque efficacem, cur mox illis qui eum conuentum cupiebat, sese sisteret, existimaret; ad illorum, qui concioni præsto aderant, instructionem, opus videbatur, vt eiusmodi quippiam respóderet. Sed & alia quoque datæ respósionis ratio reddi potest: Nam vt ex Ioanne discimus, fratres illius necdum in illum credebant. Quare etiam, vt paulò antè ex Marco audiuimus, conati sunt illum aliquando comprehendere, vinculisque, tanquam mente captum, & furiosum, constringere. Quia ergo nonnulli saltem ex illis, eius mentis, eiusque animi erant; mirum videri non debet, si Dominus non magnam aliquam illorum, tanquam cognatorum rationem habendam putaret. Colligimus hinc quoque, nos Christo secundùm Spiritum cognatione iunctos esse.

Maioris apud Deum fit Spiritus quã carnis cognatio.

Ioan. 7.

CAPVT IIII.

ET iterum cœpit docere ad mare, &c. Sedet iuxta mare, mediàque in turba constitutus, scholam aperit. Et neque hac adhuc ratione ob multitudinis frequentiam, spacium satis capax inuenit. Quare consilium ex præsenti necessitate capiens, nauim conscendit, eósque, qui in littore consistebant, è naui erudit. Docet autem more suo ex naui, & non proximè ex mari, cùm id alioqui potuisset, ne ob rei stuporem & insolentiam, auditorum attentionem impediat, magisque admirabilium operum effectorem, quàm doctorem se probet. Quandoquidem signum citra necessitatem, peculiaremque hominum vtilitatem editum, haud aliud ferè, quàm superuacaneã inutilémque ostentationem habet. Quia ergo multò iam antè signa fecerat, salutaria rursum doctrinæ semina proseminat: sedénsque in naui, eos per verbi rete piscatur, qui in terra assistebant. *Et omnis turba circa mare super terram erat.* Haud temerè Euangelista hoc posuit: Indicat enim ita appositè, accuratéque theatrum instituisse, vt nulli omnino dorsum obuerteret; verùm omnes ex aduerso positos haberet. Sedens proinde ibi per parabolas loquebatur. Cæterùm parabolæ, quas ordine hîc iam subiungit, aliud fermè nihil esse videntur, quàm quædam earum rerum adumbrationes, & quasi delineationes, quas circa verbi ministerium euenturas, iam tum præuidebat. Orditur autem à prædicationis fructu & incremento, illorúmque, qui fide destituti, aliorum more, aures cœlesti doctrinæ non accommodant, peruersitate. *Exijt seminans ad seminandum.* Quò auditorem attentiorem reddat, præsentem hanc parabolam instar procemij in acie collocat. Docet autem per ænigmata, & parabolas: primò quidem propter Scribas & Pharisæos, qui multitudini admixti erát. Mox verò, quò sermonem illustriorem, apertiorémque reddat: postremò autem, quò res per parabolas & similitudines sensibus quodammodo subijciens, cognitu obseruatúque necessaria, auditorum memoriæ altiùs imprimat. Hanc consuetudinem ipsos quoque Prophetas obseruasse comperimus: Igitur os suum, iuxta Psalmistæ vocem, in parabolis aperiens, ita exorditur: *Exijt seminans, ad seminandum.* Vnde exijt, qui vbique præsto est? qui latè implet omnia? Exiuit non loco, sed certa quadam habitudine, & modo quoad nos: Nobis enim per, & propter assumptam carnem vicinior factus est. Quia enim peccatis viam obstruentibus, aditumque intercludentibus, ad illum venire non poteramus, ipse ad nos venit. Exiuit ergo ad seminandam pietatis doctrinam: per semen namque doctrinam; per terram autem vel agrum, hominum mentes hoc loco designat. *Et aliud cecidit iuxta viam.* Non dicit, qui sementem faciebat semen iuxta viam sparsisse; sed semen ipsum iuxta viam cecidisse. Aliud verò cecidit super petrosam: aliud autem inter spinas; aliud tandem in terram bonam. Atque ita ex toto semine, quarta duntaxat pars seruatur. Sed neque hoc quoque fructum ex æquo fundit, sed magno cum discrimine.

Signa non ostentationis, sed publicæ vtilitatis causa edi debent

Plures causæ, cur Dominus per parabolas & similitudines doceret.

Psal. 77.

Dominus assumpta carne ad nos venit, quia nos ad illum venire nequibamus.

Ex toto diuini verbi semine quarta tãtum pars seruatur nec illa adhuc ex æquo fructificat.

Hæc ea autem de causa proponuntur, vt [nunc] intelligamus, Christum Dominum copiosè, & candidè, citra vllam prorsus personarum acceptionem, diuinum illud verbi semen spargere, omnibúsque proponere: Vt enim illi, qui agrum seminant, inter hanc & illam agri partem non secernunt, sed simpliciter & indiscriminatim semen deijciunt; ita Seruator noster, quod suarũ erat partium, omnibus promiscuè cœlestis verbi pabulum offerebat: esto, quod de multis futurum erat, non ignoraret. Denique ita hîc se gessit, vt meritò dicere potuerit: Quid debui facere & non feci? Cæterùm Prophetæ de Iudaici populi cœtu, perinde quondam verba faciebant, atque de quadam vinea: Christus verò Ecclesiæ corpus sementi comparat. Indicat per hoc autem, obedientiam nunc multò expeditiorem, multóque faciliorem omnibus propositam, quàm olim: rursum fructum nunc multo vberiorem, multóque tempestiuiorem prouenire, quàm priscæ legis tempore. Cùm autem audis hîc: exijt, qui seminat ad seminandum, ne ταυτολογίαν, ineptámve eiusdem repetitionem committi existimes: Siquidem sator non semper ad seminandum egreditur; sed interdum quoque propter alia quædam negocia, puta, vt vel rus innouet, aut malignas herbas extirpet, aut aliud quippiam istiusmodi faciat: hoc autem loco seminator ad serendum egressus dicitur.

Christus promiscuè omnibus cœlestis verbi pabulum offerebat.

At vnde prouenit, inquis, vt maior seminum pars intererit? Interitus huius causa non extitit penes seminantem; sed penes terram, quæ semen exceperat, hoc est, penes audientium animas: tametsi Dominus, ne auditores vehementiùs perstringat; aut ne quem forsan in desperationem conijciat, disertè id non asserat; verùm vniuscuiusque audientis conscientiæ dijudicandum relinquat.

Per hanc tandem Parabolam, Christus Dominus discipulos præmunit, mysticéque iniungit, & instruit, ne animo consternantur, si plures interdum ex ijs, qui Euangelij doctrinam exceperant, perire, quàm ad salutis portum appellere intelligant. Nam hæc sementis sterilitas ipsi quoque Domino vsu venerat. Et quamuis is eam seminis iacturam futuram, exploratè nosset, (prout nihil non ille compertum habet) adhuc tamen serere non dubitabat.

Et quidam Agricola iure incusaretur, si temerè vbiuis semen dispergeret: at Doctor verò, si hoc fecerit, laudem promeretur. Agricola, inquam, non iniuria reprehenderetur, si citra vllum soli delectum, semen deijceret: quia is petrosam, vt neque protritam, neque spinosam quoque, non ignorat, neque, vt velit, sterilem & infructuosam terram, in pinguem & vberem mutare valet. Verùm in spiritali & mystica semente res longè aliter habet: potest enim tellus saxea, in pinguem glebam transmutari: Sic rursum anima, quæ antè instar viæ publicæ, ab omnis generis vitijs & flagitijs calcabatur, & proterebatur, ab ea quorumlibet transeuntium conculcatione liberari potest; liberatáque in fructuosum solum verti. Sic tandem mysticas spinas nonnunquam absumi, penitúsque aboleri contingit; ita vt semina intra

na intra illas iacta, ab omni oppressione vindicata, magna fruantur pace. Denique si id, quod modò dictom A est, fas non foret, Dominus vtique ad eum modum semen non sparsisset.

Tu autem ex his omnibus collige, non vnam, aut simplicem perditionis viam esse, sed multiplicem. Viæ inter cæteros, assimulantur ignaui, & negligentes. Petræ, homines vsque adeò supini, vt doctrinam exceptam, etiam si nemo prorsus tentet, aut insultet, omnino marcessere sinant; nedum si quandò cum grauioribus tentationibus luctentur. Spinis demum, qui horum omniũ ignauiam, peruersitatem, & ingratitudinem procul à terra relinquant.

Postremo autem loco, ne animum penitus despondeamus, verùm in certam pœnitentiæ spem nos erigamus, triplici sterili solo subiungit terram bonam, & fru- B ctuosam. Perpende hîc autem, cùm vnus sit colonus, eadémque semina, quanta, præter naturam, seminantisque sententiam, in fructu & terra contingat differentia. Perpende a què, quanta agricolæ huius sit clementia, quanta benignitas, quanta liberalitas. Nam & primi ordinis homines admittit, & secundi non repellit, & postremis locum concedit.

Et dicebat illis in doctrina sua. Per hæc Euangelista indicat, Christum Saluatorem suam, non alienam doctrinam proposuisse. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Quæ dicit huc tendunt: Quandoquidem vos idonei estis, qui ea omnia discatis, quæ ad prædicationis munus conferunt, discetis illa etiam, quæ ad harum similitudinum sensum & intellectum faciunt. Apud hos autem C obscurè, & per ænigmata disscro, & doceo: siquidem propter innatam improbitatem, qui planè & apertè instituantur, indigni sunt. Cùm enim legi, quam acceperunt, auditum non accommodent; neque iussis illius obtemperent, æquius censeo, vtriusque legis lucem illis adimere, quàm nouæ legis doctrinam eisdem impartire. In noua enim lege vetus inclusa tenetur. Quare vbi noua non est, ibi vetus quoque locum habere non potest.

Lex noua veterem includit.

Obseqnentium itaque discipulorum exemplo, cæteros, propter obstinatum repugnandi studium, indignos ostendit, quibus Euangelica doctrina dilucidè tradatur. Cæterùm quòd Dominus vniuersè non taceat, neque tamen perspicuè quoque doceat; sed tantùm per parabolas, hoc inter cætera indicat, qui ad bonum palã pro- D positum, tametsi illud per se aliquod sui iudicium facere soleat, propinquè non accedunt, eos sensum illius clarè non percipere: sed tantùm obscurè & imperfectè. Quemadmodum etiam corpora & corporata omnia, quæ de longinquo spectantur, plenè non comprehenduntur. *Vt videntes videant, & non videant.* Iudæorum malitiam multò antè prædictam, præuisamque voce prophetica demonstrat. *Vt videntes non videant, &c.* Videndi facultas aderat illis, ex illius, & per illius gratiam, quàm coram cernebant. Quòd autem nihil videbant, hoc inde oriebatur, quòd oculos suos ad obiectam lucem, studio clauserant, seséque nihil videre malignè confingerent. Sic quoque quòd non audirent, ex eo prouenicbat, quòd illa, quæ dicebantur, intelligere non E vellent, sed publicè contemptui ducerent. Atque ita continget illis, vt nunquam à peccatis absoluantur; verùm saluti suæ de industria semper aduersentur.

Esa. 6.

Videndi facultas est à Deo.

Nunquid venit lucerna, vt sub modio ponatur? Qui id, quod de lucerna hîc dicitur, absolutissimis Iesu Christi discipulis tribuere vellet, is per ea haud difficulter id persuadere posset, quæ de Ioanne prodita extant; *Erat enim ille lucerna ardens & lucens.* Quin in singulos quoque homines sententia hæc transferri queat; Scriptum est namque: *lucerna corporis tui est oculus tuus.* Et alio rursum loco: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ad omnes itaque Christi discipulos lucernæ symbolum haud incommodè accommodari valet.

Ioan. 5.

Matth. 6.

Luc. 1.

Luc. 12.

Indecurrentis proinde vitæ huius studio (ad hãc enim, quod de lychno hîc docetur, præcipuè spectat) rationis lucem in anima accensam, nemo abdat; verùm, vt omnibus luceat, super candelabrum illam efferat. In cuius rei argomentum Moyses in tabernaculo testimonij lucernam perpetuò ardere voluit. Nemo, inquam, mysticam hanc lucernam, hoc est, cœlestem doctrinam sub modio ponat; verùm vt omnes, qui in domo Ecclesiæ sunt, radios illius tanquam super candelabrum iam elatæ, videre queant, in apertum proferat.

Exod. 27.

Sed neque sub lectu quoque, vbi quies ociosè capitur, viri prudentes, neque sub alio quocunque vase lucernam ponere soliti sunt. Nam qui illud facerent, ij illorum commodo, qui in domum ingrediuntur, non satis consulerent: Siquidem lucernam, quàm in aperto proponere debuerant, in aperto non proponerent. At verò, qui lychnum accendunt, accensumque super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, constituunt; illi eos, qui intra domum versantur, accenséque lucernæ splendorem conspicantur, vt suas ipsi quoque lucernas aliquando accendant, ac supra candelabrum efferant, inflammant & excitant.

Porrò autem præcipuus orationis huius scopus eiusmodi est: Ego, clamat Christus, cœleste lumen accendi; vt illud autem foueatur, nec non in concepto semel ardore conseruetur, hoc vestri sit muneris & studij; idque non propter vos tantùm, verumetiam propter alios, qui radijs illius in posterum illustrahũtur, & ad veritatis lucem adducentur. Nam si vos vestram vitam accuratè instirueritis, nulla calumnia, nullæ falsæ criminationes lucernam vestram obscurare poterunt. *Non est aliquid absconditum, quod non manifestetur.* Vbi nunc sunt, qui Christi virtutem eleuant, fidemq; eidem habere recusant? Audiant hæc, & oraculi vim admirati, Domini virtutẽ adorent. Nam, vt hoc fiat, auditorum attentionem excitat: subdit enim: *Si quis habet aures audiendi audiat.* Perpende quanta sint, quæ hoc loco spondet. Etenim ijs, qui antè, ne in sua quidem patria satis cogniti erant, fore promittit, vt terra, marique, atque adeo ad orbis terrarum fines vsque noti celebresque euadant, idque non fama tantùm, sed benefactorum quoque virtute. *Videte quid audiatis.* Attendite, inquit, & prudentes estote. Quantam enim huc attuleritis obedientiam, tantam haurietis & notitiam: Quantam animi promptitudinem, tantam & sapientiam. Qua mensura, siue bonum, siue malum mẽsi fueritis, ea vobis remetietur. *Sic est regnum Dei.* Per regnum Dei fides in Christum, Verbique in carnem aduentus designatur. Notum est enim illud Seruatoris, quod ad Apostolos aliquando dixit: *Regnum Dei intra vos est.* Item: *Appropinquauit regnum cælorum.* Hoc igitur Dei regnum assimulatum est homini, semen in terram spargenti, Homo enim est, & quis cognoscet eum? Etenim cùm Dei Filius & Deus, ante omnia secula esset, citra vllam sui mutationem, nostri causa homo factus, terram conseuit, mundumque vniuersum diuinæ cognitionis luce illustrauit. Postea verò perinde atque si aliquo dormitum concessisset, ad cœlos abijt, vel, vt alibi ait, peregrè profectus est; animo interim benigno & patienti, vt illi, qui semen illud cœleste salutaremque doctrinam exceperant, & quotidie adhuc excipiunt, fructum opportunum ferrent, expectans. *Et dormiat, & exurgat nocte & die.* Surgit autem seminator hîc nocte & die, iuxta illud: *Exurge, quare obdormis Domine: Exurge, & ne repellas in finem.* Exurge ergo, tuæque prouidentiæ rationibus, vt fructum feramus, effice.

Quid sit regnum Dei.

Luc. 17.

Matth. 3.

Psalm. 43.

Nocte & die. Per diem fausta fortunatáque iustitiæ arma, per noctem persecutio & disciplinę seueritas adumbrantur. Per hæc enim, impedimento sublato, iactum semen germinat, & crescit.

Quid per diẽ & noctem mysticè designetur.

Dum nescit ille. Quorsum hæc? Liberæ doctrinæ semen suscipientium voluntati, vt, si velint, operentur, permittit. Ipse namq; non omnia per se efficit, ne bonum nobis quasi inuitis obueniat, sed nostram quoque syner-

Dans exigit liberam hominum synergiam.

giam efflagitat. Quare statim quoque subdit: *Vltro enim terra fructificat*. Neq; enim liberũ hominis arbitrium necessitate, aut vi, aut astrorum circumuectione, aut fortuna, aut fato cogitur, vt stolidè quidam nugantur, sed liberè ad hoc vel illud fertur. *Vltro enim terra fructificat, primum herbam, &c.* Profert autem terra nostra primo quidem herbam, quæ naturæ ductu sensim adolescens, progressúmque faciens, tandem ad perfectionis culmen adducitur. Nam qui cœlestis doctrinæ semen recens susceperunt, ij veluti infantes lacte potantur, & tanquã infirmi oleribus, agrestiore alimẽto, pane videlicet hordeaceo nutriuntur. Quod si quando ceciderint, casum illorum fœnum excipit.

Hominis voluntas est libera, neque vi vlla, aut necessitate, ad hoc vel illud compelli potest.

Deinde fert spicam, Quæ ad Domini altare offertur. Spicis porrò primitiis in manipulis collectis, fit quod scriptum est, nempe: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos suos.*

Psal. 125.

Deinde plenum frumentum. Tandem cùm semen in terram deiectum, dederit nunc fructum suum, regionésque ad messem iam incanuerint, tum demum bonus ille agricola, quò frumenta in horrea conuehantur, mittit falcem suam, & metit. Neque enim satis est ad salutem, vt viridis fœni more, per obedientiam floreamus; sed quadam præterea mascula animi fortitudine, qua ventorum flatibus, hoc est, tentationibus circumamicti, erecti culmi instar consistamus, opus est. Tum etiã vt veluti vberes aristæ, fructuum, hoc est, virtutum granis turgeamus, metentísque manum impleamus. *Cùm ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* Messis est tempus consummationis, falx Dei verbum, omni gladio ancipiti penetrabilius. Cæterùm falx hoc loco non denotat supplicium, aut maledictionem, vt alicubi apud Prophetas: neque enim ea de causa falx hîc in messoris manu ponitur, quò perdat, verùm ne quid de frumento pereat. At verò in parabola de zizaneis, Filius hominis mittit Angelos suos, vt colligant de regno eius omnia scandala, & eos, qui fecerant iniquitatem, vt mittant eos in caminum ignis. Hæc præsens igitur parabola de solis iustis agit: Prima autem quatuor hominum ordines ponit: è quibus tres diuerso modo noxa constricti, pereunt: vnus seruatur, quamuis hoc ipsum quoque pro fidei & operum diuersitate variè. Assignatur enim istic triplex iustorum hominum discrimen. Hic autem triplex illa differentia in vnam classem redigitur. Omnes enim ferunt frumentum, etsi non æquè multum omnes.

Salutem adepturo opus est obedientia & animi fortitudine.

Matth. 13.

Sine Parabola non loquebatur: seorsum autem discipulis edisserebat omnia. Excellentis Doctoris munus est, pro auditorum qualitate disserere; cauerèque, ne margaritas inconsultatè ante porcos abijciat, aut ne propter accuratiorem mysteriorum explicationem, res illustres in contemptum adducat. Seorsum proinde parabolam de semine & zizaneis discipulis edisserit: Reliquas inexplicatas relinquit; Siquidem interrogati ab illo, intellexeritne hæc omnia? responderunt, vtique Domine. Dominus namque prudentiam ab auditoribus exigit; nam quod intelligitur, hoc fert fructum: quod autem non capitur, hoc, vt alibi exponitur, citra vtilitatem absipitur.

Quod excellentis Doctoris munus quoque eiusdem partes.

Et ait illis in illo die, cum sero esset factum, transeamus contra, &c. Marcus temporum, rerumque gestarum serie prætermissa, ita scribit. Simile quid Lucas quoque obseruauit. At verò Matthæus rerum ordinem, & successionem accuratè hîc prosequitur. Hoc ideo dixerim, ne quis forsan quorundam prætermissionem, discrepantiam interpretetur: neque enim omnes omnia eodem modo & ordine narrant Euangelistæ. Turbis igitur missis, aut veriùs præmissis solos discipulos secum assumit. Assumit autem non frustra, aut temerè: verùm quò miraculi, quod patraturus erat, spectatores illos habeat. Ne autem ob id sese efferant, quòd cæteris missis, soli ipsi assumpti fuerant, Dominus graui tempestate illos iactari sinit. Quamuis per hoc quoque illorum in tentatione constantiam, animíque fortitudinem explorare A voluerit. Matthæus ergo Christum simpliciter dormiuisse scribit; Marcus autem quoquo modo somnum ceperit, exponit; ait enim: *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens.* Summam per hoc illius modestiam & submissionem indicans, plurimamque hac re philosophiã nobis tradens. Sæuiori itaque tempestate mota, exuscitant illum, dicentes: *Magister non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari; Tace, & obmutesce.* Monet autem per hoc discipulos, fidendum esse, etiamsi magni interdum fluctus insurgant: Tum cuncta, quæ euenerant, permissáque fuerant, ad illorum salutem & vtilitatem euenisse, & permissa esse: Siquidem magna illa animi consternatio effecit, vt miraculum maius appareret, eiusdémque memoria Apostolorum pectoribus diutius inhæreret. Propter hoc etiam B somnum capit; si enim ipso vigilante ea tempestas accidisset, non ita expauissent, neque opem illius tam ardenter implorassent neque fortassis aliquid istiusmodi illum præstare posse, existimassent. Vt igitur iustam illorum formidini moram indulgeat, exactioremque eorum, quæ fiebant, sensum in illis efficiat, securè dormit.

Cur Dominus Apostolos tempestate iactari passus fuerit.

Cùm ergo (quod cæteros omnes beneficio aliquo affectos, se verò nullo adhuc potitos cernerent) supini quodammodo, socordésque euasissent, oportuit, vt ipsi quoq; beneficiorum illius commoda tandem aliquãdo sentirent. Permisit itaque tempestatem exoriri, quò per periculi euasionem, accuratiorem beneficij sensum haurirent. At cur, inquis, alijs præsentibus non sinit eos C iactari? ne infirma illorum fides cæteris patefieret; ipséque seorsum illos commodiùs instruere & corrigere posset: neque enim ipsi quoque conuenientem satis de illo opinionem habebant. Nam etsi scirent & crederẽt, à somno excitatũ maris æstum compescere posse: dormientem tamen id posse, nunquam putabant. Quare etiam Dominus illorum infirmitatem & imperitiam frequenter reprehendit, vt cum dicit: *Adhuc vos sine intellectu estis?*

Apostoli fide infirmantur.

Matth. 15.

Et timuerunt timore magno. Cum Apostoli tanta adhuc inscitia & imbecillitate tenerentur, nemo miretur, si turbæ non magni quippiam de Christo imaginabantur. Cõterriti ergo & obstupefacti, dicebant ad alterutrum: *Quis putas est iste? quia & ventus, & mare obediunt ei?* Chri- D stus Dominus non reprehendit, quòd se hominem vocent, quodque pro homine tantùm habeant; verùm sustinet, dum per miracula falsum esse discant, quod animo de ipso conceperant.

At vnde hominem illum esse colligebant? Ab ipsa facie, & corporis constitutione, à somno, à nauis vsu. Propter hæc enim, aliáque id genus similia, in quandam hæsitationem, animique perplexitatem venerant. Dicebant enim, qualis est iste? Siquidem somnus, & id totum, quod in oculos incurrebat, hominem esse ostendebat: At verò mare, & tranquillitas solo illius imperio repente facta, Deum esse clamabant. Sola namque iussione omnem mox commotionem sedauit. Neque enim Echineidem, aut Moysis virgam adhibuit; E verùm vt Dominus ancillæ, aut opifex creaturæ solet, ita mari & vento absolutè imperauit. Ast vbi è mari egressus est, aliud rursum miraculum, & quidem proximo multò admirabilius consecutum est.

Apostoli dubij, quod de Christo statuant.

CAPVT V.

ET venerunt trans fretum maris, in regionem *Gerasenorum.* Emendatiora exemplaria, neque Gadarenorum, neque Gerasenorum legunt, sed Gergesenorum. Est autem Gadara ciuitas Iudeæ, propter salubres vicinasque thermas haud ignobilis. Huius promõtorio adiacet lacus, quem incolæ mare appellant. Gerasa porrò est oppidum Arabiæ, nullum, neque mare, neque

Gadara, Gerasa, & Gergesa loca diuersa.

que lacum vicinum habens. Sed neque probabile fit, quoque Euangelistas, qui rerum locorúmque Iudææ A ignari non erant, commisisse errorem vsque adeò manifestarium; quique tanta facilitate à quouis mediocriter perito, deprehendi poterat. Gersesa proinde est locus, à quo Gergesenorum ciuitas denominatur; vetus quidem illa, non procul ab ea sita, quæ nunc Tyberias appellatur. Circa quam extat rupes præcelsa, latéque sese ostentans, ex qua porci dæmonibus acti, in mare sese præcipites dedisse feruntur. Interpretatur autem Gergesa eiectorum vicinia: Ab euentu hoc fortassis nomínis sortita, quòd nimirum loci illius homines Christum Seruatorem, si non vi, certè precario inde expulerint: siquidem rogabant illum, vt à finibus ipsorum decederet. Vel certè quòd mali dæmones porcos inde in mare deturbarint. Meminit huius rei Origenes Tomo sexto B explanationum in Ioannem.

Quid Gergesa latinè sonet.

Statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Marcus & Lucas vnius tantùm, qui à Dæmone vexabatur, mentionem faciunt; Matthæus autem duorum. At hæc non pugnant, pugnarent tamen, si quidem Marcus & Lucas vnum dumtaxat extitisse scriberent; Matthæus autem duos. Sed cùm duo hi Euangelistæ de vno tantùm disserant, Matthæus verò de duobus, nulla hinc exurgit repugnantia, sed narratio tantùm diuersa. Verisimile fit autem, Marcum & Lucam sæuiorem ex duobus selegisse, déque eo solo, quæ apud illos extant, in medium attulisse. Quarè etiam calamitatem illius accuratiùs exponunt, quàm Matthæus. Scribunt namque vinculis, catenísque disruptis per loca deserta diuagari C consuetum habuisse; Marcus addit lapidibus seipsum concidisse. Potuit nihilominus fieri, vt vterque æque sæuus & indomitus fuerit; neque tamen vtriusque sed alterius tantum mentionem faciendam duxerint. Nam ad ostendendam illius virtutem, qui miraculum patrarat, nihil omnino referebat, vnius ne, an duorum, vel etiam plurium mentionem facerent. Qui enim vnum vsque adeò insanum, & immanem sanarat, & duos, & plures quoque similiter affectos curare poterat. *Et semper die ac nocte in monumentis, & montibus erat.* Quorsum dæmones in sepulchris versantur? Quò rudi plebi execrandum planéque impium dogma persuadeant: nempe demortuorum animas in dæmones transformari: quæ opinio procul absit, à cuiusuis hominis mente & D cogitatione.

Cur dæmones in monumentis versentur.

Quid mihi, & tibi Iesu Fili Dei? Quandoquidem Apostoli in naui Christum hominem esse confessi fuerant prodeunt nunc in medium dæmones, qui illius diuinitatem apertè promulgent. Eapropter qui mare fluctuás, rursúmque conquiescens non audierant, illi iam dæmones magna id voce clamantes audiunt, quod mare per subitam tranquillitatem iam ante clamarat. *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Ne adulandi studia: *Iesu Fili Dei, &c.* clamitare videantur, rerum experientia, hoc est, pœnarum sensu compulsi, venisti huc ante tempus torquere nos, vociferantur. Nam ne illorum supplicatio de fraude suspecta haberi queat, verbis modo allegatis inimicitiam inter se intercedere, manifestè testantur. E Neque enim igni, qui sub sensum non cadebat, Christique præsentia dirè tantùm incendebantur & torquebantur, verùm etiam impendentium malorum metu. Arbitrabantur enim vltimum supplicium iam tum adesse; adeóque ad inferorum cruciatus è uestigio sese abreptum iri.

Cautè lege; nam ignum infernꝭ corporeus & sensibilis est, & oppositum asserere vel error est in fide, vel errori proximum. Vide Dominicum Soto in 4. dist. 50. quæst. 1. art. 2. Sixtum lib. 2. Biblioth. annot. 145. & 219. Domi-

Metu itaque consternati, rogant, pérque omnia sacra obtestantur, ne ante tempus, ad penarum locum amādentur. Nam cùm Dominus in nefario planéque iniquo opere ipsos occupatos deprehendisset, verebantur ne propter scelerum, quæ designauerant, immanitatē, communi punitionis tempore non expectato, statim ad abyssum ablegarentur. Ne id ergo fiat, orant, & obsecrant. Et sic qui antè ferreis vinculis detineri nequibant nunc supplices accedunt: quíque antea in montibus vagè discurrebant, illi nunc montibus desertis, vltrò ad campestria & plana descendunt.

nic. Bannes 1. par. quæst. 64. art. 4. dub. 2. Sed piè potest Victor intelligi dæmones quamuis reuera igni sensili & corporeo torquerētur, at tunc in præsentia Christi à circunstantibus nec videbatur nec sentiebatur.

Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Etsi dæmones sint nequissimi flagitiosissimísque moribus deformati; attamen certò compertum habent, propter mala, quæ quotidie perpetrant, tandem aliquando grauissimas pœnas sese daturos. Quod autem promerita supplicia alicubi, & quidem citò expensuri essent, id ex eo facilè colligere poterant, quod iam tum citra aliud tormenti genus, tantùm ex hominum corporibus excedere iubebantur. *Exi immunde spiritus ab homine isto*, aiebat Christus Seruator. Vt ij ergo, qui tempus adhuc reliquum habeant, intra quod ea, quæ lubent, circa homines exerceant, nō sine contentione cum Domino expostulant, tanquam qui ante legitimum tempus vim ipsis adferat, pœnámque citra iustam causam inferat.

Matth. 8. Est hic sermo de consummata dæmonum pœna; nam alias nunquam, sunt absque pœna & cruciatu.

Et interrogabat eum, quod tibi nomen est. Quamuis Dominus, dæmonnum, qui in homine habitabant, multitudinem non ignoraret, attamen quòd illi, qui spectaculo huic aderant, vnum tantùm hominem cernerent, vnámque solam vocem haurirent, ne ipse multos esse dicere compellatur; sed ipsimet dæmones palàm id profiteantur, propterea, quod tibi nomen est interrogat.

Et dicit ei: Legio mihi nomen est. Non dicit numerum præcisé; sed simplici voce magnam adesse multitudinem indicat: Siquidem exacta numeri discussio, nihil ad rei, quæ quærebatur, notitiam faciebat.

Dæmonibus vsque ad cōmunem carnis resurrectionē diuagandi & tentandi spatium indultum, & si forsan non omnibus.

Et deprecabatur eum Spiritus dicentes. Spiritus enixè obtestantur Christum, ne extra prouinciam ipsos eijciat; aut ne in abyssum abire iubeat, vt habet Lucas. (Abyssus enim secessio est ex hoc sæculo.) Ex eo autem, quòd dæmones, ne extra prouinciam, aut extra hominum consortium, in tenebras exteriores, quæ paratæ sunt diabolo, & angelis eius, expellantur, tantopere rogant, planum fit Dominum alio illos amandare potuisse, si voluisset. Permisit autem eos in terra illa hærere: quemadmodum diabolum quoque in mundo hoc circumuagari finit; non quod nobis malè velit; sed ne per aduersarij absentiam, humana natura corona, hoc est, obtentæ victoriæ præmio spolietur.

Cap. 8.

Cur Dominus patiatur dæmones homines tentare.

Mitte nos in porcos, & concessit eis statim. Vbi primùm illos in porcos introire passus est, omnes mox à dæmonibus correpti, è rupibus in mare sese deijciunt: ita vt subulci ob rei insolentiam, simul pauerent & stuperent, cursímque in oppidum contenderent, vniuersa, quæ acciderant, loci illius hominibus ordine expositurі. Illi autem vehementer, vt par erat, obstupefacti, consternatique, statim ad Iesum exierunt; hominémque, à quo dæmonia exierant, vestitum, sanáq; mente præditum, iuxta Iesu pedes sedentem, suúmque benefactorem agnoscentem, inuenerunt. Super eo ergo, quod acciderat, admirati; debitúmque honoris & reuerentiæ cultum, in ipso statim accessu, Domino impertiti, eum vt ad alia loca sese conferat, sub missè deprecantur. Agnoscunt enim se indignos, qui tantum bonum in sua regione habeant; simulque ne ob præsentis virtutem, grauius quiddam propter admissa peccata patiantur, plurimùm formidant. *Cùm ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat.* Ne Dominus sua præsentia illum tueri & custodire videatur, solum dimittit; ac, ne quem dæmonem in posterum metuat, præcipit. Præsentia námque miraculi magnitudinem eleuat; absentia autem vim illius clariùs demonstrat.

Cur Gergesens deprecati sint Christum vt inde decederet.

Vade in domum tuam. Certum salutis pignus à me deferens; reuertere in domum tuam, alijsque miraculum in te factum expone; quò hac ratione acceptam gratiam confirmes; id quod ille etiam præstitit; abscessit enim statim.

At quærat hîc quispiam: cur Christus Dominus dæmonibus ingressum in porcos petentibus, huc illos ingredi passus sit, cùm ea res ingenti damno regionis illius homines affecerit? neque enim dubium est, quin

multi aliquando de hoc Dei iudicio quæstionem mouerint.) Dominus per hoc omnibus palàm facere voluit, quanta ira & indignatione dæmones in homines ardeant: Voluit per hoc æquè ostendere, multò minora incómoda & damna hominibus inferre, quàm alioqui inferre vellent, & reipsa quoque, nisi Dei virtus prohiberet, inferrent.

Cur Christus Dominus dæmones tot porcos perimere passus sit.

Cùm ergo Seruator noster permittere non vellet; vt insanum furorem suum in homines effunderent, permisit vti in porcos inuaderent; vt clarè hinc conspiciatur, quanta dæmonum sit rabies, & nocendi facultas. Qui enim temporis quasi puncto, tot porcos præfocarunt, & è medio sustulerunt, nullo illi negotio, nisi diuina vis obstaret, eadem illa damna, & exitia hominibus quoque irrogare possent. Quamobrem non modò dæmonum nequitia, per miraculum hoc patefactum est; verùm Dei quoque virtus & misericordia, vt qui impediat, ne ea omnia dæmones in homines designêt, quæ ali oqui designare vellent, & possent. *Et venit quidam de Archisynagogis.* Miraculum miraculo succedit. Etenim princeps quidam Synagogæ, non tam fide ad demerendam Medici gratiam instructus, quàm letali filiæ morbo compulsus, præsidij causa ad Iesum venit.

Nomine Iairus. Patris puellæ nomen propter Iudæos editur, qui, quod acciderat, exploratè compertum habebant: Quò nimirum nomen ipsum miraculo, quod factum fuerat, suo postea tempore testimonium perhibeat.

Et deprecabatur eum multum. Rogat Dominum Archisynagogus pro filia, quam Matthæus mortuam, Marcus grauiter ægrotantem, & tantùm non animam agentem asserit. Quarè paulò post de Archisynagogi familia venere, qui Domino iter adhuc carpente, puellam vita defunctam denunciarunt ideóque Magistrum eius rei gratia amplius vexare, superuacaneum videri. Atque hæc quidem ita habent; verùm nulla est repugnantia: siquidem Matthæus miraculum hoc exponens, vnum breuiter per alterum designat. Ex hoc namque, quòd Dominus mortuam exuscitauit, vtrumque inferre licuit: nempe & mortem obijsse, & in extremis laborasse adolescentulam. Matthæus ergo exacta illa narratione missa, Dominum operam suam pollicitum, vnà cùm discipulis mortuam exuscitatum abijsse scribit.

Et ecce mulier. Quin hoc quoque signum Matthæus compendio absoluit: multa namque prætermittit ille, quæ Marcus addit. Marcus enim præter alia, scribit Dominum retrò conuersum, quis nam ipsum tetigisset, sciscitatum; mulierémque exterritam, trementémque seipsam prodidisse; atque ita tandem à Christo Domino audiuisse: *Fides tua te saluam fecit.*

Cæterùm illi Christum Redemptorem spiritualiter tangunt, qui in illum credunt, cæteri verò, qui fidem in illum non habent, eum veriùs comprimunt & affligunt, quàm tangunt. Qui autem Christum verè tangit, is illum ad clementiam, & misericordiam allicit. Negabant autem omnes, se illum tetigisse: nam cùm in illum non crederent, non tangebant eum; sed tantum comprimebant.

Virtus Christi & in illo manebat & in alios nihilominus transibat.

Quis tetigit vestimenta mea? Virtutes, quæ ex Seruatore in alios dimanabant, non locali, aut corporali motu, ab illo decedebant: Nam cùm corporis expertes essent; ita de illo in alios transibant, aliísque impendebantur, vt tamen in illo esse non desinerêt. Quemadmodum enim scientiæ, & penes doctorem consistunt, & discentibus nihilominus traduntur: ita Christi virtus, & penes illum manebat, & in illos nihilo secius, cum bona illius voluntate deriuabatur, qui fide eum tangebant. Apposite autem Euangelista non dixit; sentiens autem virtutem; sed cognoscens virtutem, quæ exierat de illo. Neque enim virtutes illius sentiebantur, cùm corporeæ non essent; sed tantùm intelligebantur.

Tetigit me aliquis. Hoc est, aliquis animo se mihi adiunxit; fidéque instructus interna oratione me compellauit, nec non clanculum, sensímque arrepensanitatem à me accepit. Non illi me tangunt, qui me atterunt, quia animi sensu mecum non faciunt. Qui igitur tetigit, virtutem confiteatur, quò hinc magis proficiat, simúlque intelligat, & quod sanitate sit potitus, & quòd illa me non latuerint, quæ apud se cogitabat. *Luc. 8.*

Quis est, qui me tetigit? Cur, inquis, Seruator ad Hæmorroissam se vertens, quis me tetigit, dixit? Dominus inter cætera hoc ideo fecit, quò illa se non ab inuito sanitatem rapuisse intelligat, sed à volente & spontaneo. Norat enim, quæ nam illum tetigerat nihilominus vt ipsa in medium progressa, eiusdem fides, atque virtus adeò, qua opus illud factum fuerat, omnibus patefiat, de occulto tactu quæstionem mouet. *Videns mulier quia non latuit.* Cùm igitur se non latuisse deprehendisset, vniuerso populo spectante, ad Iesu pedes procidit, ac, quomodo statim sanata esset, coram omnibus exponit. *Luc. 8.*

Ille autem dixit ei: confide filia, fides tua te saluam fecit. Filiam vocat illam Iesus, quia spiritaliter à sanguinis fluxu, hoc est, à vitijs, quibus obstricta tenebatur, mundata erat. Filiam rursus appellat, quia per, & propter fidem, sanitatem obtinuerat. Est autem fides res quædam ipsa corporis sanitate potior: vt quæ filiorum adoptionem concilier. *Fides, inquit, tua te saluam fecit.* Cùm hinc ergo discas, fidem animæ corporísque salutem largiri, da operam, vt semen illud in te crescat. Vnusquilibet enim tantùm proficit, & fructificat, quantum credit.

Cur Dominus Hæmorroissam filiã vocet.

Fides est donum corporis sanitate præstantius.

Fides tua te saluam fecit. Hæc disertè indicant, vestimenta contacta eam non sanasse, sed fidem. Igitur neque locus, neque verba, neque aliud quippiam eiusmodi externum, hominem saluat; sed vnumquemque sua fides seruat.

Cautè lege, nam in eiusmodi curationibus Domini, & si fides præcipuè sanaret, at contactus vestium Christi instrumẽta fuisse sanandi, non est dubium.

Vade in pace, & esto sana à plaga tua. Corpore mulieris sanato, Dominus animæ quoque eiusdem benignè facit: Amandat enim illam ad bonorum fastigium; nempe ad pacem illam, in qua Deus habitare dicitur; notum est enim illud Psalmistæ: *Factus est in pace locus eius.* Abeat ergo, & discat hinc, non modo corpus suum à plaga, qua vexabatur liberatum, verùm se ipsam quoque à corporei morbi causa, hoc est, à peccatis expeditam esse.

Filia tua mortua est, quid vltra vexas Magistrum? Cùm internuncij existimarent, Christum ad ægram puellam vocari, tanquam Doctorem, nimirum vt ingressus ægrè admodum habentem sanaret, ea iam extincta, operam illius ampliùs necessariam non putabant. Neque enim illum earum virium esse credebant, vt defunctum exuscitare posset.

Et veniunt in domum Archisynagogi. Dominus ad domum tandem Principis Synagogæ veniens, magnúmque tumultum & luctum, aliáque eiusmodi, quæ de more, per id tempus, apud funera fieri consueta erant, cernens; multitudini, vt isthæc missa faciat, mandat, quòd puella non sit mortua, sed tantùm dormiat. Significabat enim æquè facile sibi esse mortuos exuscitare, dummodo velit, atque alij dormientem expergefacere.

Quin per hoc quoque, quòd puellam extinctam, dormire asserit; neque statim se illam exuscitaturum promittit, omnem fastum, omnémque inanem iactantiam ab opere illo secludit. Ille ergo ab omni superbia, vanáque gloria vacuitatem consectatur; at verò operis excellentia, famam illius longè latéque mox diffundit. Turba itaque eiecta, manúque adolescentulæ apprehensa, exemplo illam exuscitat; ita vt magna statim admiratio caperet omnes, resque per vniuersam regionem illam continuo percrebesceret. Omnibus certatim, vt verisimile sit, magnáque contentione tantum illud miraculum prædicantibus, & diuulgantibus.

CAPVT

CAPVT VI.

Dominus cõtemnitur à suis ciuibus.

E*T egressus inde abijt in patriam suam.* Ascendit in patriam non ignarus, se istic, ob familiarem vsum contemptum iri. Verum popularium ingratitudine posthabita, Sabbato in illorum Syuagogam ingreditur, ingressúsque doctoris munus intrepidè adoritur. Illi verò, etsi propter admirandam doctrinam, stupendáque & inusitata opera quæ faciebat, illum admirarentur; attamen quòd genus illius secundùm carnem probè nossent, adeò debitum honoris cultum illi non impendunt, vt palàm quoque despicatui habeant. Quod malum omnibus penè incredulis semper familiare extitit, & etiamnum existit. Quò fit, vt eiusmodi homines vix vnquam ad exactam aliquam Dei notitiam adducantur; veluti tunc temporis quoque, Dominus propter ciuium suorum incredulitatem; perpaucas in patria virtutes ostendit.

Dominus citra fidem & obedientiam miracula ordinariè non edebat.

Etenim vt ijs, qui primaria, cuiusmodi sunt fides, cæteráque, quæ viam ad virtutes & signa muniunt, ex animo complectuntur, secundaria liberaliter suppeditare assolet; (quemadmodum id ex Germanis illius discipulis cognoscere licet) ita illis, qui primaria vltro oblata ingrato animo respuunt, secundaria haud facilè adijcere solitus est: Censet enim eiusmodi additamentum hominibus, qui ita comparati sunt, inutile planéque supernacaneum fore. Sed neque in se quoque, eiusmodi opera patrare, satis conuenire.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere. Hoc propter eorum duritiam & incredulitatem dicitur qui illiusmodi beneficio potituri erant. Quia enim ad impetrandam sanitatem vtrúmque coïre debet, nimirum eorum, qui cura egent, fides, & illius rursum, qui curaturus est, virtus, si alterum horum defuerit, non temerè sanitatis beneficium obueniet. Potest quoque addi; rationi non satis consentaneum videri, sanitatem ei præstare, qui propter fidei inopiam detrimentum veriùs, quàm emolumentum inde percepturus creditur.

Vt sanitas per miraculũ obtingat opus est fide & diuina virtute.

Et circumibat castella, in circuitu docens. Circumibat ciuitates & castella, quò ijs omnibus, qui doctrinam illius gratanter susciperent, aditus ad fidem pateficeret. Cæteri verò, qui audire & credere nollent, nullam de sua contumacia, & infidelitate excusationem haberent.

Et vocauit duodecim, & cœpit illos mittere binos. Aduocat duodecim Apostolos, binósque & binos Euangelium prædicatum amandat: potestate cuiúsque generis miracula patrandi, illis impertita. Iniungit autem grauiter omnibus, vt missis Gentium regionibus, Iudæis tantùm pietatis dogmata annuncient, corporúmque sanitatem ijs, qui inter hosce fortè éguerint, impendat: quò hac ratione, & laborum magnitudo sit minor, & discipulorum cum Magistro coniunctio & consuetudo maior; Siquidem vbiuis gentium Euangelizare in aliud tempus asseruabatur.

Cur Apostoli ante Christũ passum Iudæis tantum concionari iussi sint.

Et quidem Euangelista Marcus numerum eorum, quos, ad munus illud delegerat, accuratè exponit: Matthæus autem non hoc solùm sed missorum quoque nomina edit. Marcus rursum missionis modum disertis verbis aperit; scribit enim Dominum binos & binos simul, ad Euangelizandum misisse; Matthæus autem non modò, qui missi fuerant, exprimit, verùm etiam missorum ordinem describit: Indicat namque, quis ex illis fuerit primus, quis secundus, & sic deinceps vsque ad postremum.

Et præcepit illis, ne quid tollerent in via. Tantùm, ait Seruator Apostolis, ab omni cogendæ pecuniæ studio, auaritiæque suspicione alienos vos esse volo, vt ne comeatus quidem causa, (quæ tamen res maximè necessaria vulgò haberi solet) quicquam omnino ab ijs, apud quos hospitij gratia diuertitis, accipere vos sinam. Itaque neque aurum, neque argentum, neque æs ad itineris vsum vobis à quoquam obtrudi patiamini. Sed neque peram quoque habere vos volo: quò nimirum habitu ipso, corporisque cultu planum fiat, quantum ab omni pecuniæ cupiditate seiuncti sitis.

Apud Matthæum autem non hæc tantùm sed gemina quoque tunica, & calceamenta, & virga prohiberi videntur; habet enim: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via neque duas tunicas, neque calceamenta, neque* (quod tenuissimum est omnium) *virgam habeatis.* At verò apud Marcum virga permitti videtur; legitur hic enim ad hunc modum: *Et præcepit illis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Ibidem sandaliorum vsus quoque permittitur.

Verùm, quod de virga hîc asseritur, tantùm secundùm quandam indulgentiam assertum videtur. Certè verba eiusmodi quiddam insinuant; habent enim: nisi virgam tantùm, quasi Dominus dicat: Nihil omnino volo vos in via deferre, nisi forsan virgam, qua nitamini: non peram, non panem, non in zona æs, neque calceamenta, nisi forsan sandalia, neque duas tunicas induatis. Particula itaque μηδὲ, neque, ita latè hoc loco vsurpatur, vt non absolutè neget; sed aliquatenus etiam permittat.

Diluitur difficultas quæ apud Euangelistas se offert de virga & calceamentis, siue sandaliis.

Quæ de virgæ permissione hîc dicuntur, ea cum ijs satis consonant, quæ apud Lucam, de hoc ipso argumento, circa passionis articulum exponuntur. Dominus enim discipulos eò loci ita affatur: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis? nunquid aliquid defuit vobis?* Hîc virgæ nulla omnino fit mentio. Quare quod apud Marcum de virga scribitur, inter permissiones habeatur. In summa, discrepantia, quæ hîc se offert, si aliqua omnino est, tantùm secundùm externam literæ superficiem est.

Vt virga Apostolis videtur concessa nõ ad bellum vel aliorum offensionem sed ad itineris vsum, ita sandalia ijsdem concessa videntur non ad ornatum sed ad pedum munimentum atque ita nulla relinquitur antilogia.

Quocunque introieritis in domum, illic manete. Ne apud ciuitatis incolas immobilis inconstantisque animi suspicionem veniant, ne de domo in domum transeant, mandat: verùm in ea, in quam semel ingressi fuerant, maneant.

Quicunque non receperint vos. Cùm ostendere vellet, impunè non abituros, qui Apostolos non receperint, aut sermones illorum non audierint, iubet vt puluerem pedibus cohærentem, in eos excutiant, qui illos non admittunt: qui itineris, laborísque, illorum causa frustra suscepti, testis sit.

Quid sit puluerem in ingratos excutere.

Amen dico vobis, & tolerabilius, additur apud Matthæum, *erit Sodomæ & Gomorræ in die iudicij, quàm illis*, qui videlicet Christi Apostolos non susceperunt. Quandoquidem post tot miracula & signa patrata, adhuc illorum dictis fidem habere noluere. Iure proinde meritóque, scribit quidam peccatorum illorum puluis, in eorum capita reflectitur, Sodomæísque & Gomorræis omnibus grauius puniuntur: quia nulli ad hos, vt ad illos, Apostoli missi, neque vlla apud illos miracula facta fuerant.

Cap. 10.

Et Dæmonia multa eyciebant, & vngebant oleo multos ægros. His similia exponit Lucas quoque: verùm quod de mystica vnctione, & olei vsu hîc subiungitur, hoc inter Euangelistas solus Marcus commemorat. Interim quæ Apostolus Iacobus in sua Canonica narrat, ab his non dissentiunt; scribit enim: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Oleum inter alia, & laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleũ igitur, quod in sacra vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest, Orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omnium, quæ fiunt externum tantùm Symbolum esse.

Cap. 10.

Cap. 5.

In ratione Sacramenti simul vtrumque coit & efficit.

Et audiuit Rex Herodes & dicebat. Herodes, de quo hîc sermo, primi Herodis, quæ regnante Ioseph ab Angelo admonitus, Iesum & matrem eius deportauit in Ægyptum, filius erat. Hunc Herodem, quòd quartam tan-

tùm paterni regni partem obtinuisset, Matthæus & Lucas Tetrarcham appellant: Siquidem Romani post petrni Herodis obitum, Iudæorum regnum in quatuor partes, seu Tetrarchias partitr fuerant, quibus vna Herodi senioris Herodis filio administranda obuenerat. At Marcus verò & alij præterea nonnulli, Herodem hunc Regem appellant: siue quòd paternæ consuetudini hoc tribuerint; siue quòd voce hac licentiosiùs vsi sint. Verùm de his consulatur Iosephus, qui Iudæorum res satis acuratè descripsit.

Cùm ergo Herodes Christi miracula audiuisset, probéque, quòd Ioannem, qui iustus alioqui erat, iniustè temeréque è medio sustulisset, compertum haberet, ratus est illum ex mortuis resurrexisse; atque ideò tanta illa, quæ passim ferebantur, miracula edere. Augebat hanc eius suspicionem non parum quoque, quòd alios etiam, vt Lucas narrat, eandem illam opinionem occupasse intelligeret. Quamobrem quò exploratè cognosceret Christus ne Ioannes ille esset, quem ipse occiderat, maiorem in modum eum videre cupiebat.

Alij autem dicebant, quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. Hoc ipsum Apostoli quoque, à Christo: *quem dicunt homines esse filium hominis* interrogati, confirmant; aiunt enim: *Alij Ioannem Baptistam* esse dicunt, *Alij autem Eliã, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis.* Omnia autem placita, quæ tùm temporis de Christo inter homines ferebantur, humana erant; Vnum enim hoc tantùm de illo opinabantur, quod de summo aliquo, magnæque sanctimoniæ viro, mortalium vulgus opinari solitũ est. *Math. 16.*

Cùm autem Marcus scribit, quosdam dixisse: *quia Propheta est, quasi vnus ex prophetis,* insinuare videtur, illos de eo propheta hoc asseruisse, de quo Moyses dixerat, nempe: *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus Deus vester, &c.* Probabile fit enim, procerum metu impeditos, Christum Dominum illum ipsum Prophetam esse, diserte profiteri ausos non esse; atque ideo opinionem, quam de illo habebant Moysi verbis adumbrasse. *Deut. 18.*

Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem. Modum, quo Herodes Ioannem peremit, & causam, propter quam illud fecit, Euangelista breuiter hoc loco exponit; non quòd prophetæ cædes in illud tempus incidisset; sed quia narrationis series, quam instituebat, commodè id ferebat. Cùm enim narraret Herodem (quòd admirabilia quædam de Christo Domino audiuisset) existimasse Ioannem quem paulò ante interfici curârat, ex mortuis resurrexisse, mox cædis causam subiungit, quæ fuit huiusmodi.

Cùm Herodes fratris sui Philippi etiamnum superstitis vxorem, ex qua filiam ille ante diuortium susceperat, rapuisset; raptámque domui suæ detineret, Ioannes nefarium flagitium non ferens, palàm propter improbam fœdámque præuaricationem illum reprehendit. Herodes autem eiusmodi reprehensionem perniquè accipiens, voluit illum occidere. Verùm turbam, apud quam Ioannes in summa estimatione erat, veritus, mortem illi inferre non audebat, etiamsi, propter Herodiadem, summopere id desideraret. Nam ad se quod attinebat, norat illum virum iustum & sanctum esse multáque iuxta illius præscriptum faciebat. Tandem improbis Herodiadis precibus victus inclusit illum in carcere, mãdato dato, vt diligẽter custodiretur.

Interea accidit, vt Herodes magna cum pompa & apparatu, natalis sui diem celebraret. Cùm autem filia Herodiadis inter epulas elegantiùs saltasset, Herodíque eo nomine placuisset, continuò se id totum illi daturũ iurauit, quodcúmque illa ab illo petiuisset. Hæc autem à matre edocta, subornatáque, caput Ioannis Baptistæ sibi donari postulauit. Herodes ergo, ne promissionis fidem fallere videretur, caput Baptistæ auferri, ablatumque puellæ offerri iussit immani sceleri iurisiurandi religionem & vim, propter præsentes, obtendés, seséq; propter id, quod acciderat, contristatum assimulans.

Colligimus hinc autem tria, inter cætera, Ioannem Baptistam capite mulctasse: nimirum adulterium, saltationem, & iusiurandum. Quare si mentis iudicio valemus, tria hæc auersemur, vt quàm maximè; si non propter aliud, certè ne cum iis comunicemus, culpæque obnoxij euademus, qui mortis præcursoris auctores & causæ extitere. *Tria Ioanni Baptistæ caput ademerunt.*

Quæ audite discipuli eius venerunt. Hæc exponit, quò ostendat beneuolentiam, qua discipuli Ioannis, Magistrum prosequebantur, per mortem illius extinctam nó fuisse, sed vsque constantem, perseuerantémque constitisse. Subdit his porrò:

Venite seorsum, & requiescite pusillum. Per hoc Christus Dominus Ecclesiæ Doctores & Pastores monet, ne externis turbis perpetuò se dedant; sed priuatim sæpe, secretóque agentes, animum colligant, eundémque à publicis negotiis & occupationibus, quantum res patitur, identidem seuocent. Docet per hæc eadem etiam, in verbi ministerio desudantes, nonnunquam respirare, & interquiescere, seséque & corpus suum suo tempore curare, & reficere debere; maximè verò post ministerium absolutum. *Ecclesiæ Doctores & Pastores sæpe secessum à turbis quærant & consedere oportet.*

Et exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos. Sequebatur Christum ingens multitudo, cùm propter alia, tum maximè propter signa & prodigia, quæ faciebat. Inter quos etiam non pauci ita, vt probabile fit, comparati erant, vt vniuersis, quæ in bonis habebãt, relictis, ipsum quoquò versum sequi ex animo desiderarent: quique iam ad hoc seriò sese componebant. Cùm ergo Christus Dominus illos ex itinere defatigatos, & velut oues, quæ pastorem non habent, disiectos videret, (Tales enim erant illi, eò quòd nullum, qui vtilia, animæque salubria eos doceret, ad manum haberent: Nam ob hanc spiritalis annonæ penuriam Christum Seruatorem præcipuè sequebantur: Siquidem vnum illum præ cæteris idoneum censebant, qui ad meliora, salutique viciniora ipsos adducere vellet & posset) miseræ illorum sortis misertus est, studióque & diligentia eorumdem mirificè oblectatus, mysticam cœlestis doctrinæ mensam, immortaliúmque escarum apparatum magnificum illis apposuit. *Multi desiderabant Christum sequi.* *Christus præ cæteris idoneus populi doctor & ductor.*

Et cùm iam multa hora fieret. Cùm maior iam diei pars acta esset, discipuli à Christo, vt turbam dimittat, petunt; allegantes cùm loci solitudinem, tum commeatus quoque tenuitatem, Dicebant enim: *desertus est locus, & non habent quod manducent.* At verò diues ille & benignus pater, corpoream quoque mensam illis apponi iussit; discipulos tantùm non eiusmodi oratione compellans: Ne de escis plus satis anxij sitis, en ego adsum, qui magnam copiam & affluentiam subministrare valeo. Cùm illi autem, quò tenderet, non intelligerent, animóque propter rei difficultatem penderent, sciscitatus est, quot panes habetis? Ipso verò facta inquisitione, quinque, & duos pisces, responderunt.

Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum benedixit, & fregit. Meritò nunc in cælum suspicit, & gratias agit nempe quò facto hoc omnibus planum faciat, sed id totum, quod fiebat cœlesti Patri asscribere.

Et dedit discipulis vt ponerent ante eos. Quandoquidem Deus Optimus Max. manna Israëlitas, per desertum pauerat; ipsique obijcere quandóque ausi fuerant: *numquid & panem dare poterit?* &c. ne ea in re Patre inferior videatur, panes hîc in deserto multiplicat. Interim ne Iudæis, qui varias calumniandi occasiones aduersus illum venabantur, iustam aliquam cauillandi ansam offerat; quasi Deo sese exæquet, aut eidem quoque se præferat; priùs ad cœlum spectat, quàm panes multiplicet, totumque, quod fiebat, & futurum erat, cœlesti Patri tribuit. *Psalm. 77.*

Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Exaturati sunt vniuersi, cùm tamen exceptis mulieribus & paruulis, quinque virorum millia adfuissent.

Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos.

plenos. Tantùm reliquiarum copiam fieri voluit, vt duodecim sportæ inde implerentur, quas singulas quoque quò miraculum euidentius euaderet, eorúmque qui interfuerant, sensibus tenaciùs infixum hæreret, in humeros tolli, & asportari mandauit. Nam hoc quoque perfecto obseruatóque, discipuli, ob insignem rei nouitatem, de re admirabiliter patrata, dubij adhuc hærebant, vt præsens Euangelista disertis verbis paulò pòst indicat; ait namque: *Non enim intellexerant de panibus; Erat enim cor eorum obcæcatum.*

Exod. 16.
Iosue. 5.
3. Reg. 17.

Quin alia quoque de causa tantam reliquiarum vim facere visum fuit nimirum quò publicè hinc constaret, tantam rerum abundantiam magis prouenisse, ad ostendendam facientis virtutem, quam ad explendam præsentem populi necessitatem Moyses quondam Manna Israëlitis suppeditabat, verùm id tantùm ad necessarium vitæ vsum: Siquidem quod plus eo colligebatur, hoc statim in putredinem vertebatur. Quarè etiam vbi primùm terræ Palæstinæ fructus apprebenderunt, Manna illico descendere desijt. Sic Elias quoque viduæ farinam & oleum multiplicauit; verùm tantisper hoc solùm, dum pluuiæ terram irrigaturæ descenderent: vbi enim hæ descendere cœpere, statim quoque farinæ multiplicatio cessauit. Quò ergo discrimen inter hos & illum appareat, magnam residuorum copiam reliquam fecit; ita vt illi etiam, qui saturati fuerant, reliquiarum vim admirarentur.

Signa duplici de causa eduntur.

Opus ergo, quod factum est, & admirabile est, & virtutis opificis manifestus index est. Admirabile nihilominus alicui videri queat, cur Dominus ad subministrãdam alimentorum copiam, ea potestate non semper vtatur. At non est id mirum: siquidem signum non temerè, sed publicæ vtilitatis causa fieri debet: nempe quò facientis virtus per illud manifestetur, & Catholica rursum fides, per illud ipsum statuatur & nutriatur. At verò vbi nulla necessitas vrget, nec vlla rursum publica vtilitas impellit, ibi per media vsitata, humanæque naturæ conuenientia nitendum est. Quin illis quoque benignè per hoc miraculum factum est, qui operam suam ad illud in medium contulerant: nam quod Domino in cõmunem vsum impenderant, hoc summa liberalitate & beneficentia compensatum accipiunt. Insinuatum est hic denique, alimenta ab ijs percipere, quos in fide erudimus, nefas non esse.

Apostoli multiplicatum recipiunt, quod in turbas contulerant.

Et statim coëgit discipulos ascendere nauim. Antequam turbam dimitteret, discipulos nauim conscendere compulit. Compulit autem, quia se ab illo diuelli non facilè patiebantur: partim quidem propter animi studium, quo in illum ferebantur: partim etiam quia incerti hærebant, quomodo nauigio destitutus, ad illos peruenire posset. Neque enim expendebant, Dominum ea potissimum de causa abitionem indixisse, quò super aquas paulò post eum gradientem cernentes, præsentius virtutem, & magnitudinem accuratiùs perspicerent. Vbi ergo turbas, quæ ideò, vt probabile sit, ad illum accedebant, quò, vel benedictione illius potirentur, vel certè, vt sanitatem ab illo consequerentur, demisisset, abijt in montem, ibidem precaturus. Precatur autem, quò & verum hominem per hoc se probet, orationis operi impigrè insistendum esse doceat.

Discipuli ægrè patiuntur se à Christo diuelli.

Christus Dominus duplici de causa orationi vacat.

Et cùm serò esset, erat nauis in medio mari. Profunda iam nocte, ipse quidem Dominus solus erat in terra; discipulorum autem nauigium medium iam mare obtinebat; neque vento aduerso vehementius flante, vlteriùs progredi valebat.

Erat enim ventus contrarius eis. Ad euidentiorem miraculi, quod mox consecutum est, demonstrationem, non parum faciebat, quod ventis contrarijs flantibus, fluctibúsque secundùm ventorum flatus sese erigentibus, ipse nihilosecius, quasi à nullo prorsus impeditus, liberè per aquas incederet, & ambularet.

Christus aduersis ventis & fluctibus ambulat super aquas.

Circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos. Scriptura sacra totam noctem in quatuor Vigilias deducit, singulisque ex illis tres horas assignat. Per quartam itaque noctis vigiliam designat decimam, aut vndecimam, aut duodecimam noctis horam; circa vnam ergo aliquam ex tribus illis, visus est eis per mare incedens, gressúmque ad illos intendens. Cùm ij autem spectaculo hoc super modum conturbarentur, proptérque rei nouitatem, quod cernebatur, phantasma esse arbitrarentur; nec non præ pauoris magnitudine, sublata voce vociferarentur, Dominus illos compellauit dicens: *Confidite ego sum, nolite timere.*

Nox in quatuor vigilias deducitur.

Et præ timore clamauerunt, statimque Iesus locutus est illis, &c. Dominus Iesus non priùs suis se discipulis patefacit, quam ipsi clamoris voces ad illum destinant, eiusdémque opem & fidem implorant. Hoc enim modo excitati illius præsentiam auidiùs complexi sunt. Quia ergo sublata voce ad illum clamabant, trepidantes & vociferantes eiusmodi oratione à concepto metu absoluit: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Neque enim eum, propter admirabilem, inusitatúmque super aquas ingressum, tempúsque nocturnum satis internoscere poterãt. Quamobrem vt voce seipsum manifestaret, omnino necessarium videbatur.

Christus inuocatus suis se discipulis manifestat.

Confidite, ego sum, nolite timere. Hac Christi voce audita, metus quidem illorum sedatior factus est, interim apparentis visi nouitas, eorum animos adhuc dubios & suspensos tenebat. Ea propter quò id, quod videbatur, phantasmata non esse accuratiùs disceret; tum rursum quò ipse quoque nouæ huius peregrinæque rei periculum faceret, Petrus magno animi feruore incitatus, ad Iesum dixit: *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas, & Dominus ad illum: veni.*

Domine, si tu es, iube me venire ad te. Hoc, vt quibusdam placet, Petrus Magis dicebat, propter incensam erga Christum charitatem, quàm propter vllam prorsus ostentationem. Nullus enim Iesum æquè amabat, atque ille: Sed neque suæ tantùm dilectionis ardorem, per hoc factum probabant, cæterósque suo exemplo ad idem studium excitabat; sed suam quoque fidem ostendebat. *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam.*

Petrus præ cæteris Iesum ardẽter amabat.
Matth. 14.

Ecquid autem ad hæc Christus? Supplicantis votis annuit; ait enim: *Veni. Et descendens Petrus,* &c. Petrus è naui digressus, initio quidem intrepidè super aquas ambular; verùm vbi primùm fluctibus iactari ventóque vehementiori flante, metúmque augente animum despondere cœpit, inceptum iter deseruit: Domino per hoc docente, non sua; sed sola Christi virtute, id quod inchoauerat, explere potuisse.

Matth. 14.

Et cùm cœpisset mergi. Quò palàm fiat, magis decuisse, vt citra vllam eiusmodi experientiam, Christi verbis fidem accommodaret, Dominus passus est eum nonnihil mergi: At verò vbi primùm cum morte luctam inire; nec non, *Domine, Saluum me fac, clamare orsus est,* Seruator ima iam petentem extensa manu, statim excepit, exceptúmque super aquas erexit; fidei infirmitate ipsi improperata. Etenim submersionis discrimen efficiebat, vt magis de sua imbecillitate, & vitæ periculo, quàm de Seruatoris virtute, Christíque gratia cogitaret.

Petri curiositas mulctata.

Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Iesus, Petro secum assumpto, ascendit in nauim, statimque ventus conquieuit: commotionem illam ea præcipuè de causa accidisse ostendens, quò miraculi magnitudo clarior, illustriórque per hæc euaderet.

At cur, inquis, Christus Dominus ventis silentium nõ indicit; verùm ipse per se Petrum mergi incipientem, sustentat, & eleuat? quia hoc Petri fides exigebat. Vbi enim humana deficiunt, ibi diuina sese prodere mox incipiunt. Planum ergo faciens, non tam venti vim, quàm propriæ fidei infirmitatem ipsum euertisse, ait: *Modicæ fidei quare dubitasti?* quasi dicat: nisi fidei infirmitate laborasses, vtique aduersus ventorum flatus consistere valuisses: Siquidem, vbi firma adest fides, ibi ventus detrimentum adferre non potest.

Petrum fidei infirmitas euertit potius, quàm nauis tempestas.

Qui in nauicula erant, venerunt, &c. Discipuli, qui in naui erant, accesserunt, & adorauerunt Christum, dicentes: *Verè filius Dei es.* Commonstrant autem pro hoc, ante perfectam de eo notitiam nõdum habuisse: Nam quorsum post patratum miraculum, istud confiteri attinebat; si antè certò illud compertum habebant? Sed neque in tantam quoque animi anxietatem, & dubitationem, illo super aquas gradiente, deuenissent, si eum ante id tempus perfectè cognouissent.

Christus discipulorum causa ambulauit super aquas.

Et ascendit ad illos in nauim, &c. Igitur, qui antè aiebant: *Quis putas est hic homo, quia & ventus, & mare obediunt ei?* illi nunc non ita, sed *verè filius Dei es*, inquiunt. Ea propter ambulatio & incessus ille super aquas, à Christo, Seruatore non fuit institutus, ad aliquam ostentationem, sed ad discipulorum vtilitatem. Supra enim quàm dici, aut credi potest, de facto hoc inter se stupebant, & admirabantur: Neque enim vt Euangelista scribit, intellexerant de panibus: Siquidem cor illorum obcæcatum erat. Verùm vno hoc miraculo tantum profecerũt, vt publicè Deum illum esse profiterentur. Neq; reprehendit Dominus hanc illorum confessionem: quin cõtra potiùs vniuersam dictorum illorum seriem, vt verus Deus opere confirmat. Quandoquidem ægros, sanitatis causa vndicunque ad illum delatos, maiori potestate & virtute sanat & saluat, quàm antea vnquam.

Magnũ vsum habet secessus & solitudo.

Quæ hactenus exposita sunt, ea solitudinem & secessum, rem apprimè vtilem, eisque qui familiariter cum Deo colloqui volunt, oppidò necessariam ostendunt: Quietis namque, & tranquillitatis mater, est secessus & solitudo: Siquidem vna hæc ab omni tumultu & strepitu liberos nos reddit. Ostendunt adhæc, Christianum hominem omnia incommoda, quæcunque tandem Dei permissu euenerint, æquo fortique animo perferre debere: Nam Christus Dominus discipulos hoc loco, quò patientiam illorum probet, & constantiam exerceat, ad tempus deserit; tempestatéque in medio mari coorta, tota penè nocte cùm fluctibus luctari permittit; occæcatum illorum cor, vt Marcus loquitur, ea re expergefacere, maiúsque sui desiderium, atque diuturniorem miraculi memoriam, eorundem pectoribus imprimere volens.

Dominus per aduersa piorum constantiam & animi patiẽtiam exercet.

Per hoc tandem, quòd laborantibus non statim adfuit, discipulos, & nos per illos, docere voluit, ne à malis, in quæ forsan incidimus, liberationem è vestigio petamus; verùm vndecunque illata forti infractóque pectore perferamus; animo pertractantes dura & aspera ita sæpe secedere, & conquiescere, vt alia nonnunquam difficiliora succedant, vel simul etiam accedant. Argumento sint nobis Apostoli, qui antè propter maris procellam perterrefacti propter peregrinum spectaculum, quod se inopinatè in illorum oculos intulit, grauissimè denuò consternantur, & perterrefiunt: Neque enim sola tempestas eorum animos turbabat, verùm phantasma quoque insperatum, quod sese videre existimabant. Quodque maiori admiratione dignum videtur, quò metus hic crescat, Dominus, neque noctis tenebras discutit, neque statim quoque seipsum prodit; sed post certum demum temporis interuallum. Cur ita fecit? vt hinc edocti, in rebus aduersis animum non facilè despondeamus; præsertim cùm vehementiores tentationes, diuturnæ esse plerúmque non soleant. Fatendum est tamen, quò maiora lucra obueniant, Deum iustorum certamina interdum extendere, eosdémque priusquam ex vitæ huius palæstra excedant, diu multúmque nonnunquam exercere.

Non tutum est semper à malis in quæ forte incidimus liberationẽ vrgere.

Vehementes tentationes plerumque nõ diuturnæ.

Cúmque egressi essent de naui. Per hæc Euangelista ostendit, Christum Dominum plusculo tempore isthic diuersatum esse: Nam cùm loci illius viri eum adesse cognouissent, vniuersam mox regionẽ illã percurrunt omnesque malè habentes, in grabatis ad eum deferunt. Neque enim eo nunc modo, quo antè ad eũ accedunt; neq; curationis causa ad domũ trahunt; neque rursum vt manu tangat, aut verbo imperet, petunt; Verùm animo multò nunc celsiori & sapientiori, fidéq; longè perfectiori sanitatis beneficium ab eo contendunt, quàm dudũ antè. A Ipsa enim Hæmorroissa quiddã sublimius, quàm vulgus alioqui consueuerat, de eo sentire, & loqui omnes iam docuerat. Quin ipse quoque temporis decursus, conceptam de eo opinionem & fidem adeò non dissoluebat, vt maiorem quoque in modum subinde augeret, vegetiorémque & validiorem efficeret. Neque mirum erat tempore sensim labente famáque propter admiranda, quæ faciebat, gliscente, maiorem quotidie existimationem de illo, apud homines inualuisse.

Crescebat Christo existimatio cum tempore apud populum.

CAPVT VII.

Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis. Cùm Euãgelista accusationem, quã Scri- B bæ & Pharisæi apud Christum Seruatorem cõtra discipulos illius instituerunt, explicare deliberatum haberet narrationi huic commodè interserit, cuiusmodi seniorum traditiones extiterint: atq; tum demum, quid in Apostolis calumniati fuerant exponit.

Cùm vidissent quosdam ex discipulis, communibus manibus manducare. Non est hoc eo sensu accipiendum, quasi discipuli manus nullo modo lauerint; non ita enim res habet, verùm quia à Domino edocti erant, vt ea, quæ ad explendam communem corporis necessitatem faciunt, pro rerum vsu locique, & temporis commoditate administrarent; soli autem virtutum studio ex animo incumberent; quo tempore cibus sumendus erat, de receptis apud Pharisæos lauationibus non magnopere curabant. C Hoc autem cùm Scribæ & Pharisæi animaduertissent, illos veluti vsitatarum traditionum transgressores, apud Christum accusabant. Quid autem ad eam incusationem Dominus?

Apostoli Pharisaicas lauationes & baptismata in postremis ducunt.

Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Quandoquidem Pharisæi Christi discipulis insultabant non tanquam legis transgressoribus; sed tanquam paternam traditionem præuaricatoribus; Propterea Dominus duriùs reprehendit illos; vt qui sub pietatis schemate, insignem absurditatem complecterentur. Allegat huc autem Prophetæ Esaiæ oraculum, quasi dudum iam antè de illis pronunciatum.

Quemadmodum enim illi, inquit, de quibus isthic sermo est, Deum summis tantùm labiis colebant; (corde enim longè ab eo aberant) adeóque frustra, nullóque D prorsus fructu reuerentiæ cultum illi deferebant: Rursum vt illi ipsi hominum doctrinas maiorúmque placita assiduò vrgebant, & inculcabant; eadémq; diuinis præceptis & legibus potiora ducebant; ita vos quoque in Dei legem apertè præuaricantes, externum tantùm hominem excolitis, internum autem horridum, planéque incultum relinquitis. Et cùm tales sitis, nudámque tantùm pietatis speciem præ vobis feratis adhuc eos reprehendere, & in ius vocare non veremini, qui veritatem & pietatem ex animo consectantur.

Pharisæi & Scribæ externam tantùm pietatis speciem præ se ferebant.

Vt eos igitur seniorum traditionibus perperam innixos, tanquam qui veram religionem, & pietatem flocci faciant, graui reprehensione dignos esse planum faciat; iniustitiam & iniquitatem, quam propter maiorum traditionem, in parentes committebant, ob oculos collo- E cat: Scripturam diuinam, traditioni illorum non scriptæ ex aduerso opponens.

Honora patrem, & matrem tuam. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. E duobus legis præceptis parentũ honorẽ secundùm Dei voluntatẽ vrget. Altero quidẽ mandante, vt id fiat: Altero verò pœnam mortis irrogante, si oppositum fiat; adeóque præcepti huius obseruationem, ad salutem apprimè necessariam ostendit.

Exod. 20. Deut. 5.

Iam cùm talis, tantáque legis comminatio, contra legis præuaricatores promulgata extet, vos, inquit Christus Dominus, temerè perniciosóque exemplo Doctorum vestrorum traditiones secuti, diuinum mandatum fœdè præuaricamini. Etenim si quis ob dehonestatos parentes,

Insignis quorundam Iudæorum impietas & iniquitas in parentes.

parentes, munus, hoc est, illud Deo in sacrificium sese oblaturum promiserit, quod patri alioqui debebat, vos id iustum pronunciatis. Vos, inquam, tem, qua filij parentes alere, & honorare, omni iure obligabantur, Deo offerre licitum asseritis. Id quod aliud nihil est, quàm manifestaria diuinæ legis, propter vestram traditionem, euersio & abrogatio.

Enimuerò cùm nefarium iuuenum ausum insignémque temeritatem, & in parentes impietatem increpare debuissetis; nec non eiusmodi sacrificium tanquam horrendam quandam abominationem repudiare (neque enim Deus eo honore, aut munere delectatur, quod in parentum iniuriam & calamitatem rednndat) adeò illud nõ facitis, vt vltro quoq; instigetis; tantámq; ininstitiam palàm iustificetis. Christus proinde increpationem illam, qua Deus eos per Prophetam increpabat, qui Esaiæ ætate in viuis erant, nunc in Scribas & Pharisæos quoque conuenire demonstrat; vt qui eadem modò sentiant, & faciant quæ illi olim.

Deus non recipit munus, quod redundat in iniuriã parentum.

Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod possit eum coinquinare. Hinc lex secundùm spiritum se iam paulatim prodere incipit: Neque enim hæc, vt Mosaica, circa corporales expiationes, ciborúmque differentias versatur; sed circa virtutem spiritus. Ne mireris autem, si veteri lege corporum inquinamenta dijudicãte, & aduersante, Christus hoc loco contra docere videatur: (loquitur enim perinde, atque si nulla prorsus corporalis immundiriæ in hominem cadere queat:) Si quidem lex vetus ad externum tantùm hominem spectabat; Christus autem ad internam mentis aciem conijciebat; veluti tempore illo iam præsente, quo crux illis rebus typicis & corporalibus finem impositura erat. Quò nimirum Christi fideles vitam posthac ita instituant, quasi corpore deposito in merum spiritum transirent: Verum itaq; illum internúmque hominem, nullum corporeum inquinamentum polluere, aut lædere potest: At ea tantùm mala & vitia, Christo Doctore, hominem contaminant, quæ ex corde procedunt.

Christus magis ad internum, quam ad externum hominem spectabat.

Si quis habet aures audiendi, audiat. Addit porrò: *qui habet aures audiendi audiat*; interim quænam sint mala illa, quæ de corde exeunt, id planis verbis non explicat.

Et cùm introijsset in domum à turba. Cùm Apostoli animaduerterent, doctrinam illam aliquid profundius insinuare, posteáquam Dominus à turba seiunctus, intrauit in domum, interrogauerunt eum de parabola illa. Parabolam autem sermonem subobscurum nominant. Ille autem dixit eis.

Sic & vos imprudentes estis? non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare? Quod dicit, eiusmodi est: nihil extra hominem existens, hominem contaminat; sed sola malitia, quæ est intra hominem, cæteráque quæ cogitationem cum illa habent, ea sunt quæ polluunt hominem.

Et inde surgens, abyt in fines Tyri & Sydonis. Cùm Dominus inde ad Cananæorũ loca se transtulisset, (illic enim extabat Tyrus & Sydon) mulier quædam regionis illius incola, quæ filiam habebat crudelissimè à dæmonio vexatam, Dominum ad loca illa venisse edocta, statim se ad illum contulit, filiæ sanitatem enixè affligitans, validéque clamans.

Et quidnam illa clamabat, inquis? Illud vtique, quod Matthæus narrat, nempe: *Miserere mei Domine, Fili Dauid,* &c. At Iesus verò, quod mulieris fidem exploratam haberet, quodque illam paganam, & alienigenam (vtpote ex Phœnicia oriundam) esse non ignoraret, petitæ sanitatis beneficium distulit: Partim quidem, quò Iudæis per hæc ostendat, non pari se facilitate ipsis, & exteris hominibus sanitatem præstare: partim etiam, vt mulieris huius fides omnibus manifesta euadat. Quò hac quoq; ratione, comparatione quadam facta, Iudæorum perfidia & duritia magis in apertum veniat.

Cap. 15.

Qui dixit illi: sine prius saturari filios. Quæ dicit, huc tendunt: necdum præsto est tempus, vt gratia, & beneficentia mea inter Gentes & alienigenas diffundatur: Siquidem Israël bonum oblatum nedum plenè repudiauit. Venit proinde Dominus ad Cananæos, non tanquam ad domesticos; sed tanquam ad eos, quibus cum Patribus, ad quos promissio facta fuerat, nihil cõmune erat.

Et quia res ita habebat, Tyrijs & Sydonijs aduentum suum non indicauit; sed quantum commodè fieri potuit, celauit. Fecit hoc autem, ne ante tempus ad Gentes migrare videretur: Tum quò Iudæos, propter beneficia, quæ in illos conferebat; virtutésque, quas inter ipsos exercebat, ad fidem prouocaret. Conuersionem autem ad Gentes in tempus, quod Crucem & Passionem, absolutámque Israëlitarum abiectionem consequebatur, reijcere placuit.

Nihilominus non potuit per omnia latere: Sed neque rationi quoque consentaneum erat, vt ijs, qui fide Israëlitis multis partibus præstabant, nullo prorsus iudicio, aut beneficio sese manifestaret: maximè verò propter Apostolos, quos ex hoc facto certam coniecturam facere oportuit, salutis ostium Gentibus quoque patefactum esse.

Decuit, vt Dominus Gentibus quoque ex parte se manifestaret, beneque de eis mereretur.

Sine prius saturari filios. Hoc sermone Dominus, apud Cananæam non vtitur, quasi virtus illius tanta non fuerit, vt vtrisque, Iudæis inquam Gentibus, benignè facere nequiuerit. (Erat enim illa satis, quæ omnibus ope indigentibus adminicnlaretur.) Sed quòd Iudæi & Pagani veluti à se mutuò maximè dissidentes, nullam omnino inter se communicationem haberent. Deus namque ita sese gerere videbatur, quasi hos solos simpliciter elegisset; illos contra simpliciter repudiasset. Imo verò donec manus tandem in Christum Dominum inicerunt, pristinam in Iudæos beneuolentiam constanter retinuit; Neque gratiam suam ad vllos ferè exteros transtulit. Cuius quidem rei Iudæi non ignari, Paganos omnes canum nomine designabant. Quod sanè canis nomen in ipsos etiam Israëlitas, tum demum quadrare cœpit, quando cœlestis escæ alimonia orbatus fuit, Notum est enim illud Psalmistæ: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.*

Canis nomine quo Iudæi Gentes compellabant, in ipsos tandem quadrare cœpit.

Psalm. 57.

Sed neque Cananæa quoque canis appellationem grauiter tulit; verùm in tali ordine constituta, beneficium quæsiuit, opulentæque illius gratiæ, qua Israëlitæ potiebantur, partem aliquam impetrare studuit. Quemadmodum canes quoque micarum, quæ de puerorum manibus in terram feruntur, participes euadere solent.

Dimitte illam, quia clamat post nos. Dominus Cananææ animum, & in se studium, cunctatione aliquali patefactum iã certò cognoscens, Apostolorum intercessionem ad tempus negligit. Interim ne curam illius penitus abiecisse videatur, patitur illam accedere, patitur adorare, patitur filiæ sanitatem iterum iterúmque efflagitare, locúmque & tempus, vt omnia hæc fiant, opportunum indulget.

Cur Dominus Cananææ petitionem dissimularit.

Vtique Domine: nam & catelli, &c. Admirabilis hæc mulier: duro responso à Christo accepto, tantùm abest, vt ægrè indignabundéque id ferat, vt voces, nõ multa tantùm fide, sed magna quoque reuerentia & sapientia plenas, depromat. Nam quòd à Domino inter canes se censeri patienter fert; id summæ vtique reuerentiæ & pietatis argumentum erat. At verò minimam virtutis illius partem, (hoc enim micæ nomine significatur) ad præstandam integram filiæ sanitatem sat esse certò arbitrari, id excellentis fidei opus erat. Demum ex illato probo, familiaris cuiusdam necessitudinis occasionem arripere, ederéque responsum vsque adeò admirabile, id eximiæ prudentiæ, admirandæque sapientiæ indicium erat. Ecquid enim ait illa?

Cananæa magnis fide, sapientia, & patientia ornata.

Vtique Domine, nam & catelli. Quasi dicat: magni beneficij loco duco, vel in canum ordine haberi; dummodo abs te, veluti aliena non excludar; sed de mensa Dominica cibum capiam; si non panem, certè micas temerè

de mensa cadentes. Tantæ enim Dominicæ mensæ sunt opes, vt abunde mihi sat sit, si iustorum tuorum micis A frui liceat.

Et ait illi: propter hunc sermonem, &c. Tanta animi humilitate & fide alienigenæ mulieris perspecta, Dominus dixit ad illam: *propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.* Matthæus sanationis causam fidei, Marcus sermonis virtuti asscribit; sed in idem redit: efficax enim sermo, ex efficaci fide prodibat.

Christus Dominus nõ minus spectabat hominum salutem, quàm suam gloriam & existimationem.

Et apprehendens eum à turba seorsum. Dominus noster Iesus Christus, non ita ad suam dignitatem spectare videtur, sicut ad nostram salutem: neque adeò curare, vt magnum aliquod sonet, atque vt illud depromat, quo nos ad se pertrahere queat. Quamobrem sublimibus illius dictis factísque, permulta passim tenuia & humilia interferuntur. Quamobrem surdum & mutum, quem obtulerant, seorsum accipit, quantúmque res finit, à turba B seiungit: tum ne ad ostentationem diuina signa perficere videatur; tum maximè, quò nos hoc facto admoneat; vt animi candorem, laudatámque ab omni fastu vacuitatem studiosè semper consectemur. Maioris enim facit illos, qui animi modestiam, morúmque grauitatem impigrè consectantur, quàm qui virtutes & signa operantur.

Magis probantur Deo hi, qui ... signorum patratores.

Misit digitos suos in auriculas eius. Infert digitos in aures eius, cùm solo verbo miraculum patrare valuerit: quò corpus, modo qui verbis exprimi nequit, ipsi vnitum, animáque intelligenti, & rationali informatum diuinæ virtutis vim & energiam obtinere commonstret.

Cur Dominus digitum inseruerit in aures muti.

Et expuens, tetigit linguam eius. Eiusmodi quiddã, vt Ioannes exponit, in homine à Natiuitate cæco obseruatum C est quoque. Etenim cùm per Adami præuaricationem, multa incommoda, multæque pestes, & membrorum ægritudines humanæ naturæ acciderint: (Quæ quidem corporis commoda & vitia, præter alia, ostendunt; in quantam miseriam, & infirmitatem eadem illa mortalium natura per peccatum prolapsa sit) Christus Dominus in mundum hunc ingressus, naturam illam læsam & quassatam admirabili modo sibi adiunxit; perque adiunctam, ac quasi de integro in se ipso reformatam, partium sibi consubstantialium ægritudines, & morbos curauit, & in integrum restituit. Ob hoc ergo digitis in illas insertis, muti & surdi aures aperuit, fandíque facultatem per saliuam linguæ impertiuit.

Humana natura per peccatum vehementer quassata & vulnerata.

Et suspiciens in cœlum, ingemuit. Cœlum respicit, partim quidem ea, quæ faciebat, ad cœlestem Patrem, tanquam ad primarium auctorem referens; partim verò humanæ naturæ causam dolore & commiseratione prosequens. Expendebat enim in quantam calamitatem & miseriam omnis bonæ honestæque actionis hostis diabolus, primorúmque parentum incuria & lapsus, illam deiecisset.

Diaboli inuidia & primorum parentum incuria naturam humanam in summam calamitatem deiecit.

Et ait illi, effata, quod est adaperire. Hæc dixit, vnáque cum verbo miraculum in opus abijt: Statim namque apertæ sunt aures eius, & locutus est rectè. Quomodo enim nõ rectè loqueretur, rectéque audiret, cùm naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat?

Et præcepit, ne cui diceret. Hîc denuo modestiam & humilitatem nos docet: Siquidem ijs qui sanitatis beneficium consecuti fuerant, vt rem tacitam apud se continerent, grauiter iniungit. Fecit hoc quoque ea de causa ne Iudæorum animos in cædem accensos, ante tempus contra se inflammaret, & concitaret, etiamsi certò sciret, eos opus vsque adeò admirabile & inusitatum minimè tacituros; sed passim inuulgaturos.

CAPVT VIII.

VT Dominus iam antè, quò hac via & ratione populum ad fidem alliceret, escas multiplicauerat; ita nunc denuò idem signum instaurat: vtrobique commoda occasione, quæ se offerebat, ad hoc vsus. Ea autem præsenti loco erat, inuicta plebis, quæ eum sequebatur, perseuerantia. Nam triduo, vt hîc scribitur; illum iam sustinuerant. Etenim cùm panes non haberent, neque commodè in deserto habere possent, citra detrimenti cuiuspiam periculum, impransi dimitti non poterant.

Quòd si eiusmodi necessitas non vrsisset, Seruator vtique consuetam miraculorum virtutem hîc non ostẽdisset: Siquidem turbæ non sectabantur illum propter corporalem annonam, sed propter spiritalem escam. Etsi interim ex toto numero nõ deessent, qui hunc quoque scopum præfixum haberent; notum est enim illud Christi: *Quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Quos proinde ad maioris momenti res perquirendas exhortatur: nempe ad fidem in ipsum, Nam ex vna hac non temporariam; sed sempiternam vitam, & vtilitatem haurire licebat. Facta nãque inter temporalem & mysticum cibum comparatione & ad hunc magis, quàm ad illum inquirendum impellens: *Operamini*, inquiebat, *non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

Christus Dominus populi necessitate compulsus multiplicat annonam. Ioan. 6. Non deerant qui Christum sequebantur propter ventrem. Ioan. 6.

Vnde illos quis poterit hic saturare panibus? Apostoli miraculum, quod fidei conciliandæ causa Dominus in panis multiplicatione denuo repetere constitutum habebat, non intelligentes, *Vnde*, aiebant, *illos qui poterit hîc saturare panibus in solitudine?* Etenim humanæ rationis iudicium consulentes, rem illam fieri omnino non posse existimabant.

Et interrogauit eos, quot panes habetis? Non ignarus, quid in parato erat, interrogat: verùm quò hac ratione discipulorum animos in virtutis suæ considerationem excitet.

Et præcepit turbæ discumbere. Tanta potentiæ Christi vis & promptitudo erat, vt audito tantùm panum numero, multitudinem statim ad epulandum accumbere iusserit, certus, apparatum illum, tametsi exiguum, in omnes abundè futurum satis.

Et accipiens septem panes gratias agens fregit. Quasi cæterorum hominũ more, virtutem & energiam circa id, quod propositum erat, à Deo accipiat, gratias illi agit, cùm tamen eiusmodi vim non aliunde, vt sancti viri solent; sed à seipso peteret; huc enim ea Euangelistæ Lucæ oratio spectat: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Christus Dominus virtute propria signa faciebat. Cap. 6.

Et dabat discipulis, vt apponerent. Vt alibi semper; ita hîc D quoque Dominus decorum seruat. Vtitur namque discipulorum opera ad ministerium: Quandoquidem alijs ministrare, secundùm discipulatus rationem Apostolis ex instituto incumbebat. Sed & paucos illos pisciculos quoque, quos habebant, benedixit, & apponi iussit.

Christus vbique obseruant decori.

Et manducauerunt, & saturati sunt. Omni ex parte miraculum fit manifestum: Primò quidem ex eorum saturitate, qui epulati fuerant: mox verò ex escarũ copia, quæ superfuerant: Postremò autem ex eorũ multitudine, qui ad saturitatem vsque manducauerant. Cæterum hactenus tantùm benefactoris munere vsi sunt conuiuæ, quatenus necessitas postulabat. Nam etsi magna reliquiarũ vis superfuisset, nihil tamen inde secum asportarũt. Admonemur autem exemplo hoc percommodè, rerum E vsum ex necessitate spectandum & metiendum esse: nihil autem vnquam, grauiori necessitate seclusa; propter habendi studium subducendum.

Rerum vsus ex necessitate spectandus.

Et statim ascendit nauim cum discipulis. Seruator vnà cum discipulis nauim iam conscendit, cùm antea illud non fecisset. Discimus hinc autem, non semper pugnas adducere, verùm antè tentatos pugnísque defatigatos, suo quoque tempore ab eiusmodi miserijs & laboribus recreare & refocillare. Vt enim sua absentia laborem & molestiam; ita sua præsentia à molestijs & laboribus quietem indulgere solet.

Dominus nõ semper flagellat, aut tentat sed sæpe quoque refocillat & recreat.

Et exeunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum. Rectè tentantes dixit neque enim, vt crederent, signum quærebant: & si quidam eiusmodi, si signum faceret, præ se ferrent; verùm solo tentandi fallendíque animo quæstionem illam mo-

Pharisæi tentant Christũ eiúsque virtutem.

mouebant. Tantùm enim quid eo in genere posset, vel non posset, explorare volebāt. Fidei autem nullam prorsus rationem habebant.

Signum de cœlo. Cuiusmodi signum de cœlo petebant? Expectabant, vt vel Solem sisteret, aut retrorsum flecteret, aut fulmina dimitteret, aut aërem immutaret, aut aliud quippiam istiusmodi faceret. Verùm aliud primi aduentus tempus deposcit, aliud secundi: Priori conuenere, & necessaria quoque fuere signa terrena; cuiusmodi sunt, quæ Dominus in terra adhuc cum hominibus versans edebat. Cœlestia autem posterioris aduentus tempestati asseruantur. Nunc tanquam medicus occultè venit; tunc autem tanquam Iudex summa cum gloria & claritate venturus, pœnásq; à sceleratis exacturus est. Tunc igitur cœlum inuoluet, & certa quadam ratione abscondet: Tunc Lunam lumen suum diffundere non sinet: Tunc virtutes cœlestes quatiet. Hoc autem tempore illis signis, neque locus neque opus est.

Alia primus, alia secundus Christi aduentus signa postulat. Primus Christi aduentus occultus fuit, secundus manifestus erit.

Amen dico vobis, si generationi huic dabitur signum. Quæ dicuntur hoc loco, huc tendunt: quodnam signum improbæ generationi huic, quæ temerè à Deo recedit, dabitur aliud, quàm quòd is vicissim recedet ab illa? Cuius quidem rei argumentū extitit, secessio illa, qua eos mox deseruit, alióque abijt. Meritò proinde Christus Dominus diuortium hoc animo pertractans, spiritu ingemuit. Quo enim fine ad Iudæos venerat? nonne vt mortem, extremáque omnia illorum causa subiret? Quid autem eius rei gratia contra præstiterunt illi? Aliud sanè nihil, quàm quod in summa nequitia ætatem transigentes, tantùm illum benefactorem quotidie in se suámq; perniciem prouocarent.

Ingens Iudæorum erga Christum ingratitudo.

Et cogitabant ad alterutrum dicentes, quia panes non habemus. Quid autem ad hæc Dominus? partim sanè increpat illorum incredulitatem: Partim rursum quòd obscurè dixisse videbatur, clarioribus verbis explanat, ait autē: *Quid cogitatis, quia panes non habetis?* quasi dicat: Oportebat vos tandem aliquando eorum, quæ antea per experientiam didicistis, memores neq; quòd panes nō habetis, anxios esse; neque me de panibus verba fecisse arbitrari: Neq; enim difficile mihi fuerit, nunc denuo, perinde atque antè, panes necessarios in medium adferre, vestrámque inopiam explere. Quomodo ergo necdum intelligitis; sed cor etiamnum occæcatum habetis? Hæc autem dicebat, discipulos ad fidem diuinorúmque mysteriorum sensum paulatim promouens, & excitans.

Cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Etsi verò Matthæus scribat, *cauete vobis à fermento Pharisæorum & Herodianorum:* Lucas autem *à fermento Pharisæorum tantum*, nulla tamen interuenit hîc pugna: Siquidem omnes tres primarios inter illos nominarunt, puta Pharisæos: duo autem inter posteriores secernunt; alter namque Pharisæis adiungit Sadducæos, alter Herodianos. At neuter interim, vel hos, vel illos solos extitisse asserit. Verisimile fit autem Marcum, ad narrationis expletionem, Herodianos, quos Matthæus prætermiserat, cæteris adiecisse.

Et veniunt Bethsaidam, & ad ducunt ei cæcum. Ingreditur Dominus in fide destitutam Bethsaidam, cæco ad illum adducto, vt eum tangat, rogant. At non sana, neque integra offerentium fides erat. Quare qui miraculi spectatores fierent, indigni habiti sunt. Etenim Christus Dominus hominem seorsum apprehendit, apprehensúmque extra vicum duxit, mox in oculos illius expuens, manúmque eidem imponens, num quid videat, interrogat. Expuit manúsque imponit per hoc ostendens verbum diuinum actionémque, verbo adiunctam, opera, quæ admirabilia habebantur, & erant, absoluere. Manus enim operationis est Symbolum & organum; verbi autem, quod de ore procedit, vis opus ipsum perficit.

Interrogauit eum si quid videret. Interrogat, num quid videat, cùm alias illud facere non consueuisset. Designat per hoc autem, cùm offerentes, tum eum quoque, qui oculis captus offerebatur, fidei infirmitate laborasse. Tantùm non enim cæcutientem eiusmodi oratione **A** affabatur. Fiat tibi secundùm fidem tuam: Siquidem imperfecta illa sanatio, fidem illius debilem admodum extitisse, arguebat. Fatebatur namque homines, quasi arbores obambulantes sese videre, hoc est, obscurè & imperfectè.

Cur Dominus cæcum seorsum, & per internalla sanarit.

Deinde iterum imposuit manus, super oculos eius. Repetit manuum impositionem, quò ex fidei, quam antè hauserat, gustu, hominem ad fidei incrementum paulatim prouehat, adeóque perfectè tandem illuminet. Ipsum autem visionis incrementum & accessio id, quod modò dicebatur, nempe fidei incrementum & accessionem confirmat. Posteáquam enim dixerat; & cœpit videre, statim subiungit: & restitutus est ita, vt clarè videret omnia: cùm externo nimirum, tum interno quoque animæ **B** oculo. Quandoquidem Christus Dominus integrè, hoc est, secundùm corpus & animam sanauit illum. Respexit itaque, & mentis, & corporis oculis clarè. Par est autem, vt nos quoque diuinorum discipulorum Christi exemplo, Seruatori dicamus: *adauge nobis fidem.*

Christus Dominus cæcum integrè secundum corpus & animam sanauit.

Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris. Quasi dicat: seruatus, è Sodomis ingressus es; in mōte Ecclesiæ. (Hæc enim est domus tua) serua teipsum. Bethsaida autem, venatorum vicum, vel domum sonat: cuius incolæ fuere indigni, qui admirabile illud opus viderent, vel audirent. Obserua itaque quod dico: ne denuo illuc ingrediaris, ne fortè captiuus in illorum voluntatem abripiare.

Bethsaida venatorum domus.

Et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me esse **C** *dicunt homines?* Interrogat, quod notat, quia ex responsione, quam daturi erant, aliquod operæ pretium colligere instituebat. Inter cætera enim interrogatione illa effectum voluit, vt discipuli rectius de ipso sentirent, & loquerentur, quàm cæteri opinatores.

Et quidem Petri, qui orthodoxè de illo senserat, cōfessionem probat: aliorum verò Apostolorum fidem, ex proprio eiusdem Petri testimonio confirmat: Ad cæteros autem quod attinet, omnes quidem per admirabilia opera, quæ faciebat, in stuporem & admirationem rapit at non omnes ad fidem quoque per hæc adducit. Sanè, quæ in omnium oculos incurrebāt, ea, vt hominem esse arbitrarentur, compellebant: verùm illustria illius opera, vt Ioannem aut Hieremiam, aut vnum è prophetis ex mortuis resurrexisse opinarentur, efficiebant.

Omnes quidem Christi opera & doctrinam mirantur, sed non omnes credunt.

D Cur in ipso statim orationis exordio, quid ipsi de illo sentirent, non percunctatur; sed primò omnium vulgi sententiam de se exquirit? Vt aliorum de ipso iudicia depromentes, posteáque, quid ipsimet de Christo statuerent, interrogati, per interrogationis modum, in subliniorem sensum assurgerent, apud se decernentes: par non esse, vt ipsi æquè abiectè & humiliter de illo iudicarent, atque cæteri mortalium. Proptet hoc ipsum quoq; non in ipso mox prædicationis initio, sententiam illorum exquirit; sed post multa demum miracula & signa perfecta, multáque de rebus sublimibus, suáque diuinitate vltro citróque cum illis agitata & disputata.

Quem dicunt homines esse filium hominis? Christus Dominus œconomiam suam secūdùm carnem omnibus per**E**suasam exploratámque cupiens, passim Filium hominis se vocat.

Vos verò, quem me esse dicitis? Quid ad hoc quæsitum Apostolorum os Petrus, qui nusquam non feruidum sese declarat? Omnibus interrogatis, solus ipse; *Tu es filius Dei viui, respondit.* Hunc locum Matthæus præsenti Euangelista accuratiùs exponit. Marcus namque, ne quid in Petri, Magistri sui gratiam dicere videatur, compendio contentus, exactiorem historiæ explanationem prætermittit.

Apostolorum os Petrus.

Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Matthæus hoc loco ita scribit: *& præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus.* Voluit enim opinionem, quā de ipso habebāt, adhuc tectam manere: quò crucis passionis-

que scandalis è medio sublatis, puram tandem synceramque fidem illorum mentibus imprimat.

Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati. Posteàquam diuinitatis suæ sensum illis impressit, doctrinam de Cruce & Passione mox subiungit. Sed neque hoc modo, quod dicebatur satis intelligebant. *Erat enim verbum istud*, vt Lucas scribit, *absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur, & quòd eum oportebat resurgere. Et timebant eum interrogare*; non quidem essétne omnino moriturus, verùm qua ratione, quóve modo futurum id erat. Neque enim quorsum, quod de resurrectione dicebatur, tenderet, assequebantur. Ducebant namque satius esse, prorsus non mori, quàm mori iterúmque resurgere. Alijs itaque omnibus perturbatis, & hæsitantibus, rursum Petrus, tanquam cæteris ardentior in medium prosilit, déque eo, quod quæstionem habebat, audenter inquirit.

Cap. 18.

Petrus cæteris Apostolis ardentior & audacior.

Vade retro me Sathana, quia non sapis, quæ Dei sunt. Et quid nam hoc est? illéne, qui diuina reuelatione paulò antè ditatus, felixq; à Christo Domino prædicatus fuerat, tam citò prolabitur, & impingit? Verùm hoc mirum nō est, siquidem nullam ille de Christi Passione & Cruce notitiam è cœlo acceperat. Christum Dei filium esse, hoc ei diuinitus patefactum fuerat; at Crucis verò & Resurrectionis mysterium, ipsum adhuc fugiebat. *Erat enim*, vt Lucas ait, *verbū istud absconditum ab eis.* Dominus autem hoc loco clarè ostendit, tantùm abesse, vt inuitus ad Passionem veniat, vt Petrum, ne id fiat, dissuadentem palàm quoque increpet, Sathanámque appellet.

Petrus Christi mortem ad crucem caelitus non hauserat, sicut illius diuinitatem.

Non sapis, quæ Dei sunt. Cur Dominus Petrum mortem sibi dissuadentem, tanta cum vehementia & grauitate increpat? neque enim Sathanam ex eo locutum dicit, sed ipsummet Petrum Sathanam vocat: Quia is indignum illud arbitrabatur, quod saluti nostræ quàm maximè conueniebat. Christus igitur superuacaneam illius curam, & anxietatem comprimere volens, ait: *Vade post me*, &c. quasi dicat; tu indignum censes malè me ab aduersarijs tractari & pati, & tamen res ita non habet.

Cur Christus Petrum vehementius increpet.

Vade post me Sathana. Ad Sathanam, cùm Iesum in deserto tentaret, dictum non est: *Vade post me Sathana*; sed dictum est: *Vade Sathana; scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis*, &c. Ad Petrum verò, qui peccatis adhuc obstrictus erat, adeóque post Iesum non ibat, dicitur: *Vade post me Sathana; scandalum enim es mihi.* Quapropter si sancti Iesum ponè sequuntur, consequens fit, illos Iesum post terga reijcere, qui ab illo discedunt, eiusdémque sermones non audiunt. Petrus proinde à Christo audit: *Vade post me*, hoc est, sequere me, neque voluntati meæ; qua sponte cruci me submitto, in posterum aduersere, neque sermones meos post tergum, vt in Psalmis est, cum peccatoribus reijce.

Matth. 4.

Psalm. 49.

Si quis vult post me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam. Isthæc huc tendunt. Tu Petre me pati volentem increpas, Ego autem dico tibi, non id tantùm in noxam & detrimentum tibi cessurum, si meum studium impedire, meámq; crucem ægrè ferre perrexeris; verùm te quoque partem mecum non habiturum, nisi tute itidem crucem tuam tuleris, mortémque mei causa oppetiueris. Et quia tantum ea in re momenti positum est, vt vobis multis quidem partibus satius sit, mori, quàm non mori: hoc enim damni, illud verò lucri causam adiunctam habet, propterea non ad te Petrum tantùm, sed ad vos omnes sermonem dirigo.

Pro Christo mori lucrum non damnum.

Si quis vult me sequi. Non dicit: Et si vos nolueritis, ego nihilominus pati vos volo, Sed quomodò? *si quis vult me sequi*? quasi dicat: Ad bona & honesta prouoco non ad mala & odiosa: nec quamquam huc compello, sed amicè tantùm inuito. Hæc autem dicens, magis attrahit: qui enim vim adfert decorum non seruat: qui autem auditori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim & obsequium quauis violentia fortiora sunt.

Deus ad bona honesta prouocat neminem autem vi huc compellit.

Obsequium quauis vi potentius.

Deneget semetipsum. Et quid nam est, inquis, semet ipsum denegare? Facili negotio, quid illud sit, assequemur, si quid alterum negare sit, exploratum habuerimus. Igitur qui alterum vel fratrem, vel famulum, vel alia quacunque necessitudine coniunctum negat, siue flagris illum concidi videat, siue persecutionem pati, siue captiuum abduci, siue cum alio quocúmque incommodo conflictari, quasi prorsus ab illo alienus sit, neque quicquam commune cum eo habeat, non illi assistit, neque defendit, neque, quod ad se quidem attinet, quicquam omnino eius causa sustinet.

Quid sit se ipsum negare

Ad eum itaque modum Dominus nos erga corpus nostrum affectos vult esse, quodcúnque tandem illud patiatur. Non dixit autem ille, ne nimium sibi indulgeat, aut ne carni suæ nimium parcat; sed vehementius insurgens, abneget, vel abiuret semetipsum inquit, hoc est, nihil cum seipso, vel cum sua carne commercij habeat; verùm ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem tolleret.

Dominus non quamuis sed [illegible] mortificationem à nobis exigit.

Et tollat crucem suam. Indicat per hæc, hominem Christianum non quouis modo, aut gradu, seipsum abnegare debere; sed vsque ad mortem, mortem autem crucis; idque non semel, aut bis in vita tantùm; sed per totam vitam absolutè fieri oportere.

Homo Christianus tota vita crucem ferre debet.

Et sequatur me. Contingit enim non rarò aliquem grauia quædam perpeti, neque Christum tamen sequi; quia nimirum non patitur propter Christum.

Perdit puerum qui plus satis illi indulget.

Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Quod dicit, eiusmodi est: non duriter, sed clementer & indulgenter vobiscum agens, hæc præcipio: Nam qui puero plus satis indulget, perdit eum; qui autem peccanti non parcit, seruat eum.

Qui perdit animam propter Christū inuenit eam.

Propter me & Euangelium. Quandoquidem dixerat, *qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam*, &c. ne hunc & illum interitum; hanc rursum & illam salutem eiusdem rationis esse arbitreris; verum vt quantum inter hunc & illum; hanc rursum & illam intercedat, intelligas addit: propter me, & Euangelium.

Nihil extra Deum animā beare potest.

Quid enim proderit homini? Monet per hæc animæ salutem extra Deum insanabilem, omníque interitu quodammodo peiorem esse: quippe cùm nihil extra illam existat, quod illam verè beare aut seruare queat. Neque mihi dixeris, quod ad multis periculis illam asseruaris; aut magnam per eam, & propter eam opum vim congesseris: nam vt vniuersum terrarum orbem in tuam potestatem redegisses, quid, quæso, commodi inde referres, si animæ tuæ iacturam fecisses? Neque enim aliam habes animam, per quam semel deperditam, redimere, aut recuperare valeas. Pecuniæ, domus, mancipia aliáque eiusmodi semel amissa, redintegrari possunt: at verò animæ suæ detrimentum semel passus, nullam reliquam habet animam, quam pro amissa impendat.

Cætera semel amissa recuperari possunt anima nequaquam.

Et quid mirum, si res cum anima ita habeat, cùm simile quid etiam in corpore vsu venire soleat; Nam etsi innumeris diadematis redimitus fueris; attamen si corpus sua natura morbidum, aut immedicabiliter ægrum nactus sis, non poteris hoc vitium emendare, etiam si totum regnum insumpseris.

Qui me confessus fuerit. Non sat est, si fidem animo retineas, aut corde tantùm credas; sed opus est præterea confessione quæ fit ore: siquidem hanc Dominus à nobis deposcit. Neque enim frustra sua nos gratia iniungit; verùm quò libero ore eum profiteamur, maiorémque dilectionis affectum in medium adferamus; adeóque illustriores hac ratione euadamus.

Dominus cordis & oris confessionem a nobis exigit.

In generatione ista adultera. Quemadmodū adultera est, & adultera appellatur, quæ, marito deserto, alteri viro sui copiā facit; ita anima, quæ Deum legitimum spōsum suum deserit, eiusdémque præcepta non custodit, adultera vocatur: atque peccatrix existit. Qui ergo coram id genus hominibus dominatum meum negauerit, aut doctrinam Euangelicam palàm confessus non fuerit, is dignas olim impietatis suæ pœnas pensurus est: siquidem

Anima quæ Dei præcepta non obseruat, adultera est.

siquidem in secundo tremendóque illo aduentu auditurus est: *Amen amen dico vobis, nescio vos.* Ea propter si quid boni hic feceris, neque iustam tamen in hoc seculo mercedem recepetis, ne conturberis. A

CAPUT IX.

ET *post dies sex.* Lucas post octo dies, quæ sequuntur, accidisse scribit verùm hæc non pugnant, sed oppidò inter se conspirant. Quandoquidem Lucas diem, quo Dominus dixit: *sunt quidam de hic stantibus*: & illum rursum, quo Petrum, Iacobum, & Ioannem secum assumpsit, cæteris connumerat. Marcus autem tãtum sex illos, qui inter duos extremos intercesserunt, percenset.

Assumpsit Petrum & Iacobum, & Ioannem. Hi tres tanquam Coriphæi, primas inter Apostolos obtinebant. B

Cur Dominus in monte potius quã in domo transfiguratus sit.

Et ducit illos in montẽ excelsum. Poterat sanè in domo gloriam suam discipulis patefacere; verùm quòd mõtis celsitudo, quandam cũ maiestatis illius celsitudine cognationem haberet, quos secum ex discipulis assumpsit, in montem excelsum subduxit.

Cur Dominus tres tantũ suæ transfigurationi adhibuerit.

Seorsum solus. Quòd tres illos solos seorsum assumpsisse scribitur, illud Dominum, quæ acciderant, per id tẽpus inuulgari noluisse, mysticè designat.

Cap. 18.

Et transfiguratus est coram ipsis. Transfiguratio, de qua hic agitur, secundùm quendam externum fulgorem facta est. Nam vt Matthæus narrat; *Facies eius resplenduit, vt Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Vt Lucas autem habet: *Species vultus eius facta est altera, & vestitus eius albus & refulgens.* Hinc tamen inferre non licet, aliquam naturalis formæ mutationem in cœlesti illo regno olim futuram. Vt enim Christi effigies secundùm se nõ est immutata; sed tantùm illustrata: ita nec iusti quoque, qui corpori claritatis illius conformabuntur, secundùm formam mutabuntur; sed illorum tantùm corpora quãdam splendoris, & lucis accessionem acceptura sunt. Quem quidem splendorem lucísve accessionem Apostolus Paulus mutationem; Euangelistæ autem transfigurationem vocant. C

1. Cor. 15.

Et apparuit illis Elias cum Moyse. Cur Moyses & Elias præ cæteris in medium prodeunt? Plures huius rei causæ assignari solent; nobis vnam, aut alteram attigisse sat sit. Primo ergo hoc facto illorum opinio refutabatur, qui Christum Eliam, aut Hieremiam, aut vnum ex prophetis esse existimabant. Sistuntur hic enim duo cæteris illustriores, qui ita cum Domino differunt, vt cuiuis audienti facilè hinc discere licuerit, tantum inter hunc & illos intercessisse quantum inter seruos & Dominum solet. Mox verò planum ex hoc mysterio euasit, Apostolum Petrum rectè laudatum quòd Christum Dei viui filium esse confessus fuerat. Postremò autem delectus hic personarum, propter Iudæos habitus dici potest: Siquidem insimulabant illi Christum Seruatorem tanquam legis transgressorem; aiebant namque: *non est hic homo ex Deo, qui Sabbatum non custodit*, & alia id genus complura.

Plures causæ cur Elias & Moyses præ cæteris in Christi trãsfiguratione apparuerint. Moyses & Elias differunt cum Christo tanquam serui cum Domino.

Ioann. 9.

Vt ergo ab eiusmodi criminibus se prorsus alienum ostendat, claréque, quod faciebat, legis sanctimoniæ non aduersari; neque quòd Patri æqualem seipsum prædicabat, temerariam indebitæ, hoc est, in se conuenientis gloriæ vsurpationem esse, doceat, ob id illos quasi testes in medium adducit, qui in vtroque genere cæteris excellentiores erant. Quandoquidem Moyses legem promulgauerat, seuerissiméque in legis transgressores animaduertere solitus erat. Cùm is ergo talis esset; nunquàm tanta humilitate Christum obseruasset & adorasset, si ille studio legem calcasset; ipsique Legislatori manifestum aduersarium se declarasset. Elias autem pro Dei honore & gloria magno vbique zelo decertabat. Quamobrem si Christus Dominus cum Deo pugnasset, seséque Deum, Patrique æqualem falso asseruisset, Propheta Elias nequaquam familiariter se illi adiunxisset: Sed neque conuenienter quoque id facere potuisset.

Et præcepit illis, ne cuiquam, quod vidissent narrarent, nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit. Silentium indidit: nam quò Apostoli plura, maioráque de illo sparsissent, eò res apud turbas incredibilior visa fuisset; scandalúmque, quod ex cruce postea ortum est, latiùs se diffudisset. Ob id ergo, quæ viderant silentio tegere mandat. Neque hoc tantùm, verùm passionis quoque mentionẽ orationi interserit, causam obliquè pandens, cur transfigurationis Sacramentum, tantisper tacitum habere, nullique omnino patefacere iusserit, dum à mortuis resurgeret. Ad hæc quod difficultatem, mœrorémque ciere poterat, puta crucem & mortem, reticens, dulce tantum propinat. Illi verò, quòd de resurrectione proposuerat, non intelligentes, rem quidem taceri iussam, apud se continuere, at verò quorsum, quod de resurrectione ex mortuis dixerat, spectaret, id seriò inter se disquisiuerunt.

Cur Dominus transfigurationem suam ante resurrectionem noluerit manifestari.

Quid ergo Pharisæi dicunt? Quomodo, quæ hoc loco dicuntur, inter se cohæreant paucis expandamus. Cùm ergo Christi discipuli in monte adhuc essent, Domínique trãsfigurationem coram conspexissent, & regni illius nonnullum iam gustum hausissent, de eo illum cõsuluerũt, quod Scribæ & Pharisæi de Eliæ aduentu frequenter familiaritérque in ore habebant. Dominus autem consultus, Prophetæ oraculum non infirmat, sed confirmat: ait enim; *Elias veniet & restituet omnia.* Rursum illi; Quomodo Filium hominis multa perpessurum scriptum est? ad hoc autem Christus: Quemadmodum Ioannes in similitudinem Eliæ veniens, dura admodũ pertulit, ita Filium hominis quoque secundũ quod scriptum est, dura perpeti necessum est.

Veniens ad discipulos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes. Cur Scribæ & Pharisæi cum nouem illis discipulis, quos Dominus secum in montẽ non assumpserat, disputationem instituunt? Occasione ex Christi Seruatoris absentia capta, eos dolo se capere, & circũuenire posse arbitrabantur.

At verò Dominum repente conspicati; aut non illi, (erant enim, qui Iesum contemplarentur, indigni) sed plebei, viso illo inexpectato in admirationem ipsos abripiente, vniuersi mox in stuporem versi sunt. Statim proinde, qui de turba erant, accurrunt, venientémque blanda salutatione excipiunt: Nam cùm hi ab omni praua affectione essent alieni, perpetuò cum illo agere gestiebant. D

Turba erga Christum bene affecta.

Magister attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum. Scripturæ huius contextus hominem, de quo hic sermo, infirmæ admodum fidei extitisse ostẽdit; idque pluribus argumentis, ex hoc ipso loco petitis, confirmari potest. Primo ex eo, quòd Dominus ait: *O generatio incredula.* Item: *Si potestis credere, omnia possibilia sunt credenti.* Mox ex eo, quòd cum lachrymis ad Christum accedens; *Adiuua, Domine, incredulitatem meam*, dixerit. Tertio ex eo, quòd dæmonio, ne denuò in eum ingrediatur, Dominus imperat. Quartò & postremò ex eo, quòd ad Seruatorem dicit: *Si quid potes, adiuua nos, nostri misertus.* Quare incredulitas illius præcipuè in causa fuit, quod dæmon ad Apostolorum vocem loco cedere noluerit. E

Dicis si res ita habet, cur ergo Dominus Apostolos obliquè incusat? Ostendere voluit, nonnunquam etiam citra offerentium fidem, ægris quibusdam sanitatẽ obtingere posse. Nam vt sola illorum fides qui deferunt vel petunt, sæpenumero satis est, ad obtinendum sanitatis beneficium ab eo, qui per se alioqui debilior erat, quàm vt miraculum patraret; ita versa vice sola patrantium virtus, per se interdum satis est, ad edendum signum in eos, qui citra fidem accedunt, vel offerunt.

Suprà oppositũ visus est docere, verũ ibi erat sermo de ordinario, hic verò de extraordinario.

Magister dixi discipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt. Disce hinc quasi ex alio rursum capite hominis, huius ingratitudinem & iniquitatẽ: neque enim seorsum,

& secretò? sed tota turba præsente & audiente Christū Dominum aduersus Apostolos interpellat: *Obtuli illum* inquit, *Discipulis tuis, & non potuerunt eum sanare.* Verùm Dominus defectus huius causa maiorem partem in illū translata, Apostolos ab hac accusatione coram omnibus absoluit.

O generatio incredula & peruersa, quandiu apud vos ero; quandiu vos patiar: Ne hominem ad desperationem adigat non in illius solam personam orationis neruum intendit; sed generatim omnes Iudæos incredulitatis perstringit. Probabile fit enim, multos ex præsentibus, ob Apostolorum imbecillitatem offensos, ea de illis cogitasse, quæ non satis conueniebant. Cùm autē dicit? *quādiu apud vos ero*? insinuat rursum mortis decretum à se transferri omnino non posse. Tum molestius quodammodo sibi esse, diutius cum eis versari, quàm in crucem agi. Veruntamen ad apertam criminationem non processit, sed dixit.

Cur Dominus passus sit dæmonio agitatum elidi & conturbari.

Afferte illum ad me. Inter accedendum, vt diabolus illum conturbaret, vel, vt Lucas habet, elideret & dissiparet, permisit. Hoc autem non ad ostentationem; sed ob ægri pueri parentem, nempe vt animaduerso, diabolum ex eo solo conturbari, quòd illum accersebat, ad futuri miraculi fidem excitetur.

Et interrogauit patrem eius, quantum temporis est, &c. Seruatore interrogante, quanto tempore puer dæmonis vim passus esset, respondit pater, ab infantia, periculúmque esse, ne illum quandóque interimat. Addit his autē vocem planè incredulam, nimirum hanc: *Siquid potes adiuua nos, nostri misertus.* Dominus verò non absque decēti modestia & mansuetudine, quid posset, declarans, ait: *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti.* Non dixit: mihi possibilia sunt omnia; sed credenti possibilia sunt omnia. Significat per hoc autem, qui syncera incorruptáque in Christum fide ornati sunt, eos nihil nō posse. Ægri proinde genitorem ad fidei lumen excitans, credenti omnia possibilia dicit. At vide, quomodo is euidentius adhuc suam incredulitatem prodat, ait namque:

Christus Dominus potentiam suam modestè declarat.
Fide ornati magna possunt.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Atqui si credebat, vt se credere aiebat, qua ratione *adiuua Domine incredulitatem meam*, dicit? Non vnius rationis est fides: Est enim fides inchoata, est rursum consummata. Exorsus igitur credere, vt Dominus virtute sua, quod deerat, adiiceret, opus habebat. Sic discipuli quoque ad Seruatorem aiebant: *Ad auge nobis fidem*

Est fides inchoata est & consummata.

Luc. 17.

Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam. Ad spectaculum, de quo hic tractatur, magna mox mortalium turba confluebat. Hanc autem cùm Seruator concurrentem, adeóque præstandæ sanitatis ansam non vulgarem sibi oblatam animaduertisset, immundo spiritui, vt Euangelista scribit, comminatus est. Ea autem benignè faciendi ansa, sui apud turbam, quæ confluxerat, patefactio erat. Nam quò hominibus, pro cuiusque conditione, & necessitate seipsum patefaceret, Christus Seruator in hunc mundum venerat. Deinde verò præcepti sui vim ostendens, mutum & surdum spiritum ita alloquitur.

Christus Dominus, quò se suamque virtutem patefaceret, in mundum venerat.

Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo; & amplius ne introeas in eum. Quod autem, *Ego præcipio tibi*, dicit: id diuinæ virtutis energiam, etiamsi humana fides non adsit, arguit. Quod porrò addit. *Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum*, indicium facit, facilè altera rursum vice, dæmonem in illum, qui fide satis munitus non erat, ingredi potuisse, nisi Domini præceptum, ne id fieret, impediuisset. Quandoquidem hoc ipso etiam vrgente dæmonium non absque difficultate, & tergiuersatione, abscedebat. Nam, & vociferabatur, & hominem, in quo erat, discerpebat, & tandem decedere coactum, mortuo similem deserebat; ita vt plerique omnes iam extinctum existimarent.

Dæmon ab homine, quē semel occupauit ægrè cedit.

Iesus autem tenens manus eius, eleuauit eum, & surrexit. Iesus, inquit, Euangelista, erexit eum, erectúsque in pedes mox constitit. Neque enim malignus spiritus, vita præsente, ægrum in mortem deiicere poterat. Exiuit

A ergo nulla ampliùs redeundi potestate retenta. Quam quidem rem Matthæus his verbis insinuat. *Et curatus est puer ex illa hora.*

Et cùm introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum. Videntur Apostoli anxij fuisse, ne fortè gratiæ, quæ illis concredita erat, iacturā fecissent; Acceperant enim potestatem contra immundos spiritus. Quare rubore posito, & causam interrogant, & seorsùm illum compellant. Quid verò ad hæc Christus?

Hoc genus in nullo potest eiici, nisi in oratione & ieiunio. Per duo hæc, asserit Dominus, omne dæmoniorum genus profligari posse. Disce hinc autem, quomodo Christus Seruator noster, doctrinam de ieiunio proponat? eiusdémque necessitatem & vsum tacitè insinuet. Ne-

Christus Dominus doctrinam de ieiunio eiusdémque necessitate tradit.

B que mihi hic nunc paucorum quorumdam, qui citra ieiunium dæmonia eiecerunt, exemplum opponas; Nam & si de vno forsan aut altero malignos dæmones increpante & profligante, verè istud asseri queat? attamen dæmonum vim patientes, simulque gulæ & carnis voluptatibus operam dantes, citra ieiunium, ab ea insania quandoq; liberari, quodammodo impossibile est. Quē enim gulæ dæmonium sauciauit, illum ieiunij & abstinentiæ pharmacum sanet oportet.

Quem gula sauciauit abstinentia sanet oportet.

Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis. Quoniam Filius hominis tradetur &c. Quandocunque Christus Dominus, de sua morte, & Cruce verba facit, statim miraculum aliquod adiungit. Et quidem ante, & post traditā doctrinam, non rarò hoc facit, prout multis passim lo-

Christus Dominus doctrinæ de morte & cruce miracula plerunque addit.
Cap. 16.

C cis obseruare id licet. *Et inde*, scribit Matthæus, *cœpit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati &c.* Tunc inquam, quando Apostoli illum Christum, & Dei Filium esse confessi sunt.

Rursum quando admirabilem vultus sui splendorem discipulis in monte ostendit, déque singulari illius gloria & maiestate vtérque Propheta prolixè disseruit, suæ iterum perpessionis & mortis mentionem intulit. Et enim vt primùm transfigurationis historiam Euāgelista absoluerat, statim subiunxit: *Et cœpit docere eos, quoniam oporteret Filium hominis multa pati.* Tandem posteaquam hoc loco obstinatum dæmonem, quem discipuli eiicere non valebant, expulerat, illico, quæ hic modò citata sunt, subnectit. Faciebat hoc autem, quò miraculo-

Matth. 17.

D rum magnitudine mœstitiæ, quam de more illius conceperant, magnitudinem nonnihil diminueret, & mitigaret.

Et timebant interrogare eum. Christum Dominum istiusmodi de sua morte & resurrectione prædicantem audientes, quorsùm ea prædicatione tendat, non interrogant: siue quod nimia animi tristitia pressi non possent, siue etiam, quòd metu impediti, non auderent. Sæpe enim, cùm nolle ipsum disertis verbis aliquid exponere animaduertunt, silent omnino. Quin Lucas quoque de hac re ita scribit: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant illum interrogare de hoc verbo.*

Apostoli quæ Christum dicere nolle intelligebant, temerè non interrogabant.

Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi esset, interrogabat eos, Quid in via tractabatis? Christo Domino de Cruce &

E morte sua verba ad discipulos suos faciente, cogitatio, vt Lucas narrat, intrauit in eos, quis eorum maior videretur. Vt autem Marcus habet, in via ea de re inter se disceptauerant. Dominus ergo, vt Marcus & Lucas exponunt, occasione ex propria illorum cogitatione & disceptatione sumpta, quid per viam inter se contulissent, interrogat. Matthæus autem (quòd is narrationem ab exordio non auspicetur) notitiam, quam Seruator de illorum cogitatis dictísque habebat, reticet: Inducit autem quæstionem, quam ipsimet discipuli Christo proposuere, doctrinámque inde enatam: Siquidem de primatu ad hunc modum quæsiuisse scribit:

Cap. 9.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Nam cùm certò illis persuasum esset, omnia tam ea videlicet, quæ cogitarant,

Matth. 18.

quàm

quàm ea rursum, quæ seorsum inter se disseruerant, Domino manifesta esse, de cogitatis æquè, ac de disputatis A sententiam illius exquirunt. Apostoli proinde (bonum fortassis, & licitum hoc esserati) primatum, adeóq; honoris prærogatiuam ambiunt. Nam, vt quisque maior & illustrior est; ita maiorum quoque honorum cupidus est. Sed quid ad hæc vota Dominus?

Vt quisque magnus ita magnorum honorum cupidus est.

Si quis vult primus esse. Vos, inquit, quis vestrum maior futurus sit, inter vos disceptatis; déque primatu litem seritis. Ego autem dico vobis, qui omnium humilimus non fuerit, atque ita omnium infimum se non iudicauerit, eum ne cœli quidem ingressu dignatum iri, nedum primatum in regno meo obtenturū. Deinde verò exēplo ad rem admodum opportuno vsus, innoxium puerulum in medium adducit, eundémque ob oculos illis constituit: quò nimirum illius candore & innocentia B admoniti, instar puerorum humiles & candidi, nec non ab omni fuco & fastu studeant esse alieni. Etenim pueri ab inuidia, omníque superbia, & vana gloria sunt vacui; & ab omni nihilominus primatus ambitione procul positi. At verò animi cādore, & simplicitate, quæ virtutum omnium fundamentum, & quasi princeps est, ad vnum omnes excellenter sunt ornati.

Quò quisque in terris magis sese humiliauerit, eò sublimiorem locum sortietur in cœlis.

Pueri ab inuidia & fastu alieni.

Pueri candore & simplicitate ornati.

Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo &c. Non solùm, ait, si vos ita comparati fueritis, magnam mercedem referetis; verùm etiam si alios, ea mente præditos, mei causa in honore habueritis, eo, quo illos, honore & loco, vos quoque habebo, hoc est cœleste regnum æquè vobis, atque illis præstabo: vsque adeò candor, animique simplicitas, & humilitas me oblectant. Neque tamen simpliciter, & in omnibus pueros nos vult esse: sed tantùm secundùm innocentiam & animi submissionem, aliáque, quæ cum his affinitatem habent; notum est enim illud Apostoli: *Nolite pueri effici sensibus; sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.*

Nihil æquè Deum oblectat atque animi humilitas, candor & simplicitas.

Deus non in omnibus vult nos pueros esse.

1. Cor. 14.

Qui ergo eiusmodi paruulos, propter Christum recipit; neque aliud hic, quàm Christū spectauerit, is Christum ipsum recipit. Quemadmodum idem rursum Apostolus ad Galatas scribens, testatur. *Sicut*, ait, *Angelum Dei accepistis me: sicut Christum Iesum.* Per Christum autem ipse etiā Pater hospitio suscipitur. *Quicunque*, ait Dominus, *me receperit, recipit eum, qui misit me.* Is proinde maior existit, qui ita se gerit, vti, qui Filium & Patrem suscipiat, idoneus habeatur.

Cap. 4.

Qui Christū recipit, patrē illius recipit.

Luc. 9.

Magister, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia &c. Non inuidia, non praua aliqua æmulatione percitus, tonitrui filius hæc aiebat; verùm omnes, qui Christi nomen inuocabant, Christum itidem sequi vnáque cum Christum discipulis ætatem agere debere persuasum habebat. Cuiusmodi autem erat is, de quo Ioannes hæc dicit? Breuiter respondere hic licet, multos in Christum alioquin non credentes, apud Iudæos extitisse, qui istiusmodi gratias, & prærogatiuas acceperant. Qualis erat is, de quo hoc loco sermo est: hic enim dæmonia eiiciebat, neque tamen cum Christo viuebat. Talis quoque erat Iudas Iscariothes; nam etsi ille nequam esset, sóloque corpore Christum sequeretur, miraculorum tamen gratia ornatus erat.

Apud Iudæos complures miraculorum dono ornati.

Iudas Christum solo corpore sequebatur.

Quin in veteri Testamento comperti sunt quoque, indigni alioqui, qui ad aliorum vtilitatem, eiusmodi gratia pollerent. Quia ergo non omnes æquè apti ad omnia erant; neque parium virtutum, eiusdémque animi omnes; verùm alij vitæ integritate, alij excellentis fidei dono præstabant; propterea illos quidem, vt magnum fidei studium ostendant, hortatur: hos verò, vt, propter illustrem fidei gratiam, ad integriorem vitæ rationem contendant, admonet. In summa Christus Dominus neminem ab se repellebat; verùm omnes ad gratiæ suæ communionem clementer inuitabat.

Christus neminem à sua gratia communione excludebat, sed omnes huc clementer inuitabat.

Nolite prohibere eum. Ne prohibeatis eum, inquit Saluator, vel hac ratione ad virtutum incrementum, animique perfectionem contendere. Nemo enim ex illis qui virtutes & signa in nomine meo edunt malè de me loqui facilè poterit. Addit hoc ob eos fortassis, qui postea in profanas hæreses prolapsi sunt. Et quorū numero erat Simon Magus, Menander item, & Cerinthus, pluresque illius farinæ alij. Fieri nihilominus potest, ne hosce quidem vera in Christi nomine miracula patrasse; sed quibusdam tantùm præstigiis & imposturis mortalium mentibus illusisse. Quamuis ergo illi nos non sequantur, ait Christus, neque illorum opera ex viua fide oriantur; attamen non facilè aliquid mali aduersum nos dicturi, aut moliturì sunt; quippe qui de virtutibus quas in nomine meo faciunt, gloriari, seséque iactare soliti sint.

Non potest idem Christum ex animo inuocare, & malè de illo sentire, aut loqui.

Hæretici præstigias & imposturas pro veris miraculis plerumque obtrudunt.

Qui enim non est aduersum vos, pro nobis est. Istæc illis non sunt aduersa, quæ alibi dicit, nempe: *Qui non est mecum, contra me est.* Illud namque de dæmonibus dictum est, hi enim omnes omnino homines, à Deo auertere, totúmque eiusdem cœtum seducere, & dissipare tota vi nituntur.

Luc. 11.

Dæmones tota vi homines à Deo auertere contendunt.

Quisquis potum dederit vobis, calicem aquæ frigidæ in nomine meo &c. Non eos tantùm, qui me inuocant, virtutesque in nomine meo patrant, ait Dominus, complector; ideóque, tales prohiberi nolo, verum illorum quoque studium laudo, qui vos recipiunt, aliisque quæ largiantur, destituti, calicem tantum aquæ frigidæ in nomine meo porrigunt. Nam hoc ipsum quoque ex quodam liberali, & ingenuo animo proficiscitur. Addit hoc autem propter eos, qui, ne aliis benignè faciāt, rerum inopiam callidè obtendunt. Ne quis ergo paupertatē prætexat, illos etiam, qui aquæ duntaxat frigidæ poculum C obtulerint: vbi aliud, quod offerri possit, ad manum nō fuerit, sua mercede haud frustratum iri promittit. Interim per hæc tenuia, ad opera excellentiora, magisque perfecta omnes exhortatur.

Per calicem aquæ frigidæ Dominus ad eleemosynariū studium excitat, & ad rectiora opera inuitat.

Et quisquis scandalizauerit vnum, ex his pusillis &c. Quò orationem reddat efficaciorem, magisque acceptam, non tantùm per præmia, quæ pollicetur, exacuit illam Dominus, verumetiam per supplicia, quæ interminatur. Vt antè igitur cœleste regnum illis promiserat, qui propter se Apostolos in honore haberent; ita iis nunc vltimum supplicium denunciat, qui probris & maledictis illos onerant. Illud enim scandali, hoc est, offensionis, vel supplantationis vocabulo hoc loco denotatur. D

Quid scandali nomine designetur, Marc. 9.

Neque verò supplicium illud ex se, vel ipsa rei natura definit; sed ex rebus terribilibus, quæ apud nos in vsu positæ sunt: quò hac nimirum ratione illius magnitudinem efficacius exprimat, clariusque ob oculos ponat. Cùm enim Dominus quempiam acrius perstringere, vel altiùs aliquid pectoribus vult imprimere, exempla plerunque ab iis petita, quæ sub sensum cadunt, in medium adducit. Cùm hoc ergo loco grauissimas illas pœnas daturos ostendere instituisset, qui paruulos offendunt, demersionem, saxumque molare in exemplum proponit. Non dicit autem mola asinaria ad collum illius suspendetur; verùm satius fore, supplicium illud hic subire, quàm tormenta perferre, quæ in altero seculo in tales constituta sunt. Subindicat per hæc autem, E cruciatus multis partibus maiores illic, quàm hic in improbos & sceleratos homines desæuire.

Cur Dominus exemplis, à rebus quæ sub sensum cadunt petitis nonnunquam vtatur.

Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis.

Pusilli imprimis dicuntur, qui in illum credunt: Tum illi rursum, qui nomen illius inuocant, esto eum non sequantur: Tum illi tandem, qui aliud nihil valētes, aquæ tantùm frigidæ poculum, propter nomen illius offerūt. Eiusmodi ergo nemo scandalizare, nemo offendere, nemo supplantare audeat.

Qui dicantur pusilli in Euāgelio.

Et si scandalizauerit te manus tua &c.

Non de corporis membris hæc tradit, absit; sed de amicis: Siquidem hos necessariorum membrorum loco habemus. Nihil enim æquè exitiale, nihil æquè noxium est, atque prauorum hominum consuetudo. Nā quic-

Per membra corporis scandalizantia qui designentur.

Nihil æquè noxium, atque prauorū hominum cōsuetudo.

quid vis, aut necessitas potest, hoc ipsum quoque valet amicitia, & familiaritas, idque tam in rebus turpibus, & flagitiosis, quàm in honestis & salutaribus. Ea propter Dominus magna cum seueritate, illos omnes abscindere, missósque facere iubet qui animos nostros lædere, pestémque aliquam spiritalem eisdem affricare nati sunt. Porrò autem vt grauia illis interminatur, qui scandalum offerunt: ita eos, qui ex aliorum consortio facilè offendi, aut lædi poterant, grauiter admonet, vt studiosè eos omnes deuitent, diligentérque obseruent, qui scandala seminare soliti sunt; etiamsi eiusmodi sint familiarissimi, summáque necessitudine coniuncti. Nā etsi talium abscissio, membrorum truncationem æmuletur, attamen satius est hanc pœnam tolerare, quā propositam perditionem adire.

B *Vbi vermis eorum non moritur &c.* Adfert in rei huius argumentum Esaiæ Prophetæ oraculum, quo impiorum vermem, nunquam intermoriturum prædicatur. Omni enim supplicio grauius est, immortalem illum vermem perpetuo, citra vllam prorsus intermissionem, auide vorantem, diréque corrodentem circumferre. Designatur autem hoc vermis nomine impura sceleratáque cōscientia: Siquidem vna hæc animam peccatricem, nulliusque boni sibi consciam, inutilis pœnitentiæ aculeis, instar edacis vermis, continuò pungit & rodit.

Quid vermis nomine significetur in scripturis.

Vnusquilibet ergo sceleratorum, sui ipsius accusator erit. Etenim dum ea secum perpendet animóque iugiter reuoluet, quæ in mortali hac vita improbè gessit, vel inuitus se reum cōfiteri compelletur, propriæ nimirum conscientiæ stimulis actus, eiusdemque contra se testimonio apertè conuictus. Ad hunc itaque sensum peccatorum vermis immortalis dicitur: neque enim, quæ de vermi hic disputantur, ad sensilem aliquam vermem, qui impiorum corda apud inferos rodat, transferenda sunt.

Vnusquilibet sceleratus apud inferos sui ipsius accusator est.

Quæ de impiorum verme dicuntur, ad sensilem vermem transferri nequeūt.

Et ignis eorum non extinguitur. Vt ignis, qui peccatores incendit, alibi æternus, ita hoc loco inextinguibilis appellatur. Sunt autem qui per inextinctum hunc ignē, pollutæ improbæque conscientiæ iudicium, & æstimationem designatam putent. Quandoquidem iudicium illud, per & propter immortalem vermem, instar æstuantis ignis in impiis vsque grassatur, flammæque more viscera illorum perpetuo depascitur.

Quid denotetur, per inextinguibilem ignem.

Omnis enim igni salietur & omnis victima sale condietur. Cognatum est huic illud Paulinum: *Vniuscuiusque opus quale sit*, ait ille, *ignis probabit.* Est autem præsens hic locus, ex illo Leuitici petitus: *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies.* rursum: *In omni oblatione offeres sal.* Obseruamus autem præceptum hoc secundùm mysticum sensum, legémque spiritus, si omni dono sacrificij nostri, quod plurimum per orationem exhibetur, aliud donū, quod in vsum proximi cedat, hoc est, eleemosynam adiunxerimus, quo hac nimirum ratione, gratiam in conspectu Domini inueniamus. Dicimur rursum sacrificij nostri munera sale condire, si iuxta diuinarum literarum præscriptum, Deo illa litauerimus, & obtulerimus: vniuscuiusque proinde opus, hic quidem sale, ibi verò igne salitur. Quòd si verò sacrificium nostrum hic quoque igne condiendum est, diuino illo cœlestíque igne, quem Dominus in terram mittere venerat, condiatur: ita vt iuxta Pauli doctrinam, spiritu posthac feruentes simus. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Ecquid nam, inquit Basilius, est sal quod Dominus hoc loco vnumquemlibet habere præcipit, dicens: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos?* Ecquid rursum Apostolus vult, dum ait: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus?* Plana horum sententia ex iis colligenda & statuenda est, quæ hisce vtrobique adiunguntur. Domini itaque verbis docemur, ne quam vnquam mutuæ auersionis; aut dissidij materiam subministremus, verum vti spiritus vnitatem, in vinculo pacis perpetuò indiuulsam conseruare studeamus. Per Apostoli autem verba, vnusquilibet nostrum dicti illius admonetur: Num quis panem

1. Cor. 3. *Cap. 2.* *Quo sensu omnis victima nostra sale condienda.* *Luc 12.* *Rom. 12.* *In ascet.* *Marc. 9.* *Coll. 4.*

A manducare potest absque sale? Num quis sapor in verbis inanibus inesse potest? Admonemur per hæc, inquā vti orationem nostram ad fidei ædificationem, hoc est, eo modo & ratione instituamus, vt gratiam apud eos, qui audiunt, conciliet, intérque loquendum, tempus opportunum, ordinémque compositum, & ad fidem auditoribus faciendam idoneum, obseruemus.

Quomodo sermo noster secundum Apostolum, sale debeat esse conditus.

Capvt X.

Et inde exurgens venit in fines Iudææ. Cùm Dominus ob Iudæorum inuidiam, principúmque terræ abalienationem, Iudæam antea sæpius deseruisset, nunc denuo illam repetit: Siquidem crucis, & perpessionis tempus iam aduentabat: Interim non ascendit Hierosolymam, sed intra regionis terminos sese continet. Venienti autem rursum occurrūt turbæ, quas ille more suo iterum instituit; nec non à morbis, vt Matthæus habet, quibus tenebantur, liberos asserit. Contulit autem illis geminam sanitatem; corporis vnam, animæ alteram: Hanc quidem per doctrinam, illam verò per diuinam virtutem. Cæterum corporalium infirmitatum profligatio, non iis modò, qui sanabantur, in diuinæ cognitionis materiam cedebat, sed aliis quoque. At non ita Pharisæis: illi enim per hoc ipsum magis incendebantur, multóque efferatiores efficiebantur.

Christus Redemptor à duplici morbo Iudæos sanat. *Christi miracula aliis cedebant in salutem, aliis in mortem.*

Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: si licet viro vxorem dimittere? O cæcitatem! O amentiam homines insani illi os per quæstiunculas, nescio quas se obstruere posse arbitrantur, cuius inuictam virtutem & sapientiam toties iam antè experti fuerant: vt cùm multa de Sabbati obseruatione cum illo disceptantes, inter cætera aiebant, blasphemat. Rursum cùm impuro impudentique ore dæmonium habere eructabant. Tandem cùm discipulis illius, quòd Sabbato iter per sata facientes, spicas vellerent, illotisque manibus cibum caperent, insultabant. Cùm, inquam, hisce locis, & alibi frequenter, os illorum semper obstruxisset, adhuc tamen quæritandi, & tentandi finem non faciebant, vsque adeò sæuum, & indomitum malum est malitia & inuidia.

C

Pharisæi sæpius experti inuictam Christi virtutem & sapientiam adhuc tentandi & interrogādi finem non faciunt. *Sæuum & indomitum malum inuidia.*

Interrogabant eum; si licet viro vxorem dimittere. Ecquid ad hæc Dominus? Neque semper tacet, ne machinationum, & consiliorum illorum ignatus videatur; neque semper rursum eos reprehēdit, quò per hoc omnia miti patientique animo perferenda esse nos doceat. Interrogatus ergo vxorémne dimittere fas esset, non statim id fas non esse respondet; ne tumultus, aut conturbationis cuiuspiam causam offerat; verùm prudenti interrogatione de legis decreto, illorum sententiam primo explorat, quò per anticipationem hoc illi respondere compellantur, quod ipsum alioqui respondere oportuisset.

D

Christus ad interrogata neque semper respondet, neque semper tacet & cur istuc.

Quia verò Propheta Malachias ad hoc quæsitum tacitè iam responderat; Siquidem illos, qui vxores suas temerè dimittebant, increpans, ita scriptum reliquerat: *Vxorem pubertatis tuæne deseras; fuit enim socia tua, & vxor fœderis tui &c.* ob id problema hoc tanquam omnino insolubile illi proponunt; eò nimirum quòd Prophetæ oraculum legi, quæ ea de re cauerat, videretur planè aduersum. Verùm Dominus Seruator noster ea sapientia respondet; vt neque Prophetæ dictum infirmet, neque legem tamen vllius omnino iniquitatis incuset; ait autem.

E

Malach. 2. *Christus Dominus Malachiam & Moysen admirabili sapientia cōciliat.*

Moyses ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis præceptum illud. Enimuerò cùm ipsemet legem per Moysen tulisset; par non erat, vt in vlla omnino accusatione eam hærere sineret. Vindicat ergo illam ab omni noxa & crimine, cauillationisq; illorum caput penitus eneruat; id quod alias vbique facere consueuerat. At verò quòd datum responsum, aliquantò durius videri poterat, (quandoquidem terram peruicaciæ notam illis inurebat,) propterea orationem ad primæuam legem statim conuertit;

Christus Dominus Moysi legem ab omni iniquitate vindicat.

tit; dicit autem.

Ab initio creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus. A Quasi dicat: Deus iam inde ab initio legem ab hac planè diuersam sanxit. Nequi enim cauillari hic possent, & quærere: Vnde constat, Moysen ad cordis nostri duritiem repudij libellum permisisse? ipsa primæua coniugij, generisque nostri institutione, os illis obstruit.

Lex repudij repugnat primæ coniugij & generis nostri institutioni.

Quæ enim dicit, huc tendunt: si repudij lex vtilis & salutaris esset, illa vtique à principio lata fuisset; neque Deus genus nostrum ad eum modum formasset, & instituisset, quando illud primò formauit, & instituit: Neque ea etiam, quæ tum dixit, vtique dicturus erat.

Aduerte autem, Christum Seruatorem rem hanc nō tantùm ab efformationis modo & ratione constituere & confirmare; verùm etiam à mandato, quo decernitur, B vt vna tantùm vni copuletur.

Deus voluit vt vna vni, & non plures vni per coniugium copulentur, idque declarauit verbo & exemplo.

Ad ipsam autem institutionem quod attinet, si Deus vna per diuortium dimissa, aliam superinduci voluisset; vtique post virum vnum conditum, non vnam, sed multas mulieres efformasset. Nunc verò ex ipsa legis forma, primáque generis nostri institutione, vnum virum, vni tantùm mulieri perpetuò, citra vllum prorsus dissidium cohabitare debere ostendit. Ex vna namque radice facti sunt ambo; & in vnum rursum corpus conueniunt ambo.

Periculosè dissoluitur, quod Deus coniunxit.

Deinde verò vt primordialem illam sanctionem & institutionem in ius vocare, graui cum periculo coniunctum esse demonstret, non dicit; nemo vinculum illud dissoluat, sed dicit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quod si tu Moysem opposueris, ego vicissim C Moysi Dominum oppono; & vna cum hoc ex temporis ratione rem quoque confirmo. Nam etsi lex hæc nunc demùm à me induci videatur, non est tamen heri nata, sed multò ante Mosaïcam lata.

Indissociabilis coniugij lex, est multò antiquior lege diuortij.

Neque enim Deus simpliciter vxorem viro coniunxit, verùm parentibus quoque, propter initam cum vxore societatem, nuncium mittere iussit. Quin ipso etiam locutionis modo copulam illam indiuulsam demonstrat; ait enim; *Et erunt duo in carne vna.* Et hæc quidem naturalis habet cōiunctio.

Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit. Etsi, vxor per diuortium à viro diuellatur; attamen ob copulam initio initam, iure ab illo seiungi nequit. Quamobrem prima adhuc superstite, al- D teri sese coniungere, adulterium vocat.

In ratione adulterij vir & mulier pares.

Idem de vxore quoque alteri nubenti pronunciat. Et quidem lex manifestam mœchiam, quando nimirum cum ea quispiam habitabat, aut Veneris consuetudinem habebat, quæ alteri iam nupserat, prohibebat: Saluator autem illam quoque adulteram censet, quæ vulgò manifesta nō est, neque quòd naturaliter ab altero cognita sit, adhuc conuicta est.

Cap. 19.

Et ait illis &c. Matthæus Christum Seruatorem ad Pharisæos isthæc dixisse scribit, Marcus autem ad discipulos. Verùm hæc non pugnant; potuit enim eadem vtrisque exposuisse. Marcus innuere videtur, discipulos, post transactam cum Pharisæis disputationem, Iesum eadem re interrogasse, ipsum verò, quæ hic habentur, ad illorum interrogata res- E pondisse.

Et offerebant ei paruulos, vt tangeret eos. Proprium est Conditoris in suis sese operibus oblectare, eorumdémque ad se accessum non inhibere, maximè verò cùm nihil occurrit, quod eiusmodi aditum legitimè impediat.

Sola malitia impedit accessum ad Deū. Iudicij defectus non prohibet aditum ad Deum.

Sola enim malitia, effectique operis peruersitas impedimento sunt, ne liber ad opificem accessus pateat. At rationis verò vel iudicij defectus, eiusmodi aditum per se non prohibet; sed promouet & suadet; quippe cùm id, quod deerat, per accessum ad Deum expleri soleat.

Talium enim est regnum cælorum. Non dixit Dominus, τούτων horum est regnum cœlorum; verùm, vt accuratior lectio habet, dixit, τοιούτων, talium: siquidem pueri, pro naturæ suæ conditione, rationis iudicio destituuntur: ab hoc autem rationis defectu Apostolus alicubi nos dehortatur; ait enim: *Nolite effici pueri sensibus; sed malitia paruuli estote; sensibus autem perfecti estote.*

1. Cor. 14.

Puerorum stultitia in adultis minimè laudabilis.

Talium enim &c. Per hæc Euangelista breuiter causam reddit, cur pueri à Christo arcendi non sint; quia nimirum ad tales cœleste regnum præcipuè spectat.

Ad pueros & horum similes cæleste regnū spectat.

Discipuli autem comminabantur offerentibus. Cur discipuli ne paruuli ad Iesum accederent, impedire volebant? Quia eiusmodi accessum Christi auctoritati aliquid derogare credebant. Quid autē Dominus? Vt animi modestiam præ se ferant, omnémque mundi fastum sub pedibus calcent, illos admonet.

Paruuli anima candida. Plurimæ laudabiles conditiones & qualitates in paruulis, propter quas omni honore & beneuolentia apprimè digni sunt. Paruuli iniuriam passi, nō meditantur vindictam. Paruuli pannosam matrē Reginæ omnibus anteponunt.

Et complexans eos. Christus Dominus paruulos blandè complectitur & suscipit, cœlestéque regnum iisdem promittit. Est enim paruuli anima candida, & ab omnibus vitiosis affectibus libera: Quandoquidem puerulus tristitia passus, aut iniuria à quopiam affectus, neque iniuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur; verùm quasi nihil incommodi tulerit, ad eum, qui læserat, tanquam ad amicum vltro accedit. Pari modo licet grauiter à matre cædatur, accurrit nihilo seciùs, præ cæteris ad ipsam, vnámque illam aliis omnibus mulieribus potiorem ducit. Et si Reginam Diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam matri quantumliber vilibus pannis indutæ: auétque magis illam videre pannis obsitam, quàm Reginam splendido corporis cultu ornatam.

Paruuli eo quod natura deposcit, contenti. Paruuli ob rerum fluxarum iacturā non mœrent. Paruuli formas elegantes non stupent neque rerum affectu mouentur.

Ad hæc nihil prorsus plus exigit, quàm naturæ necessitas deposcit. Quare vt primùm mammarum succu sese expleuit, statim materna vbera deserit. Præterea de earum rerum iactura, quas nos maximi facere consueuimus; vt sunt pecuniæ gemmæ aliáque eiusmodi, nihil prorsus mouetur, aut contristatur. Denique non stupet, nec rapitur ob corporum venustatem, vt cæteri mortalium solent. Propter hæc ergo Dominus dixit: *Talium est regnum cælorum*, nempe per hoc nos admonens, vt studio, certáque voluntatis electione, talia faciamus, taléque affectum induamus, qualem ipsi ex naturæ suæ qualitate induti sunt.

Cur Dominus paruulos complexus manus illis imponit, suáque benedictionem illis impertit.

Et complexans eos, & imponens manum super illos, benedixit eos. Concinnè autem aptéque illos complectitur, suámque complexis benedictionem impertitur. Siquidem Conditoris opus, quod initio in peccatum prolapsum, ab ipso seiunctum fuerat, rursum erigitur, & quasi inter brachia subleuatur. Imponit autem infantibus manus, Diuinæ virtutis illapsum, propriique operis complementum, per eam manuum impositionem tacitè designans. Et quidem Dominus Iesus manus imponit, secundùm communem hominum consuetudinem: nam vt verus, numerisque omnibus perfectus homo erat; ita humana quoque verè operabatur & patiebatur. At verò interiùs non operabatur vt homo, aut ritu humano; sed vt Deus, prout verus quoque Deus erat.

Et cùm egressus esset in viam &c. Sunt qui adolescentem hunc calumnientur tanquam malignum & subdolum; vt qui non discendi, sed tentandi studio ad Iesum accesserit. Ego verò auaritiæ labe contaminatum fuisse non negauerim: siquidem Dominus hoc nomine tacitè illum insimulat; at subdolum verò, aut versipellem extitisse, neutiquam concesserim. Nam Marcus ab ea suspicione eum prorsus liberat; ait enim: *Procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens*, & paucis interiectis: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.*

Christus Dominus sæpe orationem accommodat eorum sensus & mentes, quibus illo negotium erat.

Dicis: si res ita habet, cur Christus illi respondit: *Nemo bonus nisi vnus Deus?* Quia accedebat ad illum tanquā ad merum hominem, vel tanquam ad vnum è communibus Iudæorum doctoribus. Propter hoc ergo non secùs cum eo agit, atque homo cum homine solet. Dominus enim frequenter orationem eorū menti, & sententiæ accommodabat, quibus cum illis negotium erat,

vt cùm aiebat: *Nos adoramus, quod scimus.* Item: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*

Ioann. 4. Ioann. 5.

A Cùm ergo dicit: *nemo bonus &c.* Ad hominum naturã spectat; sensus est enim: Nemo mortalium bonus. Sed neque hoc quoque dicit, quasi omnem prorsus bonitatem hominibus adimere velit; sed tantùm per comparationem ad diuinam bonitatem. Quare etiam nõ subdit; nisi solus Pater meus, sed subdit: *nisi solus Deus*; vt hinc intelligas, adolescenti seipsum manifestè prodere non voluisse.

Nemo mortalium bonus cum D.o cõparatus.

Magister bone, quid faciam? En vt adolescens hic paratum se offerat, ad præstandam debitam diuinis præceptis obedientiam. Neque enim quærit: quomodo in vitam æternam ingrediar? sed quærit: *Quid faciam, vt vitam æternam habeam?* Ostendebat enim se planè accinctum, ad id totum implendum, & seruandum, quod eius rei causa iniungeretur. Quod si tentandi animo accessisset, illud vtique Euangelista non reticuisset, sed prodidisset; quemadmodum alias facere solitus erat. Neque verò si adolescens animi vitium callide dissimulasset, Christus eum latere siuisset; sed vel apertè vel rectè dolum arguisset. Denique si tentandi studio Dominum accessisset, non abiisset contristatus, propterea quæ à Christo audiuerat. Cupiebat ergo vitam æternam, at morbo tenebatur longè difficillimo.

Errant, qui adolescentem Marc. 10. Christum tentandi causa adiisse putant, conuinciturque hic error multis argumentis.

Morbus longè difficilimus auaritia.

Vade, quæcunque habes, vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. En quanta præmia, en quales coronæ iis hîc proponantur, qui in hoc spontaneæ paupertatis stadio impigrè currunt. Quod si adolescens tentator accessisset, Dominus sanè hæc illi præmia nequaquam proposuisset: nunc autem hæc illi tanta ob oculos ponit, tantámque remunerationem promittit, quò eum præmiorum amore ad se pelliciat. Etsi interim magna quædam gratia, eximiaque merces sit ipsum re ipsa sequi.

Magna præmia proposita, qui spontaneam paupertatem propter Christum consectantur.

Et habebis thesaurum in cælo. Rectè sapienterque Christus hoc loco non vitæ æternæ, sed thesauri meminit; quandoquidem de pecuniis erat sermo. Spondet autẽ se plura, maioráque redditurum, quàm erant illa, quæ in pauperes erogare iubebatur; & quidem tantò maiora, quantum cœlum maius est terra.

Qui contristatus in verbo, abiit mœrens. Adolescens verbo hoc contristatus mœrens abiit: si quidem non tanta vi detinentur, neque tanta potentia à perfectionis studio abstrahuntur, qui pauca in bonis habent, atque illi, qui magna opum copia affluunt; Nam facultatum subinde accedentium incrementum, maiorem habendi sitim incendit, animúmque possessoris auidiorem, & quodãmodo egentiorem reddit. Disce hinc ergo, quanto robore hic animi morbus polleat. Etenim vbi primùm Dominus illi, qui magno cum gaudio, magnáque animi alacritate & promptitudine accesserat, suasit vt pecunia abiecta, vel in pauperes erogata, se sequeretur; vna illa voce adeò consternatus fuit, vt de vita sempiterna ne cogitare quidem potuerit, sed tristis mœrensque statim abiuerit.

Pauperes facilius inducũtur ad opum & mundi cõtemptũ quàm diuites.

Quàm difficilè, qui pecunias habent &c. Hæc Christo oratio ipsas pecunias in ius non vocat, aut damnat; sed illos, qui citra modum illis conquirendis inhiant, aut nimis auarè conquisitas, detinent. At quorsum ad discipulos, qui pauperes erant nihilque omnino in bonis habebant, ait; *Filioli quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt?* Voluit per hoc illos admonere, ne propter paupertatem erubescant, aut animum despondeant.

Christus pecunias vel opes non damnat, sed iniquos earumdẽ possessores.

Obseruandum est hic quoque, Dominum non simpliciter dicere: Difficile esse diuitem in regnum Dei intrare; sed quadam emphasi & vehementia vsum, rem hanc quodammodo impossibilem definire. Quod dicimus, ex exemplo, quod de camelo & foramine acus, in medium adfert, patet. Ostenditur per hæc autem, animum diuinis rebus seriò intentum habere, cœlestium rerum meditationi impigrè vacare, donum esse eiusmodi, quod hominibus diuitibus & præpotentibus non temerè obueniat. Quare Dominus quoque vt ostendat, magno illi diuinæ gratiæ præsidio opus esse, qui ad hoc fastigium aliquando venturus sit studium hoc peculiare Dei opus appellat.

Exemplo cameli & foraminis acus ostenditur diuitis salutem summis difficultatibus expositam.

Diuites rarò rerum cælestium studio & meditationi intenti.

Discipuli autem obstupescebant, & infra. *Qui magis admirabantur &c.* Cùm discipuli in summam admirationem rapti dicerent: *Et quis potest saluus fieri?* Dominus statim diuinam virtutem, & potentiam in medium adducit; ait enim: *apud homines hoc impossibile est: sed nõ apud Deum*, quasi dicat: Etsi id virtute humana nullo modo fieri queat, attamen apud Deum, qui quiduis citra difficultatem valet, sola orationis vi confici illud potest.

Diues per orationem & diuinam gratiam saluus potest fieri.

B *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quænam ista omnia, ô beate Petre? nempe arundinem, rete, nauiculam, & artem piscatoriam. Hæc ne omnia tu mihi dicis? vtique ait ille, at istuc non ob inanem aliquam ostentationem, perquiro; verùm quò ea ratione inopem plebeculam ad Christum alliciam. Nam etsi modica quispiam reliquerit, attamen si propter Iesum reliquerit, æternum thesaurum recepturus est.

Cur Petrus dixerit, ecce nos reliquimus omnia.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Apostoli non generatim tãtùm, quænam præmiorum spes illis reposita sit, qui omnia propter Christum deserunt, interrogant, verùm quidnam de se ipsis quoque futurum sit nosse desiderant: non quòd magna aliqua essent, quæ reliquerant; sed quòd ex iis, quæ habebant, simpliciter excessissent. Seruator autem illorum C promptitudine, & charitate collaudata; & approbata mercedem, quam olim hoc nomine accepturi essent, aperit; ait autem.

Apostoli hoc nomine multa reliquerant quod ex iis omnibus, quæ habebant, & habere poterant, excesserant.

Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut vxorem, aut patrem, &c. Porrò autem cùm Dominus dicit: *qui reliquerit vxorem*, vt Matthæus & Lucas habent, non eo sensu hoc accipiendum est, quasi legitima cõiugia dissolui voluerit: absit hoc, verùm quod ante de anima, hoc hic de vxore affirmat. *Qui* inquiebat ibi, *perdiderit animam suam, propter me inueniet eam.* Iam vt per hæc docere non voluit, vti nos ipsos perimamus, neque vt animam à corpore abrumpamus; verùm vt pietatem in Deum rebus omnibus, & ipsa etiam vita potiorem ducamus; ita de vxore quoque, & fratribus, & aliis hoc loco statuatur.

Quo sensu vxor deseri possit à Christo docetur

D Videtur autem futuras persecutiones hac oratione adumbrare: Siquidem plures comperti sunt parentes, qui filios & permultæ vxores, quæ maritos ad impietatem trahere conatæ sunt. Cùm ergo parentes, vel vxores aliquid eiusmodi imperant, vel suadent, quod cum pietate pugnat, aut quod impietatem adiunctam habet; neque vxores vxorum, neque parentes parentum loco habeantur, ait Christus.

Cum parẽtes, mariti vel vxores aliquid suadent, quod cũ pietate vel iustitia pugnat, parentum maritorum, aut vxorum loco habendi non sunt.

Quod ipsum etiam Apostolus insinuat, dum ita scribit: *si infidelis discedat, discedat.* Per hæc ergo omnium sensus excitat, nec non, vt totus terrarum orbis sæuiat, ad capessendam animi fiduciam, & fortitudinem exstimulat.

E *Multi autem primi erunt nouissimi.* Ostendit hic autem eos, qui videbantur primi, futuros nouissimos; & vice versa qui habebantur nouissimi, primis potituros. Illi autem inter cæteros futuri sunt primi, qui in Christum credunt, seséque ac sua omnia propter ipsum deserunt, Per nouissimos verò, Pharisæos innuere videtur; id quod antè quoque visus est facere, cùm nimirum filios regni in tenebras exteriores eiectum iri prædicabat. Vel certè per nouissimos, diuites illos designat, qui pecuniis obstinatius, quàm par est, adhærent, quorum proinde salus perdifficilis est. Certum est enim, Apostolos ad diuites spectasse, quando dicebant: *Et quis potest saluus fieri?*

Quinam in regno calorũ futuri sint primi.

Qui intelligantur per nouissimos, quando Dominus dicit & erunt primi nouissimi.

Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei ventura. Operæ preciũ videbatur, vt Dominus isthæc fore

fore discipulis prædiceret: Tũ quò hinc discerent, quod futurum erat, non ignorasse, sed omnia dudum antè præsciisse: Tum maximè quò planum hinc fieret, non inuitum, sed vltroneum mortis supplicium subiisse. Atq; vnum hoc in causa erat, vt frequenter illud ipsum fore repeteret. Quare Marcus quoque hoc loco inter cætera ita narrat: *Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura.*

Cur Dominus frequenter se moriturum & resurrecturũ prædicebat?

Et quidem discipulis seorsum, priusquam fierent, familiariter exponebat omnia: nã & digni erant, qui præ cæteris prænotione illa potirẽtur; & præmuniendi præterea erant, ne cruciatibus illius, plus æquo conturbarentur. Quamobrem licet multi vnà cum illis iter facerent, nihilominus Apostolis seorsum ab aliis clarè, quæ futura erant edisserebat, & quo Baptismo baptizandus erat, in memoriam illis reducebat. Voluit autem vt nihil horum eos lateret, ne, si illa præcognita non haberent, inexpectato rerum euentu nimiùm commouerentur & turbarentur.

Cur Christus multa de sua morte & resurrectione patefecerit Apostolis quæ non aliis.

Et tertia die resurget. Hæc malorum omnium, quæ prædixerat, medelam quodammodo continent. Apud Lucam porrò isthæc non tantùm futura, sed dudum antè quoque per Prophetas prædicta habentur; legitur enim ibi in hunc modum: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis.*

Cap. 18.

Quandoquidem per magnam consolationis vim habebat, quicquid Seruator noster perpessus est, id totum iam dudum antè per Prophetas prædictum fuisse certò compertum habuisse. Nam ex euentu tristium, quæ prædicta fuerant, certam de Christi resurrectione spem concipere licuit: nam hæc ipsa quoque prænunciata fuerat.

Et accedunt ad eum, Iacobus & Ioannes filij Zebedæi. Matthæus matrem filiorũ Zebedæi ad Iesum accessisse scribit. Vtrumque factum verisimile fit; nam quò filij supplicationem instituant efficaciorem, pérque matris intercessionem Christum faciliùs in suam sententiam inducant, vel certè quod rubore impediti, per se petere non audeant, matrem assumunt, eandémque veluti clypeum Christo obiiciunt. Verùm licet mater interuenerit, petitio tamen filiorum erat. Quare etiam Dominus non ad matrem, sed ad filios orationem dirigit. At siue ipsi per se, siue per matrem postulationem obtulerint, expendamus hic ante omnia, & quid petant, & quo sensu vel causa inducti, petant.

Filij Zebedæi per se & per matrem dexteram & sinistram petunt.

Vnde ergo ad hoc consilium venere? Animaduertebant se magni præ cæteris fieri, plurimúmque à Christo diligi, ea propter in certam spem veniebant, facilè se voti compotes euasuros, quicquid tandem ab eo peterent. Et quid porrò petunt, & qua re vel causa commoti ad eiusmodi petitionem venerunt? Audi alium Euangelistam clarè hac de re loquentem. *Hæc, inquit, illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eò quod esset prope Hierusalem; & quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur.* Rati namque Christi regnum præ foribus esse; seséque post acceptum regnum non facilè id impetrare posse, quod Euangelistæ illos petiuisse narrant, tẽpestiuè nunc Christum accedunt; suæque petitionis modum non satis moderatum illi apperiunt. Ex quo manifestum fit, certam illos de sensili, & temporali regno suspicionem habuisse. Nemo interim Apostolos, si per id tempus minùs adhuc perfecti erant condemnet. Necdum enim crucis mysterium celebratum erat; necdum Spiritus sancti gratia aduenerat. Patefiunt autem discipulorum Christi defectus, quò hinc constet, cuiusmodi aliquando fuerint, & quales tandem per Christi gratiam euaserint.

Luc. 19.

Apostoli Christi regnũ temporale & sensile esse credebant.

Cur Apostolorum defectus in scripturis patefiant.

Quid vultis vt faciam vobis? Non ignarus, quid petere vellent, Seruator interrogat: *Quid vultis vt faciam vobis?* Interrogat autem, quò ipsos respondere compellat, eaque ratione ad conuenientem admonitionem viam sibi muniat. Illi verò rubore suffusi, (siquidem humano quodam spiritu impulsi, in eam sententiam descenderant) ne res à cæteris deprehendatur, seorsum, extra discipulorum consortium; (Iesus namque, vt Euangelista exponit, solus ante alios ibat) Christum adeũt, suáque vota eidem recludunt. Et quid illi ergo petunt? nihil sanè spirituale: Imò verò quid petant, ne ipsi quidem satis intelligunt. Nam si quid petebant, verè intellexissent, nunquam tanta petere ausi fuissent.

Iacobus & Ioannes nihil spirituale à Christo petunt. sed neque quid petant satis intelligunt.

Nescitis, quid petatis. Nescitis quanta res sit ad Dei patris dexteram considere. Non intelligitis, quanto interuallo sessio isthæc, omnium supernarum virtutum vim, & dignitatem excedat.

Sedere ad Dei patris dexteram excedit omnem creatæ rei dignitatem.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? En quo modo ea mox inferat, quæ ab illorum sententia, & petitione prorsus aliena erant? Vos, inquit, de honoribus & præmiis quæstionem mouetis; ego verò de certaminibus; & sudoribus vobis dissero: Neque enim tempus hoc præmiorum tempus est: Præsentia gloriam, non quietem, non alia eiusmodi; sed sedem, sed bella, sed pericula, plurimáque id genus alia exigunt.

Præsentis vitæ tempus nõ præmiorum, sed laborum atque certaminum tempus est.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ecce vt ipso interrogationis modo, illos ad iam enumerata alliciat. Quærit enim, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? nempe quò ipsa pœnarum communicatione, perpessionúmque societate, ad quósuis cruciatus alacriter perferendos, promptiores illos reddat.

Christus per suam crucem Apostolos ad crucem inuitat & animat.

Et Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Rursum passionẽ suam Baptismi nomine designat. Indicat per hoc autẽ, magnam ab illis, quæ perpessurus erat, purgationẽ prouenturam esse. Ipsis quidem ab illo, & per illum; terrarum verò orbi à cruce.

Cur Dominus passionẽ suam Baptismi nomine appellet.

At illi dixerunt, possumus. Sperantes id se concessum audituros, quod petiuerant, statim promittunt.

Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis. Hæc illos, quæ dixerant, ex animo, & non inanis iactantiæ studio impulsos dixisse ostendunt: ait ergo; *Calicem quidem, quem ego bibo, & vos bibetis*, hoc est martyrij gloria donabimini, eaque perpessuri estis, quæ ego: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Aduerte autem vt sensim illorũ animos exuscitet, & erigat, erectósq; & excitatos omni tristitia superiores efficere cõtendat. Ad quid sibi vult, ais, quod Dominus hoc loco dicit: *Sedere ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis?* Duplex namque locus hic dubium offerre videtur, alterum, alicuine homini ad dexteram Dei sedere, constitutum sit: Alterum verò, Dominusne iis dexteram, aut sinistram assignare possit, quibus hæc prærogatiua ab vniuersorum Domino, cœlestique patre parata vel destinata non sit; Ad primum paucis dici potest, nullum omninu mortalium Deo patri dextera aut sinistra assidere; ne vllum omnino assidere illi hac ratione posse: Siquidem thronus hic vniuersæ creaturæ est prorsus inaccessus. Quamobrem Apostolus Paulus eam celsitudinem, eamque ad dexteram patris sessionem soli vnigenito Dei filio attribuit; ait enim: *Ad quem Angelorum dixit aliquando sede à dextris meis. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus: Ad Filium autem: thronus tuus Deus.* Quomodo ergo Christus Dominus hic dicit, inquis: *Sedere ad dexteram, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo?* loquitur enim quasi hæc sessio aliquibus iam parata sit: Nullus ne ergo omnino cœlesti regno potietur? aut aliquis ne ad dexteram patris sedebit? absit. Igitur quæ Dominus respondet, ea ad illorum scopum & mentem, qui eum interrogabant, spectans, respondet; dimittit se namque ad eundem illorum sensum. Neque enim illi throni illius sublimitatem, aut sessionis ad patris dexteram celsitudinem intelligebant. Solum autem primatu in Christi regno potiri cæterisque omnibus anteferri desiderabant. Nam cum de duodecim sedibus audiuissent; neque quid per illas designaretur assecuti essent, duas priores, & honoratiores ex illis duodecim occupare cupiebant.

Duplex dubium de sessione ad dexteram Dei.

Thronus dexteræ Dei vniuersæ creaturæ inaccessus.

Heb. 1.

Quid Apostoli Iacobus & Ioannes per sessionem ad dexteram & sinistrã intelligebant.

Quod itaque Christus dicit, einsmodi est: Motiemini quidé mei causa, eritisque mihi in paßione socij: at hoc interim sat nō est, vt primas sedes iure vobis vindicetis. Si enim alius quispiam accesserit qui vnà cum martyrio omnem aliam virtutem secum deportauerit, aut certè moltò plura, multóque excellentiora virtutum ornaméta in medium attulerit quàm vos, ille vtique præcedet. Neque enim,, quia vos nunc amo, aliúsque certa quadā ratione antepono, ob id opulentiore illo repulso, primatum vobis assigoabo.

Solum martyrium non sat est ad obtinendum primas in regno cælorum.

Illis igitut eiusmodi primatus paratus est, qui per illustriora opera, primis sedibus capessendis præ cæteris idoneos sese reddiderunt. Ex omni itaque parte, quò post Dei gratiam, in proptiarum virtutum præsidiis, præclarorúmque operum muniis, approbationis salutisque spem colloceor, illos impellit: prudentérqne, né de primatu frustra simul & stultè contendant, præmunit. Paucis orationem ita temperauit vt & discipulos erudiret, neque nimia tamen tristitia eosdem affligi sineret.

Secundum Christi gratiam, spes salutis in operibus collocanda.

Quòd autem Christus absolutus omnium sedium, & sessionum sit Dominus, illud ex iis manifestū est, quòd vni ipsi, omne omnino iudicium delatum est. Quare secundùm Apostoli doctrinam, ille est, qui vt iustus iudex, non Paulo taotùm, sed cæteris omoibus, qui diligunt aduentum eius, iustitiæ cotonam redditurus est. Quocitca præstare, quod Iacobus & Ioannes ambiebant; illud Filij facultatem non excedebat: æquè enim regnum illud, cœlestéque præmium iustis à Filio præparatum & destinatum est, atque à Patre. Vnde Marcus quoqne non dicit, à Patre paratum esse, sed simpliciter paratum esse: atque ita ad alteruoi quoque dubium responsum testat. Neque enim Pater seorsum à Filio, ueq; Filius seorsū à Patre prædestinat, aut ordinat; sed vna ad numerum prædestinatione, & ad vitam ordinatione, prædestinant & ordinant ambo. Quærere autem, an Pater vel Filius non prædestinatum prædestinare queat, aliud nihil est, quā quærere, an aliqua mutatio in Devm cadat.

Christus absolutus omnium sedium cælestium dominus.

2. Tim. 4.

Filius æquè ordinat & destinat ad regnum, ac pater.

Et audientes decem, indignati sunt, de Jacobo & Joanne. Tum demum reliqui decem indigoati sunt, cùm duos in iustam Domini reprehensionem incurrisse acceperuot. Animaduertebant sanè iam antè, illos præ cæteris à Christo foueri, & bonorari; attamé quòd Magistri dignitatem vererentur, studióque eiusdem deferrent, patieoter tem tulerunt, neque vsqne ad hanc cōdemnatoriam Christi senteotiam, vnquam in illos iosurrexeruot. Quemadmodum alias quoque propter Petrvm humanum quiddam passi sunt; verùm non ea de causa se molestos, aut ægrè affectos declarabant; sed solùm, quis eorum videretur maior, inter se disquirebant.

Quia ergo duorum discipulorum petitio, in eundem illum scopum, nempe in primatum, nunc quoque collimabat, propterea indignati sunt: at hoc non statim (compresserunt enim & continuerunt se ad tempus) sed tum demum, cùm Christus duos illos increpauit, eorundémque vota illaudata nominique dissentanea ostendit. Vsque adeò per id tempus ad vnum omnes imperfecti adhuc erant. At postea verò illos ab omnibus iis miseriis, & animi morbis, prauísque affectionibus liberos, primásque sibi mutuò deferentes videbis.

Apostoli ante acceptum Spiritum sanctū admodum imperfecti.

Et veniunt Hiericho. Demonstratur hoc loco, quas Domious sanitates præstabat, eas cum potestate præstitisse aiebat enim: *Quid vis tibi faciam?* Demonstratut æquè promiscuam multitudinem Christum Seruatorem nostrum in summo honore, & reuerentia habuisse. Neque enim cæco permittit, vt libet vociferetur, aut obturbet; verùm oon citra comminationem silentium illi mandat. Nempe datur ab ea opera, vt omnia vbique sint quieta & paccata; veluti dum Rex quispiam pertrāsit. Ex quo inferre licet, Iudæorum plebem in Christi cædem nunquam cōsensuram fuisse, nisi magnates, populique principes sua importunitate huc illam adegissent. Praua proinde principum potentia, populo apprimè est noxia.

Praua principum potentia populo apprimè est noxia.

Iesv *Fili David, miserere mei.* Cæcus Christum Dominum Filium Dauid vocat: audierat enim famam de eo in populo sparsam; animaduertebátque quæ iam olim per Prophetas de Messia prædicta fuerant, omnia exactè in eum conuenire. Et quidem Dominus genus illud non repudiat; esto alibi omni carnali genere sese superiorem ostendisset. Neqne enim sanitatem cæco impendisset, si Dauidis filium falsò illum vocasset, aut ea vana fide aut blasphema oratione, eo nomine eundé compellasset: Sicuti nugantur, qui quadam externa tātùm apparentia Dei verbum in mundum hunc venisse, aut ex alieoa substantia, & non ex Dauidis massa, carné suscepisse mentiuntur.

Christus Dominum se Dauidis Filium agnoscit.

Errant qui Christum ex semine Dauid ortum negant.

Quid vis faciam tibi? Cur Dominus istud rogat? Ne quis dicere queat, aliud Christum dedisse, aliud cæcum expetiuisse. Nam priùs vbique illorum voluntatem & scopum, qui sanitaté ambiebant, exqnirere, exquisitáque præsentibus omnibus patefacere solitus erat, quam saoitatem præstaret. Partim quidem, quò alios per boc ad piua quendam zelum & æmulationem prouocaret; partim etiam, quò sanitatis beneficium in digoos collatum publicè coostaret.

Cur Dominus ex ægris exquirere solitum erat, quidnam peterent.

Quod autem cæcus hic, fidelis, collatóque beneficio dignus fuerit, id primò qnidem patet ex ardenti illius inuocatione: moa verò ex eo, quòd à Domino vocatus, cum omni alacritate exiliens, ad illum accurrerit; vestémque, qua indutus erat, quò ad cursum expeditior esset, abiecerit; tantùm non veteré bominem sese exuere, totúmque se Christo dedere symbolo hoc testatum faciens. Postremò autem ex eo, qnòd Dominus fidei illius testimonium perhibuit; aiebat enim: *Vade, fides tua te saluum fecit*, Denique sanitatem consecutus non resilit, quod multi post accepta beneficia facere solent ingratos se declarantes; Verùm vt ante acceptum sanitatis beneficium, fidum constantémque se præbuerat; ita post illud impetratum gratus esse perrexit, sequitur enim Iesum per viam.

Bartimæus cæcus multis modis idoneus erat, cui Christus sanitatis beneficium conferret.

Cæterùm quòd sanitas cæco in via obtigerit, hoc Marco consentaneè tradit Matthæus, & post illum Lucas: Verùm Lucas & Marcus vnius tantùm cæci mentionem faciunt, Matthæus autem duorum. Hæc tamé non pugnant, aut fidem bistoriæ derogant: Fieri enim potest, Marcum & Lucā celebrioris tantùm meminisse; cuius quoque nomen prodit Marcus: vocat enim illum Bartimæum, filium Timæi, quasi vbique tunc temporis notum.

Capvt XI.

E*T cùm venisset ad ficum, nihil inuenit in ea, præter folia, &c.* Matthæus manè ad ficum venisse scribit. At quomodo Dominus ineunte iam mane esuriebat? Certa de causa carni boc iodulgebat: Marcus ad ficum à longè coospectam accessisse, & si quid fortè in ea comperiret, quæsiuisse narrat. Ex quo colligere licet, si noo Christum, certè discipulos aliqnid eiusmodi suspicatos esse. Annotant eoim Euangelistæ, non tantùm verè gesta; sed ea interdum quoque, quæ contingere poterant, vel discipuli obiter suspicati fuerant: Sicut hoc etiam loco Dominum ob id ficum execratū opinantur, quòd fructū noo baberet; & tamen bæc fructuum vacuitas, propria execrationis causa non erat.

Discipulorū opinio de ficus execratione falsa.

Et cur ergo, inquis, Seruator noster ficui, quæ insons alioqui erat, (neque enim ficuum tunc tépus erat) maledixit? Propter discipulos boc fecit. Posteaquam enim vbique beneficia præstiterat, nullum autem puniuerat, consentaneum erat, vt aliquod quandòqne punientis virtutis specimen ederet: quò Apostoli bine discerent, licet Iudæis veniæ pœnitentiæque locum clementer

Dominus ficum propter Apostolos maledixit.

clementer indulgeret; neque omnem statim vitæ succum illis adimeret, adimere tamẽ, imò verò in nihilum illos redigere potuisse. A

Christus Dominus nullũ hominem in terris degens puniuit, potuisse autem punire per porcos submersos & ficum arefactã ostendit.

Noluit autem, quanta virtutis suæ facultas esset, in hominem, sed in rem sensus expertem, hoc est, in fici arborem ostendere. Porrò autem quando in hunc locum incidimus, nemo curiosè inquirat, aut anxiè disputet, iustène an secùs factum sit; sed miraculum editum contempletur & admiretur: Nam de submersis porcis quoque nonnulli hanc quæstionem mouent, factúmque iustitiæ colore destitutum prædicare veriti non sunt. Verùm non est istis nunc immorandum; nobis sat sit, vt ficus in quam maledictio cecidit, sensu; ita porcos in mare præcipites actos, ratione exortes fuisse.

Dicis: si Dominus verè non esuriebat, cur ergo esurientis speciem præ se ferebat? Rursum si ficus innoxia erat, cur insonti maledicebat? Iam antè dictum est, propter Apostolos, eorumdémque informationem, id factum esse. Insinuabatur præterea facto illo profundum quoddam mysterium. Instas nihilosecius; at non tum tempus ficorum, adeóque ficus innoxia erat? ita est; ast hinc rursum confirmatur, Christum Dominum secreto consilio, hoc est, non propter famẽ, sed propter discipulos, aut certè propter aliam occultam causam, ad hoc se dimisisse. Nam quis sana mẽte præditus, summo manè adeò esuriisse credat, vt veluti inediæ impatiens sensus experti ficui malediceret? Quòd si vera aliqua, naturalique inedia laborasset, non deerat, quo illã sedaret: nihil enim prohibebat, quò minùs, antequam è domo egrederetur, aliquid cibi caperet. Neque dici potest fructuum conspectum eam in illo appetentiam excitasse: quandoquidem non erat tum temporis ficuum prouentus. B

Hoc secretum putatur fuisse Iudæorum sterilitas & incredulitas, horum enim ille salutem & fidem ardenter sitiebat.

Denique si verè esuriebat, cur non aliunde potiùs, quàm à ficu, ex qua, vt certò ex Euangel. constat, fructũ tum habere non poterat, quia istiusmodi fructuum tẽpus tunc non erat, escã petebat? Qua rursum indignatione dignum erat, non habere fructus, extra fructuum tempus? Ea propter qui rationis iudicio non penitus destituuntur, haud difficulter ex his colligere possunt, non adfuisse naturalem aliquam inediam, aut famem; Verùm famis vltro assumptæ prætextum obtulisse causam, vt suam ipse virtutem ostenderet. Ne autem Apostoli ob virium imbecillitatem, aut naturalem esuriem, cibi desiderium præ se gessisse, aut ficui maledixisse existimarent; sed alio illum spectasse animo pertractarent; arborem, quam sola increpatione statim extingueret, eiusmodi selegit, quæ insitam humiditatem non facilè desetere solet, etiamsi radicitus excidas.

Christus Dominus famem vltro assumpsit, quò idoneã ostendendæ virtutis suæ causam haberet.

Ficus insitum humorem non facilè deserit, etiamsi radicitus excidatur.

Et cùm introisset in templum, cœpit eiicere vendentes & ementes. Hæc ipsa etiam Ioannes exponit; verùm sub Euangelij sui initium: Marcus autem, (vt Matthæus & Lucas quoque) sub finem. Quamobrem probabile fit, idem illud heroïcum Christi factum, diuersis temporibus bis accidisse; potestque sententia hæc non modò ex temporis ratione, verùmetiam ex verborum qualitate confirmari.

Sunt tamen qui dicant, tres Euangelistas, dum Christi ad Hierosolymorum ciuitatem ascensum, eiusdémque in templum ingressum describunt, accurata temporis ratione missa, rem ipsam tantùm persecutos esse: Ioãnem verò, qui historiam illam cæteris diligentiùs enarrat, satis apertè insinuare, CHRISTVM Dominum ee primo ascensu patrasse, quæ reliqui paulò ante mortem contigisse commemorant. At multò verò credibilius fit, Matthæum, Marcum, & Lucam compendium sectatos, primum ascensum, & in templum ingressum prætermisisse, tantùm autem postremum attigisse; atque ideò duos, aut fortè plures in vnum conflasse. E

Vero affinior illorum est sententia, qui Christum bis ementes & vendentes è templo exturbasse dicunt, semel sub initium prædicationis cuius meminit Ioannes iterum sub finẽ, cuius mentionem faciunt tres reliqui

Aggrauat autem Iudæorum causam non parum quòd Dominus idem factum semel iterúmque repetentes, ipsi nihilominus in sua illa arte cauponaria, & infami nundinatione obstinatè vsque perstabant; ipsúmque veluti Dei & legis aduersarium, iniquè criminari vsque pergebant; cùm hic tamen summam illius erga Deum reuerentiam & zelum, summámque eiusdem potestatem veluti ex euidenti quodam argumento meritò discere & colligere debuissent. Videbant enim omnia illius dicta & facta, omni ex parte inter se conspirare & consentire. Verùm tantum aberat, vt per hæc illi placarentur, aut persuaderentur, vt magis quoque insanirent, & indignarentur. A

Euangelistæ, quàm qui semel tantum.

Iudæi in sua malitia obstinati, & ad omnem admonitionem surdi & duri.

Esai. 57. Hier. 7.

Nónne scriptum est, quia domus mea, domus orationis vocabitur? CHRISTVS Dominus muri loco opponit illis Esaiam, qui eos accusat, quò vel hac saltem ratione, animi illorum incendium nonnihil restinguat, seséque à DEO venisse, omnibus planum faciat.

Dominus Iudæos per Esaiam incusat, seséque à Deo venisse demonstrat.

Vos fecistis eam speluncam Latronum. Saluator noster negotiatores illos, propter prædatorium auaritiæ vitium, Latrones vocat: siquidem quæ ad sacrificiorum vsum necessaria erant, hæc illi in turpis quæstus materiã vertebant. Alij enim lucri causa venditabant boues, alij oues, alij turtures vel columbas, alij aliud. Nonnulli etiã erectis mensis rem nummariam tractabant, hoc est, nummulos ærísue minuta lucelli causa cum nummis grandioribúsue numismatis permutabant. Multò autem seuerius, multóque terribilius hoc Christi factum euasit, posteaquam non sermonis lenitate, vt solet, sed verbere vsus: vendentes è templo expulit, mensasque nummulariorum euertit.

Cur Dominus ementes & vendentes in templo latrones vocet.

Christus vehemens & seuerus in eos qui vendebãt in templo.

Quo audito, principes Sacerdotum quærebant, quomodo eum perderent. Intelligebant enim, ad se pertinere, quæ ab illo facta fuerant. Dominus itaque ab hostibus vndique obseptus, interdum quidem per medium illorum inaspectabilis transibat: Nonnunquam verò omnibus cõspicuus, vi quadam occulta prægnantem illorum nocẽdi cupiditatem comprimebat: Hoc autem loco multitudinis timor sacerdotum principes à maleficio absterrebat. Nam ne œconomiam secundùm carnem de veritate suspectam redderet, aut fidem illi abrogaret; non omnia semper supra humanam virtutem, & naturam faciebat; sed quædam tantùm. Illi autem neque propter plebis in Christum studium moderatiores; neque per Prophetarum de Christo oracula & testimonia prudentiores euadebãt; verùm in sua cæcitate obstinatè vsq; perstabant: vsque adeò malitia & auaritia illorum animos semel & simul impleuerant, & ad Christi cædem accenderant. C

Christus Dominus ante constitutum mortis & crucis tempus variis modis & mediis Iudæorum insidias euasit.

Cur Christus sæpe humanis præsidijs vtebatur.

Iudæi auaritia, & odio prorsus occæcati.

Et cùm vespera facta esset, &c. Præsens Euangelista quid postero die acciderit, accuratiùs exponit: Scribit enim cùm sequenti luce ex suburbiis ad ciuitatem reuerterẽtur, discipulos ficum radicitus exaruisse animaduertisse. Matthæus verò exactam temporis rationem mittens, ficum, cui maledixerat Iesus, statim exaruisse asserit, eáque de causa Apostolos supra modum obstupuisse. Verumenimuerò licet mox exaruerit, ipsi tamen rem hanc non statim deprehenderunt; sed postero demum die. Est enim vis diuina efficax & expedita, cùm in viuificandis iis, quæ emortua iacebant; quemadmodum ex iis cognoscere licet, quos Christus Dominus ex mortuis ad vitam reuocauit: tum in extinguendis rursum illis, quæ vita prædita erant: vt patet hoc loco de ficu. De præpotenti hac Dei virtute in viuificando & mortificãdo, alicubi ita proditum extat: Ego occidã, & viuere faciam: Ego viride lignum desicco; & aridum rursum virescere facio. D

Ficus statim quidem exaruit, sed res hæc non statim ab Apostolis animaduersa fuit.

Diuina vis expedita & efficax rebus viuificandis & mortificandis.

Cùm stabitis ad adorandum, dimittite, si quid habetis. Sensus est, vt animi mundıtia, quam vera pœnitentia parit, vobis obtingat, veniamque peccatorum consequamini, per gratuitam iniuriæ ab homine vobis illatæ condonationem, viam vobis ad Deum munite, ansamque, vt vestras vobis noxias gratuito condonet, illi offerte. Per hæc autem Apostolos in spem erigit, quasi dicat; nullam vnquam repulsam merueritis, dummodò orationem puram fidéque munitam obtuleritis, E

Pœnitentia animi munditiam parit.

Nam quòd de ficu subitò arefacta plurimum admirabantur, id non proueniebat ab excellenti aliqua fide, sed ea fidei imbecillitate: Neque enim opus illud magni alicuius ponderis erat, si Dei virtutem spectes. Quia ergo diuinam illius virtutem non satis exploratam habebant, propterea ab incredulitate, qua tenebantur, tacitè illos abducere; nec non quantum sit fidei robur ostendere contendit.

Quod Apostoli ficum arefactam admirabantur subito in fidei imbecillitate proueniebat.

Et cùm ambularet in templo, &c. Quandoquidem signa illius falsitatis insimulare non poterant, ob id cauponantium, & nundinationem in templo exercentium expulsionem in medium adferunt; quod autem dicunt eiusmodi est: Sacerdotio ne summo initiatus es, vt tantam tibi potestatem sumere audeas? Atqui Dominus nihil fecerat, quòd vlla prorsus cum arrogantia, aut temeritate coniunctum esset. Procurauerat autem ea tantùm, quæ ad sacri loci ordinem quàm maximè facere videbantur. Attamen, quòd aliud nihil, quod obiicerent, haberent; illud quod dixi, innoxiam trahere conabantur.

Et quidem cùm negotiatores è templo eiiciebat, nihil ausi sunt dicere, propter miracula, quæ, vt Matthæus narrat, tum faciebat: At verò vbi denuo illum in templo conspicati sunt, statim non absque increpatione eum inuaserunt, tantùm non eiusmodi oratione ipsi insultantes. Cur tu id prohibere audes, quod nullo vnquam tempore nos inhibuimus? Cur nostram in sacrorum administratione incuriam reprehendis? Cur publicè, quasi circa ea, quæ templi sanctimoniam & religionem decent, negligentes extiterimus, nos confundis?

Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? Si Iudæi Ioannem tanquam virum sanctum & veracem recepissent, consequens erat, vt illius de Christo testimonium quoque reciperent. Illo, autem semel admisso, vnde Seruator potestatem illam acceperat, ignorare nõ poterant; ob hoc ergo dicit: *Interrogabo vos, & ego vnum verbum, respondete mihi, & dicam vobis, in qua potestate hæc faciam*, hoc est, si Ioannem Baptistam testimonium de me perhibentem receperitis, haud difficulter, quis ego sim, intelligetis.

Iudæi non poterant Ioannis testimonium de Christo admittere & Christum reiicere, aut potestatem illius ignorare.

Cæterùm cùm Christus Dominus de Ioannis Baptismo interrogat, de gratia & sanctimonia, qua ille præ cæteris mortalibus ornatus erat, interrogat. Illa enim vna erat, quæ eum venerandum, & testem fide dignum, omnique exceptione maiorem, apud omnes efficiebat. Exponite ergo mihi, ait Christus, ex Deóne erat Ioannis Baptisma, an ex hominibus? Quòd autem ex Deo esset, id ipsemet Ioannes iam dudum antè planum fecerat, omnibúsque efficaciter persuaserat.

Dum Christus de Ioannis Baptismo interrogat, de illius sanctitate & authoritate interrogat.

Et respondentes dicunt: nescimus. Hærent hîc miseri, & quid respondeant prorsus ignorant: Nam si conceptam de Ioanne eiusdémque Baptismate veritatem liquidò profiteantur; ne testimonium, quod CHRISTO dederat, statim ab omnibus verum extitisse deprehendatur, adeóque suam ipsi perfidiam cunctis mox patefaciant, verentur. Si autem ex Deo fuisse inficientur, ne in grauem totius populi offensionem incidant, meritò formidant. Ab omni itaque tuta, commodáque responsione exclusi; nescimus, aiunt. Ad quæ illico Dominus.

Cur Pharisæi de Ioannis Baptismo interrogati, responderunt, nescimus.

Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam. Cùm in aperto sit responsum dare vos detrectare; non quòd verum ignoretis, sed quòd verum dicere non velitis; *neque ego vobis dico*, ait CHRISTVS *in qua potestate hæc faciam.* Non respondet autem nescio; sed respondet, non dico, quasi dicat: Quandoquidem compertam veritatem agnoscere defugitis; neque à me quoque vllam responsionem feretis; etsi alias etiam indigni sitis, qui de me, quis sim, audiatis: Siquidem testem illum, qui in testimonium venerat, vt testimonium perhiberet de lumine, non recipitis. Enimuerò si iuxta illius testimonium me veram illam lucem esse credideritis, intelligeretis, vtique, me iure tenebras à templo submouisse. Ecquid enim aliud sunt auaritia, & turpe lucrum, quibus templum scatet, quàm tenebræ, quæ bonum, & honestum cerni non sinunt?

Ioann. 1.

Auaritia, turpe lucrum, aliaque eiusmodi tenebræ erant, quibus templũ obscurabatur.

CAPVT XII.

Et cœpit illis in parabolis loqui, &c. Parabola hæc indicat, Iudæos non solùm in Ioannem, cæterósque Prophetas ingratos extitisse; verũ in ipsum etiam Dominum. Etenim à seruis sæuitiam exorsi, ad Dominum ipsum sæuiendo progressi sunt. Quare etiam iure optimo proscriptionem illis vaticinatur. Vineæ autem nomine Israëlem designat (hinc enim apud Esaiam dilectam vineam appellat) per Patrem verò familias, DEVM.

Quid per vineam designetur mystice. Esai. 5.

Et circundedit sepem. Hoc est diuina cura & prouidentia muniuit illam. Quapropter Deus apud Prophetam Esaiam, sepem sese à vinea ablaturum interminatur. Per sepem ergo diuinam custodiam, cœlestéque præsidium significat.

Esai. 5.

Et fodit in ea lacum, vel, vt alius habet, torcular. Per torcular autem altare; per lacum verò vas, quod torculari subiicitur, exprimit. Cuiusmodi quidem vas in templo erat illud, quod hostiarum sanguinem subter altare excipiebat. Per turrim autem, templum illud augustissimum, & apud omnes mortales longè celeberrimum denotat.

Quid spiritualiter significetur per vineam sepem, quid item per torcular & lacum & turrim, &c.

Et locauit eam agricolis. Hoc est, summis Sacerdotibus, & legis Doctoribus.

Et peregrè profectus est. Hoc est, temporis spacium, quantum sat erat, vt fructum facerent, illis indulsit: quem etiam, vbi peregrè denuò rediisset, iusta ratione exigere posset. Hæc autem secundùm propositũ parabolæ scopum, iuxta quẽ Filius hoc loco inducitur, de patre propriè dicuntur: Quandoquidem incarnatio non Patris, sed Filij est propria. Interim sermo de Patre familias institutus, Filium à Patre non seiungit: siquidẽ per ipsum facta sunt omnia.

Agricolæ Sacerdotes & legis Doctores.

Et misit ad Agricolas in tempore seruum, &c. Post hæc, scribit, per seruum suum fructuum prouentum hoc est, tempestiuum temporariæ vitæ huius fructum & meritum exegit. Verùm agricolæ primum hunc patris familias seruum, loco fructuum verberibus oneratum demiserunt; attamen hunc non occiderunt. Eundem illum virtutum prouentum, per alium denuo seruum, vt peteret, vrsit; sed frustra, quippe qui illum in capite sauciatum remiserint, contumelioséque de vinea expulerint. Quin tertium rursus, & plures præterea alios seruos, qui idem illud fructuum debitum exigerent, ad illos ablegare visum fuit: ast eodem omnino euentu, quo cæteri antea ablegati fuerant. Tandem quò hac saltem via, vultum illius veriti, confunderentur & emendarentur, per proprium filium rem tentauit: qui incredibili quoque gratia & beneuolentia cum illis egit. Misit hunc autem; tametsi quid futurum erat non ignoraret; quò colonos illos omni prorsus ignominia & pœna dignos palàm ostenderet, si huic tãto, & tam benigno filio familias morem non gererent.

Christus incredibili gratia & beneuolentia cum Iudæis egit, sed frustra.

Per primum autem seruum, eos Pastores & Doctores designatos volunt, qui ætate Eliæ vixere, & ipsum etiam Eliam, cæterósque Prophetas, qui tum temporis apud Iudæos florebant. Per secundum verò Esaiam, Oseam, Amos, & reliquos hisce Patribus æquales. Per tertium autem Ezechiëlem, Danielem, aliósque illius ætatis Synagogæ duces & Magistros. Iuxta hanc ergo partitionem, pater familias tribus diuersis annis, hoc est, tẽporibus venit fructum ex hac ficu, vel vinea quærens; sed nullum comperit. Ad Prophetas itaque triennium illud referatur; vt quartus aduentui Domini nostri asseruetur, & non tertius.

Qui designentur per seruos quos pater familias misit ad exigendũ fructum vineæ.

Coloni autem dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum. His verbis parabola nefarium colonorum facinus, aduersus

aduersus Dominum suum ob oculos ponit: Etenim cùm verissimè ad se missum, hæredem esse intellexissent, potiundæ hæreditatis spe incitati, maiorem crudelitatem, maiúsque piaculum in legitimum Dominum suum ausi sunt, quàm antea vnquam in illius seruos. Et quodnam illud? Vnicum illum legitimúmque hæredem, hoc est, cœlestis Patris Filium, immaniter trucidarunt, trucidatúmque extra vineam abiecerunt.

Crudele colonorum facinus in Dominum suum.

Et eiecerunt illum extra vineam. Coloni illi Christum extra vineam, hoc est, extra templum & ciuitatem eiectum, occiderunt.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet & perdet colonos. Hæc secundum parabolæ seriem, ad Filium referri commodè non possunt, tametsi is quoque vnà cum patre de iniquis seruis supplicium exegerit; sed ad patrem.

Perdet colonos, & vineam suam dabit alijs. En quòd Iudæorum populus in Romanorum ius ditionémque deuenerit; id non tam Romanorum, quàm vindicis Dei opus extitisse. Tunc autem mystica illa vinea aliis colonis, nempe Apostolis & Ecclesiæ Doctoribus ex Gentibus ad Christum conuersis, excolenda tradita est. At verò plena perfectáque improborum illorum colonorum punitio secundo Filij Dei aduentui asseruatur.

Iudæi in Romanorum ditione Deo auctore venerūt. Hierosolima capta, vinea mystica ad Gentes, ad Christum per fidem conuersas translata est.

Lapidem, quem reprobauerunt, ædificantes. Dominus passim fore indicat, vt Iudæis repulsis & excisis, Gentes assumantur, & inserantur. Appositè autem à Domino id factum additur; nempe vt hinc discamus, nihil eorum omnium, quæ fiunt, Deo aduerso, aut inuito fieri. *Et est mirabile in oculis nostris.* Et hoc quoque non citra causam, vt paulò post explicabitur.

Nihil fit Deo inuito.

Quis lapis ab ædificantibus reprobatus, & quinam illi ædificatores.

Lapidem, quem reprobauerunt, ædificantes. Dominus se ipsum lapidem vocat; ædificatores autem illos ipsos, quos paulò ante vineæ colonos, nimirum Iudæorum Pontifices & Doctores. Se ipsum porrò, posteaquam ab Architectis illis repudiatus fuerat, in caput anguli constitutum asserit: vt pote medium inter Iudæos & Gentes. Addit tandem à Domino factum id esse, & apud homines præsertim intelligentes miraculi loco haberi. Admirantur enim, & meritò, Christum post mortem denuo viuum in medium prodire, summâque potentia cœlestibus & terrestribus simul imperare, & Gētes antè profanas, sanctas Deóque acceptas & familiares efficere.

Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam. Non sat erat illis, quòd Christo non crederent; verùm quòd reprehensionem eius non ferrent, ad pœnam quoque illū abripere contendebant: cùm tamen non apertè, sed tectè admodum illos reprehenderet, multóque Salomone teste, melior sit manifesta reprehensio, quàm occulta hoc est, simulata & adulatoria amicitia. Ad cædem autem præcipiti animo ruentes, hominum, non Dei timore, à nefario opere absterrentur.

Melior manifesta reprehensio, quàm simulata amicitia. Iudæi humano terrore absterrentur à cæde Christi.

Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis. Herodiani ætate illa, vt fertur, erant, qui Herodem Christum in lege promissum esse contendebant. Sunt tamē, qui per Herodianos Herodis satellites intelligant. Hos autem tāquam vero Christo infestissimos; suóque principi addictiss[imos] illorum interrogationi testes adesse voluerunt qui eum tentatum venerant; & aliquid ab eo, quo censum Cæsari pendere, vetaret, audire cupiebant; quò nimirum Herodianorum præsidio, & testimonio stipati, efficaciorem aduersus illum accusationem instituere possent. Hac enim mente ad Christum venisse, præsens Euangelium disertè indicat; scribit enim.

Qui fuerint Herodiani apud Iudæos. Quare Iudæi Christum capere conantes, Herodianos sibi adiunxerunt.

Licet dare tributum Cæsari, an non dabimus? Huc enim pertinent præclara illa encomia & testimonia, quibus Christum cumulant. Allegant enim quòd & verax sit & veritatem liberè doceat, omnémque virtutis actum verè exerceat. Tum quòd vitia cum fiducia & publicè reprehendat, nullúmque metuat, prout vnum hoc inter cætera DEO peculiare est, vt nullum curet, nulliúsque hominis faciem formidet. Hæc enim omnia eo fine adferunt, quò callidè illum in Cæsaris contemptum pertrahant, eósque alienos ab illo reddant, qui tributum illi exsoluere soliti erant. Compertum enim habebant, Iudam Galilæum, quòd terreno Regi parendum non esse, neque ferendum, vt singulorum facultates is censeret, docuisset, periisse; omnésque, qui studia illius sectati fuerant, dissipatos esse.

Iudæi, quò commodius illum capiant, Christo adulantur.

Quis fuerit error Iudæ Galilæi.

Contra hoc igitur occultum & dissimulatum tentamenti genus, Seruatoris oratio dirigitur. Primò ergo hoc ipsum reprehendit, quòd tentandi animo accesserant. *Quid me, inquit, tentatis?* Facit hoc autem ne Domino astutè sese imposuisse gloriari queant. Tum verò, quò Christum Dominum intima cordis illorum sensa explorata habuisse, certò hinc agnoscant. Quòd enim liquidò illa comperta habuerit, hoc verba illa, *Qui sciens versutiam illorum &c.* dilucidè indicant. Deinde verò denarium, qui tributi nomine, Cæsari exolui consueuerat, offerri iubet. Eo tandem oblato quærit:

Cuius est imago hæc, & superscriptio? Quærit autem de numismatis inscriptione, non quòd eam ignoret, verùm quò ex illorum responsione, & numismatis inspectione commodum, rationique consentaneum, ad propositam quæstionem responsum adferat, hoc est vt ex eo, quod illi respondent, illud quoque audiant, quod necessariò inde consequebatur. Etenim cùm seruator noster; *Cuius est hæc imago, & superscriptio*, interrogasset, ipsique Cæsaris esse respondissent, statim ex illorum oratione conuenientem intulit responsionem; nempe hanc: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Cur Dominus rogarit, cuius est hæc imago &c.

Adiunxit autem: *Reddite quæ sunt Dei Deo*, ne quam Iudæis cauillandi ansam relinquat. Nam ni hoc fecisset, dicere poterant, Cæsari adulari voluisse: Siquidem abiecta quædam res, vilísque seruitus videtur, hominem homini obstrictum certúmque vectigal illi exsoluere obligatum esse, Deo autem nihil. Demum responsionis acumen admirati,) neque enim vlla ratione illum capere poterant) victi confusique abiuerunt.

Et venerunt ad eum Sadducæi. Quales fuere Sadducæi? Secta quædam Iudæorum, à Pharisæis, cæterisque Hebræorum sectis secreta, quæ inter alia docebat, neque carnis resurrectionem esse; neque Angelum, neq; Spiritum. Et quidem nullam illi hic de carnis resurrectione quæstionem directè mouent. Confingunt autem rem quandam, tanquam verè gestam, quæ(vt probabile fit) nunquam vsu venerat; puta vnam mulierem septem ordine fratribus nupsisse. Rati hoc commento in inextricabilem difficultatem se CHRISTVM coniecturos; nullámque post hanc vitam carnis resurrectionem superesse, certò euicturos.

Errores Sadducæorum varij.

At cur non duos, aut tres; sed septem fratres eandem vxorem duxisse comminiscuntur? Quò per maritorum multitudinem & copiam, resurrectionem suggillent, eandémque publicè deridendam proponant. Quare etiam addunt, & omnes eam habuerunt. Ecquid autem ad hoc Christus? ad vtrumque respondet; non quidem ad illorum verba orationem dirigens, verùm ad illorum mentem spectans. Respōdet autem, carnis resurrectionem certò quidem futuram; neque talem tamen, qualē, vt tradunt quidam, Pharisæi futuram existimabāt. Quid verò ait?

Pharisæi circa carnis resurrectionem quam confitebantur errabant.

Erratis nescientes Scripturas; neque virtutem Dei. Cùm enim tanquam sacrorum periti, Moysen & legem alligarent, Dominus vicissim ostendit, illos neque sacras Scripturas, neque adeò Dei virtutem, quæ in illis, & per illas manifestatur, satis intelligere. Et quia ea præcipuè de causa carnis resurrectionem inficiabantur, quòd eiusmodi rerum statum, & constitutionē in altero sæculo fore imaginabātur, cuiusmodi nunc experimur;

Cur Sadducæi carnis resurrectionē negabant.

propterea Dominus primũ omnium causam hanc submouet, mox verò, quod ex eiusmodi falso principio illatum fuerat, aut certè inferri poterat, tollit. Vtitur autem tali oratione:

Cùm à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur. Sensus horũ est: vos Sadducæi pro rationis vestræ fundamento mendacium ponitis, scripturas, quæ de carnis resurrectione agunt, non intelligentes, neque virtutem Dei, quæ solo verbo ex iis, quæ non sunt, constituit vniuersa corruptáque & in aërem dilapsa, in integrum identidem instaurat, non comprehendentes.

Post carnis resurrectionẽ nullus amplius erit orsus aut interitus.

Quia ergo homines, post carnis resurrectionem in multitudinem ampliùs non diffundentur; sed Angelorum more integri perpetuo incorruptique persistent, propterea nuptialis societas & cõmunicatio nulla post hanc vitam & reliqua erit, hoc enim per verba illa: *Et erunt sicut Angeli Dei in cælis*, indicatur. Quemadmodum enim Angelorum multitudo tametsi ingẽs per generationem non est multiplicata, neque vnquam multiplicabitur, sed tantùm per creationem; ita quoque exuscitatorum hominum multitudo fœlici illi seculo, per generationem ampliùs non propagabitur.

Angelorum multitudo nõ per generationem sed per creationem est facta.

De mortuis autem, quod resurgant, non legistis? Quòd autem carnis resurrectio per diuinam potentiã fieri queat, eadémque certò futura sit olim, Dominus humanæ rationis argumentis missis; ex diuinæ Scripturæ fundamentis constituit. Neque enim Deus apud Moysen eorum, quæ non sunt, Deum se vocat, sed rerum existentium; *Ego*, inquit ibi, *sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, hoc est, Ego viuentium, rerúmque existẽtium Deus sum, mortuorum autem, aut eorũ, quæ nusquam existunt, non ita.

Christus ex Scripturis carnis resurrectionem probat.

Exod. 3.

Non ignoramus verò, qui à Valentino, & Marcione stant, quæ hic dicuntur, in dubiũ vocare, totiúsque Dominicæ huius sententiæ vim, ad solas animas transferre: de his enim tanquam de viuentibus Dominum locutũ dicunt: quando non mortuorum, sed viuentium Deum se appellabat. Verùm hoc imperitè; neque enim de animarum resurrectione Sadducæis cum Christo & aliis certamẽ erat, sed de corporum. Ea propter Dominus de corporum tantùm resurrectione respondet & disputat, non etiam de animarum.

Valentinus & Marcion homines hæretici Christi verba peruertunt.

Dicitur autem, tum demum, qui mortuus fuerat, resurgere, cùm anima vnà cum corpore, quod antè informauerat, naturaliter denuo coit; non quòd anima illo temporis interuallo, quo à corpore soluta fuit, in nihilum abierit; sed quòd interea loci, quasi otiosa & inefficax propria munia, hoc est, ea, quæ in corpore alioqui solita erat, non obierit, eásque functiones extra corpus non habuerit, quæ intra illud habere & exercere consueuerat: Siquidem ex vtroque vna communis hominis vita constituitur. Quare vt homo ex mortuis verè resurgat, vtrumque rursum simul coëat, oportet.

Quis verè dicatur ex mortuis resurgere, quodue ad veram corporũ resurrectionẽ sit necessariũ.

Et accessit vnus de Scribis. Matthæus Scribam hunc tentandi animo interrogasse narrat; Marcus autem oppositum insinuat; ait enim: *Iesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei.* At non pugnant hic Euangelistæ, sed oppidò inter se conspirant: Siquidem initio tentandi animo quæstionem mouit, verùm ex Domini respõsione mutatus, & nonnihil quoque emendatus, laudari à Christo promeruit. Neque enim Seruator noster, in ipso statim exordio illum laudauit, sed tum demùm, quando dixit: *Bene magister dixisti, &c.* Item: *Diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatis, & sacrificiis*: Tunc enim Dominus intulit; *non es longè à regno Dei.* Quia iam tum humilia illa & abiecta calcauerat, virtutisque principium; & quasi arcem apprehenderat. Quandoquidem omnia sacrificia, & holocaustomata, & Sabbata, & cætera omnia legalia in vnum hunc dilectionis scopum collimabant.

Omnia legalia sacrificia legisque præcepta referebãtur ad Dei & proximi charitatem.

Sed neque post illam orationem quoque, absolutam laudem illi tribuit; sed tantum diminutam: Nam hoc ipso quòd, *non es procul à regno Dei*, aiebat, illum à regno adhuc distare indicabat; etsi non ita procul vt antè: idque eo animo deferebat, vt ea, quæ ad finem hunc obtinendum ipsi adhuc deerant, studiosè inquireret. Et cur ergo initio eiusmodi quæstionem Christo proponebat, ais? Venabatur ansam, vt Christus Dominus propositæ quæstionis occasione se vel Deum pronunciaret vel tale quid diceret, quod iure carpi & reprehendi posset. Quid autem ad eam captionem Dominus? Hominem omni charitate vacuum, inuidia autem & æmulatione rabidum & incensum ad hoc consilium deuenisse ostendit; ait verò: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc est primum mandatum, Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum.*

Cur Dominus dixerit legisperito, nõ es procul à regno Dei.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, &c. Lex hæc eiusdem verbi circa eandem materiam repetitione, præ cæteris abundat; habet enim: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, &c.* Facit hoc autem, quò hominem tanto Dei amore flagrare debere commonstret, vt nihil prorsum in vllam omnino animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut aliò transferat.

Quo sensu Deus diligendus dicatur ex toto corde & ex tota anima &c.

Hanc autem dilectionem, Christus Dominus, & primum, & maximum mandatum vocat, hoc quidem, quia inter omnia arcem tenet; illud verò, quò secundũ quoque, quod à primo diuelli non debet, commodè inferre queat. De vno itaque; hoc est, de primo tantùm interrogatus, alterum, circa quod primum incolume cõsistere non valet, reticendum non putauit. Neque enim vera est illa Dei dilectio, quæ proximi dilectionem consociatam non habet: De primo proinde rogatus, secundum, quod certa quadam ratione primo non cedit, adiunxit.

Cur Dei dilectio appellatur primum & maximum mandatum.

Dilectio Dei sine dilectione proximi constare non potest.

Secundum autem est simile illi. Cur hoc illi simile? Quia hæc dilectio illam parit, & viam quodammodo ad eam munit. Ex hoc namque quod nos ipsos (qui inter illos, qui proximi appellatione veniunt, primatum obtinemus) & proximum tanquam membra nostra amamus prouenit, vt Dominum & Deum nostrũ amemus quoque. Nam cùm nos ipsos diligimus, necessariò eum etiam amamus, qui tales nos fecit, vt illi qui secundùm suam imaginem nos efformauit, similes quodammodo simus. Non enim ex eo, quòd Deum amamus, amamus nos ipsos; Verùm dum nos ipsos diligimus, incitamur & admonemur, vt grati illi simus, qui nos procreauit, taliáque ac tanta beneficia in nos cõtulit, qualia & quãta enumerare non valemus: adeóque vt munera ab illo nobis impensa, per dilectionem, (quæ in præceptorum obseruatione præcipuè posita est) pro viribus rependere ac compensare studeamus: notum est enim illud CHRISTI: *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Item: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et illud rursum eiusdem: *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Et illud tandem Dauidis: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quod ergo præceptorũ omnium facilè caput est Legisperite? *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum.* Quæsito, quod scriba de primario legis præcepto proposuerat, soluto: Dominus vicissim eiusmodi quæstionem mouet.

Proximi dilectio dilectionem Dei quodammodo parit.

Ioan. 14.

Ioan. 3.

Psal. 13.

Quomodo dicunt Scribæ, Christum esse Filium Dauid? Posteaquam Saluator eum laudauerat, qui vnum tantùm DEVM esse dixerat, ne iure illi obiicere possent, quòd signa quidem & miracula patraret, legi nihilominus & DEO hoc ipso manifestè aduersaretur, quòd diuinitatem temerè sibi arrogaret. Propterea quæstionem hanc mouet, arte quadam huc illos inducere contendens, vt ipsum DEVM esse agnoscant & fateantur.

Quomodo dicunt Scribæ? Cùm Christus Dominus paulo

post

post ad crucem & mortem abiturus esset, Prophetæ locum, qui propriè & quasi ex instituto de ipso illiúsq; diuinitate agit, Iudæis ob oculos ponere voluit. Fecit hoc autem non simpliciter, aut inconsultè; sed iusta rationique consentanea causa motus. Etenim cùm erroneam illorum opinionem, qui ipsum purum hominem esse credebant, euertere in animo haberet, eiusmodi Dauidis oraculum in medium adducendũ existimauit, quod illum verum Deum, verúmque & naturalem Dei Patris Filium esse disertis verbis prædicaret; nec non Christum Iesum eiusdem cum Deo Patre honoris, dignitatis & majestatis esse clarè demonstraret. Sed neque inter hos terminos Dominus adhuc consistit; verùm quò metum illis incutiat, quæ ibidem consequuntur mox subdit, nempe hæc: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:* Quò vel hac saltem ratione ad sanæ mentis statum illos reuocet, quærit ergo primo.

Dauid Christi diuinitatem eiusdémque cum Patre æqualitatem disertis verbis prædicat.

Psalm. 109.

B *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?* Excitat autem quæsitum hoc, quò ex sua hac interrogatione, illorúmque responsione commodius, quo tendebat, perueniat.

Dicunt ei, Dauid. Ita Dauid ipse docuerat. At rursum interrogat ille.

Quomodo ergo Dauid in Spiritu, vocat eum Dominum? In Spiritu nimirum sancto addit, ne, quæ dixerat, ex se, vel ex suo spiritu dixisse videretur. Simili quoque consilio non dixit: quid vobis videtur de me? sed dixit: *quid vobis videtur de Christo?*

C *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* En quomodo omni ex parte illos concludat & inuoluat. Interim Dauidis se filium esse non negat; absit, verùm opinionem, quam de eiusmodi cognatione habebant, emendat. Quæ enim rectè hoc loco insinuat, eiusmodi sunt. Vt vos putatis Christus Dauidis tantum filius est, non etiam eiusdem Dominus: & tamen res ita non habet; neque enim hoc tantùm, vel illud solùm est, sed vtrúmque simul est. Verùm quo modo vtrúmq; est, illorum interrogare erat; at nihil interrogant: Nõ enim quæ meritò scire, & discere debebant, ea discebant, aut scire laborabant.

Christus vtrumque est, & filius Dauidis & Dominus Dauidis.

Iudæi non laborabant vt ea scirent & discerent, quæ scire debebãt.

D *Ipse ergo Dauid dicit eum Dominum.* Seruator infert, Christum Dauidis Dominum esse. Poterátne eadem opera inferre, Iudæorum omnium Dominum esse? poterat sanè; verùm vt Iudæi istud audirent, necdum opportunum erat. Tu autem perpende hoc loco prudentem Christi Domini discursum; neq; enim ex operibus tantùm Dauidis se Dominum esse ostendit, verùm ex ipsa etiam Dauidis assertione, apertáque eiusdem testificatione ostendit, æquè Prophetam Dauidem pro Christo, tanquam pro vero suo Domino, stare & decertare, summámque inter vtrumque concordiam intercedere, atque adeò Christum non solùm legitimum Dauidis filiũ, sed verum quoque germanúmque Dauidis Dominum esse. Neque enim vt filius patris sui Dominus vocetur vsus habet; sed oppositum vbique obtinet. Quare etiam Betsabæa, vt Iudæi non ignorant, filium suum Salomonem, non patris sui Dominum, sed patris sui seruum vocat. Nonne, aiebat, Salomonem seruum tuum, &c. E Patrem autem de filio tanquam de Domino loqui, res est inusitata, & ab ipsa natura naturalíque rerum ordine prorsus aliena: maximè verò quando secundùm Spiritus sancti impulsum sermo instituitur. Christus itaque & filius & Dominus Dauidis est.

Christus non solum Dauidis, sed Iudæorum omnium Dominus erat.

Vsus non habet vt filius patris sui Dominus appelletur, sed contra.

3. Reg. 1.

Res ab ordine naturæ aliena, patrem de filio loqui tanquam de Domino.

Obseruandum est hic quoque, Dauidem non dicere, Christum Spiritus sancti Dominum esse, sed dicere; Dauidis Dominum esse: Neque enim, quia Dauid in Spiritu, vel per Spiritum loquens, Christum Dominum appellabat, ob id Spiritum sanctum in seruorum ordinem redigebat; vt illi, qui in Spiritum sanctum blasphemant, effutire audent: absit; aliud est enim, per Spiritum loqui; aliud Spiritum serui, vel instrumenti loco habere. Idem Dauid alibi se filium ancillæ Dei vocat, & plura alia id genus passim de se prædicat, quæ omnia in illum tantùm, & nullo modo in Spiritum sanctum, aut aliam quamcunque diuinam personam conueniunt.

Aliud, per spiritũ loqui, aliud Spiritũ in seruorum ordinem redigere.

Et dicebat eis in doctrina sua. Quibus dicebat? ijs vtique, qui erant è plebe, de quibus præmiserat: *Et multa turba eum libenter audiebat.*

Turba libenter audiunt Christum.

Cauete à Scribis. Cauete vobis à Scribis ait, nolite eos æmulari, neque oculis in externam illorum speciem cõiectis, felices fortunatósve illos prædicetis. Neque enim propter Deum talem speciem præ se gerunt, sed propter priuatum quæstum; nempe vt vulgo habeantur pij religiosíque viri, inutilísque honoris præmium apud homines ferant. Sunt enim omnia hæc idonea superbæ cuiusdam ostentationis instrumenta, humanæque laudis aucupia.

Pharisæi externa pietatis specie, humanam tantum laudem aucupabantur.

Qui deuorant domus viduarum. Pharisæi, ait Dominus, viduarum domus exhauriunt. Siquidem quæ infirmis & egenis viduis impendi debuerant, ea illi sub superuacanei cultus schemate, prolixæq, & morosæ orationis obtentu intercipiunt. Quò autem magis à populo honorantur, ambitúmque honorem in finem deteriorem referunt, eò grauiùs condemnabuntur: *potentes enim potenter tormenta patientur.* Hæc autẽ dicens, Apostolos admonet, ne Iudæorũ, doctores hoc est, Scribas & Pharisæos æmulẽtur, vel admirentur; verùm ad Domini sui imitationem sese totos potiùs componant. Etenim cùm orbis terrarum Doctores & Magistri iam tum essent designati, oportebat vt optimæ politiæ viam & rationem Christus Dominus illis præfiniret.

Quo sensu Pharisæi exhauriebant domus viduarum.

Sap. 6.

Apostoli orbis Doctores & Magistri.

Et cùm venisset vidua vna pauper, misit duo minuta. Non ad id tantùm, quod mittebatur, spectabat Iesus, quantum ad animi promptitudinem, viduæq; deuotionem. Time itaque, & Dei iudicium admirare; neque enim is tam munerum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem & prõptitudinem ponderat. Illi, inquit, qui opibus affluebant, ex eo, quod ad quotidianum vsum necessarium non erat, impenderunt, hæc autem totum, quod in bonis habebat, obtulit. Hæc proinde vidua nõ solùm Scribis & Pharisæis, verùm lasciuientibus quoque ventrique & gulæ deditis viduis, multis partibus faustior & honoratior est. Illæ enim Magistrarum partes sibi sumentes, garrulis blandísque sermonibus, nec non nugis ad animæ salutem nihil facientibus perpetuò intentæ, impunè liguriunt, ligurientésque & aliena absumentes, vagæ passim per domos discurrunt: Hæ autem cuncta, quæ habebat, nullo vitæ præsidio sibi relicto, clam Deo largita est. Neque enim procerum assentatione, aut adulatione mota hoc fecit; sed Deo secretò voluntatem suam probare voluit.

Deus magis ponderat animi deuotionem & promptitudinem quàm munerum magnitudinem.

Improbarum viduarum delineatio.

CAPVT XIII.

Et cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis. Marcus vnum, Lucas quosdam, Matthæus discipulos vniuersè quæstionem hanc mouisse asserit. Marcus rursum & Lucas vnã dumtaxat quæstionem motam scribunt, eam nimirum, quæ de Hierosolymorum & templi euersione agit. Existimabant hi fortè secundùm Christi aduentum, & Hierosolymorum deuastationem ad idem tempus spectare. Matthæus autem de templi & ciuitatis destructione seorsum; de secundo rursum Christi aduentu sæculíque consummatione seorsum interrogasse tradit.

Verùm hæc facilè conciliantur; potuit enim vnus cæteros anteuertens petere, quod alij postea repetiuerunt. Sed neque Matthæus quoque discipulos omnes id percunctatos scribit; sed discipulos indefinitè. Quamobrem verisimile fit non omnes, sed eos tantùm id exquisiuisse, eáque de re seorsum consuluisse exponit. Hi enim cęteris maiorem fiduciam & libertatem apud Dominum habebant. Ad alterum dici potest, de vtráque re quęstionem quidem agitatam fuisse, verum Marcum & Lucam vnam tantùm, Matthæum autem vtramque attigisse.

Magister aspice, quales lapides, & quales structura. Quandoquidem Christus Dominur multa iam dudum antè de solitudine & euersione, quæ templo, & ciuitati impendebant, prædixerat, inter cætera autem: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* discipuli comminationem eiusmodi audientes & admirantes, accesserunt ad Iesum, templíque pulchritudinem & venustatem eidem ostenderunt. Videntur hi, Christi prædictione non obstante, animo hæsisse, tantáne moles & ædificiorum maiestas in nihilum quandoque redigeretur.

Matth. 23.

Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur, &c. Dominus discipulorum admiratione, & interrogatione audita, nihil prorsus motus aut mutatus, vniuersalem eorum omnium, quæ demonstrarant, & admirati fuerant, euersionem prędicare & cōfirmare pergit.

Ætate Victoris Antioch. extabant adhuc templi Hierosolymitani reliquiæ, hoc est, fundamenta & quadam alia.

Quòd si qui verò sunt, qui isthæc necdum perfectè euenisse contendunt, eò quod quædam adhuc templi reliquiæ extare videantur; ij responsum habeant, ne hoc quidem admisso, Christi assertionem vanam esse. Nam ad cultum legalem quod spectat, nullum amplius eò loci, vbi is antè exercebatur, hoc tempore illius extat vestigium, adeóque vniuersalis solitudo iam olim isthic obtinet. Restat sanè quædam adhuc templi pars; siquidem ad fundamentum vsque tantum euersum est; verùm ex illis, quæ euersa iam sunt, certò statuere licet, quod adhuc reliquum est, id totum suo postea tempore euersum iri.

Dici quoque potest, & fortè rectius; quandoquidem discipuli templum ostendebant, eiusdémque splendorem maiestatem non citra admirationem prædicabant; per hoc insinuantes, neque consultum, neq; vtile quoque videri, vt ædificium vsque adeò augustum & nobile penitus euerteretur: Dominum vniuersalem sententiam extulisse, qua tempus olim venturum significabat, quo omnia absolutè destruerentur, solóque æquarentur, ita vt ne lapis quidem lapidi amplius cohæreret: verum hoc de vniuersalis consummationis tempore, non de Hierosolymitanæ vastationis tempestate asseruisse.

Videtis hæc omnia? Hunc locum non eodem modo exponunt omnes; sed alij & alij alio & alio modo. Quidam namque hæc omnia ad sæculi consummationem spectare autumant: alij ad Hierosolymorum depopulationem & vastitatem. Priorem sententiam complectitur Apollinarius & Theodorus: posteriorem Titus & Ioannes regiæ ciuitatis Episcopus. Quia ergo Marcus Apostolos de solo posteriori quæstionem mouisse scribit, consentaneum est, vt nos quoq; hanc potius, quàm illam sequamur & amplectamus.

Quæ Christus Dominus de Hierosolymorum & templi vastatione prædixit, ea, si nondum integrè euenerunt, ad sæculi cōsummationem certò euentura sunt.

Aliud proinde interrogant discipuli, aliud respondet Magister: illi enim vastitatis Hierosolymorum tempus exquirunt; Christus verò ea in medium adfert, quæ ante eam vastitatem illorum mentes præmunire & in fide confirmare idonea erant. Parum namque profuisset illis, futuræ depopulationis tempus exploratum habere, nisi orthodoxa fide validè muniti essent.

Etenim cùm diabolus Christi in terram aduentum obscurare vellet, prima statim Apostolorum ætate quosdam impostores & errorum satores exsuscitauit, & in vineâ Domini immisit. Qualis inter cæteros erat Theodas & Iudas Galilæus, & Simon Magus, plurésque illius contagionis alij. Quia ergo malum illud impendebat, multique Christi nomen falsò sibi sumpturi erant, Seruator noster discipulos suos tempestiuè admonendos, & fide muniendos curauit, dicit autem.

Apostolorum ætate excitatæ variæ hæreses & sectæ.

Videte ne quis vos seducat. Cauete, inquit, ne sub falso Christi nomine quispiam vos decipiat. Hoc vnum namque si obseruaueritis, hoc est, si circa illius fidem, qui iam in mundum venit, nempe Christi, firmi immoóque constiteritis. Hierosolimitanæ euersionis tempus facili negotio deprehendere poteritis.

Cæterùm quando bella illa & seditiones (quas Iosephus ciuitatis expugnationem antecessisse commemorat; cùm enim Iudæorum populus contra legitimum Magistratum furiosè insurgeret, consuetáque vectigalia Romanis ducibus pendere detrectaret, Romanorum exercitus frequentes in illum impetus, impressionésque facere compellebatur) audieritis, nihil omnino timueritis: necdum enim ciuitatis finis est: Siquidem ob Romanorum principum clementiam, crebræ dabuntur induciæ, frequentésque à bello vacationes, Iudæi rursum ob innatam improbitatem, suam subinde ingratitudinem in eosdem illos principes declarabunt. Dominus itaque hoc loco non de ijs prælijs & seditionibus agere videtur, quæ toto passim terrarum orbe, sub sæculi finē ardebunt. (Ecquid enim hæc ad Apostolos, quibus cum ille disserebat?) verùm de Iudaïcis; Et si ad communia illa mala, quæ sæculi consummationem anteibant, trahi quoque valeant.

Iudæi contra legitimos Magistratus furiosè insurgunt.

Parenthesis intercepta nō ex Christo, sed ex Scholiastæ persona dicuntur neque enim tēpore Christi Iosephus adhuc scripserat.

Romani principes ante Hierosolymorum excidiū in Iudæos clementes.

Exurget enim gens contra gentem, &c. Per hoc indicat, è remoto venturos, qui Iudæis assultent, & in ciuitatem illorum inuadant: *exurget itaque gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt terræ motus per loca; & fames, & seditiones; initium dolorum hæc.* Atque hæc sola, cæteris omnibus seclusis, abunde sat erant, quæ illos commouerent, & perterrefacerent. Significat per hæc autem se ipsum quoque impetum in Iudæos facturum, belláque & prælia contra illos concitaturum: non solùm per hostiles exercitus, verum etiam per famem, terræ motus, aliásque plagas, quales peccatoribus diuinitus inferri solent.

Non Romanus tantum, sed Deus quoque contra Iudæos bellum gessit.

Quòd si Christus Dominus de ijs calamitatibus & prælijs, quæ olim vbique terrarum grassatura traduntur, disseruisset; neque quod depromebat, non a prædictio fuisset, neque Apostolos multum ea re commouisset. Propter huc quoque non nuda bella sed multis signis & prodigijs comitata vērusa, prædicit, vt hinc intelligas, ipsum cladis, quæ Iudæos oppressit, præcipuum authorem extitisse. Mihi proinde illarum miseriarum & calamitatum, quæ populo Iudæo ante captam ciuitatē euenerunt, præludia designasse videtur, iuxta illud: *Hæc autem omnia initium dolorum,* qui nimirum obstinatæ illi genti obuenturi sunt.

Christus cladis, quæ Iudæos oppressit auctor præcipuus.

Videte autem vosmetipsos; tradent enim vos, &c. Opportunè interserit hoc loco incommoda, & persecutiones, quæ Apostolis contingent: quæ tamen geminam consolationem adiunctam habent, alteram ex malorum cōmunione (neque enim ipsi soli vexationem illam sustinebunt, sed vnà cum multis alijs) alterum ex eo, quòd propter Christi nomen, siue propter Christum ipsum, ea incommoda perpessuri dicuntur.

Magna in miserijs consolatio, homines propter Christum affligi.

In testimonium illis. Significatur per hæc nullam Iudæis iustam excusationem reliquam futuram: quippe cùm Apostoli per & propter incommoda, quæ illis auctoribus pertulerunt, apertum aduersus eorum perfidiam & incredulitatem testimonium laturi sint.

Vulnera & incommoda quæ Iudæi Apostolis intulerunt, testimonium aduersus illorum perfidiā olim latura sunt.

Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium, &c. Hoc adiungitur, ne existiment, quæ dicta fuerant, impedimento esse, quò minus Euangelium liberè vbique prędicent: Siquidem ante Hierosolymam expugnatum Christi Euangelium in quàm plurimis, imò verò in omnibus penè orbis partibus iam diuulgatum & prædicatum fuerat, notum est enim illud Pauli: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.*

Ante Hierosolymam captam, Euangelium toto penè terrarū orbe prædicatum.

Rom. 10.

At verò licet Apostoli vbique terrarum prædicarent, non omnes tamen illorum prædicationi aures accommodabant, aut fidem habebant: Multis namque non modò ex Iudæis, sed ex gentibus & paganis quoque illorum prædicatio in testimonium, hoc est, in accusationem & condemnationem cedebat verius, quàm in fidem & salutem.

Multis vbiq; Apostolorum prædicatio cessit potius in testimoniū hoc est, in accusationem quàm in salutem.

Cur, inquis, Hierosolyma non statim post Christum passum fuit capta, solóque æquata, verùm post Euangelium toto penè terrarum orbe prædicatum, & inuulgatum? Ne ingratis Iudæis vlla prorsus iustæ excusationis causa relinqueretur. Enimuero cùm Christi virtutem vbique terrarum splendere & florere viderent, benissimóque

Causa cur Hierosolyma non statim

post Christũ passionem fuerit capta & euersa.

móque temporis spacio terrarum orbem ipsi per fidem adiunctum audirent, quam, quæso, à perfidiæ crimine excusationem, aut veniæ fiduciam concipere potuerũt, in eadem illa incredulitate & ingratitudine obstinatè semper persistentes? nullam profectò.

Quòd autem Christi Euangelium Apostolis etiamnum superstitibus, latissimè per terrarum orbem percrebuerit illud ex Pauli testimonio paulò antè allegato, & altero eiusdem Apostoli loco, qui in Epistola ad Colos.

Cap. 1.

extat meridiana luce clarius est. *Si permanetis in spe Euangelij*, scribit ibi, *quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est.* Hæc ille. Porrò autem tantillo tempore, puta viginti plus minus annorũ spacio, Euangelij doctrinam, vsque ad orbis terrarum fines peruasisse, illud euidens, planéque inuictum virtutis Christi argumentum extitit. Post hunc ergo prædicationis cursum expletum, cæteráque, quæ cladem illam antegressura prædicta sunt, consummata, Hierosolymorum excidium venturum est, ait Dominus.

Inuicta virtutis Christi argumentum est, intra 20 annorum spatio Euangelij tubam per terrarum orbem personuisse.

Tradent enim vos in concilijs. Ante verò Hierosolymam captam, cladésque, de quibus hîc sermo est, Iudæorum genti illatas, beati Apostoli graues admodum persecutiones à Iudæis perpessi sunt: nam & ab illis cæsi sunt, & in vincula coniecti sunt; & ad Reges & præsides adducti sunt, & multa præterea alia incommoda, ipsis auctoribus & impulsoribus, perpessi sunt.

Apostoli multa incommoda à Iudæis acceperunt.

Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, &c. Denunciat illis, ne anxiè præmeditentur, quid responsuri sint, coram magistratibus constituti. *Ego enim*, inquit, *dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij.*

Tradet autem frater fratrem in mortem. Hic illud Apostolis vsu venturum prædicit, quod omnium propemodum est difficillimum & miserrimum: videlicet tantam vbique fore rerum perturbationem & calamitatem, vt ne ab ijs quidem vllam omnino consolationem accepturi sint, qui summa alioqui amicitia, & necessitudine coniuncti sunt: Siquidem ob bella intestina occultásq; seditiones & machinationes; tantam rerum omnium confusionem & tempestatem grassaturam insinuat, vt nullus prorsus familiaritati, aut societati; nullus cognationi aut affinitati locus reliquus futurus sit.

Triplex belli genus domesticum, externum, & medium.

Quò fit vt triplex belli genus assignari queat: Vnum, quod infertur à familiaribus & domesticis: alterũ, quod ab Hæreticis & seductoribus: Tertium & postremum, quod ab exteris hostibus. At summum interim solamen adfert, quòd hæc omnia propter Christi nomen illis euentura prædicantur. Hoc vnum enim, propter futuram spem, sat est ad mitigandam & submouendam omnem omnino animi tristitiam; extetnámque ærumnam vndecúnque ortam vel illatam.

Quid designetur per abominationem desolationis.

Omne idolum apud Iudæos abominatio appellabatur.

Cum autem videritis abominationem, &c. Per abominationem quidam profanos Cæsaris milites, qui capta ciuitate in templum ingressi, illud profanarunt, accipiunt. Alij victoris Cæsaris statuam post vrbem expugnatam in templum illatam: & hæc opinio probabiliori ratione nititur: Siquidem omne omnino idolum, & omnis statua apud Iudæos abominatio appellabatur. Dicitur autem abominatio desolationis, quia post factum illud locus ille ab omnibus desertus, in solitudinem redactus est.

Pilatus Cæsaris statuam in templum inferens, magnam in populo excitauit seditionem.

Sunt qui Pilatum illum, qui Christum Dominum in crucem egit, clam noctu Cæsaris signum in templum intulisse, & erexisse dicant; eámque rem magnas inter Iudæos turbas & tumultus excitasse. Ex eo enim tempore, vt Iosephus refert, intestina seditio exorsa, non priùs grassandi & sæuiendi finem fecit, quàm templum incensum, & ciuitas tota in vastam solitudinem versa est. Hanc ergo Cæsaris statuam in templum illatam, meritò desolationis abominationem vocat: quippe quæ illi seditioni, per quam ciuitas tota in perfectam solitudinem versa est, ansam initiúmque dederit.

Cum videritis abominationem desolationis. Vt sciant quibusdam ex illorum numero, qui tum aderant, Christúmque disserentem audiebant, in viuis adhuc degentibus **A** isthæc futura, non absque quadam emphasi ait: *Cum videritis, &c.* Maiorem autem in modum admirari hic licet cùm Christi virtutem, tum Apostolorum quoq; constantiam & fortitudinem: vt qui toto illo, & tanto illo tempore, quo Iudæorum res erant afflictissimæ, vtpote ex omni parte oppugnatæ, constanter semper sacris concionibus operam dederint.

Tunc, qui in Iudæa sunt. Hic rursum Iudæorum calamitatem persequitur. Ostendit autem inter cætera tunc varijs illos cum ærumnis & calamitatibus conflictaturos, quando terrarum orbis doctores, hoc est, Apostoli in magna vbique existimatione & gloria erunt. Cùm, inquit, hæc fieri cœperint, & desolationis abominatio in sacro loco constituta iam fuerit, tum demùm seriam fu**B**gam inite: Siquidem nulla tum ampliùs salutis spes reliqua vobis fiet. Neque enim erit, vt aliquam eiusmodi mutationem tum fore cogitetis, cuiusmodi in prioribus bellis & oppugnationibus sæpenumero experti estis.

Et qui super tectum, &c. Quasi dicat: magni tum temporis beneficij loco ducatis, si vel nudo corpore mortem euadere liceat. Quamobrem qui tunc in tectis, vel agris versabuntur, ne sint solliciti, vt descendant, & vestimenta accipiant. Per hæc autem, aliáque id genus similia, mala prorsus ineuitabilia, talísque calamitas insinuatur, quæ nunquam habitura sit finem.

Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, aut Sabbato. Ex temporis difficultate, quam Dominus hoc loco tangit, dum ait: *Orate ne in hyeme, aut Sabbato fuga vestra fiat*, facilè colligi potest, de illis malis & miserijs disseruisse, quæ Iu**C**dæam comprehensuræ erant,

Erunt enim dies illi tales, &c. Nemo quod hic additur, hyperbolam sapere arbitretur. Qui enim Iosephi Commentarios legerit, omnia, quæ hoc loco scribuntur, verissima esse comperiet.

Et nisi abbreuiasset Dominus Dies, &c. Per hæc subindicatur, Iudæos maiorem pœnam, maiorémque calamitatem, quàm hactenus exposita est, promeritos fuisse. Si enim bellum, quod Romani exercitus, contra illos eorundémque metropolim gerebant, diutius protractum fuisset, omnes simul ad internecionem vsque deleti fuissent: Siquidem per omnem carnem, vniuersam Iudæorum gentem designat, hoc est, tam eos, qui intra ciuitatem obsessi tenebantur, quàm eos, qui extra illam in di**D**uersis locis & ciuitatibus diuersabantur. Neque enim illi solùm oppugnabantur, & ad necem petebantur, qui in Iudæa ætatem agebant; sed alij præterea omnes, per terrarum orbem passim dispersi erant.

Fideles ex Iudæis in causa fuerunt ne simul omnes perirent.

Sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies. Quos, quæso, hoc loco electos vocat? Eos vtique, quos in medio oppugnatorum cœtu fideles comperit. Ne enim Iudæi mentiri possent, mala, quæ pertulerant, & perferebant, propter electos illos, & promulgatum Christi Euangelium accidisse, oppositum verum asserit. Asserit, inquã, nisi pauci illi electi extitissent, ad vnum omnes funditus interituros fuisse. Etenim ne illi, qui Christo per fidem ex Iudæorum genere adiuncti fuerant, vna cum cæteris infidelibus extinguerentur; benignus Dominus cruen**E**ta illa bella tempestiuè dissoluit, sæuísque prælijs & pugnis maturè finem imposuit.

Et tunc, si vobis dixerint: Ecce hic est, &c. Absolutis illis, quæ ad Hierosolymorum euersionem & calamitatem pertinebant, ad secundum nunc aduentum suum ordine descendit; signáque, quæ eundem illum aduentum antegressura sunt, exponit. Erat autem ea signorum prænotio & indicatio non tantùm Apostolis vtilis & salutaris, verùm nobis quoque, & cæteris præterea omnibus qui post nos venturi sunt.

Prænotio signorum secundi aduentus Christi omnibus vtilis & salutaris.

Et tunc, &c. Illud, Et tunc, non significat secundi aduentus signa cum Iudæorum calamitate coitura; ita vt hæc & illa in vnum, vel quasi in vnum tempus incidant, vel proximè se inuicem consequantur. Significat autem

tempus, quo ea futura sunt, quæ infrà exponuntur: Solet namque scriptura eiusmodi narrationis seriem interdum obseruare. Interea loci & illos, & nos quoque per illos, aduersus illam tempestatem præmunit. Nam & varia aduentus sui signa enumerat; & certas impostorum & seductorum ætatis illius notas, è quibus internosci queant, indicat. Neque enim vt in primo aduentu, in paruo orbis angulo, hoc est, in Bethlehem, nullo propemodum saltem initio rei eius conscio apparuit; ita tunc quoque apparebit: Verùm tanta claritate, & maiestate tunc venturus est, vt nullis opus futurum sit legatis, aut internunciis, qui aduentum illius denuncient.

Circa secundum Christi aduentum, varij emersuri impostores & seductores.

Primus Christi aduentus occultus, secundus manifestus.

Exurgent enim pseudochristi, & pseudopropheta, &c. Qui Apostolorum ætate exorti, toti in hoc erant, vt homines in fraudem & errorem inducerent, fuêre admodum acres & pestilentes, multoque mortalium astu cepêre, artéque seduxêre: at verò qui secundum Christi aduentum antecedent, prioribus illis multò adhuc acriores, multóq; pestilentiores futuri creduntur. Edent hi enim eiusmodi prodigia & signa, vt, si fieri queat, electos quoque in errorem inducant; Antichristo suam ea in re operam studiúmque accommodantes.

Pseudochristi & pseudopropheta.

Qui apud Iudæos itaque mortalium animas captabât, Pseudoprophetæ erant; in noui autem Testamenti exordio Pseudochristi in medium prodiere: Tunc autem, iuxta Christi prædictionem, Pseudoprophetæ & Pseudochristi quasi Symmistæ, eiusdémque factionis sectæ coniunctim grassabuntur,

In veteri testamēto grassabâtur Pseudoprophetæ; in nouo Pseudochristi, sub finem seculi simul vtrique grassabuntur. Tempore Antichristi ingēs sæuiet persecutio.

Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. Infert tandem Dominus: nemo ignorantiam obtendat; nemo se non admonitum alleget; verùm vnusquisque ab illorum impostura sibi caueat.

Post tribulationem illam sol obtenebrabitur. Propter seductorum multitudinem, Antichristi cæterorúmque Pseudoprophetarum ætate, ingens vbique immanitas & persecutio perbacchabitur: attamen vexatio illa & persecutio non protendetur in longum. Si enim Iudaïcum bellum propter electos contractum est, multò magis postrema illa tentatio propter illos ipsos electos contrahetur.

Sol obtenebrabitur. Transacta immani illa afflictione & persecutione, quam pseudoprophetæ & pseudochristi passim excitabunt, statim sol obscurabitur, vniuersáque creatura immutabitur; neque mora; præ foribus aderit iudex; (Simul namque propemodum fient hæc omnia) at verò quod Sol tenebras contracturus traditur, id non ita accipiendum est, quasi lampas illius extinguatur, aut secundum se lucere desinat; sed quòd immenso aduentus Christi splendore superatus, lucis radios clarè vt antè non defundat.

Quo sensu & modo Sol obscurandus dicatur.

Et stellæ cœli erunt decidentes. Rectè illud, sed mysticè. Nam quis stellarum vsus futurus est, cùm mox nulla erit?

Et virtutes, quæ in cœlis sunt, mouebuntur. Angeli tantam rerum mutationem cernentes, suósque conseruos ad æternum supplicium abripi conspicantes, nec non vniuersum terrarum orbem tremendo illi iudicio iamiam sistendum, animo pertractantes, præ stupore & admiratione suprà quàm dici potest, commouebuntur.

Et tunc videbunt Filium hominis. Videbunt illum corpore indutum è cœlo descendentem; quemadmodum eodem illo habitu antè quoque in cœlum assumptus fuerat.

Et mittet Angelos suos. Hoc ipso quòd filium hominis Angelos suos missurum scribit, illum verum Deum esse disertè ostendit: Dei enim sunt Angeli, illiúsque proprium est, Angelos mittere.

Hoc ipsum Christum Deum esse probat, quod Angelos tanquam ministros mittat.

A summo terræ, vsque ad summum cœli. Per hæc docemur cœli terræque extrema opponi. Quare Christo potius quàm ijs nos credere par est, qui terram, veluti minimam totius vniuersi partem, in medio cœli positam asserunt, cœlíque magnitudinem innumeris partibus terræ molem excedere contendunt.

Hic auctor Antipodas terræ rotunditatem, & alia quædam quæ hanc consequuntur, negare videtur: sed neque primus, neque solus hoc facit.

A ficu autem discite parabolam. Adfert huc exemplum de frondescente ficu: quo planum faciat, non magnum inter hæc interuallum intercessurum; Verùm Christi aduentum tribulationem illam mox à tergo consecuturum. Ostendit hoc autem non solùm per virentis ficus paradigma, cùm ait: *Scitis, quia propè est in ianuis*, verùm etiam per quædam alia.

Per similitudinem à ficu virente petitam, Dominus tria designat.

Quin aliud quoque per eandem illam similitudinem à ficu petitam, nobis adumbrat; nempe Dominici aduentus diem iustos quidem ex hyeme & tempestate, ad æstatem summámque tranquillitatem translaturū; peccatores contrà de æstate & serenitate ad hyemem & tēpestatem transmissurum esse. Demonstrat per idem exemplum tandem omnia, quæ Dominus forè prędixerat, certum citra vllam prorsus controuersiam, euentum sortitura. Vt enim ficus viror, certus & necessarius æstatis est nuncius; ita signa, de quibus hic agitur, necessarij & indubitati consummationis sæculi sunt indices.

Non transibit generatio hæc. Non solum à tempore rem statuit; Verumetiam à religiosi cultus ratione, piæque conuersationis duratione. Indicat namque hominum fidelium Dominúmque ex animo quærentium genus, antequam prædicta omnia expleantur, hoc est, ante seculi finem, nunquam interiturum.

Generatio rectorum ante seculi cōsummationem non deficiet quondam.

Donec omnia ista fiant. Et quænam ista omnia? Ea vtique omnia, quæ de Hierosolymorum clade, & templi euersione; de bellis rursum & seditionibus; de cæteris denique omnibus, quæ vsque ad secundum Christi aduentum forè prenunciata sunt. Nam quod suprà dixerat: *Oportet enim hæc omnia fieri*, illud hic denuo confirmat, dum ait: *Non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.* Manebit itaque generatio rectorum & fidelium, donec vniuersa, nullo prorsus ex ijs omnibus, quę prædicta fuerant, prætermisso fiant.

Sunt, qui Christum de praua peruersáque improborum Iudæorum generatione locutum existiment, quasi dicere voluerit; Impia hęc & Christicida Hebræorum generatio tantisper in mundo hoc perstabit, dum filium hominis summa cum gloria & maiestate, è cœlo descendentem viderit, corámque in tanto illo splendore & lumine conspicuum, contemplata fuerit, quò hac nimirum ratione impleatur, quod scriptum est: *Et videbunt, in quem confixerunt.*

Iudæi vsque ad finem seculi duraturi. Zach. 12.

Non desunt tandem, qui Christum Seruatorem nostrum ad illius loci & ætatis homines promiscuè orationem direxisse putent, vt sit hic sensus: Non pręteribit hęc mortalium generatio, donec ea omnia Iudæis eueniant, quę iam prędicta sunt. Interim per illa ipsa, ea quoque confirmare voluisse, quę de sęculi consummatione pronunciarat.

Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Res illæ, radicibus vsque adeò firmis nixę & immotę, facilius loco mouebuntur; atque adeò in nihilum redigentur, ait Dominus, quàm vt minimum verborū meorum intercidat. Quod si quis est, qui fidem hisce prędictionibus non habet, is ea discutiat, quę dudum antè prænunciata, nunc perfecta consummatáque cernuntur, certámque ex ijs, quę iam transacta sunt, de illis coniecturam faciens, quæ adhuc restant, illa ipsa quoque olim futura, indubitato sibi persuadeat. Neque enim Seruator nostra alia de causa elementum secundùm se maximè immotum in medium adfert, quàm vt hoc liquidò euincat. Fatendum est tamen veterum quorumdam Prophetarum studium & exēplum ea in re ex parte imitatum. Nam Hieremias quoque certam immotámque assertionis suæ veritatem ostendere volens, à cœlorum stabilitate alicubi argumentatur.

Ex præteritis coniectura facienda de futuris.

Dominus igitur certum prędictionum suarum euentum, per cœli terræque firmitatem declarat; simúlque se rerum omnium conditorem esse obliquè insinuat. Cùm, inquam, Dominus de sæculi consummatione (de re vtique, quę apud multos parum recepta erat) verba faceret, in dictorum suorum fidem cœli terręque soliditatem

Seculi consummatio, res est quondam apud multos parū credita.

ditatem allegat; pérque bæc eadem totius vniuersi se Dominum esse, noo absque potestate demonstrat.

Quo sensu Filius hominis mysterium consummationis ignorare dicatur. Mysterium consummationis Deus omnino secretum habet. Act. 1.

De die autem illa, & hora nemo scit; neque angeli in cælo. Cùm Angelos cœli mysterium boc latere dicit, discipulos tacitè admooet, oe id ipsi cutiosè discere aueant, quod Angeli ignorant. Cùm porrò addit: *neque Filius*, ooo modo ne boc discere studeant, vetat; verumetiam ne anxiè inquirant. Quòd enim propter boc illud dixerit, ex ijs cognoscere licet, quæ post illius resurrectiooem acciderunt. Nam cùm Apostolos aliquaotò curiosiores videret, quò illorum curiositati silentium imponeret, diei illius ignoratiooem præ se ferre visus est: cùm tamen æquè certò, atque Pater illum compettum baberet.

Qui sæculum condidit nullum tempus, aut temporis momentum nescit.

Etenim si omoia per ipsum facta suot, quomodo fieri potest, vt diem illum ignoret? Qui enim sæcula condidit, certum est eum omnia tempora, & temporum momenta explotata babere. Qund si omnia tempora nouit, omnem quoque diem sciat oportet. Quomodo enim diem, quem ipse fecit, nescitet? Si igitur Pater diem illum ignorat, & Filius quoque igoorat. Verùm quia Pater ooo ignorat, sed certò cognoscit, nec Filius quoque ignorat, sed certò cognoscit: vtpote Patris sapientia existens, omniáque quæ Pater haber, vno hoc tantùm excepto, quòd ipse Pater non est, integrè obtineos.

Filius habet omnia quæ Pater excepto eo, quo Pater pater est.

Cur Filius diem indicij prodere noluit.

Sed dicis: si Filius tempota omoia, temporúmq; omoium discrimioa, status, & ratiooes nouit, ptout & illa ipsa, & cæteta omoia condidit, cunctáque admirabili ordine & sapientia in suos fines dirigit, cur diem illum prodere noo voluit? Vt vigiles; buc enim spectat, quod mox subditur.

Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Per bæc enim disertè causam aperit, quare diein illum indicare recusauerit. Nam si hoc rerum statu, quo communi lege omnes præfinitum vitæ diein incertum habeot, multi passim comperiuntur, qui vsque ad supremam vitæ boram Baptismum differre oon verentur: quid ooo fecisseot, si coosummationis tempus exploratè compertum babuissent? Quamobtem tanquam, qui diei illius ignari sitis, *videte, & vigilate*, ait Dominus. Non dixit autem: Noo ooui ego: sed, Vos nescitis. Voluit per hæc autem oos admooere, vt semper simus parati, & ad iter accincti.

Non minorē salutis quam auari pecuniæ curam habere obligamur.

Nescitis enim, quando Dominus domus veniet, serò, an media nocte, an galli cantu, an manè. Per Dominum domus seipsum non obscurè designat Saluator. Quod ad hunc autem locum attinet, excitat igoauos & desides ad studiū & vigilantiam, inooétque, vt quantam curam & diligeotiam circa pecuoiæ custodiam adhibent, qui, oe furto subducantur, probabili ratione ducti formidant; tantùm illi, & nos omnes circa salutem nostram adbibeamus.

Sicut homo, qui peregrè, &c. Propter carnis œconomiam, homioem seipsum vocat. Per peregrinationem autem suum ad cœlum reditum adumbrat. Per opus verò seruis iniunctum, accuratam præceptorum obseruationem insinuat, quæ quidem obseruatio, per ianitorem pateat.

CAPVT XIIII.

Die Mercurij propter inchoatam tamtum Christi passionem quondam ieiunabatur.

E*T erat pascha, & azyma post biduum.* Duobus diebus aote passionem, Scribæ & Pbarisæi & Magistratus populi, coosilium inter se de nece Christo ioferenda ioiere. Qua de causa quarta hebdomadæ feria ieiunia agitamus; quasi passio illius aliquod tum temporis exordium fecetit.

Cur Iudæi Christum dolo voluerint capere & occidere.

Quomodo eum dolo tenerent. Propter populum, qui Iesum sectabatur, frequéosque assiduò circa illum versabatur, dolo eum capere machinantur.

non in die festo. Sanè festum propter cædem, quam iam tum animo cooceperant, haud inoitè transtulissent, at per legem oon sinebantur: Siquidem decretum, quod in legalibus illorum volumioibus traditum extabat, A impleti opottebat; erat autem illud eiusmodi: Pascha vestrum quartadecima die mensis ptimi immolabitis. In eo eoim mense, illóque die vetum illud pascha immolari oecessum etat. Ostenditur hic autem, quomodo Christus Domious in mortem, quam oostri causa subijt, vltrò sese obtulerit. Quaodoquidem cùm illum comprehendere volebant, vt sæpenumero iamdudum aotè voluerant, eum comprebendere noo potuerunt. Quando verò de illius comprehensione nihil deliberatum babebaot, tunc præter omnem illorum spem vltrò se illis dedidit; factùmque est, vt id, in quod diu multúmque magno studio incubuerant, tandem aliquando ad finem perducerent.

Exod. 12.

Christus in mortem se tradidit non quando Iudæi voluerunt, sed quando ipse voluit.

Et cùm esset Bethania, in domo Simonis. Quæ in Bethania in domo Simonis leprosi acciderunt, illa etiam B Matthæus æquè atque Marcus cæteris adiungit. Et prima quidem facie voam eadémque mulierem apud omoes Euangelistas decantati videri queat: & tameo res ita nō babet. Nam apud tres vna eadémque celebratur, nempe admirabilis illa Lazari soror Maria: Atque hoc ipsum quoque Ioaones Regiæ ciuitatis Episcopus profitetur. Origenes verò aliam illam esse dicit, quæ apud Matthæum & Marcum in domo Simonis leprosi vngueotum super caput Iesu effudit; aliam rursus eam, quæ cùm in ciuitate peecatrix esset, in domum Pharisæi ingressa, pedes illius lachrymis abluit, & vnguento perfudit. Apollinatius tandem & Theodotus eaodem apud omnes Euaogelistas dascribi aiunt, Ioannem verò historiam illam cæteris accuratius persecutum.

Luc. 7.

Variæ opiniones de mulieribus quæ Christū vnxisse leguntur.

C At longè verisimilius fit, quod paulò antè dicebatur, neque Origenes quoque disertè ioficiatur; etsi de ea, cuius fit mentio apud Ioannem nihil dicat, videlicer, Matthæum, Marcum, & Ioannem de eadem omoino agere; omoes namque in Bethania (quæ est vicus quidam ab Ierusalem non ptocul distans) rem haoc accidisse tradunt. At illa verò, de qua Lucas agit, alia omoioo erat, scribit eoim.

Math. 26.
Marc. 14.
Ioan. 12.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quia Jesus accubuit, in domo Pharisæi, &c. Hæc itaque & peccattix erat, & in ciuitate viuebat: Altera autem illa, neque peccattix appellatur, oeque in ciuitate versata describitur, sed in Bethaniæ vico.

Quæ Luc. 7. vnxit pedes Domini, secundum Origenem, Vistorem Antiochenum, Basilium Seleuciæ Episcopū, & alios prætetea multos, non fuit Maria soror Lazari. Etsi plures discipuli vnguēti profusionem improbarint, solus tamen Iudas generali oratione perstringitur quòd solus malo animo mouebatur.

Erant autem quidam indignè ferentes. Cùm diuersi fuetint, D qui vnguenti buius profusionem, veluti inutilem calumniati siot. Ioaones quidem solius Iudæ traditoris mentionem facit, Matthæus discipulorum omoium indiscriminatim, Marcus autem quotumdam tantùm. Multis ptoinde & varijs rem hanc insimulaotibus, Dominus, qui omnium sensus & corda comperta babebat, rametsi geoerali oratione vtatur, solum Iudam tāquam auarum perstringit vetius, quàm reliquos discipulos. Norat enim ex quadam potius animi simplicitate, quàm ex malitia, aut iouidia mulieris factum improbasse. Venerat forsan illis in meotem, illud Christi: *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Math. 9.

Poterat vnguentum istud venundari, plus quàm trecentis denarijs. Cùm discipuli voguentum illud plus trecentis de- E narijs diuendi potuisse asserunt, quantum mulier illa in vnguentum illud insumpserat, quantámque ex consequenti, aoimi alacritatem & pietatem erga Christum declatarat, oo bis diuinandum relinquunt.

Sinite eam, quid illi molesti estis? Christus Seruator noster mulieris promptitudinem, animíque deuotiooem ex animo complexus, causam illius publicè tuendam suscipit. Quæ enim dicit, huc tendunt: Quòd mulier bæc fecit, noo frustra fecit, nam vbicunque locorum Euaogelium hoc prædicatum fuerit, prædicabitur & decantabitur hoc illius factum quoque: non tam propter impensas, quas in me fecit, quàm propter fidem, quam vnà cum vnguento obtulit. Hæc enim fragrantissimi odorameoti instar Christo fuit. Quare etiam vnguentum boc pisticæ pretiosæque natdi nomine desi-

Mulier hæc Christo non tam placuit propter impensam quam fecerat, quam propter fidem & deuotionē. Cur vnguentum in Christum effusum

dicatur nardi pisticæ.

Cur Dominus vnguenti effusionem opus vocet.

gnant Euangelistæ. *Sinite ergo illam: quod habuit, hoc fecit: Præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam.*

Bonum opus operata est. Dominus pium illud mulieris officium, opus vocat: tanquam quiddam quouis dicto celebrius, quòdque grata animi memoria recolatur, dignius. Eodem illo facto se instantem Christi mortem & passionem non ignorasse, prodidit quoque.

Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerso mundo. Per hoc rursum Apostolorum ad omnes gentes dispersionem denunciat: hac ratione de sua morte illos quodammodo consolans; Indicat enim tanta virtute se pollere, vt post Crucem & mortem quoque Euangelij Doctores, populorúmque Pastores & Duces, quoquo versum amandare, & dispergere valeat.

Et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius. Tantum abest, ait Dominus, vt ego illam condemnem, quasi malefecerit; aut reprehendam, quasi minus rectè fecerit; vt factum hoc nullo vnquam tempore latere permissurus sim. Etenim quod in domo & in occulto ab illa factum est, hoc vniuersus terrarum orbis cogniturus est: Siquidem quod illa fecit, hoc magno animi consilio, magnóque fidei ardore fecit.

Mariæ sororis Lazari factũ per totum terrarum orbem celebre.

Et primo die azymorum, quando pascha immolabant. Primus azymorum diem eum vocat, qui primum azymorum proximè antecedebat. Consueuerant enim Iudæi à vespera diei festi exordium facere. De illo ergo die est hic sermo, in quo Hebræi pascha ad vesperam immolabant, azymísque panibus vescebantur: quem quidem diem nonnulli vnam, alij primam azymorum diem vocant, Lucas autem azymorũ diem simpliciter appellat. Quòd autem ea dies absolutè hic designetur, in qua Iudæi circa noctem pascha immolabant, id non ex ijs tantùm, quæ obiter modò exposita sunt, euinci potest, verùm ex eo etiam, quòd discipuli feria quinta ad Iesum accesserunt, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?*

Cur Euangelista diem qui azymorum, festur proximè antecedebat, primum azymorum vocet diem.

Quamobrem vterque Euangelista, Matthæus, inquã, & Marcus, verum dicit, dum Christum prima azymorum die, pascha celebrasse asserit. Siquidem pascha, in quo azymo pane vescebantur, ad vesperam inchoabant. Ea propter Marcus, posteaquam dixerat, *primo die azymorum*, statim subiungit: *quando pascha immolabant, dicunt illi, quò vis eamus? &c.*

Hæc obseruẽt Græci, qui ad Christi exẽplum se pane fermentato vti opinantur

Quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces pascha. Hic manifestum fit, Christum Dominum nullum proprium domicilium, aut diuersorium habuisse. Idem de illius discipulis citra temeritatem dici quoque potest; vt qui iam dudũ ante ab omnibus sese abdicassent. Nam si quã illi domum habuissent, ad illam vtique Seruatorem inuitassent.

Et mittit duos. Christus adornat pascha, quò ad vltimũ vsque vitæ diem, legi per omnia sese obsequentem fuisse ostendat, in nullo autem relegi contrarium.

Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. Mittit illos ad hominem ignotum, planum per hæc faciens, potuisse non pati: Nam qui solo verbo hospitis huius mentem potuit flectere & permouere, in alijs, si ita visum fuisset, quid non potuisset? Deinde verò, quia, vt Marcus & Lucas narrant, ad quem ituri erant, ignorabãt, quasi certum itineris ducem, dedit illis signum. Neuter autem Euangelistarum Christum: tecum pascha manduco, dixisse, scribit; verum *vbi est diuersorium*, vel cœnatio, *vbi pascha cum discipulis meis manducem?*

Christus poterat non pati, si ita visum fuisset.

At illi cœperunt contristari, & dicere. Non mirum Apostolos contristatos fuisse: nam cùm Christi oratio nullum certum designaret; sed generatim tantum in medium proponeretur, vnusquilibet illorũ, ne de se forsan talem suspicionem cepisset, metuebat. Dicebant ergo illi: *nunquid ego sum Domine?*

Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Per hoc supplicium in proditorem constitutum manifestat; ne vllam ille de patrato scelere excusationem, in posterum adferre queat.

Et Filius quidem hominis vadit, &c. His verbis mortem

A suam transitioni, aut discessui cuipiam similiorem ostẽdit, quã veræ morti. Dixerat idem antè ad Iudæos quoque: *Vado ad eum, qui misit me.* Significat per eandem vocem quoque, sponte se ad mortem abire.

Christi mors transitioni, quam morti similior. Ioan. 7.

Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Hoc dicitur propter duros cruciatus, quos apud inferos expensurus erat: Siquidem satius est multò, omnino non esse, quàm tantis miserijs & calamitatibus perpetuò obstrictum esse.

Satius est non esse quã grauissimis miseriis, & pœnis semper obstrictum esse.

Et manducantibus illis, &c. Insinuat hic, Iudam tametsi diuinorum mysteriorum participem effectum, sui semper similem mansisse, hoc est, tremendæ illius mensæ cibo refectum, nihil prorsus mutatum, aut emendatum esse; verùm in sua nequitia & auaritia obstinatè vsque perstitisse.

Iudas cælesti cibo refectus nihil est emendatus.

Ioannes post acceptam buccellam, Satanam in illum introijsse scribit. At hoc ea de causa non contigit, quòd
B Satanas acceptum Christi corpus pro nihilo duceret, aut contemneret; sed quòd Deus impudentem proditoris ausum impunem abire non vellet. Dominus autem, licet omnium consiliorum Iudæ gnarus esset, attamen à Sacramenti sui accessu illum non prohibuit. Cur ita? nempe vt hinc discas, nihil eorum prætermisisse, quæ eum ad sanam mentem reducere quoquo modo poterant.

Cur Satanas post acceptam buccellam in Iudam introiuit.

Christus Iudam traditorem à Sacramento non arcuit & quare.

Sunt tamen, qui Iudam ante porrectum Eucharistiæ Sacramentum exiuisse existiment. Sanè Ioannes quiddam eiusmodi subindicare videtur. Dicunt hi, nequaquam decuisse, vt cædis Christi minister salutaris communionis Symbolum acciperet: Addunt ijdem, Christum cætera omnia æquanimiter tolerasse, hoc verò tan-
C tum piaculum neutiquam permittere voluisse.

Clem. lib. 5. c. 13. Constit. Apost. & aij nonnulli.

Sumite, hoc est corpus meum. Quòd Dominus potestatem celebrandi & conficiendi noui Testamenti mysteria Apostolis per hæc contulerit, hoc nemo, opinor, in dubium vocat; Propter hoc enim benedixit, & distribuit, & sumere iussit. Fecit hoc autem, quò ex eiusmodi benedictione, & gratiarum actione discamus, verè magna, omníque gratiarum actione digna esse, quæ per Christi passionem dispensantur. In cuius rei typum & commemorationem diuina illa mysteria, iuxta illius mandatum, peragimus & consecramus.

Dominus contulit Apostolis potestatem celebrandi & conficiendi noui testamẽti mysterium.

Cùm autem ad Apostolos dicit: *Hoc est corpus meum.* Item: *hic est sanguis meus*; certò apud se statuant vult, posteaquam benedictio, & gratiarum actio, ad panem, vel
D calicem propositum accesserit; per panis quidem Symbolum, corporis Christi, per calicem verò eiusdem sanguinis participes se fieri. Nam circa corpus & sanguinem, in communem mortalium omnium salutem & peccatorum remissionem, passionis Christi Sacramentum præcipuè transactum est. Porrò autem fides hisce de rebus animo concepta, vt illorum, quæ expleta sunt, confessionem deposcit; ita credentibus indulgentiam & peccatorum veniam rependit.

Per panis & vini speciem carnis & sanguinis Christi participes efficimur.

Non bibam de hoc genimine vitis, vsque ad diem illum. Dominus ex mortuis excitatus cibum potúmque cum discipulis sumpturus erat, quo maiorem hac ratione, certiorémque de sua resurrectione fidem illorum animis imprimeret.

Cur Dominus post resurrectionem cum discipulis edit & bibit.

E *Cùm illud bibam nouum in regno Patris mei.* Patris regnum suam appellat resurrectionem; Per hanc enim & ipsi regnum obuenit, & cæteris hominibus eiusdem regni societas obtigit. Illud igitur: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque ad diem illum, &c.* vtrumque denotabat; nempe mortis & passionis Christi vicinitatem; & certam nihilominus eiusdem ex mortuis resurrectionem.

Christus resurrectionem suam regnum vocat & quare.

Sed dicis: si in eiusmodi cibo & potu in posterum cum Apostolis communicaturus non erat, aut obiter tantum communicaturus erat, cur circa paschatis tempus mysteria perficiebat? Quò omni ex parte constaret veteris legis authorem extitisse, & illa, quæ istic obtinebant, ea adumbrasse, quæ pertinent ad nouam.

Donec bibam illud nouum vobiscum. Vobiscum, inquam, meæ resurrectionis testibus: quandoquidem vos me exusci-

exuscitatum videbitis. Quid autem sibi vult, quod dicit; *Donec bibam illud nouum?* hoc nimirum; donec quasi to- [A] tus iam innouatus, corpus indutus fuero impatibile & immortale, nullique corruptioni obnoxium, neque vllius alimenti indignum.

Quid sit donec bibam illud nouum.

Et hymno dicto. Ante passionem laudes gratésque Deo depromit: per hoc ostendens, se vltro lubentérque pati. Tum nos quoque exemplo hoc admonens, vt aduersa, si qua nonnunquam sese offerant, grato patientique animo perferamus: cibóque sumpto de percepto munere, Deo largitori debitam gratiarum actionem persoluamus.

Cur Dominus post cœnam hymnū dixerit.

Exierunt in montem Oliueti. Cur in montem exijt? quò spretis latibulis, ijs commodo loco sese exponat, manifestúmque faciat, qui illum comprehensuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, vbi antea orare [B] solitus erat; & quem proditor optimè compertum habebat.

Scriptum est: percutiam pastorem. Ne reprehensio durior videatur, adfert Prophetæ Zachariæ oraculum, partim quidem quò illorum animos ad accuratam Scripturæ huius considerationem excitet; partim etiam vt planum hinc fiat, se illum esse, qui ante hac eos à lapsu conseruauerat.

Zach. 13.

Sed postéaquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Hæc subdit, ne nimia animi ægritudine absorbeantur, tum etiam vt Iudæorum metu posito, intrepidè ijs fidant, quæ certò hoc loco promittuntur.

Petrus autem ait illi: & si omnes scandalizati fuerint, &c. Propheta Apostolorum dispersionem certò prædicen- [C] te, & Christo eandem certò confirmante, Petrus nihilo secius grandia quædam forti pectore polliceri pergit. Monemur per hoc autem vt omnibus Christi dictis promissique, simpliciter citra vllam prorsus hæsitationem fidem habeamus, certissime nobis persuadentes, illius assertionem, multò certiorem, multóq; firmiorem & fideliorem esse, quibuslibet animi nostri propositis, cunctisque conscientiæ nostræ testimonijs.

Omnibus Christi dictis simpliciter fides habenda est.

Et si omnes scandalisati fuerint. Cùm Petrum, cæterósque omnes precari & dicere oportuisset: Adiuua nos Domine, ne abs te auellamur; sibi suísque viribus nimium confisi, ea temerè promisere, quæ non præstiterе. Siquidem Dominus nimiam illam, quam præ se fere- [D] bant, audaciam animíque fiduciam nonnihil comprimere & castigare volens, Petrum quidem in trinam negationem prolabi; cæteros verò omnes per fugam dispergi passus est.

Apostolorum temeritas per Christum castigata.

At ille amplius loquebatur, & si oportuerit, &c. Quantò Christus Petri casum magis affirmabat, tanto Petrus certæ prædictioni illius obnitens, fortiori pectore officium se deserturum negabat. At vnde, quæso, hæc tanta vis animi illi proueniebat? non aliunde; quàm ab incensa charitate. Cùm enim ab anxia illa cura & solicitudine, qua antea propter futuram proditionem premebatur, sese liberatum videret; iam enim, qui proditionem mōliebatur, patefactus erat) ingentem animo fiduciam concipiens, illa, quæ modò audiuimus; plus satis audacter depromebat. Interim res illa nonnullam quoque [E] iactantiæ, inanisque gloriæ speciem præ se ferebat.

Et tu hîc modò perpende, quámque modestus Apostolus Petrus post lapsum euaserit. Qui enim ante casum nihil non sibi arrogare audebat, is post lapsum contraria studia sectatus, nihil quicquam sibi, sed omnia Christo Domino tribuebat. *Viri Israëlitæ,* aiebat, *vt quid nos intuemini; quasi nostra virtute, aut potestate, fecerimus hunc ambulare, &c.* Offertur autem hic nobis singulare quoddam documentum; nempe ad depellendas grauiores tentationes, nullam hominis promptitudinem sat esse, si cœleste subsidium desit; neque vllam rursum supernaturalem gratiam spiritale lucrum adferre, si animi promptitudo, studiosáque hominis synergia non adsit.

Petrus incensè Christum diligens quiduis promittere audebat.

Nulla prodest animi promptitudo, si desit præsidium diuinum: neque quicquā prodest rursum gratia diuina, si desit hominis synergia.

Sedete hic donec orem. Mos erat Christo, seorsum à discipulis orare. Faciebat hoc autem, Apostolos, & nos per illos, admonens & erudiens, vt precaturi secessum, locúmque à turbis secretum quæramus.

Dominus precaturus secretum locum petebat.

Et assumpsit Petrum, &c. Cur hos tres tantùm, & non simul omnes assumpsit? ne omnes simul animis conciderent. Præ cæteris autem illos præcipuè assumendos existimabat, qui gloriæ illius in monte spectatores fuerant. Quin his quoque à tergo relictis paulum ab illis progressus, solus orationi incumbit.

Christus eos secum assumpsit in hortū, quos ante secū assumpserat in mōtem Thabor.

Tristis est anima mea, vsque ad mortem. Cur Domine Iesu mœres? cur tædio afficeris? Noui quanta bona toti mūdo ex mea cruce, & perpessione obuētura sunt; interim maiorem in modum affligit me, primugenitum meum Israëlem, non esse inter seruos meos. Obtuli pro illo preces & supplicationes, vt veniat & tandem aliquando ad Deum sese conuertat. Vbique illius superbiam [B] & contumaciam frangere, ipsúmque ad certamina & præmia cœlestia prouocare contendo; sed incassum omnia.

Insignis Israëlis contumacia, insignis rursum Christi in illum benignitas.

Et venit, & inuenit illos dormientes. Graui somno oppressi cum mœsto mœrere non poterant. Ipse autem, ne res simulata, aut commentitia videatur, prolixè orat. Nam vt corpus, non vt alienum; sed vt proprium per mortem ponit; ita verè quoque & propriè orationi insistit.

Vt Christus verè moritur, ita verè quoque orat.

Si possibile est, transeat à me calix iste. Per hæc humanæ naturæ imbecillitatem exprimit, cùm verò addit: Sed non quod ego volo, sed quod tu: virtutum, quibus ornatus erat, excellentiam & magnitudinem ostendit.

Docet per hæc eadem quoque, hominis verè studiosi [C] partes esse, naturæ impulsu posthabito Deo, & spiritui obsequi, non etiā carnis sensui. Ad se porrò quod attinebat, necessarium erat, vt non verbis tantùm, sed factis quoque se verum hominem esse declararet, adeóque vt mortem se verè apperere palam commonstraret.

Christus oratione sua docuit spiritui magis, quàm carnis impulsui obsequendum esse.

Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vnam horam vigilare mecum? Omnes quidem dormiebant, sed solum Petrum increpat: Oratione illa eum exstimulans, suæque promissionis tacitè commonefaciens.

Vigilate & orate. Hæc eodem tendunt: neque enim solus Petrus operam suam Christo ad mortem vsq; sanctè spoponderat, sed reliqui præterea omnes. Vigilate ergo & orate, ait, vt non intretis in tentationem. Quandoquidem, vt paulò antè vobis prædixi, in proximo est, [D] vt omnes à me dispergamini.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Ne grauius illos perstringere videatur, *Spiritus*, inquit, *promptus est, caro autem infirma.* Nam vt quis maximè ad bona & salutaria nitatur; attamen nisi Deus adiutricem manum porrexerit, nihil vnquam magnum, aut singulari laude dignum præstare poterit; Caro namque pondere suo ad ima semper trahit.

Caro semper ad ima trahit.

Et iterum abiens, orauit eundem sermonem. Quòd Dominus noster secundò, & tertiò idem orationis opus repetit, illud indubitatæ veritatis argumentum existit. Nam eiuidem iteratio in Scripturis sacris, certum rei euentum ostendit. Quare etiam Ioseph ad Pharaonem aie- [E] bat; *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens, firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei.* Vt ergo idem somnium repetitum est, quò certò constaret, illud omnino futurum, quod per somnium ostensum fuerat; ita Dominus noster quoque, vt certò se verum hominem esse persuadeat, eandem orationem tertiò redintegrat.

Eiusdem rei iteratio veritatis argumentū existit. Gen. 41.

Veruntamen non quod ego volo. Docet hic rursum Patris voluntati sese per omnia submittere, pérq; omnia cum illa facere & conspirare.

Christus patris voluntati per omnia obsequens.

Et reuersus, denuo inuenit eos dormientes. At quorsum, inquis, ad discipulos, quò illos inuisat, officiique admoneat, denuo redit; neque tamen interpellat, aut admonet, sed rem totam tacitè dissimulat? Redit ad illos, quò ingentem eorum infirmitatem omnibus ob oculos ponat: siquidem semel reprehensi & admoniti, adhuc in vigilia perstare, & à somno sese continere non potuerunt.

Magna discipulorum Christi infirmitas. Christus nulla necessitate

compulsus, sed libera voluntate in Iudæorum manus venit.

Surgite, eamus hinc: ecce qui tradet me, prope est. Per hæc, sicut per cætera fermè omnia, nullius, quod fiebat, necessitatis fuisse ostendit; sed admirabilis cuiusdam dispensationis. Etenim proditorem certò venturum sciebat; & tamen ea de causa adeò fugam non inibat, vt obuiam quoque illi procederet.

Venit Iudas Ischariotes, vnus è duodecim. Quod vnus è duodecim Apostolorum numero, vnà cum turba venisse scribitur, id insignem diaboli malitiam, infandámque proditoris nequitiam, & impudentiam arguit. Qui enim pari cum cæteris Apostolis honore & dignitate potiebatur, is eorum ducem & antesignanum se præbet, qui Christum ad supplicium, & mortem petitum venerant.

Insignis impudentia & ingratitudo Iudæ.

Dederat autem traditor eis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est. Iudas Christi gloriæ & maiestatis prorsus oblitus, præque auaritia planè occæcatus, existimabat latere se posse, si osculum in amicitiæ symbolum prætenderet.

Iudas auaritia occæcatus.

Aue Rabbi. Cui letales insidias struebat, illi infelix proditor vnà cum osculo salutem offert. Dominus autem osculum offerentem non aduersatur; neque vultum ab eo vertit, ostendit autem illum non amicitiæ studio, sed impietatis explendæ desiderio accessisse.

At illi manus iniecerunt in Iesum. Scelerata Iudæorum cohors, cruentas in Dominum Iesum manus iniicit, insontémque inuadit, idque eadem illa nocte, qua Pascha mäducaturi erant: Tanto insani homines odio in Christum ardebant, tantáque furia insaniebant. Verùm nihil prorsus efficere potuissent; nisi ipse vltro in mortem se tradidisset; seséque illorum voluntati sponte permisisset. Interim hæc permissio Iudæorum cœtum à nefando scelere, intolerandæque pœnæ reatu non absoluit; sed maiori quodammodo condemnationi obnoxium reddit. Cùm enim tantam de illius virtute, moderatione, & mansuetudine experientiam haberet, adeò ob hęc eum veneratus non est, vt quauis quoque furente belua crudelius in eum grassatus sit.

Iudæi eadem nocteque pascha manducaturi erant, in insontem Iesum cruentas manus iniiciunt.

Vnus autem quidam de circunstantibus, educens gladium, &c. Beati Apostoli amoris simul & pietatis stimulo acti, gladios obtendunt, irruentium hostium impetum hoc præsidio compesci, & à Domino submoueri posse arbitrati. Verùm Christus Dominus non siuit isthuc fieri: Neque enim gladio aduersarios nos vult sternere, aut profligare, sed virtute, & prudentia, & beneuolentia, aliisque similibus. Hæc enim sunt arma, quibus aduersus hostes familiariter nos vti iubet. Illum porrò, qui plagam acceperat, vi quadam diuina, vt alius Euangelista exponit, in integrum statim restituit; illis, qui ad comprehendendum eum venerant, hoc quoque signo se Deum esse palàm ostendens.

Quibus armis debellandi sint hostes secundum Christi doctrinā. Ioan. 18.

Quotidie apud vos eram in templo, docens. Cùm dicit: *Quotidie apud vos eram in templo docens, & non tenuistis me,* planum facit, neminem prorsus illius vim frangere, aut voluntatem expugnare potuisse, nisi ipse se capi, & ad mortis supplicium adduci passus esset. Asseruabat autem crucē, quam nostri causa subire decreuerat, tempori magis cōgruo; cuiusmodi illud erat, quod tum instabat: quò nimirū Scripturæ implerentur. Per hoc clarè demonstrans in illorum potestate id situm non fuisse, sed in sua.

At cur, inquis, in templo illum non comprehenderunt? Quia metuebant turbam. Quo ergo à loci & temporis opportunitate, prædę potiundæ spem concipiant, noctu extra hominum consortium secedit.

Iudæi Christum propter turbam in templo aggredi non audēt.

Tunc discipuli eius, relinquentes eum, omnes fugerunt. Neque enim fieri poterat, vt vel veritas mentiretur, aut à veritatis scopo Prophetæ aberrarent.

Adolescens autem sequebatur. Hic forsan è domo, in qua pascha celebrarant, illos fuerat secutus. Solent enim illiusmodi affectationes nonnunquam contingere.

Petrus autem à longè secutus est eum. Magnus erat discipuli huius feruor: neque enim cæteris fugientibus ipse quoque fugiebat; sed vel resistebat, vel statim certè pedem è fuga retrahebat: Siquidem vnà cum in Pōtificis atrium introibat. Aderat etiam Ioannes, sed hic Pontifici notus erat.

Magnus Petri feruor & animositas.

A *Et adduxerunt eum ad summum Sacerdotem.* Cur illum ad summum Sacerdotem adducunt? quia ibi omnes Iudæorum proceres & magistratus congregati erant. Quò ergo omnia ex Pontificum & Sacerdotum sententia administrentur, vinctum Iesum ad Caïphæ domum adducunt: Siquidem is anno illo summo Sacerdotio fungebatur.

Conuenerunt omnes Sacerdotes, & scribæ, & seniores, &c. Conuenerunt sanè ad Concilium omnes: verùm illorum consessus, nihil erat aliud prorsus, quàm pestilentium hominum cœtus. Porrò autem insidias suas tribunalis schemate palliantes, multa ex Christo non candidè, sed captiosè & insidiosè interrogant. Neque B enim testimonia, quæ à submissis testibus aduersus Iesum adferebantur, conuenientia, hoc est, veritati consentanea erant, vt scribunt Euangelistæ. Nam vt illorum Concilium erat prophanum, vtpote ex prophanis & sceleratis impostoribus conflatum; ita nihil non isthic prophanis turbis, & tumultibus erat plenum.

Concilium Pharisæorum aliud nihil quam pestilentium hominum cœtus. In Concilio Pharisæorum tales erant testes quales iudices & assessores.

Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant. Falsi hi testes in medium progressi, *hunc dixisse audiuimus,* aiunt: *Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum, aliud non manu factum reædificabo.* Quò autem testimonium, quod adferunt, ponderosius, coràmque senatu speciosius videatur, per apertam calumniam, τὸ manufactum, & non manufactum Christi verbis adiiciunt.

Iudæi Christi verba falsificant, & interuertunt.

C Sed neque Dominus quoque dixerat: Soluam templum hoc, sed dixerat: *soluite templum hoc.* Neque rursum de materiali templo verba fecerat, verùm de corporis sui tabernaculo. Et quid ergo Pontifex? Aliquam ex illo responsionem elicere, eáque ratione incomprehensum capere nitens dicit.

Non respondes quicquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat. Nam cùm nullus adesset, qui auscultaret, superuacaneum prorsus videbatur, quicquam responsi dare. Erat enim iudicium illud quædam verius tribunalis larua, quàm legitimum Concilium; id quod Euangelista Lucas hoc ipso quoque demonstrat, quod Dominum ad illos, qui ex eo, *si tu es Christus,* interrogabant, ita respondisse narrat. *Si vobis dixero, non credetis mi-* D *hi: Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.*

Cur Christus a Caïpha interrogatus taceat.

Luc. 23.

Rursus summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit: Tu es Christus filius Dei benedicti? Quandoquidem multi Christi nomine appellabantur; nam & Sacerdotes, & Prophetæ, & Reges, Christi dicebantur, propterea Pontifex interrogat: Sitne ipse Christus per excellentiam, hoc est, Christus Dei benedicti Filius? Quærit hoc autem non vt credat, verum vt habeat, quo illum arguat & condemnet, si se hoc esse fortè respondeat. Neque enim ita comparati erant Pontifices vt aliquando crederent. Quare Dominus apud Lucam ita illos affatur: *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Veruntamen ne hoc illis reliquum fiat, vt iure quandoque dicere queant, Seruatorem nostrum se Christum Dei Filium esse nusquam E disertè affirmasse, ob id Marcus planis verbis id illum pronunciasse commemorat.

Christi nomē apud Iudæos late patens.

Cur Dominus planis disertisque verbis fassus est, se esse Filium Dei benedicti.

Tu es, Christus Filius Dei benedicti? Per hæc plano sensu ostenditur, Caïpham cæterósque Iudæorum proceres diuinitatis Christi prorsus ignaros non fuisse. Venerant autem in eius rei siue notitiam, siue suspicionem, per signa quæ ediderat. Nam quorsum hunc solum: ipsêne Christus Dei benedicti Filius esset, interrogare attinebat, nisi eum id esse suspicati fuissent? neque enim ex aliis reis tale quippiam interrogare soliti erant.

Pharisei & Scribæ & Iudæorum Pontifices diuinitatis Christi non prorsus ignari.

Ego sum & videbitis Filium hominis, &c. Dominus manifestæ diuinitatis suæ assertioni ea adiungit, quæ pertinēt ad vniuersalis iudicii statum. Interminatur enim hic illis futurum, vt se Christum in cœlesti gloria, & maiestate

Christus Dominus coram Caïpha se Deum & Dominum, & mortalium vniuersum iudicem profitetur.

iestate conspicuum coram quandoque cernant.

A *A dextris virtutis Dei.* Per hæc non forma, aut species aliqua corporea designatur: (neque enim immensus ille Spiritus vllo omnino sensu comprehendi potest) sed spiritalis: alioqui enim dextera virtutis Dei, vel sessio ad huiusmodi dexteram, vt aliqua sensili spectari & capi posset, quod est impossibile.

Deus sensu comprehendi nullo modo potest.

Interim Christus Dominus inaspectabili gloria & maiestate, suo postea tempore sese ostensurus est: quippe cùm sensilis illa maiestas & gloria illi, quæ sub aspectum non venit, indiuulsè sit adiuncta; neq; secus ferè ex illa dimanet, quàm radius è Sole. Cùm ergo dicit: *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, denunciat Iudæos gloriam & maiestatem, qua circũdatus è Cœlo ad terram sub sæculi finem descendet, certò conspecturos.

Ex animæ splendore felicitate, & gloria, redundat splendor & gloria sensilis in corpus.

Verùm illi his auditis, adeò non sunt moti, aut emendati, vt sanctissimæ verissimæque Christi Seruatoris B responsioni blasphemiæ quoque nomen imposuerint, aliósq; testes inquirere, vel adhibere planè superuacaneum duxerint. Ex quo planum fit, cœlestium mysteriorum patefactionem obstinatè improbis, in nullam ferè vnquam vtilitatem, verùm in maiorem plerúmque condemnationem cedere.

Iudæi Christi confessione & comminatione nequaquam euadunt.

Quid vobis videtur? Posteàquam & Dominus se Christum Dei Filium esse, dexteráque patri assidere, nec non vt mundum vniuersum iudicet, olim è cœlo se descensurum dixerat, (per hæc enim summam se cum patre consensionem & æqualitatem obtinere apertè declarabat) summus Sacerdos quasi orationis indignitate commotus, vestem mox discidit; orationéque ad auditores conuersa, *Audistis blasphemiam*, dixit, *quid vobis* C *videtur?*

Christus Patri æqualem se prædicat.

Summus Sacerdos scindit vestimenta, & quare.

Quid vobis videtur? Non fert Caïphas condemnationis sententiam per se, aut ex se; sed exigit illam ab assessoribus & circonstantibus, tanquam de homine in manifestario, planéque confesso blasphemiæ crimine deprehenso. Præoccupat autem auditorum animos huiusmodi sermone: *Quid vobis videtur*, En apertam modò blasphemiam audiuistis. Hæc Pontifex non tam illos, qui aderant, vt mortis sententiam in Iesum ferant, sua oratione incendens, quàm vi quadam importuna huc prorsus compellens. Aut non ipsi; sed ipse verus odio, & inuidia instigatus, eiusmodi sententiam promit. Et quid ergo illi?

Caïphas assessores & circunstantes, vt mortis sententiam in insontem Iesum ferant tantum non compellit.

D *Omnes condemnauerunt eum, reum esse mortis.* Illi sunt accusatores, illi Iudices, illi, vt paucis dicam, sunt omnia: siquidem Pontifex tunicula dissectione, omnes permouerat, & in sententiam suam pertraxerat. Iudæi enim si quid fortè, quod aliquam blasphemiæ speciem præ se ferre videbatur, audiuissent, more suo extimam statim vestem lacerabant.

Cur Iudæi extimã quandoque vestem lacerarint.

Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius. Cœli terræque Dominus, vniuersorúmque conditor & Architectus, tanquam vnus ex nobis sputis & colaphis fœdè dehonestatur, indignéque cæsus durat & perstat; & ab impijs ludibrio habitus, patientiam constanter retinet: summæ per hæc omnia tolerantiæ & patientiæ formam se ipsum nobis proponens.

Christus Dominus summæ patientiæ formam se omnibus prophetia largitor & auctor.

E *Prophetiza.* Qui omnium corda & renes scrutatur, omnisque prophetiæ auctor & largitor habetur, quomodo is, quis nam ipsum cæcidisset, ignorare poterat?

At ille negauit dicens: neque scio, neque noui quid dicas. Beatus Petrus (pro vt à Domino prædictum fuerat) infirmatus, vniuersorum Dominum & Seruatorem negat; idque non semel & iterum, sed tertia vice: Neque id simpliciter rursum, sed cum iuramento, vnius duntaxat ancillæ voce exterritus, & examinatus. Vtique subita illa consternatione, animíque perturbatione occæcatus, Dominicæ illius comminationis: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis*, penitus oblitus fuerat: quandoquidem non semel tantùm sed aliquoties coram omnibus illum negat.

Petrus infirmatus negat Christum.

Matth. 10.

Rursum autem, cum vidisset illum ancilla. Iterum hic negat, A siue ancilla, quæ circunstantibus vnum illum ex discipulis Iesu esse indicium faciebat, eadem fuerit cum prima, vt Marcus insinuare videtur; siue alia, vt Matthæus scribit. Neque enim scribentium animus, vt istuc accuratè memoriæ proderetur, anxiè laborabat: vt quod ad salutaris fidei rationem non ita multum conferret.

An eadem ancilla Petrũ bis interpellarit incertum Euangelistæ de Petro negatione clarè omnes conueniunt de causa autem proxima, non ita perspicuè conueniunt.

Quamobrem Lucas, nulla ancillæ facta mentione, qui ante secundam negationem, Petrum vnum ex ijs esse affirmabat, qui erant cum Iesu, virum fuisse commemorat. Verùm licet hæc non ita exactè inter se conuenire videantur, in eo tamen, quod hic recensere propositum illis erat, summè consentiunt omnes: videlicet Petrum secundò negasse, nec non cum iuramento se hominem illum non cognoscere asseuerasse.

Post pusillum rursus, qui astabant dicebant. En quo alij magis vrgent & affirmant; eò Petrus vehementius iurat, & B obstinatius negat, vnde sequitur: *Ille autem cœpit anathematizare & iurare.*

Et statim gallus cantauit, & recordatus est Petrus, &c. Posteàquam metus ex parte decessit, & animus illius à vehementi illa commotione, quæ memoriam eius obturbauerat, nonnihil reualuit & quasi respirauit, admirabili quodam modo statim in illud ipsum malum & probrum sese decidisse comperit, in quod Dominus illum prolapsurum paulò antè denunciauerat. Galli itaque cantu admonitus, & quasi à graui somno excitatus & clementi simul Domini, quem negauerat, oculo respectus & in quantam demum calamitatem præceps ruisset, liquidò edoctus, foras è vestigio egressus, casum suum C amarissimè deflere cœpit.

Petrus Galli cantu quasi à graui somno excitatus & clementis Domini oculo respectus casum suum statim agnouit & defleuit.

Et quia ex animo ad se & ad Deum redijt, suumq; lapsum vehementer doluit, factum est vt à gradu & ordine suo non deciderit; mansit enim, quod antè erat nempe germanus verúsque Iesu Christi discipulus. Quandoquidem per pœnitentiam, internúmque animi dolorem non modò certam veniæ spem, verùm plenam quoque peccatorum omnium remissionem obtinuit.

Petrus per pœnitentiam in pristinum statum & locum restitutus.

Porrò autem per Sanctorum lapsus, quos diuinæ scripturæ ob oculos nobis ponunt, admonemur, vt simile quid fortè passi, sæduli pœnitentiæ illorum imitatores simus. Siquidem clemens Deus vnicum salutis remediũ post casum, pœnitentiam nobis reliquit, omnibúsque peccatoribus clementer proposuit. Quam illi mediciD nam è medio tollere conantur, qui se ipsos Catharos, hoc est, mundos vocant; haud cogitantes rem esse omnibus sordibus & inquinamentis sordidiorem & inquinatiorem, eiusmodi de se ipso opinionem concipere. Nemo enim vt sacris literis proditum est, à sordibus immunis est, ne vnius quidem diei infans.

Cur scriptura Sanctorum lapsus proponant.

Vnicum salutis remedium post casum pœnitentia.

Sed neque illud quoque Cathari illi ignorent; nempe Apostolum Petrum antè Christum captum tertióque ab illo negatum corporis, & pretiosi sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem extitisse, & adhuc tamen prolapsum esse: verùm per pœnitentiam resurrexisse, & peccatorum veniam impetrasse. Ne isti ergo Dei benignitatem eiusdémque clementiam & mansuetudinem incusent, memores illius, quod per Prophetam disertè E alicubi tradit. *Iniquitas impij non nocebit ei, dicit dominus, quacunque die, ab impietate sua conuersus fuerit.*

Nihil immũdius eo qui se mundum iactat.

Petrus paulò post acceptam Eucharistiam lapsus.

Ezech. 33.

Et statim gallus iterum cantauit. Marcus Euangelista gallum, posteàquam Petrus primò negauerat, vocem dedisse scribit: Vbi autem tertiò Christum negauit, denuo cecinisse asserit. Accuratius hic enim Apostoli infirmitatem eiusdémque propter ingentem metum animi cõsternationem explanat, quàm Matthæus. Nam cùm hic Petri sectator esset, perfectius, quæ ipsi acciderant, ab illo didicit, quàm reliqui. Interim quæ hac de re à Matthæo & Marco narrantur, etsi prima fortassis facie pugnare inter se videantur, verè tamen non pugnant: Quãdoquidem galli eodem gallicinio noctisve interuallo non semel aut bis tantùm canunt, sed vno eodémque tractu eandem vocem crebrius repetunt.

Cur Marcus Petri negationem accuratius exponat quam reliqui Euangelistæ.

Conciliatur Marcus cum Matthæo de Galli cantu & Petri negatione.

Ante gallicinium primũ absolutum Petrus ter negauit Dominum.

Marcus itaque vbi semel canere cœperat, vocem non continuisse significat, verùm eandem iterum iterúmque ingeminasse; quò vel hac saltem ratione Petrum excitaret, eáque illi in memoriam redigeret, quæ Christus ipsi comminatus fuerat. Quare vtrúmque verũ est, & quòd Petrus ter negauerat Christum Dominum, antequam gallus caneret, & quòd post tertiam negationem denuo vocem dederit: Alterum enim refertur ad noctis vices, seu galliciniorum interualla; alterum verò ad vnius intercapedinis voces. Negauit itaque ter, priusquam gallus vnum gallicinium integrè absolueret.

Sunt qui dicãt, & in idem penè redit, quod Matthæus simpliciter & indefinitè retulerat, hoc Marcum explicatè commemorasse. Galli enim, vt nemo nescit, eandem vocem crebrius iterare soliti sunt. Eapropter Euangelista Marcus illuc: *antequam gallus cantet*, quod Matthæus habet, explicat in hunc modum: *Priusquam gallus vocem bis dederit*, hoc est, priusquam gallus secundam omnibúsque manifestam vocem dederit, *ter me es negaturus*: Marcus proinde alijs non aduersatur, sed planius dicit, quod cæteri contractius exposuerant.

Et cœpit flere: Petrus obuerso Christi vultu obtutúque peccati sui admonitus, lachrymas statim profundit, at non palàm illud ausus est facere, quocirca egressus est foras, ibidémque amarè plorauit.

CAPVT XV.

Iudæi Christum tradunt Romanorum præsidi paulò post eorũdem exercitibus tradendi.

Esai. 3.

Et vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Iudæi Christum Iesum tanquam mortis reum tradunt Pilato Romanorum Præsidi. At ipsi vicissim non ita longo post tempore Romanorum exercitibus traditi fuerunt. Impletum est enim in illis, quod per sanctos Prophetas iam dudum antè prædictum fuerat, è quibus vnus ita ait: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei*, alius verò: sicut fecisti, ita fiet tibi, merces tua in caput tuum.

Luc. 23.

Tu es Rex Iudæorum? Pilato interrogante: *tu es Rex Iudæorum?* Iesus respondit, *tu dicis*. Quia enim, vt Lucas scribit, cœperunt illum accusare dicentes: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, &c.* Ob id Iesus à Pilato interrogatus, respondit: *tu dicis*. Vsus est autem hoc responsi genere, ne per absolutum silentium illorum calumniam confirmare videretur. Tum etiam ne per exquisitam criminum obiectorum inficiationem aut depulsionem, in timoris cuiuspiam suspicionem fortè veniret.

Cur Dominus Pilato interrogãti Rex Iudæorum es tu, tantum respondit, Tu dicis.

Vnicum Iudæorum studium erat vitæ authorem in mortem tradere.

Per diem autem festum, &c. Vnicus hic impijs Iudæis scopus propositus erat, inque vnum hoc studium incũbebant omnes, nempe vt vitæ authorem in mortẽ præcipitem darent; Facto hoc propalam ostendentes, se homine idolorũ culturæ addicto multis partibus nequiores esse. Siquidem Pilatus Christum Iesum non semel; sed sæpius ab omni prorsus crimine alienum pronunciarat; Illi autem manifestarum calumniarum causas hinc inde colligentes, vrgent & instant, ac: *tolle, tolle, crucifige eum*, insanis vocibus clamitant. Præses autem non absque graui increpatione, *quid enim mali fecit?* ab illis percunctatur.

Iudæi Pilato multis partibus nequiores.

Christus vniuersæ pietatis & sanctimoniæ magister.

At illi magis clamabant: crucifige eum. Illo, penes quem iudiciaria potestas erat, absoluente & liberante, scelerati Iudæi nihilo secius vt mortis sententiam in eum ferat, quem vniuersæ pietatis & æquitatis doctorem, omnisq; sanctimoniæ Magistrum esse publicè constabat, magna contentione efflagitant. Quorsum hoc autem, nisi vt maiorem damnationem, intolerabilioremque suppliciorum causam sibi accersant?

Iudæi pro vitæ auctore latronem sibi dari postulãt, latronum sortem ei imtempserunt.

Act. 3.

Pontifices concitarunt turbam, vt magis Barrabam dimitteret eis. Certatim itaque turmatímque vociferantur omnes, & dicunt: *Tolle illum, & dimitte nobis Barrabam.* Igitur, vt S. Petrus meritò illis obijcit, *Sanctum & iustum coram Pilato negauerunt, virum autem homicidam sibi donari petiuerunt:* quò nimirum sortis illius olim socij euadant.

Iudæi victoriam mortis genitricem obtinuerunt.

Pilatus ergo volens populo satisfacere. Pilatus nihil se proficere animaduertens quod petebant fieri iussit. Atque ita Iudæi victoriam obtinuere, sed certæ mortis genitricẽ. Saluator quoque, quòd tribunal prorsus corruptum & deprauatum videret, nullum omnino verbum ad obiecta respondit, sed simpliciter tacuit.

Cur Dominus flagellis sit cæsus priusquam in crucem ageretur.

Tradidit Iesum flagellis cæsum. Cur Pilatus Iesum, priusquam in crucem ageretur, flagellis cædi curauit? Aut hoc fecit, quò publicè constet, non citra grauem causam morti adiudicatum esse; adeóque iudicium suum ab omni iniustitia & iniquitate alienum esse; aut certè, quòd hoc facto Iudæorum voluntati, & Romanorum quoque consuetudini sese accommodare voluerit.

Diabolus omni hominum generi insultat & armat in Christi iniuriam.

Milites autem duxerunt eum in atrium. Tanquam ex condicto communique pacto diabolus in omnibus lætitia exultat, chorósque ductat. Nam ipsi quoque milites ex iniurijs & contumelijs, quas affatim Christo irrogant, voluptatem capiunt. Siue quòd ipsi itidem Iudæis hoc nomine gratificari studerent; siue quòd pro innata malitia, & improbitate isthæc designarent.

Milites varijs modis debacchantur in Iesum.

Et quidem varijs vijs, diuersisque modis & artibus nefarij sceleratique viri in Dominum Iesum debacchabãtur: Alij enim colaphos illi infringebant, alij spinea corona venerandum illius verticem contumeliosè induebant; alij tandem adorandum illud caput arundine percutiebant. Cùm hæc ergo ita habeant, quam, quæso, iustam commonitionis, aut queritationis causam nos reliquam habemus, si qua nonnunquam iniuria vel contumelia afficimur? Quæ enim Christo per summam contumeliam illata sunt, ea ad summum contumeliarũ omnium fastigium peruenerunt.

Nullam christianus homo iustam querelandi causam habet, si qua nonnunquam contumelia afficiatur.

Christi discipuli non citra causam à Christi patientis spectaculo exclusi sunt.

Meritò profectò Christi discipuli ad miserandum & indignum illud spectaculum admissi non sunt: periculum enim haud quaquam leue erat, ne ex tantis illis iniurijs & contumelijs, grãde aliquod scandalum caperent. Quæ enim hic acciderunt; ea omnem modum & orationem multis partibus excedunt.

Et postquam illuserunt ei. Vbi milites ad satietatem vsque, Christum Redemptorem nostrum ludibrio habuerunt, abduxerunt eum, vt crucifigeretur.

Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæũ. Marcus Simoni Cyrenæo Christi crucem impositam scribit. Ioannes autem Dominum ipsum crucis suæ lignum baiulasse scriptum reliquit. Sed vtrumque verum & certum est: Nam initio suam ipse crucem Seruator noster portabat: Verum inter eundum, circa mediam fortassis viam, casu occurrit Simon Cyrenæus, quem comprehensum, vt Iesu crucem post illum baiularet, coëgerunt. Huc enim spectant illa Matthæi: *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem. Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.*

Christus Dominus suam ipse crucem per ciuitatem Hierosolymorum portauit.

Dominus tantisper crucem suam baiulauit, donec extra ciuitatem occurrit Simõ Cyrenæus.

Quamobrem Dominus noster intra & extra ciuitatem tantisper crucis suæ molem baiulauit, donec tandem obuiam venit Simon Cyrenæus, qui militum imperio adactus, delassatum Iesum ab onere illo subleuauit. Quin Euangelista Marcus quoque, hoc ipsum confirmat, dum inter cætera ita narrat.

Cur Simonis Cyrenæi liberi nominentur diuersæ causæ.

Et deducunt illum, vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Ruffi, vt tolleret crucem eius. Ad maiorem autem lucem, exactioremque rei gestæ notitiam, adiungit, quorum parens Simon ille Cyrenæus extiterit. Forsan enim quidam de eo, qui crucem Iesu post illum portauerat, dubij erant; aut hic fortassis Simon per id tempus adhuc superstes erat; ita vt certò ea referre potuerit, quæ circa crucem Domini acciderant. Fieri nihilominus potest, ea de causa illud adiunxisse, quò ea corroboraret & illustraret, quæ cæteri Euangelistæ de cruce deportata scripserant. Vtcunque sit, certum est, Marcum aliorum dicta ea adiectione, euertere, non voluisse.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit.

Ad-

Etsi Euangelistæ de potu Christo propinato non eodem modo loquantur, attamen inter se non pugnãt quia non agunt de eadẽ propinatione.

Aduerte hoc loco, Euangelistam, qui Domino Iesu vinum felle mixtum oblatum scribit, neque à veritatis A scopo aberrare, neque illi rursum, qui vinum myrrhatum illi propinatum asserit, aduersari, ne ab illo tandem dissentire, qui aceti tantùm oblati meminit. Siquidem non omnes de eadem propinatione agunt, sed de alia & alia. Vnus namque ex illis, quid antequam in crucem ageretur factum fuerit, exponit, alter verò, quid in ipsa cruce oblatum sit, describit. Sic quoque accipere, & gustatum reddere, & initio gustare noluisse non pugnant.

Cap. 27. Matthæus igitur Christum Dominum, vbi vinum cum felle mixtum degustasset, bibere noluisse scribit. *Cap. 15.* Marcus verò vinum myrrhatum initio, hoc est, antequam in crucem sublevaretur, oblatum recusasse exponit. *Cap. 19.* Ioannes autem acetum, per spongiam & hyssopum B ori illius admotum, accepisse tradit. Neque tamen, dum hæc scribit, cæteris, qui huius propinationis & sumptionis, (sicut nec hyssopi quoque) expressè non meminerunt, aduersatur, absit. Nam cùm milites multa nefaria summa cum licentia in Iesum designarẽt, (prout in magna insanientis multitudinis confusione fieri consueuit) vnus obtrudebat hoc, alius illud, alius item aliud. Multa quoque, quæ isthic facta fuerant, ab Euangelistis omnino prætermissa sunt. Addi his potest, qui scribit: *Cùm accepisset Iesus acetum, dixit: consummatum est*, non dicere verè bibisse: siquidem simpliciter tantùm degustare, & non bibere non contradicunt; sed prudentis menti vnum idèmque offerunt.

Non omnes Euangelistæ eadem perſus scripserunt. Non omnia quæ Christus passus est, Euangelistæ scripserunt.

Paucis, quæcunq; ab Euangelistis exposita sunt, ea omnia verissimè exposita sunt: vtpotè ab illis, qui & sancti C erant, & rem optimè exploratam habebant: Neq; enim temerè, aut vt sors ferebat, quæ acciderant, scriptis mãdabant, sed accuratè & bona fide. Neque quorumlibet rursum hominum tempore scribebant; sed eorum ætate, iisq; adhuc vitæ superstitibus, qui, si quid fortè literis comprehendere ausi fuissent, præter id quod verè acciderat, falsitatis eos reuincere poterant.

Multæ causæ compellebant, vt Euangelista non nisi vera certóque comperta scriberent.

Et cum eo crucifixerunt duos latrones. Christo in venerandam crucem acto, duos vtrinque latrones vnà cum illo suspendunt. Erat sanè res isthæc, quod quidem ad Iudæorum studium & scopum attinebat, aliud nihil, quàm mera indignáque quædam contumelia, re ipsa autem *Esai. 63.* prophetiæ illius; *Et cum iniquis reputatus est*, fida expletio D & in mentem reductio erat. Et cur, inquis, vniuersorum Dominus & opifex nostri causa homo effectus tantam ignominiam, tantáque supplicia pertulit? nobis ille assimilatus est, nostrásque in se miserias & cruces suscepit, quò naturam nostram per peccatum collapsam erigeret, & in pristinum dignitatis gradum denuo reuocaret. Commoda itaque, quæ per illius cruciatus in nos defluxerunt, sunt permulta: Ipse enim nostra pro nobis debita exoluit; ipse peccata nostra tulit, ipse nostri causa doluit & gemuit, &c.

Cur Filius Dei homo factus tanta nostra causa perferre voluerit.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Quo modo Marcus hora tertia Iesum crucifixum dicit, hora autem sexta obortas tenebras? Probabile fit, Christum ad tertiam, vel ad finem tertiæ in crucem sublatum; tenebras autem & reliqua prodigia circa sextam E euenisse.

Noli scribere: Rex Iudæorum. Iudæi Pilatum, vt causam, quam cruci affixerat, refigat, admonent: (ea autem erat eiusmodi Scriptura: Iesus *Nazarenus Rex Iudæorum*) at nihil obtinuerunt. Præses namque in sententia perstitit: Nam vt alius Euangelista scribit; respondit illis: *Quod scripsi, scripsi.* Interim templi magistratus populúsque Iudæorum per ea, quibus Christo insultabant & illudebant, eum Regem non esse, ostendere conati sunt, sed frustra.

Titulus crucis Iudæis exosus, sed frustra.

Et prætereuntes blasphemabant eum, similiter & summi Sacerdotes. Non tantùm Scribæ & Pharisæi Christo Iesu in crucem sublato insultant, verùm cæteri quoque, qui obiter solùm illac pertransibant, virulentam linguam in illum exertare non dubitabant. Et quod omnium deterrimum erat, insontem Dominum ob imposturas & seductiones ea pati furiosè blasphemant. Inter cætera autem dicunt: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Christus Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus ei.*

Etiam viatores Christo in crucem sublato insultant.

Atqui meritò obiecerit hic quispiam illis: Si alios saluos fecit, vosque Iudæi verè & ex animo id accidisse cognoscitis, quo modo, si voluisset, ex vestris manibus se expedire non potuisset? Verùm per hæc dicta cætera quoque signa, quæ antè patrarat, calumniari, & in dubium vocare voluerunt, addunt rursum.

Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult. At si hæc ratio vllam omnino ad sanctitatem illius labefactandam vim habet, neque prophetæ; verè fuere prophetæ; neque iusti verè iusti: siquidem Deus non semper illos è periculis & sceleratorum manibus eripuit.

Deus nõ semper liberat iustos ex periculis.

Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Hanc de latronibus historiam Lucas accuratius prosequitur. Matthæus enim & Marcus rem hanc breuiter tantùm attingunt; scribunt autem Latrones, qui cum illo crucifixi erant, æquè ac cæteros, conuitia in Christum detorsisse. Lucas verò alterum quidem ex illis Iesum conuitiatum narrat; alterum verò conuitiatoris insolentiam graui oratione compressisse & reprehendisse; cui proinde magna quoque merces, magnúsq; honos à Christo promissus sit. Fieri nihilominus potuit initio vtrúmq; quod causam, propter quam Dominus ad mortem condemnatus fuerat, ignoraret, blasphemasse; postea verò Christi innocentia comperta; alterum quidem conuitijs valefecisse; alterum verò insanabili animi malitia detentum, post cognitam quoque Domini innocentiam conuitiari perrexisse.

Probabile fit vtrumque latronum quòd Christi innocentiam compertam non haberent, initio conuitiatum esse.

Et facta hora sexta, tenebræ per totam terram factæ sunt. En hac ipsa hora exhibetur, quod Iudæi antè à Christo petiuerant nempe signum cœleste. Hoc autem paulò post aliud maius consequitur; & quodnam illud? illud vtique, quod Dominus sese daturum promiserat: *Generatio* aiebat, *mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ*, & alio rursum loco: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Etenim multò admirabilius erat, cùm ex cruce adhuc pendebat virtute illius hæc accidisse, quàm si cùm in terris adhuc ambulabat, euenissent.

Christus in cruce pendens exhibet, quod Iudæi antè ab illo petiuerant nempe signum cælesto.
Matth 12.
Ioan. 8.

Tenebræ per totam terram factæ sunt. Editur hic eiusmodi prodigium, cuiusmodi antea nusquam, nisi in sola Ægypto, visum fuerat; idque circa tempus, quo pasca immolabatur. Etenim quæ ibi fiebant, horum typus & vmbra erant. Ne autem aduersarij cauillari possent, tenebras illas propter Solis Eclypsin obortas, propterea decima quarta Luna, hoc est, in ipso Plenilunio, quando Sol deliquiũ pati nullo modo potest, accidit hoc signũ. Accidit adhæc medio die, quò omnes, qui terrarum orbem inhabitant, illud conspicari & admirari valerent.

Tenebræ Ægypti, figura tenebrarum quæ acciderunt Christo in cruce pendente.

Erat verò obscuratio illa tanta tamque stupenda, vt sola ob miraculi magnitudinem sat esse potuerit ad conuertendum omnes quotquot spectaculo huic præsentes aderant; maximè verò quòd eo tempore accidisset, quo Iudæorum principes contumeliarum & iniuriarum omnium telam iam absoluerant. Iam tum enim Deum meum missum fecerant. Iam dicteria & probra in illum iactare desierant. Iam cuncta, quæ volebant maledicta & conuitia in Iesum meum effuderant.

Et hora nona exclamauit Iesus voce magna. Clamat & loquitur Dominus quò Iudæi illum adhuc viuere, omniúmq; admirabilium, quæ fiebant vnicum auctorem esse certò hinc cognoscant, cognoscendóque moderatiores & æquiores in eum euadere incipiant. Clamat autem:

Dominus in cruce clamat & loquitur ob Iudæorum salutem.

Eloi Eloi lamma Sabachtani. Nimirum vt planum ex hoc fiat, ad vltimum vsque vitæ halitum Patrem honorasse, nulláque in re ipsi contrarium esse. Ea ipsa quoque de causa; nempe vt palam constet, quanta sibi cum Patre consensio & cõcordia intercedat, propheticam vocem

hoc loco vſurpat; ait enim:

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Oſtendit per hæc inter cætera nullam mortis cauſam ſibi cohæſiſſe. Oſtendit per eadem æquè ſe omnes vnà cum natura noſtras miſerias & langores in ſe tranſtuliſſe. Nos enim ij eramus, qui à Deo proſcripti abiectiq; per illius crucem & mortem, qui ſecundum ſe impeccabilis eſt, ab eodem denuo in filios aſſumpti, & in vitam reuocati ſumus. Ipſe verò Chriſtus ſecundum ſe, nunquam à Patre deſertus, nunquam ab illo abiectus fuerat; notum eſt enim illud Ioannis: *Solus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.*

Illud Deus meus quare dereliquiſti me, non ad Chriſtum ſed ad Chriſti membra pertinet.
Chriſtus nũquam a Patre deſertus.
Ioan. 8.

Et quidam ex circunſtantibus dicebant: Ecce Eliam vocat. Specta hinc quoque væſanum illorum iudicium: putant námque Eliæ opem implorare. Fieri tamen poteſt, Romanorum militum inſcitia hoc accidiſſe.

Currens autem vnus. Et hoc quoq; quòd ſpongiam aceto plenam ori illius admouebant, inſanæ abſurdæque illuſionis opus erat. Quamobrem Dominus Ieſus non ſolum à Iudæis, verùm etiam à Græcis & Gentibus varijs modis ludibrio habitus eſt.

Dominus Ieſus non ſolum à Iudæis, verum etiam à Paganis & Græcis ludibrio habitus eſt.

Ieſus autem emiſſa voce magna exſpirauit. Per hoc factum Dominus Ieſus demonſtrabat, ſe totam vitam mortémque ſuam in libera ſua poteſtate poſitam habuiſſe. Quare Marcus Pilatum non citra admirationem iámne obijſſet interrogaſſe narrat; addit item: Centurionem ea potiſſimum de cauſa credidiſſe, quòd cum valido clamore, magnæque poteſtatis ſignificatione ſpiritum reddidiſſe animaduertiſſet. Vox autem, qua vſus eſt, ſecundum Lucam eiuſmodi erat.

Chriſtus Dominus moriẽdo vitã mortémque in ſua ſe poteſtate habuiſſe oſtendit.
Vox Chriſti morientis Centurionem conuertit.

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc quoque Chriſti commendatio in animarum noſtrarum cõmodum cedebat: quippe quas ille à corpore, quod inhabitauerant, abſolutas, quaſi quoddam depoſitum, in Dei viuentis manus ea oratione tradebat. Cuius quidem rei Apoſtolus Petrus non ignarus, in priori ſua Canonica, ita ſcribit: *Itaque & hi, qui patiuntur, ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas.*

1. Petr. 4.

Ieſus autem emiſſa voce expirauit: & velum templi ſciſſum eſt. Vna hæc vox & velum templi diſcidit, & monumenta apparuit, & domum Dei deſertam reddidit. Fecit hoc autem non in templi contumeliam ſed in ſacerdotum notam. Illi enim, qui diutius in templo diuerſarentur, indigni erant. Oportebat adhæc vaticinium, quod de futura templi deſolatione editũ extabat, impleri. Oportebat æquè legis vmbras iam conſummatas, iuſtificatíſque per fidem in Chriſtum ſancta ſanctorum iam tandem patefacta demonſtrare. Oportebat denique ijs omnibus, qui Chriſti veſtigijs impigrè inſiſtunt, aditum ad interius tabernaculum, omni impedimento prorſus ſublato, iam patere oſtendere.

Cur voce Chriſti velum templi diſciſſum ſit.
Math. 23.

Et velum templi ſciſſum eſt. Quomodo is verus Dei Filius non erat qui & petras rumpebat, & tenebris terrarum orbem inuoluebat, & monumenta aperiebat, & mortuos vitæ reſtituebat? non quidem corpore, vt Eliſæus, illos contingens (quippe quod tunc temporis ex cruce adhuc pendebat) verùm ſolo nutu & voluntate, quos volebat, ex puluere exuſcitans.

Signa quæ Chriſto in cruce pendente & moriente euenerunt, euidentiſſimæ diuinitatis illius teſtes erant.

At verò quòd non tantùm mortui reſurgant; ſed ſaxa quoque rumpantur, & terra concutiatur, illud planum facit Chriſtum, qui vel mortuus admirabilia illa faciebat, multò facilius Iudæos conterere, & in nihilum redigere potuiſſe, ſi ita ipſi viſum fuiſſet.

Erant autem & mulieres de longè aſpicientes. Maria Magdalena, & mater Domini, & mater Ioſephi, & aliæ mulieres iuxta crucem Domini perſeuerabant: Siquidem ſpectaculum illud mulieribus minus formidabile erat, quàm Apoſtolis. De hac autem mulierum conſtantia Ioannes ita ſcribit: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu, mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene.*

Ioan. 19.

Cæterùm miniſterium, quod fœminæ, quæ Ieſum ſequebantur, præſtabant, aliud ferè nullum erat, quàm quod de pecunijs ſuis ipſi ipſiúſque diſcipulis ſumptus faciebant. Erat porrò mulierum illarum præſentia, & apud crucem perſeuerantia hactenus neceſſaria, quatenus ipſas, vbi Dominus poneretur, non lateret: Nam cùm ſepulchrũ Ieſu inuiſere, eiuſdémque corpus inungere deliberatum haberent, conſentaneum erat, vt locum quoque, vbi reconderetur, diligenter notarent & obſeruarent.

Cuiuſmodi fuerit miniſterium, quod mulieres Chriſto præſtabant.

Et quia hoc illarum ſtudium pium Deóque gratum erat, factum eſt, vt primæ omnium in Ieſum iam exuſcitatum inciderent, primæque ad Apoſtolos certum de reſurrectione nuncium deferrent. Placuit enim Domino, vt genus illud, quod antè tanquam ruinę noſtræ cauſa malè audiebat, læto hoc reſurrectionis ſpectaculo ante cæteros omnes frueretur.

Mulieres primæ de Chriſti reſurrectione edocentur, & Apoſtolos edocent.

Erant autem mulieres, &c. Matthæus & Marcus nullam matris Domini mentionem faciunt. Sunt tamen, inter quos etiam eſt Ioannes, qui Matthæum & Marcum per matrem Iacobi minoris & Ioſeph Deiparam virginem deſignatam putant. Appollinarius autem Matthæum quidem & Marcum Ieſu matrem omnino prætermiſiſſe exiſtimat, Marcum verò per Salomen matrem filiorum Zebedæi inſinuaſſe. Addit idem Appollinarius Matthæũ Salomes huius ſub matris filiorum Zebedæi nomine cõmeminiſſe. Euangeliſtæ autem nominatim harum mulierum mentionem fecere, quòd præ cæteris celebres, & ob virtutum ornamenta præſtantes haberentur.

Hæc opinio rationi & veritati magis eſt conſentanea, neque enim mater Domini, fuit mater Iacobi & Ioſeph, etiamſi cum quibuſdam ſtatuatur, Ioſeph habuiſſe liberos ex alia quadam vxore, quod ipſũ quoq; improbabile eſt.

Venit Ioſeph ab Arimathia. Etſi hic Ioſeph Ieſum Chriſtum publicè non ſequeretur, erat tamẽ germanus Chriſti diſcipulus. Et quidem antè occultus erat, nunc verò poſt Domini mortem, præclarum propter Ieſum facinus auſus eſt: Neq; is enim ignotus aut obſcurus quiſpiam erat; ſed tanquam vnus ex ordine Senatorio, apud Iudæos admodum illuſtris & celebris habebatur. Ex hoc autem Ioſephi facto, & ſummã animi illius conſtantiam & fortitudinem ſpectare licet, (parũ enim aberat, quin vitã ipſam Chriſti cauſa impenderet: quippe qui Iudæorum omnium inimicitiã propter illum in ſe ſuſciperet) & ſummum rurſum eiuſdem erga Dominum noſtrum ſtudium & beneuolentiam: Nõ ob id ſolùm, quòd corpus eius à Pilato impetratum honorificẽtiſſimè & ſumptuoſiſſimè ſepeliret; verum ob id etiam, quòd in proprio eóque nouo monumento illud conderet. Interim quòd Chriſtus Dominus non in veteri ſed in nouo monumento conditur, illud non citra peculiarem Dei prouidentiam & ſapientiam accidit: ſiquidem per hoc vnũ præcautum eſt, ne vlla prorſus ſuſpicio obotiri poſſit, alium pro alio inde reſurrexiſſe.

Ioſeph ab Arimathia occultus Chriſti diſcipulus antè, nunc efficitur manifeſtus.
Ioſeph ab Arimathia præclarum propter Ieſum facinus auſus
Ioſeph ab Arimathia tantùm non vitam pro Chriſto impendit.
Ioſeph ab Arimathia Chriſti corpus honorificentiſſimè ſepelit.

Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph, &c. Mulieres de quibus paulò antè habitus eſt ſermo, aſſident, & accuratè, vbi Dominus ponatur, obſeruant: (nihil enim adhuc eximium de Chriſto compertum habebant, aut animo verſabant) quò Iudæis, quorum furiam muneribus iam fortè deliniuerant, abeuntibus, demortuum Chriſti corpus liberius complecti contrectaréq; queãt. Oſtendunt hæ autem ad mortem vſque magnam animi fortitudinem & charitatem, magnámque in pecuniarum impenſa liberalitatem & magnificentiam.

Cur Chriſtus in nouo monumento ſepultus.

CAPVT XVI.

Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene. Poſteáquam Dominus reſurrexerat, venit Angelus Domini, & ſubmouit monumenti lapidem. Submouit autem à ſepulchri oſtio grande illud ſaxum propter mulieres, quò nimirum ſepulchrum à corpore vacuum cernentes, Angelum verò in illo ſedere coram conſpicantes, eum, quem quærebant, ex mortuis reſurrexiſſe certò crederent.

Cur Angelus Domini ſubmouerit lapidem à monumento.

Ad tempus verò, quo mulieres ad monumentum venere, quod attinet, Matthæus Mariam Magdalenam cũ altera Maria veſpere Sabbati ad ſepulchrum veniſſe ſcribit. Lucas verò vna Sabbati valde diluculo. Ioann. autem vna Sabbati manè, cùm tenebræ adhuc eſſent, hoc eſt, illo tempore, quo nox iam decedens ad diem inclinare

Quo tempore mulieres ad ſepulchrum Chriſti venerunt Euangeliſtæ non vno prorſus modo exponunt.

inclinare videbatur, Mariam Magdalenam ad monumentum venisse asserit. Potest autem hæc temporis cõstitutio & vespera Sabbati vocari, & vna rursum Sabbatorum valdè diluculo.

Quin Marcus quoque, vna Sabbatorum valdè mane dicens, nocturnas horas etiam tum adhuc obtinuisse subindicat. Certum est autem, omnes omnino, qui vnam Sabbati dixere, resurrectionis diem significare voluisse. Matthæus itaque: *Vespere autem Sabbati*, dicens, resurrectionis exordium exprimit: siquidem Iudæorum Sabbatismus, omnisque illorum solennitas & festum à vespera initium facit.

Vespera Sabbati resurrectionis exordiũ continet. Iudæi à vespera diem festũ ordiuntur.

At quia in quibusdam Euangelij Marci exemplaribus habetur: *Surgens autem* IESVS *manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, &c.* hoc autem illi aduersari videtur, quod legitur apud Matthæum: (hîc enim vespere Sabbati Dominũ resurrexisse scribit) propterea comperti sunt, qui hunc Marci locum à falsariis vitiatum existiment. Verùm ne ad id hic confugere videamur, ad quod cuiuis confugere procliue est, Marci cõtextum vno duntaxat commate ab ea, quam offert, difficultate vindicare possumus.

Marcus cum Matthæo vna duntaxat distinctione adhibita conciliari potest, vbi de tẽpore dominicæ resurrectionis discrepare videntur.

Itaque locum hunc Euangelistæ ita legamus, vt proximè post τὸ Iesus, virgulam subiiciamus, ad hunc modum: *Surgens autem Iesus*; mox verò subdamus: *Manè prima Sabbati apparuit primò Magdalenæ*, ita vt illud: *Surgens autem Iesus*, reiiciamus ad id, quod apud Matthæum de vespere Sabbati legitur: (tunc enim ipsum resurrexisse credimus.) Quod hinc autem consequitur, nempe illud: *Mane prima Sabbati, &c.* (quòd alteram sententiam auspicetur) ad sequentia transmittamus. Marcus ergo Mariam Magdalenam Iesum, quem Matthæus vespere Sabbati exuscitatum commemorat, manè vidisse narrat. Hoc ipsum eo ipso quoque Ioannes cõfirmat, quod Magdalenam manè, cùm tenebræ adhuc essent, illum conspexisse affirmat. Euangelistæ proinde duo tempora insinuant: vnum, in quo Dominus surrexit, quod est vespera Sabbati: Alterum, in quo apparuit, quod est manè prima Sabbati.

Christus vespere Sabbati resurrexisse creditur. Euangelistæ de Christi resurrectione differentes duo distincta temporà assignant, vnum quo surrexit, quod fuit vespera Sabbati, alterum quo mulieribus apparuit, quod fuit diluculum prima Sabbati.

Et respicientes viderunt lapidem reuolutum. Neque hoc quoque, quòd mulieres, quæ summo manè ad Iesu sepulchrum sese contulerant, interea dum respectant, lapidem à monumento reuolutum vidisse, hoc loco narrantur, illis aduersatur, quæ apud Matthæum ea de re leguntur, scribit is autem in hunc modum: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem; & sedebat super eum: Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* Nam dum mulieres anxie, vt est apud Marcum, inter se disquirunt & differunt, & *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* dicunt illo tum temporis necdum deuoluto, Angelus è cœlo descendit, saxúmque à monumento submouit, atque ita respicientes, lapidem ex insperato reuolutum viderunt. Quòd autem ab Angelo reuolutus fuerit, hoc Marcus reticuit; quia Matthæus iam antè illud exposuerat.

Denique licet Matthæus Angelum super lapidem sedisse scribat, Marcus verò mulieres, postea quam in monumentum ingressæ fuerant, iuuenem stola candida coopertum à dextris sedentem vidisse narret, adhuc nullo vero dissidio hi Euangelistæ inter se pugnant: siquidem contingere potuit, vt illum ipsum Angelum, quem secundum Matthæum fulguris more splendentem cãdidóque vestitu instar niuis micantem lapidi insidentem viderant; posteaquam iam in monumentum intrauerãt, quasi viæ ducem præeuntem, necnon à dextris se collocantem conspexerint. Quem quoque Angelum Marcus in iuuenis schemate visum asserit. Nam Matthæus qua forma à mulieribus conspectus fuerit, non exponit. Quod ergo à Matthæo prætermissum fuerat, hoc Marcus expleuit.

Eundem Angelum, qui lapidi insidebat, postea intra monumentum se collocasse verisimile est.

A Non nescimus autem esse, qui varias visiones contigisse dicant & doceant; eâque ratione omnem, quæ se inter Euangelistas offerre videtur, diaphoniam è medio tollant. Aiunt itaque, alias esse mulieres, quarum fit mentio apud Matthæum, alias rursum, quarum apud Marcum. Addunt Mariam Magdalenam propter incensum erga Christum studium, omnibus se adiunxisse, eâque de causa vni illi diuersas visiones obtigisse. Scribunt tandem tempora, quibus à mulieribus ad monumentum ventum est, ab Euangelistis diuersa assignari. Secundùm illos igitur, alij alias mulieres, alia tempora, alia referunt visa. Atque ita vnus Euangelista, quod ab aliis dictum, vel scriptum fuerat, non euertit.

Hæc opinio non est improbabilis.

Nolite expauescere, IESVM *quæritis, &c.* Primum omnium omnem animi metum mulieribus eximi oportuit, ac tum demum de Christi resurrectione verba ad B eas facere. Angelus itaque ante omnia omnem pauorẽ illis adimit: Nam & forma, in qua apparebat, læta erat, adeóque aliquod non omnino obscurum resurrectionis symbolum præ se ferebat; & verbis præterea blandis illas compellebat, aiebat enim: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.* Non erubescit crucifixi nomen: hoc vno enim nomine & re omnium bonorum nostrorum summa continetur.

Læta forma, in qua Angelus visus est, resurrectionis simbolũ erat. Vno crucifixi nomine continetur tota salus nostra.

Surrexit. Vnde hoc notum? quia *non est hîc. Ecce locus, vbi posuerunt eum.* Propter hoc enim, nimirum quòd locum, vbi positus fuerat, vacuum demonstrare posset, lapidem sustulerat.

Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. En aliis quoque resurrectionis mysterium denũ-C ciare iubet: Hoc autem id, quod Angelus mulieribus denunciabat, maximè credibile efficiebat.

Et Petro. Per hoc quòd rei huius indicium Petro vult fieri, admonet illas, eum, qui propter negationem antè reiectus videri poterat, nunc per & propter pœnitentiã denuo assumptum, & inter cæteros Apostolos æquè atque antè rursus numeratum.

Petrus per pœnitentiam recuperauit ordinem & magistri sui gratiam.

Præcedet vos in Galilæam. Rectè in Galilæam, non etiam in Hierusalem: per hoc enim ab omni difficultatis & discriminis formidine illas absoluit; idque cùm ob alia, tum verò præcipuè, ne metus fidem illarum plùs iusto conturbet.

At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Etsi Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome aromata præpa-D rauerant; attamen, si Eusebio Cæsariensi fides est, non sunt tres illæ ex, quæ orto iam sole ad monumentum venerunt, sed aliæ innominatæ. Multæ enim erant, quæ vnà cum Christo Hierosolymam ascenderant. Illæ verò, quæ secundùm Marcum, exorto iam sole, ad sepulchrum venerunt, erant admodum simplices & imperfectæ. Quare etiam non noctu, sed manè ad monumentum veniunt.

Non est certũ omnino mulieres, quæ orto sole ad monumentum venerunt fuisse Magdalenam, Mariam Iacobi & Salomã.

Ad hæc cùm ab Angelo audiuissent; *ite, & annunciate discipulis eius, & Petro*, statim fugerunt, neque quicquam omnino ex iis, quæ in mandatis acceperant, cæteris patefecerunt: metuebant enim, neque fidem quoque, quam oportebat visioni habebant. Et quia tales erant, E neque quæ Saluatorem viderent; neque quæ Angelum instar fulguris fulgentem, aut duos Angelos in monumento sedentes, aut duos viros iuxta, vt Lucas narrat, astantes conspicerent, dignæ visæ sunt. Viderunt autem quendam tantùm iuuenem alba stola amictum, hoc est, visionem animi illorum exilitati & simplicitati planè conformem.

Cap. 24.

Secundùm Eusebium igitur Marcus non de Magdalena; sed de aliis incerti nominis mulieribus hæc narrat. Neque enim fieri potest, addit idem, vt Magdalena post tantas res visas, orto demum sole, ad monumentum veniret, aut, quis lapidem reuolueret, anxiè inquireret.

Non desunt tandem, qui Euãgelistas iis, quæ in Christi resurrectione acciderunt, non interfuisse dicant, adeóque vnumquemlibet ex illis simplicissima narratione

ea tantùm complexum, quæ ex tantis illis, quæ præter omnem spem euenerant, audiuerat: Diuino interim spiritu rem omnem ita ordinante & administrante, vt omnibus palàm constaret, de resurrectionis miraculo, cæterisque omnibus fidei mysteriis simpliciter, omni prorsus curiositate anxiáque disputatione seclusa, scripsisse & docuisse. Illud ipsum tamen ea sapientia & cautione, vt nunquam verè pugnantia prædicauerint, aut literis mandauerint.

LAVS DEO.

TITVS BOSTRORVM EPISCOPVS IN SACROSANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM, SECVNDVM LVCAM.

TITVS Bostrorum Episcopus tempore Iuliani Apostata claruit, quem Episcopatu eiusdem vrbis Iulianus exturbare conatus est, vt refert Sozomenus lib. 2. hist. cap. 14. & alij Imo ea de re extat epistola Iuliani ad Bostrenos Græcè edita. Mortuum autem Titum sub Valente S. Hieronymus in catalogo prodit. At auctor huius operis cum sæpius citet Ioannem Chrysostomum & Isidorum Pelusiotam Chrysostomi discipulum, item & Cyrillum Alexandrinum, & constet Chrysostomum sub Iuliano fuisse puerum tantum octo annorum: nam cùm auctoribus Leone Augusto, Georgio Alexandrino, Zonara, alijsque in eius vita, obierit natus annos quinquaginta duos, menses octo, Honorio septimum, & Theodosio secundum Coss. hoc est anno Domini secundum exactiorem chronologiam 407. oportuit eum ortum anno Christi 354. & ita anno 362. qui erat secundus Iuliani imperij non excesserat octauum ætatis annum: Rursumque Isidorus & Cyrillus iuniores Chrysostomo fuerint. Hinc non parua suspicio est alterius potius quam Titi Bostrensis Episcopi hoc esse opus. Accedunt & alia coniectura quas omittimus.

Inter Euangelistas, solus Lucas exordio vsus.

QVONIAM quidem multi, &c. Cæteri Euangelistæ ab ipsis statim rebus initium faciunt. Lucas verò, tanquam grandia quædam expositurus breui exordio præmisso, rem aggreditur; ait autem:

Quid sit conari Euangelium scribere.

Quoniam quidem multi conati sunt, &c. ἐπεχείρησαν, hoc est, tentarunt, adorti, vel aggressi sunt. Indicat hac voce Euangelista, fuisse, qui diuinæ gratiæ præsidio destituti, ad texendam Euangelij historiam sese contulerant. Matthæus enim non tentauit; sed cœlesti spiritu afflatus, conscripsit. Idem statuas de Marco, Ioanne, & Luca. Porrò Euangelium, quod inscribitur secundùm Ægyptios; tum illud rursum, quod duodecim Apostolorum titulum præ se fert, hoc ab iis prodiit, qui Euangelium scribere conati sunt. Feruntur permulta alia Euangelia; verùm Ecclesia ex omnibus quatuor duntaxat recipit.

Euangelium secundum Ægyptios & duodecim Apostolos apocryphum. Ecclesia quatuor tantum Euangelia recipit.

Rerum πεπληροφορημένων, hoc est, certò compertarum. Significat hoc verbo ea literis se commissurum, nō quæ incerta aliorum relatione didicerat, aut sola humana fide acceperat, sed quæ exploratè norat, perfectéque reipsa assecutus fuerat.

Rerum, appositè hoc; neque enim Dominus Iesus imaginaria, vt hæreticis nugari lubet; sed vera naturalique carne indutus, in mundum hunc venit. Nam, vt ipse veritas est, ita quæcunque patrauit, aut pertulit, verè patrauit & pertulit.

Dei verbum non externo tantum schemate, sed vera carnem suscepit Lucas Euangelium ab Apostolis edoctus.

Qui ab initio, &c. Hoc addit, quòd fidum scriptorem se probet: sensus enim est; quæ scribo, ea ab illis non accepi, qui intermedio tempore consecuti sunt; neque ab illis etiam, qui post res perfectas vocati sunt: sed ab illis, qui ab initio rerum gestarum spectatores, verbique ministri fuerunt. Allegat autem testes omni exceptione maiores, quò historiæ Euangelicæ, quá cōscribit, robur & auctoritatem comparet: per rerum autem spectatores, verbique ministros sanctos Apostolos designat.

Explicat hic quod de incerta relatione, & humana fide, cum falsum subesse potest, paulò antè dixerat Apostolus duplici nomine verbi ministris.

Qui ministri fuerunt τοῦ λόγου, hoc est, verbi, vel doctrinæ, quam verbum tradebat. Recipit namque hic locus vtramque expositionem: nam & doctrinæ; quam Seruator proseminauerat, subseruierūt: & ipsi rursum verbo familiare obsequium præstiterunt.

Sicut tradiderunt. Per hoc omnem ab Apostolis inuidiā submonet. Significat his enim: Quod gratis illi acceperant, hoc gratis nobis tradiderunt.

Quæ gratis acceperant ea gratis impertiunt Apostoli.

Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, &c. Quæ dicit, huc tendunt; Posteaquam omnia, quæ iam inde ab exordio acciderunt, accuratè percepi, forsan periculi expers non forem, si tanti ponderis res silentio premerem. Scripturus sum autem non quæ obiter tantùm audiui; sed quæ exploratè noui, quæque ordine & exactè, à primo initio consecutus sum. Commendat autem beati Lucæ diligentiam ipse etiam Apostolus, scribit enim: *Misimus cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio.*

Compertam Euangelij doctrinam silētio premere non est tutū. 2. Cor. 8. Theophilus & re & nomine Theophilus.

Optime Theophile. Virum fidelem, cui præsens hoc Euangelium nuncupat, Theophilum appellat; vel quòd hoc illi nominis esset; vel certè, quia religioni & pietati comprimis deditus erat.

Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Quæ Theophilus auribus antè hauserat, ea nunc Lucas literis consignata hic illi offert, quò nimirum frequenti illorum lectione, in fide instructior, constantiórque euadat.

CAPVT I.

IN *diebus Herodis Regis, &c.* Meminit Herodis Regis, ne quem tempus, quo gesta sunt quæ hic narrantur, lateat. Appellat autem illum Iudæorum Regem, quia ea literis mandat, quæ apud Iudæos contingerant.

Sacerdos quidam nomine Zacharias. Ioannis præcursoris parentem nominat, quò Euangelij historiam ab ipso exordiens, sensimque ad Iesum Christum Dominum nostrum eandem deducens, nihil ex iis, quæ postea consecuta sunt, prætermissum ostendat: consentaneè vtiq; ad illud, quod in exordio promiserat. Quin ob hoc quoque à Ioanne, eiusdémque patre narrandi initium facit, quo dum præcursorem iustis encomiis ornatum in medium adducit, ad eius patefactionem viam paulatim muniat, quam ille prædicabat.

Duplici de causa à Ioanne Baptista ac Zacharia Lucas Euangelista ordinatur.

De vice Abia. Insinuant hæc, duos extitisse Sacerdotes, qui alternis sacerdotio fungebantur, Zachariam nimirum & Abiam. Quia ergo vterque ordine suo sacrum ministerium obibat, secundùm Abiam sacris operabatur Zacharias. Nemo autem ex voce ἐφημερίας, qua Euan-

Probabilius loquuntur qui Zachariā hunc de familia posterorum Abia extitisse asserunt quàm qui illum Abia sym-

missam, aut in sacerdotio collegam fuisse contendunt ut hic auctor.

Euangelista hic vtitur, inferat, alternis tantùm diebus sacris in templo operam dedisse; non enim ad vnum tantùm diem singuli in officio erant, sed ad integram hebdomadam.

Zacharias vtrinque legitimus Sacerdos. Ante Deum iustum esse, id demum solidæ laudis est.

Et vxor illius de filiabus Aaron. Cùm Zachariam vtrinque legitimum Sacerdotem extitisse ostendere vellet, vxorem illius è filiabus Aaron ortum duxisse asserit.

Erant autem iusti ambo ante DEVM. Iustum esse ante Deum, id demum solidæ perfectæque laudis est: solus namque Deus est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim secundum externam faciem, multi coram hominibus habentur iusti, qui tamen propter latens in pectore venenum non sunt eiusmodi.

Non omnes iusti, qui apud homines iusti habētur.

Quo sensu Zacharias & Elizabeth vixerint corā Deo inculpatè & sine querela.

Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Cur in omnibus domini præceptis & cæremoniis ἀμέμπτους, hoc est, inculpatos incessisse additur? Quò hinc cognoscatur, nullum prorsus fastum, aut inanis gloriæ studium, aut aliud quodcunque istiusmodi vitium in animo fouisse.

Cur virgineo partui, sterilis partus præmittatur.

Et non erat illis Filius. Quia verò Euangelistæ in animo erat, admirabilem domini ortum orbi patefacere; simulque eum, qui nostri causa in medium prodibat, naturæ opificem esse ostendere, præmittit sterilis mulieris partum; subdit enim: *& non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis.*

Deus & Angeli puris castisque mentibus familiarius apparent.

Apparuit autem illi Angelus. Quandoquidem Deus, & Dei Angelus non apparent promiscuè omnibus; sed iis, qui puro castòque sunt animo, cuiusmodi erat Zacharias; ea propter is Angelum domini coram cernere promeruit.

Duplex in Hierosolymitano templo ara.

Stans à dextris altaris incensi. Non citra causam altare incensi vocat; siquidem extabat alia ara ære tecta, in qua alia dona & sacrificia offerebantur.

Et Zacharias turbatus est, videns; & timor irruit super eum. Cur turbatus? quia homo earum vitium non est, vt eiusmodi peregrinum inusitatúmque visum, citra vllam commotionem ferre valeat. Interim Angelus ab ea animi consternatione, eiusmodi oratione illum abducit: *Ne timeas Zacharia.* Hac enim voce animo turbatum abalienatum ad se reuocat, & recreat.

Inexpectatus Angelorum conspectus sua natura hominem exterret.

Ne timeas Zacharia. Quomodo, inquis, Angelus Zachariæ pro populo intercedente, próque peccatis illius Deum deprecante, & veniam consetuis suis deposcente, dicit; *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua?* videri hæc enim possunt parum inter se cohærere. Inexauditæ autem orationis argumentum, filium nomine Ioannem ex Elizabeth ipsi nasciturū subdit. Aptè cohærent omnia: quia enim pro peccatis populi deprecabatur, procreaturus erat autem filium, qui sublata voce: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi,* clamaturus erat, conueniēter dixit: *Exaudita est deprecatio tua; & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.*

Ioan. 1.

Erit magnus coram domino. Per hæc singularem animæ Ioannis excellentiam & sanctimoniam designat. Cæterùm vt de parentibus illius; *Et erant iusti ambo coram Deo,* antè dixerat; ita hic Ioannem magnum coram domino fore pronunciat.

Quid Siceræ nomine communiter accipiatur.

Vinum & siceram non bibet. Siceræ nomine id omne denotari solet, quod, licet ex vite natum non sit, inebriandi tamen vi pollet.

Ioannes in vtero adhuc hærens, Spiritu sancto repletus est.

Et Spiritu sancto replebitur. Ioannes intra matris vterum adhuc hærens, Spiritu sancto repletus est, quando nimirum ad salutationem, & accessum matris domini ad Elizabeth, præ gaudio in vtero materno exultabat.

Et multos filiorum Israël conuertet. Secundùm Angeli prædicationem, Ioannes quidem multos filiorum Israël ad Dominum Deum ipsorum conuertit: Dominus autem noster Iesus Christus, omnibus veritatis lucem proposuit, hoc enim proprium illius munus erat.

Christus Dominus omnibus veritatis lucem proposuit.

Et ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ. Sensus est: Quemadmodum Elias secundum Christi aduentum præibit, iuxta illud prophetæ: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis:* ita Ioannes primi illius aduentus præcursor erit.

Malach. 4.

Ioannes & Elias Christi præcursores.

In Spiritu & virtute. In Spiritu quidem; nam vt sancti Spiritus gratia Eliam afflatat, ita Ioannem quoque: In virtute verò, quia in demandati muneris & ministerij excellentia, ambo pares extitere.

Quo sensu Ioannes in virtute & Spiritu Eliæ Christo præcessisse dicatur.

Vt conuertat corda patrum in filios. Quorsum, inquis, hæc tendit oratio Iudaïci populi filij erant sancti Apostoli: nam secundum sanguinis cognationem ortum ex illo ducebant. Prædicit ergo Ioannis ministerium eiusmodi fore, vt Iudæorum corda, ad Apostolorum doctrinā conuertat. Qui enim Christo Domino tam illustre testimonium perhibeat, is, vt Apostoli illum, tanquam idoneum magistrum, in cuius fidem & disciplinam sese traderent, vltro affectarentur, sua illa præclara testificatione efficiebat.

Filij Iudæorū Apostoli.

Et incredulos ad prudentiam iustorum. Hoc est, Iudæos, qui initio fidei expertes erant, ad Apostolos, in quibus iustorum prudentia lucebat.

In Apostolis iustorum prudentia inerat.

Parare domino plebem perfectam. Hoc est, vt populum Christo Domino, priusquam orbi se manifestet, reddat instructum, fidéique capessendæ aptum: Siquidem admirabilia illa, quæ de Seruatore palàm annunciabat, populi animos ad illius susceptionem excitabant, & præparabant.

Ioannis oratio populum Iudaicum ad Christi susceptionem præparabat.

Vnde hoc sciam? Quia verò Zacharias fide vacillans, aiebat: *Vnde hoc sciam?* propterea surditate, loquendíque facultate mulctatus est.

Surdum fuisse ex eo constat, quòd nutibus cum illo agebant.

Ego sum Gabriel, &c. Quod Angelus pro responso adfert, eiusmodi est: Quandoquidem Angelo, qui Deo assistit, fidem non habes; neque Deo, qui illum misit, credis; magísque rei difficultatem, quàm dicentis virtutem considerans, vocem edidisti planè incredulā; propterea voce tantisper orbabere, donec re iam expleta, & tuam in credendo tarditatem, & Dei rursum agnoscas potentiam.

Zacharias populum nutu alloquitur.

Et erat plebs. Moræ silentiique causam, quam populus discere auebat, Zacharias nutibus indicat: Siquidem huc spectat, quod Euangelista dicit: *& ipse erat innuens illis & permansit mutus.*

Cur Elizabeth occultarit se mēsibus quinque.

Post hos autem dies concepit Elizabeth, & occultabat se mensibus quinque. Quandoquidem Elizabeth mulier erat pudica, & grauis, ea propter rubore quodammodo suffundebatur, quòd in senectute fœtum concepisset.

Probrosa apud Iudæos sterilitas.

Respexit auferre opprobrium meum inter homines. Hoc ideo dicit: quia ætate illa probrosum erat apud homines, sterilem esse, liberísue carere: sicut è diuerso honorificum, publicóque præconio dignum, numerosam procreasse sobolem.

Mense autem sexto. Nimirum post Ioannem in vtero conceptum.

Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam, &c. Sacratissimam Deiparámque dominam nostram viro, de familia Dauidis, desponsatam asserit Euangelista: per hoc vtique indicare volens, ex eodem illo Dauidis genere, vnde Ioseph, qui illam duxerat, ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimam virginem fluxisse. Nam secundùm legis præscriptum alienæ tribus mulierem matrimonio sibi iungere fas non erat.

Maria & Ioseph eiusdē generis & tribus.

Aue gratia plena. Quandoquidem Deus ad Euam dixerat: *In dolore paries filios,* propterea Angelus gaudium, per quod dolor olim decretus soluatur virgini denunciat; *Aue,* inquiens, *gratia plena.*

Dominus tecum. Quod dicit, huc tendit; ne existimes virgo, me absonum, aut mollem aliquem sermonem ad te deferre, cuiusmodi ad innuptas puellas iuuenes nonnunquam solent; diuinus est enim, quem adfero: quippe cùm hoc ipso, quòd dominum tecum esse asseram, oblatæ salutationi Dei memoriam admisceam.

Ne timeas Maria. Quia verò fieri vix poterat, vt conturbata accuratè ad ea, quæ Angelus dicturus erat, attenderet; quo ab omni animi commotione iam libera, diui-

Metus attentionem impedit.

num responsum sedatè excipiat, propterea Gabriel in ipso statim orationis vestibulo omnem illi metum ademit, dicens; *ne timeas Maria, &c.* A

Habere gratiā virgini cum multis commune est: concipere autē & parere Deum, illius proprium.

Inuenisti enim gratiam apud DEVM. Quod Angelus ait, *inuenisti gratiam, &c.* Hoc illis cum aliis multis commune erat; siquidem multi alij ante ipsam, gratiam apud Deum inuenerunt: at verò, quod subiungit; nempe, *ecce concipies in vtero, & paries filium &c.* sed factæ promissionis proprium. Dicit hoc autem, quò Dominum nostrū non aliunde, quam ex ipsomet virginis vtero, carnis nostræ substantiam suscepisse, planum faciat.

Iesus idem sonat Hebrais, quòd Græcis ἴασιν.

Et vocabis nomen eius Iesum. Meritò Iesus appellatus est, quia salutis nostræ causa in hunc mundum ingressus est. Quandoquidem nomen hoc Iesus in græcam linguam translatum, Θεὸν σωτῆρα, καὶ ἴασιν hoc est, Dei salutem & sanitatem sonat.

Aliter Christus, aliter Ioannes magnus.

Hic erit magnus. Non quidem vt Ioannes, sed vt dominus, & orbis conditor: hoc enim denotat, quod mox subditur; *Et filius altissimi vocabitur.* At quorsum, inquis, dicit, filius Altissimi vocabitur, cùm rectiùs dictū oportuerit filius altissimi est; vt qui ante omnia secula, ex Deo & patre genitus sit? Responsio esset, vt filius, cùm verus alioqui natura sua Deus esset, propter adiunctam humanam naturam muneris loco accepit nomen, quod est super omne nomen (est enim & apellatur Deus.) Rursum vt idem ille, cùm vniuersæ creaturæ opifex & cōditor foret, ratione humanæ naturæ ex liberali patris donatione recepit gentes in hæreditatem: *Postula à me,* ait per prophetam, *Et dabo tibi gentes hæreditatem:* ita cùm natura sua verus Dei Filius esset, ante omnia secula ex paterna substantia ortus, propter, susceptam humanitatem appellatus est altissimi Filius. B

Quomodo Iesus vocatur filius altissimi.

Philip. 2.

Psal. 2.

Cuiusmodi Thronus Christi.

Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius. Et hoc quoque ad vrbi œconomiam, carnísque susceptionem spectat, per sedem autem hoc loco, non sensilem aliquem, aut caducum, vel interitui obnoxium thronum designat; sed immortalem, & talem omnino qui Solis instar radios suos per vniuersum terrarum orbem diffundat, animásque mente & ratione prædita diuinæ doctrinæ luce illustret.

Per domum Iacob designantur omnes iusti.

Et regnabit in domo Iacob. Per domum Iacob non Iudęorum tantùm gentem significat; sed omnes omnino homines, qui per Seruatoris nostri gratiam, ex omnibus gentibus, & nationibus Sanctorum adoptione potiuntur.

In omne æuū regnare, solius Dei propriū.

Et regni eius non erit finis. Obtinere regnum in omne æuum, & in nullum couuenit, nisi in solum conditorem vniuersorúmque Deum & dominum. Qui itaque salutis nostræ causa homo fieri dignatus est is solus æternus Rex est,

Quo sensu virgo interroget quomodo fiet.

Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Sacratissima virgo, Deique parens Maria, non quasi, incredula: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* interrogat: verùm vt sapiens, rei, quæ denuntiabatur, modum & rationem discere desiderat; neque enim antè eiusmodi quippiam, nempe vt virgo pareret, virgo factum fuerat; neque in posterum vnquam futurum erat. Quare Angelus quæsitum in bonam partem accepit, modúmque his verbis exponit.

1. Cor. 1.

Spiritus sanctus superueniet in te, Et virtus altissimi obumbrabit tibi. At quomodo Christus, qui, Apostolo teste, Dei virtus est, superueniet? Sanè tu vim cœlitus allabētem non cernes, interim mysterium illud, quod sub sensum non venit, fabrè effectum dabit. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hoc est, vndequáque circundabit te, induet te, circumuallabit te, complectetur te: Obseruare hic autem licet, quomodo dum spiritum sanctum, virtutémque & altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem virgini patefaciat. Quod Zachariæ hæsitanti Angelus non ignouerit, non est mirum: habebatis enim aliarum sterilium mulierum, quæ ante illius ætatem pepererant, ex diuinis scriptutis exemplum non vnum, virgo autem nullum penitus.

Angelus paucis verbis trinitatis mysterium virgini aperit.

Christū naturalem virginis Filium esse, ex Euāgelij phrasi manifestum.

Ideo quod nascetur ex te. Non dicit Angelus ad virginē, quod natum est, simpliciter; ne quis corpus, quod ex ea prodiit, aliunde petitum existimet; sed addit ex te, quò nimirum, quòd nascebatur, secundum naturam ortum ex illa ducere, adeoque naturalem illius fœtum esse, certò persuadeat.

Quomodo Christus sit dicaturque sanctus.

Quod nascetur ex te sanctum. Non ob id sanctum vocabitur, quò filium Dei intra se habiturum; aut sanctimoniā aliunde accepturum sit; sed quia vnus ille, qui hominis, natura sua Dei quoque filius existit.

Idem omnino Christus Dei & hominis filius.

Elizabeth duplici nomine virginis cognata.

Ecce Elizabeth cognata tua. Angelus sacratissimæ virginis cognatam vocat Elizabeth: siue quod eodem generis auctore Iacob descenderint ambæ: siue quòd Aaron qui è familia & tribu Leui ortum trahebat, lege nec dū promulgata, Elizabeth filiam Aminadab, sororem autem Naason, qui è tribu Iudæ genus ducebat, vxorē acceperat. Quo tempore stirpis regia Iudæ ex qua fluxit sacratissima virgo, cum sacerdotali stemmate Leui, ex qua erat Elizabeth, coniuncta est. Admirabili autem sapientissimâque sacrosancti Spiritus gratia, & prouidentia facta est, vt hæc quoque Zachariæ coniunx perinde atque Aaronis, Elizabeth appellaretur? quo nimirum per nominum cognationem, hanc generis propinquitatem, ex prima illa Elizabeth prouenisse liquidò discamus.

Zachariæ & Aaronis coniuges cognomines.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Hæc sacratissimæ virginis oratio huc tendit. En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea: scribat in me Scriba ille, quodcunque visum fuerit, faciat de me vniuersorum Dominus, quicquid libuerit.

Cur virgo post salutationem Angelicam montana petat.

C *Et discessit ab illa Angelus.* Consensu fideque confessione à sacrosancta Virgine impetrata, Angelus discessit ab ea. Quin ipsa quoque sanctissima Virgo, earum rerū, quæ ab Angelo didicerat, euentum cognoscere auida, statim ad montana, vbi Zacharias sedes habebat, ad Elizabeth se contulit.

Quod Ioanni, hoc nulli prophetarum antè vsu venit. Ioannes acceptam gratiam cum matre cōmunicat.

Et factum est, vt audiuit &c. Quod nulli prophetarum antè, hoc Ioanni vsu venit in causa autem erat vicinus Christi aduentus; hunc enim ille proximè antecedebat. Quare non priùs quoque repletus est Spiritu sancto, quam ea quæ Christum Dominum vtero gestabat, illi se adiunxisset. Repletus autem exultauit gratiaq; quam acceperat matrem participem fecit. Elizabeth autem propter infantem, quem intra viscera gestabat, Spiritu afflata, eiusmodi prophetica verba detonuit: *Benedicta tu in* D *mulieribus, Et benedictus fructus ventris tui.* Nulla enim mulier tantam vnquam consecuta est gratiam, neque sequetur vnquam, quantam mater Domini.

Nulla ex omnibus mulieribus virginis matri gratiæ magnitudine par.

Et benedictus fructus ventris tui. Ad promissionem Dauidi factam alludens, Christum Dominum ventris fructum appellat; scriptum extabat enim: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Appositè autem Elizabeth Christum Iesum vteri virginei fructum vocat; quandoquidem non prodiit ille ex viro, sed ex sola sacrosancta virgine Maria: Etsi istud non absque peculiari Spiritus sancti allapsu, altissimique, quæ illam obumbrauerat, virtute. Nam qui à parentibus proseminantur, illorum fructus sunt, & nominantur. Quamobrem tam ipsa sacratissima Deipara, quàm eiusdem aui, & ataui, quod ex vitis orti essent, Dauidici ventris fructus appellantur, iuxta illud, quod modò citatum est. *De fructu ventris tui &c.*

Psal. 132.

Elizabeth, duplici de causa Christū vteri virginei fructum vocat.

Psal. 131.

Et vnde hoc mihi, vt veniat &c. Cuiusmodi verba suo postea tempore depromptutus erat Ioannes, eiusmodi ferè hoc loco depromit mater illius Elizabeth. vt ille enim indignum se pronunciabat, qui Christo proximè assisteret; ita hæc quoque Deiparæ virginis præsentia indignam se pronunciat. *Vnde, ait, hoc mihi &c.* Quasi dicat; quo excellenti opere promerita sum, vt mater Domini mei veniat ad me? Vocat autem illam matrem, cùm vterum adhuc gestaret, partus tempus prophetica voce anteuertens. Prædicat verò eam beatam; vt quæ certò ea affectum sortitura crediderit, quæ ipsi à Domino præ-

Math. 3.

Vt Ioannes Christi, ita Elizabeth virginis præsentia indignam se prædicat.

no prædicta fuerant.

Virgo Mater illustri miraculo subseruit.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum &c. Cum sacrosancta Virgo dicit: Magnificat anima mea Dominum, seipsam laudis hostiam sese offerre ostendit, idque ex debito; sensus enim est: Quam illustre & magnum est mysterium & miraculum, cui subseruio tamen eum magnificare obligor, quæ admirabilia in me & per me operatur; Atque ideò Spiritus meus in Deo salutari meo exultat, ingentique gaudio perfusus, in eodem sese oblectat. Etenim qui mundo salutem per me largitur, is & Deus meus, & Seruator meus est. Spiritus autem & anima, pro eodem hoc loco vsurpantur.

Maria in Dei matrem ob generis splendorem nequaquam electa.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ille, inquit, est, qui me respexit, ego enim cùm humilis, abiectæque conditionis essem, tantóque beneficio me planè indignum censerem, nihil prorsus eiusmodi expectabam. Ast nunc inexplicabile illud incarnationis Sacramentum explerũ reddens è terra subuehor in cælum.

Omnes fidelium omnium generationes, Virginẽ matrẽ fœlicem beatámque prædicant. Virginis partus naturæ fines excedit.

Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quasi dicat, non tu sola Elizabeth post hac me fœlicem fortunatámque prædicabis, sed omnes omnino fidelium omnium generationes.

Quia fecit mihi magna. Admirabilia, ait, per me operatus est potens ille; nam cùm virgo essem, præpotenti illius voluntate naturæ fines supergressa, concepi: nullinsque viri commercio vsa, digna effecta sum, quæ non cuiuluis promiscuè, sed vnigeniti Filij Dei mater fierem.

Conceptus Virgineus diuinæ omnipotentiæ.

Qui potens est. Hoc addit, ne quis tanto huic mysterio fidem detrahat. Quæ enim dicit, huc spectant: nemo, si Virgo concepi, miretur; nam qui hoc operatus est omnipotens DEVS est.

Deus nullius rei etiam pollutæ contactu pollui potest.

Et sanctum nomen eius. Per hoc, quod nomen illius sanctum vocat; vniuersorum conditorem, nihil ex eo quod mulierem contingat, labis contrahere significat.

Solius Dei misericordia, incarnationis Filij Dei causa extitit.

Et misericordia eius a progenie in progeniem. Hoc ideo dicit, quia non alia de causa in Virginis vtero conceptus, homóque factus est quàm vt suam in omnes generationũ generationes misericordiam diffunderet.

Non omnes Dei misericordia potiuntur.

Timentibus eum. Opportunè hoc additur; nam qui modis omnibus indigni sunt; cuiusmodi inter cæteros sunt, qui infidelitate obstinatè persistunt, illi misericordiam non consequuntur. Consequuntur autem hi soli illam, qui veritate agnita, ad fidem vitæque emendationis frugem ex animo sese conuertunt.

Cælestis Patris brachium Filius.

Fecit potentiam in brachio suo. Siquidem opus hoc non hominis, sed manus illius opus est. Patris namque brachium est Filius, iuxta illud: liberasti in brachio tuo, populum tuum: Per hunc igitur contra spiritales hostes, qui iam olim in genus nostrum Tyrannidem exercebãt, victoriam obtinuit triumphúmque erexit.

Superborum dæmonum cõsilia & machinationes Deus per Filij sui incarnationem dissipauit.

Dispersit superbos mente cordis sui. Horum eorumdem, inquit, spiritualium superborumque hostiũ corda, hoc est, consilia, & machinationes, quas aduersum nos moliebantur, dispersit; cassasque penitus & inefficaces reddidit.

Diabolus tametsi potens, è cælo nihilo secius deturbatur.
Luc. 10.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Eosdem illos qui sub aspectum non cadunt, aduersarios, potens appellat; quos itidem, tametsi validos, è cœlo in terram deturbauit; & exaltauit humiles, hoc est, eos qui submisso animo sub potenti Dei manu seipsos submiserũt, impertiens ipsis *virtutem & potestatem calcandi super serpẽtes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Esurientes impleuit bonis. Hoc est, fideles ex gentibus ad fidem conuersos; qui magna diuinorum eloquiorum, cœlestisque doctrinæ fame tenebantur, noui Testamẽti opibus exsatiauit.

Gentes esuriẽtes impleta bonis.

Et diuites. Hoc est, Iudæos, qui lege ditati, prophetarúmque oraculis saginati erant, dimisit inanes, omnique spiritu, & virtutum fructu vacuos. Cur ita? quia Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Lex & Prophetæ venturum prædixerant, recipere noluerunt.

Suscepit Israel puerum suum. Hoc ad carnalem Israëlem referri potest; siquidem multæ myriades ex ipsis
A in Christum crediderunt, credentesque salutem consecuti sunt. Potest rursum ad spiritalem, hoc est, ad eos, qui interuis mentis oculis Deum cernunt (hoc enim sonat vox Israel) cuiusmodi sunt, qui ex gentibus ad Christum conuersi sunt, haud incommodè accommodari.

Quinam dicantur illi, quos Deus dimisit inanes.

Recordatus misericordiæ suæ: Sicut locutus est ad patres nostros &c. Hoc ideo dicit: Quia non Abrahamo promiserat, nempe: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: iam tandem ad finem deductum erat.

Duplex est Israel, secundum carnem, & secundum spiritum.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus. Hoc est tãtisper, dum tempus partus Elizabethis appeteret: nam si mense sexto à conceptione Ioannis, Missus est Angelus Gabriel ad sacrosanctam Virginem, ipsáque ad cognatam suam Elizabeth profecta, tribus mensibus hæsit
B cum illa, liquidum euadit, cùm sacratissima Virgo domum redit, parturitionis illius tempus iam tum expletum fuisse. Redit autem, quia circa Elizabethis partũ, magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat: Virgo autem sanctissima virgineo quodam pudore tenta, hominum conspectum declinabat. Cur tot mensibus isthic mansit? forsan vt admirandæ rei euentum spectaret: Tum etiam, quòd eiusdem rei magnitudine attonita, quidque facto opus non satis gnara de iis, quæ ad se attinebant, consilium capere vellet.

Genes. 22. 12. 18.
Galat. 3.

Maria mansit apud Elizabeth vsque ad tempus partus.

Cur Maria redierit domum ante Elizabethes partum.

Elizabeth impletum est tempus pariendi. Obseruatione dignum est, num in tota veteri & noua Scriptura, de peccatoris ortu vsquam dictum comperiatur *& impletum est tempus pariendi*, Arbitror equidem non facilè quempiam illud scriptum inuenturum, nisi vbi is, qui
C nascitur, iustus nominatur. Quia ergo istud hic locum habet, rectè Euangelista ait: *Elizabeth impletum est tempus pariendi.*

Non vna causa, cur Maria diutius hæserit, apud Elizabethem & Zachariã.

Et factum est octaua die, &c. Cur lege sancitum erat, ne vlli omnino infanti, ante susceptam circumcisionem, nomen imponeretur? Quia par erat, vt per signaculum quod Deus præceperat, hoc est per circumcisionem primò omnium in Dei populum censerentur, ac tum demum humano nomine insignirentur.

Cur nomen post circumcisionem olim imponebatur.

Et respondens mater eius, dixit: nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Non temerè Christi prodromum Ioannis nomine appellandum censuit Elizabeth, sed tanquam vates spiritus sancti afflatu mota; neque enim illa illorum conscia erat, quæ Zacharias per oraculum acceperat.
D Quomodo enim maritus hæc illud indicasset, qui fari omnino non valebat?

Elizabeth Spiritu sancto mota infanti Ioannis nomẽ indit.

Et postulans pugilarem scripsit. Zacharias postulatis pugilaribus, nomen, quod infanti inderetur, scripsit siquidẽ nutibus illud exprimere nequaquam poterat, quomodo enim ad potuisset?

Zacharias quod nutu nequibat, scripto indicat.

Et mirati sunt vniuersi. Stupor hic inde oriebatur, quia animaduertebant Zachariam & Elizabetham de Ioannis appellatione, quæ noua alioqui & inusitata in illorũ cognatione erat, inter se conspirare. Sonat autem Ioannes idem, quod Dei gratia. Eapropter vbi primùm nomen hoc exarauit, statim diuinæ gratiæ beneficio apertum est os eius, & locutus est benedicens Deum, multáque, vt infra paret, cùm de Christo iam tum præsente,
E tum de Ioanne quoque futura prædicens.

Ioannes gratiam sonat.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum. Ob hoc in omnes, qui circum circa habitabant, timor irruit; quia consentaneum erat, vt quemadmodum vniuersus populus de Zachariæ silẽtio obstupuit; ita de restituta ipsi fandi facultate vicissim admiraretur adeóque vt omnes, propter duo hæc miracula, magnum quiddam de puero animo conciperẽt. Portendebant autem omnia hæc Ioannem testem cumprimis idoneum fore, qui Christo testimonium perhiberet. Zacharias porrò in Dei laudẽ ingressus, ipsum plebem suam visitasse asserit: canit autem in hunc modum.

Quid portenderint signa quæ circa Ioannis ortũ acciderunt.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit &c. Quos visitauit? Eos vtique, qui in Christum crediderunt. Hi namque ea visitatione digni effecti sunt; quippe qui di-

Christus non omnes efficaciter visitauit.

uinam visitationem efficacem in se extitisse, palàm ostenderint.

Omnium scripturis bifariã vsurpatur & vtraque notio conuenit in Christum.

Et erexit cornu salutis &c. Cornu in sacris literis, modò pro regno, modò pro robore, vel potentia vsurpatur: vtrumque autem in Christum, qui ex familia Dauidis originem ducit, apposité quadrat. Ipse enim est Rex regum, iunctáque patris virtus, qui omnes aduersarios nostros in triumphum egit.

Prophetae omnes de Christo vaticinati.

Sicut locutus est per os Sanctorum. Hoc est secundùm sanctorum vatum prædictionem. Vniuersi namque prophetæ Christi mysterium denunciarunt.

Christus liberauit nos ab hostibus, qui sub sensum non cadunt.

Salutem ex inimicis nostris. Ipse idem vis illa est, quæ liberauit nos ex inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos. Liberauit nos autem, non de aspectabilibus hostibus, sed de iis, qui sub aspectum non veniunt.

Clementia nobis exhibita, redundat etiam in veteres, & quomodo istuc.

B *Ad faciendum misericordiam cum patribus nostris.* Per hæc insinuatur, misericordiam, clementiámque nobis exhibitam, in Abrahamum, cæterósque patres aliqua etiã ratione exudasse. Etenim beneficiorum quæ Dominus in nos contulit, sensum capientes, ipsi quoq; communis lætitiæ participes quodammodo efficiuntur.

Cuiusmodi fœdus Deus cum Abrahamo pepegerit. Genes. 22.

Memorari testamenti sui sancti. Testamentum seu fœdus, de quo hoc loco sermo, illud est, quod pepigit cum Abrahamo, dicens: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

Genes. 22.18.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. Hęc eodem tendunt, dixerat enim Deus ad illum: *Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.* Multiplicatum est enim semen Abraham, cùm ipse etiam gentium populus, per fidem ad Christum conuersus, censeatur in C illius semine.

Quomodo semen Abrahami multiplicatum.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati &c. Quandoquidem contingit non rarò, vt aliqui de hostiũ manibus eripiantur, id tamen non absque timore: propterea id nobis se præstiturũ asserit, vt metus omnis expertes, ab hostili manu in libertatem vindicemur. Etenim Christi aduentus efficit vt formidine vacui, ex inimicorum potestate eriperemur. Neque enim vllum hostilium insidiarum sensum cepimus; ex templo enim & quasi præter omnem spem nos à vi illorum ereptos, in sortem & partem suam transtulit. Ea propter & nos vicissim illi, in omni sanctitate & iustitia seruire debemus. Hoc autem fit, dum vniuersa illius præcepta, non ad exiguum aliquod temporis spacium tantùm, sed omnibus diebus vitæ nostræ sanctè religioséque explemus. D

Non omnis citra timorem ab hoste liberantur.

Quî Christus citrà timorem ab hoste nos vindicarit.

Quinam sint illi, qui Deo seruiunt in sanctitate.

Et tu puer Propheta altißimi vocaberis. Quorsum Zacharias infantem, tanquam eum, qui ritè iam audiat, auditáque perfectè intelligat, affatur, dicens: *& tu puer, &c.* An non, obsecro, superuacaneum erat puero rationis vsu adhuc destituto, istiuscemodi occinere? nequaquã. Statuere enim licet, vt Ioannes admirabilem habuit ortum, (Nam & Archangelus illum prædixit; & ipse rursum, quando sacrosancta virgo ad salutandã Elizabeth venit communes naturæ terminos supergressus, in vtero materno spiritu exultauit) ita admirabiliter, prætérque communem rerum ordinem, iam tum plenum rationis, sensuúmque vsum sortitum fuisse. Tempestiuiùs ob id quoque præsenti illi vaticinatus est pater, dicens, E *tu puer Propheta altißimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius;* qui futurorum præscius, tanquàm Propheta, illum paulò post à se in desertum concessurũ intelligebat; id quod ipse etiam Euangelista non prorsus dissimulat, ait enim: *& erat puer in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.*

Ioannis ortus admirabilis.

Ioannes rationis vsu donatur, ante ortũ ex vtero.

Zacharias per spiritum intelligit, Ioannem adhuc puerum in desertum concessurum.

Ad dandam scientiam saluti plebi eius. Salutis notitia, quã hominibus datum iri asserit, est cognitio Christi. Hæc vna enim est, quæ omnibus cum Iudæis, tum etiã Græcis; dummodo tamen ita comparati sint, vt salutem agnoscere velint, salutem impertitur.

Scientia salutis, est fides in Christum.

In remißionem peccatorum eorum. His explanatur modus, quo Christi notitia parat salutem; quia nimirum operatur peccatorum remissionem. Deus namque per hoc A medium suam mortalium generi præstare voluit misericordiam.

Christi notitia parit peccatorum remissionem.

Per viscera misericordiæ Dei nostri. Verè per viscera misericordiæ Dei nostri, misericordiam consecuti sumus, quia non per opera, quæ fecimus nos.

Per Dei misericordiam salutem consecuti sumus.

In quibus nos visitauit Oriens ex alto. Sensus est: non nostra merita; sed illa ipsa cœlestis patris viscera in causa fuere, vt Sol ille iustitiæ, qui oritur ex alto, nempe è cœlo, hoc est, vnigenitus Dei Filius Deus noster clementer nos inuisere dignaretur.

Sola Dei misericordia in causa fuit, vt Sol iustitia nos inuiseret.

Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Per tenebras ignorationem; per mortis vmbram, peccatum designat; eò quòd mors hæc, vtpote æterna, sub sensum non cadat. Habet autem peccatum non paruam cum morte affinitatem: nam vt mors sensilis, animæ à corpore separationem; ita peccatum Spiritus sancti ab anima discessum denotat.

Tenebris ignorationem, vmbra mortis peccatum designat.

Mors cum peccato magnam affinitatem habet.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Hoc est, vt vitæ nostræ dux Christus, per Euangelij prædicationem, dirigat, deducátque gressus nostros ad suam doctrinam: Hæc vna enim est, quæ viam apperit ad pacem, animæque tranquillitatem.

Doctrina Christi aperit viam ad pacẽ.

Puer autem crescebat. Quandoquidem iuxta ætatis analogiam & incrementum, prodromus gratia & spiritu proficiebat, ob id Euangelista subdit: *Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu.*

Vt corpore, ita virtute crescebat Ioãnes.

Erat in desertis vsque ad diem &c. Cur isthuc? nempe vt supermundanum Christum annunciaturus, extra sceleratorum hominum, qui mundi nomine designantur, consuetudinem, ætatem agat; Christóque testimonium perhibiturus, nec non hominum nequitiam imperterritè redarguturus, testis doctórque omni exceptione maior habeatur.

Cur Ioannes vixerit in deserto.

Improbi & scelerati mundi nomine designantur.

Caput II.

In diebus illis exiit edictum. Quandoquidem vniuersalis quædam gratia, totum terrarum orbem illustratura erat; tempore, quo vnus Seruator in totius mundi salutem nascebatur, vnum exiit edictum, vniuersum orbem comprehẽdens; vnde Euangelista *& factum est in diebus illis, &c.*

Cur circa Christi ortum vniuersale edictũ exiit.

Exiit edictum. Ecquis, inquis, vniuersalis edicti huius vsus extitit? Inter cætera commoda, quæ attulit descriptio hæc, opportunè sacratissimam virginem è Nazareth in Bethleem emisit: quò Christum isthic in lucem ederet, adeóque, vt Prophetiam, quæ dicit, *Et tu Bethlẽ domus Effrata minima es, vt sis in principibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, vt sit princeps in Israel,* expletam probaret.

Occasione Augustalis edicti Maria in Bethleem concessit. Mich. 5. Matth. 2.

Et peperit filium suum primogenitum. Cur Euangelista filium illius primogenitum vocat? neque enim sacratissima, semperque virgo Deipara Maria, vllum vnquam alium filium habuit. Quia Dominus noster Iesus Christus, qui carnem ex illa suscepit, cùm verus alioqui Deus esset, secundùm carnem factus est noster frater. Primogenitus itaque appellatus est, quasi inter omnes fratres primatum obtinens.

Cur Christus primogenitus appellatur.

Et reclinauit eum in præsepio. Reclinatur in præsepio, tum quia, vt Euangelium prodit, *non erat illis locus in diuersorio:* tum rursum, quò nos à beluina illa viuendi ratione, amentiáque brutis animantibus propria; liberaret, liberarósque ad prudentiam homine dignam trãsferret.

Non vna de causa Dominus reclinatur in præsepio.

Et pastores erant in eadem regione vigilantes. Vt diuina oracula in veteri testamento per corporis exortes spiritus, transmittebantur ad spiritales pastores, hoc est ad prophetas; & inde ad alios; ita nunc per sensiles, crassóque corpore indutos transmittuntur ad carnales pastores. Nam & is quoque, qui corporis antè expers erat, per carnem assumptam, mortalium generi conspicuum se reddidit. Quin ob id quoque, præ cæteris, pastoribus beneficium hoc obtigit, quia præ cæteris

Spiritales pastores Propheta.

Cur Angeli, Christo nato, pro cæteris, pastoribus visi sint.

teris simplices, dolique exortes erant: sectabantur enim adhuc veterum consuetudinem: nam vt Patriarchæ, & ipse etiam Moyses, pascendis gregibus quondam intēti erant, ita nunc ipsi quoque.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Hoc est non, tantùm Iudæorum genti; sed toti mortalium generi absolutè. Quòd autē cœlestium exercituū multitudo, non absque gaudio, laudúmque præconio recinebat: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*, illud haud obscurè indicabat, Deum, qui antè illorum gloria erat, qui degebant in supremis, nunc demum eorum pacem effectum esse, qui versantur in terris. Etenim qui factus est nobis pax, bonáque voluntas, is illos, qui in cœlo, & eos rursum, qui degunt in terra, vnum gregem absoluete palàm ostendit. Siquidem Angeli, virtutésque cœlestium ordinum vniuersæ, iis duntaxat exceptis, qui à Deo desciuerunt, dum Dei Opt. Max. iussa constanter exequuntur, pacē quam cum illo habebant in, perpetuū retinuerunt; nos autem peccatum, tanquam hostes, à Deo abalienauerat. Quia ergo Dominus noster Iesus Christus inimicitiam dissoluit, suóque patri nos denuo reconciliauit, iuxta illud Apostoli: *Christus est pax nostra*, iure meritóque Angeli Christum Deum nostrum, tanquam pacis huius conciliatorem celebrant, laudibúsq; euehunt.

Cur Angeli Gloria in excelsis &c. concinuerint.

Angeli & homines simul vnū mysticum corpus absoluūt.

Ephes. 3.

Bethleem domus panis.

Pastores Bethleemitæ Sacerdotes & Pastores designant.

Et claritas Dei circumfulsit illos. Diuina claritate, cœlestique gloria circonfusi; nec non Angelorum exercitū conspicati, spiritalique eorundem hymno recreati pastores, magno mox ardore feruntur in Bethleem, quæ interpretatur domus panis: *Transeamus vsque in Bethleem*, inquiunt, huc facto Ecclesiæ pastores sacerdotióque initiatos adumbrantes. Horum namque munus est cœlestem panem hoc est, agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, quique pro sua ingenti clementia quotidie in mystica ara sese offerri sinit, studiosè inquirere.

Proprium Pastorum munus Christū inquirere, eundemque in mystica ara quotidie offerre.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc. Ecquænam erāt illa, quæ sacrosancta Deipara conseruabat, & obseruabat? omnia simpliciter, tam ea, quæ acceperat ab Angelo, quàm ea etiam quæ didicerat à pastoribus.

Cuiusmodi verba Maria obseruet.

Conferens in corde suo. Id est, hoc cum illo, & illud rursum cum altero committens; singuláque cum singulis componens, vniuersa summa concisione ad hoc tendere competit, vt eum, qui secundùm carnem ex ipsa natus erat, verum Deum esse probent.

Tam Pastorū quam Angelorum dicta Christo diuinitatis testimonium perhibent.

Et posteaquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Circumcisus est Dominus noster Iesus Christus, quia vt est, apud Apostolum, factus est sub lege. *Deus*, scribit ille, *misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Factum est id autem duplici de causa: primò quidem, quò nos per legis consummationem, à legis onere redimeret: Deinde verò, quò per obedientiam modis omnibus perfectam, insignem Adami inobedientiam sanaret. Atque huc tendit illud Apostoli: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi*: nempe omnes illi, qui in Christum Deum & Dominum nostrū credunt.

Galat. 4.

Non vna de causa Christus circumcisionem suscepit.

Rom. 5.

Cùm igitur Scripturæ diuinitus inspiratæ, Christum verè circumcisum disertè asserant, quis eorum temeritatem ferat, qui veram illum circuncisionem pertulisse negare audent? Atque isthuc, inter cæteros, haudquaquam obscurè inficiantur, qui Christum non verè, sed imaginariò tantùm incarnatum mentiuntur.

Christū verè circumcisum inficiantur, qui vere incarnatum negant.

Illos porrò, qui de circumcisi præputio quæstionem mouent, anxiéque & curiosè, quid de eo factum sit, disputant; veluti qui circa incerta, planéque inaccessa occupentur, missos hic facimus: siquidem sacris literis nihil ea de re proditum extat. Quid diceret, vt crucis tempore, immaculatus illius sanguis vnà cum aqua, in terram defluens, terram, inquam dimanabat, sanctificauit; ita præputium per circumcisionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu suo sanctificasse; is meo iudicio à veritatis scopo haud procul aberraret. Vtcunque res habet, certum est, qui sponte se circumcidi passus est, cum modis & rationibus, quas ipse compertas habet, totum illud, quod per circumcisionem à corpore decesserat, ita conseruasse, vt resurrectionis tēpore; nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omnino desideratū fuerit; adeóque, vt integer, omnísque prorsus vitij, etiam quod ad hanc partem attinet, expers è mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis resurrectionis momento, corpus nostrum integrum, omníque ex parte perfectum recipiemus.

Quid de Christi præputio aliàm sacræ literæ non proferunt. S. Titi sententia de Christi præputio.

Christus integro perfectoq; corpore resurrexit.

Omnes homines integro corpore resurgent.

Et vocatum est nomen eius Iesus. Cùm Euangelista dicat: *Et vocatum est nomen eius Iesus*, hoc est, Saluator, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* mirum est quomodo exorti sint quidam, qui ipso statim temporis articulo, quo Angelus dixit: *Aue gratia plena*, in vtero conceptum fuisse asserere audent?

Errant qui Christum in ipsa statim salutatione conceptum docent.

Virgo mater, nulla egebat purificatione.

Et posteaquam impleti sunt dies purificationis eius, secundùm legem Moysi. rectè ab Euāgelista subiungitur, *secundum legem Moysi*: nam secundùm rem, sacrosancta virgo mater nulla prorsus purificatione egebat, adeóque vt purificationis dies, qui, si id, quod pepererat, masculus erat, quadraginta habebantur, morosè expectaret, nullum operæ pretium erat. Legis vox eiusmodi erat: *Mulier si suscepto semine masculum pepererit, quadraginta dies polluta erit.* At castissima Deipara Maria, quod non ex viri semine, sed ex Spiritus sancti virtute concepisset, neque secundùm legem, neque secundùm arcanam legis significationem immunda erat.

Leuit. 12.

Maria nullo legis sensu contaminata erat.

Et ecce homo erat in Hierusalem, &c. Quòd Simeonem Israëlis consolationem expectasse hoc loco asseritur, eiusmodi est. Optabat pius senex, vt Israëliticus populus in Christum crederet, credendóque consolationē, hoc est, à Romanorum dominatu, Herodísque hominis alienigenæ tyrannide liberationem, per illum quandoque inueniret.

Verius optabat liberationem à diabolo & peccato, quæ mysticè per Herodem & Romanos designantur.

Nunc dimittis seruum tuum Domine. De dimissione ex caduca hac, mortalique vita hæc accipe.

Simeon de Christi aduētu certo oraculo edoctus.

Secundùm verbum tuum in pace. Hoc dicit propter oraculum, quo edoctus fuerat, non priùs è viuis se excessurum, quàm Christum Dominum in carne præsentem oculis conspexisset.

Quo sensu Christus declarator gentium lumen.

Lumen ad reuelationem gentium. Quandoquidem gentes in tenebris, hoc est, in terra veritatis ignoratione degebant, cultúmque, qui soli Deo debetur, dæmonibus impendebant, Christum autem lux est, quæ verum illis Deum, hoc est seipsum, & Patrem, & Spiritum sanctum patefecit, propterea lumen ad reuelationem dicitur.

Quomodo Christus Israëliticæ plebis gloria prædicetur.

Et gloriam plebis tuæ Israël. Idem ille Christus Israëli quoque cessit in gloriam: nam & ortum secundum carnem ex illis ducit, & multos præterea ex illorum genere, propter fidem in ipsum, ad cœlestem gloriam euexit.

Christus nulli auctor ruinæ. Qui cecidit, aliquando stetit.

Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorū Israël. Quod Dominus in ruinam, & resurrectionem multorum positus dicitur id non ita accipiendum est, quasi aliis auctor sit, vt cadant; aliis necessaria causa vt resurgant: nulli enim ruinæ causam offert; nec vllum rursus, vt exurgat, compellit. Quicunque enim cadunt à gradu vtique, vel ordine, in quo antè consistebant, decidunt: pagani autem humi perpetuò reptantes, nunquā constiterunt. Rectiùs proinde dicitur, per Christi aduentum effectum, vt is, qui antè in peccato immotus perstabat, peccato per pœnitentiam cadat, ipsique moriatur, quò iustitiæ deinceps viuat, pérque fidē in Christum consurgat. Vt enim meliora exurgant, peiora ruāt oportet. Nisi enim scortatio, & impudicitia cadant, pudicitia & castitas nunquam exurgent. Sic quoq; nisi beluinus sensus ruat, rationis vis, quæ in nobis est, non facilè surget. Hoc igitur sensu in ruinam & resurrectionē multorum positus intelligatur.

Quomodo Christus in multorum ruinam & resurrectionē sit positus.

Vt virtus surgat, peccatum cadat oportet.

Et in signum cui contradicetur. Sacris literis edocti, per signum salutarem viuificámque crucem accipimus;

Signi nomine crux denotatur.
Num. 21.

Moyses enim, vt traduot illæ, fecit serpentem æneum, & posuit cum in signo, hoc est, in cruce. Quia ergo non desunt vnquam, qui de Christi Domini nostri incarnatione verbosè digladientur, eandémque variè oppugnent, (Alij namque Dei verbum corpus sumpsisse; alij absque vlla corporea concretione ad nos descendisse aiunt: Alij rursum corpus extitisse; alij externa tantùm corporis specie œconomiæ opus expleuisse definiunt. Alij item terrenum; alij cœleste corpus habuisse asserût: Alij tandem ab æterno extitisse; alij ab immaculata virgine Maria primam originem traxisse contendunt) meritò Christus Dominus in signum, cui contradicitur, positus perhibetur.

Crux Christi, eiusdemq; œconomia variè oppugnatur.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Gladij nomine tentatio, cogitationúmque fluctus, & mentis agitatio hoc loco designatur. Simeon namque sacræ Mariæ virgini vaticinatur, post luculentum illud Gabrielis testimonium, post arcanam diuinæ conceptionis notitiã, post euidentem tot illustrium miraculorum demonstrationem; quando cruci assistet, factáque & dicta, quæ tũ se offerent, cernet & audiet, quandam animi titubationem ipsi obrepturam.

Hæc mystici gladij expositio, neque veterum sententiæ, neque excellentissimæ quoque gratiæ qua D. Virgo ornata erat, satis est consentanea.

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. His insinuatur, post scandalum, quod discipuli, & ipsa quoque sacratissima virgo, de Christi cruce passuri erant transactum fore, vt tempestiua mox præsensque medicina adhibeatur, talis nimirum, quæ fide eorum corda confirmet stabiliátque. Sic Petrum post Christum negatum, Christianæ fidei validissimè adhæsisse nouimus. Quòd igitur Christi virtus ostendatur, humanæ naturæ infirmitas redarguitur.

Immeritò virgo mater, quæ Christũ neque animo, neque corpore vnquã deseruit: Stabat enim iuxta crucem Iesu confertur hic cum Apostolis crucis scandalum passis.

Alio sensu romphæam, animi afflictionem, quam sacrosancta Virgo, dum cruci assisteret, pertulit, appellat. Indignum namque censebat, insontem Filium talia, tãtáque perferre: nam statim è mortuis resurrecturum, vt quiddam nimis arduum & grande, per id tempus necdũ certò credebat. Ait ergo, *vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes.* hoc est, vt omnes omnium cogitationes manifestæ fiant; cunctísque clarè constet, qui ex omnibus ex animo illum dilexerint, eámque erga eum dilectionem constanter vsque ad mortẽ declarauerint: Qui rursum fucatæ, minimèque syncetæ fidei in eum extiterint, grauéque, propter crucem, scãdalum passi fuerint: Qui illum tandem in mortem tradiderint, crucique eiusdem & morti insultauerint.

Hæc explanatio verior, & apud veteres multò receptior.
Nullo modo fit credibile, Virginem matrem de Christi resurrectione dubitasse.

Et erat Anna Prophetissa. Anna hæc, quæ tam illustri Euangelistæ testimonio commendatur, mundi Israelisq; salutem præ foribus iam adesse cernens, confitebatur Domino, hoc est, gratias illi ex animo agebat.

Quomodo, & quæ de causa Anna confitebatur Domino.

Et loquebatur de illo. Quid loquebatur? Hic inquiebat, est mundi Redemptor, hic hominum est Seruator, hic ille est, qui nostram mœstitiam, animíque deiectionem in gaudium & lætitiam conuertet.

Anna de Christo oratio.

Reuersi sunt in Galilaeam, in ciuitatem suam Nazareth. Etsi natiua illorum ciuitas esset Bethlehem; attamen quod fixum annos iam aliquot domicilium in Nazareth obtinerent, vulgo ciuitatis Nazareth ciues habebantur, & dicebantur.

Quo sensu Nazareth parentum Christi ciuitas dicatur.

Puer autem crescebat, & confortabatur. Quandoquidem Euangelista Deum verbum, non nudum, sed vera carne indutum inducit, propterea scribit: *Puer autem crescebat, & confortabatur,* Sunt enim isthæc, ad assumptam carnem referenda: secundum corpus namque crescebat, & cõfortabatur; membrorum nimirum robore vnà cum ipsa corporis mole sensim gliscente, & adolescente.

Puer Iesus secundum id tantum, quod ex nobis sumpserat crescebat.

Plenus sapientia, & gratia. Puer Iesus non implebatur gratia & sapientia, quod aliquod gratiæ, aut sapientiæ incrementum, per temporum interualla ipsi accederet, (semper enim, vt Deus, earum rerum plenus erat) sed quod Dei verbum, sapientiam & gratiam, qua pollebat, iuxta corporis incremẽtum, magis magísque subinde proderet.

Quo sensu Iesus crescebat gratia & sapientia.

Audientem illos & interrogantem eos. Quid interrogabat? ea vtique omnia, quæ erant legis, faciebantque ad legales sanctiones & ritus.

Christus de legis sensu & vsu disputat cũ doctoribus.

Ego & pater tuus. Notat sacratissima Virgo puerum Iesum non esse filium Ioseph; Verùm ne Iudæi ex scortatione natum falsò suspicarentur, propterea ad illum aiebat: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Sed nũquid, obsecro quærebant eum tanquam qui periisset, aut ab itinere, vt pueri solent, aberrasset? Absit. neque enim sapientissimæ Virgini matri, cui plurima iam antè de illius diuinitate patefacta, compertáque erant, tale quippiam in mentem venire potuit. Sed nec ipsi etiam Iosepho. Quærebant autem illũ perinde, ac si quis Scripturam, vel abditam scripturæ cuiuspiam sententiam quærat: Constat namque anxiè & dolenter illam inquirere; non quidem vt errantem, aut falsam, aut fallentem, sed vt veram mysticámque doctrinam cõtinentem, necdum tamen proditam. Ad eum ergo modum, & illi quærebant Dominum nostrum Iesum Christum: Solliciti enim erant, ne forsan ab iis discessisset, ipsósue deseruisset.

Quo consilio B. Virgo Ioseph Christi patrẽ vocat.

Quid est, quod me quærebatis? Deus & Dominus noster humana responsione, quam dare licebat, repudiata diuinam attulit minimè obscurè per illam ostendens, se Deum esse carne obtectum. Nam cùm Deipara Virgo Iosephum, qui vulgò parens illius habebatur patrem illius appellasset, ipse sermonem ita excepit, vt templi Dominum, hoc est, Deũ, non autem Iosephum patrem suum esse planum faceret. Quandoquidem cùm in Dei templo ageret; *Nesciebatis,* inquit, *quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?*

Et ipsi non intellexerunt. Sacra Deipara verbum, quod ad illos loquebatur, non assequebatur: Siquidem mysteriũ vsque adeò subtile & abditum, statim deprehendere, id humanæ mentis opus neutiquam erat.

Et erat subditus illis. Ob id sponte se illis subiecit, quò filios omnes exemplo suo huc inducat, vt debitum honoris cultum parentibus impendant, ipsísque in omnibus morigeros se præstent.

Christus exemplo obedientiã docet.

Et mater eius conseruabat omnia hæc &c. Quæ verba sacrosancta Virgo mater conseruabat? omnia, & quæ Angelus & quæ Pastores, & quæ Simeon, & quæ Anna, & quę ipsemet tandem filius ad illam dixerat. Nam etsi sacratissima Deiparáque virgo, quæ ab illo depromebantur, plenè non assequebatur, intelligebat nihilominus diuina, humanóque sensu sublimiora esse: neque enim audiebat Iesum tanquam duodecim annorum puerũ; sed excipiebat & obseruabat verba illius, tanquam verba viri modis omnibus perfecti.

Maria audit puerũ Iesum, vt virũ ætate perfectum.

Iesus autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia. Iterum hic Euangelista progressum in sapientia & gratia secundùm corporis incrementum assignat. Eum namque sensim progrediendo notitiæ excellentiam ostẽdebat, vt apud non paucos existimationem homine maiorem de se cõcitasset, quam etiam diuinitatis opinionem, pro ætatis ratione, & quantitate, magis magísque subinde confirmabat, clariúsque, patre sic volente prodebat.

Puer Iesus sapientiam homine maiorẽ ostendit.

CAPVT III.

ANNO *autem quintodecimo.* Commodè Euangelista temporis, & principum, qui tum imperabant, meminit, *Anno,* inquiens, *quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris*: quò hinc nimirum discamus, quando Deus & Dominus noster Iesus Christus homo factus est, iam tum omnem omnino Principem & Ducem de familia Iudæ defecisse. Homines verò alienigenas, Pilatum videlicet, qui Romanorum locum tenebat, & Herodis Ascalonitæ filios regni sceptra tenuisse. Aderat iam enim ille, cui imperium, veluti depositum, asseruabatur: nẽpe Christus Deus noster. Principes autem de tribu Iuda, iuxta Patriarchæ Iacob prædictionem imperare iam tum prorsus desierant.

Ante Christi ortum, sceptrũ de tribu Iuda ad alienigenas translatum erat.
Genes. 49.

Factum

Ioannes ad Baptismi & verbi ministerium à Deo vocatur.

Factum est verbum Domini super Ioannem. Hæc clarè ostẽdunt, Ioannem ad Baptismi & verbi ministerium se non ingessisse; sed à Deo vocatum, & missum fuisse. Cæterùm vnum hoc munus in causa fuit cur tam stupenda & admirabilia, in ipso statim initio, circa illum acciderint. Oportebat enim non modò Christum ipsum; sed Christi quoque præcursorem idoneum apud omnes haberi, cuius dictis fides accommodaretur.

In eremo. Cur Verbum Dei, factum est ad Ioannem in eremo? Non citra mysticam rationem id factũ est: Quia enim plures futuri erant filij desertæ, quàm nuptæ, eius rei gratia in deserto prædicandi exordiũ facit; nisi enim hic facti huius scopus extitisset, in deserto verba facere superuacaneum erat.

Magnũ inter Ioannis & Christi Baptisma discrimen.

Ioannis Baptisma Iudæorum Baptismatis perfectius.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Baptisma Christi ex vi propria, perfectam peccatorum remissionem habet. At Ioãnis verò Baptisma, licet peccatorum remissionem adiunctam habebat, non eam tamen ex se habebat, sed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum; quamuis cæteris Iudæorum Baptismatis perfectius: præparabat enim homines ad pœnitentiam; eosdémque, qui Christi Baptismum aliquando susciperẽt, capaces reddebat.

Quid sit parare viam Domini.

Parate viam Domini rectas facite semitas eius. Quia verò Ioannes Christi præcursor erat, Vox rursum & nõ Verbum (antecertit enim vox verbum) ea propter tanquam Domino nondum præsente: *Parate viam Domini*, inquit. Hoc est, missis veteris legis vmbris, ad illorũ susceptionem vos comparate, quæ ipse decreturus, & promulgaturus est.

Res obliqua iniquitas.

Rectas facite semitas eius. Is Dei semitas rectas facit, qui per illius iustitiam graditur: Siquidem malitia & improbitas res obliqua & sinuosa est.

Esai. 40.

Res ardua virtus idque multis de causis.

Christus Dominus viam virtutis arduã alioqui facilẽ reddidit.

Quid vallis & montium nomine designet Euangelista post Esaiam.

Omnis vallis implebitur, &c. Hac oratione Propheta obiectioni, quæ ab aliquo hæsitante fieri fortè poterat, obuiam it. Quia enim dixerat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*: ardua autem & spinosa, & propter plurima impedimenta, res penè inaccessa est virtus: (opponunt se huic enim maligni spiritus, tũ internæ quoque, externæque animi perturbationes) quomodo, dicere quis Prophetæ poterat, cùm tot vbique obstent obices, fieri potest, vt per virtutis iam recta incedamus? Ipse ergo obiectionem eiusmodi excipiens, ita respondet: Nihil vereare, siquidem omne illud, quod virtutis cursum antè impediebat, per Christum è medio submouebitur, & emendabitur. Siqua profunda, & ob id transitu difficilis, vallis occurrerit, ea ad superficiem vsque implebitur, solóque æquabitur. Rursum si mons quispiam, aut collis semitam interceperit, adeóq; iter laboriosum molestúmque reddiderit, is quoque humiliabitur, & in viam planam redigetur. Denique omnia posthac erunt directa & peruia.

Quo sensu & modo aspera per Christum facta sint plana.

Qui designẽtur per praua & tortuosa per Esaiam & Euangelistam.

Per profundas autem valles; per montes itidem & colles, inconcinnos sensuum motus, inconditásque animi perturbationes, & omnia omnino obstacula, quæ dæmonum malitia obiicit, designat. Paucis quod oraculum habet, eiusmodi est: omnia quæ hactenus virtutem viámque, quæ ad Deum ducit, difficilem effecerunt, ea per Christum auferentur, solóque sternentur: ita vt omnia iis in posterum futura sint plana, qui iter hoc carpere voluerint. Sunt autem isthæc plana & leuia ad hunc sensum facta; quia Christus Sathanam, fregit eundémque sub seruorum suorum pedibus strauit; incensos autem carnis ardores, prauásque eiusdem cupiditates in se ipso sedauit & aboleuit.

Et videbit omnis caro salutare Dei. Non modò Iudæos, aut proselitos; sed vniuersam mortalium naturam Dei clementia benignitate posthac potituros ostendere volens subiungit: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* quasi dicat: salutaris horum Euangeliorũ virtus, cœlestisq; doctrinæ notitia, vsq; ad orbis terræ fines proseminabitur, proseminatáque mortaliũ genus à ferina illa, beluináq; viuendi consuetudine, mentisque duritia, & feritate, in magnam quandam animi mansuetudinem, morúmque suauitatem conuersura est. Siquidem per praua illa & tortuosa, quæ paulò antè per Christum corrigenda monuerat, quosuis corruptæ deprauatæque vitæ homines insinuat: cuiusmodi, inter cæteros, erant & sunt publicani, meretrices, fures, latrones, Magi, &c. Hi enim cùm dudum antè fuissent peruersi, tandem aliquando viam rectam terere cœperunt. Et hoc est quod Dominus Iudæis alicubi obiicit, dicens: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*

Matth. 21.

Matth. 3.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant: Hæc, & quæ sequuntur, vsque ad illud: *omnis arbor non faciens fructum &c.* In Euangelio secundùm Matthæum exposita sunt.

Ioãnes singulis hominum generibus salutaria pharmaca præfinit.

Deus neminẽ sanitatem cupientem respuit.

Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Ioãnes, quid facto opus esset, à turbis interrogatus, periti medici more, singulis opportuna præsidia, salutariáque pharmaca præfinit. Et quidem turbis, vt mutua beneuolentia se inuicem complectantur, mutuísque operis se mutuò subleuent iniungit. Publicanis verò ad teloniũ sedentibus ad immoderatam auaritiam, insatiabilémq; illam habendi sitim, viam obstruit. Militibus autem, ne quem temerè concutiant, non absque singulari prudentia præcipit. Deus namque nullum omnino, modò ritè iustéque vitam instituere non detrectet, ab se reiicit.

Ioannes sũma existimationis apud Iudæos.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus. Tantæ fidei, tantæque auctoritatis apud omnes erat Ioannes, vt Iudæorum populus in eam suspicionem veniret, eum esse Messiam illum & Christum, quem sancti prophetæ in mundum venturum prænunciarant. Ipse verò eiusmodi opinionem præscindens aiebat:

Ego quidem aqua baptizo vos. Hæc quoque vsque ad illud: *Paleas autem comburet igne inextinguibili,* in commentariis ad Euangelium Matthæi iam antè explanata sunt.

Matth. 3.

Multa quidem & alia exhortans Euangelizabat populo. Per hæc indicatur, qui Euangelij doctrinam candidè annũciant, multa inter prædicandum salutaria documenta in medium adferre.

Cap. 14. Cap. 3.

Herodes autem. Quod de Herode Tetrarcha hic subditur, hoc totum enarratum est in Euãgelio Matth. Quẽadmodum illud etiam quod de Ioannis Baptismate hoc loco attexitur.

Cur Christus circa trigesimum ætatis annum Baptismo initiatus sit.

Adamus secundum florẽtis ætatis maturã cõditus.

Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta. Christus triginta plus minùs annos natus, accedit ad Baptisma: siquidem communi mortalium consensu, illa ætas perfecta haberi solet. Voluit per hoc quoque indicare, mysticam regenerationem viros secundum Spiritum perfectos generare. Quin primus quoque homo perfectus conditus est: statim enim veluti adultus collocatus est in paradiso, eundémque excolere & custodire iussus est.

Cap. 1.

Melchi & Matham eandem Estham vxorem habuere.

Putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli. De Domini nostri Iesu Christi ortu secundum carnem, nonnulla offert se hic controuersia. Matthæus enim genealogiam illius texens, è Salomone orsus, deducit illam in Mathan, Iacob, & Ioseph. Lucas verò initio à Nathan facto descendit in Matham, Heli, & Ioseph. Ex quo apertè constat, vtrumque Euangelistam aliud & aliud proximum genus Iosepho assignare. Nam vt idem Ioseph, qui sacratissimæ Deiparæ sempérque virginis maritus habebatur, simul ex Iacob & Heli ortum duxerit, id videtur omnino impossibile.

Iacob & Heli fratres vterini.

Verùm huius, quæ apparet, differentiæ & difficultatis commoda inuestiganda est solutio. Tertius ergo à fine, secundùm Matthæi genealogiam, est Mathan; quintus autem à fine secundùm Lucam, est Melchi. Melchi porrò & Mathan diuersis temporibus vnam eandémque Estham vxorem habuere. Primus duxit eam Mathan, procreauitque ex illa Iacob. Mathan autem vita defuncto, Melchi, qui erat ex eadem tribu, etsi non ex eodem genere, eandem Estham iam tum viduã,

asciuit sibi in coniugem, suscepitque ex illa Heli. Iacob igitur & Heli fuerunt fratres vterini: vtpote ex eadem matre editi.

Heli & Iacob fratres eandem duxit vxorem. Idem Ioseph, est naturalis filius Iacob, & legalis Heli.

Cæterùm cùm Heli accepisset vxorem, nullisque ex ea liberis susceptis, mortem obiisset, secundum legis præscriptum, ingressus est ad illam Iacob, tanquam frater, Heli, germano suo sine prole defuncto, semen excitaturus. Procreauit itaque ex illa Ioseph atque ita idē omnino Ioseph, & naturalis filius est Iacob, & legalis rursum filius Heli.

Cùm ergo Matthæus naturalem Iosephi parentem exprimere vellet, Iacobum nominat; & vnde hic descendat indicat. Lucas verò legalem eiusdem patrē manifestare deliberatum habens, Heli in medium adducit, stirpémque, vnde idem Heli descendit, aperit. Opportunè autem conuenientérque alter naturalis, alter legalis patris meminit, quò hac nimirum ratione planū fiat, Iosephum ex vtroque parente ad Dauidem & Iudam genus suum referre. Ad hæc cùm Iudæi tanquam lege obstricti, legales parentes agnoscant, Græci verò & pagani, quibus nihil cum lege commune est, naturales tātùm progenitores spectent, Euangelistæ diuino Spiritu afflati, Iosephum ex vtroque patre, legali, inquam, & naturali genus suum ad Dauidem reducere ostenderunt. Quamobrem cùm duo hi patres originem suam ad Dauidem referant, tam Iudæis, quàm Græcis omnis prorsus hæsitationis, omnísque offensionis causa adempta est.

CAPVT IIII.

Cap. 4.

IESVS autem plenus Spiritu sancto. De Seruatoris nostri tentatione disputatum est in explanatione Euangelij secundum Matthæum.

Et ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis. Hoc est, omnia mundi regna oratione delineauit, delineatáque menti illius, vt opinabatur, impressit; qui enim omnia condiderat, nihil ille eorum omnium, quæ diabolus ostendere volebat ignorabat. Nam nisi sic exponamus, quomodo is potuit omnia orbis loca, in vnum quasi centrum adducta, corporeis oculis spectanda subiicere, ac veluti digito intēto, age, hoc Persarum, hoc Iudæorum est regnum, dicere?

Quo sensu diabolus tēporis momēto ostenderit Christo omnia mundi regna.

Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam. Hoc dicit propter signa, quæ Spiritus sancti virtute patrabat. At nemo interim existimet, aliunde, & veluti precatiò, tanquam vnumquempiam è Sanctorum numero, eiusmodi gratiam accepisse. Non enim ab extrinseco ea vis illi aderat; verùm cùm natura & veritate Dei filius esset, ter Sacrosancti & homousij sancti Spiritus virtute & energia tanquam propria ad miraculorum opera vtebatur.

Quomodo Dominus à Iordane regressus in virtute Spiritus. Spiritus sancti vis non aderat Christo extrinsecus.

Et venit in Nazareth, vbi erat nutritus. Manifestum deinceps seipsum Israëlitis sanguinis necessitudine coniunctis facere volens, palámque à Deo & patre in sublunaris orbis salutem sese innunctum ostendere instituens, non absque singulari consilio & sapientia, ciuibus oppidi Nazareth, apud quos secundùm carnem nutritus fuerat, istud, præ cæteris, donauit; vnde Euangelista: *Et venit Nazareth, vbi erat nutritus.*

Dominus non absque singulari consilio à Nazareth cōcionandi exordium facit.

Et traditus est illi liber Esaiæ. Accepto libro, quæ in Esaia de ipso prodita extabant, nempe illa: *Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit &c.* legit. Per hæc autem auditoribus planissimè ostendit, se illum ipsum esse, qui tum per prophetam loquebatur, quique humanam naturam indutus, olim in mundum hunc inferiorem venturus, eundémque de morte in vitam asserturus erat.

Esai. 61. Idem ille, qui olim per Esaiā & alios prophetas postea per se ipsū locutus est, Christus tātùm secūdū naturam assumptam inunctus est.

Propter quod vnxit me. Filium tantùm secundùm carnem, quatenus nimirum factus est homo nostri similis, inunctum dicimus, secùs nequaquam.

Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Per hæc manifestè confirmat, quod modò dicebatur: nempe se illum ipsum esse, de quo Esaiæ vaticinium editum extabat. Ipse enim est, qui regnum cœleste iis annunciauit, qui erant ex gentibus (siquidem gentes verè erant pauperes; neque enim Dei cognitionem, neque legem, neque prophetas, neque aliud quicquam in bonis habebant) cæterisque omnibus, spiritalibus opibus destitutis. Ipse rursum tyranno Apostata, hoc est Sathana subuerso, eos qui captiui tenebantur, in libertatem vindicauit. Ipse itidem spiritali, diuina, cœlestique luce illos collustrauit, qui cor obscuratum habebant, *Ego*, inquit, *lux in hunc mundum veni.* Ipse æquè à peccatorum vinculis eos expediuit, qui corde erant saucio. Ipse tandem annum Domini acceptum prædicauit: cuius quidem rei sapientissimus Paulus quoque alicubi mentionem facit: *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Gentes ante Christi aduentum verè pauperes: virtute omni spiritali præsidio destitutæ. *Ioan. 12.* *2. Cor. 6.*

Et omnes testimonium illi dabant. Hæc illi audientes, déque verbis gratiæ, quæ de ore illius procedebant admirantes, adhuc abiectè de illo sentire, & loqui non desinunt, aiunt enim: *Nonne hic est filius Ioseph.* Quamobrem iure illud in eos deprompseris: En populus hic stultus, & excors est; oculos habet, & non videt, aures & non audit.

Ciues Nazarei abiectè de Christo loquuntur, & sentiunt. Psal. 113. Sap. 15.

Medice cura teipsum. Protritum vsitatúmque apud Iudæos erat, vt medicos in morbum prolapsos, faceto hoc vrbanóque dicto: *medice cura teipsum*, quidam exciperent.

Dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. Christi oratio huc tendit, vultis, vt multa signa apud vos, apud quos educatus sum, edam, verùm noui, quid communiter accidere soleat. Etenim vt res præclaræ, nisi rarò admodum fiant, vulgò semper ferè contemnuntur; ita viri excellentes, honoréque & admiratione digni, si nimis familiares sese exhibeant, omniúmque cōspectui passim sese offerant, apud eos, qui familiariter, & quasi domesticè illos norunt, debito honore plerúmque orbātur. Atque hinc est, quod vobis dico: *quia nemo propheta acceptus est in patria sua.*

Nimia frequentia & familiaritas pariunt contemptum.

Multa viduæ &c. Quandoquidem vaticinia, quæ de Christo, eiusdémque aduentu edita extabant, iam ad finem adducta videbantur: alij ex Iudæis ad quosdam, qui regnum apud ipsos administrauerant; alij verò ad sanctos Prophetas illa detorquebant; propterea dominus ab ea operatione salubriter illos abducit; eosdémq; tanquam fide laborantes; neque oracula eiusmodi ad se magis quàm ad illos ad quos ipsi ea referebant, pertinere credentes tacitè redarguit.

Iudæi vaticinia de Christo edita aliò transferunt. *1. Reg. 17.*

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ. Cùm, inquit, ætate Eliæ, multæ in Israël viduæ essent, ad nullam ex illis missus est Elias. Rursum cùm multi Elisæi tempore lepra in Israël laborarent, nullus tamen ad illū missus est, nisi tantùm Naaman Syrus. Cur ita? quia ex omnibus viduis illa sola reperta est fidelis; pari modo ex omnibus leprosis solus Naaman idoneus inuentus est, cui hoc beneficium impertiret.

4. Reg. 5.

Et eiecerunt illum extra ciuitatem. Qua de causa, cùm eum ex monte præcipitem dare vellent, ipse per medium illorum, transgressus abiit? non ideò id fecit, quòd crucem fugeret, (nam vt pateretur, in mundum venerat) sed quòd tempus eam ad rem idoneum necdum adesset: Cœperat enim iam rum primùm Euangelij doctrinam disseminare. Verumtamen quòd hic fecit, euidenti argumento est, Iudæos nullo modo eum in crucem agere, aut in suam potestatem redigere, tempore, quo cruci affixus est valituros fuisse; nisi ipse vltro in mortem se tradidisset.

Et stupebant in doctrina eius. Quoniam quidem Iudæis persuasum erat, Christum nihil præ cæteris Sanctis peculiare habere, verùm tanquam vnum è prophetis in medium prodire; ea propter, quò maiorem de ipso, quàm de aliis opinionem & existimationem concipiāt; communem prophetarum mensuram excedit. Neque enim dicere cōsueuerat: hoc dicit Dominus, verùm tāquam

Iudæi Christum vulgaris sancti loco habebant.

Christus operec & sermone se cæteris prophetis & Sanctis maiorem ostendit.

quam legis Dominus, multa, quæ legis modum exuperabant, edicebat, immundósque Spiritus cum potestate Deo digna increpabat. Laudat autem ipsum immundus Spiritus, dicens:

Cur nequam Spiritus Christo blanditur & adulatur.

Sine, scio te, quia es Sanctus Dei. Hoc ideo nequam Spiritus aiebat; quia fore sperabat, vt per istiuscemodi adulatoria blandimenta aliquod inanis gloriæ desiderium in eius pectore excitaret, eaque ratione efficeret, ne vel se, vel sui ordinis alios increparet; hanc nimirum gratiam, pro impensa gratia rependens. Ast fraudulentus prædo, quam consectabatur prædam, non est assecutus. Deus enim non irridetur nec dolo cuiuspiam capitur. Quare Dominus impuram illius linguam mox compescit, vtque ab eo, quem occupatum tenebat, abscedat, cum maiestate indicit. Permisit nihilominus, vt hominem, in quo erat, solo sterneret, quò facto hoc omnibus palàm fieret, dæmonem fuisse, qui verba per os illius fundebat; adeóque, quæ accepta fuerant, non prodiisse ex hominis corde, sed ex dæmonis improbitate. Etenim animo restitutus, mentisque cõpos effectus, sobrij modestique viri oratione vtebatur.

Deus nullius dolo capitur.

Dæmon per os hominis verba fundit.

Et colloquebantur ad inuicem dicentes quod est hoc verbum. Admirabantur virtutem illius; vt qui cum imperio, & potestate miracula patraret. Neque enim viuum illud, & efficax Dei patris verbum, per quod omnia, & in quo omnia, precibus adhibitis, immundos Spiritus, aut morbos profligabat, sed solo nutu & iussione sanabat.

Christus cum imperio & potestate miracula patrat.

Surgens autem Iesus de Synagoga. De socru Simonis Petri, cæterisque, qui à diuersis langoribus curati, spiritibúsq; immundis liberati fuerant, de Petro itidem, & Andrea & Ioanne, & aliis nonnullis, qui piscatoria naui & arte posthabita, secuti sunt dominum, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Cap. 7. 4.

CAPVT V.

Cur Dominus per munia piscatoria, piscatur discipulos. Omnia diuino nutui ad nutum obsequuntur.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam. De hac piscium captura, Cyrillus Alexandrinus scribit in hunc modum: Dominus per munia piscatoria, piscatur discipulos piscatores; vt hinc discant voluntatem habere omnipotentem, vniuersámque creaturam nutibus illius ad nutum obsequi; tum rursum quò per euidens hoc miraculum, veluti per typum vel imaginem quampiam admoniti edoctique, certò apud se statuant, operam, quam Euangelicæ doctrinæ rete laxantes, insumpturi essent, sua mercede & fructu nequaquam frustratum iri: vt qui citra vllam controuersiam gentium greges per illud sint collecturi.

Apostoli piscatores gentium.

Quin aliud quoque obseruare hîc licet: nempe cum Simon, & qui cum illo erant, rete subducere non possent, eiusdem piscationis socios nutu (nam cùm præ stupore, & metu loqui non auderent, nutibus vsi sunt) aduocasse; eosdémque vt vnà operi incumberent, prædamque captam conseruare adiuuarent hortatos esse. Designabat hoc enim mysticè multos fuisse, & esse, olimque futuros esse, quibus hic piscandi labor, cum Apostolis communis esset, inter quos primas facile tenent, qui sacrorum Euangeliorum volumina conscripserunt, & in lucem ediderunt. Secundum hos autem cæteri pastores, & doctores, populorúmque duces, & candidi dogmatum veritatis interpretes. Iacitur enim etiamnum Euangelij rete, Christo Domino illud implente, eósque, qui in profundo pelago, hoc est, in mundi huius, commotione & fluctibus, vt scriptum est, versantur, ad conuersionem vocante.

Non soli Apostoli Gentes piscati sunt, sed multi alij ante & post ipsos, & cum ipsis.

Illustres piscatores secundùm Apostolos Euangelistæ.

Rete Euangelij etiamnum iacitur & impletur.

Et ecce vir plenus lepra. De leproso, & paralytico, & publicano, vsque ad illud: *Nemo mittit vinum nouũ, &c.* scriptum est ad Euangelium secundùm Matthæum.

CAPVT VI.

Cuiusmodi fuerit Sabbatum primò secundum.

Factum est autem in sabbato primò secundo. Quod de Sabbato primò secundo Euangelista hoc loco commemorat, illud sanctus Isidorus Pelusiotes ita exponit. Dicitur, inquit, Sabbatum primò secundum, quia secundum erat solennitatis paschæ primum autem azymorum; neque mireris secundum diem Sabbatum appellari: Iudæis enim totũ paschalis celebritatis tempus, Sabbatum appellare legitimum erat. Quare alicubi festum hoc Sabbatum Sabbatorum appellatur. Quæ hinc sequuntur, vsque ad illud: *Quos non licet manducare, nisi tantum sacerdotibus*; vt & illa rursum, quæ de eo subnectuntur, qui habebat manũ aridam, ea in Euangelio Matthæi exposita sunt.

Iudæi totam hebdomadam paschalis solennitatis Sabbatum appellabant.

Matth. 12.

Factum est autem in illis diebus exiit orare in montem: & erat pernoctans in oratione Dei. Per hæc, vt placet Cyrillo, Euangelista ostẽdere voluit, Christum Dominum, omnia quæcunque faciebat ad nostram ædificationem, communémque eorum vtilitatem, qui in illum credituri erant, fecisse. Voluit per hæc rursum spiritalis vitæ formam se ipsum proponere; quique inter veros adoratores censendi sint, patefacere. Voluit tandem exemplo hoc docere, preces, quæ ad Deum transmittuntur, secretò, hoc est nemine, quo ad eius fieri potest, cernẽte, vel obseruante, transmitti debere. Huc enim tendit quod Dominus noster Iesus Christus seorsim in monte, & quasi in oratione orasse scribitur; id quod ante quoq; verbis expressè tradiderat. *Tu,* inquit, *quando oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.*

Christus omnia sua opera dirigibat ad fidelium ædificationem & vtilitatem.

Preces secretò & à turbis otium deposcunt.

Matth. 6.

Qui ergo salubriter precari cupiunt, sanctas purásque, & ab omni ambitione alienas manus ad Deum subleuent; cúmque in modum sese componant oportet, quasi diuinam maiestatem coram assistere conspiciant. Debent adhæc mentem ab omni tumultu, mundanáque cura, & cogitatione abducere & seuocare. Debent æquè, non remissè, aut ignauè hoc est, cum quodam mentis tædio, & animi inconstantia illud ipsum facere, sed constanter & studiosè; debent postremò opus, si quod forsan præ manibus est, in secundis habere; neque mirari, aut frangi, si non statim audiantur. Audiuimus enim Dominum nostrum, non quouis modo, hoc est, obiter orasse, sed in oratione Dei pernoctasse.

Quid obseruare debeant qui salubriter, orare volunt.

Vocauit discipulos suos & elegit duodecim. De Apostolorum vocatione, & beatitudinibus scriptum est ad Euangel. Matth.

Cap. 15.

Væ vobis diuitibus. Posteaquam Deus bonorúmque omnium Dominus ostenderat, Sanctos, qui paupertatem illius amore consectantur, esuriuntque, & sitiunt, & lugent, &c. sua mercede non carituros, ad eos nunc sermonem conuertit, qui contrariis studiis incumbũt. *Væ,* inquit, *vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis nunc, quia esurietis, Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines &c.* Insinuat hic omnia isthæc eiusmodi esse, quæ & supplicium procreent, & vindictam inferãt; quo nimirum impendentium tormentorum metu exterriti, diuitiis congerendis non nimiùm inhient, neque in voluptatibus, & locis, mundíque huius deliciis ætatẽ transigant; quin potiùs coronarum, & opum, quas ij hæreditabunt, quos Dominus beatos prædicat, desiderio incitati, ad labores, spontaneæque paupertatis studium propter Deum amplectendum, sese accingant. Dominus namque hos quidem cœlestis regni hæredes futuros, illos verò in extremam calamitatẽ ruituros asserit; vt qui suam hic mercedem, & consolationem receperint. Addit porrò similem eos pœnam adituros, qui ab omnibus hominibus laudari, magnique apud omnes fieri volunt.

Væ illa, quæ Dominus hoc loco intermi-natur æternũ supplicium insinuant.

Cæterum quod de diuitibus hoc loco traditur, illud non pertinet ad omnes, sed ad eos tantum, qui totum animi desiderium ad pecunias contulerunt: Cuiusmodi sunt, qui vocem Domini dicentis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, &c.* vel non audiunt, vel auditam contemnunt.

Non omnes diuites damnantur.

Matth. 6.

Matth. 6.

Cap. 5.7.15.

Diligite inimicos vestros. Doctrinæ & admonitionis, quæ hinc, vsque ad illud: *& facta est ruina domus illius magna*, consequuntur, ea in Euangelio Matth. enucleata sunt.

A

CAPVT VII.



Matth. 8.
Apud Ioann. non Centurio pro seruo, sed Regulus pro filio rogat.

Centurionis cuiusdam seruus malè habens. Et hæc quoque iam antea explanata sunt Chrysostomus in commentariis ad cap. 8. Matth. locum de Centurione enarrans docet hunc eundem esse cum illo; alium autem eum, cuius fit mentio apud Ioannem.

Cur Christus Dominus post sanatum Centurionis seruum, non vocatus neque rogatus exuscitarit viduæ filium.

Et ibat Iesus in ciuitatem quæ vocabatur Naim. Cur is, qui omnia nouit, vitæque & mortis potestatem habet, post sanatum Centurionis seruum nemine accersitus, ad demortui adolescentis exuscitationem se confert? B ait enim Euangelista: *Et ibat Iesus in ciuitatem quæ vocabatur Naim.* Factum est hoc non casu, sed summo iudicio, summáque sapientia, ne videlicet nonnulli quandoque in medium prodirent, qui dicerent, Centurionis seruum omnino moriturum non fuisse. Et quamuis Euangelista oppositum scribat, dicere tamen poterant magis illum spectasse ad gratiam, quàm ad veri narrationem. Christus itaque Dominus infrenem, petulantemque illorum linguam compescere instituēs, defuncto, qui iam efferebatur, obuiam prodiit, accedensque loculum tetigit; & verbo simul & tactu, cùm solo alioqui verbo tanquam omnipotens, facere id potuisset, adolescentem excitauit. Ob id autem loculum seu feretrum tetigit; quia voluit, vt hinc disceremus, C corpus Christi Dei nostri, corpus vitæ esse eiusdémque carnem, vnigeniti Filij Dei, verbíque cuncti potentis carnem. Nam cùm caro eius, illi effecta sit propria, qui viuificat omnia, vt ipsa quoque sit viuifica, mortémq; & corruptionem interimere idonea.

Caro & corpus Christi viuifica sunt, quia diuini verbi propria effecta sunt.

Et resedit, qui erat mortuus, & loquebatur. Resedit, & locutus est mortuus: ne cui secundum externam tantùm faciem, & non verè resuscitatus videretur: Siquidem sedere, & loqui veræ exuscitationis argumenta sunt. Corpus enim exanime, neque sedere neque loqui potest. Quare etiam tradidit illum matri suæ, tanquam verè viuum, veréque exuscitatum.

Sedere & loqui certa vitæ argumenta.

Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes. Quandoquidē miraculi huius magnitudo omnes, qui ad spectaculum præsentes adfuerant, in magnam admirationem coniecerat; & per vniuersam Iudæam diuulgatum iam erat, D factum est, vt Ioannes Baptista quoque ex discipulis suis illud rescisceret. Quamobrem duobus ex vniuerso numero accersitis, misit illos ad Dominum, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Verùm de hac discipulorum Ioannis ad Christum legatione, eiusdémq; causa, vsque ad locum illum: *Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis*, perscriptum est in Euangelio Matthæi.

Ioānes mittit discipulos ad Christum.

Cap. 11.

Rogabat autem illum quidam ex Pharisæis. Animaduertete hoc loco licet, Pharisæum, qui Dominum Iesum Christum ad prandium vocarat à versipelli simulatione, latentíque infidelitate immunē non fuisse; aiebat enim: *Hic si esset Propheta, sciret vtique &c.* At Dominus hominem eiusmodi esse, certò compertum habēs nihilominus in domum illius ingredi, mensæque accumbere non dedignatur. E

Versipelles Pharisæi. Dominus Pharisæorū, tametsi versipellium mensam nō auersatur.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi &c. Hæc mulier, neque ea est, cuius fit mentio apud Matth. nec ea rursum, cuius apud Marcum; nec ea tandem, cuius apud Ioannē: Siquidem illæ paulò ante Dominicam Passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur, hæc autem circa Euangelicæ prædicationis medium, aut citiùs quoque, vt facilè quis, si eam in rem curiosè inquirere vellet, deprehendere posset.

Cautè lege, nam fallitur auctor iste cùm mulieres distinguens, cū vna tantum extiterit, Vide post alios com. annal. anno Christi 32. cap. 17. & seqq.

Osculabatur pedes eius. Non simpliciter, aut oscitanter Domini pedes osculatur; sed seriò & ex animo, exosculatósque precioso vnguento perfundit. Vtroque autem A officij genere incensum erga Christum amorem ostendit. Christus verò Dominus, qui non tantum externa verba audit; sed intima quoque cordis sensa penetrat, pleneque comprehendit, tanquam prophetarum Dominus, Pharisæi cogitata in lucem effert; ait autem:

Mulier hæc peccatrix incensum erga Christum amorem ostendit. Dominus intima cordis sensa penetrat.

Simon habeo tibi aliquid dicere. Mox illo verò, ad Christi quæsitum, respondente: *Æstimo, quia is, cui plus donauit,* Dominus vicissim excepit. Cur tu ergo huius flagitia animo pertrectas? nam neque tu quoque peccati expers es; quamuis enim minùs fortè debes, quàm illa, attamen non es ab omni prorsus noxa immunis. Et sæpe quidem vsu venit, vt is, qui grauiter & multum impegit, per cōfessionem à peccatis absoluatur: Alius è diuerso qui parum peccarat, per superbiam, confessionis pharmacum aspernetur: adeóque in pœnarum reatum incidat. Neque enim ob id condemnationis iudicium euadet peccator, quòd paucis delictis obstrictus teneatur; nam & propter pauca quoque condemnabitur, nisi eam cōfessionem, & pœnitentiam de paucis illis in medium adferat, quàm oportet. Siquidem ad tremendum illud tribunal constitutus, tanquam verè peccator, liberè pro se loqui non audebit.

Sæpe, qui minus peccarunt damnantur, qui verò magis seruantur, quia hi pœnitentia ducuntur, illi non item.

Etiam pauca peccata damnant si per pœnitentiam & confessionē non expiātur.

Vides hanc mulierem &c. Quasi dicat, tu ne illis quidem vsus es, quæ ad manum erant: aquam enim, quæ nusquam non obuia, facilimo negotio parari potest, pedibus meis non dedisti; hæc autem ea etiam effudit, quæ difficilimè habentur. Quandoquidem lachrymis pedes meos abluit: at tanta lachrymarum profusio, paratu minime facilis est.

Lachrymæ contritionis non facilè obtinentur.

Et capillis suis tersit. Nimirum quò per ea aucupetur sanctimoniam, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam. C Ad hæc despectui me habuisti: neque enim osculum mihi dedisti; neque oleo caput meum vnxisti; hæc autē cum omni timore & reuerētia osculata est pedes meos, osculóque delinitos vnguento inunxit.

Muliebres capilli pelliciunt ad noxam.

Et quia intra te aiebas: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum quia peccatrix est*; agnosce vel ex hoc tandem, quod illius peccata non ignorabam, quia tuas cogitationes cognosco. Quamobrem & te, & tua cogitata, tanquam omnium gnarus exploratè tenens, & peccatorum molem, qua hæc premitur, neutiquam nesciens, tibi dico: *Remittuntur ei peccata multa &c.*

Christus euidenti ratione ostendit, se mulieris peccatricis quæ illum tangebat, statum non ignorasse.

Et cœperunt qui simul &c. Per hæc Euangelista ostendit, D alios quoque vnà accubuisse, ad quos Christi verbū spectabat: Neque enim erat illud tanquàm vulgaris cuiuspiam Prophetæ; sed tanquam Domini, vnicuique, quod æquitatis ratio poscebat, distribuentis. Deposcebat hæc autem, vt eam, quæ confitebatur, quæ lachrymabatur, quæ ad Christi pedes sese abiecerat, quæ omnem honorem & reuerentiam eidem impenderat, vicissim in gratiam & amicitiam reciperetur.

Christi verba non arguebāt vulgarē prophetam, sed vniuersorum Dominum.

Mulier peccatrix credidit Christum esse verum Deum.

Fides tua te saluam fecit. Credidit enim illa Christum habere potestatem remittēdi peccata. Quod autem dicit: *Vade in pace*, idem est, quod *noli amplius peccare.*

CAPVT VIII.

E *ITER faciebat per ciuitates & castella.* Qui doctor è cœlo ad terram descenderat is ciuitates & oppida prædicans, & regnum Dei annuncians peragrabat; quò eos, qui vitam in terris degebant, ad cœleste regnum prouocaret: (Est interim ipsa etiam terra illius opus) quoque ij, qui per seductionem à cœlesti ordine, & tranquillitate exciderāt, per rerum terrenarum contemptum, animo ad cœlestia assurgerent.

Cur Dominus è cœlo ad terram descēderat.

Duodecim erant cum illo. Erant hi quidem cum illo; attamen verbi ministerium tum nō obibant; sed ea tantùm, quæ ad Euangelij doctrinā faciunt, discebant, & à Christo præceptore hauriebant.

Apostoli initio Euangeliū non prædicabant, sed discebant.

Et mulieres ministrabant ei de facultatibus suis. Mulieres, quæ

quæ Christum secutæ fuerant, administrabant illi de facultatibus suis: Christo & Apostolis non tam corporis solatia & fomenta exhibentes, quàm salutem ex Euangelij doctrina haurientes. Erogabant autem & insumebant, quæ in bonis habebant in egenorum vsum, quò compararent pietatem.

Qui sua in egenos exhauriunt, salutem & pietatem comparant.

Exijt qui seminat. Quod deiecti seminis similitudine; de lucerna accensa sub modio non recondenda; de matre & fratribus, qui cupiebant illum videre; de ventorum & fluctuum increpatione, de dæmonum legionem habente, & Gerasenis; de filia Archisynagogi & Hemorroissa; de duodecim Apostolis, eorundémque potestate & munere; de Herode Tetrarcha, & quinque panibus; de discipulorum responsione ad illud Christi; quem me dicunt esse turbæ; de Domini transfiguratione & lunatico; de eo tandem, quod discipuli de antecessione inter se versabant, in hoc & proximè consequenti capite certa quadam serie traditur, hoc totum in Euāgelio Matth. explanatum est iam antè.

Matth. 13. Matth. 10. Matth. 12. Matth. 8. Matth. 9. Matth. 10. Matth. 14. Matth. 16. Matth. 17. Matth. 18.

CAPVT IX.

PRæceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia. Quod de Ioanne fratre Iacobi, Dominum eiusmodi oratione compellante: *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nos,* Euāgelista hoc loco exponit, id nō ita accipiendum est, quasi Apostoli inuidia perciti, hoc dixerint: non enim inuidebant sed an alijs quoque munus hoc, Apostolis alioqui proprium, exercere liceret, à Christo discere cupiebant. Quamobrem ipsos eos de quæsito hoc anxios instituens, ita respondit: *Ne inhibeatis eum, qui conterit Sathanam in nomine meo:* talis enim vobis non aduersatur. Iam qui vobis, qui me diligitis, non aduersantur, pro vobis faciunt. Si qui enim sunt, qui quæ ad gloriam meam spectant, implere satagunt, illi non ex se, sed gratia mea præuenti, ea præstant.

Non sunt inhibendi qui conterunt Sathanam in nomine Christi. Nemo citra Christi gratiam, Christi gloriam quærit.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis. Ecquid est, quod de assumptionis illius diebus, Euangelista hic dicit? Aduentante iam tempore, quo eum salutarem crucem nostri causa subire oportebat, cœlóque repetito, Deo patri dextera assistere, constituit Hierosolymam ascendere; nec amplius huc illuc diuagari, vicósque & ciuitates obire: hoc enim denotatur verbis illis: *& ipse faciem firmauit, vt iret in Ierusalem.*

Quid denotetur per dies assumptionis Christi.

Et misit nuncios ante conspectum suum discipulos. Præmittit hos ad Samaritanos, vt denuncient, cupere se apud illos diuertere, & si repulsam istic accepturos non ignoraret. Facit hoc autem, tum vt omnem illis excusationis causam adimat, tum maximè, vt nonnulla hinc vtilitas ad discipulos accedat. Qui enim perpessionis tempus vicinum iam tum habens, Hierosolymam ascendebat, insanas Iudæorum furias ibidem experturus, ne indigna eum pati cernentes, offenderentur, neque, si qui ipsos aliquando, vel contumelia afficerent, vel iniustè insectarentur, animo frangerentur, aut patientiæ & mansuetudinis obliuiscerentur, propterea Samaritanorum petulantiam, quasi quoddam futurorum incommodorum præludium & præexercitamentum, venire permisit: tantum non eiusmodi oratione illos compellans: Quamuis Samaritani vos non exceperint, nihilominus meis, qui Dominus sum, vestigijs insistentes, æquanimiter, vt Sanctos decet perdurate.

Cur Christus miserit discipulos ad Samaritanos, cum certò sciret repulsam accepturos.

Igitur cùm ex discipulis eius quidam dicerent: *Domine vis dicamus, vt ignis descendat de cælo, & consumat eos?* acriter statim illos increpuit, celerémque eorundem bilem, vi quadam diuina compressit, ac, vt ad omnia aduersa patienter se præbeant, grauiter admonuit, non tum solùm, sed postea quoque, si forsan, dum sublunarem hunc orbem percursuri sunt, in impios quosdam quandoque incidant, qui diuini verbi prædicationem non ferant.

Dominus discipulorum bilem, vi diuina cōprimit.

Quod autem dicunt: *Vis dicamus, &c.* id arguit noui Testamenti gratia necdum fuisse imbutos, sed veteris consuetudinis imperfectioni obstrictos adhuc hæsisse. Dicebant hoc enim in Eliam, qui bis quinquaginta viros vnà cum ducibus illorum igne absumpserat, mentis oculum conijcientes.

Discipuli Christi initio imperfecti.

Domine sequar te, quocunque ieris. De hoc scriptum est ad Euangelium Matthæi, sicut de illo quoque, qui aiebat: *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.* *Cap. 8.*

Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt. Qui dicebat: *sequar te Domine*, promptitudinem sanè laude & æmulatione dignam ostendebat: at verò, dum ijs renunciare efflagitat, qui domi erant, animum declarat adhuc ancipitem, & certa quadam ratione diuisum. Nam domesticis, aut genere propinquis, qui perfectioris vitæ institutum plerúmque non probant, eiusmodi consilium velle communicare, istud est mentis etiamnum fluctuantis, & in religionis proposito nondum satis firmatæ. Quamobrem Dominus quoque petitionem illius istiusmodi oratione non iniuria excipit.

Velle domesticis valefacere, priusquā Christum sequare, id est animi parum adhuc in proposito firmi. Domestici sanguinéve coniuncti de religionis proposito consulti, in oppositā plerúmque partem impellunt.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Quemadmodum agricola, qui sulcum ducere, terrámque aratro proscindere orsus est, si ignauia victus, inchoatum opus ad finē vsque persequi destiterit, ex toto insumpto labore, agrum aristis luxuriātem nunquam cernet, neque vllum omnino fructum hinc colliget, sed illud præterea incommodum sentiet, quod apud eos, qui opus fœliciter semel cœptum, malè intermissum animaduertent, ridiculus fiet, ita quoque si quis Christum Deum sequi deliberatum habuerit, neque ab ijs omnibus tamen sese abdicauerit, quæ in mundo habebat, amicisque carnalibus, & iis præsertim, qui propositum illius auersantur, nuncium miserit, nihil ille vnquam toto illo laudabili proposito, magni, aut præclari efficiet, neque regno Dei capessendo vnquam idoneus euadet. Iniicit quidem manum aratro, quia promptum sectatorem spondet. Respicit autem retrò, quia per hoc quòd rem cum domesticis vult conferre, ijsdémque vale facere, dilationis & procrastinationis causam quærit. Tales profectò non erant S. Apostoli: nam vbi illi primùm Christum dicentem audiuissent: *Venite post me*, statim relicto patre, naui, & retibus, secuti sunt eum. Ad eum itaque modum illos comparatos esse decet, qui Christum ex animo sequi volunt.

Operam perdit, & damnum præterea sibi asciscit, qui inchoatum opus ignauia victus persequi omittit. Nemo potest Christum & mundum simul sequi. Quid sit retro respicere. Matth. 4. Apostoli semel vocati, promptè perfectéq; Christum secuti sunt.

CAPVT X.

POst hæc autem designauit Dominus, & alios septuaginta duos discipulos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Non citra causam Christus Deus, & Dominus noster duodecim Apostolis septuaginta duos discipulos adiunxit: Cernebat enim magnam eorum futuram multitudinē, qui olim in ipsum credituri erant. Tendebat enim non Israëli tantum retia, sed gentium quoque gregibus; Hæc ergo auctioris numeri ratio extitit. Quæ hinc consequuntur, vsque ad illud: *Nol te trāsire de domo in domum* (id quod vagorum, mercedémque ambientium est, & certæ nihilominus calumniæ expositum est) & hinc rursum, vsque ad illud: *Qui me spernit, spernit eum, qui misit me*, ea in Euangelio secundùm Matth. enarrata sunt.

Cur Dominus duodecim Apostolis 72. discipulos adiunxerit. Cap. 10.

Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio. Paulò antè septuaginta duos ablegasse exposuerat, nunc verò eosdem cum gaudio redijsse commemorat. Gaudij autem causa erat, quia ad illorum inuocationem diuina miracula consequebantur, dicebant enim: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Hoc autem aiebant, quia impensius gaudebant, quod signorum effectores euaserant, quàm quòd diuinæ prædicationis ministerium acceperant, Apostolicæque gratiæ communione digni habiti fuerant.

Septuaginta duo magis gaudent de signorum virtute, quàm de prædicationis munere.

Diabolum nemo mortalium videre potest.

Videbam Sathanam, veluti fulgur de cælo cadentem. Hæc Christi Domini oratio huc tendit: si dæmonum antesignanus & princeps è cœlo decidit, serui illius in posterum efficere quid poterunt? Dicit verò, se illum ruentem vidisse; siquidem alius, quàm iudex ille, qui sub aspectum non venit, eum videre omnino nequit. A

Dæmon sua voluntate obscurus & tenebrosus effectus.

Tanquam fulgur. Hoc addit, quia licet diabolus prauo voluntatis proposito, effectus sit obscurus & tenebrosus, secundum naturam tamen quandóque illustris & clarus extitit. Quod enim Deus condidit, hoc venustum & pulchrum erat: id autem, in quod draco ille infernalis seipsum transformauit, hoc malum & turpe est. Cùm

Facultas signorum à solo Deo demanat quare nemo ob illam efferre se debet.

tes ergo ita habeat, inquit, & ego is sim, qui eam vobis potestatem contuli, nemo vestrum seipsum admiretur, nemo se efferat, aut magni faciat.

Secundum beatum Cyrillum, potest hic locus aliter quoque exponi nempe vt sensus: Videbam Sathanam B sicut fulgur de cœlo cadentem, hoc est, è sublimi in terram; à gloria, ad ignominiam, à summa fortitudine, ad summam infirmitatem deiectum. Nam ante Christi Dei & Seruatoris nostri aduentum, toto passim terrarum orbe rerum potiebatur, colebatúrque ab omnibus propemodum gentibus & nationibus. Vbique extabāt delubra in illius honorem erecta, vbique aræ, vbique sacrificia. Posteáquam autem vnigenitum Dei verbum è cœlo descendit, ruit ille vt fulgur. Nam qui paulò antè eos omnes cultores habebat, quos malis artibus in errorem pertraxerat, is illorum pedibus nunc subijcitur, qui supplices olim, prostratique illum adorauerant.

Lætum dæmonis imperium ante Christi aduentum.

Serpentum & scorpionum nominibus dæmones significantur.

Et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones. Hæc idem illud, quod modò dicebatur, confirmant. Quod enim de serpentibus & scorpionibus hoc loco scribitur, hoc totum ad diabolum & dæmones, qui vnà cum illo à Christi Dei nostri seruis, à quo tantam illi potestatem acceperunt, calcantur, referendum est. C

Nolite gaudere quia spiritus vobis subijciuntur. Quasi dicat: cauete ne aliqua hinc inanis gloria in animos vestros irrepat: Nam si quid hoc est, aliorum est, eorum nimirum, qui sanitatis beneficium hinc consequuntur.

Gratia sanitatum, in aliorum vsum confertur.

Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Scripta sunt autem, non per calamum & atramentum, sed per Dei Opt. Max. memoriam, eiusdémque Dei gratiā & gloriam. Et quidem Diabolus è summo deorsum ruit, homines autem, qui deorsum in terris vitam degebant, inter cœlestes ciues censentur, & describuntur. D Vera itaque & solida lætitia est, supernè inscriptum esse. Inscribitur autem vnusquilibet eò verius & firmius istic quò Christi gratia & præsidio adiutus, plura hic illustrioráque opera ediderit.

Quo sensu iustorum nomina in cælo scripta dicantur.

Diabolus à cælo ruit in terram, homo è terra subuehitur in cælū.

Quæ hinc consequuntur, vt est illud: *In ipsa autem hora exultauit in Spiritu sancto*, & illud rursum: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, & illud tandem, quod de legisperiti interrogatione subditur, vsque ad illum locum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, hoc totum in Euangelio Matth. explanatum est.

Cap. 13. 22.

Iurisperitus à Christo laudatus in superbiam effertur.

Ille autem volens seipsum iustificare, &c. Iurisconsultus hic à Domino laudatus, in superbiam & arrogantiam prorumpit: ponit namque, se nullum extare, qui secundum exactam iustitiæ rationem cum illo conferri queat. E Hoc enim insinuat Euangelista dum ait; *Ille autem volens seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?* Hic legisperitus, scribit Pelusiota, solum iustum iusto proximum iudicat. Eum autem ille tantum iustum censebat, qui ad virtutum fastigium peruenerat. Neque enim hominum inter se cognationem, aut excellentiam ex natura, aut naturæ similitudine spectandam putabat, sed ex dignitate, & actione. Seipsum proinde iustificare, hoc est, iustum demonstrare, quantósque in virtutibus, aut iuris sapientia progressus haberet, ostentare volens, aiebat: *& quis est meus proximus?* quasi dicat: ostende mihi aliquem tantum, quantus sum ego?

Errant cum iurisconsulto Euangelico qui solum iustum iusto, aut excellenti excellentis proximum iudicant.

Dominus autem, tanquam rerum omnium opifex (ipse enim paruum formauit & magnum) propinquitatem A hanc non ex dignitate, vel præclara aliqua actione æstimari vult; sed ex naturæ conditione. Hominem itaque tantum non ita compellat: Nolo nunc dicere, quòd cæteris nihil præstes: neque, quod falso opinaris, studeo hic refutare; ne verè studio si fortè autument, charitatem vitæque integritatem proximo nihil debere; verùm detur, quod de virtute & dignitate persuasum habes, ratione niti: at tu interim operanda, vt egenti posthac proximus fias, non spacio aut loco tantùm, sed pia animi affectione, diligentique eiusdem cura præcipuè; huc enim exemplum, quod de Samaritano hoc loco adfertur, pertinet. Cùm ergo cognatio, de qua hic sermo est, non ex virtute, aut dignitate, vt dictum est, æstimanda sit; sed ex natura, commiserationisque & curationis ratione; tute illum potissimum tibi proximum iudicato, B qui opera tua maximè indiget, adeóque vt opem illi feras, ne tantisper, dum voceris, expectes; sed vltro occurras, manúmque porrigas.

Propinquitas spectanda in natura conditione virtus quàm ex præstanti actione vel morum similitudine.

Qua ratione homo, egenti se proximum ostendere debeat.

Ille censendus est proximus de quo bene mereri licet.

Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Hiericho. Quando Christus Dominus hominem ab Hierosolymis Hierichonta versum descendisse asserit, eius è supernis ad inferna descensum tacitè exprimit. Qui quidem descensus, per Adæ præuaricationem contigit. Hic enim è sublimi illa, pacatáque, & diuina paradisi habitatione (quæ Ierusalem, quæ Dei pacem denotat, haud incommodè appellatur) ad cauam illam humilémque, & ardore præfocatam Hierichonta prono lapsu decidit. Hiericho namque mundi huius vitam, miserijs & perturbationibus, quæ à Deo seiungunt plenam, significat. C

Hierosolymorum nomine Paradisus mysticè significatur hominum antè sanctū genus humanum.

Quid Hiericho denotet.

Et incidit in latrones. Latronum nomine agrestes, sæuásque dæmonum acies designat. Qui quidem dæmones hominem illum fortitudine, temperantia, cæterísque virtutum indumentis & ornamentis miserè exutum, peccatorúmque vulneribus dirè sauciatum, semiuiuum reliquerunt, & abierunt. Neque enim facile est illis, lethalia vulnera prius alicui inferre, quàm virtutum præsidijs & munimentis ipsum despoliarint. At verò vbi primùm virtutum arma abstulerunt, statim citra intermissionem cædunt & sæuiunt; neque antè cædendi & sæuiendi finem faciunt, quàm mortem intulerint. Neque enim contenti sunt solo virtutum spolio, verùm toti in hoc sunt, vt homini vitam adimant.

Latrones, qui hominem despoliarunt & vulnerarunt, dæmonum acies innuunt.

Dæmones post sublata virtutum præsidia, inferunt vulnera.

Dæmones non prius sæuiendi finem faciunt, quàm hominem perimerint.

D *Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem via.* Quandoquidem lex Leuiticum sacerdotium inducit; Dominus per sacerdotem & leuitam legis imbecillitatem, eiusdémque inutilitatem explanat. Neque enim plagas, illi qui in latrones inciderat illatas, sanare valebat. *Impossibile est enim, per taurorum & hircorum sanguinem auferri peccata.* Et quidem sacerdos sauciatum defixis oculis aspexit, verùm robore destitutus; neque perfectæ sanitati ægrum restituere, neque prostratum erigere potuit. Quòd enim præterijsse scribitur, id ita inde digressum subindicat, vt tamen vulneratum contueri nō omiserit. Constitit enim, & iacentem contemplatus est: imò verò sanandi animo eundem contrectauit, verum cùm se ad præstandam sanitatem impotentem animaduerteret, plagarum, hoc est, perturbationum magnitudine victus exterritúsque, retrorsum abijt, pedémque retulit, E hoc enim significatur vocabulo illo ἀντιπαρῆλθε.

Per sacerdotem & leuitam, ægrum prætereuntes legis infirmitas exprimitur.

Heb. 10.

Sacerdos leuiticus ægrum sanare voluit, sed non potuit.

At verò vbi ille, qui per massæ nostræ primitias, vniuersam naturam humanam induerat (in ea enim cuiusque gentis, hoc est, Iudæi, Samaritani, Græci, &, vt paucis dicam, omnium hominum pars quædam inerat) corpore, quod iumenti vice ipsi erat, loco hominis sauciati affecto, afflictóque sese applicuit, omnis mox vulnerum dolor, & sanies è medio facessiuit. Verè hic enim erat, qui ibat, sed non præteribat: quinimò dudio ob id iter isthac faciebat, quo eos inuiseret, propter quos è cœlo in terram descenderat; & apud quos rursum veluti hospes diuerteret. Neque enim posteáquam citra vllam prorsus sui mutationem, aut falsæ imaginis speciem,

Christus per massa nostra primitias vniuersam naturam humanā induit.

hominem

Christus Dominus probè benéque affecti medici munere perfunctus.

hominem semel induit, ab hominibus tantùm visus est, sed verè etiam inter homines conuersatus est. Enimuero legitimorum, benéque affectorum medicorum proprium est, familiariter cum ægris versari; neque prius eos deserere, quàm integram sanitatem recuperauerint.

Cur Samaritanus vino oleum admiscuerit.

Ob morbi magnitudinē summa lenitate & mansuetudine opus fuisse indicat Samaritatis enim locus nullus erat.

Infudit oleum & vinum. Vinum oleo temperatum, hoc est, doctrinam informandis animis idoneum, in ægri vulnera infudit: siquidem vulnus graue, & morbus quodammodo insanabilis, non ferebat illud purum, hoc est, excedentem illam astrictionem & acrimoniam. Quare cum publicanis quoque & peccatoribus accumbebat, cibúmque cum illis sumebat.

Christus, vt propria corporis membra nos portat.

Imponens illum in iumentum suum; hoc est enim in seipsum. Ipse enim veluti propria corporis sui membra nos portat.

Ecclesia omnes gremio suo complectitur.

B *Duxit in stabulum.* Hoc est in Ecclesiam, hæc enim cùm omnium capax existat, omnes intra gremium suum cōplectitur. Neque enim nunc amplius iuxta legalis vmbræ, typicíque cultus angustias, audimus: *Non introibit in Ecclesiam Dei Moabites, aut Amonites*, audimus autem: *Euntes docentes omnes gentes, &c.* rursum: *In omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Deut. 23.
Matth. 28.
Act. 10.

Christus versatur in Ecclesia ex gentibus congregata.

Et curam eius egit. Quomodo peculiarem illius curam habuit? Quia Christus ipse in Ecclesia ex gentibus, quæ in Idololatriæ sordibus sepultæ iacebant, congregata, versatus est iuxta illud: *Habitabo & ambulabo in eis*, omnémque spiritalem gratiam illi impertitus est.

Christus omnem gratiam impertitur Ecclesiæ.

Stabularij typum gerunt Apostoli, & illorum in munere successores.

C *Dedit duos denarios stabulario.* Stabularij typum gerunt Apostoli, & qui illos secuti sunt, Doctores & Pastores. Iis enim Christus Dominus ad cœlum ascensurus, obtulit duos denarios, mandatum dans, vt diligentem curam ægro impendant; certóque promittens, vbi redierit, se id totum cumulatè refusurum, quodcúnque supererogatum fuerit.

Per duos denarios, duo Testamenta exprimuntur.

Quomodo mystici denarij augeātur.

Cæterum per duos denarios, duo Testamenta designat, vetus nimirum & nouum; vtrúmque enim Dei est, & vtrúmque, vt legitima numismata solent, vnam eandémque Regis vnius imaginem & inscriptionem præ se fert, & eundem tandem per diuina eloquia, regni characterem cordibus nostris imprimit inducitque. His ergo denarijs acceptis, propriáque industria auctis, (eius enim naturæ est argentum spiritale) Domino ad vltimum diem reuertenti, singuli dicturi sunt: Domine duos denarios tradidisti mihi; ecce propriam industriam in medium conferens, eandémque hisce adiun-
D gens, lucratus sum alios duos: siquidem gregem tuum auxi. Quibus Dominus responsurus est: Euge serue bone & fidelis.

Deinde Domino ex legisperito sciscitante: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* illóque respondente, *qui fecit misericordiam in illum*, mox audiuit: *vade, & tu fac similiter.* Quasi dicat, & sacerdotij dignitas, & titulus rursum, noménque iureconsulti, res sunt, quæ paruam vtilitatem sacerdotibus & iurisperitis adferunt, nisi bonis operibus illa probent, & exornent. Cernis hinc ergo regni coronam ijs contextam & præparatam, qui proximum diligunt.

Sacerdotium & iuris sapientia parū prosunt, si bonorum operum ornamētis destituantur.

Illustre bonū & donum est hospitalitas.

Maria Martha ratione muneris prælata.

Natura paucis contenta.

Dum irent intrauit in quoddam castellum. Magna virtus, magnúmque & illustre bonum & donum est hospitalitas, quo Martha ornata, Dominum ipsum hospitio suscipere meruit. Interim quod Maria complexa fuerat, illud, Domino nostro Iesu Christo teste, excellētius erat. Maria enim, quæ ad pedes Iesu considerabat, verbáque eiusdem audiebat, Marthæ præclara est. Ad hanc enim dictum est: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima, &c.* Non ea de causa huc venimus, vt superuacaneis escis ventrem impleamus: natura enim paucis contenta est. Ad illam verò *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ecquænam erat pars illa? eloquiorum veritatis perceptio, diuinorumque mysteriorum contemplatio. Verumenimuero licet Dominus Mariam ob id, in quod ex instituto incumbebat, commendarit; Martham tamen ab eo, quod familiariter tractabat, non submouit. Ex quo coniectura fit, per duas has mulieres
A geminam nobis vitæ sortem ob oculos ponere voluisse: Alteram minorem, tametsi vtilissimam; alteram sublimiorem & spiritaliorem. Hæc circa cœlestia & spiritalia versatur; illa circa externa corporis ministeria.

Dominus Mariā Marthæ ita prætulit, vt tamē Martha munus non damnarit.

Duæ vitæ per Mariam & Martham designatæ.

Et qui Mariam, & qui Martham æmulantur vitā æternam promereri possunt.

Quilibet proinde nostrum vtrum ex his voluerit sibi deligat. Cui egenis ministrare, aut aduersa valetudine laborantes curare placuerit, Marthæ exemplum secutus, hoc vitæ institutum complectatur. Quodcúnque enim quispiam in Christi seruum contulerit, hoc in Christum ipsum redundat. Qui autem Mariam æmulari maluerit, quæ corporali ministerio posthabito, ad rerum spiritualium considerationem se contulit, animoso, candidóque pectore rem adoriatur. Contulit hac re Christus non parum quoque suis discipulis:
B ostendit enim quomodo, quáue ratione in illorum ædibus gerere sese debeant, qui, dum terrarum orbem prædicationis causa percurrent, eos hospitio excepturi sunt.

CAPVT XI.

DOmine doce nos orare. De oratione communi, déque altera illa, quæ dominica appellatur, perscriptum est ad Euangelium Matth.

Cap. 6.

Quis vestrum habebit amicum, &c. Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignauo, negligentique animo precationi insistamus; neve, si prima fortè oratione fusa, auditi non fuimus, secundam statim,
C tanquam quæ nullum nobis operæpretiū adferre queat auersemur, insulsè aliquid istiusmodi animo pertractantes. En sæpenumero iam accessi, lachrymatus sum, obtestatus sum, nihil vnquam hactenus consecutus sum. Non ita nos ratiocinari decet, cogitemus potius vniuersorum Dominum peculiarem nostri curam habere, quidque è re nostra sit adeóque quid concedere conueniat, probè nosse. Adde his, si lubet, nos ea frequenter petere, quæ modulum nostrum multis partibus excedunt.

Non est desistēdū, si semel aut iterum precati exauditi non fuimus.

Causa non vna, cur precantes non semper audiatur.

Impigrè constanterque precandum.

Minoris fiūt, quæ citra sudorem obueniunt.

Oratio quandam importunitatem deposcit.

Hæc igitur, aliáque similia animo versantes, orationi impigrè incumbamus, in eáque constanter perseueremus. Etenim quæ citra sudorem obtingunt, vel ex parato subministrantur, ea, vt non contemnantur, certè minoris plerúmque fiunt. Cùm enim dicit: *quærite*, labo-
D rem, cùm verò, *pulsate*, constantiam, & quandam importunitatem iniungit. E rebus igitur, quæ apud nos receptę sunt, quod vtile est, venari discentes, quæramus, pulsemus, & importunè insistamus.

Qui sint, qui media nocte pulsant & orant.

Et ibit ad illum media nocte. Hoc propter eos adfertur, qui circa vitæ catastropham peccatorum, quæ admiserunt, sensum capiunt, fidéque ad Christum sese adiungunt. Huc enim clementis Domini tendit oratio:

Christus Dominus omniū salutem sitit.

Amice commoda mihi tres panes. Amicus, cuius ostiū pulsatur, est Dominus, & Deus, & Seruator noster Iesus Christus, qui omnes diligit, omniúmque etiam eorum, qui in ipsum necdum credunt, salutem sitit. Per tres autem panes, fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum designat. Siquidem trium horum inuocatione
E sacrosanctæ, homousiæ, & viuificæ Triados constat professio.

Tribus panibus Trinitatis mysterium adumbratur.

Quis sit amicus ille, qui de via diuertit.

Amicus meus venit de via ad me. Per amicum, qui dé via hospitij causa diuertit, Angelum, vel Angelos, qui circa vitæ finem accedunt, vt nos secum assumant, haud incōmodè accipere possumus. Amant enim nos ipsi quoque déque salute nostra lætitiæ materiam hauriunt; notum est enim illud Christi: *gaudium est in cælo, &c.*

Luc. 15.

Quinam sint pueri illi, qui cum patre familias in cōclaui degūt, & dormiunt.

Pueri mei mecum sunt in cubili. Per pueros in conclaui quiescentes, describit conuersos, vt pueros; cuiusmodi sunt, qui simplici corde Euangelio credunt; atque ob id idonei habiti, qui pacatè cum Christo quiescant. Qua de re Saluator alicubi ita ait: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, &c.*

Matth. 8.

Propter improbitatem tamen eius surget. Improbitaris, vel impudentiæ nomine, hoc loen constantem prolixámque in oratione perseuerantiam designat.

Quis autem ex vobis patrem petet panem. De hoc loco, déque habente dæmnnium mutum, & alijs nonnullis, quæ hisce annectuntur, vsque ad illud: *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, perscriptum est ad Euangelium Matth.

Cap. 7. 9.

Beatus venter, qui te portauit. Cur muliere exclamante: *Beatus venter, qui te portauit, &c.* Christus Dominus intulit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* Conuenienti planè opportunóque tempore, hoc ab eo dictum est; quandoquidem non deerant per id tempus, qui Dei verbum adeò non audiebant, vt eos etiam in ius vocarent, palámque condemnarent, qui audiebant. Dominus autem oppositam quasi viam ingressus, illos præ cæteris beatos fortunatósque prædicat, qui Dei verbum audiunt, auditúmque custodiunt.

Cur Dominus dixerit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quin ob mutum quoqua & surdum, quem paulò antè sanauerat, illud dixisse videri potest. Hic enim Christi beneficio huc iam adductus erat, vt Dei verbum audire, & discere, audiendo verò & discendo, credere, credendo autem, operari, operando demum, gloriæ coronam cum ijs omnibus, qui Domini præcepta obseruant, consequi posset.

Gradus quibus ascenditur ad cælestem beatitudinem.

Generatio hæc generatio nequam est. Quæ de nequam generatione Christus Dominus hic docet, vsque ad illum locum: *Et erit lucidum totum, &c.* Ea in Euangelio Matth. iam antè enodata sunt.

Cap. 12. 6. 5.

Rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se. Cùm Pharisæi malitia simul & inuidia flagrarent, hominésq; auari, & fastu pleni essent, cur Christus Deus & Dominus noster, ab vno ex eorum grege, ad prandium vocatus, non recusauit, sed in domum illius ingressus, vnà cum cæteris accumbit? Non ideò hoc fecit, quòd illorum peruersitatem ignoraret; norat enim ille omnia. Verùm cùm eum docere & erudire in animo haberet, voluit rem hanc in spiritalis institutionis materiam & causam conuertere.

Pharisæi malitia & inuidia flagrant. Causa, cur Dominus cum ijs cœnam caperet, & familiariter ageret, quos improbos esse sciebat.

Pharisæus cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Pharisæus hic, quòd Dominus, antequam mensæ accumberet, non lauaret, offensus est. Sed admodum insulse. Faciebant hoc autem Pharisæi suo more (siquidem Moyses hunc ritum nusquam præceperat) rati omnes animi corporísque sordes per eiusmodi baptismata sese deponere, sed stolidè. Nam etsi ablutio, quæ per solam aquam fit, vtilis & salutaris sit ijs, qui corporis inquinamenta contraxerunt; attamen impuritatem, quæ cordi vel menti cohæret, expiare nequaquam valet.

Moyses de Pharisæorum baptismate nihil cauerat. Pharisæorum baptismata non expiabãt animorum sordes, vt falsò illi & stolidè persuasum habebãt sed corpus tantum.

Vos Pharisæi, quod deforis est calicis, &c. Hæc, & quæ sequuntur vsque ad illud: *Spiritus sanctus docebit vos*, in Euãgelio Matth. enarrata sunt.

Cap. 23.

A sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, qui peryt inter altare & ædem. Gregorius Nyssenus Zachariam, qui hoc loco inter aram & ædem trucidatus asseritur, Ioannis Baptistæ patrem fuisse autumat. Cędis autem causam idem Gregorius duplicem allegat. Alteram quòd sacratissiman Deiparam Mariam post immaculatum partum à loco, qui secundum legis præscriptum intra altare & ædem virginibus in templo assignatus erat, non remouerat: Alterum quòd illum ipsum, qui diuina dispensatione secundum humanam naturam verè ex illa in lucem prodierat, totius creaturæ Regem esse prædicauerat. Iudæi itaque cùm regium nomen exosum haberent, ac, ne principi cuipiam obnoxij fierent, timerent, Zachariam sacerdotem inter altare & ædem peremerunt.

Greg. Nyss. de Zacharia qui inter arã & ædem periisse scribitur sententia: sed apud veteres Latinos parum recepta. Peculiaris locus virginibus in templo Salomonis assignatur.

CAPVT XII.

Magister dic fratri meo, &c. Cur Dominus dicente quodam: Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, excepit, dicẽs: *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Quia prætermissis vtilibus, & ad animæ salutem facientibus, quę eum vel imprimis inquirere oportebat, de terrenis momentaneísq; anxius, Christum istiusmodi rerum sequestrem deposcebat. Ob hoc ergo tanquã importunum; neque quicquam, vt ea, quæ scire debebat, disceret, sollicitum, placido vultu illum à se dimisit.

Cur Dominus litem, quæ inter duos fratres de hæreditate intercesserat, dirimere noluerit.

Cùm autem hominem, propter repulsam, pusillanimem effectum animaduertisset, innata grauitate vsus, cùm illi ipsi, tum cæteris omnibus quoque qui vel tunc audiebant, vel in posterum audituri erant, suasit, ne fluxis istis caducísque rebus nimium sese dederent; neque propter eiusmodi res concertationem aliquam cum fratribus inirent, etiamsi qui plus iusto obtinere aliquando contenderent: Verùm dicti illius: *Volenti tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, memores, iniuriæ vltro cederent, eàque, quæ ad animæ salutem vtilia vel necessaria haberentur, studiosè inuestigarent, subdit porro.

Dominus rebus fluxis non nimium vult nos esse deditos. Iniuria iuxta Christi consilium, vltro cedendum. Matth. 5.

Videte & cauete ab omni auaritia. Per hæc insatiabilem illam habendi sitim, non secus atque quoddam diabolicum, plenéque inexhaustum barathrum deuitandam admonet. Quin sapiens Paulus quoque non alio, quàm idololatriæ nomine auaritiam designat: quasi eos tantum hoc morbo laborare conueniat, qui Deum nõ norunt. Vel ideò certè hac nota auaritiam explicat, quòd æquè ferè profanum & execrabile sit, seruire pecunijs, atque lignis, vel lapidibus.

Auaritia inexhaustum diaboli barathrum. Ephes. 5. Cur auaritia nomine idololatriæ ab Apostolo designetur.

Non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his, quæ possidet. Quomodo hominis vita in eo, quod ex substantia, quam possidet, ipsi redundat, non est posita? Quia vitæ mensura non extenditur cum opibus: ita nimirum, vt vita tamdiu perstet, quamdiu opes durant. Quemadmodum Dominus noster Iesus Christus, per similitudinem admodum appositam, quam hoc loco subiungit, clarè euidentérque demonstrat, ait autem.

Quo sensu vita hominis non est in abundantia eorum, quæ possidet.

Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, &c. Diligenter sermonis huius artificium rimemur, accuratéque vim illius expendamus oportet. Neque enim vnũ aliquod prædium tantùm spem Domini solatum narrat; sed vniuersum agrum vberrimos fructus fudisse commemorat, vt ingentem morbi animi magnitudinem clarius hinc perspiciamus.

Inexplebilis proprius auari animus.

Etenim qui tanta bonorũ copia vndequáque affluebat, animo adhuc angebatur, curísque immensis distrahebatur; aiebat enim: *Quid faciam?* Non enim spectabat ad vitam futuram, neque oculos in Deum conijciebat; neque vllo prorsus pauperum amore, aut cura tangebatur, neque vllam tandem gloriæ, quæ inde ad se redundare poterat, rationem habebat. Verùm omnia ad seipsum, suúmque commodum & vsum referebat. Et quod his omnibus absurdius est, longam sibi vitam promittebat: quasi illa quoque tanquam reliqua humi nascentia, è terra decerperetur; dicebat enim: *Dicam animæ meæ; anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?*

Auari diuites nullius rei, nisi sui tantum commodi & quæstus, rationem habẽt. Stultum est longam sibi vitam promittere.

Verè itaque dictum est, hominis vitam in eo, quod ex facultatibus, quas possidet, ipsi redundat, positam non esse, hoc est, non ob id quempiam diutius hic viuere, quòd multas habeat opes. Quamobrem, quod statim hic subditur, metuentes, nempe illud: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*, nunquam, quòd diuites aliquando fieri velimus, in animum inducamus. Profectò ter felix fortunatúsque est ille, opéque citra vllam controuersiam preclara nititur, qui secundum Deum diues est: sicut è diuerso verè miser & infœlix haberi potest, qui in alteram partem abductus est. Imò verò omnis eiusmodi amens & stultus est; quemadmodum regius quoque Psaltes, minimè obscurè alicubi id profitetur: *Verumtamen, ait, frustra conturbatur homo; thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*

Nemo quòd diues quandoque euadere velit, in animum inducat. Verè fœlix, qui in Deum diues est. Omnis auarus stultus & excors est. Psalm. 38.

Nolite solliciti esse animæ vestræ. Hæc, vsque ad illud: *hæc omnia*

Cap. 10.

omnia adycientur vobis, in Euangelio Matthæi explicara sunt.

Cur Sancti vocentur pusillus grex.

Nolite timere pusillus grex. Hoc est; noli diffidere, aut spem abijcere. Vocat autem Sanctos gregem pusillum; nam qui in voluntaria pauperrare, facultatúmque, quas obtinebant, abdicarione, ætatem transigunt, ij parui plerúmque in mundo fiunt. Aut ideo cerrè gregem pusillum appellat, quia totum genus humanum, nedum soli sancti, cum immensa illa Angelorum multitudine collatum, perexiguus grex est. Est enim illorum multitudo inctedibilis, hominum numerum infiniris pene partibus excedens. Cùm enim in parabola de centum ouibus, maius gaudium in cœlo esse assetitur, supra vna oue, quæ errauerat, reperta, quàm supra nonaginra nouem, quæ non errauerant, vniuersum hominum cœtum, qui in rerris versatut, ira ad innumeras illas cœlestium spirituũ cohortes sese habere indicatur, sicut se habet vnum ad centum.

Humanum genus cum Angelorum multitudine collatum exiguus grex est.

Vt se habet vnum ad centum, ita Angelorum multitudo ad hominum numerum.

Quia complacuit patri, dare vobis regnum. Quasi dicat: esto grex vester adeò pusillus sit; nihilominus benignitas Dei, quæ omnem rationem superat, illi ipsi quoque cœlestium spirituum, qui tanto interuallo excedũt, sortem, hoc est, cœlestis regni hæreditatem impartiri dignatur. Cùm ille ergo ranra, tamque illustria largiatur; quomodo fieri potest, vt è rebus ad caducam hanc virã necessarijs, nobis, quanrum sat est, prospicere omitrat; maximè verò si illud facere non detrectauerimus, quod mox consequitur, videlicet: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c.* de quibus vsque ad illud: *ibi & cor vestrum erit*, in Euãgelio Marthæi perscriptum est iam antè.

Benignitas Dei superat omnem rationem.

Qui diligentibus se promittit æterna non denegat quæ vitæ huic præsenti sunt necessaria.

Cap. 6.

Quid sit habere lumbos præcinctos.

Sint lumbi vestri præcincti. Quod de lumborum cinctu hic dicitur, id ad corporis lunibos, quasi eos præcingere iubeamur, referendum non est; sed ad alium sensum: vult enim animo prompto, & ad quoduis bonum, & laude dignum opus obeundum pararo nos esse.

Quid lucernarum nomine designetur.

Et lucernæ ardentes. Lucernæ hoc loco mentis vigilantiam, spiritalémque animi iucundiratem, & lætitiam denotant. Vult enim vt in virtutum studium impigrè incumbamus; externúmque & interuum sermonem, hoc est, tam eum, qui latet in mente, quàm eum rursum, qui ptodit ex ore, nunquam non splendentem habeamus: pérque vtrúmque ex æquo lucem fundamus: Siquidem, vt hic nos intus; ita ille foris illustrat alios. Sit itaque doctrinæ nostræ lucerna animata, quam actio deinde studiosa irriget, & nutriar, ne quando obscura & renebrosa euadat.

Externo internoque sermone lucere nos oportet.

Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Cœleste regnum nuptias vocat; eò quòd nihil prorsus abiectum, aut mæstum apud diuinam illam immorralémque naturam locum habeat.

Cur cœleste regnum nuptialis solennitatis comparetur.

Vt cùm venerit, & pulsauerit, &c. Hoc est, cùm in secũdo aduentu repente, & inexpectatè, & quasi intempesta nocte irruens foribus astirerit (per hæc namque incertus illius aduentus significatur) confestim aperiant ei.

Beati sunt serui illi. Illi, inquit, serui, quos pater ille familias; siue in secunda, siue in tertia noctis vigilia aduenerit, inuenerit vigilanres, hoc est, pararos, omníque virturum generi intentos, sunr verè beati.

Præcinget se, & ministrabit illis. Hoc est, pro merirorum ratione soluet præmia. Nam etsi mensam varijs donorum & gratiarum ferculis magnificè instructam, omnibus promiscuè apposirutus sir; attamen pro exhaustorum laborum quanrirate, singulis alias & alias spiritales delicias apponet.

Deus pro meritorũ ratione soluit præmia.

Etsi venerint in secunda vigilia. Primæ stationis vigiles, eos existimare licet, qui, quòd cæreris accuratiorem vitæ rationem tenuissenr, bonorúmque operum studio præ alijs excelluissent, primi ordinis mercedem consecuti sunt. Secundæ verò eos, qui infra primorum gradũ constituerunt; Tertiæ autem, qui his adhuc obscurius vixerunt. Sunt qui primam, secundam, & terriam vigiliam, ad diuersas ætatum qualitates referant. Et primam quidem ascribunt pueris infra pubertatis annos adhuc cõstitutis, secundam iuuenibus adhuc adolescentibus, tertiam adultæ firmatæque æratis viris.

Qui sint primæ stationis vigiles, qui item secundæ & tertiæ.

Diuersa noctis vigilia ad diuersas ætatum qualitates referri possunt.

A

Hoc autem scitote. Hæc cum cæteris, quæ sequuntut, vsque illud, *& partem eius cum infidelibus ponet*, in Euangelio secundum Matth. enarrata sunt.

Cap. 24.

Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Cur seruus, qui domini voluntatem non cognouit; plagis autem digna fecit, rationem reddere, pœnámque subire compellitur? Quia cùm domini voluntatem scire potuisset, discere neglexit. Iam si is, qui Domini volunratem comperram omnino non habuit, promeritam pœnam non euadet, quomodo ille dira verbera euasurus est, qui certò exploratam perficere non voluit?

Seruus Domini voluntatem ignorãs vapulat, quia eam discere neglexit.

Si Domini voluntatem ignorans vapulat, quid de eo fiet qui cõpertã calcat?

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Hæc clarè indicant, doctorum, pastorúmque iudicium, cæterorum non parum grauius, periculosiúsque forè. At qualia ea,

B

inquis, sunt quæ Dominus ab eiusmodi hominibus deposcit? Inter cætera deposcit ab illis fidem modis omnibus rectam; doctrinã ab omni errore alienam; spem erectam & firmam; inconcussam in rebus aduersis patientiam; infractam Spiritus forrirudinem; in omnibus denique præclaris virtutibus & actionibus promptum expeditúmque animi studium, quò Euangelicæ conuersationis exemplum alijs præbere queant.

Graue eorum iudicium futurum, quibus aliorum salus commissa est.

Cuiusmodi sint ea, quæ Deus à Doctoribus & Pastoribus deposcat.

Ignem veni mittere in terram. Hæc, & quæ sequuntur, vsque ad illud: *donec nouissimum minutum reddas*, exposita sunt in Euangelio Matthæi.

Cap. 10. 5.

CAPVT XIII.

C

Adfuerant autem quidam, illo ipso tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Credibile fir, Galilæos, quorum cruorem Pilatus sacrificijs admiscuit, ex eorum numero extitisse, qui erroneam Iudæ Galilæi, cuius beatus Lucas in Apostolorum actis mentionem facit, opinionem sectabantur. Cæterum Iudæ huius dogma, (si vera sunt, quæ Iosephus, circa Iudaïcarum anriquitarum finem, ea de re exponir) eiusmodi etat, vt aliquam pieratis speciem præ se ferre videretur. Docebar enim nullum omnino neque honoris, neque beneuolentiæ, neque vllius alterius rei causa, dominum aut Regem appellare fas esse. Imò verò eiusmodi nomina, ne ore quidem efferre licere. Vnde fiebar, vr mulri ex

Act. 5.

Cuiusmodi fuerit dogma Iudæ Galilæi.

D

ea secta, dura sæpe verbera, grauissimásque fustigariones, ea sola de causa subire compellerentur, quòd Cæsarem dominum vocare nollent.

Iidem illi nulla omnino sacrificia Deo offerri volebant, prærer ea, quæ in Moysi lege decreta extabant; ea propter omnia illa sacra & sacrificia, quæ seniores populi pto Imperatoris populiq; Romani salute & incolumitare instituerant, aperrè inhibebant. Verisimile fit ergo, Cæsarem ob hoc indignatum, Pilaro iniunxisse; vt iuxra sacrificia, quæ secundum Moysi legem offerre videbanrur, illos trucidari, eorúmque, qui offerebanr, cruorem, vnà cum illis ipsis sacrificijs, quæ offerebant, misceri curatet.

Iudæi pro Cæsaris salute sacrificia offerebant.

Qua de causa Pilatus Galilæorum sanguinem miscuerit eorum sacrificium.

Quia ergo supplicium hoc, conseruandæ religionis

E

causa irrogarum censebatur; adfuerunr, qui Christo Seruatori nostro illud denunciarent; cognoscere ex illo volenres, quidnam ille de eo facto sentiret, pleriq; enim è populo cæsos, iustè propter peccara sua è medio sublatos, iudicabant; vt qui sedirionem in populo concitassent, principésque & magistratus in subdirorum odiũ coarmassent, & irritassent. Dominus aurem ponir quidẽ peccasse addit nihilominus, non ideo hæc tam dira illos perpessos; quasi cæteris omnibus, qui similia perpessi non fuerant, sceleratiores extirerint.

Dominus non negat Galilæos, quos Pilatus trucidarat, peccasse, negat autem omnium maximè peccasse.

Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, &c. Hoc dicto populares ab intestina seditione, quam pieratis prætextu incendebant, auerrete studet. Illud enim: *nisi pœnitentiam egeritis*, idem sonat, quod: nisi à seditionibus illis concitandis animum in posterum seuocaueritis, cri-

Dominus graui comminatione dehortatur Iudæos ab intestinis seditionibus, quas

pietatis prætextu nonnullos concitabat.

stásque aduersus principes & legitimos magistratus erigere desieritis, (id quod diuinæ voluntati omnino dissentaneè facitis) omnes simul peribitis, vestérque sanguis vestris sacrificiis permiscebitur.

Sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloë. Turris, quæ in Siloë lapsa, ruina sua decem & octo homines oppressit, non oppressit illos, quasi hi soli cæteros omnes scelere & nequitia vicerint, (negat hoc enim dominus) verùm per paucorum necem omnibus, qui Hierosolymorum ciuitatem incolebant, exemplum propositum est. Vna enim turris comparatur cum tota ciuitate; decem rursum & octo homines, cum vniuerso ciuitatis populo, Quò nimirum pars exterreat totum. Quia ergo perfidia & incredulitas habitatoribus Ierusalem vsque adhærere perrexit, & ipsi vnà cum illa paulò pòst in idem incommodum inciderunt, in quod turris, & decem & octo; cùm nimirum Titus euersa ciuitate, ingentem populi multitudinem neci dedidit.

Quo consilio Dominus attulerit exemplum turris quæ in Siloë prolapsa decem & octo homines obtriuerat.

Dicebat autem & hanc similitudinem: arborem fici, &c. Hac fici similitudine notatur sterilitas ciuitatis Hierosolymorum, vt quæ amara tantùm folia, hoc est, quendam externum tantùm virorem, ne prorsus infructuosa videretur, fuderit, fructum verò omnino nullum.

Arboris ficulneæ sterilitas, Iudæorum sterilitatem denotat.

Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum, &c. Appositè tertiò se venisse asserit. Venerat enim per Moysem, per Prophetas, & per se ipsum. Euangelica ficus, scribit Pelusiota, est humana natura; paterfamilias, Deus pater; vinitor vitísque cultor filius Dei, qui è cœlo aduenerat, quò hanc vineam, ficúmque in ea plantatam, & à patrefamilias tanquam inutilem exscindi iussam, excoleret, & repurgaret.

Dominus visitauit Iudæos per Moysen, prophetas, & seipsum.

Quid per ficum designetur secundum Isidorum Pelusiotam.

C *Dicit illi: domine dimitte & hoc anno.* Quasi dicat: si per legem, & prophetas, meliores effecti non sunt: neque vllos fructus pœnitentiæ dignos ediderunt, forsan mea nunc doctrina, meóque sanguine irrigati, fidei obedientiæque fructum ferêt. Quod si secus; in posterum illam exscindas, hoc est, in futuro seculo è iustorum sorte eos proscribas.

Christus Dominus intercedit apud patrem pro ficu & vinea.

Cæterùm vt contingit triplex insignis visitatio, ita triplex quoque legis præuaricatio. Prima ex his accidit in paradiso, quando præceptum, quo cauebatur, ne quis de ligno, quod erat in medio paradisi gustaret, violatum est. Secunda in deserto; quando lege iam lata, per summam Iudæorum impietatem, diuinus cultus delatus est inanimi vitulo. D Tertia in legis gratiæ exordio, quando ijdem Iudæi Rege gloriæ negato, fœdéque repudiato, clamauerunt; *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Iudæis accidit triplex insignis præuaricatio, & triplex item visitatio.

Ioan. 20.

Dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Per stercora, vt placet Gregorio Theologo, designantur lachrymæ, & gemitus & humi cubationes, & vigiliæ, animæque & corporis extenuatio, totiúsque adeò vitæ per veram confessionem, humiléinq; conuersationem emendatio.

Et ecce mulier, quæ habebat Spiritum infirmitatis. Mulier hęc sæua dæmonis tyrannide, & improbitate hoc corporis vitium contraxerat. Huc enim tendit illud Christi Domini: *Quam alligauit Sathanas ecce decem & octo annos.* Solet is enim varios humanis corporibus morbos adferre. E Fieri autem potest mulierem hanc, ob grauia quædam flagitia, in quæ inciderat, tot annos à Deo desertam neglectámque fuisse. Vtcunque res habet, voce certè diuinissima cœlestíque potestate plenissima, Dominus fœminæ huius infirmitatem è medio profligauit.

Dæmon varios morbos humanis corporibus adfert.

Grauia flagitia sæpe in causa sunt, vt homo tradatur in dæmonum potestatem.

Et imposuit illi manus, & confestim erecta est. Manus imposuit, vt hinc discamus, sacrosanctam Christi carnem diuini verbi virtute & energia polluisse. Erat enim Verbi propria, & non alterius cuiuspiam filij, ab illo distincti, seorsúmque, & per se subsistentis; vt impijssimè quibusdam visum est. Quæ de Archisynagogo & Sabbato hic subduntur, ea in Euangelio Matthæi iam antè enarrata sunt.

Christi caro diuina virtute polluebat.

Christi caro diuini verbi caro erat, & non alterius cuiuscunque.

Et omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant A *ab eo.* Rectè hoc; quandoquidem opera admiranda, quæ faciebat, soluebant omnem prorsus quæstionem, & dubitationem, apud eos præsertim, qui animo subdolo maléque affecto non quærebant. At verò principes Synagogæ toti in hoc erant, vt violatæ legis prætextu aliquam Domino calumniam intenderent.

Pharisæi opera Christi de industria calumniantur.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. De hoc loco & de fermento, vsque ad illud: *Sunt primi, qui erant nouissimi*, scriptum est in Euangelio Matthæi.

Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Pharisæi inuidia concitati, hæc Christo denunciant; quia tota vi ad hoc intenti erant, ne qui vllum omnino, siue ex diuinis illius miraculis; siue ex doctrina, quam legali multis partibus excellentiorem tradebat, fructum caperent. Quòd enim aiebant: *Herodes vult te occidere*, hoc B ideo dicebant; quia malitiam, quam in pectore fouebant, honesto titulo prætexere cupiebant. Quare Dominus huius rei non ignarus; vt qui vnus mortalium omnium corda & renes scrutari soleat, more suo placidè, non tamen absque quadam obscuritate respondet, dicens.

Pharisæi operam dant ne qui ex Christi signis, aut concionibus fructum capiant.

Cur Pharisæi Christo denunciant, vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

Ite, & dicite vulpi huic, &c. Videri poterat, totam orationis vim, in vnam Herodis personam conuertere: & ita arbitrati sunt nonnulli, & tamen contra Pharisæorum prauitatem dirigit illam verius, quàm contra Herodem. Neque enim aiebat, dicite ἀλώπεκι ἐκείνῃ, vulpi illi; sed ἀλώπεκι ταύτῃ, vulpi huic. Enimuero quò improbæ fraudis commentatione Pharisæos vulpibus similes clarè ostenderet, summa industria media qua- C dam voce vtebatur. Nam vt vulpes bestia est, nunquam non callida & versipellis, ita Pharisæi quoque.

Dominus sub persona Herodis perstringit Pharisæorum improbitatem.

Pharisæi vulpibus similes.

Rati illum ergo, qui virtutum est Dominus manum Herodis veritum, solum verturum; *Vade hinc*, dicunt, *quia Herodes vult te occidere.* At is nihil ea comminatione exterritus, id modis omnibus expletum iri denunciat, quod Pharisæorum cuneo mœstitiam nequaquam paruam allaturum sciebat; ait enim: *Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio.* Nam, vt modò dicebatur, ob id illum abactum cupiebant, ne admirabilium operum demonstratione vsus, multos ad fidem pertraheret.

Pharisæi frustra nituntur Christum per Herodis formidinem à benefaciendo absterrere & in fugam agere.

Tertia die consummor. Per hoc indicat, quò mundus per ipsum seruetur, sponte se crucis tormenta subire.

Dominus sponte se in mortem offert.

Veruntamen oportet me, &c. τὸ oportet non denotat hîc D ineuitabilem aliquam necessitatem, quæ Christum vi quadam ad hoc vel illud impulerit. Constat namque in libera voluntatis illius potestate situm fuisse, liberè inoffenséque, quocunque libitum fuisset, concedere, totámque Iudæam, nullius prorsus insultu, aut insidijs impeditum, dum per pretiosam tandem crucem vitæ finem facere voluit, peragrasse.

Christus Dominus nulli fatali aut alteri cuicunque necessitati subiacebat, sed per omnia & in omnibus sui iuris & liber erat.

Hodie, & cras, & sequenti die. Hæc non vnius, aut alterius diei tantùm; sed plurium dierum spacium significant.

Hodie & cras non hodiernum præcisè, sed breue tempus in Scripturis denotant.

Non capit prophetam perire, extra Ierusalem. Hac oratione Dominus Hierosolymam multarum cædium & sanguinum sanctorum ream pronunciat, subindicátque se ipsum quoque prophetarum omnium dominum E haud alibi, quàm istic, mortem perpessurum. Quod autem dicit non capit, vel non contingit, &c. Nemo ita accipiat, quasi Iudæi vi aliqua fatali adacti sint in Sanctos sæuire; dictum est autem propter certam veritatis cognitionem; quatenus nimirum Christus Dominus sanguinariam illorum voluntatem exploratè compertam habebat.

Hierosolyma, multorum Sanctorum cædium rea.

Quo sensu dictum sit non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

Ierusalem Ierusalem, &c. Hoc totum, vsque ad illud: *benedictus qui venit in nomine Domini*, expositum est in Euangelio Matthæi.

CAPVT

CAPVT XIIII.

Dominꝰ Pharisæos tametsi peruersos, familiarē se exhibet, quò hac ratione illos lucrifaciat.

Pharisæi obseruant Christū aliquod ne contra legis reuerentiā designet.

Dominus magis intentus vt egentibus benignè faciat, quā vt falsas Pharisæorum calumnias depellat.

E*T factum est cum intrasset Iesus in domum cuiusdam principis.* Dominus noster Iesus Christus à Pharisæo, qui inter sui ordiois homines principem locum obtinebat, Sabbato denuò inuitatus, peruersitatem illorum nihil moratus, accedere non detrectat. Imò verò quo aliquam vtilitatem is adferat, familiarem & quasi domesticum se illis exhibet, nempe vt virtutis simul & gloriæ illius omni humana maioris spectatores effecti, eum, qui ad nostram similitudinem sese demiserat, ab eo interim, quod erat, noo discedens, verum Dei filium esse credant.

Et ipsi obseruabant eum. Obseruabant, ne legis reuerentia contempta, aliquid die Sabbati patraret, quod per legem fas oon erat. B Christus autem Dominus magis intentus, vt nonnullis benignè faciat, quàm vt stultam illorum reprehẽsionem depellat, aut declinet; consilium illorum, qui parati aderant illum in ius vocare, si quod fortè beneficium die Sabbati in aliquem contulisset, væsanum esse palàm ostensurus, percunctatur ex illis; Sabbatóne curare liceret. (Nam, vt Euangelista scribit, *homo quidam hydropicus iacebat ante illum*) cùm illi verò callidè, malignéque tacerent, Dominus præfractam illorum impudentiam euidentibus, planéque necessarijs rationibus impetit. Eius autem ratio huc tendit: Si lex inhibet misericordiam præstare Sabbato, cur tu Pharisæe eius misereris, qui in puteum decidit; neque, siue puer sit, quod in id periculi deuenit; siue aliud quodcumque istiusmodi, Sabbato inde extrahere vereris? C Nuncio proinde Pharisaïcæ inuidiæ misso, eum, qui aqua intercute laborabat, è vestigio à morbo liberat.

Amentia indicium est honores nullo iusto titulo debitos ambire.

Alteri potiorem deferre, & tutum, & apprimè honorificum est.

Præclarum bonū animus sua sorte contentus.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Quòd Dominus de inuitatis hoc loco dicit, obseruans, quomodo primos accubitus ambiebant, leue fortè, paruíque momenti quibusdam videri qoeat. Verùm qui mentis oculum accuratè in illud defigit, is demum quanto probro dedecoréque homioem liberet, quantúmque decus & ornamentum eidem concilier, animaduertit. Constat namque, manifestæ amentiæ indicium esse, honores nullo iusto titulo debitos temerè ambire. Pertracta tecum, quanta cum turpitudine coniuncta res sit: quando honoratiore quopiam adueniente, is, qui vtrumque inuitarat, illi; qui in primam sedem inuaserat, dicit: facesse D hinc, da huic locum. Ille porrò cordatus, summáque admiratione dignus censendus est, qui cùm primæ sedis honorem iure promereatur; attamen ne ambitionis morbo teneri videatur, adeò illum non affectat, vt vltro quoque alijs deferat. Talis enim delatū honorem quasi debitum recipit, omnique iure; *Amice ascende*, audit. Quapropter magnum præclarúmque booum est, animus modestus, suáque sorte contentus.

In humanis nō omnis, qui se exaltat, humiliatur, aut qui se humiliat, exaltatur.

Hospitalitas res fructuosa, & æmulatione digna.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Hæc ad diuinom iudicium referenda sunt; siquidem in humanis, non semper id locum habet. Comperiuntur enim oon raro, qui ambitum mundi honorem adipiscantur. Verùm hic honos, res est nullius ferè ponderis.

E *Cum facis prandium aut cœnam.* Cœlesti doctrina, de salutari animi submissione, & humilitate tradita inuitatis, nuoc documentum apprimè vtile ijs suggerit, qui alios inuitant. Ostendit autem, beneuolam hospitom susceptionem, rem esse omni studio, & æmulatione dignam, oppidóque fructuosam; etsi eiusmodi fructus non statim semper appareat.

Non idē omniū inuitantium scopus, nec idē etiam animus.

Sunt qui inuitant, vt vicissim inuitentur, & hi parum præstant.

Salubriter inuitant, qui egenos ad cœnam vel prandium vocant.

Exponit deinde, non vnum omnium inuitantium scopum; nec idem omnium ingenium esse. Comperiuntur enim inter illos præcelsi ingenuique comperiuntur rursum vilis abiectique animi. Hi amicos, vel fratres, vel cognatos, aut vicinos tantùm ad cœnam, vel prandium vocant: & quidem eo id animo, vt statim oblata occasione, vicissim ab illis inuitentur. Illi verò id, quod multis partibus præstantius, & magnificentius est, faciunt. Etenim Christi Domioi doctrinam secuti, A suam in pauperes, debiles, claudos, cæcos, aliósque eiusmodi, à quibus oullam retributionem sperare licet, benignitatem exercent; adeóque ex eorum albo se esse probant, quibus Deus in futura vita mercedem se redditurum, alicubi promittit.

Fructuosiora sunt, quæ pauperibus propter Deū impenduntur, quā quæ in amicos conferuntur.

Cæterùm Christus Dominus hæc ea de caosa noo monuit, quasi sanguine, vel alia necessitudine coniunctos, conuiuio excipere, vel alio modo honorare, non liceat; licet id enim: Verùm docere per hæc voluit, beneficia, quæ in amicos, vel cognatos conferuntur, in altera vita ea mercede non pensari; neque ea rursum commoda adferre, quæ solent illa, quæ pauperibus propter Deum impenduntur.

Sanctorū præmia non constant rebus corporeis.

Beatus qui manducabit panē in regno Dei. Qui hæc dicebat, B necdum spiritalis, sed totus adhuc animalis; adeóque, qui exactè ea caperet, quæ Iesus proponebat, minimè idoneus erat. Arbitrabatur enim, Sanctorum retributionem rebus corporeis constare. Christus proinde Deus noster ijs, qui tum præsentes aderant, parabolam contexit; qua œconomiã totius mundi causa susceptam, admodum appositè conuenientérque ob oculos ponit. Est autem ea eiusmodi.

Parabolæ & similitudines, non sunt res ipsa, sed rei tantū vmbra.

Cur Christi œconomia cœna familiaris appelletur quā prandium.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Per hunc hominem Deum patrem, denotatum existimare licet. Imagines namque ita ad veritatem exprimendam effinguntur, vt tamen non sint ipsa veritas. Hic ergo vniuersorum opifex, gloriæque Dominus fecit cœnam magnam; hoc est, vniuersalem toto terrarum orbe, propter C Christi œcooomiam, solennitatem instituit. Vocat autem festum hoc cœnam, oon prandium; quia in nouissimis sæculi diebus, & quasi ad æui nostri occasum, Dei Filius apparuit nobis. Quo etiam tempore mortem nostri causa subijt, suámque carnem in cibum oobis proposuit.

Pater misit Filiū in mundum, tanquā seruum, quia serui forma illum induit.

Et vocauit multos, nempe totam Iudæorum multitudinem. Et quisnam ille erat, inquis, quem pater misit, quem suum, quoque seruum appellat? Ipsemet Christus. Hic enim, cùm Deus esset natura, verúsque & naturalis Dei Filius, forma serui accepta, seipsum exinaniuit.

Cuiusmodi fercula inferantur in cœnam Dominicam.

Quia parata sunt omnia. Ecquænam suot fercula illa, quæ ad cœnam vocatis parata denunciantur? Quæ alia, quàm peccatorum remissio, Spiritus sancti communicatio, adoptionis gratia, regnum cœleste, aliáque D eiusmodi. Ad hæc omnia enim Christus Dominus per Euangelica oracula inuitauit omnes; præ cæteris autem Israëlem.

Cur Iudæi ad mysticas Seruatoris nuptias vocati, Dei consilium cōtempserint.

Pharisæi auaritiæ dediti, et præ cæteris increduli.

Et cœperunt simul omnes excusare. Hoc est, vniuersi, quasi ex condicto, communique pacto, vocationem spreuere. Cur ita? quia mente excussa villis, agriculturæ, liberorum procreationi, aliísque id genus terrenis rebus perditè affixi hærebant.

Cæterùm per eos, qui amicè accersiti, venire detrectarunt, seséque malè excusarunt, Iudaïcæ Synagogæ proceres, haud incommodè acceperis. Erant hi enim præ cæteris pecuniæ, & auaritiæ dediti, totique in vnum hoc intenti; quo etiam nomine grauiter passim in diuinis literis perstringuntur. Hoc itaque morbo infecti, E duráque & infracta incredulitate acti, extra hoc festum manserunt, magnámque hanc cœnam, in conuicia versi, turpiter aspernati sunt.

Cuiusmodi fuerint illi, quos vocatores in vicis & plateis abiectos comperêrunt.

Multi ex Iudæorum plebe, in Christum crediderunt.

Exi cito in plateas, &c. Pharisæorum procerúmque Iudæorum loco vocati sunt, qui ægri, abiectíque in vicis & & plateis iacebant, hoc est, illi, qui ex Iudaïca multitudine habebantur infirmiores, mẽtémque, vsque ad illud tempus, obtinebant claudam, magnáque caligine obscuratam. Nam paulò post, per fidem in Christum sani, robustíque effecti sunt. Etenim lumine diuino intra se recepto, recta vestigia figere edocti sunt. Quòd autem quàm plurimi ex Iudæorum plebe crediderint, hoc quiuis facilè, si sanctorum Apostolorum acta percurrerit cognoscere quiuerit.

Exi in vias & sepes. Cùm sua natura benignus & bonus

Cuiusmodi fuerint, quos serui patrisfamiliás inuenerunt in publicis vijs & sepibus.

sit Deus, in publicas quoque vias, & sepes emittit vocatores. Significatur hoc autem, post Israëlitas per fidem introductos, gentium quoque populum fuisse vocatum Siquidem Iudæis intro iam receptis, seruus ait: *Domine factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.* Porrò autem, qui ex gentibus vocati, ad cœnam hanc venere, illi mente erant agresti, animóq; efferato, quasi extra vrbes, absque vlla prorsus ciuilitate nati & educati. Neque enim vllis omnino bonis legibus, aut moribus vtebantur: Verùm pecudum more, in magna quadam rationis caligine & amentia versabantur.

Fides inter dona diuina ferè præcipuũ.

Et compelle intrare. Bonus hic pater gentes, non simpliciter ad cœnam vocari, sed compelli quoque vult. At dicis: Cùm credere vnicuiq; sit liberum; imò verò cùm donum hoc non sine precibus à Deo obtineri soleat; quippe quod inter cætera charismata, quæ nobis ab illo B obueniunt, præcipuum ferè existat, quomodo dicit; compelle intrare? Quadã orationis figura istuc dicitur.

Quo sensu gentes ad cœnam intrare cõpulsæ sint.

Potẽs vocatio compulsionis nomine significata.

Quia enim gentes intoleranda quadam errorum seruitute tenebantur, diabolo subditæ, Dei autem diuinæque cognitionis prorsus erant ignaræ, propterea validiori quadam vocatione egebant; tali nimirum, quæ aliquam compulsionis speciem præ se ferret; quò vel hac ratione tandem aliquando ad eum respicerent, desertísque antiquis erroribus, aliquem doctrinæ cœlestis gustum caperent, atque è diaboli vnguibus, quibus antè constringebantur, euadere quandoque possent.

Natura ad meliora vtendum.

Quid liberi parentib. quid parentes rursum debeant liberis.

Vxor marito timorẽ, maritus vxori amorem debet.

Quo sensu iubeamur parẽtes, cæterósque coniunctos odisse.

Si quis venit ad me. Cùm hominum amator, Christus Dominus hoc loco dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c.* Neque naturam vult nos ignorare, neque naturæ rursum vult nos seruire; sed natura ad meliora C salutíque viciniora vult nos vti. Etenim vt liberi patentes venerētur, eorundémq; mandatis obsequantur; parentes verò liberos alant, & instituant, hoc expressum Domini decretum est. Pari modo, vt vxores maritos suos timeant, mariti verò vxores suas diligant, id diuinus Apostolus disertè præcipit. Neque enim fidei domesticis, fidei domesticos odio persequi, licet. Domini autem oratio aliud nihil à nobis exigit, quàm vt eos auersemur, qui fidem nostrã in Deum impedire, aut ab ijs rebus auertere nos student, quæ ad animæ salutem sunt necessaria; tum ne eò vnquam nos abduci sinamus, vt propter qualemcumque carnalem amorem, eam dilectionem negligamus, aut contemnamus, quam debemus Christo.

Quomodo eos cõparatos esse conueniat, qui mysticam turrim ædificare, hoc est, aliquod religionis institutũ, complecti volunt.

Eccles. 2.

D *Quis ex vobis volens ædificare turrim, &c.* Quod per turris ædificationem nobis hîc adumbratur, eiusmodi est: Qui præclaram illam inculpatámque viuendi rationem capescere in animo habet, illi promptitudinem, quantam lat est, mente concipiant, necnon in medium adferant, oportet: debéntque beatum illud vitæ institutum ea ratione complecti; vt dictum illud sapiẽtis, subinde secum pertractent: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, deprime cor tuum & sustine.* Quod si qui sunt, quibus ea animi promptitudo non adest, quomodo, quæso, illi ad scopum sibi propositum, aliquando peruenire poterunt?

Ephes. 6.

Cum quibusnam hostibus, in mortali hac vita homini iugis sit lucta.

Aut quis rex iturus, committere prælium, aduersus alium regem. Per hæc indicatur, certamen nobis esse cum aduersis potestatibus. *Non est nobis colluctatio,* scribit Apo- E stolus, *aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates.* Tum rursum cum prudentia sensúq; carnis, hoc est, cum lege illa, quæ in membris nostris grassatur, plurimásque animi perturbationes intestináque prælia, quotidie istic excitat. Cùm his ergo assidua nobis est lucta. Hæ efferæ illæ, sæuæque hostium copiæ sunt, quæ nobis aduersantur.

Quibus armis spiritalis hostis debellandus.

Psal. 117.

Psal. 28.

Quomodo autẽ hos superabimus? si certò credemus, in Deo nos facturos virtutem; ipsúmq; eos omnes, qui nos vexant, in nihilum redacturum. Hac ratione sanctus Propheta Dauid seipsum solabatur: *Dominus,* inquit, *mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos;* & alio rursum loco: *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* Ipse enim nostra est fortitudo. Ipsum proinde adiutorem nacti, nullam cum A inimicis nostris dæmonibus pacem ineamus (nam cum dæmone, vel carne pacem habere, aliud nihil est, quàm dæmoni, vel carnis sensui obsecundare.) Quin potiùs præpotentis Dei nostri auxilio, toto animo, indefesséq; implorato, viriliter illi obsistamus. Quę hinc sequuntur, vsque ad parabolam de ouibus, hoc est, vsque ad illud: *quàm supra nonaginta iustos, qui non indigent pœnitentia,* ea in Euangelio Matthæi exposita sunt.

Quid sit cum dæmone vel carne pacem habere.

Cap. 18.

CAPVT XV.

Gregorij Theologi sententia de drachma perdita.

Lucerna accensa deuotat Christi humanitatẽ, domus mundũ, drachma genus humanum.

QVÆ *mulier habens drachmas decem, &c.* De hac drachma, Gregorius Theologus scribit ad hunc modum: Christus Deus noster accẽdit lucernam, hoc est, suam ipsius carnem, mundúmque, quæ domus illius est, euertit, hoc est, à peccatis expiauit; & drachmam, quæ regia quidem imagine insignita erat, verum perturbationum cœno pœnitus obruta, quæsiuit. Drachma autem inuenta gaudio plenus, conuocauit cœlestes virtutes: amat enim illas, conceptæque lætitiæ easdem participes, mysteriorúmq; œconomiæ suæ conscias reddidit.

Vniuersũ mortalium genus in duos ordines deducitur.

Filius adolescentior non ætate sed sensu adolescens erat.

Homo quidam habuit duos filios. Quæ de duobus filijs hîc dicuntur, ea ad vniuersum mortalium genus referri possunt. Constat enim illud in duos ordines deduci: Horum alter complectitur iustos: alter peccatores. Pater autem humanæ naturæ, est benignus Deus.

Et dixit adolescentior. Adolescentior, qui patrem accessit, non ob ætatis infirmitatem; sed ob mentis imbecillitatem, animíque inconstantiam impubes vocatur.

Liberæ voluntatis conditi sumus.

Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Quasi dicat: posteaquam liberæ voluntatis conditus sum, nolo coactus seruire. Si voluero, temperans ero, sin id autem noluero, compelli non volo.

Cuiusmodi fuerit substãtia, quã pater familiás iuniori tradidit.

Deus spontaneũ obsequiũ à nobis deposcit.

Et diuisit illis substantiam. Pater ergo liberali munere donatum dimisit; Tradidit enim illi vniuersam creaturam in possessionẽ. Huic cùm naturalem, tum scriptam quoque legem adiunxit; quò hac nimirum ratione eruditus, & institutus, legislatoris voluntatem impleat. Deposcit enim ille à nobis spontaneum obsequium.

Et peregrè profectus est. Non quidem de loco ad locum commigrans; sed mente à Deo decedens, & Deus vicissim ab illo: Siquidem nullum is seruitium detrectantem, vi ad seruitium compellit.

Qualem substãtiam filius prodigus dilapidarit.

Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. A Deo itaq; sciunctus, vixit luxuriosè; & insumpsit substantiam, hoc est, insitam animi lucem, temperantiam, veritatis notitiam, Dei memoriam, &c. Quo factum est, vt valida mox fames illum inuaderet. Inuasit autem eum, non inedia panis, aut sitis aquæ, sed desiderium verbi Dei. Eiusmodi enim esuries prædictarum virtutum iacturam consequi solet.

Virtutum iacturam consequitur inedia verbi Dei.

In regione dæmonũ extrema sẽper bonorũ omnium fames vrget.

Et abijt & adhæsit vni ciuium regionis illius. Inedia compulsus, abijt ad eiusmodi regionem, vbi ciues sunt dæmones; vbi extrema bonorum omnium inopia semper vrget.

Dæmones cultores suos mittunt ad porcorũ gregem.

Quomodo sensim in porcos degenerẽt qui carnis illecebris & voluptatibus operam dant.

Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Tali honore dæmones afficere solent cultores suos: Eiusmodi muneribus cumulant eos, qui suggestionibus illorum morem gerunt. Etenim vt primùm quis à Deo desciuerit, pérq; carnis illecebras, & voluptates dæmonibus adhærere cœperit; statim quasi in porci naturam versus, terram tantùm spectat. In turpitudinis porrò cœno vltro citróque aliquantisper volutatus, meritò inter porcos censetur. Tandem in eiusmodi vitę obscœnitate diu multúmque perstans, alijs quoque perditionis forma efficitur; Lasciuiæ luxuriæque dogmatis certa quadam ratione illos pascens, & nutriens.

Peccatũ cum siliquarũ natura, cognationem nõ habet nullam.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. His insinuatur, nullam flagitiorum satietatem eum cepisse. Peccatum autem non iniuria assimilatur siliquis. Nam vt harum gustus suauis

suauis est, & tamen adiunctam habent nonnullam asperitatem; ita peccatum quoque ad breue quidem tempus oblectat, verùm postea cruciat prolixè. Paucis, delectat momentaneè, sed flagellat æternè.

In se autem reuersus. Hoc est priorem fœlicitatem cum posteriori miseria conferens; qualísque & quantus erat, quando cum Deo patre adhuc degebat, animo pertractans; quàm teter & miserabilis tandem, posteaquam Deo deserto, dæmonibus cœpit esse obnoxius, euaserit, iterum iterúmque expendens, dixit:

Miser, qui dæmonis seruituti obnoxius tenetur. Deus nūquā non operarios in vineam cōducit.

Quanti mercenarij. Hoc est, Christi mysterijs initiati. Deus namque pro sua benignitate, & circa horam tertiam, & circa sextam, & sic deinceps, hoc est nunquam non, vt scriptum est, operarios in vineam suam conducit.

Quid sit pane abundare.

In domo patris mei abundant panibus. Hoc est diuinorum donorum, & eloquiorum delicijs affluunt; ego verò ingenti earum rerum penuria hîc laboro, inediáque miserè pereo.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Hoc est, pulchrè eo reuertar, vnde turpiter decessi.

Pauca verba ad salutē sat sunt dūmodo ex animo contrito procedant.

Et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. Pauca hæc verba mihi ad salutem sat fuerint. Noui patris mei suauitatem; noui facilitatem; miserebitur mei pœnitentis, & ad sanam mentem reuertentis, quem in peccati sordibus se volutantem non puniuit.

Et surgens, venit ad patrem suum. Vnde surrexit? è voluptatum & deliciarum cathedra, è peccatorum fouea. Siquidem bono voluntatis proposito adiunxit opus. Oportet enim non ea solùm, quæ Deo sint grata & accepta, velle; sed bona animi desideria, per bona opera quoque ostendere.

Non sat est bona voluntas ad salutem nisi adsit copia benè operandi.

Cùm autem adhuc longè esset. Quomodo longè? quia Deus hominis pœnitentiam, sua misericordia, & benignitate solet antreuertere.

Vidit illum pater eius, & misericordia motus est. Quamuis enim Deus sit natura, clementia tamen & benignitate pater est.

Et accurrens, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Non enim expectauit, vt is, qui tam grauiter offenderat, propè accederet; verùm ipse vltro obuiam illi processit. Familiare namque est clementissimo Deo, animam pœnitētem suauiter complecti, eiusdémque subiectionem & obedientiam paternè exosculari.

Deus animā pœnitentem paternè complectitur.

Dixitque illi filius: Pater, peccaui in cœlum. Haud secus firmamenti faciam metuo; atque accusatoris cuiuspiam vocem.

Et coram te. Propter quod diuinitatis tuæ lucem intueri vereor: nam & animi, & corporis oculos immundos habeo. Præ omnibus autem malis, plurimum meæ me incusant insanæ libidines.

Deus immundo corde & animo cerni nequit.

Fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Quæ dicit, huc tendunt: Obsecro, Domine, ne me rursum ex aula tua proscribas; ne forsan inimicus oberrantem deprehendens, denuò captiuum abducat. Neque tamen vt mysticæ tremendæque mensæ tuæ me adiungas, peto: quandoquidem eo animo sum, vt sancta illa sanctorum ne aspicere quidem profanis oculis audeam.

Mystica tremendáque mensa, est Eucharistia.

Dixit autem pater ad seruos suos. Hoc est, ad sacerdotes.

Citò proferte stolam primam. Hoc est fidem, veritatísque cognitionem: quarum rerum à patre discedens, iacturam fecerat.

Prima, stola est fides.

Et induite illum. Qui seipsum exuerat.

Et date annulum in manu eius. Hoc est, fidei signaculum, quo contra diabolum armatus aliquando fuerat.

Fidei signaculū annulus.

Et calceamenta in pedes eius. Quò in præparatione Euangelij pacis, hisce indutus, serpentes & scorpiones, hoc est contrarias virtutes, intrepidè proteraт.

Et adducite vitulum saginatum. Illum inquam, vitulum adducite, qui pro terrarum orbe immolatus, eísque, qui vera resipiscentia ducuntur, donatus est. Hoc est, tremendorum mysteriorum participem illum facite.

Vitulus saginatus, Christus in crucem immolatus & in mystica mensa propositus.

Et manducemus, & epulemur. Quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

A *Et cœperunt epulari.* Gaudent enim non ij solùm, qui degunt in cœlis, super vno peccatore pœnitētiam agente; verùm ij etiam, qui versantur in terris: Siquidem iusti omnes de eiusmodi hominis sorte lætantur.

Gaudium est in cœlo & in terra super peccatore pœnitentiam agente.

Erat autem filius eius senior in agro. Quæ de proposita parabola hinc, ad finem vsque consequuntur: puta quòd filius senior, quid hoc esset, percūctatus, communísque lætitiæ & celebritatis causam edoctus, præ indignatione noluerit in domum ingredi, & alia quædam eiusmodi, illa eo sensu accipienda non sunt, quasi senior iuniori salutem re ipsa inuiderit; aut patri propter summam illam, in perditum filium, clemētiam, verè succensuerit. Nam, vt D. Chrysostomus parabolam de operarijs in vineam conductis, quæ apud Matth. extat, edisserens, rectè monet, id, quod vniuersè proponitur, parabola est, singula autem parabolæ membra sigillatim, & quasi ad verbum curiosè expēdere & inuestigare, istud, neq; necessarium est, neque commodè fieri quoque potest: sat est autem, si scopum, propter quem præponitur, vtcumq; perspectum habeamus, fructúmque nonnullum ex eo decerpamus. Aliquid verò hoc amplius anxiè inquirere, id nullum est operæpretium. Neque enim vllus omnino inter Sanctos est, aut fuit vnquam, qui Dei erga peccatorem benignitatem, in ius vocaret, aut improbaret: vt qui ab omni inuidentia & odio sint prorsus alieni. Etenim si animos suos pro peccatoribus tradere parati sunt, quī fieri potest, vt salutem illorū dolenter ferant? Imò verò tantum abest, vt bonum quodcumque illis inuideant, vt beneficia quoque in eos collata, perinde ac si in seipsos collata forent, grata acceptáque habeant.

Quo sensu senior filius, ob iunioris reditum, & eius rei causa festū celebratū dicatur commotus.

Matth. 20.

Singulæ parabolarū partes non deposcunt peculiarē & anxiam interpretationem.

B

Nullus Sanctorum, Dei in peccatores clementiam dānauit vnquam.

Sancti ab omni odio & inuidia alieni.

C

Et cur ergo, inquis, parabola eiusmodi quippiam præ se fert? Ecquid nobis illa vult adumbrare? Aliud nihil, quam excellentem Dei clementiam, quæ vtique erga omnes, & eos præcipuè, qui peccatis desertis, ad sanam mentem redeunt, veróq; pœnitudinis sensu concutiuntur, tanta est, vt ijs, qui pœnitentia non indigent, inuidiā quodammodo mouere queat. Nam & in humanis quoque aliud eiusmodi receptum videmus. Etenim cùm quempiam insigni aliquo beneficio affecimus, dicere nonnunquam consueuimus: En iste vel ille, quòd tanto honore te cumulauerim, me incusauit. Dicimus hoc autem, non vt hunc, vel illum inuidiæ insimulemus, aut quouis modo calumniemur, verùm vt doni, quod obuenit, magnitudinem, per hoc exprimamus.

Parabola de filio prodigo, summam Dei erga peccatorē resipiscentem clementiā adumbrat.

Illustria dona in immeritos collata inuidiam mouere dicuntur.

D

Adde his, Christum Dominum senioris filij exemplo eos, qui inculpatam, virtutibúsq; ornatam vitam ducūt, præmonere, & quasi præmunire voluisse; ne quam vnquam maligni diaboli fraude impulsi, cogitationem admittant, quę ob peccatorum pœnitentium salutem, qualescumq; inuidiæ stimulos animo ingerat, verùm mente ab istiuscemodi cogitatis, tota vi adducta; de illorum salute potiùs gaudeant, & in Domino exultent.

Diabolus nōnullos ob pœnitentiū salutem, ad inuidiā prouocat.

Sunt qui per duos filios, sanctos Angelos & homines, qui in terris vitam degunt, designatos existimant. Et quidem per senioris personam, Angelorum ordinem, per lasciuum autem & prodigum adolescentem, humanum genus denotatum volunt. Non desunt tandem,

E qui per seniorem filium Israëlem secundum carnem; per iuniorem verò gentium populum insinuatum contendant.

De his opinionibus, scribit Cyrillus, liberum cuique iudicium esto; probet quisque studiosus, quod vero affinius iudicat; mihi interim neutra opinionū probatur, neque enim cogitare fas est, sanctos Angelos prodigi filij conuersionem ignorasse; aut festum eius rei causa celebratum, nesciuisse, adeóque quasi rerum ignaros, quid hoc esset, interrogare compulsos esse. Sed neque ijs quoq; assentiri valeo, qui per seniorem filium carnalem Israëlem accipiunt. Constat namque Israëlitas per vniuersam ferè scripturam diuinitus inspiratam, veluti desertores, & incredulos perstringi; tantum abest, vt paterna mandata illi nunquam prætererint.

Iudæi per vniuersam scripturam malè passim audiunt.

Parabolæ fuccinctè explicatæ, rerum absconditarum notitiam afferunt.

De parabolis porrò Cyrillus idem scribit & sentit, quod Chrysostomus: nempe dum breuiter, succinctéq; explicantur, vtilium rerum notitiam adferre: etsi hoc ipsum obliquè & dissentaneè. Vt autem singulæ parabolæ partes subtiliter, & exquisitè discutiantur, id minimè opus est. Nam præterquam quòd commodè istud fieri non queat, sermo quoque modum excedens, nimia copia, & quasi luxu, auditores bene affectos non parum sæpe offenderet; nimiáque loquacitate nauseam non paucis moueret. Probat id ex parabola, quæ de homine diuite, qui habebat villicum, capite proximo proponitur, & explanatur.

Parabolæ nimis curiosè explicata nauseam mouet.

Enimuerò si quis accuratè explicare velit, quis fuerit homo ille, qui habebat villicum diffamatum: Tum quis illum diffamauerat; hinc cuiusmodi debitores illi fuerant; mox quinam illi, qui à debitotum summa partem resecarant: postremò cur hunc oleum, illum verò frumentum debuisse commemoret, ne orationem ille obscuram, planéque superuacaneam in medium adferret. Igitur non omnes & singulæ parabolæ partes ad rerum propositarum explicationem sunt vtiles, sed quædam tantùm. Siquidem id solùm ex eiusmodi imaginibus desumendum & explicandum est, quod rei quidem obscuræ nonnullam lucem; auditoribus verò aliquem vsum adferre natum est.

Commodo exemplo ostenditur, nō omnes parabolæ membra, comodè iam exponi posse, fed nimium admittere.

CAPVT XVI.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum. Scopus & mens parabolæ hic propositæ, vt eidem Cyrillo placet, eiusmodi est: Vniuersorum Deus & Dominus nihil æquè desiderat, atque vt totis animi neruis virtutum studijs incumbamus, ijsque omnibus, quæ animos nostros in hac vita distrahere, & disturbare solita sunt, nuncium mittamus, quò nimirum quietè, pacatéque assiduò ipsi seruiamus. *Vacate*, clamat per Dauidem, *& videte quia ego sum Deus*, & per seipsum rursum: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*. Et quidem lex hæc diuinæ voluntatis citra vllam controuersiam est vtilis & salutaris: Verùm humana mens est admodum infirma, & ad res terrenas plus satis semper incuruata.

Vniuersorum Dominus, nihil æquè desiderat, atque, vt virtutum studijs insistamus.

Psal. 45.
Luc. 12.

Propter hæc ergo Dominus per similitudinem, hoc loco propositam, facilem expeditámque salutis viam nobis ostendit: tantùm non eiusmodi oratione omnes compellans. Si qui ex vobis sunt, qui omnibus omnino, quas in terra possident, opibus simul & semel defectis, sublimem illam vitæ conuersationem capessere non volunt; minimum ex eo, quod à necessario sumptu redundat, pauperum œconomi fint; quò nimirum vel hac qualicunque facultatum suarum communicatione, multis amicis, multisque misericordiæ testibus hîc comparatis, quando olim è caduca hac, terrenáque vita excedent, in eorum tabernaculis tum locum aliquem inueniant, quibus in hoc sæculo benignè quandoque fecerant.

Mēs humana infirma, & ad terrena incuruata.

Quæ à victu necessario redundant, in egenos eroganda.

Quod si verò ne hoc quidem facere in animum induxerint; verùm omnia, quæ gratis à Domino acceperunt, suis tantùm sumptibus, & voluptatibus consecrare, aut in momentaneos honores cõuertere pertexerint, obliti Dei dicentis: *Aperiendo aperies viscera tua fratri tuo egeno*, aliorúmq; omnium, quæ diuina scriptura de subleuanda miserorum inopia passim præcipit, mortem illis insultante, & ab omnibus, quæ in bonis habebant, ipsos vel inuitos submouente, & extrahente, à sua villicatione omnino amouebuntur. Et quod his grauius est, propter inclementem illam, duramque, & inhumanam in pauperes voluntatem, æternorum tabernaculorum luco, æternum inextinguibilémque ignem sortientur.

Deut. 15.

Iudiciū eorū, qui supernacanea in pauperes non expendunt.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit. Qui ritè honestéque vitam instituere didicit, futurorúmque bonorum spe fultus à terrenis fluxisque rebus mentem abduxerit, ea sapiens animóque pertractans, quæ sunt cœlestia, eorúmque amore & studio incensus, caducas basse opes, quas & minima, bona, & iniquitatis mammona appellat, prouidè in egenos dispensauerit; qui, inquam, in minimis istis fidelis compertus fuerit, is in magnis quoque, hoc est, in donis bonisque spiritalibus fidelis erit. Qui autem in eiusmodi opibus iniustus depræhensus fuerit; vtpote in sui solius vsum illas conuertens, asseruánsque; ille in diuinis quoque charismatis iniustus deprehendetur.

Inter bona infirmū locū tenent, & opes caducæ.
Qui dicat fidelis aut infidelis in minimis, qui item in magnis.

Et si in alieno fideles non fuistis, &c. Opum copiam alieni nomine designat: Quandoquidem non nascimur diuitijs stipati, sed nudi. Verè enim sacris literis proditum extat: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Itaque opibus affluere, si hominis naturam spectemus, ab homine alienum est. Si cui autem adsunt, extrinsecus, & quasi per accidens aduenerunt.

Quod ex bono ad vitam necessarijs superat, Dominus alienum vocat.
1. Tim. 6.
Quomodo opes quodam alienæ dici queant.

Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Vnum eundémque ad opposita diuelli, & inculpatã nihilominus vitam ducere, rem arduam, summéqne difficilem esse, Christus Dominus hoc loco ostendit, dum ait: *nemo potest duobus dominis seruire, &c.*

Res per ardua diuersis seruire, & inculpatè viuere.

Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & irridebant illum. Pharisæi auaritiæ morbo obstricti, Christi sermonem in risum transferunt: nihil moti, quòd in prolixa oratione ipsos, ab eiusmodi vitio sanare, conatus esset. Quia ergo eum laborem incassum sumpsetat, temporisque qualitas ad id prouocabat, blandum sermonem in grauem conuertit reprehensionem, palàm demonstrans, ambitionis amore occæcatos, cum honorem & gloriam superbè ambire, sibique vendicare, quæ in solos iustos probósque viros conuenit; cùm ipsi interim nihil minùs essent, quàm eiusmodi; dicit autem:

Pharisæi Christi sermonem in risum conuertunt.
Christus blandum sermonē, in grauem reprehensionem transfert.
Christus Pharisæos ambitionis notat.

Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum. Isthæc proinde & nos audientes, omnem fastum, omnémque inanem gloriam, & studium placendi hominibus, tanquam quæ Deo sint prorsus exosa, summáque exectatione digna, cum omni nequitia & auaritia, promptè, totóque pectore abijciamus: Animi verò submissionem, & in egenos cõmiserationem, Dei auxilio freti, studiosè consectemur. Neque enim propter illos tantùm, per sacra Euangelia hæc prodita sunt; sed propter mortales omnes, qui de generatione in generationem, perpetua quadam successione, se inuicem excipiunt.

Superbia & arrogantia Deo summè exosa.
Quæ Domini ad præsentes dixerat, ea pertinent ad omnes.

Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Hæc vsque ad illud; *qui dimissam à viro ducit, mœchatur*, in Euangelio Matth. explicata sunt. *Cap. 11. 5.*

Homo quidam erat diues. Hanc de diuite epulone & Lazaro parabolam, ad rem præsentem appositè admodum effictam efformatámque, Christus Dominus noster hoc animo in medium adducit, ad beneficientiæ studium nos acuat & excitet. Vult enim nos in mutuum amorem esse propensos, communicationi deditos, liberales item & studiosos egenorum curatores, & in hoc studiorum genere præcelso animo præditos.

Christus Dominus per parabolā de diuite & Lazaro proposita, ad beneficentiam mortalium genus excitat.

Homo quidam erat diues. Hunc tanquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum nominisve expertem inducit: nempe vt exemplo id confirmet, quod per Prophetam de ijs aliquando prænunciarat, qui Deum non metuunt: *Non*, inquit, *memor ero nominum illorum per labia mea.* At pauperem verò proprio nomine designat; siquidem tales in Dei lingua & ore obuersantur. Fertur autem vulgi sermone, cui Hebræorum traditio quoque astipulatur, Lazarum hunc fuisse quendam extremè egenum, & ægrum, Ierosolymis per id tempus notum; Dominũ autem hunc præ cæteris in exemplum assumpsisse, quò ea, quæ de epulonis inhumanitate dicere instituerat, apertiora euaderent.

Diues epulo anonymus inducitur & quare.
Psal. 15.
Lazarus extremè egenus & æger Ierosolymitanis notus fuisse creditur.

Nemo autem hæc, aliáve similia audiens, existimet, pro bonorum, vel malorum operum ratione; plenam tam

Insinuatur hic opinio quæ postea planius exponitur, nõ satis sana tametsi verũ sit, quod de plena retributione asseritur.

iam retributionẽ, quibusdam obtigisse. Quod hic enim proponitur, parabola est, maioris lucis, & explicationis causa, à Christo Deo nostro efficta, commodeque inducta; nimirum vt illi, qui terrenarũ opum copia affluunt, hinc discant, nisi ita comparati sint, vt in egenos velint esse benigni, & liberales, & benefici, & ad subleuandam illorum egestatem prompti, expeditique, fore, vt ineluctabile damnationis barathrum, diráque supplicia certò olim incidant. At nunc otiosum, vanúmque diuitis huius fastum & supercilium contemplemur.

Hæc obseruẽt, & sibi caueãt diuites.

Induebatur purpura & bysso; & epulabatur quotidie splendidè. Hoc est; cultui, luxuique corporis, ex instituto operam dabat. Nam & vestitu vtebatur sumptuosissimo; & in delicijs volutabatur assiduis; hoc enim denotatur per voces illas: *Et epulatur quotidie splendidè*, hoc est, perditè, & prodigè; & ille quidem ita. Lazarus autem morbo grauatus, inediáque exhaustus, ad domus illius vestibulum iacebat abiectus, neglectus, prostratus, pro nihilo habitus, omni cura, omnique humano præsidio prorsus destitutus, ad placandam inediam aliud nihil expetens, quàm micas, quæ de diuitis mensa temerè cadebant; & nemo illi dabat. Grauissimæ autem inediæ tormento, accedebat morbus longè molestissimus.

Dissimillimus epulonis vitæ status & Lazari.

Lazarus omni prorsus humano præsidio destitutus.

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Istuc canes non faciebant, quasi ea re voluerint illum lacessere, aut vlla omninò iniuria afficere; Faciebant autem eo, quo poterant sensu, vicem illius dolentes; curámque illius, qui ab omnibus desertus erat, amicè suscipientes, necnon vulnera eiusdem beneuolè, medicorum more, fouentes, & circumlingentes; quò per hoc quoque diues epulo feris bestijs immanior; imò verò omni misericordia, omníque humanitatis sensu prorsus exutus ostendatur.

Quo sensu & studio canes Lazari vlcera linxerunt.

Etsi verò pauper Lazarus in tanta illa miseria & calamitate constitutus esset, nequaquam tamen veluti fastidio victus, animum despondit, aut cõuicia dixit, aut stomachosè succensuit, aut murmur aliquod contra diuitẽ edidit. Et vnde hoc tibi compertum est, inquis? Ex eo, quòd Angeli illum sustulerunt, honorificòq; comitatu deductum, in sinum Abrahæ deposuerunt.

Huius Lazari in summa miseria & calamitate patientia.

Angelico comitatu stipatus Lazarus deducitur ad requiem.

Mortuus est autem & diues, & sepultus est. Non temerè adiectum putemus, diuitem, posteaquam mortuus fuerat, in sepulchrum illatum esse. Quandoquidem cùm in viuis adhuc ageret, anima illius in abdomine, perinde atque in quodam monumento, obruta, defossáque iacebat; carnémque veluti sepulchrum circumgestabat. Propter hoc ergo adiunctum videtur, & sepultus est.

Cur diues post mortem sepultus dicatur.

In inferno autem eleuans oculos suos. Diues à corpore iam absolutus, è carnis illecebris, mundíque voluptatibus, rectà migrat ad inferos. Quò autem isthic constitutus, acriùs excrucietur, cernit Lazarum in Abrahæ sinu collocatum. Quemadmodum enim Deus Adamo è Paradiso eiecto, ex aduerso Paradisi sedes assignauit; quò creber eiusdem conspectus, conceptum dolorem subinde instauraret, eáque ratione bonorum, è quibus exciderat, iacturam exactiùs sentiret: ita Lazarum quoque in cruciatuum illius augmentum, diuitis huius aspectui obiecit.

Epulo à delicijs deportatur ad supplicia.

Adamus è regione paradisi sedes habuit & quare.

At cur, quæso, Lazarum in sinu Abrahæ potiùs vidit, quàm apud quemcumq; alium iustum? Quia Abraham hospitalitati comprimis deditus fuerat: Vt huius ergo hospitalitas, illius inhospitalitatem redargueret, propterea æquus iudex hunc cum illo collocare voluit. Abraham enim, vel obiter tantùm prætereuntes venabatur; & ad domum suam pertrahebat, diues verò etiam intra domus vestibulum abiectos aspernabatur.

Cur diues Lazari potius viderit apud Abrahamum quam apud alium iustum. Sũma Abraha hospitalitas.

Cur diues orationem ad Abrahamum dirigebat, ad Lazarum autem non item; aiebat enim: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, &c.* Quia rubore & verecundia impediebatur. Persuasum habebat enim Lazarum veteris iniuriæ memoriam adhuc retinere. Ego, apud se inquiebat, tantis opibus circumquaq; affluens,

Qua de causa diues epulo Abrahæ potiùs quã Lazari opem implorauit.

nulláque vnquam iniuria affectus, hominem in tanta miseria & calamitate constitutum despexi; neque vel panis micam fame pereunti impertiui: Quomodo is ergò vsque adeò durè à me habitus, meæ huic petitioni annuet? Hæc autem dicimus, non vt Lazarum incusemus; (neque enim ille ita affectus erat) sed quòd diues eiusmodi quippiam metuens, animóque versans, Abrahæ potiùs, quàm illius opem implorandam existimarit. Credebat enim Abrahamum, quæ acciderant, ignorare. Ecquid autem ille?

Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua. Hîc tu mihi singularem iusti huius viri prudentiam expende: Non dixit; inhumane, crudelis, perditissime; tot mala homini huic irrogasti, & adhuc amicitiã, adhuc misericordiam, adhuc veniam, adhuc commiserationem ambis? Non erubescis, non verecundaris, dum isthæc petis? quid autem dicit: *Fili, recepisti bona tua;* norat enim scriptum esse: *Cor exacerbatum ne perturbes magis.* Sat suum est illi supplicium. Caue calamitati illius insultes. Fili non ego Dominus, sed tuæ conditionis homo sum: quare hinc illuc transire, aut alium transmittere, in nostra potestate non est positum.

Singularis Abrahæ prudẽtia, & suauitas.

Eccles. 4.

Fili recepisti. Cur Patriarcha non potiùs dicit: Fili accepisti bona in vita tua, quàm recepisti: τὸ recipere enim insinuat, & denotat debitum. Recipiuntur enim, quæ iusto aliquo titulo debentur. Ecquid hinc ergo discimus? Illud inter cætera, nempe eos etiam, qui alioqui scelerati sunt, & in vltimum quodammodo malorum deuenerunt, vnum aliquod interdum, aut alterum, aut plura quoque bona opera facere: id quod huic quoque diuiti vsu venerat. Quia ergo per molles fortunatósque dies, quos Deus in hac vita illi indulserat, bona omnia, quæ vnquam fecerat, iusta mercede pensata fuerant, propterea audiuit: *Fili recepisti bona tua in vita tua; & Lazarus similiter mala.* Forsan Lazarus quoque in vnum, aut alterum, aut plura quoque errata inciderat, quæ per dolores, & miserias, quas patienter in hac vita tolerauerat, Deus eum eluere voluit; quare ait: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris:* Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.

Aliud accipere, aliud recipere: hoc enim debitum significat, illud non item. Etiam mali, & improbi bona aliquid interdum faciunt. Deus opera mortalium bona, temporali mercede compensat.

Inter nos & vos chaos magnum firmatum est. Quid sibi vult, quòd Abraham magnum inter vtrumque chaos firmatum asserit? Indicat discrimen, quod inter iustos & peccatores intercedit; vt enim oppositæ illorum sunt voluntates & studia; ita impermutabilis quoque eorundem est status. Nam vt hi perpetua quiete potiuntur; ita illi perpetua dependunt supplicia.

Chaos inter Lazarum & diuitẽ firmatũ indicat impermutabilem iniustorũ & iustorum statum in altera vita.

Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Diues epulo eorũ spe frustratus, quæ sui causâ petiuerat, quod reliquum erat, pro alijs precatorem agit: vsque adeò benignus, & humanus euaserat in tormẽtis. Qui paulò antè enim Lazarum præsentem superbè despiciebat, is aliorum absentium cura frustra nunc æstuat. Efflagitat autem, non vt quiuis promiscuè ex mortuis exsuscitatus in domum patris eius mittatur; verùm vt Lazaro prouincia hæc demandetur.

Diues epulo pro alijs intercedit.

Cur Lazarum, præ cæteris, expetit? nempe vt illum ipsum gloria & honore videant cumulatum, quem paulò antè innumeris malis & incommodis oppressum viderant, hoc est, vt illi ipsi; qui summæ illius inediæ, paupertatis, & miseriæ testes fuerant, illius quoque mutationis & gloriæ testes existant: adeóque res humanas vitę huius limitibus non concludi, ex vtraque sorte edocti, vitam in posterum ita instituant, vt supplicia sceleratis apud inferos cõstituta euadere queant. Quid autem ad hoc Abraham?

Causa cur diues Lazarũ ex mortuis exsuscitatũ in domũ paternam mitti voluerit.

Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. Quasi dicat; non eam tu de fratribus curam habes, quam Deus, qui condidit illos. Adhibuit illis enim mille Doctores, & Magistros, illis credant, si velint.

Maiorem Deo quam homo, de homine curam habet.

Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent. Cur diues isthæc dicit? Quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audiuerat. Quæ enim ab illis

Diues fratrũ suorũ animos ex suo spectabat.

prodita extabant, ea propalam contempserat, fabularúmque loco habuerat. Ex qua re coniecturam faciebat, A suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere: Illi nunc ratiocinantur, vt quondam ego: nempe quis inde aliquando rediit? quis ex mortuis vnquam resurrexit? Quis ea, quæ apud inferos sunt, enarrauit? Eapropter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verùm dictis illius studiosè intenderent.

Qui scripturis nō credūt, nequemortuis exsuscitatis fidem habent.

Ait autem illi: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. Rem ita habere puta, illos, qui scripturis non credunt, illorum quoque dicta flocci facere, qui ex mortuis resurrexerunt, id Apostolorum ætate Iudæi clarè ostenderunt. Nam cùm hi Moysen, & Prophetas audire semel detrectassent; neq; mortuos exuscitatos cernentes, crediderunt. An non Lazarum perimere conati sunt? nónne Apostolis, esto, B permulti tempore quo Christus in crucem actus est ex mortuis surrexissent, hostiliter insultarūt? Porrò autem per sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob, sanctus Dionysius Areopagita, diuinissimas illas, fortunatásque sedes designatas asserit, quæ omnes iustos post fœlicissimam consummationem intra sese recipiunt.

Hæ sedes ante Christū passum erāt limbus patrum, nūc verò cæli sunt empyrei.

CAPVT XVII.

Cap. 19.

IMPOSSIBILE *est vt non veniant scandala.* De scandalis vsque ad illud: *Dimitte illi*, scriptum est in Euangelio Matthæi.

Heb 11.

Quo sensu Apostoli augmentum fidei expetierunt.

Et dixerunt Apostoli: Domine adauge nobis fidem. De veteribus Sanctis proditum extat, fide inuentos probatos, sancti itaq; Apostoli hos æmulari cupidi, C ad Christum Dominum dixerunt: *Domine adauge nobis fidem.* Non petunt autem fidem simpliciter; ne quis illos fide caruisse existimet, sed fidei incrementum, hoc est, certam in fide stabilitatē. Dominus autem gratiæ huius illos capaces fieri volens, ait:

Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro: eradicare, &c. Si vis fidei, dixerit quispiam, tanta est, vt id, quod vsque adeò firmatum, & in terra radicatum est, alio transferre valeat; ergo in vniuersum nihil ita immotum & solidum est, quod fides loco mouere non queat? Nemo ita desipiat, vt Christum Dominum, ad solum stuporem & admirationem excitandam, hæc dixisse existimet: non eo enim fine illa deprompsit, sed ad D procurandam & promouēdam nostram salutem & vtilitatem. Voluit enim, vt hinc disceremus, diuinæ virtutis pondus tantum esse, vt nihil non possit. Verùm de grano sinapis disputatum est in Euang. Matthæi.

Quò tenderit dominus cum dixit, si habueritis fidē, vt granum sinapis.

Cap. 17.

Humana mēs naturaliter fertur ad inanem gloriam.

Causa superbiæ sæpe sunt præclara quædam opera.

Quis autem vestrum habens seruum. Mens humana sua natura rapitur ad inanis gloriæ studium, malum vtique periculosum, & Deo Opt. Max. admodum exosum. Causa autem morbi huius sæpe sunt præclara quædam facta, quibus laudem & commēdationem apud Deum promereri videmur. Etenim infernalis ille draco, omnísque mali architectus diabolus, quosdam nonnunquam huc agit, vt Deum, propter vitam honestè laudabiliterq; institutam, cœlestem gloriā iure sibi debere existiment. Vt hæc ergo pestis omnium pestilentissima è medio profligetur, Christus Dominus serui hoc loco debitum, ob E oculos nobis posuit, ait autem:

Quid Dominus debeat seruo, si quid sui est muneris præstet.

Quid nō seruo immineat, si officium nō faciat.

Deus præmia insuper laboribus multis partibus maiora persoluit.

Qui vestrum habens seruum arantem, aut pascentem boues, &c. Docet per hæc, dominicæ potestatis vim, promptam vbique, expeditámque obedientiam, tanquam certum debitum à seruis exigere. Neque enim vllam, ait ille, Dominus gratiā debet seruo, si is illud præstiterit, quod secundùm, seruitutis cōditionem præstare obligabatur. Quamuis ergo seruus, si id, quod officij ratione explere tenebatur, non expleuerit, pœnæ periculo sese exponat, attamen ob iniuncti operis expletionem, nulla illi debetur merces, aut gratia. At licet res ita habeat, nihilominus Deus & Dominus noster, pro sua singulari liberalitate, & in genus nostrum benignitate, non modò præmia laboribus paria laborātibus persoluit; sed multis quoque partibus laborum exhaustorum pondere maiora. Quemadmodum sapientissimus Paulus alicubi disertè id exponit; scribit enim: *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Rom. 8.

Dominus illo suo miraculi opere prouocat Israëlem ad fidem sed frustra.

Et cùm ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt illi decem viri leprosi. Rursum Seruator noster Iesus Christus, illustris miraculi opere, gloriam suam pandit, quò, vel hac ratione, excordem amentémque Israëlem ad fidem pertrahat: Verùm vt ex leprosorum quorundam sanatione clarè cognoscere licet, perstitit ille in sua obstinatione, & infidelitate æquè atq; antè. Hi enim secundùm Mosaicæ legis præscriptum, è ciuitatibus & castellis, tanquam immundi, exclusi, Christo iter facienti obuiam venerunt, eundémque, vt a morbo, quo tenebantur, sese liberaret, enixè rogauerunt. Is autem cùm benignus & clemens esset, fortis illorum misertus, lepram profligauit. E quorum numero nouem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus. Cùm autem abirent, Sacerdotibus, vt iussi erant, sese ostensuri inter eundum sanitate potiti sunt. Et quidem nouem in ingratam obliuionem lapsi, non sunt reuersi, vt darent gloriam Deo: vnus autem solus, & ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit. Promptiores namque, propensioresque fuerunt hi semper ad fidem amplectendam, quàm ingrati Iudæi. Quare Dominus, *nonne*, inquit, *decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?*

Promptiores ad fidem gentes quàm Iudæi.

Quid sit, regnum Dei intra vos est.

Ecce regnum Dei intra vos est. Quòd hîc dicitur, eiusmodi est. In vestræ voluntatis arbitrio positum est accipere regnum Dei. Cuilibet namque iustificationis gratiam per fidem in Christum Iesum adepto omniqúe virtutum genere expolito, cœleste regnum consequi integrum est.

Per cruces & molestias homo cœlesti regno capessendo idoneus redditur.

Et ait ad discipulos suos: Venient dies, &c. Cùm sanctos discipulos ad quiduis, cruciatum & molestiam ciere natum, perferendum paratos, necnon ad omne patientiæ genus egregiè instructos vellet; quò nimirum hac ratione probati & expoliti, in regnum Dei quandoque possent ingredi, ait ad illos: *Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis*; hoc est: quando vno die cum illo in terris versari desiderabitis, & non obtinebitis. Nam etsi tunc quoque cùm ætatem cum illo in terra degebant, crucis expertes non viuerent; attamen post illum ad cœlos assumptum, multis grauioribus malis tentati fuêre. Iam maiorum malorum, quæ ceruici incumbunt, comparatione, leuiora mala quodammodo optabilia sunt.

Apostoli post Christi ad cœlum ascensum plura perpessi quàm ante.

Ecce hic est, ecce illic. De secundo, inexspectatóque Christi aduentu, vsque ad illud *non redeat retro*, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Cap. 24.

Sicut factum est in diebus Loth. Adfert in exemplum vxorem Loth, quæ posteaquàm è Sodomis semel egressa, conuersa est retrò, mutata est in statuam salis, hoc est, conuersa est in lapidem. Quin & Loth quoque, eorúmque, qui ignis & sulphuris materia in Sodomis effecti fuerant, meminit: quò nimirum vnumquemlibet per hæc moneat, vt operibus spiritalibus impigrè incumbat, neque semel exorsus, retrò facilè respiciat hoc est desistat.

Operibus spiritalibus impigrè incumbendum: neque exemplo vxoris Loth cœpto opere desistendum.

CAPVT XVIII.

Christus per iniqui iudicis parabolam ad iugem orationem nos exstimulat.

DICEBAT *autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare.* Per parabolam, quam Christus Deus & Dominus noster, de iniquo iudice, qui erat in quadam ciuitate, hîc proponit, ad iugem indefessámque orationem nos exstimulat. Nam si frequens viduæ aditus, & interpellatio, hominem vsq; adeò improbum alioquin & sceleratum; vt neque Deum timeret, neque hominem reuereretur, emolliuit; ita vt tantùm non inuitus illam de aduersario suo vindicaret; quomodo ter misericors, improbitatísque osor Deus qui manum auxiliarem, & seruatricem, nunquam

Deus se diligentibus auxiliarem manum nũquam non porrigit.

nunquam non illis porrigit; qui ipsum diligunt, illos non suscipiat, qui dies noctésq; supplices eum adeunt; eosdémque tanquam electos suos, ab aduersariorum iniuria non vindicet? Et hæc quidem sanctus Cyrillus.

Quin beatus Chrysostomus quoque in diuersis sermonibus, vbi de iniquitatis iudice disserit; virum illum iniquum & exlegem fuisse tradit, atque hoc ipsum sacrum Euangelium eo ipso quoque ostendit, quod Dominus dicit: *Audite quid iudex iniquitatis dicit; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum?* Siquidem per verba hæc planum facit, alium esse Deum, alium iniquitatis iudicem. Quomodo ergo post tam illustrem demonstrationem, quidam in animum inducere non horrent: imò verò palàm effutire audent, Deum ipsum iniquitatis iudicem esse? Profectò res est summa admiratione digna.

** Errant, qui Deũ iudicem illũ iniquum esse contendunt cum Euangelium apertè reclamet.*

Veruntamen filius hominis, &c. Non quòd Christus Dominus, quid futurum sit, ignoret, ait: *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* (quomodo is enim, qui omnia nouit, quicquã ignoret?) Verùm quòd ostendere per hæc voluit, nouissimis temporibus non defuturos, qui à recta inculpatáque fide desciscant, errorúmque spiritibus, & peruersorum hominum mendacijs attendant.

In nouissimis temporibus, neglecta Christi doctrinã desciscent permulti à fide.

Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, &c. Per parabolam de Publicano & Pharisæo, qui vnus ex eorum numero erat, qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, benignus Deus, & Dominus noster Iesus Christus nos docet, qua ratione hominem orare oporteat, ne orando frustraneam operam sumat, hoc est, ne per ea, per quæ rem se facturum existimabat, eum contra se concitet, à quo omnia cœlestia charismata, tanquam à fonte dimanant. Scriptum est enim: est iustus, qui in iustitia sua perit. Nam & Pharisæus quoque, hoc loco ea de causa condemnatur, quòd orationem instituisset nimis insulsam, nimisque inscitam, & imprudentem. Multa enim errata ex illa, contra illum depromi possunt. Nec enim ipse tantùm seipsum admirabatur, id quod stultorum proprium est; sed multos præterea vna cum ipso Publicano condemnabat, scelerúmque reos prænunciabat.

Per parabolã de Pharisæo & Publicano docet Dominus, quomodo nos orare oporteat, ne frustra oremus.

Pharisæus insulsam orationem instituit.
Seipsum admirari, stultorũ proprium.

At verò Publicanus ab ipso condemnatus, ne oculos quidem ad cœlum tollere audebat; verùm omni propemodum animi fiducia destitutus; conscientiæque stimulis grauiter agitatus (vt qui Dei leges nullo ferè loco sese habuisse non ignoraret) vel in diuinum solum conspectum prodire nefas ducebat. Suum igitur pectus tundens, quæque admiserat delicta, humiliter confitens, & animi morbum Deo tanquam medico pandens, ad misericordiam illum prouocabat, & inclinabat. Quamobrem, vt iustus iudex testatur, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

Cuiusmodi fuerit affectus Publicani.

Hæc itaque audientes, prudenter virtutum studia exerceamus, Nemo autem harum rerum causa in superbiam, & fastum efferatur. Quin ea potiùs mente recolat, quæ Christus Dominus sanctis Apostolis alicubi prædicat, *Cùm*, inquit, *omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*, & ante hunc locum, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

Luc. 17.
Luc. 14.
Isid. Pelu.

At stupore inquis, & admiratione dignum est, quomodo Pharisæus, dum grandia quædam de se iactat, impegerit: Iob verò, qui multò plura, multóque maiora de se deprõpserat, laudem promeruerit? Audi breuiter. Pharisæus nemine prorsus instigãte, vel irritante, magna de se fundens, vniuersoque terrarum orbi sese anteponens, meritò offendit, vt qui superbiæ morbo sese laborare manifestis argumentis prodiderit; Iob verò, quousque probabatur, suas virtutes & prærogatiuas omnino occultas habebat: At verò cùm iniustè accusabatur, ea coactus in medium attulit, quæ ad depellenda crimina falsò ipsi imposita, facere videbantur. Quod ergo celebris Iob fecit, hoc ab omni noxa alienum fuit, tota ni-

A mirum culpa penes illos residente, qui iniquè illum incusauerant. Hæc Pelusiota.

Afferebant autem ad illum & infantes. De infantibus, déque illo, qui dicebat: *Magister bone, quid faciam, &c.* vsque ad illud: *& tertia die resurget*, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Et ipsi nihil horum intellexerunt. Propterea sancti Apostoli nihil horum intelligebant; neque, quæ dicebantur, capiebant; sed erat verbum ab ijs omnibus absconditum, quia necdum ea exactè norant, quæ sancti Prophetæ de Christo prædixerant.

Cap. 19.
Apostoli ante Christum passum prophetarũ oracula non satis intelligebant.

Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat. Accedit cæcus ad Christum, tanquam ad omnipotentem Deum; nominat autem illum filium Dauid, siquidem in Iudaïsmo educatus, quæ de ipso per legem, & Prophetas prædicta erant, non ignorabat & inter cætera, quòd secun-B dum carnem ex genere Dauid oriturus erat. Certò igitur persuasum habens eum, qui ex sacratissima Virgine, secũdum carnem ortum ducebat, naturale Dei verbum esse; adijt ad illum, sicut ad Deum, eiusmodi vsus oratione: *Miserere mei fili Dauid.* Nam quòd ita comparatus, supplicationem attulerit; id Christus ipse testatum facit, ait enim: *Fides tua te saluum fecit.*

Cæcus per fidem agnoscit, Iesum filium Dauid naturalẽ esse Dei filium.

Et qui præibant increpabant eum. Admirari licet de constanti cæci huius cõfessione, siquidem quibusdam illum increpantibus, &, vt taceret, admonentibus, ipse de sua contentione nihil quicquam remisit. Quare meritò quoque honorauit eum Christus Dominus. Accersitum enim iuxta assistere iussit.

Et interrogauit illum. Haud ignarus, quid vellet, interro-C gat ex illo: *Quid tibi vis faciam?* (norat enim omnia) verùm vt circunstantes, vnáque gradientes discant, non petijsse pecuniam, aut aliquid aliud eiusmodi ab illo; sed opus diuinum, hoc est, miraculum, tanquam à Deo. Posteaquam verò petitionis modum manifestauit, tunc deinum Christus Dominus Iudæorum perfidiam, & incredulitatem palàm redarguit. Etenim sua, hoc est, summa vsus potestate, ad cæcum, *respice*, dixit: statímque vox lumine casso, lux effecta est; erat enim veri illius luminis verbum. Quis vnquam sanctorum Prophetarum eiusmodi quippiam fecit? hoc est, aut tanta vsus est potestate aut tanta vnquam locutus efficacitate? A cæcitate porrò morbo liberatus, non neglexit Christi amicitiam: mox enim illum ponè secutus, laudem, quæ in D solum Deum conuenit, deprompsit. Quin alijs quoque ansam, vt eum publicè laudarent, & glorificarent obtulit. Sequitur enim: *Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.*

Dominus honorat & sanat cæcum propter suam fidem.
Cur Dominus ex cæco interrogarit, Quid tibi vis faciã?
Efficax vox Christi, quia vox Dei.
Cæcus Christo depromit laudem quæ in solũ Deum conuenit.

CAPVT XIX.

ET *ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum.* Zachæus hic inter Publicanos principatum tenebat: siquidem ad summum auaritiæ, sitisque pecuniariæ fastigium peruenerat, Enimuerò præcipuum publicanorum studium, in vnam hanc rem de industria incumbit. At non persistit Zachæus in illis sordibus; consecutus est namque E à Christo peccatorum veniam. Ipse est enim, qui eos ad se vocat, qui procul absunt; quique illos illuminat, qui in tenebris & obscuritate desident. Cùm ergo Zachæus Dominum Iesum videre desideraret, eáque de causa in arborem sycomorum ascendisset; atque ideo aliquod iam salutis semen in illo germinasset, statim Christus Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, diuinitatis oculum in eum defixit, blandáque & amica voce eundem compellauit.

Publicanorũ studium in auaritiã de industria intentum.
Christus eos vocat, qui lõgè absunt, eos q́ue illuminat, qui in tenebris desident.
1. Tim. 2.
Dominus vult omnes saluos fieri.

Zachæe, inquiens, festinans descende. Nam, vt Deus omnium præscius iam tum, quod futurum erat cernebat. Animaduertebat enim hominis animam ad capessendam vitam Sanctis dignam vndequaque paratam, necnon ad pietatem amplectendam, modis omnibus propensam. Quare vt primùm Christum Dominum non

Zachæus salutis capax & auidus.

Zachæus vbi primùm dominũ in domum suscepit, effectus est misericors. *Zachæus legis decreto se accommodat.* *Exod. 22.* *2. Reg. 12.*

citra gaudium in domum excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator, eoque mox A iustitiæ ardore inarsit, vt in quadruplũ ea se resarturum sponderet, quæ per iniustitiam forsan sustulerat. Atque hoc legi consentaneè: mandabat ea enim, vt pro vna oue furto ablata, redderentur quatuor. Rectè proinde Christus Deus noster, ait:

Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Vbicumque enim Christus ingreditur, ibi salus præstò est. Oportebat autem, vt ipsi etiam Iudæi, de Zachæo admirabiliter seruato, gauderent, nam & ille quoque inter filios Abrahæ, quibus Deus per Prophetas sanctos redemptionem per Christum promiserat, censebatur.

Parabola de homine nobili, vniuersam Christi œconomiam nobis ob oculos ponit. *Christus vt homo seruus, vt Deus liber & ingenuus.*

Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam. Parabolæ hic propositæ scopus est, vniuersam diuini verbi œco- B nomiam, nostri causa susceptam, perfectámque, totámque eiusdem virtutem & energiam, hoc est, omnia. quæ circa hoc verbi mystrium à principio, vsque ad finem acciderunt, breuiter nobis ob oculos ponere. Etenim Deus verbum factus est homo, eáque de causa sortitus est nomen serui. At verò secundum inexplicabilem generationem, quam habet ex patre, erat, manétque semper ingenuus & illustris. Post absolutum porrò œconomiæ secundum carnem mysterium, cōcessit ad gloriam, quam naturaliter alioquin insitam habebat; & peregrè quodammodo ad longinquam regionem profectus est; siquidem cœlum est regio à terra seiuncta. Ascendit autem, vt sumeret sibi regnum. (At quo sensu, inquis, ille, qui vnà cum patre omnibus imperat ascendit ad pa- C trem, suscepturus ab eo regnum? Ad carnis œconomiam sunt hæc referenda: pater namque non aliter filio dat regnum, quàm incarnato, vel homini facto) Ad cœlos autem euectus, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; sessurúsque dum pedibus illius substernantur omnes inimici eius.

Quo sensu pater filio largiatur regnũ. *Dominus ad cœlos ascendit sedétque ad dexterã maiestatis in excelsis.* *Hebr. 1.*

Ciues, qui nobilem virum, hoc est, Christum super se regnare noluerunt, sunt Iudæi. *Ioan. 15.* *Ioan 20.* *Iudæi loco filij Dei, Cæsarem in regem eligunt.* *Zach. 9.* *Psal. 32.* *Psal. 2.*

Ciues autem eius oderant eum, &c. Ecquinam sunt ciues illi, qui oderunt eum? haud alij vtique, quàm Iudæi, de his enim ait: *Viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.* Sed neque passi sunt quoque, illum super se regnare. Quare regno palàm illi abrogato, ad Pilatum aiebant: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*, cùm tamen Propheta Zacharias iam olim disertè ad illos clamaret: *Exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi Saluator, & ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Tum Esaias quoque: *Ecce*, ait, *in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt.* Sed & Dauid quoque Propheta de Christo ita scribit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo.*

Vocatis autem decem seruis, dedit illis decem mnas. Cuiusmodi fuêre serui, quibus accersitis distribuit decem mnas? Seruorum nomine hoc loco designantur, qui magnos in virtutibus progressus habent: quibus proinde, vt rectè ad omnem virtutem informare, seséque & alios probè gubernare sciant, solida esca conuenit. Hi enim sunt, qui, dum populum fidei suæ concreditum, ritè studioséque instituunt, talentis sibi traditis incrementum adijciunt, fortémque, quæ Sanctos decet, adipiscuntur. Quare etiam à nobili viro illô, hoc est, E Christo Deo & Domino nostro, post acceptũ regnum, in aduentu secundo redeunte, summis laudibus eueuntur, summóque honore potientur; siquidem sortem denariam, & quinariam, quam acceperant, duplam hoc ipso dependendentes, quòd multos Christo lucrati fuerant, decem, aut quinque ciuitatibus præficientur, hoc est, præerunt rursum non ijs tantùm, quibus antè, sed multis præterea alijs.

Quinam & quales sint illi, qui per talenta sibi commissa lucrum faciunt: sortémque acceptã in duplum augent.

Quid sit quinque aut decẽ ciuitatibus præfici.

At seruos verò ignauia superatos, ignominia & probrum excipient. Etenim qui mnam suam sudario obuolutam abdiderat, eiusmodi sententiam audiuit: *Serue nequam sciebas, quia ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminaui, &c.* Cur gratiam, quæ meo beneficio tibi obuenerat (hanc enim mna signi-

Mna collata, christi gratiã significat.

ficat) non dedisti trapezitis, hoc est, cur illis eam ad opus non tradidisti, qui talento tuo probè vti sciuissent? *Et ego veniens, exegissem meum cum vsuris?* Munus namque Doctorum & Pastorum proprium est, vtilem & salutarem doctrinam auditoribus seminare; auditorum verò, deiecta semina non solùm integrè conseruare; sed omnem quoque virtutem adijcere. Eapropter ignauus seruus gratia, quam acceperat, exuitus, qui verò meliorem viam ingressi fuerant, diuinæ gratiæ augmentum consequuntur, & quod eo maius est, læti æternis bonis perfruuntur.

Quod pastorũ vel doctorũ, quod item auditorũ sit munus.

Veruntamen inimicos meos. Iudæi, inquit, qui hominem illum nobilem super se regnare noluerunt, ad vnum omnes in illius conspectu trucidati sunt. Etenim aliquot iam ex illis in Ierosolymorũ expugnatione, cladem, de qua hîc sermo, experti sunt. In secundo verò Christi veri Dei nostri aduentu, vniuersi veluti in bello quodam internecino, supplicio nunquam finem habituro mancipabuntur.

Et factum est cùm appropinquasset ad Bethphage. De hac materia, vsque ad illud: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, scriptum est ad Euangelium Matth. Et quinam, ais, sunt lapides illi? Illi vtique, qui quondam lapides adorabant, gentes nimirum deceptæ, & diaboli fraude in errorem abductæ.

Cap. 21. *Lapides clamantes, denotant gentes Idolisquondã seruientes.*

Et vt appropinquauit ciuitati, fleuit super illam. Fleuit super Ierusalem hominum amator Dominus, vt hinc discamus vero doloris sensu eius causa tactum fuisse; si ei tamen, qui est Deus super omnia, dolorem tribuere fas est. At fas est, nam qua ratione sceleratorum hominum miseria affici cognosceremus, nisi per opus humanum, planum illud nobis faceret? Quare non statim quoque, sed trigesimo demum quinto anno post Christi Seruatoris ad cœlos ascensum Ierosolymorum ciuitas capta est: benignissimo Deo tanto annorum interuallo promeritam pœnam differente; patientérque, vt per sanctorum Apostolorum prædicationem ab errore ad sanam mentem, verámque fidei cognitionem se reciperent, expectante: eáque ratione *ab ira, quæ super filios diffidentiæ ventura est*, liberarentur. Quare etiam omnes illi cladem euaserunt, qui ex illis in Christum crediderunt, cæteri verò, qui in perfidia perstiterunt, miserè interierunt.

Deo, vt homo est dolorẽ tribuere fas est, secus nequaquam. *Cur dominus triginta quinque annos, & eo amplius distulerit expugnationem Ierosolymorũ.*

Ephes. 2. *Qui ex Iudæis in Christum crediderunt, illi cladẽ Ierosolymorum euasere.*

Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad D *pacem tibi est.* Hoc est, si cognosceres, quænam sint illa, quæ & vtilia, & planè necessaria sunt, vt pacem cum Deo ineas (cuiusmodi inter cætera sunt fides in Christum, & obedientia, cessatio à typis, & vmbris, cultúque legali) non tantæ te miseriæ & cruces exciperẽt: verùm sunt isthæc ab oculis tuis abscondita. De industria enim scire, hoc est, Scripturas, quæ œconomiæ meæ Sacramenta produnt, intelligere noluisti.

Qualia sint quæ Iudæis cũ Deo pacem conciliare poterant.

Tempus visitationis tuæ. Visitationis tempus illud vocat, quo ipse è cœlo dilapsus, eam visitauit; multáque inter visitandum diuina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patrauit.

Cuiusmodi fuerit tempus visitationis Iudæorum.

Et ingressus templum cœpit eijcere. De ijs, quos è templo eiecit, cæterísque omnibus, quæ inde consequuntur, vsque ad illud: *Hi accipient damnationem maiorem*, disputatum est in Euangelio Matth.

Cap. 22.

CAPVT XX.



QVO *audito dixerunt illi: absit.* Parabola de vinea, alteri genti tradenda, audita, Iudæi mox subijciunt: *absit hoc*: Siquidem ex Christi verbis, ingentem calamitatem ceruicibus suis impendere intelligebant.

Qui deuorant domus viduarum. Quomodo Scribæ deuorabant domus viduarum? Ieiuniorum loco gastrimargiam suo exemplo docebant; viduarum ad hæc causas non propugnabant; sed bona illarum absumebant. Accipient hi autem maiorem damnationem: nam cùm Doctorum

Quo sensu Pharisæi viduarũ domus deuorasse dicantur.

Doctorum & Pastorum formam præ se ferant, ad omnem tamen improbitatem, & malitiam, duces se præbent.

CAPVT XXI.

Quomodo vidua plus omnibus in corbonā miserit.



VIDVA *hac pauper, plusquam omnes misit.* Quo sensu mulier hęc paupercula, & vidua diuites omnes, qui dona in gazophylacium mittebant, superabat? iustotúmque calculum à Deo accepit? quia diuites ex magnis opibus pauca, ipsorúmque facultatibus imparia, huc inferebant, cùm multa alioqui, pro opum suarum quātitate, huc inferre, & offerre debuissent. Vidua autem modicum illud, quod sudore parauerat, & è quotidiano victu vix compararat, hoc totum in medium attulit. Ea enim magnanimitate, & deuotione duos obulos, hoc est, omnia, quę habebat, obtulit, ac si vitam propriam pro nihilo duceret.

Vidua totum, quod habebat offerens, Dei honorem & cultum vitæ propriæ visa est anteferre.

Et quibusdam dicentibus de templo. De templo, & sæculi consummatione, vsque ad illud: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt,* scriptum est ad Euangelium Matthæi. *Cap. 24.*

Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula. Cùm de sæculi consummatione disseruisset, supremúmque diem illum, citra vllam controuersiam, olim venturum exposuisset; atque ea omnia quæ futura prædixerat, certò euentura, asseruisset; neque fieri posse, vt quippiā ex omnibus secus, ac prædictum erat, eueniret, statim subdit: *Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, &c.* Etenim vitæ huius cura, crapula item, & ebrietas homini intellectum adimunt, fidem obscurant, & earum rerum, quæ sunt vtiles & necessariæ, obliuionem inducunt. Quocirca magna opus est vigilantia, magnáque cautione & prudentia, dandáque opera, vt præter iugem orationem, conuenientia quoque ieiunia Deo offeramus.

Seculi cura & crapula homini intellectum & mentē adimunt, fidem obruit, & vtiliū omnium obliuionē inducit. Iugi orationi, opportuna ieiunia adiungenda.

Et erat diebus docens in templo. Ecquænam docebat in templo? ea, utique, quæ legalem cultum & sensum multùm excedebant. Nam quæ in typo tantùm, & vmbra antiquis tradita erant, ea ille cum potestate, ad veritatem transferebat. Propterea quoque populus sermonis illius vim & potestatem admiratus, libentissimè eum audiebat.

Doctrina Christi legalē cultū & sensum multis partibus excedebat.

Populus Iudæorū Christum auidè disserentem audit.

Noctes exiens morabatur in monte. Pernoctabat autem in monte oliuarum; cùm, vt ciuitatis tumultus, & strepitus declinaret; tum etiam, quò nobis hoc facto precandi formam daret.

CAPVT XXII.



APPROPINQVAVIT *autem dies festus azymorum.* De eo, quòd dies festus azymorum appropinquabat; & quod summi sacerdotes eum interficere quærebant; & quod sathanas in cor Iudæ intrauerat; & quod de Christi traditione cum principibus sacerdorum pepigerat; & de eo tandem, quòd ad hanc rem conficiendam, tempus opportunum quærebat, vsque ad illud: *& duodecim Apostoli cum eo,* præscriptum est in Euang. Matth. *Cap. 26.*

Et ait illis: desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Per hæc disertè significat, se non inuitè ad crucem & mortem accedere; sed magno cum desiderio crucis supplicium pro mundi salute subire. Non manducat autem hoc pascha cum Iudæis, sed tantùm cum discipulis suis: Siquidem Iudæi, propter obstinatam incredulitatem, hoc paschate indigni erant.

Dominus pro mundi salute, magno desiderio crucis supplicium subijt.

Ex hoc non manducabo illud. De hoc loco vsque ad illud: *Væ homini, per quem tradetur.* De eo rursum, quòd facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior, vsque ad illud: *Sicut qui ministrat,* scriptum est in Euang. Matth. *Cap. 19. 20.*

Cæterùm cùm Dominus palàm dicat: *Ego in medio vestri sum, sicut qui ministrat,* quis adeò sæuus, aut mentis inops est, vt omnem mox fastum, & ambitionem non respuat? Cui vniuersa sancta: mentéque & ratione prædita creatura, cultum & ministerium defert; quique eadem prorsus cum Deo Patre maiestate & potestate pollet, is ministri persona sumpta discipulorum pedes lauat. Etsi interim hunc ministerij ordinem, non absolutè, sed tantùm secundùm carnis œconomiam subeat.

Christus Dominus verbo & exemplo sustulit omnē superbiæ & ambitionis causā, docuitque omnem animi submissionem & humilitatem.

Vt edatis, & bibatis super mensam meam, in regno Patris mei. Hoc ea de causa non asserit, quasi vllus istic denuo mensæ, aut esculentis locus futurus sit; sed quòd res spirituales, rebus apud nos vsitatis, exprimere voluerit. Tum rursum, vt ostendat; quemadmodum ij, qui primas apud terrenos reges obtinēt, eadem cum illis domo & mensa vtuntur; ita sanctos, celeberrimósque Apostolos quoque, primis honoribus apud immortalem regem potituros; tanquam qui in tentationibus constanter cum illo perseuerauerint.

In cælesti beatitudine nullus carnalium dapibus erit locus.

Quid sit, accumbere mēsæ Christi in regno cælorum.

Et sedeatis super thronos. Hæc alibi iam exposita sunt. *Matth. 10.*

Dixit autem Dominus Simoni; Simon ecce sathanas, &c. Cur cæteris omnibus missis, soli Simoni Petro dictum est: *Simon, Simon, ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum.* Vt hinc moneatur, ne viribus suis nimium fidat; verùm ex solius Dei gratia, laudem quærat. Cribrare autem idem est hoc loco, quod turbare, vexare, exterrere, tentare, &c. mos est enim sathanæ sanctis probatisque viris insultare; quemadmodum cognoscere ex ijs licet, quæ per diaboli inuidiam beato Iob acciderunt.

Cur soli Petro dictum sit: Simon, ecce sathanas expetiuit vos, &c.

Mos sathanæ sanctis insultare, eisdēque insidias moliri.

Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Per hæc Dei verbum verè carnem se factum planum facit: siquidem precari tantùm in humanam naturam conuenit, in diuinam autem nequaquaquam. Ostendit per hæc eadem quoque, si Simon Petrus sathanæ liberè, prout petierat traditus esset, fidei iacturam in totum facturum fuisse, quandoquidem in illius potestatem non traditus, aut certè non plenè traditus, adhuc fide infirmatus est: negauit enim.

Orare non cōuenit in diuinā naturā.

Simon fide infirmatus.

Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Hoc addit, ne animum prorsus despondeat; quin magnam potiùs, de Dei auxilio fiduciam mente concipiat. Illud autem: *& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos,* hunc habet sensum: Esto posthac Petre, eorum doctor, & firmamentum, qui mihi per fidem adiungentur. Nam & si me negaturus es, non ob id tamen Apostolica gratia priuabere; id quod certissimum diuinæ erga illum serenitatis, infandæque benignitatis argumentum erat.

S. Petrus eorū Doctor & firmamentū, qui in Christum credunt. *Matth 26.*

Domine tecum paratus sum ire in mortem. De hac Petri sponsione, Christique, quod eum negaturus esset, prædictione, scriptum est iam antè.

Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, &c. Non sancit opposita, aut inter se pugnantia Dominus; quando initio dicit: *nolite possidere peram;* nunc verò, *qui habet sacculum, tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium:* Siquidem initio perfectam illam rerum abdicationem Apostolis indixit, vt exemplo, certáque experientiæ fide edocti, nihil vnquam necessariorum per Christi virtutem & prouidentiam sibi defuisse, promptè postea intrepidéque terrarum orbem percurrant.

Matth. 10. Marc 6

Cur Dominus initio prædicationis suæ Apostolis indixerit perfectam rerū abdicationem, quā in vltima cœna visus est reuocare.

At verò ad œconomiæ suæ terminum iam adductus; illa, quæ modò audita sunt, præcepit; ne videlicet, si quando paupertate, aut inedia, aut nuditate, aut aliquo alio eiusmodi incommodo tentarentur, ab omni prorsus cura, & solicitudine semper vacui degerent; rati ea, quæ muneris sui erant, perinde per ipsos perfectum iri, ac per quædam in anima instrumenta.

Cur Apostolis, diuenditis tunicis, iussi sint gladium emere plures extitere causæ.

Fecit hoc rursum ea quoque de causa Dominus; ne qui posthac dicerent, Apostolos nihil de suo in medium contulisse; verùm omnia diuino nutu & prouidentia, absque vlla prorsus illorum opera, perfecta esse. Fecit id denique ideo etiam, quò debitam vbique mensuram seruare discerent; neque aliquam opinionem homines maiorem, de se caperent.

Propter

Propter hæc ergo, & alia his maiora, cùm decreuisset illos in multa inexspectata incommoda labi permittere; noluit prioris illius sanctionis rigorem vrgere; sed primæui illius instituti seueritatem nonnihil remittere, ac temperare; ne grauis planéque intoleranda vita illis esset, si omni externo præsidio sæpe destituti, exactam illam abdicationis regulam perpetuò accuratè obseruare compellerentur.

Cur Domin⁹ gladij ænigmate vsus sit.

Et emat gladium. Per gladium, quem parare iubet, Iudæorum aduersum se insidias & apparatum designat; seséque mox ab illis comprehensum iri, eodem illo symbolo indicat. Atque hoc quidem ille, ne nimiùm turbarentur, disertis verbis exprimere noluit: interim per gladij ænigma malum, quod impendebat, eáque à Iudæis sese perpessurum, quæ paulò post perpessus est, insinuat; quemadmodum ex ijs id perfacilè colligi potest, quæ proximè subduntur: nam cùm dixisset, *emat gladium,* statim subiungit: *Quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim quæ de me sunt, finem habent.* Neque ergo rem omnino tacitam habuit, ne repentina Iudæorum insultatione plus æquo turbarentur; neque manifestè rursum indicauit, ne nimia formidine exanimarentur.

De duobus gladijs, quos Dominus sat esse dixit, argutum dilemma.

Cùm autem Apostoli, quo tenderet, nō intelligerent; *Domine,* inquiunt, *ecce duo gladij hic, at ille dixit eis, satis est.* Atqui si humano præsidio vti illos voluisset, neque si centum gladij in parato fuissent, satis erat. Quod si verò illo defensionis adminiculo eos vti non voluit, duo quoque superuacanei erant. Attamen secretum hoc illis non aperuit; sicut nec alia quoque complura. Persæpe enim, dum Apostoli obscurum aliquod illius dictum non assequuntur, præterit illud, sinitque, vt dictorum notitiam, è rerum, quæ postea consecutæ sunt, euentu, hauriant: sicut quando dicebat: *Soluite templum hoc, & in triduo, &c.*

Dominus nō omnia obscura Apostolis semper edisserebat.

Positis genibus orabat. De oratione, quam fudit Christus, antequam pateretur, scriptum est in Euangelio secundum Matthæum.

Cap. 26.

Et factus est sudor eius, &c. Vt verum se hominem esse, omnibus planum faciat, eámque luctam & agoniam ex diuina natura non prouenire ostendat, sudauit: *Factus est enim sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sub qua re vtique magnum sacramentum tectum latebat. Nam licet ingenti terrore quispiam cōcutiatur, summéque meticulosus habeatur, non ideo tamen ob solum metum; vel ob solam animi luctam, sanguine sudare solitus est. Ea propter sanguineo sudore perfundi, res est planè præter naturam. At placuit nihilominus Christo, vt hoc quoq; in se fieret, quò nimirum timiditatis fons, pauorísque fluxus, qui naturæ nostræ cohærebat, hoc modo abstergeretur, penitúsque ex illa profligaretur.

Cur Domin⁹ in horto sanguine sudarit.
Sub sanguineo sudore magna mysteria tecta latebant.
Sanguine sudare res est præter naturam.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans illum. Non ideo id factum est, quod is, qui ab vniuersa cœlestium virtute, non absque timore, & tremore adoratur, & glorificatur, Angeli confortatione egeret; verùm vt illud impleretur, quod in magno Moysi cantico ea de re proditum extabat, nempe illud: Et cōfortent illum omnes filij Dei. Enimuerò propter summum rei miraculum, Angelus non citra illustrē laudem, pronámq; adorationem, eiusmodi oratione eum affatus credi potest: Tua Domine est virtus, tua est potentia. Tu enim aduersus mortē, aduersus infernum & diabolum, dum genus humanum ab illis liberas, victoriam & regnum obtinuisti.

Christus Dominus nō egebat vt ab Angelis confortaretur.

Qua oratione Angelus affatus sit Christum in horto.

Et cum surrexisset ab oratione. De hoc loco, déque Iudæ osculo, & sequentibus, vsque ad illud: *& duxerunt illum ad Pilatum,* scriptum est in Euangelio Matth.

Cap. 26.

CAPVT XXIII.

Iudæorū aduersus Christum accusationes variæ, sed omnes à persona falsæ.

Oeperunt *autem illum accusare.* Accusabatur Christus à Iudæis variè; Ast illorum accusatio fide carebat; quippe cum res ipsa voces depromeret accusatoribus planè contrarias. Nunquam enim ille, ne Cæsari censum darent, prohibuerat; imò disertis verbis oppositum iniunxerat. *Reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Matth. 22.

Sed neque vnquam quoque imperium affectauerat, imò verò cùm turbæ totæ in vno hoc essent, vt regem eum crearent, ipse; illis desertis, secessit in montem. Qualem, quæso, iniqui illi calumniatores, militarem apparatum viderāt apud illum, vt de regni affectatione illum accusarent? Ecquod vnquam ille, quod vllum omnino fastum, aut superbi, aut arrogantiam saperet, dicto, aut facto præ se tulerat? Nonne vicos, & ciuitates hominum curandorum causa, pedes obire palàm cernebatur? Quare ipsi etiam Pilato eiusmodi accusatio vana, nulláque omninò probabili ratione nixa visa est. Vnde percunctatio illa, tune es rex Iudæorum? aliud nihil erat, quàm tacita quædam accusatorum derisio. Etsi interim per hęc Christum Dominum reuera regem esse, non negetur.

Christus ad regnū Iudæorum petitus, fugit in desertum.

Domin⁹ nihil vnquam præ se tulit, quod terreni regni ambitionem saperet.

Pilatus Iudæorum accusationē tacitè deridet.

Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem. Christus Dominus à Pilato ad Herodem missus, ab eodémque de multis interrogatus, nihil quicquam respondit. Neque enim opus erat, vt hominem nihil prorsus responsione dignum in medium adferentem, vllo omnino responso dignaretur: maximè verò quòd doctrinæ tradendæ tempus iam tum nullum esset. Sed neque decebat quoque, vt cœlestia signa coram illo ederet, qui præstigijs spectandis, quàm diuinæ virtutis miraculis cognoscendis auidior erat. Dominus proinde tempus illud silentium postulare cernens, tacuit omnino.

Cur Domin⁹ Herodi multa interroganti nihil respondeat.

Spreuit autem illum Herodes, cum exercitu suo. Homo omni orationis sensu destitutus, numen illud venerandum, omnique cultu & adoratione dignum ludibrio habet. Cæterùm per quæ ille Christum deridet, per ea ipsum ab omni prorsus noxa, & iniustitia alienum esse propalàm declarat. Neque enim candido vestitu conuenienter illum induisset, si quod facinus dicto vel facto designasset. Quare Iudæi quoque hîc confunduntur, falsæque accusationis rei peraguntur. Quandoquidem eum, quem de multis accusauerant, candida veste ornatum, ab Herodis tribunali decedere conspicantur. Nam etsi totum, quod Herodes hîc fecit, irrisionis tantùm causa fecerit; attamen idipsum, quod fecit, non fecisset; si quid iusta ira dignum in eo deprehendisset.

Cādida vestis qua Herodes Christum induit, illum innocentē propalā ostendit.

Vestis cādida, qua Dominus ab Herode indutus fuit, Iudæorū calumnias redarguit.

Quin Pilatus quoque Christum Herodis sententia, nihil mali, aut morte dignum admisisse publicè hoc ipso demonstrat, quòd pro tribunali sedens, principes sacerdotum, & magistratus populi ita compellat: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes quoque.*

Pilatus Herodis facto eruditus, Christum insontē proclamat.

Necesse autem habebat, &c. Cur oportebat, vt vnum dimitteret eis per diem festum? probabile fit, posteaquam Iudæi in Romanorum ditionem & potestatem iam deuenerant, Romanorum duces id illis indulsisse, quod secundum patriæ ritum, legitimum apud eos erat. Inter hæc autem cōtinebatur quoque, vt vnus è flagitiosorum hominum numero, populo ad diem festum donaretur, hoc est, liber à morte dimitteretur. Sic Saul quoque Ionatham ad populi petitionem vita donauit.

Romani Iudæos viuere sinebant suis legibus & moribus.
Ionathas ad populi petitionē vita donatus.

Dimitte nobis Barabbam. De Barabba, déque Simone Cyrenæo, quem angariauerint, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Cap. 27.

Filiæ Ierusalem nolite flere. Cur Christus Deus, & Dominus noster, quando triumphantis more crucem adibat, mulieres, quæ plangebant & lamentabantur eum, adeò ob eiusmodi planctum & luctum non commendauit, vt obliquè quoque reprehenderit? Quia ad crucis supplicium sponte contendebat. Iam licet illi, qui ad cruciatum inuitus rapitur, commiseratio nonnullum solamen adferre soleat; attamen crucem cupidè vltróque affectanti, eiusmodi sympatia molestiam parit verius, quàm leuamen.

Cur Domin⁹ mulieres quæ plangebāt eū, non commendarit.

Etsi mors Domini aliquo sensu plausum deposcat, alio tamen vehementi luctum & mœrorem à nobis exstigit.

Quia ergo illę mœstæ afflictæque eum lugebant, quem æquius erat, plausu lætaque acclamatione excipere; quippe qui mortem iam tum extinctum, diabolum debellatum, & infernum euersum, & conculcatum abibat; ob id tacitè illas increpat, quidque posthac futurum sit palàm denunciat. Quæ etiam denũciatio tum euentum sortita est, quãdo Romanorum gladius Iudæorum prouinciam, & Ierosolymorum ciuitatem, miserandum in modum depopulata est.

Christus seipsum viride lignum vocat, & quare.

Cuiusmodi fructus fuderit viride illud lignum, quod Christus erat.

Quia si in viridi ligno, &c. Scipsum Dominus propter vitam diuinam, immortalem, & incorruptam, quæ in carne illius abdita latebat: Tum etiam propter operum virorum, fructuúmque vbertatem viride lignum vocat. Huius autem ligni fructus erant, viuifica doctrina, diuinæque admonitiones, & exhortationes, &c. Quod autem hoc loco Christus vult dicere, eiusmodi est.

Si Pilatus Romanorum præses, eiusdémque milites, me talem, hoc est, tanta virtute dignitate ornatum, tanta ignominia & dedecore affecerunt, tótque malis omni ex parte circumdederũt, quid acres bellicosique eorumdem Romanorum exercitus populo vestro, hoc est, Iudæis facient, qui aliud nihil sunt, quàm quoddam aridum & infructuosum lignum? In quibus nihil deprehendent iustũ, nihil admiratione dignum, nihil denique tale, propter quod consentaneum erat, vt venia vos donarent; aut aliquam saltem populi vestri rationem haberent. Quid aliud ergo restat, quàm vt vos tanquam aridum & inutile lignum comburant? hoc est, vndique obsideant, & in captiuitatem redigant, & propter impietatem, quam in Christum Seruatorem exercuistis, morti & internecioni dedant?

Iudæi aridum & infructuosum lignum.

Crucifixerunt eum, & latrones. De Christi Domini crucifixione, vsque ad illud: *Erat autem & superscriptio scripta super eum, literis Græcis, Latinis, & Hebraicis: hic est Rex Iudæorum*, scriptum est alibi, nempe in Euangelio Matth.

Cap. 27.

Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus. Cur Mattheus & Marcus vtrumque latronem conuitia in Christum detorsisse asserunt, Lucas verò alterum tantùm? Initio vterque latro æquè ac cæteri Iudæi Christo insultabat: forsan quò hac ratione, gratiam illorum emeriti, venia potirentur, aut aliquod saltem pœnarum laxamentum consequerentur, Posteaquam verò beneficio, quod à Iudæis expectabant, sese frustratos viderunt, alter è latronibus, ille nimirum, cuius hîc fit mentio, resipuit, sociúmque, vt vnà resipisceret, grauiter admonuit.

Vterque latro initio Christũ cõuiciabatur, & quare id fecerint.

Latro conuersus, peccatorum socium ad cõuersionem incitat.

Ast vnde hic, cùm miracula, quæ circa crucem, paulò pòst acciderant, nulla adhuc vidisset, ad mentem redijt? Fortassis ex oratione, quam IESVS CHRISTVS magna cum fiducia ad Deum, tanquam ad patrem transmittebat: *Pater*, aiebat, *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Nam & perinde cum eo loquitur, atque par cum pare, & Patrem vocat, & cum magna libertate; *dimitte illis*, clamat. Non enim dixit: Domine, rogo te, vt hanc illis noxam condones; sed simpliciter, *dimitte illis*, inquiebat. Ostendit per hæc autem, quæ Iudæi per iniuriã & contumeliam in illum committebant, ea propter vtriusque naturæ, & diuinitatis identitatem, in ipsius quoque patris iniuriam & contumeliam redundasse.

Quæ Iudæi cõmiserunt in Christum ea in patris iniuriam redũdant.

Matthæus itaque & Marcus ad alia festinantes, ea tantùm exposuerunt, quæ initio circa latrones acciderant; quod reliquũ verò eius historiæ erat, id prætermiserunt. Lucas autem prioribus, tanquam ab alijs iam expositis missis, quæ Matthæus & Marcus omiserant, prosecutus est: nempe vnius latronis pœnitentiam, noxæque agnitionem; exordio ab oratione illa Domini facto: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Per hanc enim (vt paulò antè dicebatur) probabile fit, alterum latronem ad compunctionem, cordísque contritionem peruenisse.

Lucas explet quod Matthæ & Marcus circa latronũ historiam prætermiserant.

Christus secundũ carnem nõ erat simul in cœlo, & in cruce, sed tantum in cruce,

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Quomodo hæc Dei, & Domini nostri promissio latroni facta, nimitum: *hodie mecum eris in Paradiso, expleta est?* Quod Christus Dominus noster sua diuinitate impleret omnia, & in cruce erat secundum carnem, & in cœlo secundum diuinitatem. De cruce rursum depositus, & in

A inferno erat secundum animam, & suæ nihilominus diuinitatis virtute latronẽ in Paradisum inferebat. Forsan latronem, qui in ipsum crediderat, priùs transtulit in Paradisum, quàm ipse ad inferos descendit.

nec secundum animã simul erat in cœlo & in inferno, sed in inferno tãtum.

Ad illorum porrò cauillationem, qui ita argutantur: quomodo latro ingressus est in Paradisum, cùm Sancti, iuxta Apostoli doctrinam, promissionem necdum acceperint? respondet D. Chrysostomus in hunc modum: Ecquid, quæso, incommodi est, etiamsi latro in Paradisum illatus dicatur. Neque enim Paradisi deliciæ sunt bona illa, quæ Deus nobis promisit: Non audis Apostolum, bona, quæ nobis promissa sunt, eiusmodi esse asserentem, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit? &c.* Paradisum autem, & Adami oculus vidit, & auris audiuit, &

B cor illius comprehendit. Latro ergo nondum recepit bona illa, quæ expectamus; neque enim DEVS se nos in Paradisum illaturum promisit, sed in ipsum cœlum; neque ille prædicabat regnum Paradisi, sed regnum cœlorum.

Hebr. 11.

Etsi Sancti necdũ receperint stolam secundã, adeoq; plenam illam retributionẽ, acceperũt tamẽ potissimã, hoc est, claram Dei visionem, cælestemque beatitudinem.

1. Cor. 2.

Etsi hæc, sive Chrysostomi, siue Titi sententia, sit multorũ veterum, hæc tamen ætate ob Ecclesiæ definitionẽ eam tueri non licet.

Erat autem ferè hora sexta. Hæc vsque ad illum locum: *& hæc dicens exspirauit*, exposita sunt in Euangelio Matth.

Cap. 27.

Videns autem centurio, &c. Quod Christus Dominus antè prædixerat, videlicet; *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, hoc opere iam nunc explere incipit. Cœpit enim multos statim cruci etiamnum affixus hærens, ad veritatis lucem trahere. Quare etiam Centurio, quæ fiebant, animo pertractans, glorificabat Deũ. Sed & nonnulli quoque ex Iudæis animo compuncti,

C rea pectora tundebant mentisq; oculis ad Christi agnitionem cõiectis, ab impietatis, quam contra Dominum exercuerant, peste liberi, vt credi potest, euadebant, audáxque & nefarium illorum facinus, qui Dominum in crucem egerant, detestabantur. Etsi id fortassis ob principum, qui ad spectaculum aderant, metum & immanitatem non apertè.

Ioan. 12.

Dominus cruci adhuc affixus incipit quosdam ad se per fidem trahere.

Nonnulli ex Iudæis Christo ex cruce adhuc pendente ad illum conuersi sunt.

Et ecce vir nomine Ioseph. Quomodo Ioseph Dei & Domini nostri IESV CHRISTI corpus sepelierit, & mulieres vnguenta detulerint, & Dominus ex mortuis resurrexerit, totum id explicatum est iam antè.

Matth. 27. 28.

CAPVT XXIIII.

D ET *ecce duo ex illis ibant.* Quandoquidem discipuli illi, qui castellum Emaus versum iter faciebant, mœsti de Christo tanquam de eo, qui ampliùs in viuis non ageret, inter se disserebant, (huc enim tendit hæc illorum oratio: *Et nos sperabamus, &c.*) Propterea Dominus illis se adiungens, ipsos stupidos, cordéque & mente tardos appellat; hac ratione animos illorum ad resurrectionis fidem paulatim excitans. Nam etsi resurrectionis famam, cùm per mulieres, tum per Petrum & Ioannem quoque ad se peruenisse non dissimulant; attamen quæ ea de rè referunt, tanquam fide adhuc destituti referunt; aiunt enim: *Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos*; neq; enim fœminas illas aliquam omnino veritatis lucem in

Cur Dominus discipulos in Emaus euntes vocet stupidos & corde tardos.

Discipuli mulierũ de Christi resurrectione dicta pro delirijs habẽt.

E medium attulisse putabant: Quod autem de resurrectione coram exposuerant, hoc totum ex quadam animi perturbatione, sensuúmque illusione ortum credebant. Sed neque illud quoque, quod Petrus & Ioannes de solis linteaminibus in monumento repertis testati fuerant, certum satis veræ resurrectionis argumentum censebant; ídque cùm ob alia, tum ob id maximè, quòd se illum non vidisse affirmarent; subdunt enim: *& abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum verò non inuenerunt.*

Discipuli Christi duri ad credendum Christi resurrectionem, & quare.

Et ipse dixit ad eos, ô stulti. Christus Dominus, à tanta illa cæcitate, discipulos modis omnibus liberos esse volens, veterum oracula, & vaticinia in memoriã reuocat, Moyséque & alijs sacris vatibus in testimonium adscitis, ea edisserit & explanat, quæ in illorum dictis obstrusa ia-

Dominus ex scripturis, & prophetarum oraculis resurrectionẽ suam probat.

Dominus nõ omnibus scri-

Scripturarum nodos aperit sed dignis aut certè indignis.

cebant, hoc est, dignis ea reddit clara & liquida, quæ apud indignos sunt, manéntque semper obscura.

Et appropinquauerunt castello. Quia verò, vt Euangelista exponit, eorum oculi tantisper tenebantur, ne cum agnoscerent, dum Seruatoris nostri doctrina in illorum corda recepta, viam ad fidem ipsis aperuisset; ob id, vbi primum eò adductos animaduertit, vt verbis illius acquiescerent, absolutéque crederent, statim natiuum vultum illis patefecit; attamen apud eos non mansit: *Et ipse*, scribit Lucas, *euanuit ex oculis eorum*; neque enim Domino post resurrectionem eiusmodi cum discipulis conuersatio, & vsus erat, cuiusmodi antè. Nam quò maius sui desiderium, maiorémque amorem in illorum pectore excitaret, rarò admodum cum illis agebat.

Dominus tantisper discipulorũ oculos, ne eum agnoscerent tenuit, dum mẽtis illorum oculi aperirẽtur, fidémque de Christi resurrectione conciperent.

Cur Dominus familiariter cum discipulis nõ versaretur post resurrectionem, sicut ante.

Et resurgentes eadem hora, reuersi sunt in Ierusalem. Hoc est, eodem illo tempore, quo Dominus è conspectu illorum sese subduxit, nihil cunctati, statim Ierosolymam rediere. Veruntamen, neque eadem illa hora, vndecim simul congregatos compererunt, neque eodem illo temporis momento, quæ de domo IESV comperta habebant, retulerunt; sed post aliquot horas, intra quas nimirum, sexaginta stadiorum interuallum, quod inter Emaus & Ierusalam interiacebat, eos cõficere potuisse, probabile erat. Inter quod etiam temporis spacium Dominus Simoni visus est. Vndecim igitur duobus indicarunt, Dominum verè resurrexisse, & apparuisse Simoni; duo vicissim ea vndecim discipulis exposuerunt, quæ acciderant in via; tum quomodo eum in fractione panis cognouissent.

Discipuli Christo, in panis fractione, cognito, statim sese Ierosolymã versus contulere, at non statim eò peruenerunt.

Dum autem hæc loquerentur, stetit Iesus in medio eorum. Oculis eorum ab omni nube iam liberis, apparet illis Iesus; neque de se nunc loquitur, tanquam de altero; sed se ipsum manifestum exhibet, omnésque bono animo esse iubet. Illi autem præ admiratione, vsqueadeò exterriti & consternati sunt; vt pro Iesu spectrum aliquod, aut vmbram aliquam, sese conspicari existimarent: Dominus autem eiusmodi cogitationum fluctus sedare volens, verbum consuetum, & apud illos protritum mox depromit; ait enim: *Pax vobis.* Quò autem firmiter, citra vllam hæsitationem, se illum ipsum esse credant, qui mortem perpessus fuerat, ostendit statim, se tanquam verum Deum (huic enim soli occulta cordium sensa patent) internam illorum conturbationem minime ignorare.

Dominus citra vllas ambages, discipulis clarè sese manifestat.

Discipuli præ admiratione, & stupore, Christũ spectrum esse existimant.

Pax vobis, salutatio Christo familiaris. Soli Deo occulta cordium patent.

Quid, inquit, turbati estis; & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas, &c. Commonstrat illis manus, & pedes, & clauorum vestigia; & hæc ipsa contrectare iubet; quò certò exploratéque hinc cognoscant, illud ipsum corpus, quod mortem subierat, resurrexisse.

Cur Domin9 discipulis, post resurrectionẽ ostendat manus & pedes, &c.

Nemo proinde communem carnis resurrectionem, A tanquam vanam calumnietur, neque turbetur, aut corporum de mortalitate ad immortalitatem transitum inficietur, si de humano corpore scriptum audiat: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* Quemadmodum id enim animale dicitur, quod animali, hoc est, carnali concupiscentiæ obsecundat; ita spiritale illud vocatur, quod Spiritus sancti impulsui ad nutum obsequitur. Atqui post generalem mortalium omnium ex mortuis resurrectionem, nullus ampliùs carnalibus illecebris, aut voluptatibus locus erit; Verùm omnis omnino carnis peccatíque stimulus iam tum prorsus extinguetur, & eneruabitur. Illud ipsum nihilominus, quod fertur in terram, exuscitatum induet immortalitatem.

1. Cor. 15.

Quo sensu seminari dicatur corpus animale, & surgere spiritale.

Carnalibus illecebris nullus amplius post resurrectionem locus erit.

Locus hic autem admonere videtur, vt paucis expendamus, per quot argumenta, modos, & rationes Christus B Dominus discipulis, suam resurrectionem probarit. Primo ergo per hoc verè se resurrexisse ostendit, quòd seipsum palpandum, & spectandum, manúsque, & pedes suos contrectandos sponte obtulit: *Palpate*, aiebat, *& videte.* Item: *Videte manus meas, & pedes meos.* Mox verò per hoc, quòd escam ab Apostolis petitam, in omnium conspectu comedit; etsi nulla alia de causa istud fecerit, quàm vt illum ipsum à mortuis resurrexisse, omnibus planum fieret, qui ante crucem toto œconomiæ suæ tempore humano more cum illis manducabat, & bibebat, & versabatur. Neque enim post resurrectionem comedebat, quasi caro illius aliquo adhuc alimento indiguisset. Postremò autem per hoc, quod mentem illorum illustrauit, quò scripturas, quæ de illo disserebant, intelligerent; & inter cætera, oportere, vt ea omnia, quæ à prophetis de ipso prædicta fuerant, implo- C rentur; pœnitentiáque & peccatorum remissio, inter omnes gentes, in nomine ipsius prædicarentur.

Christus Dominus multis modis & argumentis, se verè exuscitatum ostendit.

Cur Domin9 exuscitatus, in conspectu discipulorum manducauerit.

Nisi Dominus mentis lucem infundat scripturas intelligere nõ valet.

Vos autem sedete in ciuitate. Vbi illos in ciuitate Ierusalem considere, &, dum virtute induerentur ex alto permanere, iussisset, eduxit eos in Bethaniam, ibidémq; sublatis in cœlum manibus, suam illis benedictionem impertiuit. Hoc autem, vt ex Apostolorum actis, cognoscere licet, die quadragesimo à sua resurrectione accidit: Quæ enim Euangelistæ succinctè, & breuiter dixerant, illa illic latiori enarratione edisseruntur, & explanantur.

Dominus benedictionem suam discipulis impertit. Cap. 1.

At posteaquam verò bene illis precatus est, paululum progressus, subuectus est in cœlum; vt vnà cum adiuncta sibi carne patri assideat, simúlque regnum cum illo administret. Et hæc quidem est via illa, quam verbum humana forma vestitum nobis præmuniuit. Venturum est olim autem vnà cum Angelis sanctis in gloria Patris; nósque ad sese assumet. Ipsum decet gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

Verbum cum adiuncta sibi carne vnà cũ patre regnat.



THEODVLI, COELESYRIÆ PRESBYTERI THEOLOGI, IN PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS COMMENTARIVS.

Falsò videtur adscriptus hic commentarius Theodulo Cœlesyriæ presbytero, nam Theodulus obijt sub Zenone Imperatore, anno Domini 490. vt Gennadius est auctor lib. de Ecclesiasticis scriptoribus cap. 91. & Marcellinus Comes in Chronico, in distinct. 15. sine Coss. at in hoc opere citantur OEcumenius quem aiunt claruisse, anno Christi 800. & Photius qui electus est in Episcopum Constantinopolitanum circa annum Christi 858. vt eu Curopalat, Cedreno, Zonara & alijs constat. Ad hoc, Gennadius recensens Theoduli scriptorum monumenta, huius in Epistolam ad Romanos commentarij nequaquam meminit.

Authores ex quibus Theodulus Cœlesyriensis texuit Commentarium suum in Epist. B. Pauli, ad Romanos.

Dionysius Alexandrinus	Methodius	Phitius
Ioannes Chrysostomus	Basilius Magnus	Gregorius Nazianzenus
Cyrillus	Seuerianus	Theodoritus
Gennadius.	Isidorus.	Oecumenius.

Videtur autem hoc opus ex Oecumenij cathena ad verbum decurtatum.

EPISTOLÆ, B. PAVLI AD ROMANOS, ARGVMENTVM.

Euangelicam hæc Epistola institutionem continet, de ijs qui sunt extra Christi gratiam, tum de ijs qui sunt in gratia, tum de spe atque rebus spiritualibus.

S. Petrus Apostolorum Coryphæus. Seruitutis plures causæ.



AVLVS. Quia absentibus scribit, ideo nomen eius appositum est: à Saulo autem propterea in Paulum sanè permutatum est, vt ne inferior esset Apostolorum coryphæo Petro. *Seruus:* Multæ seruitutis sunt formulæ, quæ omnes in Paulo comparuerunt: alia namque creationis, alia Fidei, alia Apostolatus, alia ad Rempublicam attinens. *Seruus*: Ipsi namque totus sum venditus, liberatus ab Lege & peccato. *Iesu Christi.* Iesus, humanam naturam significat; Spiritus vero vnctionem, Christus. *Vocatus Apostolus.* Moderatè confitetur quod non per sese accesserit ad Apostolatus officium; verùm vocatus: vocatus autem non ad fidem tantummodo, sed ad muneris Apostolici functionem. *Segregatus in Euangelium:* Alius sanè ad alia selectus est, ego verò ad Euangelium segregatus sum. *Dei*: Deum enim existentem, Christum annunciabat; nam Patrem ex veteri Testamento norant iam anteà. Nihil autem triste, Prophetarum instar, prædicamus; enimuero Deum incarnatum annunciamus. *Quod antè promiserat per Prophetas suos:* Nemo, inquit, me noua tradere arbitretur; Iam olim enim promissum fuit hoc Euangelium. Quod adijcit: *In Scripturis*; indicat, quòd non modò id dixerint, verùm etiam scripserint Prophetæ. *De filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem:* Secundum spiritum enim Iesus, Dei erat. *Definito filio Dei.* Hoc est, demonstrato, declarato, cùm per Prophetas, tum per mirifica Dei signa, pérque resurrectionem. *In virtute*: Id est, non gratia, qua cæteri filij pollent; sed virtute, propriáque potentia quam operabatur & exhibebat diuinis signis. *Secundum spiritum Sanctificationis.* Et ex Spiritu, inquit, sancto, quem præstabat Iesus in sese credentibus. *Ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, per quem accepimus:* Et ex resurrectione, inquit, mortisque dissolutione; resurrectione autem, qua ipse Dominus noster Iesus Christus resurrexit. *Gratiam:* Non ex proprijs virtutibus rebusque per nos strenuè gestis, accepimus Apostolatum; sed quicquid id est, gratia & donum est. *Et Apostolatum, ad obedientiam:* Atqui Spiritus sancti, Apostolatus eius, munus est, vt in actis memoratur;

A Omnia tamen, quæ ad sanctam Trinitatem pertinent, communia nouit. *Fidei:* Etenim non oportet varijs occupari rebus eum qui Filij Dei generationem & essentiam nouisse velit, sed solummodo verbo obedire. *In omnibus gentibus pro nomine eius:* Et si enim ipse non omnes circumierit gentes; omnes tamen, per Apostolos Euangelium acceperunt. *Inter quas estis & vos vocati Iesu Christi:* Non, inquit, vt circa essentiam Dei curiosi simus, verùm vt nomini eius credant. In quibus gentibus; hoc est, cum quibus; & vos vocati estis: non enim à vobis ipsi venistis. Deprimit autem simul illorum fastum, perinde ac si dicat, Ne existimetis Vrbem imperatoriam vestram primas in orbe hodie tenentem, cæteris præstantiorem Euangelij nomine esse; siquidem cum cæteris, penéque gentibus vocati estis. *Omnibus qui sunt Romæ.* Non enim apud ipsum est discrimen inter diuitem & pauperem. *Dilectis Dei*: Primùm, *dilectis Dei*, posuit; deinde, *vocatis sanctis*; innuens, ex dilectione Dei esse sanctificationem.

B *Vocatis sanctis.* Vndique vocatis dicens, beneficia Dei nobis exhibita reuocat nobis ad memoriam. *Gratia vobis.* Nemo enim, inquit, ex operibus seruari potest. *& pax*: Nam à Deo, gratia & pax stabilis est. *A Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, primũ quidem.* Porrò per dictionem Patris; filiorum adoptionem quæ nobis obtigit, commonstrat. *Gratias ago*: Cõueniebat enim à gratiarum actione præfari. *Deo meo:* Gratias autem agere decebat, ne dum pro proximorum pariter officijs; hæc enim charitatis est indicium; Deum enim omnibus communem, sibi tantum vendicat. *Per Iesum Christum, pro omnibus vobis quoniam*: Ipse namque nobis autor est gratiarum actionis quam Patri exhibemus: quippe qui

C natura nostra assumpta, proprio sanguine Deo Patri nos reconciliauit. *Fides vestra annunciatur in toto Mundo.* Siquidem Romanorum fidem apud omnes passim diuulgari, non erat indecorum. *Testis enim mihi est Deus:* Meritò Deum testem adducit; hominibus enim incognitis persuadere, animus est. *Cui seruio.* THEODOR. Species seruitij Dei seu diuini cultus, multæ sunt. Etenim qui adorat Deum, illi inseruit, eúmque colit; tum qui inedia corpus suum extenuat, quin etiam qui sacris literis adhibet

mentem, ac qui petegrinotum curam gerit. Diuus verò Apostolus seruire se Deo dixit, gentibus adferens Euãgelium de Filio Dei: ac seruire Deo in spiritu; hoc est, in tradito sibi dono. *In spiritu meo:* Vel hoc dixit, Non quoniam meo conatu contigit mihi seruire Deo, sed Spiritus Paracleti gratia: vel, quia non carnalis est mea seruitus, sed spiritualis. *In Euangelio.* Multi quidem seruitutis modi sunt, ego verò per Euangelij prædicationem inseruio: Hinc simul commonstrans, quod necessario pro ipsis sollicitus sit qui Verbum Dei susceperunt, suscepturique dum sint. *Filij ipsius.* Viden' quod supra dicens, *in Euangelium Dei,* Christum dixerit? *quod incessanter memoriam vestri faciã semper in orationibus meis.* Sinceræ charitatis est, meminisse, & citra intermissionem istuc facere, maximè vero in precibus ad Deum. *Precans, si quomodo iam tandem.* Proficisci Romam vrgebatur, sed enim citra Dei voluntatem isthuc transire nolebat. Quod addit, *iã tandem olim,* ἤδη ποτὲ, admodum vrgentis profectionem argumentum est. *Prosperũ iter instituã in voluntate Dei, veniendi ad vos:* Vt facilitatem habeam (inquit) & vt profectio mea ad vos sit bona, sit honesta, & fœlix. *Desidero enim videre vos:* Non simpliciter inquit, nec citra fructum videre vos laboro, sed vt donum vobis communicem: dicit autem, doctrinam & institutionem, hoc enim est fulciri. Est autem hinc colligere, ipsos vehementer fuisse commotos. *Vt aliquid:* quod ait, *Vt aliquid:* moderantis est: quasi dicere velit, parum quippiam. Quũ subijcit, *impertiam,* indicat, quod nihil mei vel ex me dabo, verùm illud duntaxat quod à Deo ego accepi, *Spirituale gratia vobis impertiam:* Haud enim exigua gratia vel exile donum est, fide non concuti. *Vt fulciamini vos, hoc autem est, vt simul consolationem accipiam in vobis per mutuam fidem, vestram & meam:* Postquàm fulcri vel constabilitionis meminisset, vt ne contristaret eos planè quod in fide cõcuterentur nutaréntve, statim consolationem mutuam subdit: Hoc est, vt ego vos, & vos ipsi me consolemini. Mutua enim inter nos consolatione (inquit) indigemus, ob eam quæ in nobis est, fidem. Valde autem moderatè agit. Potest etiam ista paraclesis sic intelligi: Vt vos quidem à me ad fidem aduocemini, ego autem ad lætitiam vertar, quando quidem vos Cbtisto credentes cernam. *Nolo autem vobis clam esse fratres, quòd sæpè proposui venire ad vos.* Multorum namque Fidelium conuentus, maximam consolationem parit. *& prohibitus sum hus vsque:* Si igitur venire optas atque vtilitatis causa iter instituis, cur non aduenis? *Prohibitus sum,* inquit. Non autem iam sciscitatur causam curiosè vetationis istius: non enim nostrum est, poscere à Deo causas eorum quæ mandat, sed nostra interest, obedire tantummodo. *Vt fructum quempiam & in vobis habeam, quemadmodum &c.* Omnino dixerit hic aliquis, quod eam ob rem vetitus sit; quia non secundum Dei voluntatem proficisci voluerit. Haud quaquam, ad hoc respondet, fructum enim & in vobis habere volui. Fructum autem appellat, quod eos ad fidem perducat. *In reliquis gentibus:* Dum cæteris eos gentibus copulat, fastum illorum retundit. *Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: sic quantum in me est, promptus sum, & vobis qui Romæ estis, Euangelium prædicare,* perinde ac Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Sic quantum in meo est studio ac prõptitudine, vobis etiam prædicare Christum repete, *debitor sum. Non enim pudet me Euangelij Christi.* Quia infidelibus, pleráque incelebria Euangelio inesse videntur, quod genus sunt, Crux, mors, Iudæorum dementia, docet iam eos, nihil in ipso inglorium incelebre reputandum propter quod pudefieri quisquam debeat. Deinde ad reliqua pergens, extollit Euãgelium. Alia etiam ratione isthuc intelligi potest. Quoniam Romani ob non parum multa quibus abundabant, insignia & præclara, veluti diuinijs, potentia, sapientia, turgebãt. Vosquidem, inquit, illorum causa superbitis, ego autem Deum prædicaturus venio in medio vestrum, & non erubesco. Quam ob causam? Potentia enim Dei ad salutem suspicientium illud, vt sequitur. *Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti:* Pulchrè dicit, *Ad salutem,* est enim & ad pœnam potentia Dei ad salutem autem non cuiuis cedit, sed credenti: Inobedientibus enim & incredulis, pœnam intermin atur Euãgelium *Iudæo primum & Græco:* Verbi tantum honor est, *primùm:* non gratiæ exuberantia. *Iustitia enim Dei in ipso reuelatur:* Vt ne salutem & iustitiam audiens, eam solummodo significare ipsum censeas quæ est in hoc sæculo, subdit, eam reuelari: quod, & futuram salutem & iustitiam innuit, perinde quasi nondum tota manifestata sit. *In ipso,* Euangelio scilicet. Aliter. Oportet enim fidem adhibere Prophetis, perque illos ad Euangelij fidem perduci. Vel aliter: Domino enim Christo credens, Baptismatis gratia accepta, transfertur per eam illo vt futuris bonis credat; nimitum resurrectioni à mortuis, & æternæ vitæ regnóque cœlorum. *Ex fide in fidem:* A fide incipit, & in credentem desinit; vel, à fide orditur, & in fidem desinere debet tanquam non debeamus nos, cuncta quæ in ipso sunt, curiosè rimari, *Iustitia enim Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem:* Iudæo quidem reuelatur ex fide Legislatoris, quæ fuit in Iesum Christum, Græco autem ex fide naturæ, in ipsam Iesu Christi fidem. *Quemadmodum scriptum est, iustus autem ex fide.* Vt non videatur impersuasibile verbum, quòd fides salutem donet & iustitiam; Abbacuc vatem, testis vice producit, Abbac. 2. Viuet; In die iudicij. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem.* Primùm quidem post præfationem de iudicio quod est contra Gentes quæ naturæ Legem non custodierunt. *Impietatem & in iustitiam hominum veritatem:* Iustitia namque vniformis, variæ, verò circa dogmata est impietas. Hanc ad rationem varia est circa vitam, adeóque mores, malitia & prauitas. *In iustitia detinentium:* Veritas quidem est Dei cognitio, iniustitia verò, idolorum impostura. Illi igitur veritatem Dei in iniustitia detinent, quotquot cultum Dei, Idolis tribuunt. *Detinentium* porrò; idem est, ac *Obseruantium. Eo quòd, id quod de Deo cognosci potest.* Cognitio enim Dei manifesta est inquit; per visibilem enim creaturam, inuisibilis Deus cognoscitur. Proinde huiusmodi, suaptè spontè in errorem abducuntur. *Manifestũ est in ipsis,* Per pulchritudinem & magnitudinem huius creaturæ. *Deus enim ipsis manifestauit,* dum apponit omnibus creaturam doctricem suæ maiestatis: *Cœli* enim, vt Dauid inquit, *enarrant gloriam Dei.* Psalm. 8. *Inuisibilia enim ipsius.* Vbi dixisset Apostolus, quòd suam illis Deus notitiam manifestasset, ipsique suapte sponte eum neglexissent; iam hoc demõstrat, inquiens, quoniam per ea quæ condidit Deus, veluti per inuisibilia & visibilia, monstrauit suam ipsius maiestatem: nam Creatura vocem edens, per visum, Autorem suum deprædicat. *Inuisibilia* verò, intelligit Angelos, adeóque vniuersam cœlestem potentiam ac virtutem: Per opera autem; quæ cernuntur, accipit; vt cœlum, terram, Mare. Intuere ergo in ea quæ dicit; *Inuisibilia* (inquit) *ipsius, per visibilia, perspicua redduntur.* Quãnam ratione istuc? Qui enim cœlum intuetur, cogitabit omnino, quòd intra ipsum sint Spiritus nonnulli administratorij: Itaque quod non apparet, ex eo quod conspicitur, declaratur. *A creatura Mundi, ex operibus, intellecta conspiciuntur:* Vt ne cœternos Deo Angelos arbitreris, creationi eos subijcit. *Inuisibilia enim,* inquit: qualia nam hæc? Quæ à condito Mundo ad generationem rerum peracta sunt. Angeli quãdo creati. Pulchrè autem ait; *Conspiciuntur,* ex visibilibus enim, intelligibilia cognoscuntur. *Ipsa nimirũ sempiterna eius virtus ac diuinitas:* Repete, *Intellecta conspiciuntur.* At quomodo per creationem, æterni Creatoris agnoscitur virtus & potentia? Quia, quum, quæ generationis via producta sunt, corruptibilis sint naturæ, suóque tempore ad substãtiam sint traducta; horum auctorem, incorruptibilem & sempiternum esse, omnino necessarium fuerit. *Vt sint ipsi inexcusabiles quòd cum Deum cognouissent:* Quum enim tot tantáq; sint quæ Dei maiestatem indicant; quomodo se purgabunt qui (voluntariè cæcati)

excæcati) non incubuerunt studijs suis, vt Deum agnoscerent? Quinimo etiam si hoc accidit & cognouerunt quidem Deum per creationem, sed suapte sponte neglexerunt, & tamen, *non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*. Pro quibus enim oportebat glorificare Deum, illique gratias agere quòd Mundum quem conspicimus (nobilissimum opus) condiderit, è contrario tantum abest vt glorificauerint, vt ignominia etiam adfecerint. *Sed vani facti sunt in disceptationibus suis:* Errauerunt (inquit) & à Deo prorsus exciderunt. Porrò quum dixisset quòd voluntarij excæcati essent, adijcit causam, quæ est, quod omnia suis rationibus commiserint, & non fidei. Volentes enim per formam & figuram formæ omnis expertem, pérque imagines corporeas, incorporeum deprehendere, in errorem delapsi sunt quum non possent cogitationibus suis ad finem duci. Verbi gratia: Vndenam pateat, quod cœlum aut terram Deus condiderit? Quis nam Pater Dei, quæve causa subsistentiæ vel Personæ eius, aut quæ ipsa sit Hypostasis? *obtenebratúmque est cor eorum non intelligens.* Nubibus enim adæquatæ cogitationes eorum, obfuscarunt ipsorum cor insipiens. Insipiens autem ideo appellat, quod noluerint fide Vniuersum ipsum comprehendere. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt:* Causam reddit cur omnia cogitationibus suis permiserint: Putarũt, inquit, se esse sapientes, séque sufficere sibi ad cuiuslibet rei comprehẽsionem, idcirco stulti facti sunt, quid enim dementius, lapidum & lignorum adoratore? *Permutaueruntque gloriam incorruptibilis Dei.* Habebant sanè scientiam Dei, sed hanc transtulerunt in gloriam & cultum Idolorum, quibus & creationem rerum adeòque præscientiam diuinam tribuerunt. Hæc itaque Idolis adiudicarunt, quæ conficta fuerunt ad similitudinem hominum, alitum, & cæterorum, nec interea loci pudefiunt, quæ solius Dei sunt propria, Serpentibus & reptilibus accensere. *In similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & Serpentum.* Quod Deum corruptibilem essentiam putabant, satis erat ad redarguendam illorum amentiam: at verò quod corruptibilis imaginis similitudinibus, Dei gloriam adiudicarunt, isthuc verò, cùm attonitæ, tum stupidæ prorsum mentis est. *Propterea tradidit eos Deus in desideria cordium suorum, ad immunditiam, vt ignominia afficerent corpora sua in semetipsis.* Non ipse sanè tradidit, absit: verùm ijs quidem istos neglexit, à cura sua illos excidere sinens, quod quum contingit, consequitur eos ab Sathana cõprehendi: hinc, tradidit eos, in quæ tradidit. Dei itaque permissum, traditionem appellat. *qui permutauerunt:* Viden' rursus permutandi verbum, significare permutationem secundum formas? *veritatem Dei in mendacio.* THEON. Veritatem vocat, Dei nomen, mendacium autem, manufactum Idolum. Quum igitur debuissent verum adorare Deum, Creaturæ diuinum cultum obtulerunt. Aliter: Quoniam Deus verè quidem Deus est, idola autem quæ coluerunt vani, appellantur dij. *Et coluerunt:* Hoc est, quæ verè de Deo dici & intelligi possunt, mendacio attribuerunt, hoc est, Idolis. *Et seruierunt.* Suapte namque sponte, in cultu Idolorum perseuerarunt. *Creaturæ potius.* Atqui per hoc (inquit) Deus nihil quicquam læsus est in propria sua gloria, nam in se permansit, idque in sæcula benedictus. Ipsorum autem pœnæ prædictæ ac prædicendæ, sunt corporis sui ignominia & permutatio. *Quàm Creatori qui est benedictus in secula, Amen.* Comparatione, semper terribiliorẽ facit sermonem: Creaturæ, inquit, potius quàm creatori seruierunt. *Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ:* Propterea qualénam illud est? Nempe quod seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori *fœminæ namque eorum mutauerunt naturalem vsum, in eum qui est præter naturam.* Habentes namque natura congressum legitimum, permutarunt illum in illegitimum. *Similiter & Mares relicto naturali vsu fœminæ* Turpissimum quiddam rectè dicit: *Exarserunt in cupiditate sua:* Ostendit quod nedum aduersum diuinas Leges,

Qua ex causa contigerit Philosophis errare in Dei cognitione.

Tradere, pro, permittere.

verum etiam aduersus naturales bellum gerant. *Inter se mutuo, masculi in masculos:* Multam insaniam & œstrum denunciat; proptereà exarserunt. *Turpitudinem:* Non dicit; cupiditatem suam exercentes; sed enim, *turpitudinem*, planum faciens, quod ipsam etiam naturam pudefecerint. *operantes.* Viden' quod non ignorantiæ affectus fuerint, sed quòd studiosè tanta scelera patrarint? κατὰ, enim, præposito, in participio, κατεργαζόμενοι, ἐπίτασιν, hoc est, intentionem & contentionem quam ostendit, perinde ac si quisquam contendat ac totus in hoc sit vt offendat Deum. *Et mercedem quam oportebat;* Quæ illis opportuna erat, ac quæ illos decebat qui tales essent. *Erroris sui in seipsis recipientes:* Mercedem dicit, quæ debebatur errori eorum. Errorem porrò vocat, quòd adorarint creaturam: Quam in semetipsis recipiunt, mulier à muliere, vir ab viro turpia patientes. Quum enim sermonibus de Gehenna non adhiberent fidem, hanc ipsis mercedem compensationem Diuus Paulus profert, qua pudore eos suffundat. *Ac quemadmodum non probauerunt Deum habere in agnitione, tradidit eos Deus.* Obseruásne, quòd non ignorantiæ error fuerit, sed scientiæ? Ac quosdam potius illorum subobscurè perit, etiam si orationem suam perinde instituat, quasi de alijs loquatur. *In reprobam mentem, vt faciant quæ non oporteret:* Per auersionem enim a Deo, reproba mens à dæmonibus inducitur. Hanc sanè auersionem, inductionémque, mos est Scripturæ appellare traditionem. *Repletos omni iniustitia, fornicatione, malitia; refertos inuidia, cæde, lite, dolo, prauis moribus; murmuratores, detractores, Deo odibiles, iniurios, superbos:* Nullam itaque mensuram dicit, neque quicquam medij habet; sed, *repletos*, dicit, ceù pleni sint iniustitia, eáque omni: Quum enim quisquam Deum auersatus fuerit, & ab eo discesserit; meritò omnia malorum genera è contrario in eum subintrant. Deinde generatim iniustitiam nominans; in posterum & species eius iuxta recenset. GENNADII. Hac iniustitiæ appellatione; omnia illorum (quæ inter sese admiserunt) scelera complexus, singula deinceps sigillatim denumerat. Ac maliciam quidem dicit, quæ ex confirmatione ad quædam, è labore fit, πλεονεξίαν. Auaritiam autem, noxam & circumuentionem accipit, quæ fit ex cupiditate plura habendi. Malitiam verò; conatum, quo proximum suum quisquam adfligere studet. Inuidiam porrò; ob proximi secundiorem fortunam, liuorem: Cædem, ad ipsum vsque homicidium, motionem. Litem, vituperandam seu ad conuitia vergentem contentionem vocat. Dolum, ob fratrum honorem insidias & artes. Morum prauitatem, ipsam morositatem, atque adeò in vitæ conuersationisque ratione difficultatem. Murmurationem autem, sub dente de præsentibus male-loquentiam. Obtrectationem maledicentiam à quibusdam in absentes. Deo odibiles, non eos quos Deus oderit; non enim isthuc Diuo Paulo iam nunc monstrare propositum est, verùm eos qui Deum oderunt hominum ita circa omnia execrationem explicãs, iniurios, audaces, temerarios & cõuiciatores vocat. Superbos, eos qui eorum causa quæ ipsi habent, inflantur erga eos qui talia non possident. Arrogantes, ostentatores dicit; qui ob ea quæ non habent, gloriantur æquè ac si habeant: Inuentores malorum; qui ob vetera mala, alia non perinde bona, noua moliri flagrant. Parentibus immorigeros, imprudentes in rebus parentum. Insipiẽtes; conscientia vacantes; huiusmodi enim nihil est insipientius. Fœderis expertes, qui pacta non seruant nec promissis stant, nec fœderibus perdurant quæ cum nonnullis percusserint. A charitatis affectu alienos; immites appellat, & sæuos, & amicis carentes. Irreconciliabiles; reconciliationem aut inducias non admittentes, iniuriarúmque non immemores: immisericordes verò, inflexibiles neque adeò ad misericordiam propensos. *Arrogantes:* Si enim rectè agens (si ostentet sese) in nihilum redegit ab se rectè acta, & cum virtute, qualinam supplicio dignus fuerit, qui in peccatis suis sese

Malitia, quid sit.

Odibiles Deo qui sint.

ostentat? *inuentores malorum, patientibus immorigeros, insipientes fœderis expertes, à charitatis affectu alienos, irreconciliabiles, immisericordes:* quod quidem exercentium sese proprium est, & studiosè quicquam agentium; non certè ignorantium. Dissidentes ab omnibus, hoc est, omneis odio prosequentes auersantésque. *Qui simul ac iustitiam Dei agnouissent.* Rursum indicat, per cognitionem eos peccasse: iustitiam, Dei verò mandata vocat. *Nempè quòd talia agentes digni sint morte.* Quæ verò est iustitia Dei? Quoniam (inquit) huiusmodi committentes, digni sunt morte; hæc enim Dei est iustitia. *Non solùm qui ea faciunt. Verumetiam qui consentiunt agentibus.* Duas culpas & accusationes ponit: alteram facere & coagere, vel adulterare facerentes: alteram, Proximum ad mala cohortari, inuitaréque. *Isidori.* Nonnulli, quod dictum est haud assequentes verùm pendentes animi; Apostolicas dictiones depranatas rati, hunc ad modum interpretati sunt; *Non solùm facientes ea, verùm & consentientes:* sic enim habebat (inquiunt) vetus exemplar, vt facere maius sit, consentire verò minus: Ego verò neque errasse existimans Apostolicos libros, neque assentiens illis qui non assequuti sunt mentem Pauli, Lectoribus istuc indicandum permittam. Censeo igitur, quòd simulátque delinquentes commendare, dum delinquunt, sit multò molestius ac maius quàm delinquere; meritò hac castigationis ratione dictum est, *non solum ea faciunt, verumetiam agentibus assentiuntur.* Nam qui cum delicto condemnat peccatum, poterit olim suo tempore seipsum recuperare; Maximum nimirum habens ad emendationem morum suorum iuuamen, condemnationem peccati: Qui vero nequitiam laudibus vehit, sese ipse auxilio quod ex permutatione morum in medium dependebat, viduabit. Quum ergo iudicium isthuc quo alter alteri peccanti adsentitur, corruptæ sint sententiæ, animæque immedicabiliter languentis; haud immeritò, delinquentis flagitium, laudans, longè sceleratior esse iudicatus est.

Peccantes laudare, quā sit flagitiosum.

CAPVT II.

PROPTEREA. Notat Apostolus vrbem, imperium occupasse Orbis: hinc ad principes sermo transfertur; tametsi ad plebeios & priuatos etiam referri commodè queat. *Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas; eadem etenim facis quæ iudicas.*

D Nam qui mala agit, & alios interim condemnat, contra sese primùm condemnationis sententiam profert. *Nouimus enim quòd iudicium Dei est in veritate, aduersum eos qui talia operantur.* Hic quidem (in Mundo nimirum) non est iudicium secundum veritatem: multi namque rei euadunt, & plerique insontes condemnantur: illic autem, apud Deum; est secundum veritatem. Porrò istud Dei iudicium; neque iniustum innocentem reddit; neque iustum morti adiudicat condemnátue, quãdo ad iudicium quisquam constitutus fuerit. *Arbitraris autem hoc, ô homo qui iudicas talia agentes & eadem facis, quòd effugies iudicium Dei?* Plerique námque putant (dicentes) quòd etiamsi peccem alios verò à peccando arceam mercedem inde tamen referam. Verùm tali imbutus affectu, illud Christi audiet; *Medice cura teipsum*, etenim condemnationem tu ipse tibi primus adduxisti. *An diuitias bonitatis ipsius, & patientiæ, & longanimitatis contendis*, Longanimis quidem est, veruntamen si non conuertamur, ensem suum vibrabit. *Ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te ducit?* Propterea enim longanimis est, non vti longanimitate eius vtaris ad occasionem maioris contemptus, verùm vt pœnitentiæ interuallum accipias. Perseuerans itaque in transgressione, vindictam Dei experieris, *iuxta verò duritiem tuam, & cor pœnitere nescium.* Quando namque neque bonitate quispiam mollitur, neque indignationem formidat; quid hoc quæso durius? *thesaurizas tibi ipse.*

A Omnino obseruandum hic ostendit, & quòd tibi ipse iræ autor es, & quòd reijcis bonitatem Dei, atque colligis indignationem. *Iram, in die iræ.* Ne verò dum iram audis, perturbationem animi existimes, subdit. *Reuelationis & iusti iudicij:* Hic enim, iustum iudicium non est motus. Tum enim maximè iustum esse iudicium reuelatur, quum reddit vnicuique secundum opera sua. *Reuelationis, & iusti iudicij Dei.* Tanquam ad interpretationem; pro, *id est*; coniunctio copulatiua, *Et*, adijcitur. *Qui reddet cuiuis secundum opera sua.* Non enim fides tantùm sufficit, sed operum etiam suus est vsus & commoditas. *Alijs quidem secundum tollerantiam operis boni gloriam & honorem & incorruptibilem.* Tollerantiam dicens, docet, vt sese strenuè aduersum tentationes gerant, *Quærentibus vitam.* Quærentibus vitam æternam; est Hyperbaton *Æternam:* Resurrectionis ianuas aperit. *Illis vero,*

Fides sine operibus non sufficit ad salute.

B *qui sunt ex contentione:* Rursum indicat, peccata esse ex contentione & socordia: *Veritati que non obtemperant.* Et coniunctio est attractitia, seu paragogica. *Sed morem gerant iniquitati indignatio & ira, & tribulatio & angustia.* Quis enim credit, quod honestum sit ipsa iniustitia; & malum, ipsa veritas? Perspicuum autem est quòd in generatione & peccatum, hoc enim potissimum optemperantibus indicat. Voluntarius enim optemperat, qui obtemperat. *Idque super omnem animam hominis operantis malum.* Non est (inquit) rex, non est potens, qui effugier. *Iudæi primùm*: Quãtò enim maiore institutione donatus est; tantò maioribus, si peccet, pœnis afficietur. *Et Græci*; obueniet; vel, erit *Gloria autem & honor pax homini operanti bonum.* Pulchrè dici; pax: Isthic enim nemo per inui-

C dentiam pugnabit cum eo qui honore est adfectus, glorificatúsve *Iudæo primùm:* Vt ne existiment Iudæi Gentes præputio munitas, etiam si impiæ sint, inferiores se esse; ideo eas copulat. *& Græco.* Græcum, non idolorum cultorem dicit; sed præputiatum quidem, interim tamen colentem Dei & fidelem. Non enim personarum, sed operum etiam est quæstio. *Nam quotquot citra legem peccauerunt, citra legem etiam peribunt. Et quotquot in lege peccauerunt per legem iudicabuntur.* Hinc ad multas vsque paginas pugnam Gentium introducit & Iudæorum; patrocinaturq; Gentibus sanè, natura, quæ iusta sunt agentibus: Istuc verò agit, Legem abrogare eijceréque volẽs, fidem autem in eius locum surrogare. Aliter: Monstrare vult; duobus peccantibus; Iudæo nimirum & præputium habente ethnico; Iudæum peius adfligendum, quatenus Lege duce ac ei rectum indicante iter, deliquit. Citra Legem autem peccantes introducit Gentes: quæ & ideò (inquit) citra Legem peribunt, hoc est, non cum exactione Legis; quod quidem ostendit moderatam perniciem. Iudæum porrò in Lege peccantem adserit; qui & per legem (inquit) quam præuaricatus est, iudicabitur, id est, condemnabitur, atque hoc, peiorem interitum significat. Iudiciũ autem appellat, & non interitum, quãdoquidem forũ iudiciarium præcedit condemnationem. Si peius igitur Iudæus punitur iuxta præsentem scripturam; quomodò de Græco, *interibit*, dixit, de Iudæo verò, iudicabitur? quorum alterum quidem, malum videtur ambiguum; alterum autem, indubita-

E tum! Atqui animaduertas oportet, quòd iudicium, cõdemnationem dicat; hoc est, minimè incertam internecionem: Sed est pœna supra pœnam. Ac duo ista non patiunt indubiam perniciem. Non solum parem hic dignitatẽ Iudæi & Græci ostendit, sed multo etiam magis Iudæum grauari Legis traditione: nam Græcus citra Legem iudicatur. *Citra Legem* autem hîc, non difficilius; sed quod placidius & mansuetius est, vocat: Hoc est; Græcus non habet accusantẽ legem: Nam sine lege; hoc est, sine condẽnatione quæ est à ratiocinatione cogitationéque Legis condemnatur tantùm: Iudæus verò in Lege, hoc est, tum natura tum Lege accusante petit, Plutonísque Regiæ adiudicatur. Quantò enim maiorem fructu curat lex Mortales, tantò maiore pœna damnat iuxta neglecta. *Non enim auditores Legis iusti*

sunt

sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur. Fortasse enim homines fallunt: verum auditores Legis Deus A non iustificat, sed factores. *Nam quando gentes, quibus non est lex; natura quæ Legis sunt faciunt:* Naturæ cogitationibus vtentes ad iustam operationem. Aliter: quando dixerit natura, pro naturæ cogitationibus accipit. *Illi Legem non habentes, sibiipsis sunt Lex, qui ostendunt opus legis.* Admirationi igitur sunt huiusmodi, Lege non indigentes pro pædagogo; qui suipsorum sunt legislatores, legislationisque adimpletores. *Scriptum in cordibus suis.* Nam non opus habent literis comprehensa, cæterum cor eorum scriptam in mente perdurantem legem habet. *Testimonium dicente ipsorum conscientia.* Satis enim est Legis loco, propriam habere conscientiam, quæ Testimonium dicat bonis operibus. *Et inter se mutuò accusantibus cogitationibus, aut etiam defendentibus.* Siquidem in illo Iudicio, non B indigemus exterioribus vel accusatoribus vel bonum nobis Testimonium dicentibus; suæ enim, cuiusque, cogitationes & conscientia, vel accusabit vel defendet. *In die quando iudicabit Dominus occulta hominũ, secundum Euãgelium meũ,* Homines sanè manifesta indagant, Deus verò abstrusorum est explorator. *per Iesum Christum.* Pater nàmque iudicabit neminem, vt qui *omne iudicium Filio* dederit. *Ecce tu Iudæus agnominaris.* Quum dixisset; quòd Deum timenti Græco nihil desit ad salutem, si modo legis factor extiterit; ponit deinceps, cuius gratiá plurimùm turgebant Iudæi, commonstrans nimirùm quòd nihil illis commodet si non rectè viuant, quòd Iudæi sunt, quòd Legem habeant. Ac primum quidem nomen ipsum posuit; *Tu,* inquit, *Iudæus cognominaris:* Videba- C tur enim nomen ipsum, magnum esse quippiam, perinde ac hodiè Christianorum. *& requiescis in Lege:* Non enim es reuera, nisi adimpleas Legem. *Ac gloriaris:* Valdè inquit, superbis Legis nomine, ac propter ipsam delicatus es, quippè qui dignus iudicatus sis diuina Lege præ cæteris. *Requiescis,* porrò iudicat quòd haud quaquam laboribus eius aut virtutibus rebusue præclarè gestis data sit lex; verum diuina potius ex gratia. *In Deo;* ceù solus præ cunctis mortalibus dilectus: Videtur autem eorum simul stoliditatem notare. *Et nosti voluntatem.* Atqui cognoscere quidem & non facere, maiorem pœnam apparabat; interim tamen, eo nomine inflabantur admodum: Vnde, non dicit; Facis, sed cognoscis Dei voluntatem. *Probásque quæ eximia sunt, instructus ex Le-* D *ge.* Legis namque institutio nouit exactam eorum quæ præstantia sunt, explorationem docere; ac propterea quòd eorum quæ commoda forent, probationem nouissent, non parùm fastuosi erant. *Confidens teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris agunt, eruditorem insipientium, doctorem infantium.* Non es (inquit) dux, verùm talem te reputas ipse. Cæcos autem dicit, & in tenebris agentes, & insipientes, & infantes qui ipsis accedebant Proselytus qui nondum Legis scientiam habebant: hisce enim nominibus, ob vanam suam qua intumescebãt gloriam, ipsi Proselytos vocabant. Hinc & Apostolus, tacitè exprobrando, talibus illorum nominibus vsus est *Habentem formam scientiæ & veritatis in Lege.* Studiosè dixit, *formam scientiæ & pietatis;* indicans, quòd non veram E cognitionem & pietatem habeant, sed fictitiam tantummodò imaginem quandam quæ figuram quidem præ se ferat veritatis; re ipsa vero, nulla sit. Bellè autem positum est; *In Lege* oportebat nàmque imaginem veram in conscientia & operibus possideri. Tu verò, inquit, valdè intumescis, quòd Legis talis imago sit; verùm id nihil ad te attinet, postquam non es factor Legis. *Alium igitur docens, te ipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis adulterium non committendum, ipse mœcharis?* Consectarium erat dicere, quòd qui talia à Deo acceperunt nec tamen ea custodierunt; hoc maioris sint supplicij rei, quò maius in agnitione peccatum

sit: non nimiùm tamen eos impetit; verum per interrogationem promouens sermonem, illud ipsum ostendit. *Qui abominaris idola, sacra deprædaris?* Lex, pecunias in Idolis execrabatur; vt quæ dæmonibus essent dicatæ: Vos verò Idola quidem execrari vos dicitis; pecunias autem quæ in ipsis sunt, rapitis; proinde neque idola reuera detestamini. *Qui in Lege gloriaris;* Gloriaris ceù magni æstimatus à Deo per Legem: quid igitur, præuaricatione, ignominia Legem afficis, Deúmque pariter bonore suo spolias. *Per transgressionem Legis, Deum contumelia afficis?* Quia graue erat quod diceret, *Deum contumelia afficis;* Prophetam adducit testem, quasi dicat: Non meum hoc verbum est, sed Esaiæ; *Nomen enim Dei propter vos vituperatur.* Gentes enim animaduertentes, eos perperàm vitam instituere suam, ad maledicentiam vertebantur, ita vt secum commentarentur; nonquid tales à Deo diliguntur? num quicquam illis ab eo datum oportuit? An ne scelestos illos & esse, & fore nouerat? *Inter gentes, sicut scriptum est.* Non solùm vos, inquit, contumelia Deum afficitis, verùm aliis iuxtà occasionem præbetis. *Circumcisio quidem prodest, si Legem operis:* Postquàm eximium quiddam videbatur Circumcisio, tandem ad ipsam peruenit inquiens: ardua & commoda (dicetis) res est Circumcisio, pertinet, enim ad populum Dei, eiúsque est symbolum: Ne (inquam) istuc equidem fateor, sed tum eùm legem fueris operatus. *Sin transgressor Legis fueris, Circumcisio tua.* Demonstrare illi animus est, Circumcisionem esse (vt ita dicam) mentalem, cuius typus sensibilis fuerit illa corporea qua & purgabantur superflua & circundabantur. Ex hoc, quispiam incircuncisus esse potest corpore, circuncisus autem mente; ac è diuerso circuncisus corpore, incircuncisus autem mẽte. Siquidem præputium & circuncisionem veram, cùm bona tum praua opera denunciant. *In præputium versa est.* Ad mentale adeòque internum præputium abiit Circuncisio tua; propter te nimirùm, qui ea malè vsus es. Nec enim palam, contumelia vult afficere Circuncisionem. *Si igitur præputium iustificationes Legis seruauerit, nonne præputium eius in Circuncisionem:* Hoc est; gentes præputium habentes. *Repudiabitur:* non dicit, quòd vincat circuncisionem; fuisset enim id admodum odiosum; verùm quòd in Circuncisionem reputatur, coram Deo videlicet. *Et iudicabit præputium:* Hoc est, condemnabit; quemadmodum dictum est: *Viri Niniuitæ surgent, & condemnabunt generationem hanc. Ab natura Legem perficiens:* Ex natura præputium dicit, in carne adhuc præputium, habentem. Talis igitur adimplens quæ sunt Legis, condemnabit te Circuncisionem habentem, & quo ad literam, Legem etiam, sed operibus, eam transgredientem. *Te qui per literam & Circuncisionem es transgressor Legis.* Per Legem enim scriptam, & Circuncisionem adhibitam, factus es omnium transgressor. Aliter. Definit iam quis reuera Iudæus, qui sve reuera præputium gerat. Ac videtur quidem non eijcere Iudæum, sed præuaricatorem; omnino autem deijcit, demittitque eos: omnia enim illis monstrat, quibus ipsi sese agnoscant, suúmque deliquium animaduertant. *Non enim qui in manifesto Iudæus est, Iudæus est, nec quæ in manifesto in carne Circuncisio est, Circuncisio est:* Hæc dicens, vniuersa corporea & carnalia reiecit. *Verum qui in occulto, Iudæus, & Circuncisio cordis:* Veluti mente. Non enim inquit, necessum est, carnale præputium circuncidere, sed enim cor ipsum, a prauis operibus. *In spiritu non litera.* Quum addit, *in spiritu*, iter præstruit fidei: Fideles enim per Spiritum sanctum, peccatorum Circuncisionem habent in spiritu qui corde Circuncisus est ab omni impuritate: is enim verè Iudæus est Legem adimplens. *Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo.*

Occultæ namque, & in corde Circuncisionis, non erit laudator homo, sed enim qui explorat corda & renes Deus.

CAPVT III.



Quae igitur excellentia est Iudaei? aut quae est commoditas Circuncisionis? Opponit sibi argumentum Diuus Apostolus: Si igitur iuxta rationē nihil prodest, neque Iudæum esse neque circūcidi, sed magis obest: adeò vt transgressores maiore supplicio digni iudicentur: quidnam Deus nos elegit? quam veró ob causam idem nos circuncidi mandauit? licebat itaque ad obiectionem dicere, quod figura extiteri carnea ista Circuncisio, huius quæ fit per fidem in spiritu Circuncisionis: quòd item Iudæus, spiritualis Iudæi typus extiterit, qui Christum sit professurus: Iudas enim (si interpreteris) confessionem, significat. Verùm hæc interim dilutione prætermissa, vt quæ nondum possit admitti, ad aliam perrexit: Prodest, inquiens, Iudaïsmus, hinc enim iter salutis didicerunt. Acceperunt sanè Legem ducem agendorum, quòd si eam non obseruarunt, de se ipsi conquerātur: Mihi, inquit, interim ad trāsgredientes sermo est. THEODORETI. Iudaïcum deprimens supercilium, demōstrānsque frustra ipsos Circūcisionis, Legis Iudaicæque appellationis nomine intumescere; vt ne quis suspicetur, hostili istuc animo, inuidentique ac infenso Apostolum facere; infert: In quo igitur præcellit Iudæus; quæue est commoditas Circuncisionis? Quòd si alienigenarum gentium, inquit, quædam, pietate & virtute ornatæ: diuinis præconijs fruuntur: quidnam ab gentibus secreuit Israelem Deus? cur Circuncisionem eis dedit? præcellentiam enim Iudæi, prærogatiuam eius præ gentibus dicit: deinde subdit; *Multum per omnem modum*; elegit nāmque Maiores ipsorum, ab Ægyptiorum tyrannide in libertatem eos asseruit, illorúmque famam per multa mirifica signa celebriorem reddidit, legem in auxilium tulit. Prophetas excitauit: Hoc enim dicit; *Multum per omnem modum.* Atque hæc omnia silentio prætereiens, solius Legislationis meminit, primū quidem (inquiens) quoniam credita sunt illis oracula responsáque. *Multa sanè per omnem modum:* πέρισσον καὶ πολύ, excellens & multum, se mutuo hic respiciunt, & in idem propemodum recidunt. *Primùm quidem quòd commissa sunt illis oracula Dei.* Quoniam, inquit, omnino in manus sibi traditam acceperunt legem, quæ est oraculum Dei. *Quid enim si quidam illorum increduli manserunt? nunquid incredulitas ipsorum fidem Dei abolebit? Haud quaquam.* Deinde, vt ne dicant: Ne tradidit quidem nobis Deus Legem; verùm quæ est vtilitas: nobis traditæ Legis postquam non parum multi, ipsi non crediderint? Ecquid hoc ad Deum, inquit, si vos non credidistis? non enim vt Deus inuitos seruet; numquid enim quia nonnulli increduli manserunt, propterea fidē Dei; hoc est, beneficentiam, abolœuerunt, hoc est, irritam fecerunt? Minimè gentium: Quanquàm enim ipsi voluerunt seruari: Deus tamen quod suum est, fecit. *Sit autem Deus verax, & omnis homo mendax, sicut scriptum est*, non quia increduli permanserunt Iudæi, propterea offensa est vlla ex parte gratia & clementia Dei, aut imminutum est donum, sed hæc omnia facta sunt, vt indicetur euidēter Dei veritas in ijs quæ promisit Abrahamo hominūq; mendacium: mentiti sunt enim per incredulitatem suā Deo, diis seruientes vanis ac dæmonibus. *Vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas.* Vt iustificeris. Producit Dauidē, idem asseuerantem. Quoniam propterea, inquit, in indignos collocat beneficium Deus, vt commonstretur ipsius bonitas; & vt victoriam obtineat, in iudicium cum hominibus vocatus. *Cum iudicaris.* Antithesis est: Deus (inquit) in nos beneficia contulit, nos, ipsum abnegauimus & mentiti sumus: ac, nostram ob malitiam visus est magis misericors, quantò magis erga indignos est beneficus: Ob eam proinde causam vincit in iudicio: nos enim ipsi, ingrati, victoriæ occasionem ei præbuimus. Cur ergo punit nos, per quos vincere demonstratus est? Si causa es ipsi victoriæ; punit autem, iniustus est: si autem iniustus non est, punit autem, non igitur tu ipsi causa es victoriæ, licebat enim ipsi & alia

A ratione vincere etiam si malus non videaris: Non enim qui non est malus, dignus est Dei dilectionem vendicare. *Si autem iniustitia nostra, Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniustus est Deus, qui infert iram?*

Si, inquit, ex nostra iniustitia magis ostenditur veritas & iustitia Dei, & quia neque nostra iniustitia prohibuit eum iusta facere (hoc est, ad finem deducere quæ Abrahamo promiserat) Ac, si non aliter videretur iustus & verus, nisi nos essemus iniusti: Si ita sese habet, isthuc, iniustè igitur punit eos qui auctores, ipsi, sunt facti veritatis! Sin autem iniustè non punit, non igitur vos illi causa estis veritatis. *Secundum hominem dico. Absit. Alioqui quomodo.* Quandoquidem humanis ratiocinationibus est vsus Deum non esse iniustum ostendens, infert: Hu-

B mano more loquor dum hæc dico, quum alia sint argumenta sanctiora, diuinioráque. Secundum itaq; humanam ratiocinationem, hunc ad modum dicemus: Num iniustus est Deus? ac respōdet; nequaquam; & rationem subiicit; quomodo enim iram infert? Anne perspicuum est, quòd vos non estis ipsi veritatis & iustitiæ autores, sed ipse sibi? *iudicabit Deus Mundum.* Si iniustus (inquit) esset, non iudicaret mūdum; ipsum enim iudicare, indicat quòd iustus est. Natura enim ipsa iudicij est, quòd iustus iudicet iniustos. *Si enim veritas Dei in meo mendacio exuberauit in gloriam eius*, Idem rursus dicit: Si enim propterea, inquit, exuberauit & victoria Dei, quod ego iniustè egi, atque abnegaui ipsum; immeritò iudicor aut condemnor: decebat enim, me compensatione retribu-

C tiōneve dignū existimari? quippe qui autor & causa veritatis, adeóque victoriæ fuerim. Atqui postquam illi non sum veritatis causa, idcircò sanè iudicor. *Cur ego adhuc tāquam peccator iudicor*; Vbi glorificatur propter victoriam, iustitiam, veritatémque? *Et nō quemadmodum vituperamur, & perinde ac nonnulli aiunt nos dicere; Faciamus mala vt veniant bona.* Quid iudicamur, inquit, ceu peccatores qui auctores sumus victoriæ Deo? Cur etiam non fit, æquè ac nonnulli arbitrantur nos dicere, nósque proscindunt; Faciamus malum, vt hac ratione Deus victoriam obtinens, nobis compensationem reddat, beneficia in nos conferendo quòd victoriæ causa ei extiterimus per scelera nostra quæ patrauimus? Et non fiat illud quod dicere existimamur; quòd ob iniustitiam nostrā nobis Deus benefaciat, eò quòd autores victoriæ ipsi simus. Atque

D non vsu venit, illud videlicet vt bona veniant; adeóque beneficium accipiamus, ab Deo, ceù illi qui vi victoriæ illi causam præbeamus. Iam enim, inquit, diuersum fit; etenim ob flagitia nostra punimur. Audiuerunt Græci Christianos dicentes; vbi exuberauit peccatum, superexuberauit gratia. At ipsi sanè hæc dicebant, postquam Mundus plenus fuit peccatorum, & ipsum quidem Filium Dei ad sese attraxit ad salutem, hincque in nos abūdauit gratia. Quod ipsi dictum sinistrè interpretantes, Christianos dicere affirmabant, oportere Mortales peccare, vt gratia exuberet. *Quorum condemnatio iusta est.* Quorum; videlicet hac ratione de nobis malè loquentium blasphemantiúmque, condemnatio iusta est; quoniam bene dicta, malè interpretantes, inuertunt ac

E proscindunt. *Quid igitur? Excellimus? nulla ratione. Iam antea enim causati sumus, Iudæos omnes & Græcos omnes sub peccato esse:* Quid igitur præcellimus eos? Per legem Circuncisionis, inquit, nihil priùs cæteris obtinuimus, in iis quæ obtinuimus. SEVERIANI. Quid igitur excellentius cæteris sumus assecuti? Anteà enim causati sumus Iudæos & Græcos; & quæ deinceps sequuntur, dicta sunt per defectum. Ei enim quòd dixit; Quid igitur excellentius adepti sumus? consectarium erat inferre; iustitiam quæ est ex fide: quod in sequentibus etiam in progressu dicit: nempe iustitiam Dei per fidem Iesu Christi. Quid igitur, inquit, nos præcellens tenemus? iustitiam quæ est ex fide; *anteà enim causati sumus Iudæos & Græcos.* Ecquū antea causatus

causatus est? Dum Græcos coarguit; quòd corrumperent naturalem cognitionem, quum, inquit; *Deus enim* A *illis manifestauit, Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, ex operibus intellecta conspiciuntur, & quia cùm cognouissent Deū, non vt Deum glorificarunt, aut gratias egerunt.* Iudæos autem reprehendit, quòd Legem sint transgressi. *Namqui* (inquit) *in Lege gloriaris; per transgressionem Legis, Deum contumelia afficis.* Porrò simul ac ostendisset, quòd apud alios quidem natura elanguisset, apud alios verò & natura & lex; consequenter Euangelij gratiam introducit, & ait: Quid enim habemus eximium aut excellens ex gratia? fidem, quæ per Iesum Christum efficax est iustitia. *Ne vnus quidem.* Quum supra dixisset: Quid igitur plus habet Iudæus? docuissetque nonnihil præcellere gētibus Iudæos; quandoquidem omnino eis & credita & tradita esset lex; nunc ostendit, illos in nullo præstare gentibus, quia Legem Dei non seruauerint ac fortasse inferiores sint illis, ac tantò minùs habeant præstantiæ, quātò in cognitione peccare peius est. Quid igitur (inquit) est in quo Iudæi præcellimus? nihil sanè. Quid ita? Nā omnes peccato sumus obnoxij & Iudæi & Græci. Nihil igitur ex Lege, Iudæo, præstantia seu prærogatiuæ accedit; non enim eam custodiuit, non obseruauit: Nec præputium gerenti, nam & is peccauit; neuter igitur altero est melior. Omnes nàmque causati sumus; hoc est euicimus; peccato esse obnoxios. Deinde ne videatur ipsis infensus, Dauidem, nec non Esaiam testes producit. *Perindè ac scriptum est: Non est iustus, non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum:* In præputio videlicet. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonitatem, non est adusque vnum:* Quum enim à Deo declinarunt, simul inutiles & abiecti facti sunt. *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os execratione & amarulentia refertum est, veloces pedes ipsorum ad effundendum sanguinem.* Hæc obtrectatoribus conuenit applicari. *Contritio & afflictio in viis ipsorum.* Per vias, mores intelligit & vitam; contritionem & miseriam, peccatum dicit. Nihil enim adeò atterit & extenuat cùm animum tum corpus, vt peccatum. *Viámque pacis non cognouerunt, non est metus Dei coram oculis eorum.* Viam pacis, commodam vocat vitam & conuersationem *Nouimus autem, quod quæcunque lex dicit,* iis qui in Lege sunt loquitur: Vt ne dicant Iudæi; Ecquid hæc ad nos? Omnino enim de nobis dicta sunt certè; & profectò, inquit, maximè ista ad nos attinent: Omnes enim id nouimus, quòd quæcunque lex dicit (Legem autem nominat, vniuersum vetus testamentum) iis qui in Lege sunt, loquitur. Quæ enim necessitas erat, alios & non proprios, per Prophetas; nimirùm Dauidem & Esaiam, ad correctionem Iudæorū diuinitus allegatum in iudiciū vocati? THEODORETI. Multa isthuc cautione ac diligentia posuit; non enim dixit de iis qui sunt extra Legem, sed iis qui sunt in Lege. Etenim pleráque de Babyloniis, de Persis, Medis, & Ægyptiis loquitur, & aliis quàm plurimis gentibus: Iudæi tamen, vaticinia de hisce adferebant vt omne os obturetur. Tale quiddam subobscurè indicat: Hanc ob causam (inquit) Prophetæ redarguerunt Iudæos; planúmque fecerunt, eos nequaquam magnifica de sese prædicare debere; quinimò totum iuxta mundum peccatis obnoxium, vt iter præstruerent fidei. Etenim cognoscentes mortales, quòd neque per Legem & circuncisionem neque per præputium liceat seruari æternum: facilè Christo accesserint, gratia sua genus mortalium conseruanti. Aliter: Grandiloquos adeóque superbos ostendit Iudæos; propterea igitur arguebantur à Prophetis, vt fastuosa loquentium obfirmarentur ora. *& subditus fiat;* non solùm Iudæus, sed etiam, *vniuersus mundus, Deo: eò quòd ex operibus Legis non iustificabitur:* Deinde ne indigna patiantur Iudæi, toti mundo connumerati; vt obnoxij sint, denuò quæ contrà eos sunt explorat. *omnis caro coram ipso:* neque enim quæ sunt in Lege adimpleuit. *Per Legem enim cognitio peccati.* At enim quid dico, quòd vos Iudæi nihil commoditatis ex lege accipiatis, quò minùs cum vniuerso mundo rei efficiamini? Imò si quis ritè exploret, inueniet ab lege vos detrimentum accipere; ob eius naturam, verum propter vestram malitiam. Ecqui fit istuc? Quia peccati notitiam per legem non habetis. In cognitione verò peccare grauius est, quàm per ignorantiam indignum admittere facinus. Aliter: Oportebat, ad Abraham factas promissiones impleri; *In semine tuo benedicetur cunctis gentibus.* Ea igitur est iustitia, quòd Deus promissionis tenax fuerit, namque etiam apud indignos seruarit. Vel hunc ad modum intelligere licet. Ad hoc nobis lex profuit: manifestauit, cognitúmque nobis reddidit peccatum, non solùm quòd ab absurdis nos operibus arceat, eáue prohibeat; verùm etiam, quòd morem sibi non gerentes B supplicio adficiat. Non enim quale peccatum esset agnouissemus, nisi erroribus atque delictis nostris pœnam inferret. Ac per omnia, omneis prorsus peccato faciens anxiè obnoxios; infert protinus, verbi & Euangelij sui quod prædicat excellentiam ostendens. *Nunc autem sine lege, iustitia Dei manifestata est.* Commonstrato, ipsos ex lege nihil adiutos; ad desiderium eos perducēs compendij ac scientiæ qua seruari queant, opportunè admodùm ad fidem Christi pergit. *Cui testimonium dixere lex & Prophetæ.* Si cum lege peccauimus, ecqui seruari poterimus? Sic enim quisquam dicere queat; maximè verò quomodò citra legem? Huic respondet; per iustitiam quæ ex Deo est: quàm si Deus dederit, ne ambigas de salute tua, ô homo. *Iustitia autem Dei;* Ab Deo tradita *per fidem Iesu Christi.* Porrò iustitia Dei manife- C stata est vt erat, quæ anteà fuerat occulta. Proinde vt effugiat calumniam, néue à quopiam videatur nouitatis studiosus, vt ne recens esse dogma iudicetur & prædicatio dixit; *Manifestata est:* neque id simpliciter. Enimuerò iam olim testimoniū est nacta, adeóque per Moysen prædicta, & Prophetas. Qualis autem est iustitia? dixerit aliquis; aut quomodò ab Deo est tradita? *Per fidem* (inquit) *Iesu Christi.* Atque vt ne nouum quiddam audire videantur, si omnino eos seruari æternúmque beati liceat, citra vllam ipsorum additionem cōtributionem, vel operationem; demonstrat, quòd ipsum credere, sit contribuere: Anima namque fortitudine, ipsum credere indiget. hinc & ait, *Per fidem,* innuens, per eam nos etiam adiicere vel contribuere quicquam. *In omnes & super omnes credentes.* In omnes, nimirùm D Iudæos, vt qui ex genere suo, séque ipsis habuerunt salutis Autorem. *Super omnes* verò gentes, ceù ab Iudæis in ipsas quoque sit transfusa gratia. Attamen & hos & illas gratiæ participes fore dixit; non tamen simpliciter, verùm *Credentes:* & quia non iniuria, gratia fit omnibus communis, *Non enim est distinctio, Nam omnes peccauerunt & destituuntur gloria Dei: iustificati gratuitò ipsius gratia, per Redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Per Redemptionem. Quomodò iustificatur homo? per remissionem (inquit) peccatorum, quam in Christo Iesu consequimur; id est, per Iesum Christum, *quem proposuit Deus propiciatorium per fidem.* Quem proposuit. Beneuolentia enim Patris, propiciatio facta est nostrorum peccatorum, per, *Proposuit,* autem verbum; denunciat veterem, adeóque æternam E Dei hac de re voluntatem atque decretum. *In sanguine suo.* In ipsius sanguine. Pater quidem proposuit ac decreuit; Filius autem sanguinem effudit pro nobis: Cōmunis itaque gratia sanctæ Trinitatis: cooperatus est namque & Spiritus sanctus. *Ad ostensionem iustitiæ suæ.* Ad ostensionem iustitiæ. Perindè ac demonstratio locupletis, in hoc cernitur quòd alios etiam locupletat: hac ratione Christus iustitiam suam ostendere volens, mortales etiam iustificauit. *Per remissionem præteritorum peccatorum quæ Deus tollerauit.* Demonstratio iustitiæ ipsius, maximè in hoc consistit, quod remissos; hoc est, mortuos planè in peccatis; iustificauit. Deinde orationem, ad mortalium culpam (eam exaggerans) dirigit: quòd peccata fuerint in tollerantia Dei; hoc est, quòd Deus

Rom. 1.

Psalm. 13. Psal. 5. & 13.

Gene. 22.

Hominis contributio ad suam ipsius salutem.

ea longanimis tulerit. Quum enim data patientia, mores & vitam quisque suam in meliorem permutare statum debuissemus; tunc peccauimus. Qui igitur grauiter adeò flagitia commiserant, vt vel indigni essent venia; hos iam per fidem seruat, æternúmque beat. *Ad demonstrationem iustitiæ suæ, in præsenti tempore, vt sit ipse iustus, & iustificet eum qui est ex fide Iesu.* Mortuum námque peccatis nunc seruari quando tempus supplicij instat; isthuc verò est commonstratio iustitiæ: per hoc quod nedum ipse Deus iustus sit, verumetiam iustificet per fidem in Iesum Christum, proprium etiam populum suum.
Apoc. 9. *Vbi igitur gloriatio tua?* Quū hæc ita sese habeant, patérq; seruet eum qui ex fide in Christum proprius factus est, Deóque adiunctus, vbinam in posterum Iudæorū gloriatio manet? monstrat autem eos temerè gloriari. *Exclusa est. Per quam legem?* Non dixit; obscurata est; sed, *Exclusa est*; ostendens olim quidem fuisse relictum iactātiæ & gloriationi locum, iam nunc verò per fidem exclusam. Aliter: *Exclusa est*: id est, eiecta est. *Operum? non sed per legem fidei.* Legem operum, periphrasticè dixit, legem; sicuti legem fidei, periphrasticè, pro ipsa fide accepit. Non per opera ergo, inquit, quæ nos peregimus, Iudæorum gloriatio est exclusa; sed certè per fidem; Perinde quasi dicere fuisset ei animus: omnis ista gloriatio, & quæ visa est dignitas, primatúsve vester: exclusa sunt per fidem, citra operum indigentiam, accessúmve. *Arbitramur autem fide. Arbitramur*: pro eo quod est: rationibus certis accedentes putamus, iustitia fidei, omnem hominem volentem esse participem eiusdem, fine operibus legis iustificari. *Iustificari hominem, sine operibus legis.* Proinde, inquit, dicimus ex fide iustificari hominem citra legis obseruationes. *Aut Iudæorum ne Deus tantum? non etiam gentium? Næ, & gentium: post quàm vnus est Deus.* Quòd si eos tantummodò, qui ex lege proficiscantur, aut ex lege incedunt, iustificaret, nec omnem hominem credentem, vnius modò partis studiosus esset, ac Deus Iudæorum tantùm. *Qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem:* Cùm qui sunt è lege, tum qui extra legem, opus habent fide ad salutem. *Legem igitur destruimus per fidem? Haudquaquam.* Tumultuabantur Iudæi, perinde quasi lex per fidem è medio tolleretur. Quare, inquit, non solùm non destruit legem fides, sed potiùs constituit. Ecquanam id ratione? Quia lex salutem impertiri volens, non potest hoc præstare: fides autem saluat & æternum beat. Quum itaque legis scopum expleat fides, statuit profectò legem ac stabilit. Vel sic intelligas licebit. Opus erat lege, vt iustum faceret hominem; verùm hoc præstare non potuit, omnes enim peccauerunt: Fides autē veniens: idipsum transegit: simul ac enim quispiam credidit; & iustificatus est. Proinde legis voluntatem statuit: vel ante hac apud Maiores nostros, adhæc vsque tempora, Prophetæ, quæ ad fidem pertinebant vaticinati sunt: fidem itaque amplectentes, stabilimus legem. *Sed legem statuimus.* Quum dicit: *statuimus*: iudicat fuisse concussam.

CAPVT IIII.



QVID igitur dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem? Impensè Abrahami nomine, Iudæi intumescebāt: quòd Abraham circumcisus esset adserentes. Cōsilium itaque & scopus Apostoli, est, demonstrare quòd Abraham etiam ipse non ex operibus legis, sed per fidem iustificatus sit. *Quid igitur dicimus, Abraham patrem nostrum secundùm carnem, inuenisse?* aut qualem ipsum consecutum iustitiam? operúmne an fidei? Ostendit autem, quòd per fidem sit nactus iustitiam. Vnde & inuentionem, ipsam appellat, postquàm non ex operibus ipsam possederit; sed ex fide, quæ per gratiam Christi præstatur: Aliter: Qualem nam (inquit) antequàm Deo crederet Abrahamus, iustitiam eius per opera fuisse audiuimus? Secùdùm carnem namque, iustitiam appellat operum: quandoquidem per ipsam carnem nimirùm, opera perficimus. Vel hunc ad modum intelligere etiā queas. Hyberbaton huic sententiæ inest. Sic enim quadamtenus consecutio textus ac structura erat composita; *Quid igitur dicemus Abraham, secundùm carnem patrem nostrum inuenisse?* Redeamus (inquit ad principem generis nostri secundùm carnem, Abrahamum: quem ex omnibus gētibus Deus eligens, benedixit ei: posterísque eius per ipsum, benedictionem sese transmissurum promisit; vt quatenùs se Abrahami res haberent, ita & nostræ habituræ essent. *Secundum carnem.* Pulchrè ad Iudæos, *secùdum carnem.* Secundùm fidem enim & promissionem, Fideles, filij sumus Abrahami, perinde ac scriptura dicit: *Non filij carnis, ij sunt filij Dei: sed filij promissionis reputantur in semen Abrahami. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum.* Duo indicat: & quòd Abraham ex fide iustificatus; & quòd iustitia per fidem, maior est. Dicit itaque: si operibus & virtutibus suis Abraham iustificatus est: habet quidem gloriationem, sed non apud Deū, verùm apud seipsum eò quòd strenuè & cum virtute sese gesserit. Qui verò ex fide seruatus est, postquàm non habet vnde apud se glorietur (nullum enim opus operatus est) coram Deo gloriatur. Maius porrò est apud Deum gloriari, quàm apud Semetipsum. Virtutes enim rectéque gesta, haud rarò aliis delictis obscurantur; glotiatio verò quæ est in Deo, inalterabilis perseuerat. *Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Genesin profert, attestantem quòd Abraham ex fide iustificatus sit. *Operanti autem merces non imputetur secundum gratiam sed secundum debitum: Non operanti verò.* Maiorem, secundùm gratiam, iustitiam esse monstrat, quàm fides præstat: hanc ob rationem: Ei qui grauiter operatur; præmium, secundùm debitum debetur, & meritū. At verò quid quæso potest, qui totus etiam in virtute versatur ac strenuè se gerit? quid inquam: & quomodò Christum potest debitorem suum vel facere vel habere? Enimuerò qui ex fide iustificatur, secundùm gratiam iustificatur. Vbi porrò Deus donat, omnino grandia donat. Ecquid verò donat? filiorum adoptionem præstat, fratres efficit Christi, hæredes Dei, cohæredes Christi; quæ sanè iam olim nobis præstitit dona. *Sed credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius,* Neque fidem existimes cuipiam facilè obtingere; fortitudine enim indiget, circuncisáque anima. *Ad iustitiam.* Vides quod operanti, merces secundùm opera tribuitur; credenti verò, iustitia imputatur: Innumeras autem mercedes, iustitia continet! *Quemadmodùm & Dauid dicit, beatitudinem esse hominis cui Deus imputat iustitiam sine operibus.* Dauid, iustitiæ fidei, tribuit sanctificationem, citra opera. *Beati quorum dimissæ sunt iniquitates, & quorum contecta sunt peccata.* Beatitudo, summitas adeóque finis bonorum est. Videtur quadamtenus alienum esse testimonium. Non enim est Beatus, cui fides ad iustitiam fine operibus imputatur: nam mutuum inter se respectum habent, opera & fides: quòd si Beatus est is cui peccata per gratiam dimissa sunt: ter beatus est, quem per gratiam iustificauit Deus. GREGORII THEOLOGI. *Remissæ sunt*; ad baptisma: *Contecta*, ad pœnitentiam refertur. Quod adiicit: *Cui non imputauerit*: est interpretatio verbi, *Contecta sunt*; vera námque & recta pœnitentia tegit peccata, vt apud Deum non imputentur. *Beatus vir cui non imputauerit Dominus peccatum.* Beatitudo (inquit) ab Dauide dicta, ad circuncisionémne venit an ad præputium? Magis autem ostendit ad præputium ipsam venisse, locúmque habere; propterea quòd Abraham in præputio existens, & seruatus & iustificatus sit. SEVERIANI. Circuncisio, treis ob causas data est: Primùm vt esset signum fidei, deinde vt esset indicium generis Abrahami; postremò, vt esset Argumentum & index & præmonstratio Reipublicæ, vitæque puræ & sobriæ. *Beatitudo igitur illa, ad circuncisionem an ad præputium pertinet?*

Fides nisi fortibus non obtingit.
Merces secūdùm opera tribuitur.
Psalm. 31. a.
Circuncisionis mysteria.

pertinet. Proinde non est data vt iustitiam efficeret, verùm vt iustitiæ sigillum esset, & euidens iustitiæ significatio, quæ Abrahamo ex fide obtigit. *Dicimus enim, quòd imputata est Abrahamo fides ad iustitiam. Quomodo igitur imputata est? quùm in circuncisione esset, an cùm in præputio? Non in circuncisione.* Confirmat, in præputio magis habere locum beatitudinem. Abrahamo (inquiens) iustitia per fidem imputata est; videamus itaque, in circuncisione ne an præputio talis fides Abrahamo imputata sit: Planum autem fit, quòd incircunciso obtigerit. Quare in præputio potiùs, beatitudo eiusmodi locum habet. *Sed in præputio*: Si ergo in præputio quum esset, iustificatus est; magis igitur, à Dauide dicta beatitudo, in præputio locum habet quàm in circuncisione. *Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ.* Obiectionem quæ videbatur hic emersura, diluit: Hunc enim ad modum opponere quispiam posset. Adeò præclara & ardua res erat circuncisio: vt sine hac iustificari non liceret: nam & ipse iuxta tuum sermonem, in præputio iustificatus, circũcisione opus habuit. Cui hac via occurrit: Nõ ob aliã rem circuncisus est, quàm ob signum. Ac, circuncisionem, infert, demonstrationem esse præsentis iustitiæ, quæ in ipso quum in præputio dum esset, renitebat. Si verò propter iudicium, adeòque sigillum, accepit circuncisionem; nihil ipsi ad iustitiam profuit. Cæterùm tali ratione ipsum iustificatum esse significabat: hoc est, quum in præputio esset, iustitia eum Deus dignatus est. *Fidei quæ est in præputio.* Fidei quæ ex fide est. *Vt sit pater omnium.* Ad quid autem omnino circuncisio necessaria fuit, si nihil eadem iustitiæ profuit? quid (inquam) opus ea habuerunt? Primùm quidem, perinde ac supra commemorauit, vt esset ipsa signum; deinde vt communis esset pater & eorum qui in circuncisione essent & eorũ qui in præputio agerent. *Credentium.* Non simpliciter qualitercunque credentium, verùm credẽtium in Christum Iesum. *per præputium vt imputetur & ipsis iustitia.* Per præputium; hoc est, eorum qui in præputio credunt. *Et vt sit pater circuncisionis:* Iustitia per fidem, scilicet sine operibus. *non iis tantũ qui ex circuncisione sint verùmetiã, &c.* Quemadmodùm in præputio agentes, eam ob rem solam non habebunt Abrahamum patrem, quòd in præputio crediderint eum esse patrem: nisi & fidem eius imitati fuerint: Hac ratione, neque circuncisi tantum, patrem habebunt Abrahamum, nisi fidem eius cùm imitati fuerint, tum moribus expresserint. Planum itaq; est, quòd Iudæi excident à cognatione Abrahami, nisi in Christum crediderint. *Vestigia fidei ingredientibus:* in obedientia perseuerantibus. *Quæ est in præputio patris nostri Abrahami:* Rursus meminit, quòd in præputio credidit, & posteà circuncisus est. *Non enim per legem promissio Abrahamo, aut semini eius.* Mirificum quiddam dicit. Adeò (inquit) circuncisio sine fide iustificare non potest: neque progenitorem tuum, ô Iudæe, tibi Abrahamum facit: Nam & ipsa lex ob quam gloriaris, nihil profuit ad promissiones ipsi Abraham factas; vt quæ nondum sancita esset, sed sola fides. Quum enim incircuncisus dum esset; antè legem, promissiones illi datæ sunt credenti. Si itaque lex ad promissiones nihil fecit, circuncisio ad iustitiam haudquaquam quicquam valebit, sufficiẽtve. *Vt hæres esset mundi.* SEVERIANI. Hæredes mundi, Iustos ferè adseuerat, quoniam impiis è medio sublatis suppliciòque traditis in die iudicij, vniuersum deinceps mundum possidebunt iusti innouatum: ipsorúmque erunt tam cœlestia quam terrestria bona, *sed per iustitiam*; non quamlibet Inquit, sed, *fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, euacuata est fides.* Qui enim legem, ceù eam qua seruetur, tenet; is salutem per fidem obuenientem contumelia efficit. Hæredes autem, nimirùm cœlorum regni. *Euacuata est fides:* Ceù nihil commodantes, irritæ factæ sunt promissiones; hoc est, inefficaces, nihil efficientes, inutiles factæ sunt. Quomodo? Si enim fides destruitur, propter quam promissiones factæ; perspicuum est, quòd promissiones pariter abolentur: quæ

(Marginal letters in left column: B, C, D, E)

(Margin note: Iusti, Orbis innouati, Hæredes futuri.)

A si abolitæ fuerint, neque Abraham pater cuiuspiam relinquitur. *Irritáque facta est promissio: lex enim iram operatur. Vbi námque non est lex, ibi, neque transgressio est. Propterea ex fide sunt hæredes.* Adeò autem (inquit) per legem promissiones non stabiliuntur, vt quadamtenus etiam impediant. Quomodò? Quoniam lex iram efficit, si quis nimirùm eam præuaricetur: nemo enim ipsam implere potuit. Vnde autem ira prouenit quánam ratione, isthinc, promissiones oriantur? Atqui fides gratiam Dei adducit: gratia porrò si adsit, veniunt implentúrque promissiones. *Secũdum gratiam.* Vbi namque gratia Dei, ibi haud sunt dubiæ promissiones, sed firmæ ac stabiles: *Deus* enim, inquit, *est qui per gratiam iustificat & quis est qui condemnet? Vt firma esset promissio omni semini*, Hyperbaton est, *omni semini*, Abrahami. *non illi quod ex lege solùm esset Ex lege* eos dicit, qui ex Iudæis ad fidem Christi accesserunt: *Verùm et etiam quod ex fide Abraham esset, qui est Pater omnium nostrum, sicut scriptum est: Quoniam Patrem multarum gentium posui te.* Eos qui sine lege fideles facti sunt ex fide Abrahæ esse dicit. Porrò hic iterùm intuere & considera, quo pacto duos populos cõuertat omniúmque Patrem Abrahamũ faciat. THEODORETI. Perinde (inquit) atque omnium est conditor Deus, omniúmque Deus & curator; consimilem ad modum Abrahamum omnium patrem elegit, non Iudæorum tantùm, verùm cunctorum iuxta credentium. *Ante conspectum eius cui credidit:* Coram eo, hoc est, æquè ac Deus nõ est partis vnius tantùm, sed omnium planè Deus: non dissimilem ad modum, Abraham cunctorum est Pater. *Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam sint.* C Resurrectionis hic sermonem & argumentum texit; idque commodè & ad institutum: *Credidit*, enim *Abrahã Deo*: quòd quum mortuos resuscitet, ipsum etiam sibi senio confecto posse dare semen. Nam si mortuos viuificat: & iis quæ non sunt, essentiam communicat: multò magis poterit etiam effœto & senij nomine mortuo corpori meo dare semen. *Qui præter spem in spe credidit vt esset ipse pater.* SEVERIANI. Præter spem propriæ naturæ, in spe promissæ potentiæ. Aliter: Præter spem, scilicet humanam; in spe Dei. *Multarum gentium secundùm id quod dictum est: Sic erit semen tuum*: Multarum gẽtium quæ secundùm fidem & promissionem agerent. Quis verò per fidem & promissionem ei filius datus est? Isaac sanè: nam Ismaël filius eius secundùm carnem. *Porrò quum in fide non elanguisset, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum.* Multa profectò erant, quæ fidem eius languidam & inualidam reddere, potuissent, sed enim ad nullum istorum planè generosa eius anima elanguit. Primùm quidem nullum exemplum quod intueretur, cuive mens eius inniti posset habuit; verùm primùm præter spem, promissio progenerandæ sobolis illi tradita est. Secundum, quò animus eius labefactari potuisset quominus adhiberet fidem: erat corpus eius senio iam prorsus confectum & emortuum. Tertium; quòd Sarræ coniugis eius nutrix pariter intermortua esset; & Sarra ipsa effœta, & sterilis senio, adeòque inutilis ad prolem cùm concipiendam, tum gignendam. *centum enim ferè tum annos natus erat, nec emortuam matricem Sarræ.* Rectè dixit, *Centum propemodùm annos*, nonaginta enim nouem tum habebat. *promissione autem Dei.* Non erat operis demonstratio, sed tenuia verba. *non vacillauit incredulitate*, Non dixit: *Non credidit*, sed, non fuit incertus animi, non hæsitauit, neque dubitauit. *Sed roboratus est fide:* Quum dixit, *roboratus est.* monstrat, multo labore & virtute animi defatigationéque fidem rectè firmari. *dans gloriam Deo:* Hoc est; non curiosè indagans quomodò istuc fieri queat, verùm illicò rediens, Deúmque laudans ceù benefactorem qui iam dederat quod iam olim promiserat. *Ac certus factus, quoniam quòd promiserit, potens sit præstare Deus. eam ob rem reputatum est ei ad iustitiam.* Certior redditus: non dixit, *credens*, sed significantiùs, *Certior redditus. Non scriptum est autem propter ipsum tantùm*, Viden' quod ex fide iustificatus est? *quoniam reputatum*

(Margin notes: Rom. 8. f. — Gen. 17. a)

est ei; verùm propter nos etiam, quibus itidem ad iustitiam imputabitur si crediderimus in eum. Vt ne dicerent auditores; Ecquid isthuc ad nos? Ille enim iustificatus est, Infert: hæc non Patriarchæ solummodò causa scripta sunt, verùm etiam propter nos; vti exemplo Abrahami nobis præposito, fideles similiter efficiamur, eundémque ad modum fides ad iustitiam nobis reputetur. *Qui excitauit Dominum ex mortuis, qui traditus est propter delicta nostra & excitatus est propter nos.* Studiosè in sermonem de Domino se conuertit, inquiens: Non ob propria sua cõmissa mortem obiit, quandoquidem neque hac ratione resurrexisset, perinde ac nemo ante hunc alius excitatus erat; verùm ob nostra peccata mortuus est, vt nos ab illis liberaret. *iustificationem nostram.* Vt nos, inquit, iustificaret, atque peccatis liberos faceret: Non enim eam ob causam peccata nostra in se transtulit, mortis suppliciũ pro nobis subiens, vt nos obnoxios teneret morti, eiúsque debitores; enimuerò vt nos iustificaret, ac omnino inculpatos dimitteret.

A B

CAPVT V.

IVstificati igitur ex fide, Pacem habeamus apud Deum. Quomodò autem aliquis pacem habet apud Deum? Si sequatur mandata eius; quemadmodum qui peccat, bellum gerit aduersus Deum. *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Per Dominum. Si enim per ipsum à præteritis peccatis liberati sumus; per ipsum rursus & per fidê in eum à peccato deinceps abstinemus. Etenim faciliùs est tueri seruaréque, quàm acquirere bona, eius ope atque consilio C *Per quem & accessum habemus.* Per ipsum namque adducti sumus ad Deum. Si ergo quum longè abessemus ab Deo, per mortem eius viciniores illi facti sumus, multò magis propinqui ipsi existentes, pacem habebimus erga ipsum per gratiam Christi. *In fide:* Positis iis quæ ad Christum attinent, nostra etiam subdit; ad inenarrabilia enim dona & beneficia Dei in nos collata, nos nihil præter fidem attulimus. *Ad gratiam hanc in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ Dei:* Hoc est, vt donaremur adeóque digni iudicaremur cognitione Dei, vt ad eum deduceremur liberaremúrque à peccatis, eáque acciperemus quæ baptisma confert. Quòd verò ait, *stamus:* stabilitatem indicat. *Non solùm autem, verùm etiam gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem:* D Non solùm (inquit) ob tradita nobis bona & ob ventura nobis adhuc, gloriamur: verùm ob contraria & aduersitates etiam gloriamur. Ecquid ita? Quoniam ad patientiam nos adflictiones inungunt. Quòd verò patientiæ lucrum probatos (inquit) efficit; quæ porrò commoditas eius quòd quispiã probatus efficitur? spem nobis præbet futurorum bonorum. *Qui iam hac sperauerit, non pudefiet:* At qui in hominem spem suam collocauerit, fortassè spe sua excidere poterit; qui verò in Deum sperat, nunquam à spe sua excidet. Veruntamen non modò (inquit) in bonis, in quibus stamus, verùmetiam in bonis quæ expectamus ceu præsentibus gloriamur: hoc enim exactæ firmæque fidei. Pulchrè autem, *gloria*, dixit: Quum enim promissa eueniunt, efficiunt eum qui promisit celebriorem, glorificántque. E *Probatio verò spem, spes autem non pudefacit.* Mala igitur conscientia perculsi, neque sperant retributionem boni & mali; quod enim quisque vult, id etiam arbitratur. *Nam dilectio Dei effusa est in corda nostra, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vnde planum fit, inquit, quòd Deus illic sit nobis bona daturus? Vnde; inquam? & quibus hæc dedit? Ecquid verò dedit? Spiritum, quem ex sola dilectione qua nos dilexit, impertiit nobis. Non enim propriis virtutibus vel operibus, Spiritus paracleti gratiam impetrauimus. Aliter: Benè dilectionem Dei, quæ est donum Spiritus, effusam esse ait, vt quæ largiter tradita sit in corda nostra. Mentalis autem inhabitatio, adorandi térque sancti Spiritus; cùm sola mente, tum corde est comprehensibilis. Porrò, Spiritum sanctum dicens, pulchrè ad Deum transit. *Quum enim adhuc essemus infirmi:* Quũ quæ futura essent, ex Spiritus sancti datione firmasset, nũc ex morte Christi, eadem stabilit. *Christus secundum tempus:* Hoc est; opportuno, adeóque conuenienti tempore: *Pro impijs mortuus est: Vix enim pro iusto quis moritur, pro bono forsan aliquis etiam audeat mori.* Si, inquit, pro viro virtutibus cõspicuo, nemo mori eligat; Domini nostri bonitatem mihi hic contemplare, qui Filium suum etiam pro impiis, peccatoribus dedit. *Commendat autem:* confirmat, demonstrat; *suam dilectionem erga nos Deus. Quoniam quum adhuc peccatores essemus nos, Christus pro nobis mortuus est. Multò magis igitur, iustificati nunc ipsius sanguine seruabimur per ipsum.* Si tum (inquit) non est aspernatus nos quum peccatores essemus, opúsque erat morte Filij eius vt nos conseruaremur; quantò magis nunc nos non contemner, vt qui sumus iustificati sanguine Christi neque porrò sit necesse Filium eius postmodum mori? *Ab ira:* id est, futuro supplicio. *Si enim quum hostes essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij sui: multò magis reconciliati seruabimur in vita eius.* Non opus est quemadmodùm anteà, vti deinceps Filium suum in mortem tradat; verùm viuentis erit salus, quare nihil erit difficilè nos per ipsum beari. *Non solùm autem, verùm etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum.* Vt ne rubore suffundamur, mœroréque conficiamur quòd adeò extiterimus impij vt etiam necessarium fuerit Filium Dei pro nobis in mortem tradi vt saluaremur; infert: Non solùm autẽ seruati sumus, inquit, verùm gloriari debemus: Proinde gloriamur quòd Christus omnino pro nobis mortuus est, cùm impij essemus. Id enim maximè Patris dilectionem indicat; quandoquidem & pro impiis Filium suum dederit. Dilectos porrò ab Deo neque lugere, neque mœstos esse, sed enim exultare potiùs & gloriari in Deo conuenit. *per quem nunc reconciliationem accepimus.* Reconciliationem, id est, assertionem, qua Deus nos in libertatem asseruit; qua item per Christum Deo Patri, irato ante hac nobis, reconciliati sumus. *Propterea, perinde ac per vnum hominem peccatum in mundum ingressum est, & per peccatum mors: & sic in omnes homines mors peruasit.* Quum supra multifariam confirmasset, iustificatos nos communicatione Spiritus sancti, mortéque filij: iam nunc ex rationabili eadem ac decenti ratione corroborat. Decebat (inquit) ac rationabile erat, vt qui per vnum hominem peccatores mortique obnoxij facti essent per inobedientiam Adami, per vnum hominem Christum Dominum seruarentur, iustificati, & immortales constituti. *in quo omnes peccauerunt:* ἐφ᾽ ᾧ; in quo, Adam: vel, per quem, Adam: vel quod in ipso etiam alij peccauerint. OECVMENII. Porrò ne quis iniustitiæ insimulet Deum quòd ob Adami delictum nos moriamur; subdit: *In quo omnes peccauerunt:* perinde ac si dicat: Ipse quidem principium præbuit & causam, peccauimus autem & ipsi nos. Non enim propter auitum, adeóque primorum Parentum peccatum tantùm punimur: nec ideò solùm quia per mortem Adami, in genus eius & propagationem, peccatum deriuatum sit: enimuerò ob suum quisque perpetratum indignum facinus, mortis terminum recipit. *Adusque enim legem, peccatum erat in Mundo: peccatum verò non imputatur, si non sit lex.* Demonstrare est illi animus, quòd non vsque adeò propter peccata nostra intermorimur, quantùm propter Adamum qui peccato locum fecerit per inobedientiã suam, inquiens: Erat sanè in hominibus, antè legem etiam, peccatum; verùm non imputabatur ipsis, quandoquidem non esset lex peccatum denuncians adeóq; vetans. Non imputato itaque peccato, obibant diem homines? Quid? Nonne perspicuum est, quòd propter Adami condemnationem istuc eis acciderit. OECVMENII. Obserua Apostoli prouidentiam: vt ne videremur iniuria affici indignàve pati, alterius causa morientes, intulit: *Peccatum in mundo erat*, etiamsi non

non

non imputaretur. Quocirca non ob solum Adamum; cæterùm propter nostrum etiam peccatum intermoriebamur. Aliter: Ego censeo, peccatum ipsum hic dicere, quod ex præuaricatione Mosaïcæ legis eiusque præceptorum constet; qualia sunt, oportere circuncidi; Sabbatum sanctificari, hæc deinde manducari, ab illis verò temperari.

Nam peccatum vniuersum ipsi humanæ naturæ cognitum cùm erat, tum imputabatur, quod genus est, homicidium, furtum, puerorum virginúmque corruptiones, horúmque similia: Cuius rei testes sunt Cain, Lamech, ac tempore diluuij, Sodomitæ. De hisce námque peccatis, naturalis erat lex posita. Conditor enim Vniuersi Deus, hominem creans; rerum quas agere deberet & non agere, naturalem quandam eidem cognitionem indidit & inseruit. Nonnulli ex Patribus: inter quos est Gregorius Nazianzenus, adfirmant, Mandatũ traditum Adamo, ne vesceretur Ligno scientiæ boni & mali: legem esse, peccata huiusmodi generatim prohibentem. Lignum enim efficiens scientiam boni & mali, peccatum esse intellexerunt. Ἄχρις, *Vsque*, non pro, *tantisperdum*: sed veluti, *ad finem*, dixit: ac tanquàm diceret; Donec lex regnabat, peccatum potens fuit nam citra legem non est transgressio. *Verùm regnauit mors ab Adam.* Regnauit, accepto ordine ac dominatu à transgressione Adami. *Vsque Moysen, in eos etiam qui non peccauerant.* Moysen totum verus Testamentum appellat, itidem vt isthic, *Si Moysen non audiunt*: Tempus igitur ad aduentum vsque Christi, Moysen dicit. Ait itaque quòd mors (veteris Testamenti tempore) sceptris sit potita; iam nunc verò, in nouo Testamento, per gratiam Christi soluta sit ac destructa per sanguinem Dei nostri. Non peccantes autem eos vocat, qui antè legem in terris vixerunt. OECVMENII. Non quod qui antè legem vixerint, non peccauerint; magis enim illi delinquebant quàm qui post legem duxere vitam; verùm enim ob eam quam supra retulit, causam. Nam peccatum sanè erat & patrabatur ab hominibus; at enim non imputabatur ipsis, eò quod non esset lex, peccatum denuncians. Quantùm igitur adhoc quòd non imputaretur peccatum (peccatum enim non imputatur, inquit, si nõ sit lex) peccati tũ expertes fuerunt etiamsi peccarent. *In similitudine transgressionis Adam.* Nam etiam si mandatum Adæ traditum non sint transgressi, alia tamen præuaricati sunt. Ac quemadmodùm ille admisso flagitio propriam suam mortalitatem in genus omne mortalium transfudit; consimile ad rationem, Christus vniuersam iustitiam replens, a que morte resurgens, cunctis incorruptibilitatem impertiit. Quum deinceps figuram eum vocat, ostendit sublimitatem eius sententiæ quam subiicit, *sed non quemadmodum delictum. Qui est typus futuri*: Qui (inquit) Adam, figura erat venturi; nimirùm Christi. Quanam ratione? Æquè, inquit, atque per mortem Adami, omnes moriebantur; sic per mortem Christi, omnes viuemus resurgemúsque: Typus igitur ex contrario contingit. Aliter: Ecqui figura Christi est Adamus? Etenim perinde ac ille omnibus suis posteris, iis etiam qui non ederant de ligno illo, causam mortis per manducationem induxit: Haud dissimilem ad modum Christus in ipsum credentibus: etiam iis qui nihil iustè egerunt; iustitiæ † autor est & collator. *Sed non quemadmodum delictum, sic & donum.* Obserua quid dicat: Non adeò, inquit, efficax est delictum Adami, vt donum Dei. Si igitur tam fuit potens delictum Adami (etiam si infirmum esset ac longè inferius dono Dei) vt etiam eos qui non peccauerãt, morte frangeret: quanto maiore robore donum Dei efficax erit; eos etiam qui non rectè egerint, resurrectione sua viuificare? *Si enim vnius ob delictum, multi mortui sunt.* Vult indicare efficaciorem potentiorémque fuisse Dei gratiam, Adami præuaricatione. Ecquanam ratione istuc? Nam videmus eum qui paria effecerit, etiam si diuersi sint effectus. Vt enim obedientia Christi in omnes homines allegauit vitam & resurrectionem; haud

Gen. 5. & 18.

Genes. 3.

Luc. 13.

† Prima quidem, quæ in Baptismo donatur: non autem si quæ deinde quæ per pœnitentiam confertur.

impari via, inobedientia Adami, in omnes homines demisit mortem. OECVMENII. Quum ista ita sese habeant, quemadmodùm dixit, efficacior fuit gratia Dei. Et non secundùm hoc maius ipsum dico, quò quispiam cogitare posset; nimirùm quòd vita cum maior sit morte, tum etiam præstantior: sed certè quòd ipso opere, adeóque reuera, maiora effecerit Christi obedientia, Adami transgressione. Quomodo? Nam mors principium ex Adam ducens, nostri omnium peccatum cooperationem habuit, vt contra omneis esset potẽs; quod tamen minimè potens futurum erat, si à cunctis sordibus mansissent puri mortales; Gratia autem Dei, vel citra nostram cooperationem ad omnes accessit: atque hoc indicat, quòd gratia resurrectionis non solùm in Fideles efficax fuerit, veluti eos qui fidem ad salutem contribuerint attulerintque; verumetiam in infideles, vt Iudæos & Græcos. Quod igitur nostro auxilio non eget, maius dicit quam quod eget nostra, ad hoc vt potens sit valeátque, ope. *Multò magis gratia Dei, & donum in gratia quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit.* Ne dum, inquit, gratia Patris, sed Filij quoque. Est autem confirmationis argumentum à possibili ductum; quum ait: Gratia Patris & Filij. Vbi autem Pater & Filius; planum fit quòd Spiritus possit neminem non seruare. *Ac non quemadmodum per vnũ qui peccauerat donũ*: Nõ inquit, vt peccatum Adam, ita & donum Dei; verùm, donum est maius. Qua ratione? iudicium enim; hoc est, condemnatio; ex vno Adam in omneis homines venit: Gratia verò ac donum Dei adeò exuberauit vt & ipsum Adami peccatum deleret; nec illud solummodò verùm omnia omnium aliorum mortalium alia delicta quæ post illius peccatum commiserunt. Nec id tantum effecit, verùm ad iustificationem; id est, ad iustitiam, omnes deduxit: Multum autem interest inter obliuionem peccatorum & iustitiam. *Iudicium enim ex vno ad condemnationem, donũ autem ex multis delictis ad iustificationẽ.* Constructio est: Non sic, inquit, donum est, perinde ac transgressio & peccatum est per vnum qui peccauerat, sed donum est longè excellentius & maius. *Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnũ.* Iterum idem confirmat, & ait. Si enim vnius Adami delicto, per ipsum vnum mors regnauit: multò magis nos gratiam & donum accipientes & iustitiam, non succumbemus morti, sed certè viuemus. *Multò magis exuberationem gratiæ ac doni iustitiæ accipientes, in vita regnant per vnum Iesum Christum.* Exuberationem, ipsam largitatẽ & copiam vocat. Confirmat autem istuc, quòd in vita regnare debeamus, quatenus gratia nobis haud parcè neque diuisim data est, sed copiosè. Vel hunc ad modum intelligere queas: Non solùm vt viuamus, data est nobis gratia Dei, vtque peccatum tollatur, & pœna simul aufetatur: verumetiã vt & Filij Dei efficiamur, & cohæredes Christi, & hæredes Patri, concorporeique Filij aliáque innumera bona consequamur. Eam ob rem: *exuberationem*, inquit, *gratiæ accipientes.* Aliter: Eadem ratione certat. Quum enim communem vulgi opinionem exuperaret: atque adeò mirificum videretur, vnius Iesu Christi vita, dono & virtute, omne seruari mortalium genus; multipliciter illud comprobat. *Igitur quemadmodũ per vnius delictũ, ad omnes homines ad condemnationẽ, sic per vnius etiam iustificationem, in omnes homines ad iustitiam vitæ. Vt enim per obedientiã vnius hominis.* Idem rursus argumentum est. *Peccatores constituti sumus multi*, morte scilicet & pœna. Vel, quòd seriè quadam & ordine in omnes homines primi parentis peccatum transierit, omnibus nobis per imitationẽ & successionem quandam peccantibus. Vel, *peccatores*, pro eo quòd est, obnoxij morti & supplicio. *Sic & per obedientiam vnius, iusti constituentur multi.* Siquidem obediens factus est Patri vsque ad mortem, mortem verò Crucis. *Lex autem*: Legis gloriam tollit. Ad Iudæos enim illi certamen erat, & ait: Non solum autem nobis nihil profuit lex, vt & peccatum per transgressionem augeret. Coniunctio ἵνα, id est, *vt*: non est posita hic

vt rationem reddat, verùm vt quod accidisset indicaret. Non enim in eum finem sancita est lex ac data, vt peccatum faceret abundare; minimè gentium: verùm data est, vt nos seruet & erudiat. Atqui non obseruata auxit peccatum; non quòd per propriam naturam peccatum augeat, sed per socordiam & transgressionem eorum qui ipsam non obseruant, GENNADII. Simile est hoc, et quod Galatis Apostolus dixit, lex, præuaricationum causa lata est. Nam particulam, ἵνα, id est, *vt*: hic iuxta proprietatem linguæ posuit, significat enim consequẽs. Cunctis enim Adami posteris: imò ipsi etiam Adamo lege lata, abundauit delictum. Quò enim præcepta maiora, hoc si quis ea transgrediatur, delicta grandiora. *Subintrauit*, accessit opportunitatem eius ostendit. *Vt abundaret delictum.*

Vt finale, nō causale.

Quum enim multa mandata dedisset lex, si quis eam præuaricetur, peccata auget. *Vbi autem abundauit peccatũ.* Ne perterrefias, inquit, quòd peccatum abundauerit? etenim hominum transgressione ad bonum & commodum vsus est Deus, indigentibus opes tribuens. Hinc enim gratia per Christum maior & desiderabilior facta est, cuius bonitate nobis communicata, fides auctior est reddita. Non enim ex abundantia peccati, pœna etiam maior est facta, sed salus iucundior amabiliórque nobis obrigit. *Superexuberauit gratia.* Non enim à peccatis tantummodò nos liberauit, sed innumera etiam bona largita est. *Vt quemadmodum peccatum regnauit:* Peccatum enim, Regis instar, mors verò, militis & ministri in mortem fuit. *In morte,* per mortem. *sic & gratia regnet per iustitiam.* Gratia námque Dei iustitia, maiora persequitur, quàm peccatum & mors. *In vitam æternam per Iesum Christum:* Per iustitiam videlicet Christi.

CAPVT VI.



QVID igitur dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia exuberet? Quid? Veniemúsne ad hæc verba, per consecutionem ex præcedentibus? Qualia verò intelligat, subiicit, postquam suprà dixisset; Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia, vt ne insipientibus videantur dicta, per adhortationem ea tollit. *Haudquaquam.* Id in apertè absurdis dicere cõsueuimus. SEVERIANI. Quoniam dum baptizamur, profitemur nos mundo esse mortuos, atque peccato diabolo nos reluctaturos. *Qui mortui sumus peccato, quomodò adhuc viuemus in ipso?* Mortui sumus peccato, vel quod quadam ex parte illi obedierimus; at quomodo tum licet peccati nomine, & mori & viuere? Vel quod mortui (inquit) sumus peccato, Christo credentes, Baptismatéque tincti. Non oportet igitur salutarem (inquit) mortificationem expectantes, viuere minimè optimam peccati vitam: Mortui proinde sumus peccato. Quomodo? vt ne, inquit, morem geramus ipsi. *An ignoratis, quod qui baptizati sumus in Iesum Christum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti igitur sumus ipsi per baptisma, in mortem: vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis.* Admirabili vsus est sermone, interpretans, quomodo mortui simus peccato. An ignoratis, inquit, quòd quotquot in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus? Nam mortem imitatur baptismus, hoc enim indicat, *In mortẽ eius baptizati sumus*, Etiamsi enim baptisma non sit corporalis mors; peccatum tamen est. *Per gloriã Patris.* Credibilem facit resurrectionem, per gloriam excitantis. Pulchrè porrò dicit Patrem excitasse, adhuc enim infantibus disserit. THEODORETI. Gloriam Patris Christi diuinitatem appellat; nam & alio loco dicit: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloria, sic & nos.* Consectarium erat dicere; Sic & nos resurgemus: Verùm ad vitæ institutionem peruenit, aliam à nobis resurrectionem postulans quæ est per vitæ nouitatem; in qua emoritur quidem peccatum, resurgit autem vita, virtute & fide conspicua. *In nouitate vitæ ambulemus:* Si fornicator nõ porrò fornicatur, & raptor ac prædo non ampliùs prædetur; vitæ istbuc est nouitas. *Si enim simul insiti sumus:* Adæquationem quandam ostendere instituit cùm nostri, tum Christi. Si simul (inquit) insiti sumus; hoc est, si participes sumus mortis. Insitos verò propterea simul nos dicit, quia æquè ac corpus Christi Domini nostri tumulatum, adeòque in terram sepultum, salutem mundo protulit; sic & nostrum corpus per baptisma sepultum, iustitiam produxit nobis ipsis. *Similitudini mortis eius, resurrectionis quoque erimus.* Similitudinem quidem mortis habuit in baptismate, non corporalem mortem. Nam tres obitus & ortus, hoc est, triplex illa Tinctura; mortem & resurrectionem significant. CYRILLI. Similitudo erat mortis, Christi mors, eò quòd non permaneret ipse in morte, sed tertio die reuiuisceret, resurgerétque. Ac rursum similitudo mortis erat, Passio & Crux Christo, idque decenter & apprimè; reuixit enim, neque quisquam mortuus remansit. OECVMENII. Vide hic bonitatem Dei? Morte Domini, ceù in imagine adeóque similitudine mortui sumus; verùm resurrectionis reuera consortes erimus. *Hoc scientes, quod vetus noster homo simul crucifixus est.* Commemorat postmodùm quàm sit nobis celebris resurrectio, inquiens: *Scientes, quod vetus noster homo*: id est, vita condemnata; simul crucifixa est cum Christo, per baptisma: vnde etiam dicit in eo destrui corpus peccati: hoc est, mala opera, scelera, flagitia, mortem, expectate: Hæc enim dicit, *corpus peccati.* Aliter: Veterem hominem, non naturam appellauit, sed enim prauam mentem & sententiam, quam baptismate dari neci adfirmat. *vt aboleatur corpus peccati.* In hoc, inquit, vt aboleatur & morte planè tollatur, ne porrò quisquam in peccatum incidat. *Vt ne deinceps seruiamus peccato:* Internecionem & mortificationem dicit, quantum ad peccatũ, vt sit cassum vita: Nam mortuum non quicquam porrò committit. CYRILLI. Abolitum autem est ac destructum corpus peccati; id est, affectuum in ipso insita feritas; concitans quidem perpetuò ad turpia mentem terrenísque voluptatibus ceù luto admouens. Atque hoc dicit D. Paulus: Nam impossibile legis, in quo languebat per carnem; Pater, Filio misso in in similitudine carnis peccati, amnuit, ac de peccato condemnauit peccatum in carne. Viden' quinam corpus peccati sit abolitum? Condẽnatus est enim in carne peccati stimulus, occisúsque est in primo Christo. Transiit autem ab ipso & per ipsum, ad nos, gratia. *Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato.* Animaduertis, quod quantùm ad peccatum, oporteat nos esse mortuos? Qui enim (inquit) obiit, iustificatus est; hoc est, discessit: nec non liberatus est à peccato: Nonnulli istuc de baptismate intellexerũt, in quo, Christo consepulti sumus. *Si autẽ mortui sumus cũ Christo credimus quod pariter etiã cũ ipso viuemus:* Resurrectionem deinceps prædicat. Si, inquiens mortui sumus cum Christo, quemadmodum obimus diem per baptisma; credimus, quòd & simul viuemus cum ipso beatam illam reuera senióque vacantem vitam, post resurrectionem nobis obuenturã. *Scientes quod Christus excitatus ex mortuis, postmodũ haud moritur: nec mors porrò in ipsũ.* Et vnde (dixerit aliquis) perspicuum est, quòd simul viuemus cũ Christo? Nam & illud obscurum est, num Christus excitatus denuò occumbat mortique abdicatur. Minimè (inquit) gentium. Nam eius te rei certissimum esse oportet: nempè Christum vltra non moriturum: eam enim ob causam etiam mortuus est, vt mortem destrueret, eámque exarmaret. *Dominetur.* OECVMENII. Quanam enim ratione in ipsum dominaretur, in quo nos vitã habebimus? Nã & nobis simul remissa est mors, in primitiis, qui Christus est. *Quod enim mortuus, peccato mortuus est semel: quod autem viuit.* Adeò, inquit, deinceps non morietur, vt & illud semel quòd mortuus est, nõ ceù morti obnoxius reliquorum mortalium instar mortuus est, verum propter mundi peccatum, vt istud tolleret occide-

occiderétque *Viuit Deo*: hoc est, vt Deus; citrà vllum nocumentum, vel corruptionem. Vt enim intelligi- A tur, mortuus esse peccato; hoc est, propter peccatum; sic etiam accipitur quod dixit *Deo*: hoc est, ideò quòd sit Deus. OECVMENII. Hanc ad rationem intelliges; perinde ac dicere solemus de homine apud nos agente, adeóque nostræ sortis; Mortuus est sanè carne, viuit autem anima. Iuxta quorundam verò interpretationem sic accipias, quod ait, *Viuit Deo*: hoc est, est Deus; vel per hoc quod est Deus: non quod si anima esset, non viueret. Cæterùm quod certius erat, minúsque pugnæ habebat, posuit, quod scilicet sit ipse Deus, *existimate vos ipsos mortuos quidem esse peccato, viuere autem Deo*: Ne dicerent; quid ad nos, si semel vita defunctus Christus in posterum non moriatur? Sic & vos de vobis ipsis cogitate. Quomodo? quoniam morie- B mini quidem propter peccatum semel, viuetis autem Deo: Etenim in ipso viuimus, mouemur, & sumus: æquè ac alio in loco ait. Vel hanc ad rationem intelligas licet: Quemadmodùm Christus mortem obiit, & viuit; sic & vos existimate, vos ipsos oportere mori, quantùm ad non peccandum attinet: viuere autem in diuinis cœlestibúsque rebus, per Iesum Christum hoc est, Christo auxiliante. *In Christo Iesu Domino nostro*, id est, : per Iesum Christum, per mortem enim ipsius, nobis vita obtigit. *Ne igitur regnet peccatum in mortali.* Postquàm nos mortuos esse peccato dixisset, quantùm ad peccatum: *Ne dominetur vestri peccatum*: subdit. Pulchrè verò adiicit: *In mortali vestro corpore*: per corpus enim, peccatum vires accipit. Ne itaque regnet, inquit, vt C obediatis ipsi obedire enim peccato, est idem quod inseruire THEODORETI., Regnum hic à tyrannide differt, quòd tyrannidi, inuiti subdantur ciues; regno verò, suapte sponte morem gerant. Commonefacit igitur nos, ne posthac peccati potentiæ ac potentatui assentiamur: dissoluit námque imperium eius, Dominus, quo homo factus est, ac mortale dum corpus habentibus legem tulit, ea tamen sanciens, quæ imbecillitati nostræ responderent, conueniréntque. Nec dicit: Peccatum tyrannidem exerceat; sed, *ne regnet*: alterum enim, peccati est proprium; alterum verò, à nostro consilio pendet. *Mortali vestro corpore, vt obediatis ipsi.* Consolatur eos, dum corpus mortale dicit; monstrans, quòd opportuna sit aduersus peccatum lu- D cta quandoquidem & corpus accommodum sit opportunum *In cupiditatibus eius*: nempe corporis, ne perficiatis quæ ipsum suaserit. *Neque exhibete membra vestra, arma iniustitiæ.* Corpus námque (vt manum) quispiam ducere potest, vt fiat scutum cum eleemosynæ tum rapinæ: sic lingua, vt sit grata & non maledica institui potest, atque ad hanc rationem artus reliqui, *omne peccato*: Belle, iniustitiã, peccatum appellauit: aut enim seipsum quisquam iniuria per ipsum afficit, aut proximum. *Verum exhibete vos ipsos Deo.* Ex vocibus interim est diuersitas & pugnantia; dum non peccato sed Deo, illos & corpora & seipsos exhibere præcipit. *velut è mortuis viuentes, & membra vestra.* Ita, inquit, vos ipsos exhibete Deo, vt par est, nam mortuos vos iam olim peccatis, viuificauit E atque à peccati (adeò ne in vos dominaretur) imperio liberauit. *Arma iustitiæ Deo.* Qui enim ad arma iustitiæ, membra sua constituit, Deo, semetipsum exhibet. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Qualenam peccatum non dominabitur? Quod antè baptisma in vobis potens erat, quòd remittit etiam gratia Christi: Id verò lex præstare haud potuit. Nõ estis igitur sub lege, quæ non potuit liberare sed potiùs afficere pœna. *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Nisi inquit, nos ipsos subdimus peccato, haud intercipimur. Quomodo? quoniam non sumus porrò sub lege denunciāre tantùm, peccatum; nec enim ea ornata est virtute qua nos liberare possit: sed sub Christi gratia, quæ & cõmissa flagitia condonat, & quæ in futurũ excubias canit, si nos modò minimè torpeamus. *Quid igitur? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?*

Tyrannidis & regni differentia, Christi lex imbecillitati nostræ respondet. Peccati regnũ & tyrannis in homine.

Haudquaquam. Vt ne segnis auditor fiat, cùm audit sese non redigendum esse sub iugum peccati, quòd sub gratia sit vigilante; præmunit orationem suam, ipsúmque auscultatorem à tali cogitatione socordiæ auocat. *Nescitis, quod cui vos ipsos exhibetis*, id est, facitis, demonstratis, præparatis: *Seruos ad obedientiam, serui estis qui obeditis?* Serui estis, inquit, illius rei cui paretis *siue peccati ad* mortẽ ducentis: *siue obedientia* Dei, ad iustitiam agentis. Non dico ad gehennam, neque quæ istic sunt iudicia & supplicia: Nónne enim satis, vos rubore suffundi ob eam ignominiam, qua peccato vos in seruitutem redigitis, quum sitis à Christo liberati *siue obedientia*, repete, serui estis ad iustitiam *Gratia autem Deo, quoniam eratis serui peccati?* Quum terruisset eos seruitute peccati, & morte ex eodem proueniente, beneficiorum, iuxta, Dei B meminit addens ipsis animum, atque demonstrans facilem fore deinceps ad salutem, viam obedistis *autem ex corde*, Nemine inquit vobis vim faciente aut cogente, obedistis: Id verò ad encomium illorum pertinet. *In quam traditi estis doctrinæ formam*: Simulac dixisset spõtaneam illorum esse voluntatem, diuinum simul auxilium deinceps subdit: Vos quidem, inquit, voluntarij obedistis, Deus autem vos in formam hanc doctrinæ tradidit. Qualem? vt rectè viuere velitis & cupiatis; tum etiam incolumes siris, valeatisve circa religionis Christi doctrinam: Formam verò doctrinæ appellat, veluti finitionem & regulam. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Non solum, inquit, Deus liberauit nos à peccato, verum etiam subiugauit iustitiæ. *Humanum lo-* C *quor propter imbecillitatem carnis vestræ, Quemadmodum enim exhibuistis membra vestra, vt seruirent impuritati & iniquitati, sic etiam nunc exhibete membra vestra, vt seruiãt iustitiæ ad sanctificationem.* Moderatum & exiguum quiddam dico, atque adeò quod non excedat humanam naturam. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Natura metior institutionẽ adhortationémque meam ad vos. Noui enim, quinam in mortali corpore soleant affectus concitari, propter imbecillitatem carnis vestræ. Non dixit, electionis, deliberationis, aut cupiditatis vestræ, quæ illorum erat iniustitia, sed carnis, quæ præter sententiam illis erat, hoc dicit, vt sermonem suum & verbum molestia & grauamine liberet. Aliter, multò quidem maiorem oportebat Christo seruitutem exhibere, & iustitiæ, quam ea est, quam exhibuistis impuritati & iniquitati propter D imbecillitatem tamen carnis vestræ, æqualem posco: *Quando enim serui eratis peccati, liberi eratis à iustitia.* Quando in peccatis viuebatis, adeò parebatis peccato, vt ne tantillum quidem boni ageretis, hoc enim indicat quod ait: Liberi eratis ipsi iustitiæ, hoc est, non eratis subditi iustitiæ vlla in re. Proinde & nunc simulatque translati estis in iustitiam. Liberi facti estis ipsi peccato, nam isthuc subaudire, superioris capitis scopus postulat. *Quem igitur fructum habebatis tum ex iis ob quæ nunc pudore adficimini?* Quæ igitur vobis est è vetero prauitate commoditas? Immo planum est, quod istius etiamnum vos pudeat. Tantùm enim mali est peccatum, vt commisso illo, rubore suffundamini. *Finis enim illorum mors.* Nedum ab ignominia verùmetiam ab E euentibus, peccati malignitatem probat. Finis (inquit) illorum mortem nanciscitur; nempe spiritualem. *Nunc autem liberati à peccato, redacti autem in seruitutem Deo habetis fructum vestrum ad sanctificationem*: illorum, inquit fructus mors est & confusio, horum autem emolumentum, est sanctificatio & vita. Attamen quum hæc se ita habeant, sic Deo seruire deinceps, vt iam anteà impuritati & iniquitati, *finem verò, vitam æternam.* Ex iis quæ data sunt; ea quæ expectantur, firma facit: hoc est, à sanctificatione, vitam æternam. *Stipendium enim peccati, mors*: Stipendium, veluti fructus est. Obserua autem, quomodo sermone suo pergat, fortioresque & securiores reddat; ad futurarum rerum expectationem ac quomodò gratos eos facere Deo laboret, eò quòd per Christum redempti sint. PHOTII. Stipendium appellat,

quam ceù mercedem nobis per peccatum comparamus; quámque, admissum flagitium seu perpetratum, A nobis reddit atque donat. *Donum autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*: Non dixit, merces virtutum seu officiorum; sed *donum*, vel gratia; demonstrans quòd non ex laboribus suis verùm ex gratia, discesserint ac liberati sint à peccatis.

Capvt VII.

AN *ignoratis fratres* (*scientibus enim legem loquor*) Scientibus, cum laude hæc dicuntur. *Quod lex tantisper dominatur*. Mortui sumus peccato, supra dixit; quocirca non dominatur nostri, quatenus ei sumus mortui: Nunc autem commonstrare vult, quòd neque lex in nos exerceat dominium. Humanum autem exemplum commemorat; deinde pergens, B ostendit quòd non modò nos mortui simus legi verùm quòd lex pariter ipsa in aduentu Christi obierit. *In hominem*: Non dixit, in virum aut mulierem; sed, *in hominem*, vt vtrúnque comprehenderet & significaret. *Dum viuit*: Tantisper dum viuit; videlicet vir: Per Ellipsin ergo hic D. Paulus locutus est; perspicuum autem id efficit quod sequitur. *Mulier enim viro subdita, viuenti viro adligata est solo: sin maritus obierit diem suum, soluta est à lege mariti*. Ad virum, legem retulit: Credentes autem in Christo, ad mulieris locum transtulit. *Viuente igitur marito, adultera vocabitur si alteri copuletur viro: sin mortuus fuerit maritus, libera est*: Soluta est: *à lege* statuente de marito vxorémque illi adnectente γυναικὶ: pro, soluta est, liberata est. Phitii. Exempli vice, legem vita C defunctam hic adfert; non finis & conclusionis loco, vt ne inuisam reddat orationem suam. *Vt non sit amplius adultera, etiamsi alteri viro copuletur: itaque fratres mei: & vos occisi estis legi*. Non conclusionis, sed exempli loco legem adducit, ne aspera videatur oratio, vt anteà dictum est: Iudæis enim verba facit; verùm credentes, morte Christi, lege se mortuos, & ab ea liberatos. Si igitur lege mortua, non est transgressor qui aduersus eam cõmittat; quippe quia Domino credit; multò magis (inquit) si quis ipse mortem obiit, perinde ac vos obiistis solutus est à lege, nec est porrò transgressor legis qui Christo fidem adhibet. *Per corpus Christi, vt iungeremini vos alteri*. Per corpus leto dati pro nobis; simul enim cum ipso in baptismate mortui sumus, nec sumus porrò no- D stri iuris: empti sumus enim precio. *Qui à mortuis excitatus est*: ceù lege ad orcum demissa, adeóque vita defuncta: Quapropter præuaricatores posthac haud inueniemur, Theodoreti. Fructum feramus: legem nimirùm, vita moribúsque nostris exprimendo: siquidem carnem, carni latas sanctiones nominauit; de esu videlicet, potu, lepra, idque genus aliis. Aliter: Ad meliorem spem excitat. Tum enim, inquit: fructum ferebamus; legi, quicquid faceremus, colligentes; iam nunc verò Deo viuimus fructum producentes. *Vt fructum feramus Deo*: *Quando namque eramus in carne, affectus peccatorum qui per legem vigebant*. In carne; id est, carnali vita. Non dixit autem in lege; ne gratificaretur Iudæis, legem adhuc colere visus. *Efficaces erant in membris nostris*. Non enim noram (inquit) concupiscentiam, nisi E lex diceret: *Non concupisces*: Carnis itaque cupiditates per legem manifestantur. Nec dixit, efficacia sunt; vel operantur efficaciter membra, vt ne carnem accuset: sed, *efficaces*, inquit, *erant* vel operabantur adfectus. *Vt fructum ferrent morti*: Innuit affectiones carnis, per Satanam forinsecùs etiam accidisse, vt nos morti obnoxios redderent, eique includerent: per peccata enim admissa, morti fructum ferebamus, commodabamúsque. *Nunc autem soluti sumus à lege, vita defuncti, in qua detinebamur*. Rursus quòd inuidiosum erat declinans, non dixit; lex est abolita vel soluta, verùm: Nos à lege liberati sumus: hoc est, absoluti & adempti. Quamobrem? Nam mortui sumus per peccatum quod nos detinebat:

Exod. 20.
Rom. 7.

excitatíque sumus non per legem, sed per Christum. Perspicuum igitur est, quòd à lege absoluti sumus tanquam mortui: subiectíque sumus ei qui nos à morte redemit, Christo. *Vt seruiremus nos in nouitate spiritus*. Ne existimēt; postquàm absoluti sint à lege sibi deinceps quiduis etiam patrare licere citra omnem vel metum vel periculum; aliud longè (inquit) exactius ministerium ad seruitium adfert; spiritus nimirum. Pulchrè verò: *In nouitate*, dixit: Non enim eadem in nouo Testamento mandata quæ veteribus, legis tempore iniungebantur verùm communia noua præcepta, sapientiámque maiorem complexa, Christus nobis dedit: perinde ac dicat; vt inseruiamus à spiritu profectis mandatis. Nam veteribus iniunctum erat non occidere: nobis ne irasci quidem; illis porrò non mœchari; nobis autem, ne visu quidem curiosis esse præceptum est, *& non vetustate literæ*: Non enim lex porrò, sed spiritus nobis imperat. Quum dixit; *Vetustate*, ostendit legem esse marcidam & inutilem: quod enim antiquatum est senióque confectum, proximè ad obscurationē est. *Quid igitur dicemus? Lex ne peccatum est? Absit*. Quum dixisset: *vt seruiámus in nouitate spiritus*; ceù spiritus seruet æternum, lex autē minimè seruet; subdit: *Quid igitur dicemus?* Lex ne peccatrix est aut peccati suppeditatrix? Id verò (inquit) non adserto; verum, ipsam præbere mihi peccati cognitionem. Quare cruciari me grauiùs etiam oportebit, si per* cognitionem delinquam. Pariter autem cõmonstrat, legem esse peccati constitutricem, non modò præter propriam naturam, verùm etiam præter suam malitiam. *Peccatum non noui, nisi per legem cupiditatem enim non noueram, nisi lex diceret, Non concupisces*. Non dixit, peccatum non feci nisi per legem; verùm, non noui. Lex itaque in causa est, non vti peccatum committas; sed vt illud ipsum potiùs agnoscas. Erudire namque solet (ea enim eius est natura) nec permittit, per ignorãtiam ad brutorum naturam excidere, & ratione vacãtibus pecoribus adæquari. *Occasionem autem accipiens peccatum: per mandatum, in me omnem operatum est cupiditatem, citra námque legem*. Peccatum hic videtur accipere, ipsum diabolum. Perinde enim vt scriptura Seruatorem nostrum appellat vitam & iustitiam; quandoquidem & vitæ & iustitiæ sit autor; hunc admodum, contrariam sanè potestatem, alias peccatum, alias mendacium, nõnunquam verò mortem appellat. Sic postmodum, vbi inquit: *Peccatum reuixit*: Satanam indicat. Per peccatum itaque deinceps occasionem accepit diabolus. Etenim præcepta legis, ceù materiem arti suæ quandam faciens: hominem deduxit eò, vt diuersum à mandatis ageret. Planum est autem, quòd Apostolus per, *seipsum*, omnem hominem intelligat. Proinde lex non est causa peccati, sed peccatum per mandatum; hoc est, legem; seduxit me. Viden' quàm tacitè monstret, legem peccati occasionem esse? At palàm hoc non adserit, ne impingat aduersum eos. Rectè, *Omnem*: ait, Nam & priusquàm lex sanciretur, erat concupiscentia. Nam cur Cataclysmus factus est? cur Sodoma interiit? Atqui quas nunc non noueram, didici ex lege cupiditates, *peccatum est mortuum*. Mortuum, id est inefficax, perinde quasi dicat: Licet etiam ante legem, peccatum, affectū, suum haberet, non tamen tantum, quantum nunc agnoscitur, erat. Dormire namque videbantur peccata, & mortua esse, non enim multa norã. Hinc & in ignorantia agens, non adeò peccabam. *Ego autem viuebam*. Quondam viuebam sine lege, priusquàm daretur mandatum primis parentibus, vitam viuentibus in paradiso. *Quondam sine lege*, Quondam: antè Moysen videlicet, non eram tum mortuus multitudine peccatorum. Tum enim solùm naturæ legem habebam, quæ me accusaret, nunc verò & scriptam. Animaduertis quinam ex circunstantia, lex nocuerit? *Vbi autem venisset mandatum: peccatum reuixit, ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod ad vitam erat, esse ad mortem*. Mandatum, legem vocat: quum autem ait, *Reuixit*, ostendit

Matth. 5.
Luc. 18.
* Melius post.
Ioan. 14.
Collo. 3.
Ioann. 1.
Genes. 7.
Genes. 19.

ostendit fuisse quidem peccatum, sed quietum permansisse. Lex autem ceù beneficio nos afficiens; manifestauit isthuc, vt auersemur illud. Circunstantia autem, iis qui non effugerunt obfuit. Quæ itaque ad vitam mihi lata erat (ea enim eius natura erat & finis) in mortem mihi versa est, propter nostram socordiam, non certè per ipsius naturam. *Nam peccatum occasione accepta per mandatum, imposuit mihi, & per ipsum occidit.* Eadem rursus vàriis modis probat, idque non immeritò: Magnam namque gloriam, ingensque decus lex habebat. Ostendit itaque, legem nihil quicquam profuisse, sed accepto pôdere & occasione læsisse quoque, vt gratus sit cum docet deserendam esse legem, & ad fidem Christi accurrendum. *Itaque lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum*: Non enim legis naturæ erat quòd mihi nocuisset; sed nostræ, inquit, malitiæ; quòd non, demandata iniunctáque nobis custodiuimus. Aliter: legem Mosaïcam dicit, mandatū quod Moysi traditum fuit: *sanctum* profectò; vt quod doceret, quid æquum, quid decens esset: *Iustum* autem, quòd rectè in transgressores sententiam ferat: Bonum, ceù vitam, illud obseruantibus impertiens. *Quod igitur bonum est: factum est mihi in mortem? Haudquaquam: sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum mihi mortem operatum est.* Sed peccatum vti demonstretur, quomodo sceleratum, validum & forte peccatum, per bonum ipsum; id est, legem; mortem operatum est. Maximum autem peccati robur indicat, ob oculos nobis ponere volens Christi donum quantum sit; quippe quòd nos à tam forti, à quo nemini effugere liceat, peccato liberauerit. *Vt fiat excellenter peccans peccatum per mandatum.* Vt ipsius omne venenum, omnísque malitia appareat; quod ait: καθ' ὑπερβολὴν, per excessum, per exaggerationem, & intensionem dictum est. Non parum igitur lex profuit, omnem peccati amarulentiam reuelans, vt ita ipsum euaderemus. *Nouimus enim*, Quum dixisset legem esse causam peccati, tametsi id non sit ex natura sua, vt ne existiment quicquam ipsum contra legem dicere: non solùm ipsam ab accusatione liberat, verumetiam defendit ac laudibus vehit: Vocat autem in iudicium eos qui non obseruarunt legem. Vide quomodo Titus hunc locum sit interpretatus, in quatro contra Manichæos. *Quòd lex spiritualis sit.* Magister ac præceptor virtutis, hostis peccatorum, spiritualis est: id est, donum sancti Spiritus est, ac veluti imperium eiusdem. *Ego autem*: id est, ipse homo; non quatenus est homo, verùm quatenus nos ipsos ita instituimus, *Carnalis*: sub carnis cupiditatem positus, ac quæ corpori placent perficiens. *Venditus sub peccatum.* Nam cum morte, perturbationum pariter cœtus subiit, vt ira, tristitia, concupiscentia mala: his (inquit) traditus sum: id enim significat, *Venditus*: Traditus autem sum perturbationibus principium ducentibus in Adami præuaricatione. PHYTII. Vnde perspicuum est, quod venditus sum sub peccatum? Ex eo, quod ignoro quidnam agam: liber autem & solutus ab ipso, agnoui quid me oporteat facere, cùm à naturæ tū charitatis lege edoctus. Enimuero voluntario peccato subiugatus, sub eius iure fui constitutus, ac planè diuēditus: hinc nō noui, quid operer. *Quod enim operor*: Deinceps dicit, quomodo venditus sit sub peccatum. Ignoro, inquit, quomodo decipiar ac rapiar ad peccatum: furtim, inquit rapior, vt propemodùm me clàm sit quidnam patiar. *Non noui.* Non noui, hic non significat ignorantiam; nemo enim vnquam in ignorantia peccauit: verùm, *non noui*, inquit: pro eo quod est, tenebris obsepior, dolorem & violentiam sustineo, verùm nescio quomodo eneruer. Tale est quod ait; *Non volo*: Non enim necessitatem ostendens hoc dixit; verùm quod non probet ea quæ fiant. *Non enim quod volo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago*: Non dicit quod peccatum ipsi vim faciat, aut cogat inuitum; verùm deceptionem eius ostendere vult, & quomodo dulcedinem quandam sensibus inspirans, eos corripiat: Nam haud raro, quam rem

Titi Liber contra Manichæos.

& damno, & odi, in eam rapior. *Si autem quod nolo,*
A *hoc facio; consentio legi, quòd bona sit. Nunc autem non adhuc ego operor illud.* Non exiguum legis præconium dicit: Quod peccatum nolim; à lege habeo: Quomodo igitur lex, causa mali est, quum isthuc solummodo doceat? Autor est autem adeo laxus, lex: vt ob opportunam peccati suauitatem, homo illa etiam agat quorum accusatrix esse videatur; quæ etiam damnet cùm antequam agat, tum postquàm egerit. *Sed quòd habitat in me peccatum*: Ecce quomodo operatur isthuc peccatum. Suauitas (inquit) rei mihi obiicitur: sicque decipit me, ne perseuerem in iis in quibus decreui atque constitui. Bona est lex, videlicet quoniam meipsum accuso, transgrediens legem, odióque prosequens peccatum. *Noui enim, quòd non habitat in me*: Libertatem vult ostendere; nempè quòd homo non sit Dominus ad boni
B malíque momentum. Dicit itaque: *Non habitat in me bonum*: hoc est non est certum neque necessario apud me permanet, vt possim bona persequi; immò adeò natura mea corrupta est, vt vi quadam ad mala me pertrahat. Id enim est veluti habitatio, assidua perduratio, ac veluti consessio est ac residentia. Hoc est: *in carne mea, bonum*: Carnem dicit, quæ post transgressionem per peccatum est inhabitata, vt D. Methodius in Sermone de resurrectione ait. *Nam velle adiacet, perficere autem non inuenio*: Voluntas quidem est mihi: facere autem non adparet propter peccati raptum, & celerem qua me inuadit arreptionem: Corripit enim me, & ita apprehendit vt non peragam quæ à me laudantur sed quæ potius vituperantur. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod*
C *nolo malum, hoc ago* Ostendit tantùm peccati esse deceptionem & fraudem, eiúsque persuasionem, quum inquit: Sedulo attendo, estque mihi animus bonum facere aliquod, estque mihi animus nihil mali transigere: nihilominùs me concupiscentia inuadit captiuum me ducens, adeóque persuadens, quæ mihi placuerūt posthabere, atque conatus meos bonos intermittere, eique obtemperare. *Si autem quod nolo ego, hoc facio; non adhuc ego operor ipsum.* Ferè enim præter voluntatem meam ad malum arripior, vt adeò totum peccatum sit ex Dæmonibus suggerentibus: Isti enim simulac exiguum loci occupauerint, totum subuertunt. *Sed quod habitat in me peccatum*: De bono, non dixit habitationem; de peccato autem dixit, nam sæpè delinquendo, ad peccati habi-
D tum peruenimus: Nimia enim consuetudo, instar naturæ est. *Inuenio itaque legem, volenti mihi facere bonum: Nam malum mihi adiacet.* Obscurum est quod dixit; est autem eiusmodi. Laudo, inquit, legem secundùm conscientiam meam, atque ipsam legem deprehendo, me (si quādo boni quicquam facere delegero) ad hoc adhortantē. Quid igitur deinceps? Malum, inquit, ago; nam mihi malum adiacet (id est, sedulò, mihi adglutinatum est) vt ne volenti quidem mihi bonum agere, lex sufficiat auxiliari: Nam præter adhortari, nihil valet. Igitur à lege abstinendum (hoc enim hic efficit D. Paulus) Christóque accedendum & attendendum; qui non adhortatur tantùm, verùm etiam tollit præteritum delictum, per baptisma: deinde verò seruat & opitulatur. Vel hanc ad rationem intelligere queas: Difficilem esse
E peractu legem relinquitur, quandoquidem volens etiam facere bonum, non possum; & sic inuenio ipsam haud posse facilè seruari. Nam volenti mihi facere bonum, malum est magis in procinctu: vel quia & legi & voluntati meæ, malum resistit: Patrocinari itaque bonis, lex inuenitur *Volenti*: hoc est, adhortationem ac veluti consultationem exhibenti. *Oblector autem lege Dei*: Quatuor sunt legum formulæ, de quibus hic disputat. Prima lex est Dei, de qua dicit hic: *Oblector autem lege Dei.* Altera est, quæ opponitur legi Dei. Tertia est, de qua inquit: *Legi mentis meæ.* Quarta est, de qua ait; *Legi peccati, quæ est in membris meis.* Harum prima, est Euangelica institutio; forinsecus per Verbi ministerium & prædicationem ingrediens, animam nostram

D. Methodij Sermo de resurrectione.

Peccatum totum est ex dæmonibus suggerentibus.

Peccati consuetudo, instar naturæ est.

Lex quadruplex.

componens & ordinans. Altera est, quæ primæ opponitur, & hæc forinsecus accedit, iuxta operationem mali, animam hominis captiuans. Tertia, quam dicit legem mentis; hæc est, quæ naturæ nostræ à conditore est insita & impressa, ad ea quæ Deo grata sunt, excitans. Quarta est, peccati lex; hæc est peccati amans, quæ per consuetudinem ad malum, peccatum in nobis indurauit. Quomodo igitur in adeò ex diametro pugnantibus legibus incedemus? Harum námque duæ extrinsecus nos adeunt: altera quidem ad boni operationem vocans: Euangelica scilicet: altera verò ad malitiam adhortans, Euangelicæ opposita, prauitatis nimirùm lex. Aliæ duæ intus sunt, & intrinsecus animam cohibent: altera quidem, lex mẽtis à conditore Deo nobis inspersa & ad meliora nos ducens: Quarta est, lex peccati; ob frequentiam peccatíque crebram vsurpationem, nobis infixa. Proinde animaduerte, quàm scitè & accuratè dixerit: *Video aliam legem contrapositam reluctantémque legi mentis meæ*, adeóque huic legi renitentem quæ mihi ad bonum est insita; Porrò illa me captiuum detinet per legem peccati, quod est in artubus meis: perinde ac dicat, forinsecùs adspirans, commouet & irritat omneis in me repositas sordes & stercus, quæ mihi ad peccatum consuetudo fœdè iniecit & iussit. Vel sic accipias licet vt D. Methodius in concione de resurrectione. Lex Dei (inquit) Euangelica, mouet & exsuscitat quæ nobis sunt insita & inspersa à conditore Deo ad boni operationem, semina. Nam quælibet legum forinsecùs accedentium, propriam & mutuam interiorum in nobis legum mouens & prouocans, aut piè aut impiè agere nos adortatur. Vel συνήδομαι αὐτῷ: id est, consentio ei bene habenti: Nam & anteà quid bonum esset, noram; quum verò isthuc literis quoque proditum reperiam, commendo ipsum. Atque interiorem quidem hominem; dico, mentem: Legem verò in membris, peccatum, ob obedientiam ei, persuasionem & morigerationem. Quemadmodùm,

Matth. 6. Luc. 16. Mammonem & ventrem, Deum appellamus, propter subditorum ipsis seruitutem, & ab eos qui nolunt ipsi dicere, vale, ipsum peccatum omnirum opponitur naturali legi, hoc enim est quod ait, *legi mentis meæ*. Quod addit, *In membris meis*, est pro: per membra, bellum gerenti aduersus me, Neque hoc fit corporis culpa: neque enim si Regis domum tyrannus quispiam occupet, domus est causa. Hæc verò explicat, vt demonstret, quinam ante gratiam, quales item post gratiam communicatam simus, Ac, quòd per hostes in seruitutem redactus sit & coactus eorum robore: Legem verò imbecillem ad opem ferendam demonstrat, inquiens: *O infælix ego homo. Secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, oppositam legi mentis meæ.* Interiorem hominem, mentem aut animam vocat, inquiens: Cupit quidem mens mea agere quæ lex exigit, verum in ipso tempore peccati, quando corripior per peccatum. (Hoc enim alteram legem appellat, eo quod propria quædam & ea quæ sint extra legẽ, imperet) Hæc lex siue peccatum, decipit me propter insitam membris meis & nobis ipsis concupiscentiam, méque captiuum ducit. Nam concupiscentia quæ in nobis est, vt commodet, ad incommodum peccatum versos, nobis ipsis contra nos pro munimentis vtitur. *Captiuantémque me*: Rectè dixit, *Captiuum ducentem me*: Pugna enim excitata inter peccatum legísque mandata, siue contradicente peccato. abit victoriam referens peccatum, captiuum agens calamitosum hominem. *Legem peccati.* Legem peccati, periphrasticè, ipsum peccatum vocat. *Quod est in membris meis*: Hoc est, quod per membra mihi mea reluctatur. Id verò non est corporis culpa, neque enim si regiam tyrannus quispiam domum occupauerit, ipsius isthuc domus est causa. O miserum me hominem! *quis me liberabit ex corpore mortis huius?* Quis, inquit, me liberabit ex corporalibus actionibus, spiritualem mortem adducentibus? Aut; quis me liberabit, vt non arripiar ab iis quæ in corpore meo

A sunt cupiditatibus, quæ nobis prorsus mortem conciliant? Quis autem alius præter Christum? id enim clàm indicat: Neque enim lex me liberabit, neque mea voluntas (quantúmuis hoc conetur) seruabit. *Gratias ago Deo meo, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Gratias, inquit, ago Deo, quoniam ipse me (inquit) liberauit per mortem Filij sui. *Proinde ipse ego mente seruio legi.* Quantùm ad voluntatem meam attinet (quod suprà dicebat) oblector secundum interiorem hominem, legi Dei. *De carne autem legi peccati.* Peccatum, per carnem eiusque cupiditates, quæ sua sunt, facit.

CAPVT VIII.

B NVLLA *igitur.* Lex quidem ad hunc modum agit: Christus verò à præteritis nos peccatis liberauit, verumetiam in futurum nos liberos effecit; ac tales, qui delictis intercipi captiuíque teneri non possimus: hoc enim denunciat: *Nulla igitur condemnatio nunc*: ac si dicat, nulla postmodũ (propter peccatum) condemnatrix proferetur sententia. *Nunc condemnatio est in Christo Iesu, non secundum carnem ambulantibus sed secundum spiritum.* Quid igitur? nulla condemnatio, neque peccatum nunc? Hoc iam cõfirmat, & inquit: Nulla sanè condemnatio; sed iis tantummodò qui non suapte sponte carnalem vitam viuũt. Si enim solummodò spiritualiter viuere elegerint, non peccabunt. Porrò in lege; non qui rectè viuere voluit,

C potuit, nemine adiuuante neque confortante: in Christo autem Iesu, tanquam iis qui sunt in Christi fide, eligentibus spiritualem vitam. *Lex enim ipsius spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis.* Quemadmodùm legem peccati, peccatum appellat; sic & legem spiritus, spiritum, quem dicit vitæ esse choragum ac datorem: hoc est quod dicit; *Spiritus per Iesum Christũ.* Ipse námque Christus autor est, cur nobis impertiatur Spiritus donum, & idem nobis soluit peccatum, & attrahit (quatenus est homo) Spiritum quem nobis communicet. Is itaque Spiritus liberauit me à peccato, & inde emergente morte, ducens nos ad quæque optima. *Impossibile itaque legis, in quo ægrotabat per carnem*, Vides quod legem non condemnet? Non enim dixit, prauitatem legis in qua fraudabat? sed, *Impossibile*: &, *in quo*

D *infirma erat*: perinde ac si dicat, voluit seruare, sed non potuit. *In quo*, inquit, *ægrotabat per carnem*; hoc est, per carnalem effectum: non enim carnem vituperat, criminatur, calumniatur. *Deus misso suo ipsius Filio*: Suprà confirmabat, nos per Spiritum paracletum seruatos; nunc, per Filium, dicit: Nam communi sanctæ Trinitatis nos beneuolentia salui facti sumus. *In similitudine carnis peccati.* Quod ait, *in similitudine*, non ad carnale respicit, verùm ad peccata carnis: Non enim aliam à nostra naturam sibi adunauit: minimè gentium! verùm haudquaquam peccatricem naturam assumpsit: perinde ac si dicat, In similitudine peccantis carnis, peccato tamen vocans ipse. D. Cyrillus libro decimo quinto aduersus Iulianum: Corpus (inquit) Christi nõ erat peccati corpus; sed simi- Similitudo carnis peccati in Christo, quid sit.

E litudo carnis peccati. Aliter: Christus naturales affectus suscepit ad confirmationem veræ humanæ naturæ; ne videretur, apparenter, in speciem, & per imaginationẽ duntaxat, hominem induisse; repulsis tamen affectionibus, adeóque cupiditatibus planè vitiosis quæ vitæ nostræ puritatem sordibus conspergere defœdaréque solent: Has enim vt indignas Deitate, reiecit. Hanc ob rẽ dictus est, *in similitudine carnis peccati* factus esse. Carnem itaque nostram vnà cum adfectibus suscepit; peccatum autem admisit nunquã. *Et de peccato condemnauit.* Non simpliciter, neque inexploratè dixit; Quemadmodùm potens est, pro potentia sua condemnauit peccatum, verùm, primùm certè commonstrans quòd maximè impegerit, offenderit, deliquerit, peccatum nempè ipsum: *Peccatum in carne*: per carnem, inquit, suam. Hoc enim admi-

admirabile est, quòd per carnem quæ iam olim obnoxia erat peccato, ipsum condemnaret. Quomodo? quum A videlicet peccati vacuam & inanem retinet: hac enim ratione, & vincit & punit peccatum. Atqui peccati sanè punitio, eiusdem est ablatio & internecio: Hacque ratione, dum peccatum sustulit, exhibuit se esse Deum. *Vt iustitia legis impleatur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.* Vt ne quis dicat: Et quid hoc ad nos? Hæc Christus fecit, vt scopus legis (hæc enim iustificatio est) impleatur in nobis. Quis verò legis scopus est? Vt ne fiamus obnoxij execrationi, impleatur autem in nobis; quibus? illis qui nolunt porrò secundum carnem viuere sed secundum spiritum: Vt enim ne dicas, Christus victoriam obtinuit, nec opus est porrò nos non tutò viuere; *iis qui secundum carnem non inambulant*, adiecit, perinde quasi dicat: Scopus quidem legis per Christum nobis partus est ac exhibitus; B verùm nostra etiam hic vita & præsentia opus est. Christus námque nobis victoriam & coronam impertit; nostra autem interest, posse retinere quæ nobis sunt tradita; per non pessimam videlicet conuersationem, & fidem. *Qui enim sunt secundùm carnem: quæ carnis sunt sapiunt.* Qui (inquit) carnalibus sese cupiditatibus dediderunt, iis etiam vnicè sunt intenti: *Qui verò secundùm Spiritum, quæ sunt Spiritus*: scilicet, sapiunt. *Affectus enim carnis, mors: Affectus autem spiritus.* Affectum carnis vocat, terrestrem mentis impetum, atque adeò conatum & raptum ad absurdas operationes. Hæc verò non est carnis calumnia: Non enim dixit, *natura*: sed, *affectus*, qui potest corrigi. *Vita & pax.* Vita, quatenus attinet ad hoc quod dixit: *Affectus carnis, mors*: C pax verò, quatenus attinet ad ea quæ sequuntur: *Nam adfectus carnis inimicus est Deo.* Adfectus carnis non est caro, verùm ipsius ad intemperantiam impetus: Ita D. Methodius in concione de resurrectione tradit. *Legi enim Dei non subiungitur*: causam inimicitiæ dicit, quòd non obtemperent legi Dei. *Neque enim potest*: Ne turberis, quum audis: *Neque enim potest*: non hoc dixit, quòd carnalem adfectum habens, Deo placere nūquam possit; cæterùm, quòd si meo perseueret, non possit Deo subiici: Nam quomodo alias, plerique resipiscentes seruati essent? Non enim isthuc adfirmat, quòd affectu carnali imbutus non possit Deo subdi, verùm quia adfectus ipse (quæ sunt praua opera, quæ & meritò deserere licet) Deo non subiungatur. *Qui verò in* D *carne sunt, Deo placere non possunt.* Quinam verò sunt in carne? isti nimirum qui adfectum carnis habent; nam istuc per mutuum respectum dixit. *Vos*: Ob datam vobis Dei gratiam. *Autem*: Haud est ambigentis hoc loci, coniunctio, εἴπερ, siquidem; sed persuasi, adeóque certi, perinde ac si dicat: Quoniam iam spiritus Dei habitat in vobis. Quemadmodum & in eo loco, vbi dicitur, ἐπείπερ δίκαιον παρὰ θεῷ, postquàm sanè iustum est apud Deum, reddere adfligentibus vos adflictionem: Nam & isthic coniunctio, εἴπερ, pro ἐπειδήπερ, est posita. *Non estis in carne*: hoc est; in carnalibus peccatricibúsque operationibus, verùm in spirituali affectu. *Si verò quisquam spiritum Dei non habet, non est eius.* SEVERIANI. Spiritum Dei dixit, noui Testamenti dona. Porrò ne mœrore afficerer Romanos, non dixit; Si verò Spiritum Dei non habetis vos; sed permutauit, vt veluti de aliis loqui videatur. Insuper Spiritus Dei, etiam Spiritus Christi; nam & Patri & Filio Spiritus est communis. *Quod si Christus in vobis est.* Quod triste erat, in alium quempiam, eúmque vnum transtulit; quod verò lætū ac desiderabile, ad Romanos, multitudinis numero refert, inquiens: *Si autem Christus in vobis est.* IOANNIS CHRYSOSTOMI. Monstrauit Apostolus, quo haud carnem, sed peccatum potiùs accuset. Præcepit enim corpori, vt peccato moreretur; hoc est, peccatum non efficax esse debere, neque vllas habere vires. Spiritum verò hic animam appellauit quæ iam spiritualis facta est: hanc, iustitiam adire iubet; cu-

In carne esse, quid sit.

Spiritus est communis Patri & Filio.

Hom. 13. in Epist. ad Rom.

ius fructus, amabilis est vita. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Corpus quidem mortuum est, quatenus ad peccati effectum & operationem; hoc enim est quod ait, *Propter peccatum. Spiritus autem viuit propter iustitiam.* Ne perterrefias, inquit, quum audis mortuum corpus: Tibi namque est etiam vita; nempè spiritus, ad iustitiæ & operationem & effectum. Vt autem dixit: *Corpus quidem mortuum*; sic consequens erat dicere, Spiritus autem vita. Porrò, Vitam, dixit, innuens non modò esse Spiritum, sed viuificantem etiam spiritum. CYRILLI. Excitatus est Dominus noster Iesus Christus à Patre qui operatus est circa carnem ipsius, vitam, per Spiritum sanctum qui ad eum etiam pertinet. Proinde etiam si à Patre dicatur excitatus, ipse tamen etiam per sese resurrexit & per Spiritum sanctum; Omnia námque diuina operatur Christus per Patrem & Spiritum paracletum; quare & nostra Christus corpora excitabit. *Si autem Spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui Christum excitauit à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra.* Ad resurrectionem peruenit. Quoniam igitur in hac omnes resurgunt; sed alij quidem ad vitam, alij verò ad supplicium; non dixit, *Excitabit*, sed, *Viuificabit*: hoc est, ad vitam & gloriam resurgere faciet. *Per spiritum suum habitantem in vobis.* Causam viuificationis reddit, & habitantem dicit, vniuersalem tantummodò ipsius vim denuncians, adeóque ostendens. *Proinde fratres debitores sumus non carni.* Post tantum, inquit, exhibitum nobis beneficium; debemus certè secundum voluntatem Dei, vitam ducere, nec porrò secundum carnem. Deinde ne existimetur necessaria corporis ministeria adimere, vt alimentum, indumentum: infert; *Vt secundum carnem viuamus*: hoc est, in peccatis; vtve carnalibus eam cupiditatibus permittamus. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini*: morte immortali, in gehenna. *Si autem Spiritu opera corporis occideritis, viuetis.* Si autem per Spiritum sanctum opera corporis (hoc est, praua opera) interfeceritis, viuetis vitam illam cœlestem ac sempiternam. *Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur.* Non dixit, quotquot Spiritum Dei acceperunt; verùm, *Quotquot Spiritu aguntur*: hoc est, vniuersæ vitæ suæ heniochum, aurigam & ducem eum præstituunt. Nam omnes qui baptizantur, Spiritum sanctum accipiunt; at non omnes, præsidatum ei permittunt atque concedunt. *Hi sunt filij Dei.* Ecce filiorum etiam adoptionem annunciat. *Non enim accepistis.* Postquam filiorum adoptionis meminit (fuerunt autem & Iudæi hoc nomine honorati, quemadmodùm illud indicat: *Filius meus primogenitus Israël*: Et, *ego dixi, dij estis & filij, altissimi, omnes*) vult ostendere, multam adoptionem differentiam. *Non enim*, inquit, *accepimus spiritum seruitutis rursus ad timorem*: non perinde ac Iudæi spiritualem acceperunt legem, seruorum instar ad terrorem; id enim indicat, *spiritus seruitutis.* Nam ipsi per timorem, qui in manus illorum positus erat, cogebantur facere quod bonum honestúmque erat; Nos verò, vt filij, propter spem in cœlis repositam, quæ decet & recta sunt, persequimur. Quocircà ad seruos illos ex æquo omnes in timore vitam agentes, nominetenus & honore, filiorum adoptio pertinet; ad nos vero reuera applicatur, nostráque est ipsa opere. E OECVMENII. Perinde ac omnia apud eos typus erant, nostrorum (quæ nobis per Christum obtigerunt) bonorum; sic & filiorum adoptionem arbitramur pati ratione figuram fuisse. *Spiritum seruitutis rursus ad timorem.* Spiritum seruitutis, spiritualem legem vocat: Non enim acceperunt Spiritum vniuersim Iudæi. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Næ consequens erat dicere, *Spiritum libertatis*? attamen quod potiùs est, protulit & accepit. *In quo clamamus, Abba pater*: dicimus enim: *Pater noster qui es in cœlis.* Posuit autem Hebræam dictionem, vt ostenderet genuinum Patrem & verum per omnia. *Ipse spiritus testimonium dicit spiritui nostro quòd simus filij Dei.* Quia Iudæi, Patrem

Spiritus sanctus pertinet etiam ad filium.

Exod. 4.
Psalm. 81.

Adoptionis nostræ & Iudæorum discrimen.

Matth. 6.
Luc. 11.

vocabant Deum; vult iam demostrare hoc ipsis non fuisse permissum, nobis autem reuera isthuc datum esse, atque hoc perspicuum fieri ex testificante Spiritu. Ipse itaque Spiritus; hoc est, ipse paracletus simul testimonium perhibet spiritui nostro; id est; communicato nobis ab ipso, dono. Non enim solus charismatis doniue huiusmodi vox est; verumetiam donantis Spiritus. Arqui in hoc loco; *Spiritus testatur*: nonnihil est controuersiæ. *Si autem filij & hæredes*: Auget dignitatem, quum inquit; *Si filij & hæredes. Hæredes quidem Dei.* Viden' quod alia sit nostra adoptio, quàm Iudæorum? Nos enim hæredes sumus; cæteri autem, non item. Nam de iis: *Malos* (inquit) *malè perdet, & vineam illorum aliis agricolis elocabit*: Et rursus; *Multi* (inquit) *venient & recumbent cum Abraham, filij autem reiicientur, cohæredes autem Christi.* Iterum amplificat dignitatem Christianorum, nósque Domino Christo vicinos ac propinquos statuere contendit. *Siquidem compatimur, vt simul glorificemur.* Ne segniores reddamur, quum vniuersum gratiæ esse cogitabimus; exigit etiam à nobis quæ nostra sunt: (inquit) tristium consortes erimus; bonorum quoque participes erimus. *Arbitror autem non esse dignas afflictiones præsentis temporis.* Opportunitatem & occasionem adflictionum, per præsens tempus innuit. *Ad futuram*: Deinceps ostendit, totum propemodum esse gratiæ, eò quod Deus vincat compensationibus beneficiisque nos: ac quòd non possumus dignum aliquid futura permutatione hic vel pati, vel contribuere, vel adferre. *Quæ in nobis reuelabitur, gloriam.* Pulchrè dixit: *Quæ reuelabitur*: nam hodiéque est: cæterum occultata est. *Expectatio enim creaturæ.* Ἀποκαραδοκία vehemens auidáque expectatio est. Quod porrò ait, est huiusmodi: Ipsa creatura auidè exspectat futuram nostram gloriam. Quàm ob causam? Incorruptibilis creata, ob mortaliũ & peccata corruptibilis facta est: quandoquidem & nos ex incorruptibilibus, corruptibiles facti sumus. Vult igitur creatio & creatura, vt homines immortalitatem accipiant (id quod in resurrectione est futurum) vt & ipsa propriam incorruptibilitatem accipiat. Homine enim propter quem creatio facta est corruptibilis, incorruptibilitatem recipiente; & ipsa simul propriam induet, nunquàm interituram sanè naturam. Arqui totum istuc prosopopœia est, vt bonorum excellentiam in apricum proferat: & vt demonstret, vos multò magis debere, huiusmodi sempiternam naturam adeóque incorruptibilitatem assequi conati, quam illa creationem insensibilemque creaturam. Nec enim existimabis, inanimatam & sensu vacantem creaturam, talia vel exspectare vel percipere. Aliter. Ἀποκαραδοκία, οἷον ἐπιτεταμένη ἐστὶν προσδοκία, hoc est, Apocaradocia est veluti intensa expectatio. Excitans itaque auditorem & attollens erigénsque à creatura, grandem reddit sermonem suum Apostolus contemptum præsentium constituens cupiditatémque futurorum: atque vt futurorum bonorum excellentiam exhibeat, ac desiderium ostendat quo cupiant liberari à quibus detinentur malis; infert, etiam creationem valdè expetere præstolaríque bona. *Ingemiscit*, inquit, *creatura*: non quia gemitum cuiuspiam quòd à terra moueatur, audiuerit, hoc dicit; verùm vt ob oculos poneret cupiditatem qua expetit creatura, à malis quibus est obnoxia, liberari. *Reuelationem filiorum Dei manet.* Reuelationem; hoc est, mundi finem, quando demonstraturus est Deus quinam sint filij Dei quiue filij Satanæ. *Vanitati enim subiecta est*: id est: corruptibilis facta est sed non planè condemnata est, reuertetur enim ad incorruptibilitatem denuò, *non volens, sed propter eum qui subiecit.* Christi potentiæ hoc opus est, vt vel inuitam subiecerit, creaturam, *eam in spe*: Spetat, inquit, ipsa liberationem: in spe igitur liberationis subiecta est. Deinceps verò seipsum interpretatur, quomodo in spe sit subdita: *Nam & ipsa creatura liberabitur* (inquit) *à seruitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ad libertatem; veluti dicat, ob libertatem gloriæ: hoc est, nostri causa, creatura erit incorruptibilis. Perinde namque vt propter nos facta est obnoxia corruptioni; sic rursum propter nos erit consors incorruptibilitatis. Vel, *ad libertatem*; significat quòd æquè ac nos à corruptione liberabitur, ex corruptibili incorruptibilis futura. *Nouimus enim, quòd omnis creatura simul nobiscum ingemiscit.* Ingemiscit creatura, cupiens in posterum deponere corruptionem. Quod si hæc, creatura desiderat; quantò potiùs nos isthuc velle debemus, nec terrenis adeò hic inhiare rebus? quippe, verbo Dei honorati sumus, filiorúmque adoptionem præstolamur! *Et parturit ad vsque nunc.* Quia primitias Spiritus habemus, nósque ipsi ingemiscimus; propterea præpositio, σὺν; id est, *simul*, adiecta est, συστενάζει, hoc est, simul ingemiscit. Rubore autem suffundit auditorem, quum hoc dicit: Ne sis, inquit, inferior creatura; aduentúrúmque Christum lubens expectes. *Non solum autem, verùmetiam nos ipsi primitias Spiritus habentes. Et nos ipsi in nobis ipsis gemimus.* Non modò creatura (inquit) ingemiscit; verùm etiam nos qui primitias quasdam exiguas ac veluti gustum quendam Spiritus accepimus, eò pervenire festinamus conamúrque. Nam si primitiæ, adeóque principium Spiritus tale est vt faciant mitifica ex vmbra; quid finis & consummatio Spiritus efficiet? *filiorum adoptionem?* Ne quis obiiciat: Dixisti nos Deos esse; quam ergo aliam adoptionem exspectamus? subdit; Liberationem corporis, hoc est, incorruptibilitatem: tum enim stabilis erit adoptio, effectúsq; eius euenient, nunc enim neque gloria est conspicua. Expectamus etiam vt liberemur à casu & ruina in peccatum, ad quod per dãnatam vitam propellimur. *expectantes redemptionem corporis nostri.* Tum enim adoptionis euenta & effectus apparebunt. Porrò ne videatur præsentia criminari, hæreticísque nonnihil ansæ dare: nõ præsentia sed futura quæ expectantur, dixit bona, quæ sunt meliora, ipsam nimirum filiorum adoptionem. *Spe enim seruati sumus: Spes verò quæ videtur, non est: Quod enim videt quisquam, quid adhuc sperat? Si autem quod non videmus, speramus per patientiam expectamus.* Spe enim, perinde ac si dicat; omnia à Deo accipientes fidem ipsi attulimus, cuius magna pars est spes futurorum bonorum: Ne igitur quære, cuncta tibi hîc adesse bona, sed nonnulla etiam spei reconde. Si enim cuncta esse tibi præsto vis, nondum porrò speras. Etenim spes quæ videtur, non est spes: Si autem quæ non videmus, speramus; per patientiam assequemur illorum expectationem, patientia autem est maxima virtutis pars. Nemini non item perspicuum est, quòd spes & fidem patientiam generet. *Similiter & spiritus opitulatur infirmitatibus nostris*: Nec existimes, inquit, defatigati te expectando; Spiritus enim non sinet te defatigari, verùm hac in re te adiuuabit: Sumus enim infirmi, nec patientes satis esse possumus, citra Spiritus paracleti auxilium. Nam si conaris bonum operari quantum in te est, Spiritus pariter tui curam geret: si verò negligis, tu simul negligeris. *Nam quid oremus, & quatenus oportet.* Ecquid dicam, inquit, quòd ad patientiæ exhibitionem dexteriorem, Spiritus indigeamus auxilio, vt in re difficili? Quis enim hoc inficiari queat; quum & in iis quæ facilia videntur (vt in oratione) eius ope carere non possimus? Admodum enim inutilia nonnunquam citra Spiritus paracleti gubernamẽ peteremus. *Ignoramus.* Seipsum immiscet, ne insensũ se reddat, néve grauis videatur. *Verũ Spiritus ipse intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Olim pleriq; varia charismata accipiebãt; népè prophetiarũ, interpretationum, linguarũ, quæ omnia, Spiritũ vocabant: Nonnulli etiam orationis donũ accipiebant; quum enim ignoraret vulgus quæ sint commoda, sæpe inutilia petebat. Acceperunt itaque charismata quidem orationis, vt adeò pro populo ad Dominum preces funderent; quod & ipsum, Spiritus dicebatur. Dicit igitur, quòd donum & gratia orationis, apud Deum pro nobis intercedit vehementissimis gemitibus. Hoc verò ait, commendare atque

Alia est quàm Iudæorum nostra adoptio. *Matth. 21.* *Matth. 8.*

Patientia est maxima pars virtutis.

Spiritus pro dono Spiritus.

atque commonstrare nobis volens, ignorare nos qui orandum sit. Nam si boc noo esset, quid erat oecessum quosdam accipere, pro populo interpellandi & orandi donum? *Qui scrutatur corda, charisma nouit.* Ipse (inquit) Paracletus, corda spiritualium hominum scrutans; qui gratiam videlicet orandi susceperunt spiritum. *Quisnam sit affectus spiritus*; spiritualium videlicet hominum, qui commemoratum orationis cùm spiritum tum donum acceperunt. *Quoniam secundum Deum intercedit.* Nouit (inquit) Paracletus quòd secundum Deum intercedit, noo secundum noxiam quandam cupiditatem. *Secundum Deum*; id est, voluntatem Dei. *Pro sanctis.* PHOTII. Qui per orationem sanctificantur. Vel quia pro puris Deóque placentibus operibus petitiones faciat; vel pro hominibus sanctificatioonem desiderantibus. *Nouimus autem, quod diligentibus Deum.* Sic, inquit, in ignorantia precum à Spiritu iuuamur, & vt mala in bona nobis permutet. Porrò totus hic locus ad eos qui in periculis sunt constituti pertinet, eruditque eos, ne quæ sibi videantur commoda seligant: Nec dixit, quòd non accedat quicquam periculi. Cæterùm; ad bonum cooperantur; hoc est, quòd ipsis periculis vtatur ad honorum, insidias & calamitates sustinentium, probatioonem. *Omnia cooperantur ad bonum.* Omnia, etiam mala; oam & hæc Deus conuertit ad bonum, ad explorationem enim patiêtium conuertuntur. Magnum autem est, quod in bonum permutentur, vt adeò ne accedant quidem mala vel adoriantur electos. *ijs qui secundum propositum.* Quia minimè probabile videbatur, quòd mala in bonum conuerterentur, Dei vocatione adiecta confirmauit, quod dixerat: Non enim quibuslibet id contingit, cæterum à Deo tantummodo vocatis. Deinde ne existimetur Deus partem solummodo mortalium vocasse, subijcit; *In qui secundum propositum vocati sunt.* Ostendens omnes quidem vocatos esse, verùm eos dumtaxat obedisse adiutósque à Deo esse, qui secundum propositum ac prædestinationem sint vocati. *Quoniam quos præsciuit:* repete; secundum propositum vel prædestinationem vocatos. *Prædestinauit etiam conformes fieri imaginis filij sui, vt esset ipse primogenitus.* Perspicuum est, quòd Filius Dei secundum naturam humanitatis sanctus est & peccato vacat; id, & credentes facti sunt secundum gratiam. *Conformes* autem vocat, qui sint haud imparis cum eo formæ; imaginem verò Filij, dispensatioonem nominat, & corpus inde suum. Nam secundum carnem & dispensatioonem sumus conformes ipsi nos homines, adeóque fratres ipsius; secundum verò Deitatem, vnigenitus Filius Patris sui æterni est imago. CYRILLI. Qualisnam hic imago Dei intelligatur, declarabit ipse, quum dicit, *Quemadmodum enim tulimus imaginem Terrestris, sic & imaginem Supercœlestis feremus*; boc est, vitam in sanctificatioone, ac irreprehensibilem ad quemque proximum conuersationem. Quemadmodum enim imaginem terrestris; id est Adami, dicimus esse vitam in inobedientia & peccato; baud dissimilem ad modum, imaginem Supercœlestis; hoc est Christi; sanctificationem, iustitiam & obedientiam adseueramus. *Inter multos fratres*; Per omnia, cognationem nostram quæ nobis cum Christo est, significare vult, per cognationem quæ est io dispensatione carnis suæ. *Quos autem prædestinauit, eos & vocauit: & quos vocauit, hos etiam iustificauit.* Vbique; qui secundum propositum vocati sunt; subaudi. Nam absurdum colligitur, * si Deus io quosdam beneficium contulit, in quosdam verò non contulit: sin, *secundum propositum*, subaudiatur; ipsorum virtutem statuit, Deúmque à personarum respectu liberum facit. *quos autem iustificauit*, per lauacrum regenerationis, *hos & glorificauit*, per charismata & filiorum adoptionem: *Quid igitur ad hæc dicemus?* Perinde ac dicat: Quum ista sic habeant; nemo deinceps de tentationibus quibus hic expositi sumus, conqueratur. Quid enim adducere poteris aduersus tantam Dei bonitatem? *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vt ne dicant: quoniam Reges oobis aduersantur, & populi ac duces (omnes enim

Christus vt homo, natura sanctus.

1. Cor. 15. f

Adami vtriusque imago, quid sit.

** Nam absurdum colligitur: Hanc (vt Pelagianam) opinionem retractauit D. Augustinus, Retract. 1. lib. cap. 25. Cæterùm, an præscientia meritorum sit causa prædestinationis,*

dolum nectebant fidelibus) ait; Potest Deus, hostium oostrorum technas, occasionem facere coronarum. Nemo igitur contra nos. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quomodò nos Deus perdet, qui nedum conformes nos filio suo fecit, sed & iustificauit & glorificauit? Nec id tantùm fecit, sed & filium suum dedit pro nobis omnibus peccatoribus, publicanis & fornicatoribus. *Quomodo non etiam vnà cum ipso nobis omnia donabit?* Si filium in mortem dedit; quid est quod de alijs ambigamus? Nam qui maius dat; minus etiam dabit. *Quis igitur accusabit electos Dei?* Plerique impij accusabant pios atque credentes, ait ergo: Ecquis iam poterit accusare electos, Dei, vel de ijs quicquam conqueri? Animaduerte autem quod dixerit seruos Dei aut fideles; sed *electos*; dignitatem illorum amplificans. *Deus qui iustificat?* Non dixit, qui remittit peccata; sed quod maius est; *Qui iustificat. Quis condemnat?* Si enim Deus proprio calculo quempiam iustificat; quis est qui condemnet? Quid verò efficit is, qui condemnat? Coodemnandi autem verbo, veluti de peccato vtitur. *Christus qui mortuus est, immò & resurrexit?* Per interrogationem ipsum cœptum perficit, tanquam sint irrefragabilia. Ecquis est (inquit) qui condemnet, Spiritu simul excipiente adiuuantéque imbecillitatem nostram, Patre autem iustificante, Filio verò pro nobis mortuo? Porrò quos ipsa Trinitas iustificauit, quis condemnet? OECVMENII. Poteris etiam sic intelligere, veluti ad ea quæ in præsentia dicta sint, respondeatur. Si spiritus (inquit) nos adiuuat, si excipit, si Pater iustificauit; quis est qui condemnare possit? relinquitur itaq; filius. At filius (inquit) potest condemnare? Atqui vsque adeò diligit, vt & mortem pro nobis elegerit; quûque sit in gloria Patris, & in propriam sit reuersus gloriam, non destitit à dilectione erga nos, verum apud Patrem pro nobis intercedat. Consolationem autem & intercessionem sic intellige, quòd per incarnationem qua homo factus est, pro nobis ad Patrem interpellet. *ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.* Ne per intercessionem, diminutionem quandam intelligas: primum parem adeóque æquam dignitatem posuit, nimirũ quòd sit ad dexteram Patris; deinde adijcit, *Intercedit*; monstrare volens ignitam ipsius dilectionem erga oos, non quod ipse per sese non possit seruare credentes. OECVMENII. Ceù humano more dictum est; quoniam Pontifex erat. *Quis nos separabit à dilectione Dei?* Nemo, inquit, oos separabit, postquàm tanta nos dilectione Deus & prouidentia prosecutus est ac dignatus. *An afflictio, an angustia, an persecutio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius?* Non dixit; pecuniæ, gloria, & quæcunque homini speciosa videntur, sed ea quæ humaoam etiam naturam cogere solent: porrò θλίψεως; id est, afflictioois nomine, multa significantur; carceres, vincula, catenæ, proscriptiones, idque genus cætera. *Sicut scriptum est.* Pudefacere eos volẽs adduxit testimonium. Si enim qui in veteri Testamento erant, vitam contemnebant, quibus tamen terrestria præmia promittebantur; quantò magis nos debemus, vt regnum cœlorum obtineamus, afflictione ac labore quandam Deo permutationem? *Quoniam propter te occidimur.* Testimonio, sermoni suo fidem facit. *totum diem.* Die enim propemodum occidi solent homines. *reputati sumus tanquam pecudes mactationi destinatæ.* Omnibus, inquit, ad iniuriam expositi sumus; oos Apostoli videlicet, tanquam nos oporteat primùm mactari; cui sanè rei nihil contradicimus. *Verum in his omnibus egregiè vincimus, qui dilexit nos.* Auditorem erigit, vt ne succumbat animúmve despondeat audiens afflictionem & persecutionem idque genus reliqua; Omnium, inquiens, dominamur per gratiam Christi: Nec dixit simpliciter; *Vincimus*; sed enim ὑπερνικῶμεν; hoc est, superuincimus, excellenter vincimus; hoc est, per eos qui nobis insidiantur, coronamur. Insidiatores enim & aduersarij oostri, sunt nobis coronarum suppeditatores, si modò patienter iniuriam propter Christum fe-

pete ex Xisti Senensis Bibliotheca libr. 6. Annotatione 251. in qua Theodulli hunc locum attactum non prætermisit. Quin & in explanatione Theoduli illud prorsus rejiciendum, quod propositum in verbis Pauli, non Dei, sed hominum propositum interpretatur.

Psal. 43. d

ramus. *Persuasus enim sum, quòd neque vita, neque mors, neque Angeli, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo.* Quia suprà, præsentia dixit; nunc futura commemorat. Neque futura (inquit) mors, neque futura vita, neque Angelus, neque potestates, poterunt me separare à dilectione Dei, quæ mihi per Christum donata est. Nam omnia, mihi, præ illa charitate sunt exigua. Quum omnem deinde creaturam enumerasset visibilem & spiritualem; adijcit: *Neque alia quadam creatura*: Hoc est; si alia quædam præter eam quæ est, subsisteret; neque ipsa mihi quicquam esse videtur ad charitatem Dei postquàm verò & Angelorum & Potestatum mentionem facit, ne existimes, Angelos quospiam aut potestates à Christo auertere velle, absit: enimuero vehemens desiderium significare quærens, & ardorem erga Deum, ad hos sermones peruenit. *Neque profunditas; neque vlla alia creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* THEODORITI. Profunditatem, vt opinor, Gehennam appellat: altitudinem autem, regnum, præterea æternam vitam, & æternam mortem. Aliter: Id est, neque valde celebria, neque apprime incelebria nos separabunt à dilectione Dei. Quod autem dicit, est eiusmodi: Etiamsi alia tanta creatura esset, quanta est visibilis & inuisibilis, nihil quicquam tamen ab ea me charitate diuelleret.

CAPVT IX.

VERITATEM *dico in Christo, non mentior, simul Testimonium mihi dicente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & incessabilis dolor cordi meo.* Supra, primum meminit charitatis Dei, vt ne videatur verba dare, si de propria dilectione loquatur: nihil enim mirum, si amatus redamet. Quippiam ardui porrò dicturus est, eam ob rem præstruit sibi iter, vt verus esse credatur. Vide autem: *Veritatem* (inquit) *dico in Christo, non mentior, conscientiáque mihi ad hoc testis est in Spiritu sancto: Optarim enim ipse ego anathema esse à Christo.* Obserua epithasin, hoc est, intentionem. Non dixit, velim, sed, *optarim.* Videtur velle pro fratribus abalienari à Christo, adeòque cognatis suis: hæc enim anathematis vis est. Attamen exactè rimanti hæc apparebit cum ob Christi dilectionem hæc dixisse. Quánam ratione? Quia enim videbat Deum à Iudæis vituperari, hunc admodum: Nos (inquiunt) qui Legem & Promissionem accepimus, & qui maiores sumus ipsius Christi, ad quos pertinebat adoptio filiorum, eiecti sumus: Subierunt autem in nostri locum homines recès ab aris & focis egressi. Quum igitur hæc dicturos notat, & ne esset occasio blasphemiæ contra Deum cupit Iudæos etiam resipiscere, atque adeò anathema pro iis fieri: quod sanè indicium est ingentis dilectionis, qua erga Christum accensus est. Quem enim nulla creatura separare potuit à Christo: quomodò charitas erga eum cognatos tum fratres, segregaret? Ne itaque dicerent, excidit promissio Dei, irritáque facta est promissio, & ad opus non peruenit aut exitum, adijcit verbum: *Optarim,* inquit, *anathema fieri*, id est, cuperem à gloria Christi segregari, vt Dominus ille meus Christus non vituperaretur: propterea quod audiret nonnullos tali Christum maledicentia petere: Res ipsæ factæ sunt irritæ & vmbræ instar. Nam alijs promisit, alijs verò præstitit. Exciderũt itaq; è regno tales. Lubens autem nihil nõ periculorum sustinuissem, ne ita obloquerentur & malè sentirent de eo qui est desiderabilis præ filijs hominum. Præceptor porrò cunctarum gentium hæc dicit, qui innumeras expectabat coronas, qui omnium dilectionem & salutem suæ ipsius anteponit, *Pro fratribus meis, qui mihi cognati sunt secundum carnem.* Propter Christi dilectionem, hoc dixit: voluit enim ipsum ab omnibus glorificari: Cæterum, donum ita publicare noluit, vt non sanguine ad sese pertinentes quoque contingeret. Donum namque, quo adeò ardenter Christum amat, cognatos etiam amore complecti facit; *qui sunt Israëlitæ, quorum filiorum est adoptio, & cultura, & promissiones, quorum sunt patres, &*
A *ex quibus est Christus secundum carnem; qui est super omnia Deus.* Ostendit, Deum nihil prætermisisse quod faceret ad Iudæorum beneficentiam: Ipsi namque propria tum imprudentia, tum stultitia ab omnibus istis bonis exciderunt; atque ob eam causam recenset dona Dei. *Benedictus in secula, Amen.* D. Apostolus pro omnibus gratiam retulit. Et si enim, inquit, aduersus ipsum blasphemi sunt Iudæi; Ego tamen (vt is qui arcana norit, eiusque prouidentiam compertam habeat) scio quòd prædicari laudaríque, quippe qui Deus existat, sit dignissimus. *Non quod iam veluti exciderit sermo Dei.* En anathema quæro fieri, vt Iudæi Christo accedant, & vt ne videatur Deus in suis promissionibus minus esse verax. Attamen si penitus rem fuerimus contemplati, neque nunc exci-
B dit sermo, aut promissio Dei facta est irrita. Hæc enim dixi, inquit, non quòd sermo Dei cassus factus sit; verùm vt dilectionem ipsis meam ostenderem. Deinceps etiam monstrat, quomodò sermo Dei, & promissio Abrahamo facta, non sit irrita facta nec exciderit. Qualis nam? quæ pollicetur semen eius futurum astris simile: Semen autem secundum promissionem, est eorum. Suntne ij qui non exciderunt à diuina promissione. *Non enim omnes qui sunt ex Israël, illi sunt Israel: nec, quia sunt semen Abraham, omnes propterea filij; verum in Isaaco vocabitur tibi semen, hoc est.* Et quomodo non excidit verbum Dei? Quoniam, inquit; non omnes qui ex Israël sunt, Israëlitæ sunt, hoc est, Abrahami: deinde seipsum declarat; Non enim si qui sunt filij Abrahami secundum carnem propterea sunt filij promissionis, quibus promissio data
C est. Verùm quales nam sunt filij Abrahami? Audi, inquit, Scripturam. Obserua autem quòd non dixerit ex Iacob; verùm ex Israële; virtutis manifestationem ac notitiam Israëli attribuens, supernúmque ac cœleste donum. *non filij carnis.* Deinde interpretatur adductã Scripturam; quid sit, *In Isaac vocabitur tibi semen*: Quoniam, inquit, qui ex promissione sunt, filij sunt. Non dixit autem, Abrahami, sed Dei; ostendens neque Isaac simpliciter esse filium Abrahami, indicando quòd filiorum adoptionem habentes, ij sunt iuxta promissionem, filij Abrahami, *Hi sunt filij Dei.* Hac enim ratione & Idumæi (quandoquidem & ipsi sunt de semine Abrahami quantum ad carnem attinet) debebant esse filij Dei, sed non sunt; nam secundum carnem sunt semen Abraha-
D mi. Nos verò sumus filij Abrahami, qui sumus eiusdem cum eo fidei; filij autem Dei, per lauacrum regenerationis: *sed filij promissionis reputantur in semen.* Quotquot secundum Isaac nati fuerint; hi sunt & semen Abrahami & filij Dei: Nam Isaac non est natus, lege naturæ, cæterum virtute promissionis. Igitur qui sic nati sunt, filij sunt Abrahæ: Hanc verò ad rationem nos nascimur per baptisma. Quinetiam & verbis, nos promissionis filij efficimur. Verbis quidem, quòd per nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in baptismate fiat submersio & intinctio; promissione verò, quando Prophetæ antè multa tempora baptisma nunciarunt; vt, *Lauamini mundi estote. Promissionis enim sermo ille; secundum tempus isthuc veniam, eritque Sarræ filius. Non solum autem, sed & Rebecca, ex vno*
E *semen habens patre nostro.* Quid mirum est, quod Iudæi credentes, in semen Abrahami reputantur, Infideles autem, non item? Nam id & in veteribus deprehendes: Isaac námque solus pro semine censetur, quum tamen & alij ex Chetura nascerentur. Non solùm autem hoc, inquit; verumetiam Rebecca simulac ex vno Isaac semen haberet, duósque genuisset, non habuit tamen ambos placentes Deo neque reputatos in semen Abrahami. Pari ratione, Iudæi; alij quidem Fideles semen Abrahami sunt, & seruantur in æternũ; alij verò infideles, & pereunt. *Isaac*; ex quo non habuit duos placentes Deo; Ambigentibus dubia diluit. Quid mirum, inquiens, Iudæorum quosdam seruatos esse, quosdam verò non item; quum & in Patriarchis istuc acciderit?

Vis Anathematis.

Gen. 22.

Gen. 21. b. 12.

Is. 1. d. 16.

cum

cum nondum nati essent, neque quicquam vel mali vel boni egissent, Esaü & Iacob. *Vt propositum Dei maneat secundum electionem*; Electio secundum præscientiam ac prædestinationem. *Non ex operibus, sed ex vocante*: Quum enim nondũ quicquam egisset Iacob, vocauit eum dilectum; *Iacob* (inquiens) *dilexi, Esaü autem odio habui. Dictum est fœminæ; Quoniam maior seruiet minori, sicut scriptum, Iacob dilexi, Esaü sum odio prosecutus*. Dictum est matri priusquam pareret; Maior seruiet minori. *Quid igitur dicemus? Nunquid iniustitia est apud Deum? absit: ad Moysen enim dicit*. Quid igitur? Num iniustus est Deus? Nequaquam. Audi itaque reliqua deinceps. Virtus quidem & vitium isthic discernebant, hic verò vnum erat vniuersorum Iudæorum peccatum, quod vitulum scilicet conflarant; & interim tamen alij quidem sunt puniti, alij verò seruati. *Miserebor* enim, inquit, *cuiuscunque misertus fuero*. Non enim tuum est, ô Moyses, nouisse quinam clementia digni sint, verũ isthuc mihi permitte. Homines quidem post natiuitatẽ fortasse quicquam animaduertũt; cæterum Deus priusquam quisquam nascatur, nouit quid sit in homine. Porrò Esaü, ceu impius odio est habitus. Quid verò dicemus de Iudæis in deserto? Nonne omnes vitulum finxerũt? Quomodò igitur dictum est, *Miserebor, cuius misertus sum*? Nam iniustitia apud Deum nulla est. Interim tamẽ, quum in vniuersum omnes fudissent vitulum. Miserebor, inquit, cuius misereri voluero. Atqui occultis oculis Deus irrepit in corda mortalium; neque hominum more iudicat: Proinde neque hodie in Iudæis iniustus est Deus. Quotquot enim digni sunt, seruantur: credũt enim: Et quotquot non sunt digni, pereunt; non enim credunt. *Miserebor, cuius miserebor, & miserebor quem misereri voluero*. Perinde quasi dicat; Ego noui quinam digni sint salute, & quotquot indigni. Quòd si Moses ignorauit arcanum hac in re diuini consilij, quanto magis rerum & euentuum causæ nobis clam erunt? *Non est igitur volentis neque currentis, sed miserentis Dei*. Operæprecium quidem est velle & currere, adeòque quemlibet pro sua virili agere attamen citra voluntatem Dei, neque volens neque currens, quippiam eximij perficiet. *Ait enim scriptura Pharaoni*. Videbatur ipsi obijci, cur reiectus esset Iudaïsmus apud Deũ, & introducta fides: Volens igitur erudire nos ne petamus causas eorum quæ ait Deus, sed vt omnia potius bona censeamus quæcunque agit, etiã si nos ignoremus; multa adducit, quibus infinitam adeòque inscrutabilem iudiciorum Dei naturam nobis commendet. Huius itaque dilutionem infrà subdit: *In hoc ipsum excitaui te vt demonstrarem in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*. Pharao ex propria malitia passus est, quæ passus est, etenim Deus eum seruare volebat, hinc & longanimis erat, locum ei pœnitentiæ relinquens. OECVMENII. Potentia Dei est longanimitas, adeòque maxima potentia. Quis enim non obstupesceret, si Deus sit longanimis? Ait itaque: In hoc regnare permisi, vt demonstretur quàm sim longanimis. *Proinde cuius vult, miseretur; quem autem vult, indurat*. Qui dignus est misericordia, eius miseretur; qui verò durus est & inobediens, durum & incredulum esse concedit. Non enim iudicij præsens tempus est; cæterùm, morũ, liberæq; potestatis. Indurat igitur, pro, durum esse permittit, intelliges. GREGORII NAZIANZENI. Quòd Ægyptius tyrannus à Deo induratus est, non sic accipiendum est quasi Deus diuinæ suæ voluntati pugnantiam & renisum, menti tyranni impresserit: verum, quòd voluntas, adeòq; propensio ad malitiam, nõ acceperit verbum, molliens istum (quo Dei sententiæ aduersabatur) remissum. D. BASILII. Indurauit Deus Pharaonem longanimitate, pœnæq; dilatione, eius ita malitiam intendens, vt ad extremũ vsq; finem nequitia eius aucta, diuinum aduersum eũ iudiciũ iustum appareret. *Dices igitur mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistet? Atqui ô homo; tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo?* Veluti ex consecutione dicens: Quid igitur reliquũ est aduersum nos? Deinde obstruit omneis qui volunt nouisse quæ facit

Malach. 1. & 2.
Gen. 25.
Exo. 33. d. 19.
Deut. 9.
Exo. 32. f. 28.
Exo. 9. c. 16.
Exo. 4. 7. & 14.

A Deus, eorúmque scire causas. Pro ijs quæ discis, gratus esto: ob ea verò quæ ignoras, ne sis ægro animo; cõpertum habens, quod omnia haud citra rationem eueniant, etiamsi huiusmodi rationes te lateant. Pulchrum autem est quod ait; *Tu quis es*? Es ne particeps dominatus eius? Es ne iudex ipsius? *Nunquid dicit figmentum, ei qui se finxit: Cur me sic fecisti?* Non vt libertatem tollat voluntatis, hæc dicit: Minimè; verùm vt ostendat omnibus modis nos oportere obtemperare Deo, etiam si ignoremus causas rerum, euentuúmque. Itaque in postulatione causarum à Deo, cur ita fiant vel non fiant; conuenit persuasum esse, nihil differre hominem à luto. *At non habet potestatẽ figulus luti, ex eadem massa fingere*. Habet, inquit, potestatem Deus excitans mortuos: alios quidem ad gloriam, alios verò ad ignominiam excitare, iuxta formulam vitæ quã quisque pro sese hic transegit. Hæc D. Methodius, in B Concione de Resurrectione. *Aliud quidem vas ad honorem, aliud verò ad ignominiam*? Ad dispensationum potestatem hic accipitur figulus? Non, quia alios quidẽ bonos, alios non tales Deus condidit: Absit; verum omnia Dei bona ex æquo sunt omnibus communia. Quia verò ad omnes, huiusmodi bona Dei peruenerunt; omneis voluit probare. Verum Apostolus hæc de potentia Dei ait; qua, quæ sibi placẽt, agit. Omnia, inquit, pulchrè & probè decentérque facit; etiam si nos non intelligamus, rationémque ignoremus. Nam perinde ac figulus quod ipsi visum fuerit, parat; neque quicquam contradicit ei lutum, curiosève sciscitatur: hanc ad rationẽ, neq; tu (inquit) curiosus esto. Num si ignores rerum harum causas quas te Deus latere voluit, ægresceres? At qui ignoC rantia tibi omnino cõducit, si modo spiritu Dei imbutus es. *Si autem Deus volens ostendere iram, ac manifestare potentiã suam*. Longanimitatem voluit commonstrare; Verùm simulac ad dementiã, lõganimitate eius abusi sunt, iram illis deinceps habuit. OECVMENII. Nunquid igitur iræ affectu Deus apprehensus est? haud quaquã: Enimuero, quia talia egit qualia nos indignãtes facimus; iram, huiusmodi rem, ex nobis cognito appellauit. *Tulit in multa longanimitate*: Hoc est; omnino longanimis fuit, ad resipiscentiam ducens. Vt verò non peruenit ad resipiscentiã moresque sobrios; afficit ita delinquentem pœna. *Vasa iræ, apparata ad interitum*. Vas iræ erat Pharao; id est, homo Dei iram accendens, vel Dei iram ad sese attrahens: neque hoc solum, verum ad interitum iuxta destinatus, ac D planè in hoc constitutus vt periret, atque id non à Deo, cæterum à propria malitia. *Et vt manifestaret diuitias gloriæ suæ super vasa*. Quid (inquit) condemnas, quòd Deus citra rationem tibi videtur agere? Per subdistinctionem istuc legendum est, vel quod iam dixit, subaudiendum. *misericordiæ*. Quemadmodum ad vasa iræ tulit iram, quũ diu fuisset longanimis ac patiens: sic ad vasa misericordiæ; hoc est, ad eos qui digni per eum misericordia sua reputati essent, attulit humanitatem & clementiam: hoc enim subintelligendum: *quæ præparauit ad gloriam, quos & vocauit nos*. Præparauit autem, postquam dignos cognouit, per fidem. Id verò ad gloriam suam pertinet. Vnde igitur alij quidem vasa iræ, alij verò vasa misericordiæ? à propria videlicet deliberatione ac voluntate. Deus autẽ E apprimè bonus, vtrisque bonitatem suam ostendit: Nõ enim eorum qui seruantur, tantùm misertus est: verumetiam Pharaonis, partem etiam populi sui miseratus est. *Non solum ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus: sicut & in Osea dicit*. Viden' quòd non vnius patris, Deus est Deus? sed enim ex Iudæis & Gentibus, qui per fidem digni sunt salute, seruat. *Vocabo non populum meum, populum meum*. Quia verò non simpliciter dixit: nec veluti si quisquam asseueret quòd Deus ex Gentibus simpliciter bearit fideles, verùm quia digni fuerunt salute, subdit, Prophetam qui ante multa retro tempora istuc præcinuerit: Ecce enim Deus, & populum, & dilectam Ecclesiam, tum filios quoque ex Gentibus appellat. Quid ita? omnino sanè ob suam sapientiam & fidem. *& non dilectam, dilectam. Et erit in loco, vbi dictum est eis*: Ex gentibus Ecclesiam

Libertas voluntatis.
D. Methodij concio de Resurrectione.
Irasci Deum quid sit.
Osee. 2. d
1. Pet. 2. b

Osee.1.d.Isa.10.c. intelligit, quæ ante hac non erat dilecta: nec enim agnoscebat Deum. *Non populus meus vos, illic vocabuntur filij Dei viuentis.* Gentes enim rursus auersabatur, ob superstitionem & idololatriam. *Esaias autem clamat super Israëlem, Si fuerit numerus filiorum Israël, velut arena maris.* Non remissè loquitur, sed clamat. *reliquiæ seruabuntur.* Non omnes, inquit, sed pars ex ipsis: id enim, *reliquiæ*, volunt. *Verbum enim consummans & concidens iniustitia.*

Oecumenii. Consummans vel perficiens, indicat quòd finem habeant omnes sermones fidei cognitionisque Dei: nec aliud verbum posthac prædicandũ sit præterquam quod diuulgatum est: Quemadmodũ Iudæorum politia & Lex, in præsentem Christianismi statum deciderunt. Verùm in perfectione totius fidei omnisq; sermonis, datum est nobis fidei illud mirificum verbũ. Concisus verò & consummatus sermo; est fidei sermo. *Nam verbum concisum faciet Dominus in terra.* Fidem intelligit: si enim dixeris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quòd Deus ipsum excitauit ex mortuis, seruaberis. Vides breuitatem? *Ac sicut prædixit Esajas: Nisi Dominus Sabbaoth.* Virtutum, Exercituum. *Reliquisset nobis semen.* Oecumenii. Poteris etiam hoc de Christo accipere, sicut inquit D. Cyrillus. *Velut Sodoma facti essemus, & Gomorrhæ assimilati essemus.* Obserua hic dilutionem; quamobrem fideles quidem æternum sunt seruati, in Iudaïsmo vero permanentes, reprobati. *Quid igitur dicemus; quod gentes non persequentes Iustitiam, Iustitiam acceperint:* Quæ est rerum permutationis ratio? Et, qui iustitiam consecuti sunt? Ij quibus iustitia non erat curæ: qui verò secundum Legem vixerunt & per eam in iustitia sunt instituti, ad eam non peruenerunt. Quid (inquam) causæ est? *Offenderunt*, inquit, Nouum enim est & alienum planè quod (non sectantes) apprehenderint, Iudæi verò sectantes non apprehenderint. *Iustitiam autem quæ est ex fide.* Illa enim verè est iustitia, quemadmodum iustitia Legis est fallax & vana. *Israël autem persequens Legem iustitiæ:* Hoc est, iustitiam quæ est ex Lege. *Ad Legem iustitiæ non peruenit: Quare? Quoniam non ex fide.* Non enim quæ lex postulat, obseruauit. *Sed velut ex operibus Legis.* Voluit (inquit) iustificari: quid igitur causæ est, quo minus perueniret ad iustitiam? Quoniam ex operibus quæsiuit iustificari: Quis autem mortalium ex operibus iustificatur? Inducit autem hic totius loci dilutionem, causámque dictorum omniũ reddit. Quæ igitur causa est; Quoniam, inquit, non ex fide, sed veluti ex operibus Legis. Hanc enim dicit esse causam interitus eorum, quoniam non fide, sed veluti ex operibus Legis iustificari volunt, *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion, lapidem offensionis, & petram scandali.* Offenderunt; id est, increduli manserunt. Quomodo autem aliquis offendit? Si aduertit animum ad externam Legem, æque ac Iudæi faciebant. Offensionis porrò lapidem petrámque scandali, Christum Dominum appellat, nomine illo, ab ijs qui in eum impegerunt eóque offensi sunt imposito. Theodoreti. Impingere consueuerunt, qui alio mente sua feruntur, dum ad iter nõ defigunt oculos, vel inuiti. Hoc patiuntur sanè Iudæi. In superflua enim Legis inhiantes, à vatibus prædictum iam olim Lapidem videre noluerunt. *Et omnis qui credit in ipsum, non pudefiet.* Viden' non esse vnius duntaxat Patris studiosum Deum? sed quisquis in eum crediderit, seruabitur æternum. Infidelibus, secùs quàm natura eius ferat, se ostendit: Infidelibus autem, natura clementem & benignum se exhibet.

Isa.1. (margin beside "ex mortuis, seruaberis")

Is.18. 1.Pet.2. (margin beside "Offenderunt enim in lapidem")

CAPVT X.



FRatres, *voluntas quidem* Εὐδοκία, bona voluntas; id est, vehemens cupiditas. *cordis mei, & precatio ad Deum pro Israel, est ad salutem.* Iudæos notaturus; beneuolentiam primum cõciliat, vt ne videatur inuidentis esse sermo. verùm eius qui increpationis verba profert; ait itaque: Valde desidero atque precor, vt ipsi seruentur. *Testimonium enim illis exhibeo.* Videtur gratificari Iudæis. Testimonium illis dico, quòd non per hominem sunt dilecti à Christo; sed enim per zelum sanè Dei. Hoc verò per ignorantiam, agunt existimantes enim Legem esse bonam, non adhibent fidem ei qui potest seruare, Christo. *Zelum Dei habent, verum non secundùm scientiam.* Zelum quidem habent, inquit, sed non vt agnoscant quod verè bonum est; nempe Christum: si enim talem habuissent zelũ, vtique ipsum agnouissent, *ignorantes enim.* Verbum est veniæ; quandoquidem gratia Dei indigeat. *Dei iustitiam.* Iustitiam Dei vocat, fidem in Christum. *Et propriam Iustitiam.* Propriam iustitiam, eam quæ est ex Lege, appellat; vel quia nihil porrò valeat, vel quia laboris ac sudoris sit indiga. *Quærẽtes statuere.* Nec Legis quidam igitur iustitiã impleuerunt, quam lex postulat; quærunt enim statuere, proinde non statuerunt, *Iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Id est obedientem non subiecerunt ceruicem. *Finis enim legis Christus.* In libro nono aduersus Iulianum, sic est scriptum; Quoniam finis & veluti sublatio Legis & impletio, est Christus. Aliter: *finis enim Legis.* Obserua, quidnã astruat. Quoniam lex, inquit, iustum volebat facere hominem, sed non potuit; nemo enim ipsam impleuerat. Hic igitur finis erat Legis, & propter hunc omnia facta sunt, & festiuitates, & sacrificia. Verùm hunc finem Christus perficit, per maiorem in se fidem. Et quia ex Lege iustitiam quandam appellauit; vt ne existiment quòd lex iustificare queat; Christum, finem & adimpletionem Legis esse ait: Lex namque perfectionem habet per fidem in Christũ. Qui igitur Christo credit, Legem implet. *Est ad iustitiam omni credenti.* Vt verè iustificet legis consummatorem; hoc est, fidem. *Moyses enim scribit iustitiam quæ est ex lege.* Legalis iustitiæ, finis qualis quantúsque sit mõstrat. *Quoniam.* Non igitur seruari potest æternùm, qui mãdata Legis non impleuerit. Quum igitur nemo mortalium implêrit, iustitia sane per legem excidit, euanuit, adeóque interiit. *Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis.* Qui Legem impleuerit, inquit, illis tantùm bonis fruitur quæ per Legem annunciata sunt; hoc est; terra fluente lacte & melle. *Quæ verò ex fide est iustitia.* Quum fecisset mentionem iustitiæ quæ est ex lege; iustitiæ item quæ ex fide est meminit, ostendítque non adeò laboriosam aut difficilem esse: Quare hanc nonnulli adsecuti sunt, illam verò nemo. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est Christum deducere, aut, quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere, sed quid dicit?* Vt ne existimetur fides transactu facilis, benéque comprehensibilis intellectu; ideò demonstrat eam labore etiam indigere, & aduersus obscuras cogitationes habere luctam. Ne dixeris enim, neque in corde tuo; hoc est, ne cogitêris quidem, sed omnem cogitationem eiice foras. *Prope te est verbum tuum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus.* Breuis sanè salus est, nihil indigens externis vel operibus vel circunspectionibus; in mente namque & lingua sita est: veruntamen solido, forti, prudẽtique animo opus habet. *Quoniam si confessus fueris in ore tuo Dominum Iesum & crederis in corde tuo quod Deus ipsum.* Ostendit, quo pacto in corde, veluti in mente, cogitatione, & lingua, salus sit constituta. *excitauit à mortuis, seruaberis.* Modum explicat, quo aliquis ad fidem perduci queat: Cogita enim potentiam eius qui Christum à mortuis excitauit, sic fiet, vt non sis difficilis ad fidem futurus. *Corde namque creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Corde namque creditus Christus, iustificat: sin ore quisquam eum suo confiteatur seruat. Sufficiebat quidem cor ad vtraque, & ad credendum & cõfitendum, nisi operæ simul esset precium, ore pariter profiteri, siue docere eos qui instituuntur in religione Christi; & in Persecutionibus confiteri, & non abnegare ipsum, *Dicit enim scriptura; Omnis qui credit in ipsum, non pudefiet.* Testimonium protulit, vt ostẽderet non esse in fide differentiam inter Iudæum & non Iudæum. Omnis enim qui credit, æternum beatus erit. *Non enim est distinctio* Soph.9.c.10 (margin)

distinctio Iudæi & Græci. Omnibus communem esse gratiam prædicat; & quod suprà multis verbis effecit, Iu- A dæorum fastum deijcere volens, iam nunc paucis sanè persequitur. Non est, inquit, medium inter Iudæum & incircumcisum. *Idem enim est Dominus omnium.* Suprà

Sacrosanctum Ternarium.

de Patre dixerat; *Num Iudæorum Deus tantum, non autem & Gentium?* Nunc idem de Filio commemorat, adeò non nouit sacrosancti Ternarij discrimen. *Diues in omnes qui inuocant ipsum.* Christum salutis nostræ apprimè appetentem indicat; quippe qui diuitias suas existimat esse, si plures beentur æternum. Istuc autem facit, erudiens eos ne semetipsi desperent. Nam qui diuitias proprias arbitratur, alios seruari, nunquam cunctabitur aut differet illam ipsam salutem. *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, seruabitur. Si omnis;* nihil igitur Gentes ipsas Iudæi excellunt, vel Ioële teste. *Quomodo* B *igitur inuocabunt, in quem non crediderunt?* Paulò antè dixit; Quicunque inuocauerit nomen Domini, seruabitur: Quomodo igitur licet eis adsequi Prophetæ verba, hominibus credere nolentibus? seipsos itaque accusent, vt qui salutem à se excludant suam. *Quomodo verò credent, quem non audierunt?* Per consequens id accidit: Postquàm enim sermones eius audire renuerunt, meritò quidem nec crediderunt etiam. *Quomodo audient sine prædicante?* Proinde, inquit concionator, conuenit vos tolerare cùm verba tum obiurgationes. *Et qui vero prædicabunt nisi mittantur?* Ob oculos eis ponit quòd non propria authoritate prædicaturus illis verbum, sese intruserit: cæterum sese à Christo amandatum testatur; dignum sese, fide, hac ratione faciens. C

Isa. 52. b

Sicuti scriptum est; Non solùm, inquit, quòd missus sim: verumetiam quòd olim in Propheta sit prædictum, me Apostolum futurum. Vtriusque ergo rei nomine fidem mihi adhiberi par est, cùm ex Apostolatu, tum ex Apostolatus mei prædestinatione. *Quàm speciosi pedes.* Pedes eorum celebrati sunt, ob prædicationis rationem. *Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Igitur alias non licebat credere nisi audiretur & nisi prædicaretur, iamque prædicatum est & crediderunt etiam quidam; perspicuum fit, quòd Deus nihil quidem reliquerit quod ad salutem mortalium faceret. Quare qui non crediderunt, de se ipsi conquerantur.

Isa. 53.

Sed non omnes obedierunt Euangelio: Esaias enim ait, Quia D. Paulo obiectum erat; Si à Deo missi estis, cur non omnes ex æ- D quo obtemperarunt Euangelio subdit, quòd antè multum retro temporis, istuc prædictum sit. Quum enim nos liberi simus, neminem Deus adigere vult, vsque pertrahere ad salutem suam. *Domine quis credidit auditui nostro?* Si offenderis, quòd pauci obedierint; offensionem tibi adimat quòd prædictum sit non omnes credituros. *Fides igitur ex auditu.* Quandoquidem Iudæi perpetuo signa inquirebant, occasione accepta ex loco Prophetico, hortatur eos haud esse necessarium signa inquirere; fides enim ex auditu (vt cernitis) non ex signis nascitur. *Auditus autem per verbum Dei.* Quum auditum dixisset, infert; *per verbum Dei*, ne vile quippiam existimes auditum vel prædicationem: non enim humana istic verba, verum diuina dicuntur. Fides (inquit) ex auditu est. E *Sed dico; Nunquid non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum.* Verùm hic obijciet quispiam, inquit; Num quid igitur audiuerunt Iudæi? cui respondet: Vniuersus terrarum orbis audiuit, perinde ac Propheta testatur; & Iudæi apud quos maximè diuulgatum erat, non potuerunt audire. *Sed dico, an ne Israël cognouit? Primus Moses dicit: Ego prouocabo vos in non gente; in gente autem non intelligente.* Prædicauerunt sanè multi. Est autem verisimile, Israëlitas non agnouisse prædicationis vim. Ecquomodo istuc contigit? Quoniam, inquit, gentes quibus nihil prædictum erat, agnouerunt: Israël verò non agnouit, etiam si iam audiuisset.

Deut. 32.

En ipse namque Legislator ait: *Ego prouocabo vos per non gentem.* Quum igitur viderent, ex Gentibus nonnullos accedere fidei, deinceps item accessuros, sese autem A reijci; par erat, eos causam nouisse, quæ alia dari haud potest quàm quòd suapte sponte sint obliti cœlestium, nec non apertissimorum Vaticiniorum. *Exacerbabo vos.* Ad iracundiam prouocabo; hoc est, excitabo vel irritabo. Nam sæpenumero vsuuenit vt qui adhortationi non crediderint, æmulatione persuadeantur, quæ res plurimùm sanè roboris habet. *Esaias vero audet, ac dicit:* *Isa. 65.* *Inuentus sum;* In gente non intelligente. Quid autem est vilius, aut imprudentius aut insipientius; Idolorum cultoribus? *Iis qui me non quærunt, perspicuus factus sum.* Ἀπολμᾷ: Maluit, inquit, periclitari Esaias, quàm ea non dicere quæ ad reipublicæ ipsorum dispensationem pertinentia Spiritus sanctus nunciarat. *Me non interrogantibus:* ex Gentibus videlicet. Viden' quantas B agnoscendi Christi habuerint occasiones? Animaduertentes enim, fide probari Gentes; debuerunt & ipsi accendi. Enimuero voluntarij excæcati sunt. *Ad Israël autem ait: Tota die expandi manus meas.* Gentium hic prudentiam tollit, quum totum istud Christi mysterium gratiæ tribuit. Attamen & gentium est; nam quòd & inuentum & monstratum Christum non dimiserint, ipsorum est virtutis. *Ad populum minimè morigerum.* O Iudæorum quanta hæc est accusatio! Vt enim non dicerent; cur nobis non apparuit? eccur nobis non est factus conspicuus? abundè satisque demonstratum ipsis ait: Nam adhortabatur eos; nec tamen est exauditus Dominus. Totum diem, inquit; ceù tempus incarnationis intelligat, vel potiùs omne illud quod præ- C cesserat tempus abusque ex Ægypto emigratione. *Et contradicentem.* Deus quidem vocabat, ac veluti vlnis suis complectebatur; Quid autem isti agebant? inobedientes erant, & contradicebant.

CAPVT XI.

DIco *igitur vobis.* Postquàm igitur inobedientes manserunt, & contradixerunt; nunquid istuc in reiectionem eorum factum est ceù reuerti non possint; atque per hoc irritæ factæ sunt promissiones ad Abrahamum factæ? Haudquaquam: nam & populus eius est, ipsúmque præcognouit, hoc est, ante gentes. Porro, confirmatio est in D promptu; Nam & ego, inquit, sum præco ac doctor gentium: Minimè igitur repulsi estis, cæterùm vos ipsos repellitis. *Num repulit Deus populum suum?* Per interrogationem & inficiationem prouehit sermonem. *Absit: Etenim & ego Israelites sum, ex semine Abraham, ex tribu Benjamin. Non repulit Deus populum suum, quem præcognouit.* Si enim repulisset, non ex Iudæis sanè Apostolos & præcones delegisset. *Aut ignoratis, in Elia quid dicat* *3. Reg. 19.* *Scriptura, quòd intercedat apud Deum aduersus Israel, dicens: Domine, Prophetas tuos occiderunt, & aras tuas suffoderunt.* Vt ne dicant Iudæi: Tu igitur solus, es vniuersus populus Israël; & in te, promissiones Abrahamo factæ, finem sunt accepturæ? dicit ad hoc: Multi quidem seruati sunt qui vobis haud sunt cogniti, Etenim & Elias E solus putabatur esse relictus, verùm audiuit etiam alios esse. Hanc ad rationem iam nunc ait: Næ ex Iudæis crediderunt haud pauci; atqui vos id ignorantes, arbitramini me solum esse. *Et ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Quòd si Elias ignorabat se solum esse, non est mirum si vos nesciatis. *Verum quid dicit ei diuinum responsum?* Id est, verbum Dei. *Reliqui mihi septem millia virorum qui non flexerunt genu Baali.* Reliqui, verbum, indicat, plurimam partem, gratiæ fuisse. *Sic igitur.* Quemadmodum igitur, tum ex vniuerso populo septem milia Deo placebant, sic hodiéque pauci placent, qui & ipsi in semen Abrahamo reputantur, nec excidit promissio Dei. *Et in præsenti tempore, reliquiæ, secundum electionem gratiæ, saluæ factæ sunt. Si autem ex gratia, iam non ex operibus.* Proinde & temporibus Eliæ gratia seruati sunt, hoc enim coniunctio, *Et*, denunciat. Ac rursus;

perinde ac Eliæ temporibus, reliquiæ placebant, secundum gratiam electorum: monstrauit simul electorum probationem, non enim reprobi delecti sunt. Sed quum ait, *gratia*, Dei nouum ostendit. *Nam gratia sic non amplius esset gratia, Si vero ex operibus, non porrò ex gratia, quoniam opus non est porro opus.* Vt ne dicant: Etiam si Prophetæ admonerent nos ac Deus nos adhortaretur, ac prouocatio per gentes satis esset vt nos ad fidem accederemos, attamen quia grauia quædam & intollerabilia à nobis exigebantur, eam ob rem non obedimus, subdit: Gratiæ est, quicquid per Christum contingit, nec opera ad fidem sunt necessaria. Neque enim qui crediderunt, ob præterita opera, vocatione illa digni visi sunt verum gratia Dei hoc totum est. Nam si gratia opus postulat, opus igitur non est opus, quum gratia anteuerterit, & facta sit opus, ac veluti expellat opus ne sit opus. *Quid igitur? quod inquirebat Israel, hoc non est assecutus?* Hoc non est interrogantis, sed accusantis. Secum, inquit, ipse pugnat Iudæus quærens iustitiam quam non vult accipere. Hoc enim (inquit) inquirit quod non vult assequi. Nam quod ait, *Non consecutus est*, secundum propriam intelliges voluntatem. *Electio autem est consecuta?* Tanquã ex tum Iudæis, tum gentibus fideles. Electionem autem dicens, illorum ostendit assumptionem, Deique gratiam. *Assecutus est*, autem, bonorum magnitudinem indicat. *Reliqui autem indurati sunt, perinde ac scriptum est:* Reliqui, quicunque in Iudaïsmo perdurarunt. Inter reliquam reprehensionem, obdurationem eorum accusat. *Dedit ipsis Deus.* Dedit, non actum, sed permissum intellige: veluti si dicat, accipere permisit. *Spiritum compunctionis oculos vt non videant, & aures vt non audiant in hodiernum vsque diem.* Animi circa peiora habitudinem & attentionem, compunctionem vocat. Compungi enim, est, infingi alicubi & affigi tam malo quàm bono. Hic sanè permmutabilem ipsorum ad malum propensionem & conatum, κατάνυξιν. Nominauit. Dicto, *obdurati sunt*, Esaiæ Testimonium profert, vt non videatur esse infensus illis. Causam itaque ipsorum obdurationis, ipsorum fuisse contentionem ait: Oculos enim habentes, quibus videre poterant mirifica Christi, & aures, vti doctrinam ipsius audirent: neutro opportune horum vsi sunt, verum, hos quidem clauserunt, illos verò obfirmarunt, incumbentes in hoc vnicè, ne seruentur. *Insuper & Dauid ait.* Tandem incredulitatis pœnam, vaticinantem Dauidem profert, quæ iam vera facta est, & ad suum effectum deducta. *Fiat mensa ipsorum in laqueum.* Bona ipsorum atque deliciæ ad perniciem vertantur. *& ad venationem, & scandalum.* Facilè à persequentibus, immò, ministris capiantur. *& in retributionem ipsis.* Retributionem dixit, ostendens, quòd hæc patientes, peccatorum pœnas luant. *Obtenebrentur oculi eorum ne videant.* Quod voluntarium ab ipsis futurum erat, tanquam in execrationis parte commemorat. Nam simulac noluerunt Solem iustitiæ intueri, Ne videant, inquit. *Ac tergum illorum semper incurua.* Ipsos Romanis subiugandos indicat: Quod autem, *Semper*, adiicit, innuit eos nunquam futuros liberos. *Dico igitur, num impegerunt vt caderent? Haud quaquam.* Quom acriter eos carpsisset, attentat iam nonnihil consolationis eis adiicere, & inuenire. Næ peccata, inquit, sunt grauissima: Nunquid igitur sic impegerunt, vt lapsi non resurgant, etiam si cupiant? Minimè gentium, inquit: Nam qualiacunque commiserint facinora, si modo velint, Deo reconciliari possunt. Interim tamen obserua, quòd in ipsa cõsolatione reos facit maximorum delictorum. *Verum ipsorum delicto ac lapsu, salus gentibus obtigit.* Totus hic locus eò pertinet, vt ipsis animum addat, cõsoletúrque ne desperent: vtque gentium demitteret fastum, persuaderétque ne ad dementiam verterentur: Ob eam, inquit, causam seruatæ sunt gentes, quia Hebræi seruari non sustinuerunt: ceù hos primù oportuerit (vt dignitas postulabat) æternum beari, deinde gentes. At postquam illi renuerunt, vos exemplaria facti estis fidelium: Vnde & ipse

Isa. 6. c

Compungi quid sit.

Psal. 68.

ait, *Iudæo primum & Græco*, tum Dominus: *Proficiscemini potius ad oues quæ interierunt in domo Israel. Et necessarium erat vt vobis primum annunciaretur verbum.* Viden', incredulitatem Iudæorum locum dedisse gentibus vt fierent exemplaria? *Vt prouocaret eos:* Vt quia à seipsis credere noluerunt, per zelum quendam crederent. *Quod si lapsus ipsorum diuitiæ sunt mundi, & quia succubuerunt, opes gentium.* Ad cõsolationem eorum hæc dicit, & admonitionem. Si enim lapsus eorum atque ipsum succumbere, occasio facta est tantorum gentibus bonorum; quotnam bonorum occasio erunt, quantæque salutis si omnes seruentur? Hac itaque ratione ne despondeant animum, eos erudit. *Quanto magis plenitudo eorum?* Consolatur eos ita constitutos; abundè confidere ipsos putans salutis suæ nomine, si modò resipiscant. Etenim si quando tot tantique impegerunt, tot simul salutem consecuti sunt, ac dum illi eiecti sunt, tot vocati sunt, considera quid futurum sit, si redeant ad saniorem fidei mentem. Nec dixit, quanto magis conuersio eorum; sed, *quanto magis plenitudo ipsorum?* Hoc est; quando omnes ad Christum accesserint. Hoc verò adiecit, gratiæ doníque Dei plenitudinem & exuberantiam demonstraturus. *Vobis enim dico Gentibus, quatenus ego quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum glorifico, si quo modo ad æmulationem.* Pro Iudæis verba fecit, vt ne videatur ex inuidentia, quæ dixit, memorasse; vtque gentium demittat fastum. Vos, inquit, gentes ob duas causas laudo & glorifico: Primùm, quoniam in ministerium vestrum (hoc est, prædicationem) vobis datus sum; necesse habeo & laudare & glorificare vos, ceù discipulos. Deinde vt ex Iudæis (quos & proprium corpus appellat) nonnullos seruem laudibus nimirum vestris impulsos. Atque per hoc gentes splendidas reddit, ceù eas quæ sint salutis causa Iudæis factæ. Nam illi, inquit, qui ad interitum pertinebãt, vobis occasio sunt salutis, Siquidem robur ex fide sunt nacti. Aliter: Videtur eos terrere ac ferire qui sunt ex gentibus; eorúmque arrogantiam deprimere. Tacitè autem Iudæos carpit ac circumit, inquirens quomodo fulciat tantam ruinam eorumque interitũ, nihil autem inuenit ob rerum naturam. Etenim ex iis quæ dixit, maiore sunt accusatione digni; quum, quæ iis bene parta sunt alij ipsis indigentes acceperint. Posthac contentionem illorum indicans; non dicit, si quo modo persuadeam; *prouocem carnem meam, & seruem.* O Iudaicam contentionem, & renisum, & peruicaciam! Non enim dixit, persuadebo; sed, ad æmulationem prouocabo, vt qui aliter persuaderi non possint, nisi per intensionem, pérve appositionem exempli aliorum. Suprà autem; eos, cognatos & fratres appellat, nunc verò carnem; magis eos sibi admouens, viciniorésq; reddens. *Quosdã ex ipsis:* Neq; sic tamen omnes, sed quosdã, adeò ipsorũ exploratã habebat peruicaciã. *Nam si reiectio eorũ, est reconciliatio mundi; quæ erit assumptio?* Postquã eos notauit, hic rursus laudat, eadẽ cum superioribus dicens. Si enim, inquit, eorũ transgressio & offensio facta est salutis occasio mundo, quid dixerit aliquis futurũ, si assumpti fuerint à Deo? Quid igitur aliud, *nisi resurrectio*, inquit, *ex mortuis?* Verũ perinde vt resurrectio nõ ob receptionẽ eorũ futura est, sic neq; salus gentibus obtigit propter ipsos: Atqui verba ipsis facit, quibus eos inhortetur ad salutẽ. OECVMENII. *Si enim reiectio ipsorum.* Hoc etiã eos condẽnat. Siquidem alij quidẽ ex peccatis suis luctũ acceperũt, hi verò, ne ex rebus quidẽ strenuè gestis, adeóq; virtutibus aliorum adiuti sunt. Quòd si, quæ necessitate fati contingunt, illorũ esse adsceuerer, ne mireris: Nã vt hos demitteret, illos verò adhortaretur, sic format sermonẽ. Aut hoc dicit: Quid erit assumptio eorũ, nisi vt dicamus, quod mortuos eos peccatis, assumens Deus, eos viuificet? *Si autẽ primitiæ sanctæ, & massa.* Primitias & radicem, Abrahamũ vocat, massam autẽ & ramos, qui ex genere ipsius crediderũt. Si autem ita ascens ipsis, tanta donauit alijs, quando iam eis reconciliatus fuerit, quid non dabit? *Ac si radix sancta, & rami.* Si igitur cum primitijs & radice, necesse est sanctam esse massam

Rom. 1.
Matth. 10.
Act. 13. & 18.

A B C D E

maſſam & ramos; Iudæi verò non ſunt ſancti; exciderunt ergo à cognatione Abrahami. OECVMENII. Vel quia ipſos ſanctos appellat, adhortatur ad fidem, perinde ac dicat: Studioſi eſtis, ac virtute decori; velle vobis tantummodò deeſt. *Sin nonnulli ramorum.* Paucitatis ſignificatiuam poſuit dictionem, animum illis addens, quandoquidem in ſuperioribus oſtendit, haud multos ſeruatos eſſe; veluti ſi dicat, reliquias fore ſaluas. *Effracti ſunt;* Incredulitate. *Tu autem oleaſter quum ſis:* Quantò oſtendit viliores Gentes; tantò illos carpit magis. Porrò quum ait, *Inſitus es ipſis,* oſtendit gentes excellentioſi ſe radici, inſiſtere: Proindè verba hæc ſunt carpentis. *Ac ſimul particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es.* Iſthuc ad calamitatem Iudæntum ſpectat; nulla in ſe excellentes (Gentes nimirùm) conſortes eximiæ ipſorũ radicis fieri; ipſos verò eijci expellique. *Ne glorieris aduerſus ramos.* Ingentem Iudæorum vilitatem exhibet: non enim dixit, *glorieris,* ſimpliciter; ſed, *contra glorieris;* id quod ad humi centes refertur. Deinde admordet etiam eos, gentibus digna eueniſſe monſtrans, gloriatione ex fide, etiamſi non deceat gloriari. *Si autem gloriaris, non tu radicē baiulas, ſed radix te.* Ecquid hoc ad effractos ramos? nihil ſanè. Nam ſi aduerſus radicem gloriaremur; haberet hoc rationem: Sin radicem veluti ſanctam adoro; quid ad ramos qui exciderunt, ſi baiulor à sadice; verùm vmbram eis vult inuenire conſolationis, vt ne vltrà quàm par ſit, in mœrore ſubmergantur; ſed ſobrij potiùs ſint, ac excubias canant, tanquàm ſalutis reliquiæ.

Dices igitur: effracti ſunt rami, vt ego inſerar. Figuratus eſt ſermo, ceù Gentes dicant: Eccur nõ glorier, quum tot tantáq; mihi ſint bona? ego inſertus ſum, factúſq; hæres gloriæ, adeóq; bonorum à patribus in ipſis deriuatorũ; promiſſionibus item quæ illis ſunt traditæ ego nouus hoſpes (nihil tale meritus) fruor. Ac quũ dicit; *Bene,* Gentibus adſentitur, ceù ijs quæ vera dicant. *Per incredulitatem effracti ſunt.* Intuere hic D. Apoſtoli ſapientiam. Quum videtur verba facturus pro Iudæis, magis eos atterit, atque concidit; illorum reiectionis noſtræque aſſumptionis, fidem in Chriſtum cauſam adſerens. *Tu autem fide ſtas, ne nimium alte ſapias ſed metue.* Metue, inquit; Nam fidei & incredulitatis res agitur, haud naturæ. Nec dixit, humiliare; ſed, metue; clementia enim contemptum parit & imprudentiam. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit.* Calamitatem ipſorum nonnihil minuere, animum inducit, gentium quadam obiurgatione. *forſan, ne tibi quidem parcat.* Sermonis ſui moleſtiam ac duriciem, ambiguitate tollit. *Vide igitur bonitatē & reiectionem Dei: ſuper eos qui ceciderunt quidem, reiectionem: ſuper te autem, bonitatem.* Ad Deum rem perducit, & ad ipſius gratiam refert. Non enim dicit; Intuere, conſidera, quantùm laboris & virtutum serúmq; benè ac piè tranſactarum habeas. *ſi perſeueraris in bonitate, alioquin & tu excideris, & illi, ſi in incredulitate non permãſerint, inſerentur. Nam potens eſt Deus illos rurſus inſerere.* Si digna, Dei manſuetudine, peregeris. Non enim fide, tibi (inquit) ſola opus eſt. Nam neque tibi bona, neque illis mala ſunt immutabilia. Non enim Deus illos excidit, verùm ipſi ſeipſos. Nam potens eſt Deus, illos rurſus inſerere. Probabilem facit ſermonem, dum Dei potentiam recordatur. *Si enim tu ex naturali exciſus es oleaſtro, ac præter naturam inſitus es in pulchram & veram oleam; quantò magis illi ex natura ſua inſerentur propria oleæ?* Rationem reddit, quòd poſſit, eos (ſi modò velint) inſerere. Si enim fides efficit quæ ſunt contra naturam; quantò potiùs quæ ſunt ſecũdum naturam efficiet? Ne quis Iudæos præcellentiores Gentibus exiſtimet, quum audit Gentes præter naturã inſitas; Iudæos etiam inſerendos adijcit, vt alterutrius eandem dignitatem ob oculos ponat, ac quod ad rem nihil quicquam ſint præſtabiliores quia ad natiuam oleam pertineant; quandoquidē & ipſi inſitione opus habeant. *Nolo autem vos ignorare fratres myſteriũ hoc;* A vobis ignoratum: Ignorantiæ autem mentione, ſuæ volũtati autoritatem parit. Vt ne ſitis, apud voſmetipſos prudentes. GENNADII.

Fide ſola non eſt opus.

Ne (inquit) magnum aliquid & mirificum de vobis ipſi ſuſpicemini, decipientes vos blandientéſque vobis; tanquam ſuper alios, vos quippiam intelligatis. Dicit itaq; omnino myſterium iſtuc horribiliſſimum; &, ineffabilem prorſum. *Quoniam induratio, ex parte, Iſraeli contigit.* Dei erga omnes prouidentiam, oſtendit Iudęis namque ex parte induratis ac ſalutem repellentibus ab ſe; talem nimirùm ſuper eos Deus excæcationem & indurationem adduxit: Omnibus autem vobis & illis rurſum adoptatis, gratia denuò omneis aſſumet. Teſtimonium autem & hic ſententiæ ipſum diuini Eſaiæ vatis oraculum depromit. *Ex parte, Iſraeli contigit.* Non ex toto (inquit) Siquidem & ex Iudæis plerique crediderunt, & credituri ſunt. *Tantiſper dum plenitudo gentium acceſſerit.* Plenitudinē gentium, cunctos ex gentibus credentes dicit. Quando ergo ad fidem omnes acceſſerint; tum & Iſraël credens ſeruabitur. Iſraëlem autem appellat eos qui in Iudaïſmo perdurarunt: Nam, *pones* (inquit ſcriptura) *eos dorſum & in reſiduis* (hoc eſt, reliquijs) *parabis faciem eorum. Et ſic omnis Iſrael ſeruabitur.* DIONYSII Alexandrini. *Omnis Iſrael:* Pro; Bona pars, ſeu, plures. *Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion liberator.* Ne quis ad Iudæos qui recens Chriſto acceſſerint, Scripturam hanc pertinere putet, ſignum ponit quo cognoſcatur quando hoc vaticinium complendum ſit. Qualénam id eſt? *Quando abſtulero peccata eorum.* Si enim nondum abſtulit; igitur hoc vaticinij adhuc complendum eſt. Vnde infert; dona Dei vacant pœnitudine. *Et auertet impietatem ab Iacob; hocque erit ipſis à me teſtamentum, quando auferam peccata eorũ.* Auertet quidem à peccatis; conuertet autem ad ſeipſum. Tum eueniet (inquit) promiſſio Dei, quando peccata per Baptiſma abſtulero. *Secundũ quidem Euangelium, dilecti propter vos; ſecundum autem electionem, dilecti propter patres.* Quando Euangelium illuxit orbi: propter vos, Gentes, Iudęi ſunt inimici. Qua ratione iſthuc? Nam vobis fide annunciata, illi contentioſiores facti ab fide reſilierunt. Quatenùs autem ad maiores attinet (patrum nempè nomine intelliguntur) à Deo dilecti ſunt. OECVMENII. Deinde quia in incredulitate perſeuerarunt, ac propter hoc non ſunt dilecti; rurum quiddam accipiens; *Propter patres* (inquit) perinde quaſi dicat: Licet ipſi ob incredulitatem ſuam dilecti non ſint, propter patres tamen adhuc diliguntur, vnde & ſalutē ſunt accepturi. *Pœnitudine enim vacant dona, & vocatio Dei.* OECVMENII. Vocatio gentibus exhibita. *Vt enim & vos olim non obediſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis horum inobedientia; conſimilem ad rationem iſti iam inobedientes facti ſunt in veſtri miſericordiam conſequantur.* Innuit ex gentibus primùm vocatos eſſe quoſdam; deinde quia non crediderunt. Iudæos electos, atque idem rurſus deinceps euenturum. Poſtquàm enim noluerunt Iudæi fidem adhibere Chriſto, denuò gentes vocatæ ſunt; ac ſecundum accitæ crediderunt: atqui id in Iudæorum reiectionem non vergit, ſed vt etiam ipſi miſericordiam rurſus conſequantur. *Concluſit enim Deus omnes ſub incredulitate, vt omnium miſereatur.* Concluſit: hoc eſt; incredulos arguit iudicauitque; Vt alios (inquit) propter aliorum contentionem ſeruet, hos autem, propter illos, illos verò propter hos. *O profunditas.* Profunditatem quidem nouit; quantum autem ſit, non nouit. *diuitiarũ, & ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Quum intelligeret ſapiētiam Dei & gubernationem qua à condito vſque mundo in rerum diſpenſatione conſpicuus fuerit, non habens quod dicat; demiratus eſt tantummodò. *Quam imperſcrutabilia iudicia eius!* Non enim ſolùm cognoſci non poſſunt, ſed ne inquiri quidem. *Et inueſtigabiles:* Nedum enim comprehendi non poteſt, ſed ne indagari quidem; *viæ ipſius:* id eſt; diſpenſationes. *Quis enim nouit mentem Domini? aut quis à conſilijs illi fuit?* Ipſe, inquit, ſolus nouit quæ ſua ſunt. *Aut quis primùm dedit ei, & retribuat ei?* Nulli, inquit, pro debiti compēſatione beneficium exhibet; verùm primus beneficia largiri incipit, donáque impertit. *Quoniam ex ipſo:* Ipſe inuenit bona. *& per ipſum:* Ipſe fecit etiam quæ ſunt. *Et in ipſo ſunt omnia.*

Pſal. 20. b

Eſa. 59. d

Ipse continet etiam res. *ipsi gloria in sempiterna sæcula, Amen.* Quia magna dixit & incognita, ad admirationem sese conuertit, & sic hoc argumentum finijt.

CAPVT XII.

ADHORTAMVR *igitur vos, Fratres, per miserationes Dei, exhibere corpora vestra.* Ipsæ (inquit) miserationes Dei, per quas seruati estis, adhortantur vos. Ipsas namque miserationes suas profert, vt Deo dignam vitam geratis. *Hostiam viuentem, sanctam, beneplacentem Deo.* Quia sacrificij mentionem facit; ne quis existimet, nos mactari iuberi, intulit: Viuens, seu viuentem hostiam. Qui verò erit victima corpus? Videant oculi, quæ recta sunt: lingua manúsque, altera quidem laudibus Dei, altera verò præceptis vacet; sic fiet hostia viua ipsum corpus. Secernens itaque sacrificium isthuc ab Iudaico, sanctum, inquit, beneplacens, & rationis capax. Nam Iudaïca victima, corporea & externa quum esset, non perinde sancta aut beneplacens erat. *Rationalem cultum vestrum*; seu rationalem seruitutem seu ministerium; quasi dicat: Exhibete corpora vestra hostiam, per rationalem latreiam, hoc est, cruore vacantem: Vel, offerte sacrificium viuens, & rationale ministerium: Offerte namque, subaudiendum est. Rationalis autem seruitus, est vita secundùm Christum. *Et non conformemini sæculo huic.* OECVMENIVS. Id est, ne simul transferamini cum deceptione eius: vel, ne simul mutemini cum tempore hoc. Et quomodò aliquis sese offert hostiam viuẽtem? quomodo? *Ne conformemini*: id est, ne efformetis vos iuxta formam mundi huius nihil enim sani habet aut firmi. Hinc etiam figuram ipsum vocat, instabilitatem eius denuncians; atque hoc dicens, mortalem innuit. Verum *transformamini.* Mundi figuram nominans; virtutis formam intelligit, natiuam eius pulchritudinem monstrans. *In renouationem mentis vestræ.* Quia homo quum quispiam sit, nec possit non peccare: ideò, innoua, inquit, teipsum per pœnitentiam; nihil enim adeò animam senio conficit, annosam reddit & antiquat, atque peccatum. Vel bene dicit: Innouare, vt discas quid sit commodum, quæve bona Dei voluntas. *Vt probetis vos quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Ad Iudæos sermonem dirigit, qui lege tenebantur; inquiens: Lex quidem Dei, itidem voluntas erat; sed non beneplacens neque consummata, verùm ob imbecillitatem vestram concessa: perfecta autem & beneplacens Dei voluntas, est nouum Testamentum. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, cuivis qui est inter vos, ne sit arrogans, nimiumve sapiat.* Quum suprà per miserationes dixisset; nunc per gratiam, inquit, haud quaquam se fide dignum iudicans ad persuadendum. Hinc alias quidem miserationes, alias verò gratiam obijcit ac proponit. Gratiæ autem mentionem faciens, beneficiorum etiam Dei recordatur. *Ac præter id quod opportunum est*: Ne (inquit) vltrà mẽsuram nostram sapiamus; id enim dementiæ est atque stultitiæ. *Sed sapiat ad sobrietatem, cuilibet vt partitus est Deus mensuram fidei.* Prudentiam enim accepimus, non vt ad dementiam ea vtamur, aut stultam eam reddamus; sed vt ad sobrietatem ac mentis nostræ sanitatem eam potiùs adferamus: hanc enim nunc sobrietatem appellat, non eam quæ luxui & libidini opponitur. Fuerunt nonnulli apud eos donis conspicui, ac alij quidem admodùm turgescebant huiusmodi donorum nomine, alij verò adspernabantur alios, contráque eos efferebantur; hi verò æmulabãtur: Quare ait; Quid alios despicis? quid inuides? Si Deus distribuit; omnino benè & commodè distribuit. Progrediatur ergo vnusquisque quò potest, neque extollatur; Dei enim donum est, non tua virtus. Neque quisquam alijs, quod non habet, inuideat: Deus enim dona distribuit, qui nouit quid cuique decorum sit atque conueniens: In ipsa igitur perseueret, neque æmuletur, neque efferatur dono suo. *Quemadmodum enim in vno corpore membra multa habemus.* Quid enim tu (inquit) cristas erigis atque superbis? quid verò æmularis? Nonne omnes vnum corpus sumus; membra autem inter nos mutuò, alter alterius? Nec dixit; is qui inferius donum habere visus est, membrum est eius cui maius charisma obtigit: verùm; is qui maius habet, eius est membrum, cui minus est donum: Hac dijudicatione volens eum hos demittere, tum illis addere animum. *Membra autem omnia non eandem habent operationem: sic multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem inter nos alter alterius membra sumus.* Eò respicit parabola: quemadmodum (inquit) membra, differentem nacta sunt operationem; sic diuersa à spiritu paracleto data sunt charismata. *Habentes autem donata, secundum gratiam quæ data est nobis.* Si donauit; quid tu fastu turges? Nunquid enim tua virtute dona peperisti? haudquaquam. Dei namque donum est. *diuersa.* Pulchrè dixit, *diuersa*; vt ostendat, nõ alterum quidem magnum, alterum verò paruum esse: nam omnia Dei magna sunt; verùm varia sunt & conuenientia. *Siue Prophetiam*; subaudi habeamus. *Secundum proportionem fidei.* Commonstrat iam, quòd qui maiora quę videntur dona accipiunt; sint causa cur accipiant. Si enim gratia est, tantò magis adfluit, quãtò magis inuenit commodum quisquã ea per fidem exhibere sibi. *Siue ministerium.* Ministeriũ, generale quippiam est; omnia enim dona ad ministerium & proximi cõmodum dantur: deinceps verò ad specialia etiam accedet. Subaudiendum est autem; accepit aliquis *in ministerio.* Scilicet; permanet. *Siue qui docet.* Si quis accepit dona doctrinæ & institutionis, *in doctrina*: tepere; perseueret. *siue qui adhortatur*; Donum adhortationis accepit: *in adhortatione*; scilicet, permaneat seu persistat. *Qui impertit, in simplicitate*: Deinceps ostẽdit, quòd qui donis abutuntur ea inutilia reddant. *Qui præest, in sedulitate*: Non enim satis est, præsidere tantùm. *Qui miseretur, in hilaritate*: Nõ veluti damno adfectus, verum ceu lucro auctus sit; hinc enim cõtinget exhilaratio. *Dilectio non sit fucata.* Ne sit fucus charitatis, sed ipsa charitas, qua existente, cõmemorata rectè transiguntur. *odio prosequentes malum.* Non modò abstinentes, verùm penitus illud odio prosequentes: atque, illud, præpositio ἀπὸ. innuit, in dictione ἀποστυγοῦντες. *Adhærentes bono.* Deinde subdit, Non solùm odio prosequamini malum, sed ipsum etiam bonũ iuxta teneatis. Illud autem *Adhærentes*; ipsam ad bonum propensionem palàm indicat: potest enim & in turpibus quædam esse dilectio. *Fraterna charitate erga vos mutuò adfecti, honore alius alium præuenientes.* Si fraterna inter vos charitas viguerit, omnino vos mutuò diligatis; fratres enim estis. Deinde cõmemorat quomodò fraterna charitas rectè perficiatur, si quisque fratrem suum honore præuenerit: Etenim & hoc honorem parit, quando non honoramus tantùm, verùm & in hoc studiosè incumbimus vt honore alios anteuertamus & vincamus. *Studio non segnes, spiritu feruẽtes.* Feruentem habentes & flammantem in vobis Spiritum sanctũ; quod fiet, si in bonis operibus vixeritis: Vt & sitis calidi & excitati; sic fiet, vt Domino inseruiatis. *Domino seruientes.* Ex commemorans enim eueniet, vt Domino seruiatis. *Spe gaudentes.* Qui fiet autem vt spiritu ferueamus? Si spe, inquit, gaudeatis. Nihil enim adeò ad quæuis alacrem efficit, atq; spes bona; Ac si patiẽtes (inquit) permanseritis; &, si citra intermissionem, orationem vestram coram Deo effundatis. *In afflictione patientes*: Patientia namque parit probationem. *In oratione perseuerantes*: Ea enim adiutante, erunt facilia omnia. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Si necessitate constricti fuerint. *Hospitalitatem persequentes.* Ne expectes tantisper dum ille ad te venerit; erubescit enim ac pudore suffunditur: verùm tu insequere eum, inuita eum. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & ne maledicatis.* Quum docuisset, quomodò erga eùm fratres, tũ amicos, nos affectos esse oporteat; simul iam nunc instituit, qui Christiani sese aduersùm hostes gerere debeant. Obserua autem, quod non dixerit; Ne vlciscaris te de hoste, neque maledicta in eum euomas; verùm quod longè maius est; Benedic & intercede pro eo apud Deum. *Gandete cum gaudentibus,*

&

Corpus humanum quomodo fiat viua hostia.

Voluntas Dei beneplacens.

Sobrietas quid sit.

Hospitalitas.

& flete cum flentibus. Nedum verbis (inquit) benedicite, verumetiam operibus; gaudentibus quidem congaudentes, dolentibus condolentes. Magnum autem est, congaudere gaudentibus; quandoquidem fœlicitas proximorum, impijs sese occasionem inuidiæ præbeat. *idem inter vos mutuo sentientes; non alta affectantes, verùm humilibus consentientes.* Si magnum te existimas, talem & fratrem tuum reputa etiam si pauper fuerit; Nam apud Deum, diuitiarum & inopiæ nullus est respectus aut discrimen. Quomodò autem tibi hoc contingat? Si de te ipse non alta sentias, verùm si commodes & cōsentias tenuibus, atq; ad illorum humilitatem descenderis. Ex his, vanam illorum gloriam supprimit, verisimile namque erat, propter vrbis amplitudinem; tali affectu detineri. *Ne sitis prudentes apud vosmetipsos.* Hoc est: Ne existimetis vos esse sapientes ac nullius cōsilio indigos, dicit enim scriptura; *Væ prudentibus & intelligentibus apud sese.* Nulli *malum pro malo reddentes.* Si namque vituperabilis atque infœlix est qui tibi iniuriam infert; cur nō, prauorum, imitationem fugis? Si quidem dum vlcisceris te, impietatis te ipsum consortem reddis, *prospicientes bona coram cunctis mortalibus.* Tantum dicit: Date operam, ne cuipiam vituperationis occasionem deris, & vt boni & probi appareatis. Vel, quia paulò ante dixerat; *Nemini malum pro malo reddentes;* apposuit, curā gerētes boni; perinde ac si dicat: Non satis est vos tantum non reddere malum; cæterum oportet vos ei etiā prospicere qui vobis malefacit. Nam & suprà nō satis fuit non execrari eos qui persequuntur nos; sed benedicere nos illis etiam præcepit. *Si possibile est, quantum in vobis est, cum omnibus pacem habentes:* Nonnunquam enim non potest habere locum pietatis ratio. Quod verò ait; *quantum in vobis est:* valet; Tu fac quod tuum est, nec exhibeas inimicitiæ occasionem, neque Græco neq; Iudæo: hoc enim est quod ait; Cum omnibus. *Non vos ipsos vlciscentes, dilecti, sed date locum iræ.* Id consectariū esse solet, vt qui iniuria sit adfectus, vltionem ac vindictam affectet, atqui idipsum tibi nunc, inquit, annunciatur: Ne vlciscatis te; ipsum enim sic futurum est, vti Deus tuo nomine vltionem sumat. *Date,* enim inquit, *locum,* spaciúmque *iræ,* vt veniat Deus. Si enim tu non vltionē de te sumas; veniet super illos ira Dei. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Quia cui vis facta est, maximè desiderat videre, vt vltione ipse fruatur; hoc ipsi magna copia tribuit. Si ipse, inquit, de te vltionem ipse nō sumpseris; Deus erit vltor tui. Permitte igitur ipsi causam tuam, vt ipse pro te egrediatur aduersus hostē: hoc enim est quod ait; *Date locum iræ. Scriptum est enim:* Maiori consolatione iniuria affectum recreans, illique animum addens; protulit testimonium. *Mihi vindictam, & ego rependam, dicit Dominus.* Mihi, hoc est; apud me. *Si igitur esurit inimicus tuus, ciba illum: hoc enim faciens carbones ignis coaceruabis super caput ipsius.* Non solùm, inquit, pacifici sitis & pacati, nec vltionem sumatis de inimicis vestris; verumetiam benefacite, alentes eos & potu saturātes. Quia verò id admodum durum erat & arduum; subdit, ignem ei coaceruabis hoc faciens. Hoc autem dixit, vt animū adderet, cui est iniuria illata; vtque perterrefaceret illum qui intulit. *Ne vincaris à malo sed vince in bono malum.* Emollito iam antea eo qui iniuria erat affectus, persuasóque vt benefaceret, per hoc quod dicebat; *Carbones coacervabis:* nunc altiùs ipsum adhortatur. Si tali inquit, affectu ipsum alis, vt ignem ei aggeres; non vicisti malū, sed victus es ab eo. Ego autem volo, vt tu vincas malum: Proinde ne malefico affectu benefacias, Pro tua enim consolatione, quæ dicta sunt commemorata sunt, non vt ita facias.

Quo affectu sit inimicis benefaciendū

CAPVT XIII.

OMNIS *anima potestatibus præminentibus subdatur.* Multam capitis huius vndique prouidētiam facit; monstrans, Christi Euangelium non ad publicæ bonæ ordinationis subuersionem datum esse: & quod satis sit hostiū qui veritatis nomine sint nos impugnaturi; & quid nos aduersum tot hostes, eosque superfluos, cogitare oporteat. *Non enim est potestas, nisi à Deo.* Non de quouis principe sigillatim hæc dicit; sed de ipso magistratu. Quum enim eundem esse omnium honorem idémque precium, dicere, seditiosum esset; intulit Deus potestatem instituit. *Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* De eodem hæc loquutus est. Quum enim, *non est potestas,* diceret, *nisi à Deo;* rursus idem profert. *Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt,* veluti factæ. Deus, inquit, ordinauit & dispensauit eas. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ne sese deteriores viliorésque reddi, Christi serui arbitrentur, si potestatibus subijciantur; ostendit quòd necessarium sit, obtemperare & non reluctari, neque inobedientem esse quempiam magistratui. Qui enim istbuc attentauerit, Deo resistit, qui condidit instituítque magistratus. *Qui autem resistunt, sibiipsis iudicium accipient.* Condemnationem appellat, quam ipsi sibi à Deo attrahunt, pariunt, conciliant. *principes enim non sunt metus bonorum operum.* Quid doles, inquit, subditus potestati? quid verò metuis eam atque tremis? Nunquid enim increpat benè honestéq; viuentes? nunquid est terrifica ei qui virtuti impendit operam; Hoc est, ijs qui benè operantur, & vita sont bonis digna conspicui? *sed malorum.* Id est, mala patrantibus. *Quod si nolis metuere potestatem.* Quod si cupias, vt vel Princeps vel Magistratus nedum tibi clemens sit, verùm te laudibus etiam vehat. *fac bonum & habebis ex ea laudem: Dei namque ministra est tibi in bonum.*

Adeò, inquit, laudabit te si bonum opereris, vt sit etiam auxiliatura ad hoc, tibi. Porrò timor occasio tibi erit benè rectéque viuendi. Eam autem ob rem dixit, Dei eam esse ministram ad bonum; quandoquidem ministret ac inseruiat voluntati Dei, cùm bonos laudibus euehens, tum malos puniens: hinc ad bonum etiam impellit. *Sin malum feceris, time.* Non igitur Princeps aut Magistratus, metus tibi causa est, sed scelerata tua vita. *Non enim frustra gladium gestat.* Viden' quomodò perterrefecerit subditum, armauerítq; Magistratum? *Dei enim ministra est, vltrix ad iram, ei qui malū operatur.* Nam qui sceleratam vitam ducentes pœna adficit, Dei minister est ad iram. *Quare necessarium est, ei subijci.* Necessarium est igitur, inquit, magistratui subijci, non solùm propter iram Dei Magistratui subditis obuenientem; sed etiam propter conscientiā: hoc est; vt ne videaris cōscientia vacare, & ingratus esse benefactori ac ministro Dei, si non obtemperes potestati: Atq; hoc est quod ait; *Non solum propter iram, verum etiā propter conscientiam. Propter hoc enim & tributum penditis.* Tantis, inquit, beneficijs vos perfundit magistratus, vt & tributū ei pendatis: mercedem nimirum gubernationis, præsidatusque eius; *ministri enim Dei sunt:* Hoc est; sub operarij Dei sunt, ministrātes ipsi principes ex hoc quod curam subditorum gerunt. *In hoc ipsum inuigilantes sedulò.* Neglectis suis priuatis rebus, publico suorum ciuium cōmodo inuigilāt. *Reddite igitur omnibus quæ debetis: cui tributum, tributū; ei cui vectigal debetis, pendite vectigal, cui timorem, timorem.* Monstrauit paulò ante, rem esse necessariā Magistratū: hinc, debita hîc nominat ea quæ exhibentur eidem. *cui honorem, honorem.* Non solum pecunias debetis; cæterùm, etiam honorem. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt vos mutua inter vos charitate prosequamini.* Ad matrem adeoque fontem omnium bonorum peruenit, nempe charitatem; ostēdens, eam esse tum necessariam, tum deberi. Nam qui alterū diligit. *legē impleuit.* Lucrum charitatis subdit. Qui hanc implet, vniuersam (inquit) legem implet. Porrò quum ait; *Qui diligit, totam legem impleuit:* innuit quadantenus, vniuersa mandata, charitate impleri. Atqui non dixit, Implentur, simpliciter, sed, in summam rediguntur: hoc est; breuiter & succincta ratione totum fit, & paucis completur vniuersum mandatorum opus. *Quod enim ait lex: Non cōmittes adulterium, non occides, non furtum facies, non dices vanum testimoniū, non concupisces, & si quod est aliud mādatū, in hoc verbo redigitur, ac summatim cōprehenditur, nempe: Diliges proximū tuū sicut te ipsum,*

Tributum est merces gubernationis.

Quod babet mandatum? *Sicut te ipsum;* intensam admodùm charitatem significat. Dilectio proximi *malum non operatur. Plenitudo itaque legis dilectio.* Viden' vtramque in chatitate virtutē esse; & quòd à malis abstineat, & bona perficiat? Ecce abstinentiam à malis proximo (inquit) *malū non operatur:* Ecce bonorum operationem; *Plenitudo* (inquit) *legis charitas:* proximo enim beneficiū impertit: Vniuersum autem legis studium nihil aliud quàm boc ipsum postulat. *Et hoc scientes.* SEVERIANI. Implere, inquit, dilectionis opus; scientes, tempus id vrgere, virtutēmq; deposcere; Nunc enim est propior salus nostra quàm quum credidimus: boc est, nunc quum nouimus quæ sint opera commodiora, leuius nobis est & facilius seruari quàm quādo instituebamur in fidei adhuc verbo atque norma. Non enim simul cùm fidem in Christum primùm docemur, statim exactam agendorum comprehensionem aut cognitionem tenemus. *tempus.* Scientes (inquit) hoc: qualenam *Hoc?* tempus nimirùm adeóque opportunitatem temporis. *Quoniam hora est Iam?* id est; proximè finem. hinc operæ sanè est precium, vrgere nos bonorum operum peractionem. *nos e somno excitari.* Ex socordiæ, nec non acediæ sopore expergisci, surgere. *Nunc enim propior est nostra salus.* Præsente namque vita vel paululùm præterlabente, vicinus redditur Resurrectionis futuræ tempus. Si enim quēadmodum opus fuerit, instructi inueniemur, salutaris nobis iudicij illa dies illucescet: sin minus, perniciosa nobis erit: Attamen ipse ex commodioribus illam diem denunciat. *Quàm quando credidimus;* Verisimile est, eos qui primùm crediderunt, ceù neophytos, feruentes fuisse in fide & religione; at posteà illos defecibuisse ac veluti emarcuisse: Hoc igitur nunc subobscurè indicat. Quantò, inquit, vicinior est salus nostra; tantò nos feruentiores esse in fide & moribus oportuit, potiùs quàm segniores esse. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Noctem; præsentem vitam appellat, nihil enim à somno, res humanæ distant: Diem verò, futurum tempus nominat; quòd, quæ iam abdita sunt, tum reuelabuntur. *Deponamus igitur opera tenebrarum, induamúsq; arma lucis.* Opera tenebrarum, prauas operationes accipit; arma verò luminis, virtutem ipsam. Perinde autem vt arma muniunt; pari ratione, luminis arma splendidum reddunt. *vt in die, decorè circumambulemus.* Quum supra dixisset futurum iudicij diem; nunc ipsum exhibet ac veluti præsentem statuit, in trepidationem conijciens auditorem. Quum ait; *Circumambulemus;* exuit inuidia & odio sermonem, nam & se ipse immiscuit. *Non in commessationibus & temulentijs.* Non bibere sanè; verùm immodicè bibere probibet. *non in cubilibus & libidinibus:*

Nox est, vita humana.

Non tollit matrimonium, sed fornicationem. *non in lite & æmulatione.* Per litem intelligit, indignationem & excandescentiam; per æmulationem, inuidiam. *sed induite Dominum Iesum Christum.*

Christum induere, quid sit.

Qui enim Christum Dominum induerit; is habet vniuersam virtutem. Qui verò ipse induendus est? Si nobis intrinsecus & forinsecus, omnia, ipse solus fuerit; si externa bona nostra, ille solus extiterit: Porrò, & nūquam ab eo destitui, indumentum vocat. *carnis prouidentiam ne feceritis ad concupiscentias.* Quum ait, carnis non esse gerendam curam; addidit, *Ad concupiscentias;* ne existimes, in necessarijs rebus non oportere nos carnis nostræ cura tangi, vt in cibo & potu: Est enim ei prospiciendum vt permanere possit, non ad libidinem.

CAPVT XIIII.

INFIRMANTEM *in fide suscipite.* Fuerunt nonnulli ex Iudæis credentes, qui legis cæremonijs adhuc detenti, multos cibos execrabātur; & ne profani fierent, vescebantur oleribus solis: ita vt non continentiæ sed execrationis ista obseruatio videretur. extiterunt & alij ex Iudæis credentes, qui solida fide firmati, haud quaquam obseruabant cibos. Ad hos igitur in fide sinceros, sermonē suum vertens; cibos abominantes nonnihil carpit ac tangit, infirmos eos in fide appellans. *non ad dijudicationes disceptationum.* Primum aduersum ipsos vulnus est, dicere Languentes in fide: Alterum est; Suscipite, ostendit enim, eos ingenti cura indigere. Tertium, quòd ait; *Non ad dijudicationes disceptationum,* seu cogitationum. Indicat autem, vsq; adeò impingere illos infirmos; vt & eos qui eodē secum charitatis & amicitię vinculo colligari debeant, iudicent. *Alius quidem credit licere sibi vesci quibuslibet: qui verò in fide infirmus est, vescitur oleribus.* Alius (inquit) sincerè credēs, neq; vllam Iudaïcam obseruans traditionem aut obseruationem; quibuslibet citra abominationē vescitur: Prædicat autē ipsum à fide. Qui verò, inquit, circa fidē *infirmus est,* oleribus vescitur: hic simul increpat eum quòd non secundum laudatam abstinētiam edit olera: verum hypocritam agit; at secundum fidei infirmitatem. *Qui vescitur, non vescentem ne aspernatur. Et qui non vescitur, vescentem ne iudicet; Deus enim ipsum suscepit.* Non dixit, non corrigat; sed, *ne aspernetur,* ostēdens quòd ridicula agat. Opus est enim ipsum fraterna charitate corrigere, nec veluti execratum contemnere. Porrò quēadmodùm qui per fidem omnia edebant indiscriminatim, vilipendebant obseruantes; sic illi, hos veluti edaces ac gastrimargos iudicabant. Obserua autē, quum id dixisset; Deus (inquit) ipsum ad sese attraxit ac liberauit ab omni Iudaïca obseruatione. SEVERIANI. Christi minister, quem Christus suscepit; alienus est à lege: Quis igitur es qui iudicas ex lege, ab lege alienum? *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum.* Ad sincere credentē, ipse sermo est. Hinc manifestum est, quòd non modò vilipendebant, verùm etiā iudicabant manducantes olera. *suo Domino stat, aut cadit:* Dei est, & ad Deum pertinet lapsus, eius & resurrectio. Ne igitur iudices ipsum, quum non digna condemnatione agat; Alienus namque seruus est. *Statuetur autem, nam potens est Deus statuere eum.* Rursus ferit infirmos, adeóque eos qui ciborum discrimina obseruabant: Quum enim dicit, *Statuetur,* indicat, quòd concutiuntur in tantùm vt etiam Dei cōsolidatione opus habeant. *Alius quidem diem à die discernit, alius autem omnem diem iudicat.* Verisimile erat, eos qui continuè ieiunabant, eos condemnare qui non continua inedia corpus castigarent suum, quos hic vetat, iudicare, condemnare, & accusare. Fuerunt enim qui recens ad fidem accesserant: Metuebat itaque, ne multa accusatio planè eos à fide abscinderet, ita perculsos ob huiusmodi accusationes. *Vnusquisque in propria sententia.* Ne de omnibus accipias quod ait Apostolus, *Vnusquisque sua sententia certus esto:* verùm de ieiunio tantùm, idque quum fidei recens infixi fuerunt Romani consentiebant Iudæis: Nam si de fide commemoratum locum acceperis, à toto seu scopo excidisti. *certus sit.* Quilibet proprię sentētiæ certus sit; vel quòd rectè facit ieiunans semper; vel quod benè, non ieiunans semper. OECVMENII. Non est accipiendū quod dixit, de doctrina fidei; quemadmodum & ipse prædixit. *Qui discernit diem, Domino discernit:* Ambo enim, hic & ille, vno vtuntur scopo; nimirùm honore Dei: Nam qui obseruat diem legem sese Dei adimplere cēset; qui verò hic sese indifferēter gerit, simili honore Deum adficit. *qui non discernit diem, Domino non discernit: qui edit, Domino edit.* Qui sic adsectus est vt in singulos dies ieiunet, Domino sic adfectus est: & qui in singulos dies, inedia sese nō castigat, propter Dominum sic affectus est. Quicquid autem propter Dominum fit; bonum est, inquit, *gratias enim agit Deo. Et qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Si igitur opportunum est, vt per omnia gratiæ agantur Deo; quid adeò vehementer ieiunij causa dissidetis? parum enim distatis; nec est adeò magnum, quod inter vos est medium. Ac si pro ipsorum cōcordia loquitur: Enimuerò, qua via Christo placere potest, qui nō edit? veluti enim legi detentus ista dicit. Obserua hic, quàm continuè hîc feriat Iudaïsantem. Si enim quod quæritur; est, gratias agere: perspicuū est quòd ille gratias agat, qui edit, non qui non edit; quomodò enim is gratias agat, quum lege dum teneatur?

Laudata à cibis abstinentia.

Ciborum delectus duplex.

tur? *Nullus enim nostrum sibiipsi viuit, & nullus sibiipsi moritur.* Habemus (inquit) Dominum cui & viuimus, si viuamus, cui & morimur, si moriamur. Si igitur Domino, & vita & mors nostra preciosa est; ipse teget ac dispensabit ea quæ ad nos attinent; nec opus vt proximum nostrum iudicemus vel contemnamus. *Siue namque viuamus, Domino viuimus: siue moriamur, Domino morimur*: Vitæ enim ipse mortísque solus potestatem habet. *Siue igitur viuamus, siue moriamur, Domini sumus.* Rationem adduxit eius, nempe, quod & viuentes nos & morientes sumus Christi. Prætereà & illud monstrat: Si tanta, inquit, vsus est erga nos prouidentia vt crucifigeretur; haud iam nos despiciet. Nam si morientibus adeoque defunctis vita prospicit; quantò magis viuentium tangetur nostri cura? Isthuc verò ad cõdemnatos dicit, quòd imbecilles in fide apud Deum curentur, quódque ratio eorum habeatur: ob tantam nimirùm ipsius erga omnes prouidentiam: In fide autem exiguum rubore suffundit, dum beneficia Dei ad memoriam illi reuocat: *In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit.* Nostri dominatus iustificationes antea reposuit. *Vt in mortuos & viuentes dominetur.* Hoc in animas & corpora: Hæ enim sunt immortales, illa verò morti obnoxia. Hæc D. Methodij quoque in Concione de Resurrectione, est sententia. *Tu autem, quid iudicas fratrem tuum?* Ad eum qui in fide pusillus est, hic rursus est sermo. *Aut & tu quid contemnis.* Ad solidum in fide hæc verba facit. *Fratrem tuum?* Nomine tenus fratrem. *Omnes enim statuemur ante tribunal Christi.* Diluit ipsis interrogationem. *Scriptum est enim; Viuo ego dicit Dominus.* Videtur quidem per Prophetiæ prolationem, demittere fidelem, vt ne flocci faciat Iudaïsantem. Atqui totum locum ideò protulit, vt animum eius qui Iudaïsmo adhuc laborat, conteriat: hic quidem iudicij mentione; suprà verò ipsis Christi beneficijs illos pudefaciẽs. Si enim ante Christi thronum iudiciarium omnes sistemur; ipse à nobis, non lex ipsa, delictorum nostrorum rationem exiget. Quid igitur adhuc legem tenes, & non potiùs Christum amplecteris? *Quoniam mihi flectetur omne genu & omnis lingua.* Dominatum ipsius in omnes testatur. *Confitebitur.* Propria peccata, ex propria conscientia: *Deo*; tanquam iudici. OECVMENII. De Deo & Patre dictum, quòd ipse iudicet neminem, iudicium autem dederit Filio: Perspicuum est igitur, quod de iudice hoc, à D. Paulo in medium est deptomptum; *Confitebitur Deo*, & rationem reddet Deo: Igitur Christus Deus est, etiam si hoc impij nolint. *Proinde vnusquisque nostrum, de seipso rationem reddet Deo. Ne igitur nos mutuo iudicemus. Verùm id iudicate potius.* Rursus prima tenetur ratione, vt ne accipias, timoris ac terroris causa, iudicij ipsum meminisse: sed enim propter sermonis consequentiam. *vt non ponatis offendiculum fratri; aut scandalum.* Hoc & ad sincerum fidelem, & Iudaïsmum adbuc spirantem quadrat. Etenim & perfectus ille offendebatur: ex ciborum obseruatione, qua proximus occupabatur: cibos item obseruans, vehementi increpatione sincerè credentis lædebatur: Vno itaque consilio vtrúmque corrigit, & ad rectius iter reuocat, per horum quæ proximo scandali occasionem præbent, commemorationem. *Noui autem & persuasus sum in Domino Iesu, quoniam nihil commune est per sese.* Adhuc de ciborum obseruatione ei sermo est. Quum igitur dixisset; Noui & persuasus sum, nihil esse cõmune; ne obijceret qui Iudaïsmo adhuc addictus esset: Ecquid ad nos si tu persuasus es, lege diuersum docente? adijcit; *in Domino Iesu*, ostendens, quòd ab ipso hæc didicerit certúsque factus sit, nec à se ipso protulerit. THEODORETI. Nihil, inquit, commune est per ipsum: Vt ne dicerent; Tu qui es, qui resistis Moysi? ipsius Moysi Dominum, in medium adducit, docens, ab eo legales obseruationes antiquatas, ac nullum cibum debere à te immundum iudicari. Nam quòd Apostolus ait; *per ipsum.* Sic vulgata; & non, *per sese*: vt hic paulò suprà: Atque id quidem multù meliùs: Illud enim; *per sese*, nisi ad cibos ipsos referri non posset, cùm Authoris Commentarius id de Christiana lege interpretetur: Quamquam etiam statim subiungit interpretamentum Seueri qui legat; per sese, accipiendum est, pro Euangelica ipsius sanctione. Vel; *Per ipsum*, nempe Deum, vel per gratiam quæ data est nobis ab ipso. SEVERIANI. Nihil commune est *per sese*, seu natura; hoc est, immundum: *nisi ei qui reputat quicquam esse commune, illi cõmune est.* nihil natura commune est, inquit, verùm ex voluntate vtentis fit commune, vnde & illi soli est commune, non omnibus: *illi* (inquit) *commune est.* *Quod si verò propter cibum frater tuus contristatur.* Fideles conuiciabantur & eis obijciebant, quòd Iudaïcis ceremonijs adhuc adhærerent ideóque cibos obseruarent: Non vult igitur eos in non adeò magnis rebus attonitos reddere, admodùm veritus ne forsan animum despondentes, omnino ab fide deficerent tandem. Nihil igitur in cibis commune seu impurum dicit; verùm hoc tantùm præcipit, vt sibi temperent à nimia fratrum accusatione, ob æqualem & eãdẽ Christi erga se curam; perinde ac antehac dictum est; *non adhuc secundum charitatem ambulas*: Vult enim vigere inter Christianos charitatem; sciens, omnia per ipsam quadantenus rectè perfici. *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est.* Ne, quia tu omnibus vesceris quum fidelis sis; acriter ipsum accusans, prorsus ipsum tandem à fide eijcias. Etenim & pro ipso Christus mortuus est; vnde debes etiam pari ratione illi acquiescere. OECVMENII. Hic consulit & fideles à cibis abstinere, vt ijs qui in fide adhuc sunt exigui, condescendant & inseruiant; id quod & in progressu deinceps ait. *Ne igitur vituperetur.* Nam accusans eum, & semper eum ipso contendens ob ciborum obseruationem: non solùm ipsum contentiosiorẽ reddis verumetiã occasionem das Gentibus & Infidelibus vituperare nostram fidem, ob huiusmodi contentiones vestras. OECVMENII. *bonũ vestrum*: id est, fides: Perinde atque si dicat, Bene quidem doces; verùm contentio vestra causam maledicentiæ præbet. *Non enim est regnum Dei, cibus aut potus*: Compescere eos in animum inducit, vt ab accusationibus desistant: Non enim, inquit, per cibum & potum ingredi possumus regnũ Dei. *Sed iustitia, pax, & gaudium.* Qualia igitur sunt, quæ in regnum introducunt? Iustitia, pax, lætitia: hoc est; vita virtutibus conspicua, pax erga fratrem, ex vnanimitate gaudium. Quum verò pax etiam, gaudium & lætitia fit in turpibus quoq; rebus, apponit; *In Spiritu sancto*, perinde quasi dicat: Hanc dico pacem & lætitiam in Spiritu sancto factam: hoc est, quæ per Spiritum sanctũ docetur. *Nam qui in hisce seruit Christo.* Est quando & ex vana gloria quispiam inseruiat Deo, non vel ex metu, vel dilectione Dei: propterea inducit; Qui enim in huiusmodi Christo inseruit; hoc est, in iustitia gaudio, & pace spirituali. *Cum Deo gratus est, tum probatus hominibus.* Etenim & homines te admirabuntur videntes paci studere te, gaudium item & iustitiam complecti; vel propter cibos. *Proinde quæ pacis sunt persequamur, & quæ ad mutuam inter nos ædificationem pertinent.* Quia hæc iam sunt in confesso, & quia pax demonstrata est esse bona; hanc itaque accedamus & amplectamur, per quam omnium nostri ædificatio perueniet. *Ne propter escã destrue opus.* Nõ solùm, inquit, non ædificas, seu nomine litem ferens; verumetiam quam fidem habet alter, eam dissipas, contentiosiores itaq; alios efficiens exacerbánsque, vt tandem penè à fide deficiãt. *Dei.* OECVMENII. Deus, inquit, per crucem illum extruxit; tu verò ædificationem extructionémve eius dissipas. *Omnia quidem munda sunt.* Ne consternatione firmorum in fide, confirmet infirmum vt cibus obseruet; ad ipsum deinceps pergit. *Sed malum est homini per offensionẽ edere.* Mala conscientia edere, malum est, inquit: Nam etiam si coactus edis, nihil agis; cum diiudicatione enim & cõdemnatione edisti. Neque enim, manducare, te purum efficit; sed mens & sententia cum qua manducas. *Bonum erat non vesci carnibus, neque bibere vinum.* Hic non modò fidelem adhortatur, non grauiter

D. Methodij Conc. de Resurrectione. Isa. 45.

impetrere infirmum in fide; verumetiam illi condescendere ac nonnihil assentiri, neque carnes edere neque A
vinum bibere, & si quid aliud opud sit deuitare ob fratris salutem: Maximam enim habet assensus, adeóque permissus occasionem, ipsa infirmitas. *Neque in quo frater tuus impingit aut offenditur aut imbecillus est.* Obserua quo pacto in sermone ad fidelem pertinente, eos qui in fide sunt imbecilles, notat. Impingere enim dixit, quod est cæcorum proprium: deinde; *Offenditur*, inquit; quod est eorum qui facilè offenduntur: postremò; Infirmus est, quod est, in fide exiguorum. *Tu fidem habes? apud te ipsum habe.* Fidem hic dicit, veluti de escis propositis; tanquàm fides doctrinæ omnibus debeat esse manifesta. Hic verò; & vana gloria, in fide firmum, visum duci innuit. Perfectus es, inquit, & in fide firmatus; quid ob virtutem tuam cristas tollis? Deus, te animúmq; tuum nouerit, eíque tantum placeas. *Beatus qui non iudicat seipsum in* B
eo quod probat: Hoc est; in ea re quam probauerit hac vel illa ratione; veluti, vesci hoc vel illo. Quomodò autem id continget? ex pura cōscientia. Quum enim dixisset; *Apud te ipsum* fidem *habe*; illud vult: Conquerentur de te infirmi, quòd impurè agas; serua igitur fidem apud te, vel fratris tui nomine. Quod si conscientia tua non dijudicat te, non condemnat, non ambigit; Beatus es. Ex hoc, in fide languentem ferit. Nam si ex conscientia, corona & beatitudo fideli prouenit; manifestum est, quòd inde etiam condemnatio. Ne igitur per dijudicationem ede, sed propter necessitatem. *Qui enim dijudicat; si ederit, condemnatus est, quoniam non ex fide: Omne autem quod non ex fide, peccatum est.* Hoc rursus ad sanum in fide pertinet; quid enim ipsum adigis edere, si nondum firmatus C
est? Estne te clam, quòd qui dijudicat, si ederit, condemnatus est; quoniam non ex fide edit, verùm vel ex necessitate, vel ex verecundia? Neque enim credidit purum esse cibum; & interim edit: cur igitur ei condemnationis fit occasio? Deinde quod sequitur per inficiationem ait; Quicquid quisquam non ex fide fecerit, peccatum est.

Fides, pro doctrina certitudine.

CAPVT XV.

EI *autem qui potest vos.* Hyperbaton est; Ei qui potest vos fulcire, gloria sit in sæcula, Amen. *fulcire iuxta Euangelium meum.* Deinde orat, adeóque votum edit pro infirmis: oratione D
namque potius opus habebant, quàm consilio. Quum porrò dicit; *Fulcire*; indicat, quòd concutiantur: deinde firmationis modum subdit, *Secundum Euangelium meum.* OECVMENII. Vt viuant, perinde atque Euangelium annunciat. *Et prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis.* Christus eadem prædicauit. Nequaquam igitur sunt humanæ Leges, quæ per Euangelium traduntur: fidem autem illis firmat, cùm à prædicatione, tum nomine. Nam Euangelium dicitur, ipsa verbi annunciatio. Qualis autem est prædicatio? Christi adeóque ipse Christus. *taciti.* Dati, inquit, secundum reuelationem mysterij; qualis? taciti & absconditi. Præcedentibus temporibus sæcularibus; hoc est, multis: nostris verò hodie temporibus manifestati. Significat E
autem ipsum donum magni esse precij, non modò ex prædicante Christo & ex eo quod Euangelium dicatur, verumetiam, quòd nūc nobis gratis illuxerit, & si fuerit ante tempora & mundi creationem: A principio enim erat Christus; verùm nunc cognitus est qui antehac ignorabatur. *manifestati autem nunc per scripturas Propheticas, secundum mandatum æterni Dei.* Qui verò manifestum est per scripturas Propheticas? Patre nimirùm imperante, vt isthuc fieret. Hac itaq; ratione, incredulum, ad fidem hortatur. Quid enim, inquit, metuis candidè ac sincerè illi credere; quandoquidem Prophetæ diuinitùs afflati prædixerunt; Deus verò Pater demādauit Filij sui Euangelium diuulgari per vniuersas gentes? *ad obedientiam fidei.* Nam fides opus habet obedientia, vt credens non multùm sit curiosus quamobrem nunc sit primum manifestatum; & cur olim, omnibus retro sæculis, fuerit occultatum. *Ad omnes gentes patefacti.* Ne metuas, inquit: Non tu solummodò credis, verùm vniuersus terrarum orbis. *Soli sapienti Deo.* Ad discrimen vanorum Deorum, non Christi aut Spiritus paracleti: haudquaquam enim eò referendum est hoc encomium. *Per Iesum Christum, cui gloria in sæcula, Amen.* Patefacto in gentibus per Iesum Christum; vt qui & ipse etiam promulgauerit. Reliquum est per medium hyperbaton; *Soli sapienti Deo gloria:* OECVMENII. Sic accipias licebit: Ei qui potest vos firmare, soli sapienti Deo. Firmare autem quomodo? per Iesum Christum: Gloria, inquit, sit in sæcula. *Debemus autem nos, qui fortes sumus, infirmitates eorum qui non sunt fortes, baiulare.* Ad eos qui in fide sani sunt sermonem transfert; docens oportere nos condescendere & assentiri infirmis: Hoc enim, inquit, debemus. Vide autem quàm humiliter de imbecillibus loquatur. Alios enim potentes vocat: de his autem dicit; infirmitates & imbecillitatem eorum nos debere baiulare; *nec nobis ipsi placere*, sed proximo, per adsensum seu infirmitatis tolerantiam. *Qualibet enim nostrum proximo placeat ad ædificationem.* Potens, fortis, & fidelis es? experiatur ergo robur tuum infirmus, per tuam tolerantiam ac permissum: Oportet enim quemlibet nostrum, proximo placere. Verùm, quum & quispiam in malo, ei placere queat; adiecit: Ad bonum, *ad ædificationem.* Hoc enim faciens; ædificabis ipsum & corriges, erigésque. *Nam & Christus sibi ipse non placuit. Sed*, Si voluisset Christus, quod suum est, quærere; non fuisset passus: licuisset enim & ipsi extra iniuriam manere. At verò sibi ipse non placuit, neque suijpsius curam gessit; sed nostram cōmoditatem spectauit. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Potuisset alienus esse à conuicijs & opprobrio Iudæorum; neque pati quæ pertulit, si priuatum commodum spectasset: sed nostram vtilitatem quærens, propriam sanè posthabuit, & iniuria est affectus, malámque apud non parum multos gratiam retulit, quemadmodum scriptum est; *Opprobria opprobrantium tibi, ceciderunt super me.* Nihil, inquit, noui contigit: cæterùm qui veteris Testamenti temporibus te & cōtumelia & iniuria affecerunt, Deus Pater; illi & aduersus me, Filium tuum sese concitarunt. *Quæcumque olim scripta sunt, ad nostram doctrinam olim scripta sunt.* Hæc, inquit, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt imitemur. *Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Vt accepta consolatione per scripturas, & per scriptam isthic patientiam confortati; maneamus in spe Dei. Patientia enim spem efficit; & spes rursus patientiam & expectationem parit. *Deus autem patientiæ & consolationis det vobis idem sapere inter vos mutuò.* Ostendit, quòd cùm scripturis, & doctrina & consolatione quæ ex ipsis proueniunt, opus etiam sit oratione vt Dei nobis auxilium conciliemus. *Per Iesum Christum.* Dilectionem ipsis precatur. At quia & in malo dilectio est; ab ea, hanc secernens, addit; Secundum Iesum Christum. *Vt vnanimiter vno ore glorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi:* Quæ verò est commoditas, si charitatem habeatis, atque idem inter vos sentiatis, hæc nimirùm, vt vnanimiter glorificetis Deum. *Propterea.* Quum hæc ita sese habeant assumite alter alterum: hoc est; reconciliamini inter vos, ac Christum vita vestra commonstrate. Hoc facientes; Deum per dilectionem glorificabitis. *Assumite vos mutuò, quemadmodum & Christus nos assumpsit ad gloriam Dei.* Hyberbaton est; assumite vos mutuò ad gloriam Dei. *Dico autem, Iesum Christum.* In Iudaïsmo adhuc perseuerantibus, ipsúmue spirantibus; hęc, Apostolus, ceù accusans eos, loquitur. Christus in hunc mundum veniens, Patri suo cooperatus est, vt promissiones Abrahamo factæ, ad finem perducerentur. Cooperatus est autem, legem vniuersam implens; circumcisus etiam: ideò enim ait, ipsum ministrum fuisse Circuncisionis, vt & hanc firmaret compleretq; legem. *ministrum fuisse Circuncisionis.* Potest & sic locus hic intelligi:

Non est curiosè inquirendum cur tā serò Christus venerit.

Psalm. 28.

ligi: Minister fuit Christus Iudæorum: hoc est; eorum qui inter promissionem detenti fuerunt, vti Pater qui has promisisset, veras etiam efficeret eásque præstaret. *Pro veritate Dei.* Vt verũ ostenderet, & exhiberet Patrem qui promiserat. *Vt stabiliret promissiones patribus factas.* Lex quidem non potuit ipsas stabilire: Quomodò igitur non absurdum est, Christum qui promissiones nostras Patribus factas firmauit, negligere; ac legem tenere atque tueri, quæ non potuit promissiones nobis seruare? *Et vt gentes pro misericordia glorificarent Deum.* Iudęi etsi promissiones acceperant, nihil tamen per eas adiuti fuissent nisi Christus eas firmasset. Vos autem gentes, inquit, pro sola clementia & humanitate debetis Deum glorificare, postquàm neque promissiones habetis, sed misericordia vobis est communicata quæ totum id quicquid est, efficit. Quantò magis igitur misericordia perfusi, estis, tantò maiores debetis Deo agere gratias; adeóque debitores estis Dei, vt ex Iudæis in fide imbecilles feratis. Id enim in gloriam Dei cedit, concordia vestra, páxque vestra. Disserit autem hîc fidelibus qui ex gentibus Christo accesserant: ij enim maximè, ciborũ discrimen obseruantes, impetebant. IOANNIS CHRYSOSTOMI.
Genes. 20. & 22. Promissio ad Abrahamum facta erat huiusmodi: *Tibi dabo terrã, & in semine tuo benedicentur omnes gentes:* Verùm facti sunt obnoxij pœnæ deinceps, quotquot à semine Abrahami descenderant. Lex enim quam prætergrediebantur, iram ipsis operabatur; ac promissione illos ita orbabat, Patribus addicta. Proinde Filius Dei in carnem veniens, cooperatus est Patri, vt promissiones illas præstaret. Vniuersam enim legem implens in qua & Circuncisio erat, atque per crucem eos qui transgrederentur legem, liberans; non permisit intercidere promissionem. Quum igitur Christũ Circũcisionis ministrum dicit; hoc ait: quòd simulátque aduenisset impleßétq; legem, ac (circuncisus) esset factus semen Abrahami; dissoluit maledictionem, placauítque iram Dei: pronos etiam & auidos hac ratione faciens eos qui promissionem in posterùm accepturi erant. Vt ne igitur dicant illi in iudicium vocati: Quomodò igitur Christus circumcidebatur, & omnem legem obseruabat; si in diuersum ipsam illam conuertit, ac tantùm non euertit; Respondet: Non vt permaneret Lex, id egit; verùm vt eam dissolueret, atq; ab illius nos liberaret maledictione. Porrò ne hanc ob rem cristas erigerent gentes, adijcit; gentes propter misericordiã, Deum glorificare, debere. Quod verò dicit, est huiusmodi: Iudæi promissionem sanè habebant; tu verò nihil huiusmodi: verùm ex sola humanitate atque clementia seruatus es; quanquàm & illis nihil profectò quo alios excellerent, obtigisset ex promissione illa, nisi Christus aduenisset. Gloria autem Dei hoc totum est; nempe, coagmentatas esse gentes cum Iudæis, vt vnanimiter Deum prædicent; fortiores quoque, imbecilliores baiulent. *Sicut scriptum est: Propter hoc*
Psalm. 17.d *confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo psallam.* Et iterum,
2. Reg. 22.d dicit: *Lætamini gentes cum populo isto.* Et rursus: *Laudate*
Psalm. 116.a *Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Ac iterum Esaias dicit: *Testimonium scripturæ producit,* ostendens co-
Isa. 11.c agmentati Iudæos gentibus. *Erit radix Iesse, quæ exurgit vt dominetur gentibus, in eum gentes sperabunt.* Erit radix Iesse:
Isa. 11. qualis? quæ exurget, vt dominetur in gentes. *Deus autem spei impleat vos omni lætitia & pace.* Rursus ad votum & precationem venit, inquiens: Deus, inquit, liberabit vos à mutua pugna mœstitiáque, & infœlicitate inde prouenientè. *Vt credatis, & in spe exuberetis, in potentia Spiritus sancti:* A nobis enim fides ipsa adferenda est. Hinc iam erit nobis causa omnium bonorum ipsa in Deum spes, quam cum quadam exuberantia illis exoptat: Vt exuberet, inquit; quod non aliter erit, nisi potentia. Qui igitur spiritum habet, omnia habet. *Persuasus sum autem fratres mei, & ipse ego de vobis, quòd vos pleni sitis.* Non opus habeo discere ab alijs. *Bonitate.* Bonitatem appellat, perfectam virtutem. Quod adijcit, μεςοὶ; id est, referti, verbum est intensionis. *Repleti omni cognitione.* Quid enim, quòd

A aliquis fratrum amore dilectionéque sincera flagrat, si non possit commodè charitate vti? propterea adijcit, Omni cognitione. *Quippe qui possitis & alios adhortari.* Non solùm, inquit, opus habetis admonitione; verùm alios etiam instituendi. *Audacius autem scripsi vobis fratres, ex parte; veluti memoriam subinde vestri faciens.* Oportebat enim eos qui duriter tractati essent & obiurgati, mitigare; lenitatéque quadam excipere. Persuasus sum (inquit) de vobis; verumtamen audentiùs scripsi quadantenus. hæc sunt placantis verba; neque hîc desijt: cæterùm quid ait? Veluti ad memoriam vobis reuocans: nec dixit; docens, neque reminiscens; sed ἐπαναμιμνήσκων: hoc est; paululum quippiam vobis ad memoriam reuocans: Aliter. Placidè, inquit, veluti reminiscens, vel ad memoriam reuocans: hoc est; parum recordatus, seu
B commonefaciens vos. Talis autem dictionum significatio prohibet, ne omnino ad memoriam ista eis reuocet: Vnde non dicit; docens; sed, reminiscens. *Per gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Iesu Christi inter gentes.* Non meus est labor, inquit, sed gratia Dei. Ostendit autem, quòd neque recordati eorum ausus fuisset, nisi gentes ei concreditæ fuissent: pleráque autem mitigat. *Ac sanctè ministrem Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium.* Proinde & à vobis non iniuria sanè audiat. *Acceptabilis & sanctificata.* Proinde quum mihi ministerium isthuc, & sacrum officium adeóque opus concreditum sit, dabo operam vt sedulò persequar voluntatem Dei; quæ est, vt oblatio vestra, grata benéque accepta reddatur. *in Spiritu sancto.* Quomodò autem eritis
C acceptabiles & sanctificati? Si habetis, inquit, spiritum. Ecqui hoc fit? per vitam irreprehensibilem. Quare, qui non rectè viuunt, Spiritum sanctum à sese abigunt. *Habeo igitur gloriatione in Christo Iesu, in ijs quæ ad Deum pertinent.* Glorior igitur, non in meipso, neque in diligentia mea; sed in rebus ad cœlestem Patrem redeũtibus, pertinentibúsque. Proinde fides in Christum, Patri etiam eximia res est, & ad Patrem pertinet. *Non enim audebo loqui quicquam eorum quæ non effecit Christus per me.* Quia dixit; *Habeo gloriationem;* addit: Non sunt inanes verborum fastus, quæ dixi. Nihil enim audeo dicere, præter ea quæ mihi sunt à Christo tradita, ad gentium sacrum ministerium, & vt mihi gentes obediant: quin etiam signorum operationes, & prodigiorum demonstrationes mihi sunt traditæ. Seipsum enim hic rursus attollit, quum nimiùm
D sese suprà demiserit, Confidentiùs scripsi vobis, vt ne veluti à vili quopiam profecta oratio reiectitia fiat. *Ad obedientiam gentium, verbo & opere: in potentia signorum & prodigiorum.* Nihil suum fuisse, sed totum Christi, ostendit. *in virtute spiritus Dei.* Spiritus sancti dignitas est & honor, quòd hæc eius virtute fecerim. *Vt ita ab Ierusalem finitimisque circumiacentibus locis, ad Illyricum vsque impleuerim Euangelium Christi.* Quæ dixit, demonstrat ex Discipulorum multitudine. Propterea dixit κύκλῳ; hoc est, per circuitum: vt ne rectam viam intelligas, sed omnia quæ Ierosolymæ circumiacent. Non dixit autem, prædicare sed quod maius est, Implere. *Ipsúmque adeò audius prædicarim: non tamen vbi nominatus esset Christus.* Erat mihi honorificum, & gloriæ mihi ducebam, annunciare Euan-
E gelium vbi nondum nominatus esset Christus. Ecquur ita? Vt ne, inquit, super alienum fundamentum ædificarem. SEVERIANI. Non veluti deprecans, aliorúmque Apostolorum communionem deuitans; enimuerò auarum & iniquum iudicarem, alienorum operum gloriam mihi arripere ac vendicare. *Vt ne super alienum fundamentum ædificarem.* Alienum fundamẽtum, aliorum præconum doctrinam appellat: alienum autem, non quòd diuersa doceant, verùm mercedis laborisque nomine. *Sed perinde ac scriptum est; Quibus non adnunciatum est, de ipso videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Ostendit, quòd dum fecerit, Prophetiam simul implerit. *Propterea & impediebar sæpè, ne venirem ad vos.* Eius quòd principio dixit; *Sæpe detrenti metum venire ad vos;* nunc rationem reddit: Ad gentes, inquit, doctrina & prædicatio, me

Sup. cap. 1.

hactenus arcuit. *Nunc autem nondum locum habens in regionibus his.* Vides quòd eorum gloriam, suámue vtilitatem appetens, hæc non scripserit: neq; perinde ac quispiam obijcere posset quòd aduletur ipsis, ceù magnatibus & potentibus? etenim tantùm non hoc scribit: Opere meo completo, adeo vt nihil mihi porro transigendum restet, ad vos venire in animum induxi. *Desiderium autem habens veniendi ad vos iam inde à multis annis, vt si proficiscar ad Hispanias.* Ne videatur eos floccipendere, si scribat; quoniam nihil habens quod agam, ad vos veniam; charitatis rationem replicat. *veniam ad vos.* Ne rursus videatur adulanter dixisse; *desiderium habẽs iam inde à multis annis;* corrigit hic quod dixit, inquiens: Propterea potissimùm venire volo, vt ad Hispanias proficiscar. *Spero enim, me, si trãsiero, visurum vos, & à vobis deducendum illuc.* Ne dicant; profectionis tuæ nos facis ociosum quiddã & superuacaneum, adeóque frustrà & nulla de causa ad nos proficiscens; infert: *Vt à vobis deducar;* vt rursus charitatem ob oculos ponat. Verùm quia hoc non erat debitum, adijcit; Simulac vestri satur fuero, quod Patris erat magis, quàm præceptoris aut doctoris. *Si vestrò primum quadamtenus plenus fuero:* Id est, ex parte. Nullum enim tempus, dilectionem meam erga vos complere ac saturare potest. *Iam verò abeo Ierosolymam.* Quum dixisset: Non porrò locum habens in climatibus hisce, veniam ad vos: & quia moram nexurus erat, dilaturúsque aduentum; ne illusos se arbitrarentur, cunctationis suæ causam explicat. *ministrans sanctis.* Si Paulus minister est, rei inde magnitudinem tecum reputa. Non modò causam vult dicere cunctationis suæ, cæterùm eos iuxta commonefacere, vt periode quicquam vt alij, sanctis in Ierusalẽ degentibus impertiant. Eò enim respicit, quum

Eleemosyna.

Macedoniæ & Achaiæ suam eleemosynam mittentium mentionem facit. *Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communionem quandam facere.* Communicationem, ipsam eleemosynam appellat, quãdoquidem ipsi pecunias, sancti autem intercessionem apud Deum contribuant. *in pauperes sanctos qui sunt in Ierusalem.* Duplex est impertitionis necessitas; propter paupertatem, & virtutem. *placuit enim eis, cum & debitores debeant.* Ecquid istud facere voluerunt, inquit; quippe qui debitores sint. Non igitur vt eleemosynam, verùm vt debitum mittunt. *Si enim spiritualibus ipsorum communicauerunt gentes, debent & in carnalibus ministrare ipsis.* Deinceps quomodò ipsorum debitores sint, recenset. Propter ipsos, inquit, potissimùm venit Christus. Loquitur de ijs qui ex Circuncisione crediderant; illorum etiam bona tanta erant, & promissiones. Quemadmodum igitur spiritualibus ipsorum communicauerunt gentes; sic operæpreciũ est, eos in carnalibus opem ferre. Non dicit autem rursus, communicare; sed, λειτουργῆσαι; hoc est, ministrare: ita eos collocans, In ordine eorum qui sanctis ministrent; adeóque tutò repositurus (in cœlis enim repositurus erat) inquit, & sigillo muniens. *Hoc igitur perficiens, & obsignans ipsis fructum hunc.* Fructum appellat eleemosynam; innuens eum qui quicquam impertiat pauperibus, lucrum facere. *Abibo per vestram operã in Hispanias.* Rursus Hispaniarum meminit; amorem suum erga Hispanos ingentem detegens, Noui autem quòd veniens ad vos, *in plenitudine benedictionis Euangelij Christi veniam.* Hoc est: Noui, quòd veniens ad vos, ornatos vos bonis inueniam. nam quod ait; In plenitudine benedictionis Euangelij veniam; eos intra omnia bona esse constitutos significat. OECVMENII. Vel sic intelligere hunc locum poteris: Noui quòd veniens, eò venturus sum, vt vos Euangelij benedictione impleam: hoc est; vt vos ad fidem & virtutem inũgam. *Adhortor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum & per dilectionem spiritus, vt simul certetis mecum.* Perinde ac ipse nõ satis idoneus esset ad persuadendum; per Christum (inquit) & Spiritum sanctum vos adhortor. Obserua, quòd hîc, Filij & Spiritus meminit; nondum etiam Patris: Hoc autem dictum est, vt quando Patris & Filij solius mẽtionem facit, non turberis quòd non spiritum etiam exprimat: indiscriminatim enim sanctam Trinitatem ponit. *in orationibus pro me ad Deum.* Maxima est D. Pauli humilitas, quòd dicat se illorum etiam precationibus ad Deum habere opus. *Vt liberer.* Non dixit; vt confligam cum illis, vel vt vincam eos; sed *Vt liberer;* Christi mandatum implens, Orate ne intretis in tentationem. *ab infidelibus in Iudæa.* Indicat sceleratos quosdam lupos potiùs quàm homines, insurrecturos aduersum sese. *Vtque ministerium meum erga Ierusalem, gratum fiat sanctis.* Vt sacrificium meũ acceptabile fiat apud Deum; vtque ipsi cum alacritate & gratiarum actione recipiant, quæ illis offeram. *Vt in lætitia veniam ad vos.* Simulátque enim liberatus fuero ab infidelibus, & ministerium meum gratum extiterit, in lætitia, neque quicquam in mœrore veniam. *per voluntatem Dei.* Quod principio dixit, id nunc quoque commemorat; *Sequa ratione, prosperum iter nactus fuero veniendi ad vos. ac simul quiescam apud vos.* Viden' ipsum omni vacare fastu? Non enim dixit, docebo vos aut instituam; sed, simul requiescam, vel refocillabor: hoc est; vos, apud me, per doctrinam; & ego apud vos, ob fidei vestræ communicationem. *Deus autem pacis cum omnibus vobis; Amen.* Id vbique Apostolo in more est, vt post adhortationem, votum adijciat & exoptationem.

CAPVT XVI.

COMMENDO *autem vobis Phœben sororem nostram, ministram Ecclesiæ quæ est apud Cenchreas, vt ipsam suscipiatis.* Vide quanti faciat Phœben: & quòd primùm eius meminerit, & quòd sororem eam appellat. Ecquid si forsitan Pauli soror fuerit? *in Domino;* Aut, secundum Dominum; vel, per Dominum. *Dignè sanctis:* quemadmodum (inquit) decet sanctos accipere. Duplicem autẽ dedit eis curandi occasionem; tum quòd propter Dominum suscipienda sit, tum quia sancta sit. *& assistite ei, in quare vestri opera indiguerit.* Considera hîc Apostoli modestiam, qua omnini grauis est. Non dixit; liberate ipsam ab ijs quæ ei imminent, eámve circumstant; sed, Astare, *assistite:* hoc est, quantùm in vobis est conferte, & manum ei porrigite. *Nam & ipsa multorum assectrix fuit.* Ingens laus, quæ sola sufficiebat eam commendare. *meique ipsius.* Maximum postremo loco encomium posuit. Fœlix re vera est, vt quę potuerit prodesse, ac refocillare animam Pauli sauctam. Mei ipsius: hoc est, Apostoli, præconis verbi, Doctoris terrarum orbis. *Salutate Priscam & Aquilam, cooperatores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt: quibus non ego solus, gratias ago.* Cooperarij fuerunt in doctrina, in tentationibus, in periculis. Ingens hæc profectò laus est. *Verumetiam omnes Ecclesiæ gentium.* Vel propter institutionem, vel propter pecuniarum collationem. *Et quæ in domo eorum est, Ecclesiam.* Adeo probatæ vitæ fuerunt Prisca & Aquila, vt & domum suam Ecclesiam fecerint. Vel quòd tota cum domo sua fideles fuerunt, sic domum reliquam, Ecclesiam vocat. *Salutate Epænetum, dilectũ meum, qui est primitiæ Achaiæ in Christum.* Magnum est Pauli esse dilectum, qui iudicio & non ad gratiam amare nouit. Primitias autem ipsum vocat, siue quòd primus credidit, siue quòd maiorẽ omnibus pietatem ostenderit. Atque ne existimes, ipsum in rebus carnalibus fuisse primitias; addit, in Christum. *Salutate Mariam quæ multũ.* Ostendit, quòd cum doctrina, alia etiam erga ipsos fecerit. *laborauit erga nos.* Nedum, inquit, erga seipsam laborauit, vt seruaretur, verùm erga nos etiam Apostoli ordinem implens, & Euangelistæ. Quomodo igitur dixit. Mulieri autem docere non permitto? Prohibuit mulieri, ne in publico & in communi conuentu primatum sibi vendicaret, néue concionãdi cathedram occuparet, cæterum à doctrina verbi non remouit. *Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptiuos meos.* Maior laus est, *concaptiuos meos:* siquidem duriora patiebantur in carcerem intrusis, dum persecutionibus, iniuriæ

1. Tim. 2.

iuriæ & contumeliæ obnoxij erant, ac tantùm non succumbebant. *qui sunt insignes inter Apostolos.* Magnum quidem est, esse Apostolos; sed quòd inter ipsos sint celebres & insignes, est omniũ maximum. *qui & ante me fuerunt in Christo.* Vide piam mentē sanctámque animam. Non veretur dicere, quòd illi ante me crediderunt Christo. *Salutate Ampliam, dilectum meum in Domino. Salutate Vrbanum.* Ingens laus. *cooperatorem nostrum in Christo: & Stachyn dilectum meum.* Hoc maius est, quòd doctrina cooperatus est. *Salutate Appellem, probatum in Christo.* Veluti irreprehensibilem. *Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo.* Fortasse non fuerunt eiusmodi, quales priores; ideò nec nominatim eorum meminit. *Salutate Herodianem, dilectum cognatum meum. Salutate eos qui ex Narcissi familia, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam & Tryphosam.* Æqualis omnibus laus; quoniam in Domino fuerunt, id est, fideles. *Quæ in Domino laborant.* Suprà, Mariam recordabatur quæ multùm laborauerat; hasce autem adhuc laborare dicit, quæ res maiorem ipsi laudem parit. *Salutate Persidem dilectam, quæ multum laborauit in Domino.* Hæc maior est Tryphæna & Tryphosa; quoniam cum dilecta est, tum multa fecit in Christi gloria. *Salutate Rufum, electum in Domino, & matrem ipsius & meam. Salutate Asyncritum, Plegontem, Herman: Patroban, Hermen.* Duplex bonum est, & quòd filius sit inculpatus, & quod mater virtutibus sit redimita, hoc enim indicat, quod ait: & meam. *& qui cum ipsis sunt fratres.* Magnum est quod isti D. Pauli fratres dicantur. *Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympiam, & qui cum ipsis sunt, Sanctos omnes.* Quòd si Sancti; non parum profectò encomij nanciscuntur. *Salutate vos mutuò. Salutant vos Ecclesiæ Christi.* Nunc ad omnes promiscuè ponit, ne quispiam tristitia afficiatur cuius nomen expressum non sit. *in osculo sancto:* Ad discrimen eius, quod minimè sanctum est: Non porrò hunc vel illum, sed iunctim omnes est complexus, quum, *Vos*, dixit. *Adhortor autem vos fratres.* Noua consultatione, Supplicis personam gerit; fratres eos, multo sanè honore vocans. *vt consideretis eos.* Scrutari & perdiscere hortatur. Subijcit autem oculis fallacias eorum: non enim palàm se conspiciendos præbent scelerati. Porrò maxima est Ecclesiæ subuersio, eam inter sese dissociari. *qui dissensiones.* Post dissensionem namque, scandalis patefit aditus. *& scandala præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt: ac declinate ab ipsis.* Quid verò sint scandala, ipse interpretatur. Hæreses, inquit, præter doctrinam Euangelij nostram, subeuntes irrepentésque. *Tales enim Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri.* Hæreses enim omnes & offendicula hinc oriuntur, quod earum autores & ventri & affectibus suis seruiant: Eam ob rem dicit, quod Christo non seruiant, sed aluo. Videtur autem Iudæorum hic notare quosdam: Iudæos enim veluti gastrimargos

Hæresiarcharũ ingenium.

accusat, suáque tantùm quærentes; per subuersionem Ecclesiarum, *& per commodi loquentiam & bona verba imponunt cordibus.* Verbis, inquit, vestri curam gerunt, mens verò illorum, erga vos dolosa est. Nouum autem deceptionis modum hic profert, quòd nimium adulatione dolum nectant. *simplicium.* Non dixit, vestris; sed simpliciorum. *Obedientia enim vestra ad omnes peruasit. Gaudeo igitur propter vos.* Quòd verò non vobis sed simplicibus imponant; inde liquet, quòd obedientia vestra & fides, ad omnes peruenit: multos autem eorum, fidei & obedientiæ causa laudat, ne & ipsi ad terram istam doctrinam turpiter cum rubore quodam acclinentur. *Volo autem vos;* qui nondum estis decepti: Obscurè autem innuit, quòd ex ipsis etiam nonnulli in errorem fuerint inducti. *Sapientes quidem esse ad bonum, simplices autem ad malum.* Volo, inquit, ad bonum vos esse prouidos ad mala verò, volo vos imperitos & inexpertos praui, esse. SEVERIANI. Hoc est; prudentia quidem vti, vt ne ab alijs iniuria vobis inferatur; simplicitate autem, vt ne alijs fallacias machinemini. *Deus autem pacis.* Quia dissensiones fuerunt; pacis datorem inuocat, vt offendicula tollat & compescat. *conteret:* Multò maius est quam si imperasset, dicendo; Conterat. *Satanam, celeriter subter pedibus vestris.* Non modò, inquit, offendicula disseminantes conteret; verùm ipsum malitiæ imperatorem eorum satanam: idque celeriter, ex temporis breuitate consolationem constituens. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.* Gratiæ Dei nunquam non seruantis, apud eos meminit. Quòd si hostes quum adhuc essetis, vos seruauit; multò magis nunc. Viden' quòd operibus & gratia habeamus opus, vt æternum beemur? Quum enim obedientiam eorum adduxisset; gratiam pariter eis exoptauit & precatus est. *Salutant vos Timotheus cooperator meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater.* Viden' Timothæi encomion? Adiuuabat autem eum in Euangelio. *cognati mei.* Cognatos appellat, qui pietatis nomine tales videbantur. *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam hanc in Domino.* Magnæ sibi laudi duxit, se esse Amanuensem Pauli. *Salutat vos Caius hospes meus, totiúsque Ecclesiæ.* Hoc est; qui me hospitio recepit. Non paruum autem laudis ei accedit, quod vniuersam ipse Ecclesiam hospitabatur; adeóque ipsum Paulum qui haud simpliciter apud ipsum tractatus est. *Salutat vos Erastus, œconomus vrbis, & Quartus frater.* Dignitatem eius posuit, vt scias neque diuitias, neque dignitatem cuipiam obstare, quò minùs rectè viuat, & fidei accedat. *Gratia Domini nostri Iesu Christi.* Gratiæ meminit, Christi beneficia ad memoriam reuocans. *cum omnibus vobis, Amen.* Sic auspicari ab oratione, sicque desinere ac finire sermonem conuenit oratione & voto. Hoc enim fundamentum, hunc item terminum semper facere, Diuo Paulo & gratum & consuetum est.

Opera necessaria ad salutem.

Sermone, Oratione & voto finire conuenit.



CLEMENTIS ALEXANDRINI
PRESBYTERI, QVI ET STROMATHEVS DICTVS EST; IN ALIQVOT EPISTOLAS Canonicas, Adumbrationes.

Ex Cassiodori Institut. Diuinarum Lectionum. LIB. I.

EPISTOLAS Canonicas, Clemens Alexandrinus Presbyter, qui & Stromatheus vocatur; id est, Epistolam sancti Petri primam, sancti Ioannis primam & secundam, & Iacobi; Attico sermone declarauit. Vbi multa quidem subtiliter, sed aliqua incautè locutus est; quæ nos ita transferri fecimus in Latinum, vt exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina eius securior posset hauriri. S. Gelasius I. in Concilio Romano opera Clementis Alexandrini inter apochrypha censuit. Eruditi existimant immissos errores ab hæreticis. Adito sacrum apparatum Posseuini.

CLEMENTIS ALEXANDRINI PRESBYTERI, QVI ET STROMATHEVS DICTVS EST, IN PRIOREM D. Petri Canonicam Epistolam Commentarius.

BENEDICTVS *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi per magnam misericordiam suam regenerauit nos.* Si etenim Deus nos genuit ex materia; posteà verò secundùm profectum vitæ regenerauit. *Pater Domini nostri per Resurrectionem Jesu Christi;* secundum fidem vestram resurgentis in nobis: Sicut è contrario moritur in nobis; id, nostra infidelitate, faciente. Dicebat autem iterum, nunquam reuerti secundò ad corpus animam in hac vita; neque iniustam fieri quæ Angelica facta est neque malignam, ne iterum occasionem peccandi per susceptionem carnis accipiat: In Resurrectione autem, vtramque in corpus reuerti coniunguntur sibimet inuicem iuxta genus proprium secundum compositionem alterius se quadam congruentia coaptantes sicut sagena, vel ædificatio lapidum. Propterea Petrus inquit; *& vos ipsi sicut lapides viui ædificamini domus spiritalis;* custoditum scilicet in cœlis locum significans sedis Angelicæ. *In vos, inquit, qui virtute Dei conseruamini fide ac speculatione, percepturi finem fidei vestræ animarum salutem.* Hinc apparet quoniam non est naturaliter anima incorruptibilis; sed gratia Dei, per fidem & iustitiam & per intellectum perficitur incorruptibilis. *De qua salute,* inquit, *exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ;* & cætera quæ sequuntur, declaratur per hoc, cum sapientia locutos esse Prophetas; & Spiritum in eis Christi fuisse secundum possessionem & subiectionem Christi: per Archangelos enim & propinquos Angelos qui Christi vocantur Spiritus, operatur Dominus. *Quæ nunc,* inquit, *annunciata sunt vobis per eos qui vobis euangelizauerunt.* Vetera (inquit) quæ per Prophetas facta sunt, & plurimos latent; nunc vobis reuelata sunt per Euangelistas. *Vobis enim,* inquit, *manifestata sunt per Spiritũ sanctum qui missus est:* hoc est, Paraclytum, de quo Dominus dixit: *Nisi ego abiero, ille non veniet. In quem concupiscunt,* inquit, *Angeli prospicere:* non Angeli Apostatæ, sicut plurimi suspicantur; sed quod verum est ac diuinum, Angeli qui desiderant profectum perfectionis illius adipisci. *Sanguine* (inquit) *pretioso, sicut agni incontaminati & immaculati.* Hic tangit Leuiticas & Sacerdotales antiquas celebrationes. Significat autem animam mundam per iustitiam, quæ offertur Deo. *Præcogniti quidem,* inquit, *ante constitutionem Mundi.* Primò quippe præcognitus ante omnem creaturam quod erat Christus. *Manifestati autem in nouissimis,* per generatum corpus. *Regenerati non ex semine corruptibili.* Corruptibilis igitur est anima quæ cum corpore simul profunditur, vt quidam putant. *Verbum autem Domini,* inquit, *permanet in æternum;* tam prophetia quàm

> *Cautè lege, nam anima ex natura sua incorruptibilis est & immortalis. Forsitan de incorruptibilitate perfecta, ac supernaturali gloria, vel per suam nat. vt Deus, sed à causa efficiente dependens, nempe à Deo.*

A diuina doctrina. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Quoniam verò electum genus sumus, Dei electione; abundè clarum est. Regale autem dixit, quoniam ad regnum vocati sumus, & sumus Christi. Sacerdotium autem propter oblationem quæ fit orationibus & doctrinis, quibus adquiruntur animæ quæ offeruntur Deo. *Qui cum malediceretur,* inquit, *non maledicebat; Cum pateretur non comminabatur.* Dominus; hoc vtique per bonitatem atque patientiam. *Tradebat autem iudicanti se iniustè,* siue semetipsum, vt sit hyperbaton hoc modo se habens tradebat autem semetipsum secundum iniustam legem iudicantibus; quia inutilis illis erat, vtpotè iustus existens: vel tradebat Deo, iniustè iudicantes, id est, eos qui eum nequissimè condemnabant, & gratis neci eius instabant; vt supplicia perpetientes, erudiantur.
B *Qui enim vult vitam,* inquit, *diligere, & videre dies bonos;* hoc est, qui vult æternus & incorruptibilis fieri. Vitam verò, Dominum dicit; dies autem bonos, hoc est, sanctos. *Quia oculi,* inquit, *Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Multiformem Spiritus sancti speculationem significat: *Vultus autem Domini super facientes mala;* hoc est, siue iudicium, siue vltio, siue manifestatio. *Dominum vero Christum,* inquit, *sanctificate in cordibus vestris.* Sic habes etiam in Oratione Dominica: Sanctificetur nomen, inquit, tuum. *Christus enim,* inquit, *semel pro peccatis nostris mortuus est, Iustus pro iniustis vt nos offerret Deo, Mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu.* Hæc ad fidem eorum redigens, dicit. Hoc est, in nostris viuificatus est Spiritibus. *Adueniens,* inquit, *prædicauit eis qui quondam erant increduli;* speciem quidem eius non viderunt, sonum verò vocis audierunt. *Cum sustinet,* inquit, *Dei longanimitas.* Ita est bonus Deus, vt etiam per eruditionem salutis operetur effectum. *Per Resurrectionem,* in-
C quit, *Iesu Christi;* scilicet quæ per fidem in nobis effecta est. *Subiectis sibi Angelis,* qui sunt, primus ordo: *& subditis Potestatibus,* qui sunt secundi ordinis: subditis quoque Virtutibus, quæ ad tertium ordinem pertinere declarantur. *Qui reddent,* inquit, *rationem ei qui paratus est iudicare viuos & mortuos.* Hi secundùm præcedentia iudicia erudiuntur. Ob hoc etiam subiungit: *Propter hoc enim & mortuis euangelizatus est,* nobis qui quondam videlicet extabamus infideles. *Vt iudicentur quidem secundum hominem,* inquit, *in carne viuant autem secundum Deum in spiritu.* Quia à fide videlicet exciderunt; dum adhuc in carne sunt, iudicantur secundum iudicia præcedentia vt pœniteant. Idcircò, & subnectit dicens: *Viuant in spiritu secundum Deum.* Sic Paulus quoque; nam & ipse tale aliquid dicit: quem tradidi (inquiens) satanæ, vt viuat spiritu. *Sicut boni:* videlicet, *dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Dei. Similiter & Paulus; multifariè, inquit, & multis modis, Deus olim locutus est Patribus nostris. *Gaudete,* inquit, *communicantes Passionibus Christi:* hoc est, si iusti estis, propter iustitiam patimini sicut & Christus pro iustitia passus est. *Beati,* inquit, *quoniam qui est eius honoris, & virtutis Dei spiritus super vos requiescit.* Hoc possessiuum, *eius,* & Angelicum spiritum significat: gloria quippe Dei, illi sunt per quos secundum fidem & iustitiam glorificatur ad gloriam honorabilem secũdum profectum introductorum fidelium. Potest etiam sic intelligi spiritus Dei super nos; Hoc est, qui secundum fidem animæ superuenit, veluti venustas quædam mentis, & animi pulchritudo. *Quoniam,* inquit, *tempus iudicij inchoandi à domo Domini.* His enim, in persecutionibus, coostitutis; iudicium consequetur. *Deus autem,* inquit, *Totius gratiæ.* Totius gratiæ dixit, quoniam bonus est, & omnium bonorum dator est ipse. *Salutat vos Marcus filius meus.* Marcus Petri sectator, palàm prædicante Petro Euangelium Romæ coram quibusdam Cęsareanis equitibus, & multa Christi testimonia proferente; petitus ab eis vt possent quę dicebantur memoriæ commendare, scripsit ex his quæ Petro dicta sunt, Euangelium quod secundum Marcum vocitatur. Sicut Lucas quoque, & Actus Apostolorum stilo executus agnosceret, & Pauli ad Hebræos interpretatus Epistolam.

Explicit Clementis Alexandrini Commentarius in Epistolam D. Petri priorem.

Incipit eiusdem Commentarius in Epistolam Iudæ.

IVDAS qui Catholicam scripsit Epistolam, frater filiorum Ioseph extans, valdè religiosus; cùm sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit se ipsum fratrem eius esse; sed quid dixit? *Iudas seruus Iesu Christi,* vtpotè Domini; *frater autem Iacobi.* Hoc enim verum est, frater erat eius, Ioseph. *Subintroierunt enim quidam,* inquit, *homines impij qui olim præscripti & prædestinati erant in iudicium Dei nostri,* non vt fiant impij: sed existentes iam impij, in iudicium præscripti sunt. *Quoniam Dominus Deus semel populum,* inquit, *de terra Ægypti liberans, deinceps eos qui crediderunt perdidit:* vt eos videlicet per supplicium erudiret. In præsenti quippe tempore puniti sunt, & perierunt propter eos qui saluantur donec conuertantur ad Dominum. *Angelos vero,* inquit, *qui non seruauerunt proprium principatum,* scilicet quem acceperunt secundum profectum? *sed deliquerunt,* inquit, *suum habitaculum:* cœlum videlicet ac stellas significans. Apostatæ facti sunt & vocati. *In iudicium,* inquit, *magni Dei vinculis perpetuis sub caligine reseruauit.* Vicinum terris locum, hoc est caliginosum aërem significat. Vincula vero dixit amissionem honoris in quo constiterant, & cupiditatem infirmarum rerum, cupiditate quippe deuincti propria conuerti non queunt. *Sicut Sodoma,* inquit, *& Gomorrha.* Quibus significat Dominus remissius esse, & eruditos pœnituisse. *Similiter ijsdem,* inquit, *& hi somniantes,* hoc est qui somniant imaginatione sua libidines, & reprobas cupiditates, bonum esse putantes, non illud quod verè bonum est, & omni bono superius. *Carnem quidem,* inquit, *maculant dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant,* hoc est solum Dominum qui verè Dominus noster est Iesus Christus, & solus laudabilis: maiestatem inquit, blasphemant, hoc est Angelos. *Quando Michael Archangelus cum diabolo disputans, altercabatur de corpore Moysi:* hic confirmat assumptionem Moysi. Michaël autem hic dicitur qui per propinquum nobis Angelum altercabatur cum diabolo. *Hi autem,* inquit, *quæcumque quidem ignorant, blasphemant. Quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia nouerunt, in his corrumpuntur.* Significat eos comedere ac bibere, & rebus venereis indulgere, & alia eos perpetrare dicit quæ sunt communia cum animalibus ratione carentibus. *Væ illis,* inquit, *quia in via Cain abierunt.* Sic etiam peccato Adæ subiacemus A secundum peccati similitudinem. *Nubes,* inquit, *sine aqua,* hoc est qui verbum diuinum, & fœcundum in se non possident. *Ob hoc,* inquit, *& à ventis, & spiritibus violentis, huiusmodi circumferuntur homines. Arbores,* inquit, *autumnales infructuosæ,* & infideles videlicet, qui nullum fructum fidelitatis apportant. *Bis,* inquit, *mortuæ,* semel scilicet quãdo delinquendo peccarunt. Secundò vero, quando supplicijs contradentur secũdum prædestinata Dei iudicia: mors quippe reputanda est, etiam quando quisque hæreditatem non continuò promeretur. *Fluctus,* inquit, *feroces maris.* His verbis vitam gentilem significat, quorum ambitionis abbominabilis est finis. *Sidera errantia,* hoc est errantes & apostatas significat, ex huiusmodi stellis sunt, qui Angelorum ceciderę de sedibus, B *quibus,* propter apostasiam, *caligo tenebrarum reseruatur in sempiternum. Prophetauit autem de his septimus,* inquit, *ab Adam Enoch,* his verbis Prophetiam comprobat. *Isti,* inquit, *segregantes* fideles à fidelibus secundum propriam infidelitatem redarguti. Et iterum discernentes à canibus. *Animales,* inquit, *spiritum non habentes:* Spiritum scilicet qui est per fidem secundum vsum iustitiæ superueniens. *Vos autem,* inquit, *charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissima vestra fide in Spiritu sancto. Quosdam autem,* inquit, *saluate de igne rapientes, quibusdam vero misereamini in timore,* id est eos qui in ignem caduot, doceatis vt semetipsos liberent. *Odientes,* inquit, *eam quæ carnalis est maculatam tunicam,* Animæ videlicet tunica macula est, spiritus concupiscentijs pollutus carnalibus. *Ei autem,* inquit, *qui potens est conseruare vos sine offensione, & constituere* C *ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia.* In conspectu gloriæ suæ dicit coram Angelis. Immaculatos autem constituendos? Angelos factos? cum dicit Daniel de populo, & venit in conspectu Domini, non hoc dicit quoniam vidit Deum. Hoc enim impossibile est vt quisque non mũdo corde videat Deum: sed hoc dicit, quia cuncta quæcumq; faciebat populus in conspectu erant Dei, & manifesta illi constabant. Hoc est quoniam nihil absconditũ est à Domino. In Euangelio verò secundum Marcũ interrogatus Dominus à principe Sacerdotum si ipse esset Christus filius Dei benedicti, Respondens dixit: ego sum, & videbitis filium hominis à dextris sedentem virtutis. Virtutes autem significat sanctos Angelos, proinde etiam cum dicit à dextris Dei, eosdem D ipsos dicit propter æqualitatem & similitudinem Angelicarum sanctarúmque virtutum qui nominantur nomine Dei. Cum ergo sedere in dextra dicit, hoc est in eminenti honore requiescere. In alijs autem Euangelijs dicitur principi Sacerdotum interrogãti si ipse esset filius Dei, non è contra respondisse. Sed quid dixit? vos dicitis. Satis bene respondens. Si enim diceret, sicut vos intelligitis mentiretur vtique non se confitens filium Dei, illis non ita de illo sentiebant, dicens autem, vos dicitis, verè locutus est, quod enim non sapiebant, verbis dicebant hoc ille verum esse confessus est.

Explicit in Epistola Iudæ Apostoli.

E

Incipit eiusdem Epistola Ioannis prima.

QVOD *erat ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod audiuimus.* Consequens Euangelio secundum Ioannem, & conueniens etiam hęc Epistola principium spiritale continet. Quod ergo dicit ab initiu, hoc modo presbyter exponebat, quod principium generationis separatum ab opificis principio non est. Cum enim dicit quod erat ab initio, generationem tangit sine principio filij cum patre simul extantis: erat ergo verbum æternitatis significatiuum non habentis initium, sicut etiam verbum ipsum hoc est filius Dei secundum æqualitatem substantiæ vnum cum Patre consistit, sempiternum est & infectum: quod semper erat verbum, significatur dicendo in principio

erat verbum. Quod verbo dixit, *quod vidimus oculis nostris*, Domini significat in carne præsentiam, *& manus*, inquit, *nostra contrectauerunt de verbo vitæ*; Non solum carnem eius, sed etiam virtutes eiusdem filij significat, sicut radius solis vsque ad hæc infirma loca pertransiens, qui radius in carne veniens palpabilis factus est discipulis. Fertur ergo in traditionibus, quoniã Ioannes ipsum corpus quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda misisse, & ei duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manum præbuisse discipuli. Propter quod & infert: *& manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ*, contrectabilis vtique factus est qui venit in carne, sicut *& vita quæ manifestata est.* nam & in Euangelio sic dicit, & quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. *Et nunciamus*, inquit, *vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem.* Et palam facta vobis. Patris appellatione significat, quoniam & filius semper erat sine initio. *Quia Deus*, inquit, *lumen est*: non essentiam diuinam exprimit, sed declarare volens maiestatem Dei quod melius est & excellentius apud homines propriè diuinitati coaptauit. Sic & Paulus lumen vocans inaccessibile. Sed & ipse Ioannes in eadem ipsa epistola, *charitas*, inquit, *Deus est.* virtutes significans Dei, quoniam clemens est & misericors, & quia lumen, hoc est iustos secundum profectum animi per charitatem constituit. Lumen ergo Deus qui est ioenarrabilis secundum rationem substantiæ; *Et tenebræ*, inquit, *in eo non sunt vllæ*, hoc est nulla iracundia, nulla passio, nulla circa quemquam mali retentio, nullum perdens, sed cunctis salutem tribuens. Lumen autem significat vel præcepta legis, vel fidem, vel doctrinã. Tenebræ vero horum contraria, non veluti altera via sit. Vna quippe via est secundũ præcepta diuina. Monas namq; Dei opus est, dyas autem & quicquid præter mooadem constat, ex vitæ peruersitate contingit. *Et sanguis filij eius*, inquit, *mundat nos.* Doctrina quippe Domini quæ valde fortis est, sanguis eius appellata est. *Quod si dixerimus quod non peccauimus, mendacem facimus eum & verbum eius non est in nobis.* Doctrina eius videlicet, si verbum veritas est. *Et si quis*, inquit, *peccauerit: consolatorem habemus ad Patrem Iesum Christum.* Sicut enim apud Patrem coosolator est pro nobis Dominus; Sic etiam consolator est quem post Assumptionem suam dignatus est mittere. Hæ namque primitiuæ virtutes, ac primò creatæ, immobiles existentes secundum substantiam & cum subiectis Angelis, & Archangelis, cum quibus vocantur æquiuoce diuersas operatiooes efficiũt: sic etiam & Moyses Michaël Angeli virtutem per vicinum sibi & infimum Angelum vocat. Similiter quoque in Prophetis centis inuenimus, sed Moysi quidem propinquus ac vicinus Angelus apparuit. Exaudiuit eum, & locutus ei Moyses manifestè facie ad faciem. Alijs autem Prophetis secundum operatiooem Angelorum motus quidam fiebat, veluti audientium ac videntium. Idcirco & soli audiebant, solique cernebant, sicut & in Samuële manifestatur. Helysæus enim solus audiebat vocem qua vocatus est. Si autem esset manifesta & communis vox, ab omnibus præsentibus audiretur; Nunc autem à solo in quo operabatur motus qui ab Aogelo fiebat, audita est. *Non solum autẽ*, inquit, *pro nostris peccatis*, Domious propiciator est, hoc est fidelium, *sed etiam pro toto mundo*: proinde vniuersos quidem saluat, sed alios per supplicia conuertens, alios autem spuntanea assequente voluntate, & cum honoris dignitate, vt omne genu flectatur ei, cœlestiũ, terrestrium, & iosctoorum. Hoc est Angeli, homioes, & animæ quæ ante aduentum eius de hac vita migrauere temporali. *Et in hoc cognoscimus quoniam nouimus eum si mandata eius custodiamus.* Qui enim intellector est, vtique & opera perficit quæ pertinent ad virtutis officium. Qui vero opera perficit, non continuò etiam intellector est. Potest enim esse tectarum operationum, non tamen iotelligibilium sacramentorum cognitor, demum scieos quædam propter opera perfici timore supplicij, quædam verò propter repromissionem remunerationis, docet, perfectionem intel- A lectualis hominis per charitatem opera complentis: proinde subiungit ac dicit. *Qui verò custodit verbum eius verè: in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc enim cognoscimus, quoniam in ipso sumus* secundum fidem & secũdum charitatem. *Non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis à principio*, per legem scilicet & Prophetas. Vbi dicitur vnus est Deus: Idcirco & infert. *Quoniam mandatũ vetus est verbum quod audistis.* Iterum autem dicit. *Mandatum autem hoc est quod tenebræ transierũt*, peruersionis scilicet. *Et lumen verum ecce iam claruit* secundum fidem, scilicet secundum intellectum, secũdum testamentum, secundum præparata iudicia in hominibus operans. *Qui dicit se*, inquit, *in lumine esse* in lumine dicit in veritate, *& fratrem suum*, inquit, *odit.* Fratrem videlicet dicit B non solum proximum, sed & Dominum. Odiunt enim eum infideles, & non custodientes mandata eius, propter quod etiam infert. *Qui diligit fratrem suum*, inquit, *in lumine permanet, & scandalum in eo non est.* Deinde profectus, & prouectiones significat animarum adhuc in carne positarum, & *filiolos* quidem vocare eos quibus sunt remissa peccata propter nomen Domini. Nam multi solo credunt nomine, *patres* autem perfectos appellat, eos qui intellexerunt quod erat ab initio, & iotelligibiliter præceperunt filium videlicet de quo supra dixit, quod erat ab initio, *Scribo*, inquit, *vobis iuuenes quia vicistis malignum.* Fortes iuuenes contemnentes voluptates. Malignum, diaboli extollentiam significat. Filij autem cognoscunt patrem, vtpotè qui ab Idolis confugerunt, & ad vnum Deum conuocati sunt. *Quoniam* C *mundus*, inquit, *in maligno est.* Nónne mundus & omnia quæ in mundo sunt creatura Dei dicitur & hæc valde bona, *sed concupiscentia carnis & oculorum, & ambitio seculi*, quæ ex vitæ peruersione contingunt, *non est ex Patre, sed ex mundo est*, & ex vobis, *Idcirco & mundus pertransiet & concupiscentia eius: qui verò fecerit volũtatem Dei* & maodata eius, *permanet in æternum. Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis*, neque Angeli apostatæ, neque homines cadentes, sed vt manifestentur quoniam noo sunt ex nobis. Clarè satis discernit geoos electorum, & perditorum, & illud quidem quod in fide permanet, vnctionem habet à sancto, quæ fit secundum fidem. Qui verò non permanet io fide, mendax est, & Antichristus. *Qui dicit*, inquit, *quia Iesus non est Christus.* Iesus enim Saluator D & liberator & Christus Rex: qui oegat filium, ignotando eum, nec patrem habet, oeque cognoscit eum. Qui vero cogooscit filium, & patrem secundum scientiam nouit, cum manifestatus fuerit Dominus, in secundo aduentu, fiduciam habebit, & non confuodetur. Quæ confusio est grande supplicium. *Omnis*, inquit, *qui facit iustitiam, ex Deo natus est*, secundum fidem scilicet renatus. *Propterea mundus non cognoscit nos, quoniam nec eum cognouit.* Mundum dicit seculariter in delirijs viuentes. *Dilectissimi*, inquit, *nunc filij Dei sumus*, non naturali dilectione: sed quia patrem Deum habemus. Maior quippe est charitas, vt cum nullam cognatiooem habeamus ad Deum: diligit nos tamen, & filios suos vocat. *Et nondum claruit quod erimus*: hoc est ad qualem peruenturi sumus glo- E riam: Si enim manifestatus fuerit, hoc est si perfecti fuerimus, *similes ei erimus*, veluti requiescentes & iustificati mundi in virtute, vt ipsum vultum eius videamus sicuti est comprehensibiliter. *Qui verò facit iniustitiam, ex diabolo est*, hoc est ex patre diaboli: eadémque consectans & eligens. *Ab initio*, inquit, *diabolus peccat.* Ab initio scilicet à quo peccare cœpit inconuertibiliter in peccando perseuerans. *Omnis, inquit, qui natus ex Deo est, non peccat, quia semen eius in eo manet.* Verbum eius videlicet in eo qui secundum fidem renatus est. *Sic filios Dei intelligimus, sicut & filios diaboli*, similia diabolo eligentes: sic etiam ex maligno esse dicitur. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* In hoc enim secuodum infidelitatem Christus moritur rectè itaque subiungit dicens, *& scitis quia omnis homicida & infidelis, non habet vitam æternam in seipso manentem.*

In mente quippe fideli viuens Christi permanet, *Ipse enim pro nobis*, hoc est pro credentibus *animam suam posuit*: hoc est pro Apostolis. Si ergo pro Apostolis animam suam posuit. Apostolos autem eius dicit semetipsos tanquam si diceret, *nos* inquam Apostoli propter quos animam suam posuit, *debemus pro fratribus animas ponere*: salus quippe proximorum, Apostolorum erat gloria. *Quia maior est*, inquit, *Deus corde nostro*, hoc est virtus Dei conscientia quæ subsequetur animam, propter quod subiungit & dicit. *Quoniam cognoscit omnia, Charissimi si cor nostrum non redarguat nos, fiduciam habebit apud Deum. In hoc cognoscimus quia manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis*, secundum episcopatum, scilicet & prouidentiam futurorum. *Perfecta*, inquit, *charitas foras mittit timorem*. Perfectio namque fidelis hominis charitas est. *Iste est*, inquit, *qui venit per aquam & sanguinem*: & iterum, *quia tres sunt qui testificantur, spiritus*, quod est vita, *& aqua* quod est regeneratio ac fides, *& sanguis*, quod est cognitio, *& hi tres vnum sunt*. In Saluatore quippe, istæ sunt virtutes salutiferæ, & vita ipsa in ipso filio eius existit. *Et hæc est confidentia quam habemus ad eum, quia si quid petierimus secundum voluntatem eius audiet nos.* Non absolutè dixit quod petierimus, sed quod oportet petere, *& mundus omnis in maligno constitutus est.* Non creatura, sed seculares homines, & secundum concupiscentias viuentes. *Et filius Dei venit, & dedit nobis intellectum* secundum fidem scilicet aduenientem in nos, qui etiam Spiritus sanctus appellatur.

Explicit in prima Epistola Ioannis.
Incipit eiusdem in Epistola Ioannis Euangelistæ secunda.



SECVNDA Ioannis Epistola quæ ad virgines scripta est simplicissima est: scripta verò est ad quandam Babyloniam Electam nomine, Significat autem electionem Ecclesiæ sanctæ. Astruit in hac epistola persecutionem fidei extra charitatem nō esse, & vt nemo diuidat Iesum Christum, sed vnum credere Iesum Christum venisse in carne: Nā qui habet filium in intellectu perceptibiliter, & patrem quoque cognoscit, & magnitudinem virtutis eius sine initio temporis operantem intelligibiliter mente continetur. *Si quis venit ad vos*, inquit, *& hanc doctrinam non portat, non suscipiatis eum in domum, & aue ne dixeritis ei, qui enim dixerit aue, communicat operibus eius malignis.* Tales salutare prohibet, & in hospitium suscipere. Hoc enim in huiusmodi non est inhumanum, sed nec conquirere, vel condisputare cum talibus ammonet qui non valent intelligibiliter diuina tractare, ne per eos traducantur à doctrina veritatis, veri similibus inducti rationibus. Arbitror autem, quia & orare cum talibus non oportet, quoniam in oratione quæ fit in domo. Postquam ab orando surgitur, salutatio Gaudij est & pacis iudicium.

S. VICTORINI PICTAVIENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS COMMENTARIVS IN APOCALYPSIN.

EX SIXTI SENENSIS, SANCTÆ BIBLIOTHECÆ LIBER IIII.

Victorinus, Pictauiensis Episcopus & martyr, diuinorum voluminum fuit admodum studiosus: huic Hieronymus eruditionem tribuens, & eloquentiam adimens, in libro de viris illust. inquit: Victorinus martyr, cùm non æquè Latinè, vt Græcè, nosset, scripsit latino sermone opera multa, grandia quidem in sensibus, sed compositione verborum viliora, & in Epistola ad Paulinum idem repetens, ait: Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest: in Epistola verò ad Magnum Oratorem, eruditionem quoque ei detrahere videtur, inquiens: Victorino martyri licet in libris suis desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas. Quæ sanè Hieronymi verba non de sacra, sed de profana secularium disciplinarum doctrina intelligenda sunt. Is igitur scripsit explanationes in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Esaiam vsque ad visionem quadrupedum in deserto, in Ezechielem, in Abachuch, & in Matthæum, in Apocalypsin breuem commentarium, annotationum per interualla dispositarum, qui nunc typis excussus circumfertur cum huiusmodi Hieronymi præfatione.

PROLOGVS BEATI HIERONYMI PRESBYTERI IN LIBRVM VICTORINI SVPER Apocalypsin.

Diuersos marina discrimina transuadentes, inueniunt casus. Si turba ventorum fuerit vehementior, formido est: si terga iacentis elementi moderatior crispauerit aura, pertimescunt insidias. Ita mihi in hoc videtur quod misisti volumine, quod in Apocalypsin explanationem videtur continere Victorini. Et est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens, de egregij viri opusculis iudicare. Nam & anterior Papias Hierapolites Episcopus & Nepos in Ægypti partibus Episcopus de mille annorum regno ita, vt Victorinus, senserunt. At quia me literis obtestatus est, nolui differre: sed ne spernerem precantem; maiorum statim libros reuolui: & quod in eorum commentariis reperi, Victorini opusculis sociaui. Ab iota inde quæ ipse secundum literam senserit, à principio libri ad signum crucis quæ ab imperitis erant vitiata scriptoribus correximus, exinde vsque ad finem voluminis addita esse cognosce. Iam tuum est discernere, & quid tibi placeat comprobare. Si vita nobis comes fuerit, & Dominus sanitatem dederit, tibi nostrum in hoc volumine potissimum sudabit ingenium, Anatoli charissime.

Gelasius Papa dist. 15. Victorini scripta inter Apocrypha reijcit. Claruit sub Valeriano & Galieno Impp. Ann. 270.

De S. Victorino einsque operibus plura promunt Annales Ecclesiastici, Tomo 2. Anno 303. & Tomo 3. Anno 324. cap. 126. & notæ ad Romanum Martyrolog. 2. Nouembris, quo die S. Victorinus inter reliquos sanctos Scriptus est in Romano Martyrologio. Non desunt autem coniecturæ, quæ hoc opus S. Victorino abstrahant. Primum, enim S. Hieronymus in 36. cap. Ezechiel. inter patres Chiliastas enumerat; At Auctor huius commentarij longè abest ab eo errore; postremis enim verbis libri ait: Ergo audiendi non sunt qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant. Deinde col. 1039. D. citat epitomen Theodori de numero librorum Scripturæ sacræ. Constat autem Victorinum martyrio occubuisse in persecutione Diocletiani, & Theodorum sub Iustiniano vixisse. Forsan opus detractionibus, additionibus, mutationibus alicuius audacia variatum. Vide quæ notauimus ea de re lib. 1. de Antichristo cap. 1. & lib. 10. cap. 4. & Sixtum lib. 6. Biblioth. Annot. 347. qui etiam hanc Epistolam S. Hieronymi in dubium reuocat.

VICTORINI PITABIONENSIS EPISCOPI COMMENTARIVS IN APOCALYPSIN.



PRINCIPIVM libri beatitudinem audienti & seruanti promitti, & lectioni studens exinde opera discat, & quæ præcepit custodiat. *Gratia vobis & pax a Deo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Qui est, quia permanet. Et erat, quia cum patre omnia fecit, non ex virgine sumpsit. Venturus est, vtique ad iudicandum. *Septiformi spiritu.* In Isaia legimus, Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritus timoris Domini. Isti septem spiritus, vnius scilicet dona sunt Spiritus sancti.

Et ab Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus ex mortuis. In homine suscepto perhibuit testimonium in mundo, in quo passus, suo nos sanguine soluit à peccato: & debellato inferno, primus resurrexit à mortuis, & mors ei vltra non dominabitur, sed ipso regnante mundi regnum destructum est.

Et fecit nos regnum & sacerdotes. Id est, omnem fidelium Ecclesiam sicut Petrus Apostolus dicit, Gens sancta, regale sacerdotium.

Ecce venit cum nubibus, & videbunt eum omnes populi.

Qui primò in suscepto homine venit occultus, post paululum in maiestate & gloria veniet ad iudicandum manifestus. Quod autem dicit, In medio candelabrorum aureorum ambulantem similem filij hominis, similem dicit post mortem deuictam, cum ascendisset in cœlum, adunato & isto corpore cum spiritu, & gloriæ suæ quam recepit à patre, potestate: quasi filium hominis ambulantem inter medium candelabrorum aureorum, sicut in Salomone dicit, Inter semitas iustorum ambulabo. Cuius antiquitas est immortalitas. Maiestatis origo, in capite candor ostenditur, Caput autem Christi Deus est. Et in capillis albis, albatorum est similitudo, lanæ similis, propter oues: similis niui, propter innumerabilem candidatorum turbam de cœlo datorum. Oculi eius vt flamma ignis, præcepta Dei sunt, quæ credentibus lumen ministrant, incredulis incendium. *In facie autem eius claritas vt sol.* Claritas quod dixit, apparitio illius fuit, qua locutus est hominibus facie contra faciem. Solis autem gloria minor est quam gloria Domini. Sed propter ortum & occasum, & rursus ortum, quòd natus sit, passus & resurrexit, ideo dixit similem scriptura faciem eius gloriæ Solis. In veste sacerdotali, carnem quæ corrupta non est à morte, & habet passionem, sacerdotium apertissime traditum. Mammæ, duo sunt testamenta: & zona, chorus sanctorum, vt aurum per ignem probatum. Aliter, Zonam auream accinctus pectori conflata conscientia, & purus spiritualis sensus ita traditus est Ecclesiis. Per gladium bis acutum de ore ipsius emicantem, ostenditur ipsum esse qui & nunc Euangelij bona, & prius per Moysen legis notitiam vniuerso orbi protulit. Sed quia ex eodem verbo omne genus humanum tam veteris, quàm noui testamenti iudicaturus est, ideo bis acutus

A commemoratus est. Gladius enim militem armat, gladius hostem interficit, gladius desertorem punit. Et vt ostenderet Apostolis quia iudicium annunciabat, ait: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Et postquam consumauerat parabolas, ait ad illos: intellexistis omnia? & dixerunt, ita. Propterea omnis scriba doctus in regno Dei similis est patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera. Noua Euangelica verba, vetera, legis & prophetarum. Et hæc de ore suo processisse & Petro ait, Vade ad mare, & mitte hamum: & piscem qui primus ascenderit, aperto ore eius inuenies staterem, id est, duos denarios: & da pro me & te. Et Dauid similiter per spiritum ait, Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia semel decreuit ab initio Dominus quod futurum est vsque ad finem. Denique cum iudex sit ipse à patre constitutus, volens ostendere quoniam verbo prædicationis iudicabuntur homines, ait: Putatis

B quia ego vos iudicabo in nouissima die? Sed verbum quod vobis locutus sum, illud vos iudicabit in nouissima die. Et Paulus contra Antichristum ad Thessalonicenses ait, Quem Dominus interficiet spiritu oris sui. Hic est ergo bis acutus gladius, procedens de ore eius. Vox eius tanquam vox aquarum multarum. Aquæ multæ, populi huius mundi intelliguntur. Sed & donum baptismi, quod emisit per Apostolos diffunditur ad salutem hominũ. *Pedes eius similes aurichalco.* Tanquam fornace conflatos Apostolos dicit, qui per passiones cõflati prædicauerunt verbum eius. Per quos enim ambulabat prædicatio, meritò pedes nominantur: vnde Propheta anticipauit dicendo: Adorauimus vbi steterunt pedes eius, Dominum primum. Vbi illi primum steterunt, Ecclesiam confirmauerunt, id est, in Iudæa, vbi

C omnes sancti conuenturi sunt, & Dominum suum adoraturi. Stellæ septem in dextera dixit, quia Spiritus sanctus septiformis virtutis datus est in potestate eius à patre, sicut Petrus ad Iudæos exclamauit: Dextera Dei exaltatus, acceptum à patre spiritum effudit, hunc quẽ videtis. Sed & Ioannes Baptista anticipauerat discipulis suis dicendo: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater amat filium, & omnia dedit in manus eius. Istæ sunt septem stellæ, septem Ecclesiæ quas nominatim vocabulis suis vocat, ad quas & facit Epistolas: Non quia ipsæ sint Ecclesiæ principes, sed quod vni dicit, omnibus dicit, nihil enim differt, vt quis vexillationem paucorum millium maiori numero anteponat. In toto orbe septem Ecclesias omnes esse, & septem nominatas vnam esse Catholicam, Paulus docuit primo: quod vt seruaret ipse, & ipsum septem Ecclesiarum non

D excessit numerum, sed scripsit ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses. Postea singularibus personis scripsit, ne excederet modum septem Ecclesiarum. Et in breui contrahens prædicationem suam, ad Timotheum ait: vt scias qualiter debeas conuersari in Ecclesia Dei viui. Hunc typũ à Spiritu sancto per Esaiã prædicari legimus

legimus de septem mulieribus quæ apprehenderunt hominem vnum. Vnus autem homo, Christus est, non ex semine natus. Septem mulieres, Ecclesiæ sunt, panem accipientes suum: & cum eis sunt velatæ, quæ petunt auferri improperium suum, vt inuocetur nomen Domini in illis. Panem Spiritum sanctum, qui nutrit in vitam æternam suam sibi per credulitatem promissam. Et tunicas suas, id est, sibi promissas, quæ cooperiri se optant: de quibus ait Paulus: Oportet & hanc fragilitatem vestiri inuiolatam: & mortale hoc vestiri immortalitate. Auferri improperium suum. Improperium est peccatum pristinum, quod aufertur in baptismo & incipit vocari homo Christianus: quod est, inuocetur nomẽ tuum super nos. In his ergo septem Ecclesijs putes fieri de vna Ecclesia septem: & pro qualitate fidei & electionis aut ad eos scripsit qui & laborant in seculo, & operantur de frugalitate laborum suorum, & patientes sunt, & cum videant homines quosdam in Ecclesia dispensatores præposteros ne dispersio fiat portant, admonent tamen eos de amore, vt in quibus fidei eorum deest, agant pœnitentiam, aut ad eos qui locis crudelibus inhabitant inter persecutores, & perseuerant esse fideles: aut ad eos qui sub textu misericordiæ illicita peccata in Ecclesia faciunt: aut ad eos qui negligentes, nomine tantum Christiani sunt: aut ad eos qui humiliter structi, in fide fortiter perseuerant: aut arguit illos qui student scripturis, & laborant cognoscere arcana prædicationis, & Dei opus facere nolũt, id est, misericordiam & amorem, Omnibus pœnitentiam denuncians, omnibus iudicium annunciat. *Et in prima quidem Epistola ait: Scio laborem tuum, & opera, & patientiam tuam.* Scio laborare te & operari video patientem te esse, ne putes me lõgè morari à te. *Et quia non potes portare malos: & qui se dicunt Apostolos esse, inuenisti eos mendaces, & patientiam habes propter nomen meum.* Hæc vniuersa ad laudem spectãt, & laudem non mediocrem. Sed tales viros, & talem classem, & tales electionis homines oportet omnimodo admoneri ne istis sibi bonis concessis fraudentur. Pauca dixit se habere aduersus illos. *Amorem, inquit, tuum pristinum dereliquisti: memento vnde excideris.* Qui cadit, de alto cadit. Ideo dixit, vnde: quoniam omnimodo vsque ad nouissimum amoris opera exercenda sunt: quod est principale mandatum. Denique nisi fiat, minatus est mouere candelabrum de loco suo, id est, spargere plebem. Odire autem se opera Nicolaïtarum, quæ & ipse oderat, hoc ad laudem spectat. Nicolaïtæ autem erant illo tempore ficti homines & pestiferi, qui sub nomine Nicolaï ministri fecerunt sibi hæresim, vt delibatum exorcizaretur, & manducari posset: & vt quicunque fornicatus esset, octaua die pacem acciperet. Ideò collaudauit eos ad quos scribit, quibus talibus & tam magnis viris promisit lignum quod est in paradiso Dei sui. Sequens Epistola sequentem cõuersationem alterius classis & consuetudines detegit. Denique ait: *Scio vos pauperes esse, laborare: sed diuites estis.* Scit enim apud se talibus diuitias esse recõditas. Et detractionem de Iudæis, quos negat esse Iudæos, sed synagoga sunt Satanæ, quoniam ab Antichristo colliguntur: quibus ait vt perseuerent fideles esse vsq; ad mortem. Et qui perseuerauerint vsque in finem, non lædentur à morte secunda, id est, non castigabuntur in inferno. Tertia classis sanctorum ostendit seueros, qui fortes sunt in fide, & non expauescunt persecutionem. Sed quia & in illis sunt qui proni sunt ad illicitas promissiones, ait, Pugnabo cum illis gladio oris mei, id est, quid præceperim dicam, & quid feceritis cõferam. Nam Balaam doctrinam oculis filiorum Israel esse delibatam, & fornicati olim notum est. Ille enim hoc consilium dedit regi Mohabitarum, & scandalizauerunt populum. Sic, inquit, vos habetis inter vos talem tenentes doctrinam, & sub prætextu misericordiæ alios vitiatis. *Qui vicerit, inquit, dabo illi manna absconsum.* Manna absconsum, immortalitas est, gemma alba, adoptio in filium Dei. Nomen nouum, Christianum est.

Quarta classis nobilitatem fideliũ operantium quotidie & maiora faciẽtium opera designat. Sed & ibi esse quo-
A que homines faciles ad illicitas paces dãdas, & Prophetias nouas attendendas ostendit. Arguit & præmonet cæteros, quibus non placet hoc, qui cognoscunt nequitiam aduersam, quibus malis dolores inducere quærit in capita fidelium & pericula: & ideò ait: Non mitto super vos aliud pondus, id est, non dedi vobis legis obseruationes & onera, quod est aliud pondus: vt quod habetis, teneatis donec venio, inquit. *Et qui vicerit, dabo illi potestatem super nationes:* id est, iudicem illum constituet inter cæteros sanctos. *Et dabo illi stellam matutinam.* Primam resurrectionem scilicet promisit. Stella matutina noctem fugat, lucem annunciat, id est, diei initium. Quinta classis, id est, collectio vel conuersatio sanctorum, declarat homines negligentes, alias quàm oportet
B in seculo agentes operationes, nomine tantum Christianos. Et ideò hortatur eos si quo modo reuersi à negligentia, periclitari possint esse salui. *Instaura, inquit, ea quæ moritura erant: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Non enim satis est arborem misericordiæ, & fructum non habere: sicut nec sans est Christianum dici, & ipsum confiteri, & Christum in opere non habere, id est, eius præcepta non facere. Sexta classis, id est, cõuersatio collectionis optimæ, cõsuetudines sanctorum declarat, horum scilicet, qui humiles in seculo, & rustici in scripturis fidem immobiliter tenent, nec omnino vllo casu territi retrahuntur à fide, ideò ait ad illos: Dedi ante vos ostiũ apertum, & ait. Quoniam seruasti verbũ patientiæ meæ in tam paruis vitiis: & ego te seruabo de hora tentationis, vt sciant huiusmodi gloriam: neque in tentatio-
C nem eos tradi permittit. Qui vicerit, inquit, fuit columna in templo Dei. Columna, decor est ædificij, id est, qui perseuerauerit, totum nobilitatur in Ecclesia. Sequitur hæc quoque collectio. Septima classis declarat homines locupletes, apud quos in cubiculo quædã scripturæ tractantur, foris autem an sint fideles à nemine intelligitur scilicet iactantes & dicentes se omnia cognoscere, præditi fiducia literaturæ, opera autem negantes. Et ideò ait ad illos neq; frigidos, neq; feruentes illos esse, id est, neq; incredulos, neq; fideles, ad omnes enim omnia sunt. *Et quoniam nec frigidus es, nec calidus es, tepidus es, & nauseã facis vomam, inquit, te de ore meo.* Nausea quamuis odibilis sit, neminẽ latet, sic & huiusmodi homines cũ fuerint proiecti. Sed quia tempus est pœnitentiæ, ait: Consulo tibi
D vt emas à me aurũ conflatũ, id est, si quo modo potestis pro nomine Domini aliquid pati. Et collirio, inquit, inũge oculos tuos: vt quod libenter cognoscis per scripturam, huius & opus facere coneris. Et quoniam si huiusmodi homines de magno excidio ad magnam redeant pœnitentiam, non solum sibi vtiles, sed multis prodesse possunt, non mediocrem eis mercedem promisit, id est, sedem in solio iudicis. Ostium apertum in cœlo non testamenti prædicator vidit Ioannes, & dicit ei: Ascende huc. Quando apertum ostenditur, clausum fuisse hominibus manifestum est. Satis autem & plenè satisfactum est quando Christus in corpore in cœlos ad patrem ascendit.

Vox autem prior quam audierat, cum dicat illum secũ
E locutũ, sine cõtradictione arguit qui alium in Prophetis, alium in Euangelio dicũt fuisse locutum, cum magis ipse qui venit, ipse in prophetis locutus sit. Ioannes enim ex circũcisione erat, & omnis ille populus veteris testamẽti prædicationẽ audierat, illa voce ædificatus est. Illa eadẽque vox, inquit, quam audieram, illa mihi dixit, ascende huc. Idẽ spiritus, quẽ paulò antè quàm filium hominis, inter candelabra aurea ambulantem se vidisse fatetur, & nunc exinde recolit quæ per legem in similitudinibus renunciata erant, & per hanc scripturam coniungit omnes priores prophetas, & aperit scripturas. Et quia postquam inuitauit in cœlum omnes credentes in nomine suo Dominus noster, statim Spiritum sanctum effudit, qui laturus est in cœlũ, ait, Statim factus sum in spiritu,

Et cum aperiatur per Spiritum sanctum mens fidelium, & illud illis manifestetur, quod & prioribus est prædicatum, significanter solium positum est sedes iudicij & regis: super quod solium vidisse ait similitudinem iaspidis & sardij. Iaspidis aquæ color est: sardij ignis. Hæc duo iudicia posita esse vsque ad consummationem orbis super tribunal Dei exinde manifestantur, quoniam iudiciorum duum, vnum iam consummatum in cataclysmo per aquam, aliud autem consummabitur per ignem. *Iris autem circa solium.* Eosdem colores habet iris, & arcus dicitur, de quo etiam ad Noë & filios eius locutus est Dominus ne timerent in resurrectione Dei. Iam statuam, inquit, arcum meum in nubibus: nec iam aquam timeatis, sed ignem. Ante solium autem tanquam mare vitreũ simile crystallo, donum baptismi, quod per filium suum pœnitentiæ tempore antequam iudicium iudicet, effudit, ideò ante solium, id est, ante iudicium. Cum autem dicit mare vitreum simile crystallo, aquam mundam, stabilem, nõ vento agitatam, non in procliuo defluentem, sed tãquam donum Dei immobile traditũ ostẽdit. Quatuor animalia, quatuor sunt Euangelia. Primum, inquit, simile leoni, secundũ simile vitulo, tertium simile homini, quartum simile aquilæ volanti: habentes alas senas in circuitu, & oculos intus & foris: & nõ cessabant dicere, hagios, hagios, hagios: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus, sedentes vigintiquatuor seniores habẽtes tribunalia vigintiquatuor, libri sunt prophetarum & legis, referẽtes testimonia iudicij. Sunt autem vigintiquatuor patres: duodecim Apostoli, & duodecim Patriarchæ. Animalia igitur quod differentia vultibus sunt, hanc habet rationem. Simile leoni animal, Euangelium secundũ Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini. Hominis autem figura Matthæus enititur enunciare nobis genus Mariæ, vnde carnem accepit Christus. Ergo dum enumerat ab Abraham vsque ad Dauid, & vsque ad Ioseph, tanquam de homine locutus est. Ideò prædicatio eius hominis effigiem ostendit. Lucas sacerdotium Zachariæ offerentis hostiam pro populo, & apparentẽ sibi angelum dum enarrat, propter sacerdotium, & hostiæ conscriptionem, vituli imaginationem tenet. Ioannes Euangelista aquilæ similis, assumptis pennis ad altiora festinans, de verbo Dei disputat. Marcus Euangelista sic incipit, Initium Euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Vox clamantis in deserto hæc est leonis effigies. Matthæus, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abrahã. Hæc est facies hominis. Lucas autem dicit: Fuit sacerdos nomine Zacharias, de vice Abia, & mulier ei de filiabus Aaron hæc est imago vituli. Ioannes sic incipit, In principio erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Hæc est similitudo aquilæ volantis. Non solum autem, sed & ipsum Verbum Dei patris omnipotentis, qui est filius eius Dominus noster Iesus Christus, feret easdem imagines in tempore aduentus sui ad nos. Et cum prædicatus est tanquam leo, & catulus leonis, propter salutem hominis homo factus est ad mortem deuincendam, & vniuersos liberandos. Quòd seipsum obtulit hostiam patri pro nobis, vitulus dictus est. Et quoniam mortem deuicit, & ascendit in cœlos extendens alas suas, & protegens suam plebem, aquila volans nominatus est. Hæ prædicationes quamuis quatuor sunt, vna est tamen, quia de vno ore processit: sicut fluuius in paradiso, cum sit vnus, in quatuor partes diuisus est. Oculos autem intus & foris habere animalia, id est prædicationem noui Testamenti, specialem prouidentiam ostendit, quæ & secreta cordis inspicit, & superuenientia videt, quæ sunt intus & foris. Alæ senæ sunt testimonia veteris testamenti librorum ideóque vigintiquatuor faciunt tot numeros, quot & seniores super tribunalia. Sed sicut animal volare non potest, nisi pennas habeat: sic nec prædicatio noui Testamenti fidem habet, nisi habeat veteris testamenti prænunciata testimonia, per quæ tollitur à terra, & volat. Semper enim quod ante dictum est, & postea factum inuenitur, illud fidem facit indubitabilem. Rursum tamen & alæ si non hæreant animalibus, vitam vnde trahant non habent. Nisi enim quæ prædixerũt prophetæ, in Christo essent consummata, inanis erit prædicatio illorum. Hoc tenens Ecclesia Catholica, & ante prædicata & postea consummata volat, & merito tollitur à terra viuum animal. Hæreticis autem qui prophetico testimonio non vtuntur, assunt ei animalia, sed non volant, quia sunt terrena. Iudæis autem, quia non accipiunt noui Testamenti prædicationem, assunt alæ, sed non viuunt, id est, inanem vaticinationem hominibus afferunt, facta dictis non conferentes. Sunt autem libri veteris Testamenti qui accipiuntur viginti quatuor, quos in Epitomis Theodoti inuenies. Sed & vigintiquatuor, vt diximus, patres & Apostolos iudicare populum suum oportet. Interrogantibus enim Apostolis & dicentibus, Nos, omnibus nostris relictis, secuti sumus te: quid erit nobis? respondit Dominus noster: Cum sederit filius hominis super solium gloriæ suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Sed de patribus qui iudicaturi sunt, ait Iacob patriarcha, Dan iudicabit & ipse populum suum inter fratres, sicut vna tribus Israël. Exire autem fulgura & voces & tonitrua à solio Dei, & septem faces ignis ardentis, significat prædicationes à Deo, & minas. Nam fulgura aduentum Domini significant: voces autem noui testamenti prædicationes, tonitrua autem, quòd cœlestia sunt verba. Faces ignis ardentis, donum sancti Spiritus, quoniam in lignum passionis est redditum. Et cum hæc fierent, cecidisse diuersos maiores natu, & adorasse Deũ cum darent animalia gloriam & honorem, id est, Euangelia actionem, prophetiam scilicet Domini, & doctrinam cum adimplesset ante per illos prænunciatum verbum, dignè meritóque exultant, scientes secreta & verbum Domini ministrasse. Denique & cum venit qui mortem disiungeret, & coronam immortalitatis solum dignus sumeret, omnes habentes pro gloria aliqua actus sui optimi coronas, proiecerunt eas sub pedibus eius, id est, propter eminentẽ victoriam Christi, omnes victorias sub pedibus eius. Hoc & in Euãgelio suppleuit Spiritus sanctus ostendendo. Cum enim passurus nouissime venit Hierosolymos Dominus noster, & exisset illi populus obuiam: alij præcisis ramis palmarum viã sternebant, alij tunicas suas subijciebãt: duos scilicet populos ostẽdens: vnum patrum, & alium prophetarum magnorum virorum, qui quascunque habebant palmas victoriarum contra peccatum victori omnium Christo eas sub pedibus iactabant. Palma autem & corona idem significat, quoniam non datur nisi victori. In dextera autem sedentis super tribunal liber scriptus intus & foris, signatus sigillis septem, vetus testamentum significat, quod est datum in manibus Dei nostri. A patre accepit iudicium. Præco, inquit, præconauit an aliquis dignus esset aperire librum, & soluere signacula eius: & nemo inuentus est dignus neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram. Aperire autem sigilla, est pro homine mortem deuincere. Hoc dignus facere nemo inuentus neque in angelis in cœlo, neque in hominibus in terra, neque inter animas sanctorum in requie, nisi solus Christus filius Dei; quem dicit vidisse agnum tanquam occisum, habentem cornua septem. Quod enim erat tunc prædicatum, & quicquid per varias oblationes & sacrificia lex in illum meditata fuerat, ipsum implere oportebat. Et quia ipse erat testator, & mortem deuicerat ipsum erat iustũ constitui à Deo hæredem, vt possideret substantiam morientis, id est, membra humana, vnde dicit leonẽ de tribu Iuda vicisse, qui est radix Dauid. Leonem de tribu Iuda in Genesi legimus vt Iacob patriarcha ait, Iuda te laudabũt fratres tui. Recubuisti & obdormisti, & resurrexisti tanquã leo, & tanquam catulus leonis. Ad deuincendam enim mortem leo dictus est, ad patiendum pro hominibus tanquam agnus ad occisionem

nem ductus est: Sed quia mortem deuicit, & præuenit carnis officium, qui occisus dictus est: hic ergo A aperit quod ipse signauerat testamentum. Ob hoc Phinees, & Moyses legis dator, quod oportebat esse signatum & cælatum vsque ad aduentum eius, velauit suam faciem, & sic est populo locutus, ostendens velata esse verba prædicationis vsque ad aduentum temporis. Nam & ipse tunc legis de populo, Accepta lana succida & sanguine vituli & aqua, asperfit populum vniuersum dicens: Hic sanguis testamenti eius quod mandauit ad vos. Animaduerti ergo oportet hominem diligenter prædicare, & vniuersa in mundo coërcere. Nam nec sufficit legem illam dici: sed testamentum nominata est. Nulla lex testamentum vocatur: nec testamentum aliud dicitur, nisi quod faciunt morituri: & quodcunque intrinsecus testamenti est signatum, est vsque ad diem mortis, Ideò modo designatur moritura per agnum occisum, qui tanquam leo B confregit mortem: & quæ de eo pronunciata fuerant, repleuit, & hominem liberauit, id est, carnem de morte, & accepit possessionem substantiæ morientis, id est, membrorum humanorum: vt sicut per vnum corpus omnes homines debitum mortis susceperant, ita per vnum corpus vniuersi credentes tenati in vitam resurgerent. Modo ergo facies Moysi aperitur, & creditur, & reuelatur, ideò Apocalypsis reuelatio dicitur: modo liber eius resignatur: modo hostiæ oblationis intelliguntur: modo sacerdotium, charisma fabricatio ædis: testimonia apertè intelliguntur, vigintiquatuor seniores & quatuor animalia citharas & phialas haben- C tes, cantantes canticum nouum. Coniuncta veteris testamenti prædicatio cum nouo, populum Christianum ostendit cantantem canticum nouum, id est, confessionem suam publicè conferentem. Nouum est Filium Dei hominem fieri: nouum, cum corpore in cœlos ascendere: nouum, remissionem peccatorum hominibus dari: nouum, sancto spiritu signari homines: nouum, sacerdotium accipere sacræ obseruationis, & regnum expectare immensæ repromissionis. Cithara enim chordā in ligno extensam significat, id est, carnem Christi passionis ligno coniunctam: phiala confessionem ex noui sacerdotij propagine, & angelorum multorum, immò omnium. Et vniuersæ dominationes domino nostro referent iam gratiarum actionem liberationis hominum D de clade mortis. Resignatio sigillorum, vt diximus, apertio est veteris testamenti, & prædicatorum prænunciatio in nouissimo tempore futurorum: quæ licet scriptura prophetica per singula dicit, omnibus tamen simul apertis sigillis, ordinem tamen suum habet prædicatio. Nam aperto primo sigillo, dicit se vidisse equum albū, & equitem coronatum, habentem arcum, hoc enim primò factum est. Postquam enim ascendit in cœlos Dominus, & aperuit vniuersa, misit spiritum suum, cuius verba prædicationis tanquam sagittæ, ad corda hominum pergentes, vt vincerent incredulitatem. Corona autem super caput prædicatoribus est promissa per Spiritum sanctum. Cæteri tres equi, bella, fames, & pestes, in Euangelio à Domino prædicata manifestius signifi- E cat: ideòque ait vnum de animalibus dixisse, quia omnia vnum sunt, Veni, & vide. Veni dicitur inuitato ad fidem, vide dicitur ei qui non videbat. Ergo equus albus, verbum est prædicationis, cum Spiritu sancto misso in orbem. Ait enim Dominus: Prædicabitur hoc Euangelium per totum orbem terrarum in testimonium coram gentibus, & tunc veniet finis. Equus roseus, & qui sedebat super eum habens gladium, bella sunt significata futura, vt legimus in Euangelio: Surget enim gens contra gentem & regnum aduersus regnum: & erunt terræmotus magni, hic est equus roseus. Equus niger autem famem significat, ait enim Dominus: Erunt fames per loca. Propriè autem extenditur verbum vsque ad Antichristi tempora, quoniam magna fames est ventura quaque omnes lædentur. Statera in manu, libra examinis, in qua singulorum merita ostenderet. Ait dein, Vinum & oleum ne læseris, id est, hominem spiritualem ne plagis percusseris. Hic est equus niger. Equus autem pallidus, & qui sedebat super eum, nomen habebat mors. Hæc eadem quoque inter cæteras clades præmiserat Dominus, venturas pestes magnas & mortalitates. Cum enim dicat, Et infernus sequitur eum, id est, expectabat deuorationem animarum multarum impiarum. Hic est equus pallidus. Animas autem occisorum vidisse sub ara, id est, sub terra. Ara enim, & cœlum & terra dicitur sicut lex ait, imaginaria veritatis facie meditante, quæ duas aras auream intrinsecus fecerat. Nos autem intelligimus auream ita dici, Domino nostro testimonium perhibente, ait enim: Cum offers munus tuum ad aram. Vtique munera nostra orationes sunt quas offerimus. Et ibi recordatus fueris habere aliquid fratrem tuum aduersum te, relinque ibi munus tuum ante aram. Vtique ad cœlum ascendunt orationes. Sicut ergo cœlum intelligitur ara aurea, quæ erat interior (nam & sacerdotes semel in anno introibant qui habebant chrisma ad aram auream, significante Spiritu sancto Christum hoc semel facturum) sic & ara ærea, terra intelligitur sub qua est infernus, remota pœnis & ignibus regio, & requies sanctorum: in qua quidem ab impijs videntur & audiuntur iusti, & neque illuc transmeare possunt. Hos ergo tantos, id est animas occisorum, expetere vindictam sanguinis, id est, corporis sui de habitantibus super terram, voluit nos cognoscere qui omnia videt. Sed quia in nouissimo tempore sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damnatio, dictum est eis; Expectate, & pro corporis sui solatio acceperunt, inquit, stolas albas, id est, donum Spiritus sancti. Sextum sigillum. Factus est terræ motus magnus: ipsa est persecutio nouissima. Sol fit vt saccus, incredulis splendor doctrinæ obscurabitur. Luna sanguinea, Ecclesia sanctorum ostenditur pro Christo sanguinem fundere. Stellas eiusdem fideles turbari. Agitata ficus amittit grossos persecutione homines ab Ecclesia separat. Cœlum inuolui Ecclesia de medio fit, & mons & insulæ de locis suis motæ. Nouissimam arundinē similem virgæ, vt metiretur Dei templum, & aram, & adorantes in ea potestatē dicit quam dimissus postea exhibuit Ecclesijs. Nam & Euangelium postea scripsit. Cum essent Valentinus & Cherinthus & Ebion & cæteri scholæ Sathanæ diffusi per orbem, conuenerunt ad illum de finitimis prouincijs omnes, & compulerunt vt ipse testimonium conscriberet. Mensura autem filij Dei, mandatum Domini patrem confiteri omnipotentem. Dicimus & huius filium Christum ante originem seculi spiritualē apud patrem genitum, hominem factum, & morte deuicta in cœlos cum corpore à patre receptum, effudisse spiritum sanctum donum & pignus immortalitatis, hūc per prophetas prædicatum, hunc per legem conscriptum, hunc esse mandatum Dei, & verbum patris, & cōditorem orbis. Hæc est arundo & mensura fidei. Et nemo adorat aram sanctam, nisi qui hanc fidem confitetur. Aulam autē exteriorem eijce foras. Aula atrium dicitur, vacua inter parietes area, hos tales non necessarios eijci iussit de Ecclesia: quia data est, inquit, calcari à gentibus, id est, huiusmodi hominibus, ita vt à gentibus conculcetur. Deinde repetit de nouissimi temporis ruina & excidio, & ait Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo duobus testibus meis, & prædicabunt amicti cilicio dies mille cclx. id est, triennium & menses sex. hoc enim faciunt menses quadragintaduo. Est ergo illorum prædicatio triennium, & menses sex, & regnum Antichristi alterum tantum. De ore illorū prophetarum exire ignem contra aduersarios potestatem verbi dici. Omnes enim plagæ quotquot futuræ sunt ab Angelis, in eorum voce mittuntur. Multi putant eum Heliam esse, aut Helisęum, aut Moysen: sed vtriq; mortui sunt: Hieremiæ autem mors non inuenitur, quia omnes veteres nostri tradiderunt illum esse Hieremiā.

Cautè lege, nam auctor labi videtur in errorem quorundam Græcorum, animas Sanctorum non frui clara Dei visione antè diem iudicij, nisi forsan loquatur de plenissima remuneratione, quæ corporum glorificationē includit. Vide Sixtum lib.6. Biblioth. annot. 345. & Bellarminum lib.1. de Sanctorum beatitudine, cap.8.

Cautè lege, nam falso existimat Hieronimum nondum esse mortuum, sed venturum cum Elia aduersus Antichristũ contra communem sensum patrum: Vide librum nostrum 9. de Antichristo, cap. 9.

Nam & ipsum verbum quod factum est ad eum, testificatur ei dicens: Prius quam figurarem te in ventre, cognoui te: & prius quàm de vulua procederes, sanctificaui te: & prophetam in gentibus posui te. In gentibus autem propheta non fuit, & ideo verbum Dei verax necesse habet quod promisit exhibere, vt in gentibus propheta sit. Hos duos candelabra duo & duas oliuas ideo nominaui, vt si in alio legens non intellexisti, hic intelligas. In Zacharia enim vno ex duodecim prophetis scriptum est, Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, qui in conspectu Domini terræ stant, id est, sunt in paradiso. Hos ergo oportet interfici ab Antichristo post multas plagas sæculo infixas: quem dicit ascẽdisse bestiam de abysso. De abysso autem eum ascensurum, multa testimonia enim nobis in hoc capitulo cõtrahenda sunt. Ait enim Ezechiel, Ecce Assur, cypressus in monte Libano. Assur deprimens cypressos excelsas, ramosas, id est populos multos in monte Libano. Regnum regnorum, id est, Romanorum. Formosus in germinibus, id est fortis in exercitibus. Aqua, inquit, nutriet eum, id est multa millia hominum subiecta erunt illi. Et abyssus hausit illum, id est, ructauit eum. Nam & Esayas penè ijsdem verbis loquitur. Fuisse autem eum iam in regno Romanorum, & fuisse inter Cæsares, & Paulus Apostolus cõtestatur: ait enim ad Thessalonicenses, Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc apparebit iniquus ille, cuius est aduentus secundum efficaciam Sathanæ in signis & portentis mendacibus. Et vt scirent illum venturum inquit, tunc erat princeps, adiecit, Arcanum, inquit, malitiæ iam oritur. Sed non sua virtute nec patris suscitatur, sed Dei iussu. Quare ergo Paulus idem dicit? Idcirco quod non receperunt amorem Dei, mittet eis Deus spiritum erroris, vt omnes persuadeantur mendacio, qui non sunt persuasi veritate, & Esaias, ait; Sustinentibus lucem, illis tenebræ ortæ sunt. Hos ergo prophetas ab eodem interfici manifestat Apocalypsis, & quarta die resurgere, ne quis domino æqualis inueniatur. Sodomam autem & Ægyptum dicit Hierosolymam. Dictus populi persecutor id efficiet. Diligenter ergo & cum summa solicitudine sequi oportet Propheticam prædicationem, & intelligere quoniam spiritus ex parte prædicit & præposterat, & cum præcucurrerit vsque ad nouissimum, rursus tempora superiora repetit, & quoniam quod facturus est, semel, aliquoties quasi factum ostendit: quod nisi intelligas aliquoties quasi vt factum, aliquoties vt futurum, in grandi caligine inuenieris. Ergo interpretatio sequentium dictorum ea monstrabit, vt nõ ordine lectionis, sed rationis intelligatur. Apertum est templum Dei, quod est in cœlo. Apertio est Domini nostri. Templum enim Dei filius eius est, ipse ait, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, & dicentibus Iudæis, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, Euangelista, inquit, ille dicebat de templo corporis sui. Arca testamenti, Euangelij prædicatio, & indulgentia delictorum, & omnia bona quæ cum illo aduenerint, illa dicit apparuisse. Mulier autem amicta Sole, & Luna sub pedibus suis, habens coronam duodecim stellarum, parturiens in doloribus suis, antiqua Ecclesia est patrum & Prophetarum, & sanctorum Apostolorum, quæ gemitus & tormenta habuit desiderij sui, vsquequo fructum ex plebe sua secundum carnem olim promissum sibi videret Christum ex ipsa gente corpus sumpsisse. Sole autem amicta; speciem resurrectionis significat, & gloriam repromissionis, Luna verò casus sanctorum corporum, & debitum mortis, quo deficere nunquam potest. Nam quẽadmodum minuitur vita, sic & augetur. Nec in totum extincta est spes dormientium, vt quidam putant: sed habent in tenebris lucem sicut Luna. Corona stellarum duodecim chorum patrum significat secundum carnem natiuitatis: ex quibus erat Christus carnem sumpturus Draco roseus stans & expectans vt cum peperisset filium, deuoraret eum diabolus & angelus refuga scilicet, qui

Cautè lege, nam perperã existimat Neronem nondũ mortuum ac futurum, verum Antichristum in mundi fine venturum. Quam sententiamà mente patrum & à veritate prorsus alienam confutamus lib. 2. de Antichristo ca. 2.

A omnium hominum interitum per mortem æqualem posse esse opinabatur. Sed qui de semine natus non erat, nihil morti debebat, propter quod nec deuorare eum potuit, id est, in morte retinere. In tertia enim die resurrexit denique, & priusquam pateretur, tentare eum accessit, tanquam hominem. Sed cum inuenisset non illum esse quem putabat, discessit, inquit ab illo ad tempus. Hunc dicit raptum ad solium Dei, & nos legimus in actibus Apostolorum quemadmodum loquens cum discipulis suis, raptus est in cœlos. Virga ferrea, gladius persecutionis. Omnes recessisse de locis suis, id est, quòd boni mouebuntur, persecutionem fugientes. Quatuor angeli per quatuor angulos terræ, siue quatuor venti trans Euphratem fluuium, gẽtes sunt quatuor, quia omni genti à Deo deputatus est Angelus, sicut dicit, Statuit eos super numeros Angelorum Dei, donec sanctorum

B compleatur numerus, suos non egrediuntur terminos, quia in nouissimo cum Antichristo venient. Quod autem dicit, turba multa ex omni tribu, credentibus electorum numerum ostendit, qui per sanguinem agni baptismo purgati, suas stolas fecerunt candidas, seruantes gratiam quam acceperunt. Septimo autem sigillo silentium fit in cœlo semihora. Semihora initium est quietis æternæ, sed partem intellexit, quia interruptio eadem per ordinem repetit. Nam si esset iuge silentium, hic finis narrandi fieret. Angelum autem ascendentem ab oriente solum, Heliam Prophetam dicit, qui anticipaturus est tempora Antichristi, ad restituendas Ecclesias & stabiliendas à magna & intollerabili persecutione. Hæc in appertione librorum veteris Testamenti & noui prædicata legimus. Ait enim Dominus per Mala-

C chiam: Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbitem conuertere corda patrum ad filios, & cor hominis ad proximum suum, id est, ad Christum per pœnitentiam: conuertere corda patrum ad filios, secundum tempus vocationis Iudæos ad sequentis populi fidem reuocare. Ideo ostendit etiam numerum ex Iudæis crediturum, & ex gentibus magnam multitudinem. Mitti etiam in cœlum orationes Ecclesiæ ab Angelo, & suscipi illas, & cõtra iram effundi, & scopari regnum Antichristi per Angelos sanctos, in Euangelio legimus. Ait enim: Orate ne incidatis in tentationem. Erit enim, angustia magna, qualis non fuit ab origine mundi. Et nisi abbreuiasset Dominus dies illos, non esset salua omnis caro. Hos ergo Archangelos malos septem ad percutiendum Anti-

D christum mittit. Nam & ipse ita dixit: Tunc mittet filius hominis nuncios suos, & colligent electos eius de quatuor angulis venti à finibus eius vsque ad fines eius, & ante ait per prophetam: Tunc erit pax terræ vestræ, cum surrexerint in ea septem pastores, & octo morsus hominum, & indagabunt Assur, hoc est, Antichristum, in fossa Nembrot, in damnatione diaboli. Ecclesiæ species similiter commoti fuerint custodes domus. Ipse autem in parabola ad Apostolos sic ait, cum venissent ad eum operarij, & dixissent, Domine, nonne bonum semẽ seminasti in agro? Vnde ergo ibi lolium? respondit eis, Inimicus homo hoc fecit, cui dixerunt, Vis imus, & eradicamus illud? qui ait: Non sed sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messori-

E bus, colligere lolium, & facere manipulos, & cremari igni æterno: triticum autem colligere in horrea mea. Hos messores & pastores & operarios hic Apocalypsis ostendit esse Angelos. Tuba autem verbum est potestatis, & licet repetat per phialas, non quasi bis factum dicit, sed quoniam semel futurum est quod est decretum à Deo vt fiat, ideò bis dicitur. Quicquid igitur in tubis minus dixit, hic in phialis est. Nec aspiciendus est ordo dictorum, quoniam sæpe Spiritus sanctus vbi ad nouissimi temporis finem percurrerit, rursus ad eadem tempora redit, & supplet ea quæ minus dixit. Nec requirendus est ordo in Apocalypsi, sed intellectus. Sequendus est enim & ipse propheta. Sunt igitur scriptæ in tubis & phialis, aut plagarum orbi Missarum clades

aut

aut ipsius Antichristi insania, aut populorum detractio, aut plagarum differentia, aut spes in regno sanctorum, aut ruina ciuitatum, aut ruina magna Babylonis ciuitatis, id est, Romanæ. Aquila magna medio cœlo volans, Spiritussanctus significatur, in duobus Prophetis contestans magnam plagarum iram imminere si quo modo quisque volasset nouissimo tempore conuersus, vt aliquis adhuc saluus esse possit. Nam fortem quem dicit de cœlo descendisse, amictum nube, & iris super caput eius, & facies eius tanquam sol, & pedes eius columna ignis, & habebat librum in manu sua apertum, & posuit pedes suos super mare & terram: dominum nostrum significauit, sicut superius enarrauimus. Facies eius tanquam sol, id est, de resurrectione. Super caput eius iris, iudicium intelligitur quod per illum factum est, aut futurum est. Liber apertus Apocalypsis est quam Ioannes vidit. Pedes eius conflatos & superius diximus Apostolos esse. Nam calcari ab eo & marina & terrena, omnia sub pedibus eius subiecta significat. Angelum cum dicit, id est, nuncium, scilicet patris. Vocatur enim magni consilij angelus. Quòd clamasse dicit voce magna, vox magna est cœlestis, omnipotentis Dei verba hominibus nunciare, & contestari quia post clausam pœnitentiam spes postea futura non est. Septem tonitrua locuta voces suas, Spiritussanctus septiformis virtutis per Prophetas protestatus est omnia futura voce illius in sæculo testimonium reddit. Sed quia dicit se scripturum fuisse Ioannes quanta locuta fuissent tonitrua, id est, quæcunque in veteri testamento erant obscura & prædicata, vetatur scribere, sed relinquere ea signata, qui erat Apostolus, nec oportebat gratiam sequentis gradus in primo collocari: quia tempus, inquit, prope est. Apostoli enim virtutibus, signis, portentis, magnalibus factis, vicerunt incredulitatem: post illos iam eisdem cõsumptis: ecclesiis datum est solatium propheticarum scripturarum interpretandarum quos interpretes Prophetas dixit. Ait enim Apostolus. Et quidem posuit in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, & reliqua, & alio loco ait, Prophetæ duo aut tres dicant, & alij æstiment; & ait; Omnis mulier orans vel prophetans detecto capite, deturpat caput suum. Cum autem dicat, Prophetæ duo vel tres dicant, & alij æstiment: non tantum de Catholica prophetia dicit, inaudita, & incognita, sed etiam prædicata & nota. Æstiment autem vtrúmne interpretatio cum testimoniis congruat dictionis propheticæ. Constat ergo Ioanni non fuisse necessarium superiori virtute armato, cum corpus Christi, id est Ecclesia, suis membris ornatum, suo loco respondere debeat, accipere libellum, & comedere sub ostensione facta memoriæ. Dulcis in ore prædicationis est fructus loquenti, & audientibus dulcissimus: sed & prædicanti & perseuerantibus in mandatis, per passionem amarissimus. Oportet autem te iterum prophetare, inquit, populis & linguis & nationibus: hoc est, quoniam quando hoc vidit Ioannes, erat in insula Pathmos, in metallum damnatus à Domitiano Cæsare. Ibi ergo vidit Apocalypsin: & cum senior iam putaret se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano omnia iudicia eius soluta sunt, & Ioannes de metallo dimissus, sic postea tradidit hanc eandem quam acceperat à Domino Apocalypsin, hoc est, oportet te iterum prophetare. Accepisse autem arundinem omnes gentes, quæ dimicaturæ Antichristo, contra istos statuendæ sunt, & gladiis alterutrum sunt casuræ. Qui ait illum coloris esse rosei, id est coccinei operis illius futurum talem dedit ei colorem. Ab initio enim homicida, & omne genus humanum non tam debito mortis, verum variis gladiis ac vitiis oppressit. Septem capita, septem reges Romanos, ex quibus & Antichristus est. In priori dicimus cornua decem, decem reges in nouissimo tempore. Hos eosdem plenius ibi tractabimus. Mulierem autem volasse in desertum auxilio alarum magnæ aquilæ, dono scilicet prophetarum

A Ecclesiam illam Catholicam, ex qua in nouissimo tempore credituræ sunt centum quadraginta quatuor millia hominum Heliæ. Sed & cæterum populum viuum inueniri in aduentu Domini hic dicit. Sic & Dominus in Euangelio ait, Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: id est, quotquot in Iudæa fuerint collecti, eant ad illum locum quem paratum habent, & nutriantur ibi triennium & menses sex à facie diaboli. Alæ, duæ magnæ, duo sunt Prophetæ, Helias, & qui cum eo fuerit Propheta. Aqua quam emisit de ore suo serpens, iussu suo exercitum eam sequi significat. Aperuisse terram os suum, & deuorare aquas, vindictam de præsentibus manifestam. Hanc igitur licet parturientem significet, postea partu edito fugientem ostendat, tamen non vno tempore vtraque facta sunt. Christus enim ex quo natus est,

B scimus tempora intercessisse: vt illa autem fugiat à facie serpentis, adhuc factum non esse. Deinde ait, Factum est bellum in cœlo, Michaël, & nuncij eius. Et non est inuentus ei locus iam in cœlo: & iactatus est draco magnus anguis antiquus in terram, hoc est initium Antichristi. Antè tamen oportet prædicare Heliam, & pacis tempora esse & postea consummato triennio & sex mensibus prædicationis Heliæ, iactari eum de cœlo, vbi habuit potestatem ascendẽdi vsque ad illud tempus, & angelos refugas vniuersos. Sic & Antichristum de inferno suscitari Paulus Apostolus ait, nisi prius venerit discessio, & apparuerit homo peccati, filius perditionis, & aduersarius, qui se eleuat super omne quod nominatur Deus, aut quod colitur. Quod autem dicit draconis caudam traxisse tertiam partem stellarũ, bifariè hoc

C accipiunt. Multi enim arbitrantur tertiam partem hominum credentium posse eum seducere, sed verius intelligi debeat angelorum sibi subiectorum cum adhuc princeps esset, cum transcenderet constitutionem suam, tertiam partem seduxisse. Ergo quod superius dicebamus, ait Apocalypsis, & stetit super arenam maris. Et vidi de mari bestiam ascendentem similem pardo. Regnum illius temporis Antichristi cum varietate gentiũ, & populum commixtum significat. Pedes tanquam vasis fortis, & spurcissimæ bestiæ. Duces, pedes eius dixit. Os eius tanquam ora leonum, inquit, est, id est ad sanguinem armatum. Os enim eius, visio illius est, & lingua quæ ad nihilum processura est nisi ad sanguinem effundendum. Capita septem montes sunt in quibus

D mulier sedet, id est, ciuitas Romana. Et reges septem sunt, quinque ceciderunt: vnus est: alius nondum venit: & cum venerit, breui tempore erit. Et bestia quam vidisti, de septem est: & octaua est. Intelligi oportet tempus quo scriptura Apocalysis edita est, quoniam tũc erat Cæsar Domitianus. Ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Vespasianus pater, Galba, Otho, & Vitellius. Hi sunt quinque qui ceciderunt: vnus extat, sub quo scribitur Apocalypsis, Domitianus scilicet. Alius nondum venit, Neruam dixit. Et cum venerit, breui tempore erit. Biennium enim non impleuit. Et bestia quam vidisti, inquit, de septem est: quoniam ante istos reges Nero regnauit. Et octaua est, ait: modo cum illa aduenerit, computatur loco octauo. Et quoniam in illo est consummatio, adiecit, In interitum vadit. Nam

E decem reges accepisse regalem potestatẽ, cum ille mouerit ab oriente, aut mittitur ab vrbe Roma cum exercitibus suis. Hæc cornua decem & decem diademata Daniel ostendit, & tria eradicari de prioribus, hoc est tres duces primarios ab Antichristo interfici. Cæteros septem dare illi honorem, & consilium, & potestatem, de quibus ait, Hi odient meretricem vrbem scilicet, dicit. Et carnes eius comburant igni. Vnum autem de capitibus occisum in morte, & plaga mortis eius curata est, Neronem dicit. Constat enim, dum insequeretur eum equitatus missus à senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignũ dignis, & Christum qualem meruerunt Iudæi. Et quoniam aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam insti-

Caute ista de Nerone adhuc viuente & futuro vero Antichristo, & vide scholion ad col. 1049

futurus vt sic eum tanquam Christum excipiant Iudæi. Ait enim Daniel, Desideria mulierum non cognoscet,

A

cum prius fuerit impurissimus: & nullum Deum patrũ cognoscet. Non enim seducere populum poterit circuncisionis, nisi legis vindicator. Denique & sanctos non ad idola colenda reuocaturus est, sed ad circuncisionem colendam, si quos potuerit seducere. Ita demũ faciet vt Christus ab eis appelletur. De infero autem illum surgere, & superius diximus, verbo Isaiæ: Aqua nutriet illum: & abyssus auxit illum. Qui tamen licet nomine mutato, & actu immutato veniet, ait spiritus: Numerus eius nomen hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Cum attulerit ad literam Græcam, hunc numerum explebit. * A I. N. L. T. ÇCC. F. V. M. L. X. L. O. L. XX. CCC. I. III. EVN. LCC. N. V. III. P. CIX. K. XXOLXX. CC. Aliam bestiam subeuntem de terra

B

magna, falsum prophetam dicit, qui facturus est signa & portenta mendacia ante illum in conspectu hominũ. Habentem cornua quasi agni, id est speciem iusti hominis: loquentem quasi draco, loquetur autem diaboli malitia plenus. Hic enim facturus est vt ignis de cœlo descendat: sed in conspectu hominum. Hæc magi per Angelos refugas & hodie faciunt. Faciet etiam vt imago aurea Antichristo in templo Hierosolymis ponatur, & intret Angelus refuga, & inde voces & sortes reddat. Faciet etiam hic ipse vt accipiant serui & liberi notam in frontibus aut in manibus dextris numerum nominis eius, ne quis emat vel vendat. Aspernationem autem & exacerbationem Daniel antè prædixerat. Et statuet, inquit, templum suum super Samariam super montem inclytum & sanctum, id est. Hierosolymis imaginem, si-

C

cut Nabuchodonosor fecerat, tunc hic substituet. modo hoc Dominus resoluens, admonens Ecclesias suas de nouissimis temporibus & periculis, ait: Cum autem videritis aspernationem quæ dicta est per Danielẽ Prophetam, stantem in loco suo: qui legit, intelligat. Aspernatio dicitur, quando exasperatur, Deus quòd idola pro eo colantur, vel dogma hæreticorum in Ecclesiis introducatur. Euersio autem quod stabiles homines signis falsis & portentis seducti euertantur de salute. Angelum volantem medio cœlo quem dicit se vidisse, quẽ superius tractauimus, eundem esse Heliam, qui anticipat prædicatione sua regnum Antichristi. Alium autem Angelum, angelum sequentem eundémque comitem prædicationis prædicat Prophetam. Quod autem ait,

D

Mitte falcem acutam, & vindemia botriones vineæ: de gentibus perituris significat in aduentu Domini. Equidem pluribus speciebus hic illud ostendit, sicut in messe arida: sed semel in aduentu Domini & consummationis & regni Christi, & apertione regni sanctorum futurum est. Quod autem dicit missum in torcular iræ Dei, & calcatum extra ciuitatem: calcatio torcularis, retributio est peccatoris. Et exiet sanguis vsque ad frenos equorum. Exiet vltio vsque ad principes populorum, id est, rectores, siue diabolum siue angelos eius, nouissimo certamine exiet vltio sanguinis effusi, sicut antè prędictum est. In sanguine peccasti, & sanguis te persequetur. Per stadia mille sexcenta, id est, per omnes mũdi quatuor partes. Quaternitas est enim conquaternata, sicut in quatuor faciebus quadriformibus & rotis.

E

Quater enim quadringenti, mille sexcenti. Eandem repetens persecutionem Apocalypsis dicit Angelos septem habentes plagas, quoniam in his finita est ira Dei. Percuti populum cõtumacem septem plagis, id est perfectè, vt in Leuitico. Dicit quæ in vltimo futura sunt, cum Ecclesia de medio exierit. Quòd autem dicit stetisse eos super mare vitreum habentes citharas & phialas, id est super baptismum suum stabiliter in fide constitisse: & confessionem suam in ore habentes, exultaturos in regno coram domino. Ad propositum reuertamur. Ait enim: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas. Et vidi, inquit, mulierem ebriam de sanguine sanctorum decreto senatus illius consummatæ nequitiæ, & omnem contra fidei prædicationem etiam latam indulgentiam ipse dedit decretum in vniuersis gentibus. Sedere autem eam super bestiam ruffam actricem homicidiorum, diaboli imago est: vbi etiam & capita hæc de quibus tractauimus, meminit. Hanc quidem Babylonem propter confusionem dicit, & in Apocalypsi & in Isaia & in Ezechiele antè ruffam nominauit. Denique si compares quæ contra Assur dicta sunt, & Isaias contra Babylonẽ dicit, quæque Apocalypsis dicit, vnum esse omnia inuenies. Equum enim album esse, & sedentem super eum Dominum nostrum cum exercitu cœlesti aduenientem ad regnandum ostendit. A mari enim Aquilonis vsque ad mare Phœniciæ, & vsque ad fines terræ maiores partes has in aduentu Domini mundari. Omnes animæ gentium congregabuntur ad iudicium. Nam mille annorum regnum non arbitror esse terminum. Aut si ita sentiendum est completis annis mille regnare desinunt. Sed vt mei sensus capacitas sentit proferri, quoniam denarius numerus decalogum significat, centenarius virginitatis coronam ostendit. Qui enim virginitatis integrum seruauerit propositum, & decalogi fideliter præcepta impleuerit, & contra impuros mores vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum vigilauerit, ne dominentur ei: iste verè sacerdos est Christi, & millenarium numerum perficiens, integre creditur regnare cum Christo, & apud eum rectè ligatus est diabolus. Qui vitiis & dogmatibus hæreticorum irretitus est, in eo solutus est diabolus. Sed quia completis mille annis dicit eum solui, completo perfectorum sanctorum numero, in quibus corpore & corde virginitas regnat, adueniente abominandi aduentu, multi ab eo, amore terrenorum seducti supplantabuntur, & simul cum eo ingredientur stagnum, & post modicum tellus reddet sanctorum qui dudum quieuerant corpora, immortale cum æterno rege suscipientes regnum: quos non solum corpore virgineo, sed & lingua & cogitatione exultaturos cum agno demonstrat. Ciuitatem verò quam dicit quadratam auro & preciosis splendere lapidibus, & plateam stratam, & flumen per medium, & vitæ lignum ex vtraque parte faciens fructus duodecim per mẽses duodecim, & solis lumen ibi non esse quia agnus est lux eius, & portæ eius de singulis margaritis ternæ portæ eius ex quatuor partibus, & claudi non posse ciuitatem quadratam: sanctorum adunatam turbam ostendit, in quibus fides nullo modo fluctuare potuit, sicut & Noë præcipitur vt ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluuij posset impetus ferre. Preciosos lapides, fortes in persecutione viros, qui nec tempestate persecutionum moueri, nec impetu pluuiæ à vera fide solui potuerunt. Propterea auro mundo sociantur, ex quibus regis magni ciuitas decoratur: Plateæ verò, eorum corda ostendunt ab omnibus mundata sordibus, vbi deambulat Deus. Flumen verò vitæ spiritualis natiuitatis currere gratiam ostendit. Lignum vitæ ex vtraque ripa, Christi secundum ostendit aduentum, quem venturum & passurum vetus lex prædixit, & in Euangelio manifestatur. Fructus verò duodecim per singulos menses, duodecim Apostolorum diuersæ gratiæ ostenduntur, quas ab vno ligno crucis suscipientes, populos fame consumptos, verbi Dei prædicatione satiant. Et quia dicit in ciuitate Solem non esse necessarium, euidenter ostendit creatorem luminum fulgere in medio eius cuius splendorem nullus sensus cogitare poterit, nec lingua proloqui. Ex quatuor partibus portas dicit esse ternas virtutes, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam, quæ inuicem, sibi hærent: & dum mutuò miscentur, duodenarium efficiunt numerum. Portas verò, duodecim Apostolorum esse numerum credimus, qui in quatuor virtutibus vt pretiosæ margaritæ fulgentes, inter sanctos lumen doctrinæ suæ manifestantes, ad ciuitatem sanctorum ingredi faciunt, vt de conuersatione eorum Angelorum lætentur chori. Non posse

claudi

claudi portas, euidenter ostendit, nulla contradicentium tempestate Apostolorum doctrinam superari, etiam si fluctus gentium vel hæreticorum insana superstitio, dum à fide fuerit superata eorum, vt spumæ dissoluuntur, quia petra Christus est, à quo & per quem Ecclesia firmata, nullis fluctibus insanientium hominũ superatur. Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cherintho hæretico sentiunt.

DE D. ANDREA, CAESAREAE CAPPADOCIÆ EPISCOPO, EX THEODORI PELTANI E S. SOCIETATE IESV THEOLOGI ET INTERPRETIS, AD REVERENDISS. & Illustriss. Principem D. Martinum de Schaumberg, Ecclesiæ Eystadianæ Episcopum: & altera ad Lectorem.

INTER eruditos & orthodoxos libri Apocalypsis interpretes, vel primum vel primo certè proximum locum promeretur Andreas Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus. Nam etsi ante ipsum Iustinus Martyr & Philosophus, & Irenæus Lugdunensis Episcopus, & alij præterea nonnulli Apocalypsin exposuerint, nullus tamen vno hoc Patre aut copiosius & eruditius, aut luculentius hoc præstitit. Quamuis enim homo Græcus & Cappadox, & quod ad hæc loca attinet, hospes quoque & peregrinus sit, nihil tamen aut erroneum aut barbarum, aut circulatorium sonat: quin miram potius pietatem vbique spirat, magnamque in singulis propemodum pagellis eruditionem & singularem insuper ab omnibus hæresibus & hæreticis animi alienationem ostendit, maximè verò ab Origenistis & Chiliastis, qui Ecclesiam Catholicam per id tempus præ cæteris infestabant. Quo tempore autem is vixerit, aut Cæsariensi Ecclesiæ præfuerit, id certò nondum comperi. Basilio magno eiusdem Sedis Antistiti posteriorem fuisse extra controuersiam est: vt qui non semel in hoc commentario nominetur. Ad genus porrò doctrinæ quod attinet, illud est apprimè accuratum & Orthodoxum, &c. Quamuis enim vno aut altero loco, eorum opinioni fauere videatur, qui Sanctos ante communem carnis resurrectionem ad claram Dei visionem admitti inficiantur, hoc tamen illius fidei & auctoritati nihil quicquam derogat. Siquidem ea tempestate doctrina hæc in controuersiam vocabatur, & apud multos illustres Theologos veluti rationi & scripturæ consentanea palàm recepta erat. Verùm hac hominum ætate propter diuersam Ecclesiæ sententiam, eam amplius tueri non licet.

S. P. N. ANDREÆ ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ, IN D. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ Apocalypsin; Commentarij.



MVLTIS, qui maiorem de me opinionem, quàm vires meæ ferunt conceperant, peramanter sæpe rogatus, vt Diui Ioannis Theologi Apocalypsin explanarem, eiusdémque vaticinia temporibus, quæ post illam patefactam consecuta sunt, vtcunque accommodarem, quę ingenij mei neruos excedere videbantur, aggredi hactenus vix sum ausus. Intelligebam enim mysteria viris sanctis per visum ostensa, quæ olim explenda expectantur, commodè explicare, intelligentiæ esse magnæ, mentísque diuino spiritu haud vulgariter illustratæ. Enimuerò si veterum Prophetarum libri, tametsi à quàm plurimis iam olim explanati, Sacramentorum, quæ in ipsis latent, profunditatem etiamnum abditam habent, habebúntque vsque ad diem illum, quo scientia, quæ ex parte, est destructa ea quæ perfecta est succedet: Esto, interim maior illorum pars de primo magni Dei & Saluatoris nostri aduentu concinnetur. (Nam quædã quoque de secundo eiusdem aduentu alicubi interseri negari non debet) quomodo is audax non habeatur, qui Prophetici spiritus expers, illa interpretari aggreditur, quorum euentus necdum clarè cernitur.

Prophetarum oracula commodè explicare, mentis esse diuino Spiritu haud vulgariter illustratæ.

1 Cor 13. Tit. 2. Veteris Testamenti vaticinia, de primo Christi aduentu potissimum agere.

At quia obedientiam victimis præstare, scriptum extat, spésque secundum Apostolum non confundit, neq; charitas, qua animæ tuæ intimè coniunctus sum, vnquã excidit, Dei, qui sapientiam largitur, ope fretus, munus abs te mihi iniunctum Macari, vt potero explere conabor; persuasum enim habeo, si qui inter commentandũ defectus acciderunt, eos te pro tua charitate & eruditione beneuolè correcturum, mercedémque, quam obedientia, quæ ex charitate oritur, iure promeretur, haud illiberaliter persoluturum.

1. Reg. 11. Roman. 5.

1. Cor. 13. Iacob. 1.

Primùm igitur, vt tu ipse quoque non ignoras, vniuersa scriptura diuinitus inspirata, quæ homini, qui ex tribus distinctis partibus constatur, non absque singulari Dei beneficio obtigit, tripartita est. Huius veluti corpus est litera, externaque historia. Anima verò Tropologia: hæc enim per ea quæ sub sensum veniunt, ad illa deducit Lectorem, quæ mente tantùm conspiciuntur. Spiritus autem locum Anagoge, hoc est rerum futurarum longissiméque à sensu positarum theoria sibi vendicat. Primum genus in illos præcipuè conuenit, quorum pædagogus lex erat: Secundum in eos, qui sub lege gratiæ & charitatis ætatem agunt: Tertium in homines vitali hac luce feliciter perfunctos, in quibus carnis sensu motúque perfectè iam subiugato, solus spiritus regnũ obtinet. Primum deinde rerum dudum antè gestarum expositionem complectitur, etsi hoc ipsum quoque typis veritatem adombrantibus, multis passim locis non mediocriter exornetur. Secundum prouerbialibus paræneſibus, sententiisque moralibus maiorem partem constat. Cuiusmodi inter cæteras sunt illæ. Spinæ nascuntur in manu temulenti. Erubesce Sidon, ait mare, aliæque hisce similes. Tertium nempe mysticum vel anagogicum in Apocalypsi Ioannis Theologi & Apostoli maximè exuberat. Nam licet Anagoge & spiritus simul cum historia & Tropologia in aliorum quoque Prophetarum libris frequenter occurrunt, in hoc tamen opere vtrumque peculiari quadam ratione exundat: quippe quod non quibusuis, sed cumulatori rerum diuinarum notitia locupletatis, DEVS Optimus Maximus pro-

Quid corporis quid item animæ & spiritus locum in diuinis literis sibi vendicet. Literam in Iudæos, Tropologiam in Christianos, Anagogen in beatos quadrare.

Triplex Scripturarum genus extare, historicum vnum, Ethicum alterum, Propheticum, vel mysticum tertium.

Prou. 23. Esa. 23.

poni & prædicari voluerit. Quamobtem scopus hoc loco nobis propositus non est, de arcanis illis mysteriis A certam aliquam & absolutam sententiam proferre, quasi nos spiritus, qui hic abditur, profunda assecuti simus; sed de earum rerum sensu, quæ beato illi Theologo patefactæ fuerunt; specimen exhibere aliquod tantum (Nam omnia secundum nudam literæ superficiem interpretari, neque audemus neque fas esse ducimus) eáque ratione Lectoris menti ad diligentiorem inquisitionem, industriæque exercitationem qualemcúque ansam offerre: necnon eandem ad rerum præsentium, quæ natura sua fluxæ atque caducæ sunt despicientiam, futurorúmque bonorum, quæ æterna atque stabilia habentur, desiderium aliquo modo excitare. At verò exactam certámque horum omnium notitiam & interpretationem, diuinæ sapientiæ libenter relinquimus. Hæc vna enim B est, quæ & tempora, & momenta, quando libri huius oracula certum exitum sortientur, exquisitè nouit, in quæ etiam tempora & momenta, ne curiosius inquireremus, per Apostolos nobis inhibitum voluit. Cæterum quicquid hic tentauimus, hoc totum solo obsequendi studio tentauimus.

Apocalypsin Ioannis inter libros mysticos primatum tenere.

Certam de mysteriis in Apocalypsi abditis sententiam ferre perdifficile esse.

Res præsentes sua natura fluxas atque caducas, futuras autem secundum æternas esse.

Solum Deum accuratè nosse, quando Apocalypseos oracula implebuntur.

Partiti autem præsens hoc opus sumus in viginti quatuor sermones, & duo supra septuaginta capita propter tripartitam viginti quatuor seniorum substantiam, corporis videlicet & animi, & spiritus. Per hos namque compendio quodam illorum omnium plenitudo designatur, qui vnquam iam inde à mundi exordio vsque ad seculi consummationem, Deo placuerunt; quemadmodum quæ hinc consequentur planum id nobis facient. C Porrò autem de libri huius fide & auctoritate, prolixè hoc loco disserere superuacaneum arbitramur. Constat namque beatos illos viros patrésque nostros Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum multóque hisce vetustiores Papiam, Irenæum, Methodium & Hippolytum diuinum fidéque dignum esse, non vno loco tradere; quorum monumentis occasione accepta, nos ad hoc consilium venimus; sicuti multas quoque sententias ex eorundem scriptis mutuauimus, hiscéque nostris commentariis inseruimus. Tu autem, homo Dei, nostrum hunc conatum precibus ad Deum fusis compensa, qui sanè, quòd crebram præmiorum, quæ iustis olim persoluentur, mentionem faciat; suppliciáque, quæ impiis & peccatoribus apud inferos constituta sunt subinde ob oculos ponat, haud parum, vt autumo, ad salutarem animi compunctionem conferet.

Cur commentary auctor Apocalypsin in 24 sermones & 72 capita deduxerit.

Quid in Apocalypsi 24 seniores designent.

Apocalypseos librum vetustissimorum Patrum sententia, Canonicum & inter sacros censendum esse.

Qui olim in Apocalypsin scripserint.

Apocalypsin Andreas Episcopus commentariis illustratam, malitiam ad salutarem pœnitentiam conferre.

Apocalypseos sancti Ioannis Theologi & Apostoli.

CAPVT PRIMVM, ET SERMO ITIDEM PRIMVS.

Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò.

Apocalypsis nomine occultorum mysteriorum patefactio designatur: siue illa fiat per insomnium diuinitus immissum, siue in vigilia parte illa, quæ in animæ regno principatum tenet, per cœlestis luminis illapsum collustrata. Cum autem eiusmodi reuelationem Christo à Deo datam asserit, humanitati Iesu orationem accommodat, idque inoffensè. Quandoquidem iam antè in Euangelio suo sublimiora & diuiniora de Dei verbo tradiderat, quàm Euangelistarum alius vllus. Quin hoc ipso etiam loco per Angelum administrum, addiscentiúnque seruorum vocabulum, Christi diuinitati per amplum testimonium impertit. Ipse namque est cui vniuersa creatura seruit. Porrò autē cùm isthæc citò futura subiungit, nonnulla ex iis, quæ hoc libro patefacta sunt iam præ foribus vrgere, breuique adeò euentum sortitura esse subindicat. Sed & ea ipsa quoque, quæ ad sæculi tandem finem continent, haud procul abesse: quippe cum mille anni apud Deum reputentur tanquam dies hesterna, quæ præteriit.

Quid Apocalypsis nomine designetur diuinam patefactionem besariam homines obtingere.

Ioannem de Christi diuinitate iterum plura tradidisse.

Solius Dei esse Angelos eum auctoritate mittere.

A *Et significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit, & quæ sunt, & quæ posthac oportet fieri.*

Christo vniuersam creaturam inseruire.

Christus Dominus, inquit, hæc mihi, disertè illum professus sum, tanquam seruo suo per Angelum manifestauit, quo & ea quæ sunt, hominúmque notitiam adhuc fugiunt; & ea rursum, quæ olim futura sunt, mihique per visionem ostensa sunt, palàm ad audientium conuersionem contester, publicéque prædicem. Vtraque namque Prophetico spiritu hausi. Atque hic sensus ex orationis tenore apertè colligitur; quandoquidem verba hæc, quæ sunt, & quæ fieri oportet, præsentis futurique temporis notionem manifestè præ se B ferunt.

Quo sensu quæ procul, adhuc absunt propinqua esse dici queant.

2. Petr. 3.

Apocalypsin vtraque complecti & ea quæ sunt, sed hominum notitiam fugiũt, & ea rursum quæ olim futura sunt.

Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.

Beatos prædicat non quosuis promiscuè, qui hæc legunt, vel audiunt; sed qui bonorum operum studio intenti, legunt vel audiunt. Cæterum tempus, quo beatitudinem hanc comparare licet, quodque omnibus vt studiosè operentur, propositum est, in propinquo esse admonet. Notum est enim illud Christi: Me oportet operari opera eius, qui misit me donec dies est, venit nox quando nemo potest operari. Alio quoque sensu tempus, quo meritorum præmia distribuentur, propinquum est; Siquidem vitæ huius spatium, cum æternitate comparatum, breuissimum est.

Non qui Apocalypsin legit vel audit beatum esse: sed qui bonorum operum studio intentus legit vel audit.

Ioann. 9.

Vita huius spatium quo solo mereri licet breuissimum esse.

C *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.*

Cùm multæ passim per orbem extent Ecclesiæ, ad septem duntaxat scribit: Verùm numero hoc septenario, qui præsentis vitæ decursui consentaneus est (totius nāque hebdomadæ periodus septem dierum curriculo absoluitur) omnium vbiuis locorum existentium Ecclesiarum mysterium complexus est. Ea igitur de causa vt septem Angelorum, ita septem quoque Ecclesiarum mentionem facit, ad quas proinde hunc in modum scribit: Gratia vobis & pax à diuinitate, quæ in tribus hypostasibus subsistit, & cætera. Et quidem per eum qui est, Pater designatus videri potest. Moysi enim respondet Deus: Ego sum qui sum. Per eum verò, qui erat, D Verbum. Verbum namque in principio erat apud Deũ. Per eum denique, qui venit & venturus est, Spiritus paracletus, hic enim per sanctum baptisma ad Ecclesiæ filios sæpe iam olim venit, neque vnquam vsque ad seculi consummationem venire desinet. Interim in altero illo æuo, maiori copia & vbertate in suos sese effundet. Per septem porrò Spiritus septem Angelos, quibus Ecclesiarum cura & gubernatio demandata est, accipere licet: Hi enim tanquam dispans potestatis cum supremo illo nomine, omniumque regina Triade, non connumerantur; Sed tanquam primarij illius serui & administri vnà cum ipsa interdum nominantur. Cuius rei illustre exemplum subministrat vobis Diuus Paulus, ait E enim: Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, &c. Possent hæc alio etiam modo & sensu non omnino incommodè exponi; nempe vt per eum, Qui est, & qui erat, & qui venturus est solum Patrem significatum intelligamus: Siquidem is vnus omnium, quæ vsquam in rerum natura extant, principia, & media, & fines in sese complectitur. Per se septem autem spiritus, septem viuifici spiritus charismata, vel totidem eiusdem opera. Per eum autem qui mox subiungitur, Christum Deum & Dominum nostrum, qui nostri causa factus est homo. Pluribus namque locis diuinæ hypostases apud Apostolum citra certum aliquem delectum & præponuntur, & postponuntur; Quare hoc quoque loco prædictis mox subditur.

Septenario Ecclesiarum numero, Apostolum Ioannem omnes vbique existentes Ecclesias complecti.

Quid designetur per eũ, qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Per septem Spiritus septē Angelos accipere licere.

Cur Angeli cum diuinis hypostatibus interdum nominentur.

1. Tim. 5.

Quo sensu dici: Qui est, & qui erat, & qui venturus est in solum Patrem quadret.

Per septem spiritus, septē spiritus sācti charismata designata videri.

Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps regum terræ.

Ipse

Quo sensu Christus Dominus dicatur testis fidelis, primogenitus mortuorum & rex regũ.

Ipse enim est qui fidele testimonium sub Pontio Pilato tulit, quique in omnibus dictis suis verax existit: A primogenitus itidem ex mortuis, & vita, & resurrectio. Quibus enim ille dominatur, illi mortem, vt solebant, qui olim & viuis excedebant, amplius non gustabunt; sed in omnem æternitatem beati victuri sunt. Vocatur hoc autem loco princeps regum terræ, vt alibi rex regũ & Dominus dominantium: vtpote eadem omnino cũ Patre potentia & essentia præditus. Alia etiam ratione princeps regum terræ appellatur, quia peculiarem in illos dominatum obtinet, qui terrenis cupiditatibus imperare didicerunt.

Apoc. 19.

Gregorij Nazianzeni de eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, sententia.

Quòd si Gregorius cognomento Theologus sententiam illam. Qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens, in solum Christum rectè transtulit, nihil vetat quò minus alteram illam, quæ mox consequuntur, ad eundem quoque transferamus. Est enim huic planè B cògnata, & nomen omnipotens æquè adiunctum habet atque hæc præsens, neque vlla prorsus persona istic adiungitur aut ex superioribus repetitur, ad quam trãsferri possit. Hoc autem loco cùm proximè præcedentibus statim adnectatur illud: Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, &c. Clarè insinuatur sensum, quem nos reddidimus commodum, rationique & contextui oppido consentaneum esse: Nam si sententia illa, Qui est, & qui erat, & qui venturus est, de solo Dei verbo, aut Filij persona dissereret, superuacaneo profectò addêretur: Et à Iesu Christo, quo hunc ab illo distinctum esse planum fieret; præsertim cùm eodem Gregorio teste. voces quæ in Deum conueniunt, pari honore, gradu, dignitate æqualique in singulas personas, & omnes simul in communi conueniant, iis duntaxat exceptis, quæ ad hypostaseon proprietatem, aut verbi incarnationem spectant. Potestque hoc inde quoque confirmari, quod hymnus seraphicus, quem τρισάγιον Græci appellant, vni Filio in Euangeliis tributum legamus; in Paulina verò concione, quæ in Apostolotum actis extat, soli Spiritui sancto; in sacra autem tremendorum mysteriorum oblatione soli Patri, Ad illum namque, vt beato Epiphanio in oratione, quam de Spiritu sancto edidit, placet, eiusmodi precationem dirigere consueuimus. Atque hæc hactenus, quò certius constet nostram expositionem sanctorum Patrum vocibus atque sentẽtiis neutiquam aduersari; sed ad institutum denuò reuertamur.

Illud, qui est, & qui erat, & qui venturus est, quod in salutatione Ioannis ponitur, commodo sensu ad solam Verbi personã transferre non posse.

Voces quæ in Deum conueniunt, ex æquo in omnes personas conuenire iis tantum exceptis, quæ pertinẽt ad hypostaseõ proprietatem & verbi incarnationem.

τρισάγιον, & omnibus personis simul, & singulis rursus seorsim imbutum inueniri.

D *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum: Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo, ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.*

Christi morte à mortis vinculis genus humanũ liberatum, eiusdemque sanguine à peccatorum sordibus expiatum.

Illũm, inquit decet honor, gloria, & imperium qui ardenti charitate incensus, sua morte genus nostrum à mortis vinculis liberauit, sanguinisque viuifici & aquæ effusione à peccatorum sordibus nos abluit; ac in regium sacerdotium cooptauit: quippe qui brutarum victimarum loco hostiam viuam cultũmque certa ratione constantem, Deo & Patri iam nunc offeramus.

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent super eum omnes tribus terræ etiam, Amen. E

Cuiusmodi futuræ sint nubes in quibus Filius hominis olim ad iudiciũ descendet.

Qui hic, ait, veluti agnus fuit iugulatus, is paterna gloria & maiestate exornatus, Iudex olim in nubibus est venturus. Siue nubium vocabulo radiantem virtutum corporis expertium splendorem accipias: siue nubes eiusmodi, cuiusmodi ipsum vnà cum discipulis in monte Thabor operuere. E cœlo porrò eum gloria & maiestate descendentem omnis quidem oculus conspicabitur; ij autem soli, qui illum pupugerunt, eæque tribus terræ, quæ in perfidia ad finem vsque perstitere, plãgent & lamentabuntur super eum. Næ, Amen, hoc est, ita planè futurum est; siquidem ναὶ hominibus Græcis idem prorsus sonat, quod Hebræis Amen. Amen autem interpretatum, idem hominum menti offert, quod fiat, vel ratum esto.

Quid vox, Amen, Hebræa, sonet Græcè & Latinè.

Ego sum alpha & omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui venturus est, omnipotens.

Christus Dominus est α & ω principium & finis, idemque est, erat & venturus est.

Hic locus perspicuè Christũ designat, vt qui & Deus existat, & absolutum in omnes dominatum obtineat, & omnis principij & finis expers viuat. Qui idem etiam est, & erat, & finem ignorat, perindéque atque Pater æuo sempiterno durat, & vnicuique olim pro operũ suorum ratione & qualitate, vel præmia exsoluet, aut supplicia inferet.

Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu.

Cur Ioannes in insulam Pathmon relegatus.

Quando, inquit, & vester frater, & vestrarum afflictionum socius sum, meritò apud vos fidem & auctoritatẽ obtinere debeo. Igitur propter testimonium Iesu Christi ad insulam Pathmon relegatus, & vt ibi ætatem agerem, condemnatus, mysteria & arcana, quæ in illa vidi vobis denuncio.

VT DOMINVM IN MEDIO SEPTEM candelabrorum podere, hoc est, talari veste indutum conspexerit.

CAPVT II.

FVI in spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Ego sum α & ω, primus & nouissimus. Quod vides scribe in C libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Ephesi, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphia, & Laodiceæ.

Dies dominica ob Christi resurrectionẽ præ cæteris celebris.

Diuino spiritu afflatus, aurémque nactus spiritalem die Dominico, qui propter Christi resurrectionem præ cæteris celebris habetur, audiui vocem, inquit, ob soni magnitudinem & claritatem tubæ non absimilem. In omnem enim terram sonitus illius percrebuit, quæ per α & ω Deum initij finisque exortem significabat, nec non quæ deinceps visurus essem, ad septem Ecclesias vt transmitterem iubebat. Cæterum numerus hic septenarius, qui in Sabbatismum desinit, requiem, quam in futuro sæculo expectamus, innuit. Ad quam rem designãdam magnus Irenæus septem quoque cœlos totidemq; Angelos cæteris excellentiores initio à Deo conditos scriptum reliquit.

Quid per α & ω denotetur.

Quid numerus septenarius inter cætera designet. Septem cœlos totidemque Angelos cæteris excellentiores initio conditos.

Et conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum. Et conuersus vidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.

Visionem & auditionem in spiritalibus reciprocare.

Cur Iesus in Apocalypsi non absolutè homo sed homini similis dicatur.

Cur idem poderes indutus cernatur.

Cur Dei Verbum zona præcinctum cernatur, non circa lumbos, sed circa pectus & mammillas.

Quod vox hæc tubæ non fuerit externa & sensilis, id disertè indicat, dum ait: Et conuerti me, non vt audirem, sed vt viderem vocem; Nam etsi visio & auditio in rebus corporatis non commeant, in spiritalibus tamen reciprocant. Conuersus, inquit, vidi septem candelabra, quæ septem Ecclesiarum nomine paulò post appellat, & in medio illorum similem Filio hominis, nempe Christum. Vocat autem Iesum, non absolutè hominem, sed homini similem, quia non tantùm homo, sed simul quoque Deus erat; Vidit porrò eundem podere, hoc est talari veste indutum, vtpote Pontificẽ secundum ordinem Melchisedech in cœlestibus. Zona adhæc aurea præcinctum, non circa lumbos, vt cæteri mortalium ad comprimendas carnis illecebras & voluptates solent (illis namque diuina caro obnoxia omnino non erat) sed ad pectus circa mammillas; tum vt hinc ostendatur opus nobis esse clementia, quæ iustam Dei iram, quæ tolerari alioqui non posset, contineat, tum etiam vt veritas, quæ duo testamenta, per quæ fideles tanquam per duo Domini vbera nutriuntur, vndequaque cingit, hoc quasi Symbolo commonstretur,

Dicitur autem zona isthæc aurea ad designandam singularem illius excellentiam eiusdémque castimoniam, A ab omni prorsus sorde & adulterino fuco alienam.

Caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix: & oculi eius tanquam flamma ignis.

Cur Filius hominis cernatur canis capillis opertus, oculisque inflammatus. Meritò istud: nam etsi nostra caussâ carnem indutus recens in medium prodiit, secundum se tamẽ antiquus, imò verò modis omnibus sempiternus est; Atque in eius rei argumentum canis capillis opertus cernitur, oculi autem eius ignitæ flammæ speciem præ se ferunt: Quamuis enim hi sanctos illustrant & recreant, homines tamen profanos & sceleratos incendunt dirèque excruciant.

Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.

Per pedes Nazianzenus Christi secundum carnem œconomiam significatam existimat; siquidem sacrosancta caro, diuinitati illius pedum loco quodammodo B existit. *Quid per Christi pedes insinuentur in Apocalypsi.* Nam & per illam ad vos, venit, & nostram rursum salutem per eandem patrauit. Sunt autem pedes isti similes chalcolibano id est, thuri masculo; hoc enim incensum gratissimum odorem spargere solet. Quòd si voces, vnde nomen hoc conflatur, seorsum interpreteris, per æs humana Christi natura, per thus autem diuina eiusdem substantia denotatur: per vtrumque verò & fidei fragrantia, & inconfusa naturarum inter se vnio atque coniunctio. *Cur Christi pedes chalcolibano assimulentur.* Aut per æs suauis prædicationis sonus significatur, per thus autem gentium ad fidem conuersio, ad quam sponsa in canticis inuitatur. Alio etiam sensu Apostoli, Christi pedes dici possunt, vt qui solida Ecclesiæ sint fundamenta, & ad magistri exemplum in tẽtationis camino egregiè probati & exa- C minati. *Apostolos Christi pedes appellari posse.*

Et vox illius tanquam vox aquarum multarum: & habebat in dextra sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius, sicut sol lucet in virtute sua.

Haud iniuria vox illius aquarum multitudinis assimulatur; nam vna eadémque illius & spiritus vox est: *Cur vox Christi aquarum multitudini assimuletur.* Ast spiritus vi fit vt aquæ viuæ torrentes è fidelium ventre fluant, claréque per terrarum orbem personent. Porrò autem quos hic stellas, illos paulò post septem Ecclesiarum Angelos appellat. Per gladium autem vtrinque acutum condemnationis sententia, quam contra impios fulminabit, insinuatur. *Per ancipitem incarnati Verbi gladium, duo insinuari.* Ea enim quouis ancipiti gladio penetrabilior erit: Aut certè de gladio spiritus, quo interior homo circumciditur, est hic sermo. D Quod verò facies eius instar solis lucida dicatur, id non ad sensilem aliquem lucem vel splendorem, sed ad mẽtis illustrationem referri debet. *Quid inter corporeum & iustitiæ solem intercedat.* quandoquidem sol iustitiæ vi propria & potestate lucet & illuminat: non ita autem sol ille, qui obtutibus nostris quotidie obiicitur: is enim tanquam res creata virtute, quam à Deo accepit, lucem spargit, illiusque adeò iussu munus suum obit.

Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me dicens: Noli timere: ego sum primus & nouissimus: & viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis & inferni. *Quid per mortis & inferni claues designetur.*

Iosue.5. Dan.10. Christum venisse non vt mortẽ inferat, verùm vt vitam præstet. Idem passus est Apostolus, quod Iosue filius Naue, E & Propheta Daniel, quem proinde Christus ob naturæ imbecillitatem corroborauit, talique oratione compellauit: Nihil metues, neque enim ob id huc veni, vt morti te dedam. Etenim cùm principij finisque expers essem, mortem hominum caussa vltro subire non dubitaui. Quin mortis quoque & inferni claues, hoc est, absolutam in animæ & corporis mortem potestatem habeo.

Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea: & septem candelabra aurea. Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum. Et candelabra septem, quæ vidisti: septem Ecclesiæ sunt.

Quandoquidem lux vera est Christus, fit vt copiosiore luce ab eo illustrati, lucernæ appellentur, quasi præsentis vitæ noctem iam exuti. *Cuiusmodi homines sensu mystico appellentur lucernæ & stellæ.* Lucernæ rursum haud inconcinnè vocantur Ecclesiæ, vt quæ stellas eiusmodi intra se foueant, quæ vitæ verbum iuxta Apostoli sententiam obtinent. Aureæ autem eædem lucernæ & ipsæ etiam candelabra dicuntur, ad innuendam singularem illorum excellentiam, eximiámque fidei, quæ in ipsis viget, sinceritatem. *Ecclesiarum Doctores stellis comparari, & quare.* Singulis porrò, vt Dominus alicubi insinuat, & Gregorius Theologus, dum præsens hoc caput edisserit, confirmat Angelus custos præpositus est. *Matth.18. Singulis hominibus & Ecclesiis præfectum esse Angelum.* Hos autem Angelos custodes ob naturæ claritatem, vitæque sanctitatem & castimoniam tropo quodam stellarum voce denominat. *Cur Angeli stellæ nominentur.*

AD EPHESINÆ ECCLESIÆ ANGELUM destinata.

CAPUT III.

Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua: qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. *Cap. 2.*

Per Angelum Ecclesiam perinde ferè affatur, atque si quis per pædagogum verba ad illum faciat, qui literis primùm imbuitur, solent namque præceptores, quæ discipulorum sunt, in se nonnunquam transferre; siue ea errata fuerint, siue præclara quoque facinora: *Deum per Angelos, veluti per pædagogos quosdã Ecclesiam erudire.* Nituntur hi enim discipulos, quoad eius fieri potest, similes sibi reddere. Probabile fit autem per septem stellas septemue Angelos, quos Irenæus & Epiphanius intelligentium cœlorum nomine alicubi exprimunt, totius vniuersi gubernationem, quæ in dextera Christi, sicut omnes quoque terræ fines sita est, hoc loco significari. *Angelos intelligentes cœlos à quibusdã appellari. Deum per sanctos Angelos mundũ gubernare.* Siquidem is est qui iuxta promissionem suam in medio Ecclesiarum ambulat, mundúmque per sanctos Angelos administrat.

Scio opera tua & laborem & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui dicunt se Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. *Ephesiorum Ecclesia triplici nomine commẽdatur: de vno autem incusatur.*

Ephesiorum Ecclesiam de duobus tribúsue summatim commendat, de vno autem incusat, idque in medio collocat. Etenim tolerantiam laborémque & molestiam quam pro fide susceperat; odium quoque, quo improborum scelera & imposturas persequebatur, laudat. *Ephesiorum Ecclesia Nicolaitis infesta.* Laudat æquè quod non omni spiritui fidem habeat; verùm in eos, qui pro Apostolis se venditabant, diligenter inquirat, falsósque compertos prudenter repudiet. Laudat tandem quòd impura Nicolaitatum opera auersetur palámque detestetur. *Ephesiis caritatis remissio vitio vertitur.* At verò quod primam dilectionem, solitámque erga egenos beneficentiam remissius, quàm par erat, exerceret, id vitio vertit: Ad quam proinde illam denuò reuocare contendit: huc namque pertinet comminatio, quam mox subiungit, & verba illa: Age pœnitentiam, & prima opera facito.

Sin autem: Veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

Ecclesiam loco moueri haud incommodè asseritur, cum diuina gratia denudatur, siquidem vno hoc gratiæ præsidio destituta per nequitiæ spiritus hominésque sceleratos, efficacia eorundem spirituum organa & administros, in fœdos fluctus & tempestates facilè conicitur. *Quid sit Ecclesiam loco moueri. Homines impios diaboli organa & administros esse.* Sunt nihilominus qui per candelabri motionem Sedis Pontificiæ, quæ in Ephesina ciuitate quondam exstabat, in regiam ciuitatem translationem intelligant. Cæterum quam obscœna Deóque exosa Nicolaitarum fuerint opera, illud diuersi commentarij de execrabili *Cuiusmodi Nicolaitarum extiterit hæresis.*

illorum

illorum hæresi dudum antè editi, meridiana luce clarius ostendunt.

Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Aurem corpoream nullus non mortalium sortitur; spiritalem autem spiritalis tantum: cuiusmodi auris Prophetæ Isaiæ obtigit. Homini itaque ex prælio, quod contra dæmones geritur, victoriam referenti, esca de ligno vitæ decerpta promittitur; nempe æternorum bonorum communicatio. Siquidem per æternæ vitæ lignum eiusmodi bona designari solent. Vtrumque autem, vt Salomon insinuat, & præsens Euangelista alicubi disertè affirmat, est Christus. Ille enim de sapientia verba faciens iis qui apprehendunt illam instar ligni vitæ esse pronunciat: Ioannes autem de Christo in hunc modum scribit: Hic est verus Deus, & vita æterna. Si igitur æterna illa bona consequi desideramus, contra animi perturbationes carnisque voluptates acre certamẽ ineamus victoriáque potiri enixè contendamus. Quandoquidem per Domini nostri Iesu Christi gratiam atq; clementiam istiusmodi labores sua mercede nunquam frustrabuntur. Ipsi vnà cum Patre & Spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Duplicem homini obtingere aurem; corpoream vnam, spiritalem alterã. Per lignum vitæ cælestem gloriam æternamque vitã designari, Christum autem vtrunque esse.
Prouerb. 3. 1. Ioann. 5.
Cuiusmodi certamen contra carnem & dæmonem æterna vita exigat.

CVIVSMODI SMYRNENSIS ECCLESIÆ Angelo sint indicata.

CAPVT IIII.

SERMO SECVNDVS.

ET Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.

Idem Christus est primus & nouissimus: Primus quidem, vt Deus; nouissimus autem, vt homo; Vtpote nouissimis hisce temporibus natus. Qui sua etiam post triduanam mortem resurrectione, certum ad vitam æternam aditum nobis aperuit.

Eundem Christum pro naturarum diuersitate primum & nouissimum esse.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam: sed diues es.

Noui, inquit, afflictionem & paupertatem, quam in rebus, quæ ad carnis sensum faciunt, pateris: Nam & flagellis mei caussa ab infidelibus cæsa, & ab omnibus facultatibus exuta es; interim spiritalibus opibus affluis, vtpote thesaurum absconditum in pectoris agro defossum asseruans.

Smyrnensium Ecclesiam propter Christum verbera & facultatũ spoliationem passam.

Et blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse & non sunt: sed sunt Synagoga Satanæ.

Repetere hoc loco oportet verbum, noui, quod præcessit ad hæc omnia commune: sensus enim est: Noui opera tua, & noui eorum quoque blasphemiam, qui id non sunt quod se esse falsò asserunt: Nam cùm Iudæos se esse iactent; te ipsa Synagoga sunt Satanæ. Neque enim, qui in manifesto Iudæus est, ille statim pro germano Iudæo habendus est, sed qui in occulto eiusmodi est; Iudas namque si interpreteris, confessionem & resipiscentiam sonat, qua illi destituuntur.

Iudæos Satanæ Synagogam esse, & quare. Rom. 2.

Nihil horum timeas: quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Ne metuatis, inquit, afflictionem quam Iudæi, Deo infesti, per flagella & tẽtationes vobis sunt illaturi; Neque enim diu duratura sunt illa: sed decem tantùm dierum interuallo, hoc est, breuissimo tẽporis spatio. Quin ipsa etiam mora, quod temporis quasi puncto incorruptam vitæ coronam largiatur omnino contemnenda videtur.

Per decem dierum interuallum breuissimum temporis spatium significari. Cur mors sit contemnenda.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

Qui, inquit, spiritali auditu præditus, prauas diaboli suggestiones deuicerit, etsi primam mortem, quæ tantùm in carnem cadit, subiuerit: attamen à secunda, quæ in gehennam mittit, non offendetur.

Duplicem mortẽ exstare primam & secundã: Hæc mittit in gehennam, illa à corpore seiungit animam.

CVIVSMODI PERGAMENSIS ECCLESIÆ Angelo fuerint significata.

CAPVT V.

ET Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet rompheam vtraque parte acutam: Scio opera tua, & vbi habitas, vbi sedes est Satanæ. *Cap. 2.*

Idololatriæ dedita erat ciuitas, ad quam Euangelista hæc scribit. Interim fideles, qui in illa degebant, propter tolerantiam, quam in tentationibus ostenderant, commendat. Porrò autem per gladium ancipitem, aut Euangelij doctrinam, credentium corda circumcidentem, fidelésque ab infidelibus secernentem insinuat, aut peremptoriam Iudicis contra impios sententiam.

Pergamena ciuitas idolomaniæ dedita. Quid per rompheam vtrinque acutam in Apocalypsi designetur.

Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat.

Quidam Antipas nomine fortissimus constantissimúsque Christi Martyr extitit Pergami cuius ego martyrium olim legi. Facit autem Euangelista peculiarem illius hoc loco mentionem; tum quò fidelium ciuitatis illius virtus atque constantia plana fiat; tum etiam quò seductorum eiusdem immanitatem ob oculos nobis ponat.

Antipas fortissimus Christi Martyr Pergami ob Christi fidem necatur. Cur Antipæ martyrium peculiariter commemoretur in Apocalypsi.

Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari ita habes & tu, tenentes doctrinam Nicolaitarum, quam odi.

Duobus, vt videtur, hæc ciuitas flagitiis obstricta tenebatur, iisque minimè vulgaribus. Nam & multos adhuc paganos intra se fouebat: & inter eos, qui Christiano nomine censebantur, permulti impuro Nicolaismo contaminati; & inter loci illius Orthodoxos, perinde ferè atque lolium inter triticum solet, intersiti comperiebantur. Atque ea de caussa Balaam, qui populum Israëlicum callidè in errorem induxerat, mentionem facit. Cæterùm per externum & sensilem hunc Balaam, qui Israëli per Balac insidias struxerat (siquidem per scortationem illexit illum ad idololatriam; carnis enim voluptate deliniti eò dilapsi sunt, vt idolo Beelphegor publicè immolarent) insinuatur Balaam mysticus, nempe Diabolus & Satanas.

Pergamenã duplici morbo laborabant, paganismo nimirum & Nicolaismo.
Diabolum mysticum Balaam esse, & qua de caussa.

Similiter pœnitentiam age; si quo minus: Veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

En, vt inter minas clementiæ quoque & benignitatis non obliuiscatur: neque enim ait pugnabo aduersum te; sed ait pugnabo contra illos, nempe obscœnos Nicolaitas, qui insanabili morbo laborant.

Deum cõminationes clementia & benignitate tẽperare solitũ.

Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

Manna absconditum est cœlestis vitæ panis, qui nostra causa è cœlo delapsus, ad manducandum apprimè est idoneus. Quin bona illa, quæ in altero seculo sanctis reposita sunt, manna quoque appellantur; vt quæ & cœlitus veniant, in cœlo tantum, quod alio nomine superna Hierusalem vocatur, plenè obtingant. Horum autem bonorum tuta possessione illi demum potientur, qui diabolum & mundum vicerunt. Accepturi iidem quoque sunt candidum victoremque calculum: vtpote qui ad iudicis dexteram collocentur digni habebuntur. Accipient tandem vnà cum calculo nomen nouum, præsentique huic vitæ prorsus incognitum. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, neque mens humana comprehendit, quæ quantáque in futuro æuo præparata sunt iustis. Sicut nec nomen quoque illud nouũ,

Manna absconditi nomine duo significari, Christum nimirum & cæleste regnũ. Cæleste manna candidum. qui calculum iis debeat qui diabolum & mundum deuicerunt.
Quid per nomen nouum in Apocalypsi insinuetur.

quod iidem illi pacatè possidebunt.

CVIUSMODI THYATHIRENSIS ECCLESIÆ Angelo significata sunt.

CAPVT VII.

Quid flammantes Christi oculi pedes chalcolibano similes innuant.

ET Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.

Igneam oculorum speciem vtrumque præ se ferre dictum est antè; splendorem nimirum & ardorem; & hunc quidem significare supplicia in impios & peccatores constituta; illum verò lucem, quibus iusti & sancti perfunduntor. Per pedes autem & chalcolibanum denotari Christi humanitatem eiusdémque in his, B qui salui fiunt, veluti spiritalis cuiusdam vnguenti fragrantiam, nec nõ indiuiduam illam & inconfusam planéque admirabilem diuinæ humanæque naturæ inter se vnionem; ea enim tanquam diuini Spiritus igne conflata, miróque modo augmentata humanis rationibus cõprehendi omnino non potest.

Duarum in vna persona naturarum inter se coniunctionem, humanam mentem capacitate excedere.

Noui opera tua, & fidem & charitatem tuam: & ministeriũ & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersum te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam docere, & seducere seruos meos, scortari & manducare de idolothytis.

Thyatirenses in fide & charitate feruidos & in cõprimenda Nicolaitarũ hæresi remissos.

Etsi, inquit, vestram in fide constantiam, vestrámque circa egenorum & pauperum ministerium charitatem, & vestram denique patientiam commendo acceptáque habeo; attamen hoc nomine iure vos reprehen- C do, quòd Nicolaitarum hæresin, quæ propter impiam impuráinque lasciuiam Iezabel, per tropum hoc loco appellatur palam obtinere permittitis, hactenúsque permiseritis. Hæc enim res seruis meis ob ingenij ruditatem mentisque simplicitatem magnam offensionis occasionem offert, imò verò ad earum rerum vsum, quę idolis immolatæ fuerant, à quo pulchrè iam antè ablactati videbantur, denuò attraxit, & quotidie adhuc pertrahit, Hanc proinde Iezabel quamprimùm compescere osque eiusdem obstruere debetis: Siquidem maligno spiritu agitata, prophetidem sese iactare non dubitat.

Cur Nicolaitarum hæresis Iezabelis nomine significetur.

Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui D mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentia ab operibus suis egerint; & filios eius interficiam in morte.

Certæ morti sese exponere, qui tempore quo licet resipiscere nolunt. Hæreticos versutos & versipelles esse.

Quia inquit, maligna illa hæresis tempore, quod ad agendam pœnitentiam commodum nacta erat, bene vti non voluit: Ecce deiiciam illam in ægritudinem & mortem. In tropo perstans, nefariam illam Nicolaitarum pestem propter versipellem hæreticorum versutiã mulieri adulteræ comparat. Comminatur verò non illam tantùm in ægritudinem & mortem se directurum nisi resipuerit, verum cæteros quoque omnes, qui Deo per mysticam scortationem deserto, cum illa sese contaminauerunt, nisi tamen per veram pœnitentiã ad ipsum se denuò conuerterint.

Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, E & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ estis. Quicunque non habent doctrinã hanc, & qui non cognouerunt altitudines Satanæ, quemadmodũ dicunt, non mittam super vos aliud pondus. Tamen id quod habetis, tenete donec veniam.

Et hæc hactenus ad seductos alióſque seducentes hæreticos. Ad simpliciores verò ait. Quandoquidem aduersus homines vsque adeò malignos & callidos, ob ingenij morúmque simplicitatem consistere non valetis; vtpote profundarum fraudum Satanæ, vt asseritis, ignari, non exigam à vobis verborum pugnam; sed fidam tantùm doctrinæ, quã accepistis, custodiam, donec tandem vos hinc ad me assumpsero.

Non tanta exigere Deũ à simplicibus & rudibus quanta à prudentibus & callidis.

Et qui vicerit, & custodierit vsque ad finem opera mea, A dabo illi potestatem super gentes: & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur: sicut & ego accepi à patre meo.

Rudes simpliciter credere debere, nõ etiam de fide disputare.

Qui suam mnam suumque talentum benè collocauerit, & opera mea fecerit, ait in Euangelio Dominus, dabo illi potestatem supra quinque aut decem ciuitates. Aut per potestatem cuius hoc loco fit mentio illud iudicium insinuatur, quo seducti vel increduli ab iis iudicabuntur, & veluti virga ferrea conterentur, qui ex gentibus & infidelibus per fidem promptámque obedientiam Christo se adiunxerunt: Notum est enim illud Christi Seruatoris: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam. Cùm autem subdit, sicut ego à patre accepi, assumptæ carni humanæque naturæ orationis filum attemperat. B

Luc. 19.
Matth. 5.

Qui in Christum ex gentibus crediderunt, illos eos olim iudicaturos & condemnaturos, qui ex perfidia perstiterunt.

Et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Matth. 12.
Luc. 11.

Aut stellam matutinam eam hoc loco vocat, de qua Esaias dicebat: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris; cuiusmodi stellam Dominus sub credentium pedibus se proculcandam daturum alicubi promittit Aut de ea stella est hic sermo, quam Apostolus Petrus in fidelium cordibus veluti Luciferum nasci, in sua canonica scribit, quæ vtique aliud nihil est quàm lux quædam à Christo in credentium corda dimanans. Quin Ioannes Baptista & Elias Thesbites, Luciferi nomine à quibusdam quoque appellantur, nec iniuria, Ioannes enim priorem solis iustitiæ ortum antecessit, Elias verò posteriorem eiusdem exortum antegredie- C tur: Cum quibus eos quoque partem habituros credibile fit, qui strenuè pugnando diabolum vicerunt. Neque mirum videri debet si idem nomen ad res inter se admodum diuersas nonnunquam transferatur, cùm ex sacris literis compertum habeamus, Christum & Antichristum alia & alia ratione idem nomen sortiri: Vterque enim appellatur Leo; sed ille ex Iuda; hic ex Basan. Sed & dies futuri seculi, in quo præsentis vitæ tenebræ discutientur finémque facient, Angelus rursum, qui illum annunciaturus est, Oriens quoque vocabulo alicubi designantur. Vterque enim iustitiæ solem, qui sanctis apparebit, præsentisque vitæ obscuritatem dissipabit, antecederet. Cuius radiis vtinam nos quoque illustrari contingat, accedente huc bona patris volun- D tate, qui cum Spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Quid stella matutina nomine designetur.
Esai. 14.
Psalm. 90.
Luc. 10.
2. Petr. 1.

Quo sensu Luciferi nomẽ in Ioannem Baptistam & Eliam conueniat.

Idem nomen alia & alia ratione diuersis rebus in scriptura tribui solere.

Et Christum & Antichristum Leonem vocari verum hunc ex Basan, illum ex tribu Iuda.

Vocabulo Orientis vsus variatur.

DE IIS, QVÆ SARDICENSIS ECCLESIÆ Angelo significata sunt.

CAPVT VII.

SERMO TERTIVS.

ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.

Cap. 3.

Quid per septem stellas & totidem Spiritus denotetur Apocalypsis tertio.

Per septem stellas septem Angelos denotari iam antè E indicatum est. Per septem autem Spiritus vel illi ipsi, aut septem certè viuifici Spiritus vires & energiæ innuuntur: Vtraque enim in Christi manu & potestate sunt. Nam & Angelis tanquam vniuersorum Dominus imperat; & Spiritum sanctum tanquam eadem cum illo essentia & potentia præditus, largitur. Increpat autem Sardicensem Ecclesiam, quòd nudum tantum viuę fidei nomen teneat, ad bona verò opera quod spectat, demortua iaceat.

Christum tanquam Dominum Angelos mittere, eundémque velut Deum Spiritum sanctum impertire.

Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua, & pœnitentiam age.

Bonis operibus destitutos, solo nomine fideles esse.

Ignauiæ, inquit, desidiæque somnum excute, tuáque

Non exordiũ bonorum operum coronare operarium, sed perfectionem & ad finem vsque perseuerantiam.

Traditiones Apostolicas seruãdas esse.

Vt seculi consummatio est incerta, ita vniuscuiusque mors quoque.

tuáque membra, quæ propter infidelitatem ad mortem recta tendunt, confirma: neque enim bonorum operũ A exordium coronat operarium, sed perfectio. Memento proinde traditionis, quam ab Apostolis accepisti & audiuisti, & serua eam deque ignauia tua serio resipisce, & pœnitentiam age.

Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.

Meritò illud; nam vt communis præsentis seculi consummatio omnibus est incognita; ita vniuscuiusque mors quoque est incerta. Cæterùm qui corporis mortem adducit, iis quidem qui parati sunt quietis à laboribus auctor est, iis verò qui secus comparati sunt, fur est.

Mors aliis fur est, aliis à labore requies.

Qui carnis illecebris se non polluunt, olim candidis vestiendos esse.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. B

Hoc, inquit, bonum adeptus es; quod quosdam apud te habes, qui sordidis impurisque actibus carnis suæ vestimenta non contaminauerunt; qui proinde in regenerationis solennitate candidis vnà mecum induentur; vt qui immortalitatis stolam impollutam conseruauerint.

Vnumquemlibet virtutũ suarum stola exornatum iri.

Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis: & non delebo nomen eius de libro vitæ: & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Qui, inquit, victoriam, de qua antè dictum est, cum gloriosis martyribus obtinuerit, virtutum suarum stola ornatus splendebit velut sol; nomenque illius in libro viuentium manebit indelebile: quippe qui palàm corã C patre meo, angelicisque virtutibus illud professurus sim. Quin in Euangelio quoque legitur iustos instar solis splendoris radios olim fusuros.

CVIVSMODI SIGNIFICATA FVERINT *Angelo Ecclesiæ Philadelphiæ.*

Capvt VIII.

Quid per Dauidicam clauem designetur.

Clauis potestatis symbolũ est.

Cum suo prophetia clauem Spiritum sanctum esse.

Quid per clauem inferni significetur.

Christũ ipsũ per se sanctitatem & veritatem esse.

Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit; & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.

Davidicæ clauis appellatione eiusdem regnum designatur, quandoquidem clauis inter potestatis symbola censeri solet; Clauis rursum libri D Psalmorum omnisque adeò prophetiæ est Spiritus sanctus. Per huc enim omnes omnino cognitionis thesauri aperiuntur. Et quidem priorem clauem accepit Christus vt homo; posteriorem autem vt sempiternus Deus naturaliter obtinet. Quia verò in vetustis quibusdam exemplaribus legitur, clauis inferni, per interorum clauem vitę mortisque potestatem penes Christum esse significatur. Qui quidem Christus sanctus & verax nominatur, tanquam ipsa per se sanctitas & veritas.

Noui opera tua, Ecce dedi coram te ostium apertum & nemo potest claudere illud; quia exiguam habes virtutem, & seruasti sermonem meum, & non negasti nomen meum.

Philadelphio fides magna, ciuium numero parua.

Philadelphiẽsis Ecclesiæ opera Deo grata.

Sola Dei voluntas ad quodlibet impediendum efficax.

Ex veterum monumentis constat, ciuitatem hanc ambitu quidem ciuiúmque numero paruam extitisse; E At fide verò & virtute plurimùm valuisse ex hoc loco discimus. Quam ob rem eiusmodi oratione illam compellet; noui opera tua, hoc est, grata acceptáque illa habeo, quemadmodum iam olim ad Moysen dicebat: Noui te præ omnibus; ostiúmque docendum & prædicandum coram te aperui, quod nullæ tentationes poterunt claudere. Sola enim voluntate ad hoc malum impediendum sat sum; neque enim exigo abs te, quæ vires tuas excedunt.

Ecce do de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt; sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, & scient quia ego dilexi te.

Confessionis mercedem, qua confessus es nomen meum, Iudæorum conuersionem & pœnitentiam feres inquit, procident hi namque ad pedes tuos, eiusq; A vt ad me adducantur mentisque illuminationem consequantur abs te petent; de cætero non tam in aperto, sed in abscondito cordis Iudæi futuri.

Iudæorum conuersio meritis loco Philadelphensibus promittitur.

Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, tentare habitantes in terra. Ecce venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

Quid per tentationis horã insinuetur in Apocalypsi.

Tentationis horam aut sæuam impiorum Tyrannorum, qui vrbis Romanæ clauum tum temporis tenebant, aduersus Christianos persecutionem appellat; Ea enim iam tum præ foribus vrgebat, à qua se illam liberaturum respondet: Aut eam certè tempestatem, quam Antichristus sub finem seculi contra Christi fideles per vniuersum mundum excitabit; Ex qua Christus Do- B minos sectatores suos, ne supra vires tententur, sese erepturum promittit, siue per corporis dissolutionem antę illud tempus è medio illos tollat siue alia via & ratione ab impendenti periculo eosdem eripiat. Appositè autem dicit, Ecce venio citò: Siquidem post dierum illorum afflictionem, vt in Euangeliis legimus Iudex statim est venturus, propterea quoque seriò admonet, vt fidei thesaurum inuiolatum conseruent operámque dent sedulam, ne patientiæ coronam amittant.

Deus electos suos supra vires tentari nõ permittere.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.

Aduersariarũ potestatum victores Ecclesiarum columnam & firmamentum esse.

Rectè illud; nam qui aduersarias potestates debellauerit, columna & firmamentum Ecclesiæ constituitur; C vtpote immotum iuxta Apostoli doctrinam fundamentum in illa habens.

Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem: quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.

Christi Iesu nomen in futuro seculo percelebre inter sanctos futurum.

Quo sensu Hierusalem è supernis descendere dicatur.

Per Christũ Angelos & homines in vnum quasi corpus aptari.

In corde, inquit, eiusmodi columnæ diuini nominis supernæque Hierusalem notitiam inscribam; quo pulchritudinem, quæ in ipsa existit, spiritalibus oculis consideret. Et nomen itidem meum nouum, quod in futuro seculo inter sanctos percelebre erit. Verbum autem posteaquam citra vllam sui mutationem caro semel nostra caussa effectum est, susceptæ & humanitati sermonem admetiens, humanóque more loquens, cœlestem Patrem Deum appellat suum, Hierusalem autem è supernis descendere dicitur: Siquidem diui- D na cognitio ab Angelis exorsa, certo quodam ordine ad homines vsque pertingit; Per Christum namque caput nostrum hi & illi inter se inuicem apti sunt.

Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Istiusmodi autem vt consequamur, precibus ad Deum fusis indefessè contendamus.

QVALIA LAODICENSIVM ECCLESIÆ *Angelo significata fuerint.*

Capvt IX.

E *Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.*

Christum esse ipsummet veritatem per essentiam.

Quo sensu Christus dicatur principium omnis creaturæ.

Fidelitatis voce Christi veritas hoc loco innuatur, aut verius, illum esse ipsummet Amen, vel ipsissimam veritatem per essentiam hac phrasi indicatur. Vocatur autem creaturæ principium, quia est primordialis, & increata eiusdem caussa vel ob id creaturæ ἀρχὴ vocatur, quia absolutum in res omnes productas principatum tenet.

Scio opera tua, quod neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

Cùm hominem accuratè viuere, hoc est, vel insigniter feruere, vel insigniter frigere oporteat, meritò, in-

Quid sit in fide nec calidum nec frigidum esse.

quit, Gregorius Theologus, dicit: Vtinam frigidus aut feruidus esses; Siquidem qui omnino adhuc friget, hoc est, feruentis fidei exsors est, prorsus spem facit fore vt eam aliquando consequatur, adeóque ex frigido feruidus euadat: At verò qui per Baptismum spiritu feruidus semel extitit, & postea per ignauiam intepuit, ille salutis spem sibiipsi quodammodò amputauit: fide nimirum, quam antè complexus videbatur, repudiata. Sanè in operibus externis, quod medium seruat, non est semper respuendum quasi cum vitio sit coniunctum (neque enim legitimum coniugium, quod medium tenet, inter virginitatis custodiam & vagam libidinem est condemnandum) At verò medium, hoc est, tepidum in fide, iure ab omnibus improbatur.

Medium in fide & religione rectè ab omnibus improbari.

Incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

Tepidũ vomitum ciere natum.

Quomodo Christus tepidos ex ore suo euomat & quare.

Quemadmodum, inquit, tepidum vomitum iis ciere solet, qui illud assumunt; ita ego quoque per verbum oris mei te veluti execrabilem escam in sempiternum supplicium exspuam. Nam diuitiarum spinis obsitus, diuini verbi semen in te præfocas, tuámque in rebus spiritalibus inopiam ignoras; neque interiorum oculorum tuorum cæcitatem curas, neque tuam quoque à bonis operibus nuditatem satis accuratè considerans.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias: & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ; & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

Vnum Deum esse, qui veras opes largitur.

Si ditescere lubet, à me inquit, qui veras stabilésque opes largior, feruenti desiderio, volentique animo ignitum aurum emito; nempe sacræ doctrinæ verbum igne exploratum splendidúmque redditum. Per hoc enim cordi tuo eiusmodi thesaurus obtinget, qui nec violari, nec deripi facilè poterit. Vestiénsque splendida virtutum stola, qua nuditas, quam ex peccato contraxeras, contegetur. Per collyrium autem innuere videtur externarum rerum penuriam, munerúmque despicientiã. Nam si dona videntium oculos excæcant, omnino munerum contemtio hos aperiet.

Cuiusmodi collyrio mētis oculi sint inungendi.

Ego quos amo, arguo & castigo: æmulare ergo, & pænitentiam age.

Papæ quanta Dei clementia? quanta suauitate & benignitate reprehensionem temperat.

Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.

Deum neminem cogere ad virtutem aut pænitentiam.

Mea, inquit, præsentia nulli vim adfert: Cordis ostiũ pulso, promptè aperienti super salute sua gratulor, illámque, opiparæ cœnæ loco duco: Siquidem iis rebus præcipuè capior & pascor, quibus ipsi spiritum alunt, famémque audiendi verbum Dei sedant ac erroris tenebras propulsant.

Cuiusmodi sit cibus quo Deus præcipuè oblectatur.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici: & consedi cum Patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Quid per Christi thronum denotetur.

Per solium regnum futurique seculi requies denotatur, ait ergo: Quisquis hostem, qui sub aspectum non venit, deuicerit, ille mecum regnabit, meæque gloriæ particeps erit. Cùm autem addit: Sicut & ego vici, ob assumptam carnem, vt homo loquitur, neque enim Deus Verbum cœleste regnum tanquam virtutis præmium aliquando tulit: quippe qui naturaliter & ab omni æternitate illud possederit: Nisi enim natura sua ita comparatus esset, aliis illud impertiri non posset; Cùm tamen secundum tonitrui Filium pro potestatis suæ plenitudine sanctis illud impertiri consueuerit. Ad eandem quoque potestatem spectat iudices designare & instituere, sicuti sanctos Apostolos duodecim tribuum Israël iudices iam designauit olimque futuros promisit. Etenim posteaquam (cùm Deus alioqui & sempiternus Rex esset) nostra caussa semel factus est homo, nostraque omnia, solo peccato excepto, participauit, ea omnia quæ diuinitatis illius propria erant, Neque humanæ tamen naturæ repugnabant, vt qui diabolum superassent, vicissim impertiri constituit. Ea propter vt ille in sua ad cœlos assumptione nube tanquam vehiculo vti voluit; Ita sanctos quoque, vt Apostolus testatur, per nubem in occursum suum quondam abripiet. Rursum vt ipse tanquam creaturæ Dominus, rerúmque conditor Iudex venturus est, ita sanctis quoque illustribúsque viris eos iudicandi & condemnandi potestatem largietur, qui diuinæ veréque beatæ seruitutis iugum superbè excusserunt. Nesciti rait Apostolus, quia Angelos iudicabimus? nempe tenebrarum principes. Cùm ergo iudicem nacti simus vsque adeò benignum & clementem, vt illum beneuolum clementémque experiamur operam demus sedulam; illúdque Salomonis: Vestimenta tua omni tempore sint candida, hoc est, nullis prauis operibus contaminata, omni studio explere contendamus. Ad eum enim modum nuptiali veste animas nostras conuestientes, immortali sponso & regi nos commendabimus, ipsique per virtutem coniuncti, sempiternis illis bonis potiemur: In ipso Christo Deo & Domino nostro eorumdémque bonorum largitori, cum quo Patri cum viuifico sanctissimóque Spiritu sit honor, gloria, & adoratio in sæcula sæculorum, Amen.

Nisi Deus esset Christus regnum cœleste aliis impertire non posset.

Quicquid humana naturæ integritati nõ repugnat, vt peccatum hoc totum, Christum ex nobis assumpsisse, vicissim omnia quæ ad nos fieri potuit in nos transfudisse.

Cuiusmodi sint Angeli, quos Apostolus & alij excellentes viri olim iudicabunt.

1. Cor. 4.

Eccles. 9.

Quid per candida vestimenta innuatur.

DE OSTIO, QVOD IN COELO VISVM EST apertum: Déque viginti quatuor senioribus, & aliis quibusdam, quæ hunc ordine consequuntur.

CAPVT X.

SERMO QVARTVS.

Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri cito. *Cap. 4.*

Quid cælestis ostij patefactio, tubaque sonitus in Apocalypsi significent.

Cœlestis ostij patefactio, occultorum mysteriorum spiritus explicationem significat. Tuba autem grandisonam patefacientis vocem. Illud verò: Ascende huc, audientis mentem, à rebus hisce fluxis atque terrenis perfectè auulsam, in cœlo versari indicat.

Posthæc statim fui in spiritu. Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectus lapidis Iaspidis & Sardinis: Et Iris erat in circuitu sedis, similis visionis Smaragdinæ.

Christi thronum Sanctos omnes esse.

Cùm, inquit, vocem audiuissem, ménsque mea diuini Spiritus allapsu tacta fuisset, ecce mox thronum in cœlo positum vidi. Per hanc autem sedem, Christi in sanctis requies designatur: Siquidem in illis veluti in throno quodam insidet. Cæterùm Patri, quem hoc loco visum inducit, nullam omnino corpoream figuram affingit, vt in prima visione filio affinxerat, verùm preciosis tantùm lapidibus illum comparat. Iaspidi quidem quòd is viridis existat, suáque viriditate diuinæ naturæ symbolum præ se ferat; Hæc namque semper floret & viret vitámque & escam viuentibus omnibus præstat. Sed & omne quoque terræ semen viridem herbam fundere solet. Assimulatur adhæc Sardio ob terrorem, quem hostibus incutere natus est: Aiunt namque, Sardium feris spectrísque terribilem videri: vi præterea, quã natura insitam habet, ægra corpora sanare solitum. Sanè vt magno Epiphanio placet, non modò tumoribus, si commodè adhibeatur, medetur, verùm etiam ferro illatis vulneribus. Porrò Iris, quæ Smaragdi colorem æmulatur, varia & florida cœlestium virtutum & ordinũ ornamenta, diuersáque eorundem munia & ministeria adumbrat.

Cur cælestis Pater comparetur Iaspidi & Sardio lapidi.

Sardium lapidem variat & admirabiles vires fortitum.

Quid Iris, quæ cælestis patris thronũ circundat, significet.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis,

albis; Et in capitibus suis coronæ aureæ.

Variæ interpretum de 24. senioribus opiniones.

Hunc viginti quatuor seniorum numerum quidam ex priscis interpretibus constituisse existimant Abelem, cum alijs viginti veteris & tribus noui Testamenti Patribus. Ast certúmne id sit, an verò pro viginti quatuor elementorum Græcorum numero, rectiùs per hos accipiantur viginti quatuor, qui actione & cognitione præ cæteris excelluerunt, hoc iudicium penes Lectorem esto. Nobis illorum opinio magis probatur, qui per duodecim seniores intellexerunt duodecim viros, qui in veteri lege sapientia & virtute præ alijs illustres extitêre: Per reliquos autem duodecim totidem alios noui Testamenti heroas. Apud Iudæos celebres fuere duodecim Patriarchæ, duodecim tribuum principes & quasi capita: In nouo autem duodecim Apostoli, quos propter excellentem virtutem & sapientiam, Christus Dominus duodecim tribuum Israël iudices olim futuros docuit. Candidæ autem stolæ symbolum sunt integræ puræque vitæ: tum perpetuæ quoque festiuitatis solidæque lætitiæ qua beati potientur. Coronæ tandem aureæ, victoriæ aduersus malignos dæmones, non absque magno animi fortitudine obtentæ, sunt notæ.

Probabilem illorum opinionem valere, qui per 24. seniores accipiunt 12. Patriarchas veteris & totidē Apostolos noui Testamenti.

Mat. 19.
Luc. 22.

Quid stolæ coronæq; aurea denotent

Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.

Et hinc quoque planum fit, quàm terribilem ac formidabilem Deus iis exhibere sese soleat, qui illius patientia & mansuetudine abutuntur. Nam hominibus salute dignis, tonitrua isthæc & fulgura lucem verius & voluptatem quàm terrorem adferent. Alterum namque ex his mentis illorum oculos lumine perfundet, Alterum verò spiritales eorundem aures perficiet & quadam suauitate afficiet.

Deum terribilē contra eos se ostendere, qui illius patientia abutuntur.

Et septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei: Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.

Per septem hos Spiritus, aut septem Angelos cæteris præstantiores cùm Irenæo accipere oportet: Aut septē viuifici illius spiritus chrismata, quorum mentionem facit Esaias Propheta. Vtraque expositio ratione & auctoritate nititur. Cæterum per mare vitreum immensa illa sanctarum virtutum multitudo, rerumque cœlestium ab omni labe immunitas; necnon illa summáque futuræ vitæ tranquillitas designatur. Sunt tamen qui per mare vitreum aquas illas, quæ secundum Psalmistam super cœlos firmatæ homini prorsus incognitæ & inaccessæ sunt, denotatas putant. Aut crystallinam cœli naturam, aut singularem certè diuini illius pauimenti fulgorem & perspicuitatem. Verùm rerum, quæ mentis nostræ captum excedunt, inuestigationi prolixius, quàm par est, insistere, ridiculum fortassis fuerit.

Cap. 11.

Quid per mare vitreum in Apoc. designetur, variæ opiniones
Psal. 148.

Et in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro.

Per hæc ostenditur thronum Dei nihil ferè aliud esse, quàm regnum Dei iucundámque in eiusdem Sanctis requiem. Cernit autem in regno illo Seraphin oculis plena thronúmque, de quo hic sermo est iugiter obeuntia. Oculorum autem numero vim, qua ad hauriendos diuinitatis radios pollent, haud dubiè subindicat. Quandoquidem ea perfectione à Deo illustrantur, vt & illa videant, quæ iam dudum antè sunt facta; & illa rursum, quæ olim sunt futura.

Per thronum Dei duo significari.
Quo sensu Seraphim dicantur oculis plena.
Seraphim in diuina essentia non modò præsentia cernere, verùm etiam præterita & olim futura.

Et animal primum simile Leoni: & secundum animal simile vitulo; & tertium animal habēs faciem velut hominis; & quartum animal simile Aquilæ volanti.

Eiusmodi animalia Propheta Ezechiel contemplatus quoque legitur: Cæterùm per quatuor facies, quatuor elementa, ex quibus homo coagmentatur, eorundémque procreatio & conseruatio, vt nonnullis placet, hoc loco denotantur: Aut Dei in res omnes, siue illæ in cœlo, siue in terra, siue in mari, siue aëre, siue sub terra existant, dominatus: Aut quatuor primariæ virtutes, aut quatuor Euangelia, aut, quod aliis magis probatur, vtrúmque simul. Leone quidem fortitudinem & Euangelium secundum Ioannem significante. Nam, vt Irenæus admonet, num hoc in ipso statim exordio sempiterni regni mentionem inferr. Prædicat namque Dei verbum à principio extitisse. Vitulo verò tanquam propriis opibus laboribusque contento sibique sufficiente, iustitiam & Euangelium secundum Lucam, qui Christi genealogiam simul per legalem & sacerdotalem lineam ducit: Aquila autem temperantiam; huic enim animali isthæc virtus familiaris fertur, & Euangelium secundum Marcum, quod & breue est, & à Prophetico spiritu exordium facit: homine tandem prudentiam & Euangelium secundum Matthæum, quod legali missa, naturalem tantùm Christi generationem texit. Probabile fit quoque præcipuas œconomiæ Christi partes per quatuor hæc animalia designare voluisse. Regem extitisse indicatum videri potest per Leonem. Sacerdotem porrò aut verius sacrificium per vitulum, nostri autem caussa carnem assumpsisse per hominem. Viuifici denique spiritus, qui è supernis deuolat, benignum largitorem esse per Aquilam.

Cap. 1.

Quid per quatuor facies totidémque animalia Apoc. 4. & Ezech. 1. significetur

diuersæ extare opiniones & sententias. Leonem secūdum quosdā Euangelium Ioannis & fortitudinē significare. Vitulum autem Lucæ, & iustitiā: Aquilā verò Marci, & temperantiam: Hominem deniq; Matthæi, & prudentiam.

Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis.

Quatuor hæc animalia, vt magno Dionysio visum est, duabus alis ob id facies suas tegebant, duabus rursum pedes, & duabus tandem mediis volabāt, quò hinc constaret quanto cum metu & reuerentia in sublimiorum rerum theoriam & inquisitionem profundiorúmque mysteriorum comprehensionem ferantur; quantáque cautione haustos diuinitatis radios, ad alios inter rectos ordines & sedes non absque Dei iussu transmittere soleant.

Quo sensu vnus, Christus & Leo, & vitulus, & homo & aquila dici possit.

Quid sex alæ secūdum Dionysium portendant, quibus quatuor mystica animalia instructa sunt.

Et requiem non habebāt die ac nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, Qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Sanctæ istæ virtutes ob id requiem habere negantur, quòd à diuinis laudibus nunquam cessent. Cæterùm per sanctitatis nomen tertiò repetitum diuinitati, quæ in tribus hypostasibus ex æquo subsistit, laudem deferunt. Porrò autem illud, qui est, & qui erat, & qui venturus est, sacrosanctæ Trinitatis mysterium, vt antè quoque dictum est, ob oculos nobis ponit.

Diuinam naturam in tribus hypostasibus ex æquo subsistere.

Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum: Viginti quatuor seniores procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum.

Hinc discimus seniores, de quibus actum est antè, in diuinæ laudis decantatione virtutibus cœlestibus consociari: Victoriámque de hostibus, qui sub aspectum non veniunt, nulli alteri, quàm Deo acceptam ferre.

Homines simul cum Angelis Deo laudem decantare.

Et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam, erant, & creata sunt.

Tu, inquit, Domine, victricium coronarum auctor & largitor extitisti. Quam ob rem ab vniuersa creatura gloria, & gratiarum actio iure meritóque tibi debetur.

Deum victricium coronarum auctorē & largitorem esse.

De libro septem sigillis obsignato, quem nulla creata natura aperire potuit.

CAPVT XI.

E*T vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, obsignatum sigillis septem.*

Per hunc librum renaciſſimam sapientissimámque Dei memoriam accipimus, in qua iuxta, diuinum Dauidem, omnes homines descripti sunt, operámque diuinorum abyssum. Libri huius intima, propter spiritum in eo inclusum, captu sunt difficilia; extrema verò nempè

Cap. 5.
Quid denotetur per librū septem sigillis obsignatū.

ca quæ per literam offeruntur, minori negotio capiuntur. Septem autem sigilla, certam libri huius fidem, nullique mortalium satis perspectam eiusdem firmitatem significant: Aut eius sanè ordinem & dispositionem, qui diuini spiritus profunda scrutatur, quæ omnia soluere nulla omnino creata natura valet: Aut per librũ prophetia ipsa vniuersè intelligitur, quam Christus Dominus in Euangelio secundum Lucam impletam asserit: Quæ autem adhuc reliqua sunt, ea nouissimis diebus certò implebuntur.

Quid septem libri intus & foris scripti sigilla demonstrent.

Cap. 14.

Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra: neque subtus terram aperire librum, neque aspicere illum.

Per hæc manifestè ostenditur, neque Angelos, neque homines in carne adhuc degentes, neque sanctos corpore iam exutos accuratam iudiciorum Dei notitiam tenere; sed ipsum Dei Agnum solùm. Hic vnus enim oracula iam olim per Prophetas de ipso edita, per suum aduentum accuratè dissoluit, suæque Ecclesiæ patefecit.

Nullum viuentium accuratam iudiciorum Dei rationem tenere.

Prophetarum oracula per Christum impleta & Ecclesiæ patefacta.

Et ego flebam multum, quòd nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre illum.

Et ego, inquit, flebam, ob id forsan, quòd animo versaret, ne ipsa etiam Angelica natura in mortiferam ignorationem prolapsa esset.

Cur Ioannes, cum librum clausum neminem aperire posse intelligeret, fleuerit.

Et vnus de senioribus dicit mihi: Ne fleueris. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.

Etsi, inquit, liber hic Angelorum captum excedit, Dei tamen, qui nostra caussa factus est homo, non ita: Qui quidem secundum diuinam naturam, prout omnium rerum omnium conditor est, Dauidis radix & origo est: at verò secundum naturam assumptam ex eiusdẽ radice in vitalem hanc lucem progressus est.

Christum duplici nomine & ratione Dauidis radicem dici & esse.

VT AGNVS QVI HABET SEPTEM CORnua aperuerit librum.

CAPVT XII.

ET vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium. & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.

Septem oculi, totidémque Agni cornua, significant septem Spiritus Christi, quorum Esaias & Zacharias Prophetæ meminere. Quod autem Agnus ille cernitur veluti occisus, hoc vitam & speciem illius post mortem & immolationem exprimit: In illa namque tanquam verè occisus manifesta perpessionis suæ vestigia ostendit; quæ post suam quoque ex mortuis resurrectionem in corpore suo reliqua esse voluit.

Septem Agni cornua & oculi septem Spiritus Christi designare.
Cap. 11.
Cap. 3.
Christum mortis vestigia in corpore suo reliqua esse voluisse.

Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum: & cum aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores prociderunt corã Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.

Citharæ concinnam suauéque sonantem Dei laudẽ, rerumque diuinarum celebrationẽ demonstrant. Thimiamata autem beneuolentiæ sacrificium, quod fideles per vitæ castimoniam & integritatem Deo offerunt: huc enim spectat illud Apostoli: Christi bonus odor sumus. Phialæ verò pias castásque cogitationes: hinc nãque bonorum operum fragrantia, puráque & casta precatio dimanare consueuit.

Quod 24. seniorum & 4. animalium citharæ & phialæ & thimiamata monstrent offerãt.
2. Cor. 2.
Ex bonis castisque cogitationibus bona opera fluere.

Et cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus super terram.

Per hæc ostenditur seniores illos eximios quosdam præcellentisque sanctitatis viros esse; qui partim in veteri, partim quoque in nouo testamento Deo præ cæteris placuerunt; quique adeò communi omnium nomine Agno Dei, qui pro totius mundi salute immolatus est, suóque nos sanguine redemit, continuò gratias agunt. Nouum autem hoc canticum dicitur: Siquidem ex omni tribu & lingua ad fidei lumen vocati, & à literæ vetustate liberati, deinceps per spiritum canere edocti sumus. Eiusmodi autem terræ dominaturi prædicantur; non huic crassæ & caliginosæ, sed nouæ illi, quam Dominus mitibus se daturum promisit.

24. seniores quod cæteris omnibus præstent, communi omnium nomine pro redemptionis beneficio Deo & Agno gratias agere.
Cur canticũ, quod viginti quatuor seniores & quatuor animalia canunt nouum dicatur.

Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum; & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, et benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes sedenti in throno, & agno: Benedictio, & honor, gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

Ab omnibus, siue ea viuant, siue intelligant, siue quouis alio modo existant, Deus tanquam omnium principium & caussa laudatur & glorificatur: nec non vnigenitus & consubstantialis eiusdem Filius; qui homini totique creaturæ, quæ per ipsum facta est, nouitatem impertitus est. Etsi interim secundùm naturam assumptam, tanquam homo potestatem in ea, quæ sunt in cœlo & in terra, accepisse scribatur.

Deum ab omnibus, quæ in rerum natura existunt, laudari tanquam omnium caussam.
Christum suo aduentu rebus omnibus quandam nouitatẽ impertiuisse.

Et quatuor animalia dicebant; Amen, & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem, in secula seculorum.

Et hinc quoque demonstratur per Iesum Christum Deum & Dominum nostrum, qui diuulsa coniunxit, maceriæque interstitium dissoluit, vnum ex omnibus hominibus ouile, & vnam rursum ex hominibus & Angelis Ecclesiã factam esse. Ecce enim viginti quatuor seniores, per quos saluandorum plenitudo adumbratur, digni hoc loco prædicantur, qui cõsona voce cum quatuor mysticis animalibus, quæ inter cæteros Angelos primatum tenent, Deum laudent & adorent. Quo laudationis munere nos quoque in ipso Christo Deo nostro pacisque datore digni habeamur. Cum quo Patri vnà cum Spiritu sancto sit gloria, imperium & honor, nunc & semper & in infinita secula seculorum, Amen.

Per Christum ex omnibus hominibus factum esse vnum ouile ex hominibus autem & Angelis vnã Ecclesiam.

SOLVTIO PRIMI SIGILLI, PER QVAM Apostolorum doctrina designatur.

CAPVT XIII.

SERMO QVINTVS.

ET vidi quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis. Et audiui vnum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni & vide.

Cap. 6.

Ex hoc loco concinnum rerum cœlestium ordinem cognoscere licet: Siquidem ex primis ordinibus sensim fit gradus ad alios inferiores. Per primam itaque quadriformium animalium faciem, nempe Leonem, primam vocem factam audiuit Euangelista, quæ Angelo, qui ænigmaticam visionem imprimebat, demandabat vti veniret & videret. Cæterùm primum hoc animal (quod Leonem esse diximus) regiam Apostolorum prudentiam, imperterritámque eorundem contra dæmones fortitudinem significare creditur. Huc enim dictum illud; Ecce Reges terræ congregati sunt: & illud rursum; Constitues eos principes super omnem terram, pertinere videtur.

Concinnum in rebus cœlestibus ordinẽ extare.
Per Leonem Apostolorum robur & prudentiam insinuare.
Psalm. 47.
Psalm. 44.

Et vidi; & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.

Et

Septem sigilla totidem œconomia Christi partibus accommodari posse.

Sunt qui & præsentis, & reliquorum, & itidem quæ quæ hinc consequuntur, sigilli patefactionem ad incarnati Verbi œconomiam referant. Et quidem primum ex his septem, ad illius ortum. Secundum, ad Baptismũ. Tertium, ad signa, quæ post Baptismum susceptum patrauit. Quartum, ad iniustam apud Pilati tribunal accusationem. Quintum ad crucem. Sextum, ad sepulturam, Septimum, ad descensum ad inferos, inferorúmq; spoliationem. Nos autem Methodij: sententiæ lubenter astipulamur. Scribit is autem in hunc modum: Nulla necessitas cogit vt hæc ad Christum natum pertinere arbitremur: siquidem incarnati Verbi mysterium, dudum ante Apocalypsin editam, impletum erat: Ioannes autem de præsentibus olimque futuris verba facit. Hac autem pericopa, quomodo rufus ille ignitúsque draco subiugatus fuerit, exponitur. Primi proinde sigilli solutio ad Apostolorum generationem haud incommodè transfertur. Hi namque Euangelij prædicationem veluti arcum infractum contra dæmones intenderunt, salutaribúsque sagittis vulneratos ad Christum adduxerunt. Coronam ob id sortiti, quod per veritatis arma erroris ducem deuicerunt, secundęque victoriæ spe vsque ad violentam mortem nomen Domini professi sunt. Ea propter hoc loco exiuit victor vt vinceret. Prima itaque victoria, quam per Apostolos Christus nactus est, Gentium fuit conuersio: secunda autem spontaneus à corpore exitus, non absque cruciatu eius rei caussa susceptus.

Primi sigilli solutionem ad Apostolorum generationem, vitã, mortem & prædicationem rectius referri, quam ad Christi natiuitatem.

Secundi sigilli solutio, qua prælium, quod infideles contra fideles ineunt, describitur.

CAPVT XIIII.

Cap. 6.

Et cum apperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal, dicens: Veni & vide.

Secundum animal vitulum dici existimo; hoc autem sacrosanctas beatorum Martyrum hostias designat; sicuti primum Apostolicam potestatem, vti paulò antè indicabatur.

Secundum animal, nempe Vitulum, Martyrum victimas designare.

Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant. Et datus est illi gladius magnus.

Hanc secundam ab Apostolis successionem interpretati possumus; quæ per Martyres & Doctores constituta est. In hac enim Ecclesiæ ætate, dilatata iam Euangelij prædicatione, mundi huius pax dissoluta, hominúmque natura contra seipsam quodammodo diuisa est. Huc namque pertinet illud Christi; Non veni pacem mittere, sed gladium, per quem Martyrum hostiæ mactatæ, & in cœlesti ara oblatæ sunt. Porrò equus rufus, aut effusi sanguinis symbolum est; aut inflammatum illorum affectum significat, qui mortem pro Christo oppetierunt. Cùm autem additur rufo equo insidenti datam esse potestatem, vt tolleret pacem de terra, sapientissima Dei permissio ob oculos nobis ponitur; hæc vna enim est, quæ fidos Dei seruos per tentationes probari & explorari sinit.

Per secundum sigillum secundam Ecclesiæ ætatem, quod in martyrum tempus incidit, insinuari. Quomodo Christus pacem è terra sustulerit. Matth. 10. Quid significetur per equum rufum

Solutio tertij sigilli, quæ illorum à Christo defectionem proponit qui minus firmiter in ipsum crediderant

CAPVT XV.

Et cum aperuisset tertium sigillum, audiui tertium animal, dicens: Veni & vide.

Tertivm animal hominem, vt arbitror, designat: Hic autem, mortalium omnium casum. Nam ob voluntatis libertatem, & carnis infirmitatem homo facilè prolabitur in peccatum, eáque de caussa mitiorem quoque pœnam promereri videtur.

Homo liber, sed infirmus atque ob hoc venia dignus.

Et ecce equus niger; & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua; & audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentem, Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denarijs vno, & vinum & oleum ne læseris.

A Probabile fit aliquam tum temporis sensilem externámque famem exstitisse, qua de re suo postea loco aliquanto plura. Per equum autem nigrum denotatur luctus & mœror ille, qui, vt credi potest, apud iustos de illis orietur, qui propter suppliciorum immanitatem à fide, quæ est in Christum, deficiscet. Per stateram autem examen, quod eorum animos explorabit, qui ob mentis lubricitatem & inconstantiam; aut propter inanem gloriam, aut corporis quoque infirmitatem fidem abijciet. Tritici porrò chœnicem seu bilibrem denario vno æstimari, tropo quodam, vt quidam putant, illorum statum insinuat, qui legitimè certauerunt, impressámque à Deo imaginem accuratè custodiuerunt. Tres autem hordei chœnices tantidem fieri, illorum fortunam B exprimit, qui cùm pecudum more ignaui persecutorum furijs antè cessissent; postea prolapsum suorum ratione pœnitentiam egerunt, imaginémque peccatorum sordibus antè conspurcatam, lachrymis abluerunt. Quando verò, ne vinum aut oleum lædatur, iubetur, ne per turbam Christi medicina euertatur; aut per fraudem & imposturam infirmetur, serio iniungitur: vt quæ illos sanare sit idonea, qui in latrones inciderunt. Ad hæc per mortem illos intercipere non licere, qui per Dei longanimitatem & patientiam, post lapsum denuò exsurrecturi, decúsque pristinum recuperaturi sunt. Vt igitur nos quoque Deum Optimum Maximum, benignum, clementémque animarum nostrarum medicum experiamur, fratribus nostris errantibus benignos clemen- C tésque nos exhibere studeamus; obiurgationis vinum commiserationis oleo miscentes; ne nimia seueritate, quod Apostolus damnat, id quod claudum mutilúmve erat, distorqueamus verius quàm sanemus; eáque ratione Dei adiutores effecti, in bonis illius non absque iucunda voluptate in omne æuum versemur, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri & Spirituisancto sit gloria in secula seculorum, Amen.

Per equum nigrum tum luctum atque mœrorem denotari, quem concipient iusti de infirmorum à fide defectione.

Quid per stateram & tritici bilibrem significetur. Quid sit tres hordei chœnices denario vno æstimari.

Cur iubeatur ne vinum aut oleum lædatur, & quid hoc sit.

Errantes & infirmos cum lenitate corripiendos. Galat. 9.

Solutio quarti sigilli, qua illorum flagella delineantur, qui propter animi mollitiem & impatientiam Dominum negauerunt.

CAPVT XVI.

Cap. 6.

D *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis; Veni & vide.*

Qvartvm animal est Aquila, quæ vbi perspicacibus oculis prædam despectauit, magna statim celeritate è sublimi ad illam deuolat. Significat autem hæc, clades plagásque omnes non aliunde venire, quàm è supernis: Deus namque iusta ira & indignatione prouocatus, immittit illas partim quidem, vt iustos vlciscatur, partim etiam, vt impios, nisi fortè per eas excitati à sceleribus resipiscant, puniat atque affligat.

Clades & plagas omnes non aliunde venire quàm à Deo, sed iuste semper. Alio fine Deum punire iustos alio impios.

Et ecce equus pallidus; & qui sedebat super eum, nomen illi Mors: Et infernus sequebatur eum: Et data est illi potestas super E *quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.*

Hæc cum calamitoso rerum præsentium statu satis conspirât. Etenim cum Maximiano Romanorum Principe imperante, in ipso persecutionis æstu pestis simul & fames crudeliter grassarentur, tanta hominum multitudo, vt Eusebius Pamphili exponit, extincta interijt, vt cadauera sepulturæ tradi ægrè admodum potuerint, etiamsi Christiani accuratè per id tempus circa demortuorum funera occuparentur, erroréque seductos magna humanitate ad veritatis lucem adducere niterentur. Addit idem auctor non paucos quoque ab Armenijs, qui contra Romanos eadem tempestate insurrexerant, contrucidatos occubuisse, canésque in interfectorũ cadauera immaniter sæuisse; ita vt ij, qui à clade

Imperante Maximiano pestem simul & famem grauissimè sæuiisse, multósque mortales absumpsisse. Lib. 9. c. 8. hist. Eccle.

Bellum contra canes gestum Maximiano imperante.

reliqui adhuc erant, in canum cædem sese conuerterint, veriti ne posteáquam è viuis excessissent, illorum ventres viua sepulchra sortirentur. Probabile fit quoque agrestes feras cadauerum passim iacentium copia excitata, eiusdem cum canibus pastus participes exstitisse. Quin nostra quoque ætate quædam similia vsu venisse nouimus.

Solutio quinti sigilli, quæ Sanctorum clamores ad Deum pro seculi consummatione proponit.

Capvt XVII.

Cap. 6.

ET cum aperuisset sigillum quintum, vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant; & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?

Animas interfectorum, quæ subter altare vindictã expetunt, ad noui Testamenti Martyres magis spectare, quam veteris.

Non omnes qui vltionem iniustè persequuntur, Dei clementia indignos esse. Psal. 124.

Qvi quatuor sigillorum solutionem transactæ iam olim Christi œconomiæ tribuunt, illi, vt sibi constent, hanc quintam Prophetis iamdudum antè consummatis, cæterísque Sanctis accommodent oportet: Hi namque de Dei patientia & longanimitate certa quadam ratione haud iniustè queritari videri possunt; vt qui tentationi vsque ad mortem restiterint, iniustámque Iudæorum vim & contumeliam patienter sustinuerint. Qui verò receptiorem Doctorum Ecclesiæ sententiam secuti, hæc tanquam futurorum prædictionem accipere malunt, illi præsentis loci querelas atque clamores in eos magis conuenire statuunt, qui propter Christum occisi, contra persecutores vindictam expetunt; quatenus qui inter ipsos Dei clementia non prorsus indigni inuenientur, ad Dominum conuertantur: Obstinatè autem impij per vniuersalem totius orbis consummationem excidantur; ne iusti ad iniquitatem extendant manus suas. Nam etsi permulti impij iam dudum ante Dei iram experti sunt, nihilo secius illorum reliquiæ flagellis adhuc egent, quibus aut conuertantur, aut pro meritis certè plectantur.

Heb. 11.

Olim citra vllam erroris suspicionem ... bant, de animarum quoque opinionem tueri licuit, quod non licet, cum aliud ab Ecclesia sit definitum.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent adhuc pusillum temporis; donec compleantur conserui eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

Quin per hæc quoque sæculi consummationẽ expetere sancti probantur: Interim vsque ad fratrũ suorum mortem ne ante illos, iuxta Apostolum, consummantur, moram istam patienter ferre iubentur. Candidæ autem stolæ virtutum splendorem, qui illustris in illis existit, insinuat, quo splendore iam nunc vndique sunt circumfusi, etiamsi promissorum bonorum hæreditatem needum adepti sunt. Eorum itaque bonorum spe, quæ spiritali oculo nunc contemplantur, ab omni interea crassitudine exuti, meritò lætantur; necnon in Abrahæ sinu pacatè requiescere feruntur. Multorum namque Sanctorum sententia est, vnumquemlibet virtutis cultorem, locum factis suis dignum post hanc vitam sortiri, ex quo de gloria sibi præparata certam coniecturam facere valeat.

Hæc sententia diserte est iam condemnata & ab Ecclesia proscripta.

Sexti sigilli solutio, quæ plagas, quæ sub seculi catastrophen mortalium generi inferentur breuiter percenset.

Capvt XVIII.

ET vidi cum aperuisset sigillum sextum; & ecce terræ motus magnus factus est; & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis; & stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno mouetur.

Etsi non desunt, qui hæc omnia ad Hierosolymorum euersionem & obsidionem, quæ à Tito Vespasiano facta est, pertinere existiment, eóque referant; singula quæ hic dicuntur tropicos exponentes; nobis tamen probabilius fit à persecutionis tempore transitum hoc loco fieri ad tempus, quod Antichristi aduentum antecedet, in quod clades & persecutiones, de quibus hîc sermo est, incident. Cæterùm calamitates & cruces, quæ tantæ tunc exstabunt, quantæ antea nunquam visæ vel auditæ leguntur, haud alio fine prædictæ videntur, quàm vt homines dudum antè de iis præmoniti animum non despondeant, cùm per Antichristum eiusdémque ministros reipsa irrogabuntur: Siquidem mala præuisa, & quodãmodo præmeditata minus offendere solent. Per terræ autem motum Sacræ literæ rerum mutationem passim significant. Adhuc semel, ait Scriptura, & ego mouebo terram, quod Apostolus ad rerum mobilium translationem refert. Sic Israëlitarum quoque ex Ægypto profectio, terræ motus vocatur, Terra, scribit Dauid, mota est; etenim cæli distillauerunt. At verò solis nigredo, & lunæ obscuratio colórque eiusdem sanguineus, eorum cæcitatem & obscuritatem denotant, quos Dominus in ira sua tunc comprehendet. Ad hunc enim modum beatus Cyrillus non vno loco isthæc exponit. Quod autem stellæ cadant (id quod de iis quoque traditum legitur, qui ab Antiocho seducti fuerant) significat eos qui mũdi luminaria putabantur, suppliciorum terrore factos deiectósque, à fide & veritate in perfidiam & errorem defecturos. Nam vt Christvs Dominus præmonet, tanta tunc erit afflictio vt seducantur electi quoq; si fieri posset. Forsan ad id designandum in exemplum assumpta est ficus, vt quæ fructus imperfectos (cuiusmodi sunt qui tentationum igne necdum excocti; neque charitatis ardore ad dulcedinem adhuc perducti sunt) dum à diabolico vento vehementius quatitur, decutere ac in terram deiicere soleat. Nouimus enim vocabulum Ficus in bonam & malam partem accipi: Colligitur hoc cùm ex duobus illis bonarum & malarum ficuum calathis, quarum fit mentio apud Esayam; tum ex ficu rursum, quam maledictione sua Christus arefecit; tum ex illa denique quæ fertur in Canticis. Porrò autem an Christo Domino cum gloria & maiestate ad iudicium veniente, aliquid ex prædictis sensili modo euenturum sit, hoc vnus ille nouit, qui omnes scientiæ & sapientiæ thesauros in se abditos continet.

Antichristi persecutionem quæ sub seculi finem accedet, cæteris omnibus immaniorem futuram.

Per terræ motum rerum mutationem frequenter indicari. Agg. 2. Heb. 12. Psal. 67.

Quid solis nigredo & lunæ obscuratio colórque. eiusdẽ sanguineus mysticè significent. Quid item stellæ cadentes. Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.

Ficus vocabulum in bonam & malam partem vsurpari. Cap. 34. Matt. 21. Marc. 11. Cap. 2.

Et cælum recessit sicut liber inuolutus.

Cœlum instar libri inuoluti, vel secundum Christi aduentum incertum esse indicat; Siquidem libri subitò & absque vllo penè strepitu aperiuntur. Aut virtutes cœlestes, dum eos qui ex fide excidunt, ex commiseratione lugent molestam quandam animi ægritudinem, & quasi torturam præ se laturum. Quin aliud quoque per hoc significatur, nempe cœlum non subiturum aliquem interitum aut abolitionem, sed tantùm quandam inuolutionem, & ad meliorem statum mutationem. Qua de re Irenæus libro quinto reprehensionum falsi nominis scientiæ ad verbum ferè ita scribit. Neque enim cœli substantia, aut creaturæ essentia abolebitur. Siquidem qui hanc coagmentauit verus & stabilis est; sed mundi figura, in quo præuaricatio accidit, in statum primò venustiorem, vt veteres asseruot, transitura est. Hæc magnus Irenæus. Arbitramur autem Apostolum veterum consuetudini orationem accommodasse; siquidem Hebræi loco librorum, quorum apud nos est vsus, inuolutis quibusdam chartis vtebantur, quarum euolutio vel explicatio non pariebat interitum, aut extinctionem, sed rerum, quæ in illis descriptæ continebantur, manifestationem. Eapropter cœlestis quoque corporis explicatio bonorum, quæ Sanctis istic reposita sunt, patefactionem ostendit. Atque ita præsentem locum quadrifariam, prout diuinitus nobis datum est, exposuimus, iam sequentia persequamur.

Quid sit cælum instar libri inuolui.

Probabilis Irenæi de cæli & mundi immutatione sententia.

Cæli inuolutionem bonorum quæ Sanctis istic reposita sunt, manifestationem quorundam sententia significare.

Et omnis mons, & insula de locis suis mota sunt; Reges terræ & Principes, & tribuni, & fortes, & omnis seruus, & omnis liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus & petris; Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, Quoniam

venit

venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poteſt ſtare.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus Apoſtolis de Hieroſolymitani templi euerſione & ſeculi conſummatione interrogantibus, quæ olim futura erant, quatenus eius rei capaces erant, prædixit. Ex quibus quidem cladibus & incommodis multa in Veſpatiana obſidione Iudæis, qui Chriſtum in crucem egerunt, vt Ioſephus ſcriptor Hebræus diffusè in ſua hiſtoria explicat, euenerunt. At verò ſub ſeculi finem, nempe ſub Antichriſti aduentum, multò plura multóque ſæuiora & crudeliora mala totum, vt ita dicam, orbem opprimunt. Ea namque tempeſtate tam ij, qui mundana potentia præ cæteris præſtant, quàm ij etiam, qui inter Eccleſiaſticos primatum tenent, montes figura quadam appellati, tum fidelium quoque Eccleſiæ, quæ inſulæ metaphoricōs vocantur, & innouatæ à Deo apud Eſayam leguntur, ſedes ſuas deſerent, déque loco ad locum propter Antichriſti immunitatem ſubinde ſe transferent. Cuiuſmodi incommoda & clades nos quoque Antichriſti aduentum propter peccata noſtra iam experti ſumus. Cæterùm Reges terræ ij hoc loco dici videntur, quorum ſtudium & dominium circa terram præcipuè occupatur; nihilque commune cum cœlo habent. Qua in re conſpirant cum omnibus terrenis principibus, & diuitibus, rerúmque terrenarum ſeruis, & liberis, hoc eſt, à Chriſti te abſolutis. Hi igitur omnes ſub ſpeluncis, & petris, & montibus abdi expetent potius, quàm Agni iram & flagella, quæ in Antichriſti aduentu ſecundùm iuſtam Dei permiſſionem ex fame, & peſte, aliiſque eiuſmodi plagis orta, inſtar impetuoſi imbris miſeros illos obruent, experiri. Aut certè tanto illo terrore concutientur propter præparata poſt carnis reſurrectionem ſupplicia nunquam finem habitura; quando nimirum diuina ira, & quidem iuſtè, magis, exardeſcet in eos, qui ſupra fidei fundamentum ædificauerunt ligna, fœnum, & ſtipulam, quàm incenſa fornax, omniáque veluti paleas ignis ſolet, conſumet. A qua ira clemens & benignus Deus nos liberet, æternorúmque bonorum, quæ ſanctis illius repoſita ſunt, participes reddat, illorum plenitudini nos accenſens, qui ſalui fient, gratia & benignitate vnigeniti Filij ſui, cum quo Patri, & Spiritui ſancto ſit gloria, honor, & adoratio in ſecula ſeculorum Amen.

Quid ſit inſulas de ſuo loco moueri.

Qui dicantur Reges terræ. Apoc. 6.

Cuiuſmodi ſint quæ olim montibus & petris dictura ſunt; Cadite ſuper nos.

De centum quadraginta quatuor hominum millibus qui à quatuor Angelorum plaga illæſi conſeruantur.

CAPVT XIX.

SERMO SEPTIMVS.

Cap. 7.

POST hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terrã, neque ſuper mare, neque in vllam arborẽ.

Etſi iſthæc ad illa incommoda à quibuſdam referantur, quæ Iudæi quondam à Romanis perpeſſi ſunt. Arbitrantur enim per quatuor myſtica animalia effectum, vt neque terra, neque mari, neque vlla alia via iram diuinam impendentémque cladem euitare potuerint, multò tamen rectius ad Antichriſti aduentum locus hic refertur: Tunc enim ſæua illa tempeſtas furibundè deſæuiet non in vna aliqua terræ parte ſolùm, aut in Iudæorum Regione tantum, ſed in vniuerſa terra. Quare etiam ſuper quatuor eius angulos quatuor Angelos ſteiiſſe narratur, qui implerent miniſterium diuinitus quidem ſibi demandatum, nobis autem incognitum. Aſt verò ventorum cohibitio legitimi ordinis diſſolutionem, ineuitabilémque comminatorum malorum euentum haud dubiè inſinuat: Siquidem per ventorum flatum arbores & plantæ nutriuntur & refocillantur, & maria nauibus ſulcantur.

Quid quatuor ventorum flatus diuinitus inhibitus portendat.

Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens:

Quod Prophetę Ezechieli per illum iam olim ſignificabatur, qui linea ſtola indutus gementium frontes ſignabat, ne iuſti ſimul interirent cum iniuſtis (ſunt enim Sanctorum virtutes ſępe occultæ, & ne ipſis quidem Angelis ſatis compertæ) hoc ipſum beato Ioanni pari ferè modo hoc loco oſtenditur. Etenim per ſublimioris virtutis & ſanctitatis Angelos, Angelis pœnis irrogandis præfectis ſeriò hîc indicitur; ne quid prius contra peccatores tentent, quàm veritatis cultóres per ſignaculum ab alijs diſtinctos videant. Hoc autem etſi ijs quondam ex parte accidexit, qui ex Iudæis in Chriſtum credentes depopulationem illam, quæ Hieroſolymorum ciuitati à Romanis illata eſt, admirabiliter euaſerunt, qui ſecundum magnum Iacobum, qui illorum multitudinem Apoſtolo Paulo allegabat, aliquot myriades conficiebant; Veruntamen aduentus Antichriſti tempore maximè, vt antè dictum quoque eſt, hoc locum habebit; quando nimirum viuificæ crucis ſignum fideles ab infidelibus ſecernet. Hi enim intrepidè citráque vllum ruborem Chriſti crucis ſignaculum in conſpectu impiorum deferent, & ob id Angelus hîc mox ſubiungit.

Capu. 4.

Sanctorum virtutesne ipſis quidem Angelis ſemper patere.

Iudæos qui in Chriſtum crediderant, Titi & Veſpaſiani gladios euaſiſſe.

Act. 21.

Crucis ſignũ Antichriſti tempore fideles ab infidelibus diſtincturum.

Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

Creatura noſtri cauſſa facta nobis caſtigatis vnà nobiſcum plagarum particeps efficitur; quemadmodum è diuerſo Sanctis ad gloriam euectis, ipſa ſimul quoque cum illis lætabitur & ſuo etiam modo glorificabitur. Diſcimus autem hinc virtute quoque ornatos Angelorum præſidio egere, quò nimirum aduerſus grauiores tentationes firmentur & corroborentur. Cęterùm ſpiritus ſignaculum, quod homini contra tentationes donatur, eatenus vim ſuam oſtendit, quatenus ipſi collaboramus. Qui igitur auxilio hoc deſtituuntur ideò deſtituuntur, quia vnà cum ipſo manum operi adhibere non volunt.

Angelorum præſidiũ omnibus etiam virtutibus ornatis in grauioribus præſertim tentationibus neceſſarium eſſe. Diuina gratiæ collaborãdũ, alioquin otioſam manere.

Et audiui numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati; ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda, duodecim millia ſignati.

Iudas confeſſionem ſonat, per quem illi deſignantur, qui per Chriſti confeſſionem, qui ex Iuda ortum ducit, ſalutem conſequuntur.

Iudas quos ſignificet.

Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati.

Ruben ſi nomen interpreteris viſionis filium ſonat, per quem denotantur, qui per cordis puritatem cœleſti viſione potiuntur.

Quid & quos Ruben demõſtret.

Ex tribu Gad, duodecim millia ſignati.

Gad tentationem ſignificat, per quem illos accipere licet, qui per tentationum tolerantiam & patientiam, ad ſimilitudinem Iobi corona donantur.

Quos Gad.

Ex tribu Aſer; duodecim millia ſignati.

Per Aſer, qui interpretatus beatitudinem ſonat, illi intelliguntur, qui per dignam vitæ conuerſationem dominicam beatitatem promeriti, ſtationem ad dexteram Chriſti conſequuntur, filijque lucis & diei appellantur.

Quos Aſer.

Ex tribu Nephtalim, duodecim millia ſignati.

Per Nephtalim, qui precationem denotat, ij inſinuantur, qui aſſiduo precandi ſtudio Deo indiuiulsè adhærent.

Quos Nephtalim.

Ex tribu Manaſſe, duodecim millia ſignati.

Manaſſes, qui ab obliuione nomen trahit, deſignat illos, qui diuino amore incenſi, ea quę retro ſunt, domúmque paternam obliuioni tradunt.

Quos Manaſſes.

Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati.

Per Simeonem, qui idem ferè ſonat, quod obedientia innuuntur illi, qui per ſtudioſam diuinorum præceptorum obſeruationem iuſtificationis gratiam conſecuti ſunt.

Quos Simeõ.

Ex tribu Leui, duodecim millia ſignati.

Leui aſſumptum ſignificat, quo nomine denotantur ij, qui per conuerſationem Sacerdote dignam à Chriſto aſſumpti ſunt. Collocatur autem Leui ordine octa-

Quos Leui.

uus, quod octauo demum resurrectionis die verum sacerdotium ostensum sit.

Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.

Quos Issachar

Per Issachar, qui de mercede appellationem sortitur, illi adumbrantur, qui propter mercedem, quam ex Deo expectant, studiosæ vitæ rationem ineunt.

Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati.

Quos Zabulon exprimat.

Zabulon interpretatur virtutis aut suaueolentiæ habitaculum, per quem intelligi videntur, qui per inhabitantem Dei Spiritum aduersus animi perturbationes carnísque sensum firmati & corroborati, facti sunt bonus odor Christi, vt Paulus loquitur.

2. Cor. 2.

Ex tribu Ioseph, duodecim millia signati.

Quos Ioseph,

Ioseph idem sonat quod additio vel incrementum, denotat autem eos, qui in partem augmenti vnà cum regno cœlorum, ea quoque à Domino accipiunt, quæ ad vitæ vsum necessaria habentur.

Ex tribu Beniamin, duodecim millia signati.

Quos Beniamin.

Rom. 11.

Per Beniamin, qui interpretatus doloris, aut diei, aut dexteræ Filium significat, eos accipere possumus, qui per cordis dolorem seruantur; siue ij ex illorum numero sint, qui tum ex Iudæis fideles facti erant; siue ex illorum, qui ex Romanorum captiuitate fidelium cœtui adiuncti fuerunt; siue, quod nobis verisimilius fit, ex eorum, qui sub seculi consummationem ex Iudæis per fidem saluabuntur: quando nimirum iuxta Apostoli sententiam post gentium multitudinem ingressam, omnia quoque Israel saluus fiet. Neutrum à ratione videtur alienum. Cæterùm exacta illa accuratáque ex quauis tribu æqualitas, Apostolici seminis multiplicationem insinuat; siquidem numerus duodenarius duodecies multiplicatus, prædictorum millium numerum integrè absoluit. Apostoli namque Verbi vel grani potius illius discipuli erant, quod in terram lapsum multiformem pro sua clementia salutis fructum vniuerso terrarum orbi progerminauit. Obseruandum est quoque tribum

Antichristum ex tribu Dan nasciturum.

Dan, quod Antichristus ex illa nasciturus feratur, cum reliquis tribubus hoc loco non recenseri. Verùm eius loco tribum Leui, quæ olim, quod sacerdotalis esset, in tribuum diuisionem non veniebat, suffectam esse. Porrò ex nominum interpretatione vnicuique tribui sententiam aliquam accommodare licet; sicuti nos quoque in proximè expositis aliquam vnicuilibet accommodauimus. Cæterùm Ioseph pro Ephraim filio ab Euangelista positus est. Conuenienter autem prædictus duodenarius numerus illis assignatus est, tum ob duodecim veteres Hebræorum Patriarchas tribuúmve principes; tum etiam propter Apostolos, qui illorum loco constituti sunt principes super vniuersam terram, vt scriptum exstat; per quos etiam Iudæi, per orbem terrarum dispersi, salui fiunt.

Apostoli in duodecim Patriarcharum locum successis.

Psalm. 44.

De innumera illorum turba, qui ex gentium nationibus conuersi, candidis induentur, vnáque cum Christo regnabunt.

CAPVT XX.

Cap. 7.

POST *hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno.*

Psalm. 138.

Hi sunt, de quibus Dauid aiebat: Enumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, è quibus alij iam olim fortitudine digna Martyre pro Christo decertârunt, suarúmque actionum stolas sanguine propter Iesum profuso dealbârunt; alij verò sub nouissima tempora ex omni tribu & lingua fortium Athletarum more, adhuc decertaturi ac dealbaturi sunt. Omnes autem directos suauium & quod ad cor attinet, candidarum palmarum ramos victoriæ symbola manibus gestantes, circa diuinum summæque quietis thronum choros ducunt, & in

Nouissima tempora fortissimorum Martyrû copia affluent.

omne æuum ducturi sunt tanquam grati famuli, victoriam omnem contra dæmonem, carnem & mundum obtentam, non sibi, sed largitori ex animo adscribunt.

Palma victoriæ symbolû.

Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo, Deo nostro, in secula seculorum, Amen.

Ecce vna ex Angelis & hominibus Ecclesia constituitur. Et quidem priscis Sanctis, tametsi Angelis non dissimilibus, formidabiles apparebant Angeli, quemadmodum ex Daniele Propheta, & aliis quibusdam cognoscere licet: tunc autem vnà cum hominibus ministrabunt; siue corpore vestiti locóque circumscripti, vt eruditis quibusdam placet, inter ipsos compareant, siue vt aliis magis probatur, trina illa longitudinis latitudinis, & profunditatis intercapedine (vt quæ corporum sit propria) destituti; non in propria natura conspiciantur, sed in ea figura & forma, quam Deo illis tribuere visum fuerit. Vt vt sit, in circuitu animalium & seniorum consistere cernentur. Per hanc autem stationem, honoris magnitudinem & excellentiam, qua illi potiuntur, qui per seniorum numerum designâtur, ostendunt. Ab omnibus autem præpotenti Deo propter eximiam illius in res omnes à se productas curam & prouidentiam admirandámque œconomiam & dispensationem nostri caussa susceptam, gratiarum actio impenditur, & in omne æuum impendetur.

Ex Angelis & hominibus vnam Ecclesiam constitui

Incertum esse qua forma Angeli olim inter homines versaturi sint.

Quod Angeli thronû Dei & 24. seniores & 4. animalia undiq; ambiant, id ingentem 24. seniorum & 4 animalium dignitatê arguere.

Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine mi tu scis.

Vnus è senioribus per interrogationem excitat Apostolum Ioannem, vt de iis quæ viderat inquirat. Ioannes verò dum inscitiam suam ingenuè profitetur, amanter ab eo, quem cernebat, de rei veritate instruitur.

Beatos omnes Deum continuò laudare & gratias eidem agere.

Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni; ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno, habitabit super eos.

Humanis manifesta confessio, scientiam parit.

Beati planè qui per temporarios labores exiguásque corporis molestias sempiternam requiem comparârût, quique ob id quod vnà cum Christo impigrè certarunt crucémque pertulerunt, simul cum illo regnant & perpetuò illi ministrant. Siquidem per diem & noctem quædam temporis perennitas, actionísque continuitas hoc loco designatur: Quandoquidem ibi nulla nox est, sed vna tantùm dies, non sole hoc, qui sensibus obiicitur, illustrata, sed sole iustitiæ, qui mente cernitur, illuminata. Forsan per noctem profunda reconditáque abdita cognitionis mysteria denotantur: Per diem autem quædam euidentia captúque facilia. Templum autem Dei est quæuis creatura per Spiritum innouata; præcipuè verò homines illi qui viuum extinctúmque Spiritus pignus fideliter custodiuerunt: in quibus quoque Dominus se habitaturum & ambulaturum promisit.

Per diem & noctem quandam temporis perennitatem designari.

Per noctem obscura mysteria significari per diem autem clara.

Non esurient neque sitient amplius.

Meritò istud: Habituri sunt enim panem illum cœlestem, vitæque fontem.

Nec cadet super illos sol, neque vllus æstus.

Neque enim vllis amplius tentationibus, quæ per solem & ardorem significantur, tunc vexabuntur vel affligentur: transacto nimirum iam omnium certaminum tempore.

Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum; & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Per solem & æstum tentationum ardorem significari.

Qui, inquit, tum temporis à Christo pascentur, luporum incursiones amplius non formidabunt; quippe cùm omnes tunc lupi in gehennæ incendium, quod nunquam extinguitur, amandati sint, deducentur autem ad liquidos purósque diuinarum intelligentiarum fontes, per aquam designatos: ibidémque non crassa aut corporea pascentur & potabuntur esca vel aqua, sed immateriali

riali & spiritali. Quin hoc ipso quoque tempore fons ille suauem diuini Spiritus liquorem fundere nunquam desinit. Neque enim Dominus frustra de illis, qui sincerè in ipsum credituri erant, fore prædixit, vt flumina aquæ viuæ de ventre illorum dimanarent, qua sancti vbertim nunc potati, in perpetua lætitia & exultatione degent. Etenim scientia illa, quæ ex parte est, exui, perfectáque locupletari, & ab omni præterea mutatione & corruptione liberi, æternam beatámque vitam ducturi sunt.

Non modò in cælesti patria sed in hac mortali quoque vita fontem illum veniunt diuini Spiritus liquores fundere. Ioan. 7.

Solutio septimi sigilli, qua explicatur quomodo angelicæ virtutes Sanctorum preces veluti thymiama quoddam Deo offerant.

CAPVT XXI.

Cap. 8.



Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo media ferè hora. Et vidi septem Angelos in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.

FRAQVANTAR & familiariter admodum hic sanctus septenarium numerum assumit; vt qui præsentis seculi symbolum præ se ferat, & ad sabbatismum Sanctorúmque requiem recta tendat. Quare hoc quoque loco per septimi sigilli solutionem aliud nihil denotari putandum est, quàm impendentem regni terreni terrenæque vitæ & conuersationis finem & dissolutionem: Cui rei subseruient septem Angeli ad supplicia hominibus, qui disciplina & castigatione indigent, irroganda à Deo constituti. Porrò silentium, quod factum dicitur in cœlo, compositam Angelorum modestiam, modestámque eorúndem compositionem & reuerentiam significat; vel secundum Christi aduentum; nam hic ipsis quoque Angelis incognitus est; horæ denique dimidium, temporis breuitatem, quod inter plagas illatas résque in terra consummatas, & regni Christi manifestationem intercedet.

Septenarius numerus Euangelistæ familiaris, & quare.

Angelos in irrogādis peccatoribus suppliciis deo seruire.

Et alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum.

Etsi ea quæ Sanctis ostenduntur, non absque materiæ colorúmque schemate ostendi soleant; siue id altare sit; siue thuribulum; siue aliud quippiam eiusmodi, sunt tamen ea omnia materiæ & colorum expertia; neque sub corporalium oculorum obtutum veniunt. Iuxta istiusmodi igitur mysticam aram stent Angelus, acerram thurísve receptaculum manu tenens, precésque Sanctorum tanquam quædam suffimenta Deo offerens. Per quæ petebant, vt orbe consummato pœnæ & flagella, quæ impiis & præuaricatoribus hîc inferuntur, supplicia in altero seculo in illos constituta diminuerent, simúlque per suum aduentum iustam illis mercedem, qui laborauerant, persolueret; atque hoc ex proximè sequentibus clarius euadet.

Pœnæ, quæ hic inferūtur, supplicia in altero seculo in peccatores constituta, diminuunt.

Et data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.

Altare hoc, est Christus, in quo omnis sancta & ministratoria vis posita est, omniúmque Martyrum victimæ & sacrificia immolantur & offeruntur: Cuius quoque typus erat illud, quod simul cū tabernaculo ostēsum est Moysi in monte. Thymiamata autem sunt orationes Sanctorum, quæ Deo, vt dictum est, grati odoris loco sunt. Cæterùm altare illud, quod Christum esse diximus, ante thronum, hoc est in conspectu sanctarum supremarúmque virtutum proximum ad Deum accessum habent, situm est. Hæ enim propter effusum incensúmque diuinæ charitatis ardorem, exquisitámq; scientiam & sapientiam, quæ in ipsis existunt, & singularem præterea excellentiam, thronorum appellationem haud incommodè sortiuntur; quemadmodum ex nominum quoque, quæ illis imposita sunt interpretatione facilè ostendi id queat.

Mysticum altare Christum esse, vt qui victimarū omnium basis & fundamentū existat. Exod. 25. Heb. 8.

Preces sanctorum grati odoris loco Deo accidere.

Supremas cæli virtutes throni nomine rectè designari.

Et ascendit fumus incensorum, de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram.

Sanctorum preces per Angelum acceptæ & oblatæ effecere, vt thuribulum punitorio igne plenum in terram effunderetur; sicuti olim quoque vnus ex Cherubim apparuit Ezechieli, qui istiusmodi punitorium ignem accepit, acceptúmque Angelis, qui ad impiorum habitatorum ciuitatis Hierosolymorum internecionem mittebantur, tradidit. Huius autem Angeli typum gerit vnusquilibet Pontifex; vtpote mediator inter Deum & hominem constitus: Nam & huius preces sursum euehit, illius autem gratiam & propitiationem deorsum reuehit. Alios rursum suaui blandóque admonitionis verbo à peccatis auertit: Alios autem seueriori quadam castigatione, & disciplina ad sanam mentem reducit.

Sanctorum preces, vt scelerati & impij homines puniātur persæpè impetrare. Angelorum typum Sacerdotes & Pontifices gerere.

Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent.

Per hæc omnia terrores illi & minæ, quæ seculi consummationem antecedent, adumbrantur. Sicut eadem in monte Sinay quoque certi diuinæ præsentiæ indices erant, salutarémque timorem omnibus, bene præsertim affectis, incutiebant. Angeli autem harum rerum administri tanquam misericordes condolentésque medici; dum ad Christi exemplum cauteria & sectiones illis adhibent, qui grauiori peccatorum morbo tenentur, aut omnino curant, morbúmque profligant, aut ignauis certè ingratísque hominibus futurum supplicium nonnihil subleuare, moderatiúsque reddere satagunt. Nos autem, qui pretioso Christi nomine insigniti sumus, Sanctorúmque gloriam expetimus, necnon per pœnas & molestias, quæ hic inferuntur, futurorum laborum & molestiarum pondus euadere peroptamus, misericors Deus cleménsque Pater in hac mortali vita ita expiet & castiget, vt in peccati mortem non tradat; quin potius acerbos illos æternorum cruciatuum dies nobis tum mitigare, imò verò prorsus adimere dignetur, quum impietatis inuentori fouea fodietur, obscurus nimirum profundissimúsque gehennę locus; quò tandem omnibus lætantibus in Sanctorum habitaculum recepti, vnà cum illis Christóque Deo & Seruatore nostro perpetuò viuamus. Quem decet omnis gloria, & honor, & adoratio, simul cum Patre & sanctissimo Spiritu in secula seculorum, Amen.

Quis Angelorum scopus, dum peccatores castigant.

Castigatio in hac vita salutaris.

De septem Angelis, è quorum numero, dum primus tuba canit, grando, & ignis, ac sanguis in terram fertur.

CAPVT XXII.

SERMO OCTAVVS.

Et primus Angelus tuba cecinit; & facta est grando, & ignis mixta in sanguine, & missum est in terram: & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est,

ISTHÆC, vt quibusdam placet, denotant supplicia impiis & peccatoribus apud inferos constituta, variis modis atque metaphoris per res sensiles, pœnam inferre aptas adumbrata. Nos autem arbitramur non tertiam tantùm mortalium partem, ex tota hominum multitudine in futuro seculo pœnas daturam, sed longè maximam: Lata namque, vt Dominus ait, est porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, adeóque per hæc significari tormenta & cruciatus, qui hominibus ante seculi consummationem inferentur. Et quidem grandinem indicare, Deum iusta ira prouocatum eiusmodi flagella cœlitus immittere. Ignem autem sanguine mixtum, quotidianas depopulationes, incendia itidem

Per ignem & grandinem aliaque eiusmodi, infernas pœnas exprimi.

Math. 7.

Bellum absumere omnia. Capat. 1.

& cædes per Barbarorum manus illatas, à quibus nimirum tertia pars rerum, quæ in terra exstant, absumetur. A Bellum enim non tantum homines, sed humi quoque nascentia, vt videmus, lædere & consumere solet. Quin beatus Ioël quoque, dum ante magnum diem Domini sanguinem, & ignem, & vaporem fumi exoritura dicit, nostram de iam propositis opinionem validè confirmat.

De secundo Angelo, eorúmque interitu, quæ vitam in mari degunt.

CAPVT XXIII.

Cap. 8.

ET secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare: Et facta est tertia pars maris, sanguis. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt.

Non solum terram, sed mare quoque igne expiatorio purgatum iri.

B QVIN ipsum quoque mare simul cum iis, quæ vitam in eo degunt expiatorio igne, post communem carnis resurrectionem conflagraturum, hoc loco insinuari videtur, quam insinuationem eruditorum quorumdam opinionem sequuti, haud improbabilem existimamus. Nihil sanè obstare videtur, nisi forsan tertiæ partis mentio. Nam multò plures, vt dictum est, sempiternis pœnis subijciuntur, quàm æternam salutem consequantur. Interim minus fortassis à scopo aberrabimus, si præsentem vitam, quæ metaphoricῶs mare appellatur, isthæc incommoda subituram, tertiámque, quæ in ipsa viuit, partem plagis istis exercendam & consumendam dixerimus: Siquidem ob diuinorum iudiciorum abyssum fit, vt alij quidem scelerati è vestigio puniantur, alij verò ad conuersionem & pœnitentiam diu multúmque expectentur. Cæterum per montem magnum diabolum designatum arbitramur; id quod quibusdam quoque Doctoribus visum est. Hic enim est qui & furoris igne contra genus nostrum ardet, & gehennæ incendijs reseruatur, & tempore illo, quod illi ad tentandum permissum est, tertiam insularum, & nauium, & animantium, quæ in mari natant, partem corrumpere & interimere enixè contendet. Quemadmodum olim ætate nimirum beati Iob, clarum eius rei specimẽ dedit. Nam & mortalium hostis & iusto Dei iudicio peccatorum vindex est, & lege præterea receptum est, vt quiuis eius efficiatur seruus, à quo legitimè superatus est. Quod si illis, qui vitam in mari agunt, sacrámq; Triadem per verba vel opera Trinitatem blasphemant, mors animæ infertur, nihil est nouum aut à ratione alienum.

Certam rationem reddi non posse, cur alij scelerati statim permaneant, alij ad pœnitentiam expectentur.

Diabolus mortaliũ hostis & peccatorũ vindex.

De tertio Angelo, & profluentium aquarum amaritudine.

CAPVT XXIIII.

Cap. 8.

ET tertius Angelus tuba cecinit: Et cecidit è cælo stella magna, ardens tanquam facula; Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum. Et nomen stellæ dicitur Absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium; & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

AMARITVDINEM absynthij vocabulo denotatam, dolorem qui peccatores in gehenna torquet hic significare tradunt nonnulli; eosdémque peccatores propter multitudinem aquarum nomine conuenienter exprimi. Nos verò per hæc ipsa etiam tristia illa & acerba vulnera denotari existimamus, quæ tempore, de quo suprà diximus, hominibus peccatis obstrictis passim inferentur. Per stellam autem vel mala hæc cœlitus venire, vel ipsum certè diabolum. De hoc enim apud Esayam scriptum exstat: Quomodo è cœlo cecidisti lucifer, qui manè oriebaris? Diabolus namque dum homines per carnis voluptates inebriat, amaram turbulentámque euersionem inducit, necnon flagella cruciatibus plena propter illa inferre finitur; non quidem omnibus, sed tertiæ tantùm mortalium parti: Atque hoc partim quidem propter Dei patientiam & longanimitatem quæ

Per stellam, quæ in flumina mittitur, diabolum significari. Cap. 14.

Cur diabolus non omnes flagellat.

eos tuetur; partim etiam quod non omnes supplicia, quæ in altero seculo illis sunt præparata (qui propter impatientiam mortis causam sibi attulerunt) vel contempserunt, vel perfidè inficiati sunt. Quod illis verò, qui circa seculi consummationem in viuis comperti fuerint multa acerba euenient, quorum malorum podromos aut prooemia verius nos iam experti sumus, Dominus ipse dudum antè prædixit. Si ergo iudicari à Deo non volumus, nos ipsos iudicemus, oportet: Si nosmetipsos iudicaremus, inquit Apostolus, non vtique iudicaremur. Par est ergo vt resipiscamus, illatáque ab eo vulnera & tristia cum gratiarum actione suscipiamus: Sicut videmus homines ægro corpore affectos, modò iudicio destituti non sint, sectiones & adustiones, quæ à medicis adhibentur, sanitatis desiderio æquo patientíque animo ferre; quo nos quoque ab animo valentes, nullámque ad fouendum gehennę ignis incendium materiam adferentes, mundi huius condemnationem euadamus; cum Christo verò in omne æuum fœlices regnemus. Quem decet omnis gloria, & honor, & adoratio, & maiestas, & magnificentia, cum Patre principio expetere, & sanctissimo Spiritu nunc, & semper, & in infinita secula seculorum, Amen.

Multa illis acerba euentura, qui circa seculi finẽ in viuis comperientur.

1. Cor. 11.

De quarto Angelo, & luminarium obscuratione.

CAPVT XXV.

SERMO NONVS.

Cap. 8.

C *ET quartus Angelus tuba cecinit; & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum; ita vt obscuraretur tertia pars eorum; & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.*

ARBITRAMVR hæc quoque illis cognata esse, quę de sole & luna vtriusque obscuratione apud Prophetam Ioëlem leguntur, quæ multò ante dominicam de seculi consummatione sententiam prædicta fuisse constat. Per tertiam autem luminarium & stellarum partem, tertium diei & noctis spatium significari putamus. Vt hinc discamus neque tunc quoque Deum pœnam omnis misericordiæ expertem illaturum; neq; enim die & nocte tota sociatos affligi patietur, sed tertia tantùm, hoc est, minori temporarij interualli parte, per illam indulgẽtiam pœnarúmq; relaxationẽ ad resipiscẽtiã tacitè eos prouocãs. Quis enim diuinæ iræ calicem perferre posset, si purè, hoc est, nulla clementia temperatus proponeretur? D

Quid sit solẽ & lunam & stellas tertia sui parte obscurari.

Et vidi, & audiui vocem vnius Aquilæ volantis per medium cæli, dicentis: Aliter: Vnum Angelum volantem per medium cæli, dicentem voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

Ex his quoque discimus quanta diuinorum Angelorum sit miseratio, quantáque eorumdem erga homines humanitas. Etenim ad Dei imitationem miseret eos hominũ, qui durius propter peccata excipiũtur; multò verò magis illorum, qui ne plagis quidẽ suauiter admoniti emendantur: In quos vel maximè ipsum Væ quadrat; vt qui in terra degant & terrena tantùm sapiant; & cœnum verius & puluerem, quàm suaue vnguentum, quod nostri caussa Christus effudit. Porrò autem, qui suam cõuersationem in cælis habent, ijs tristia résq; aduersæ immortalem coronam amplissimáque præmia conciliant. E

Angelos clementer erga homines affici illorúmque cladem quadam commiseratione prosequi.

De quinto Angelo, mysticisq; locustis, ac varia earumdem forma.

CAPVT XXVI.

Cap. 9.

ET quintus Angelus tuba cecinit; & vidi stellam de cælo cecidisse in terram; & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteũ abyssi, & ascendit fumus putei; sicut fumus fornacis magnæ: Et obscuratus est sol & aër de fumo putei: Et de fumo exierunt locustæ in terram; & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ: & præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantum homines, qui non habent signũ Dei in frontibus suis: Et datum est illis ne occiderent eos, sed vt cruciarentur

ciarentur mensibus quinque; & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij, cum percussit hominem.

Quid designetur per stellam, quæ è cœlo in terrã decidisse scribitur. Quid per puteum abyssi & fumũ inde exhalantẽ & locustas quorundam opinione adumbratur.

STELLAM, quæ hîc in terram, nempe in vallem Iosaphat, quæ vna ex omnibus ad vniuersalis iudicij vsum reliqua fiet, dilapsa asseritur, quidam Dei Angelũ pœnis irrogandis præfectum esse dixerũt: Puteum verò abyssi, gehennam; fumum autem qui inde continuò exhalat, sua obscuritate solem & aërem & tenebrosum & quasi inaspectabilem illis reddere, qui æternis cruciatibus addicti sunt. Locustas porrò vermes illos, de quibus Propheta ait: Et vermis eorum non moritur. Ideò autem locustis illis mãdaui ne terram aut fœnum offendant, sed homines tantùm, quod isthæc iam tum ab interitu & corruptione immunia erunt, cui hoc tempore nostri caussa obnoxia sunt; menses denique quinque insinuare inferorum pœnis traditos, breui quidem præfinitóque tempore in intẽsius cruciãdos, post illud verò exactum, remissius; in omnem tamen æternitatem. Ego autem vnà cum illis fateor stellam, de qua hîc sermo, diuinum esse Angelum. Hunc autem malignos dæmones quos Christus homo factus ad abyssum ablegauerat, inde rursum ad tempus, secundum sapientem Dei permissionem, educturum, quo ante sæculi cõsummationem, quæ ipsorum sunt propria molientes, supplicijs demum nũquam finem habituris mancipẽtur. Fumum autem significare tenebras illas, quæ ex improbis illorum conatibus atq; insultibus ortæ, potestatem illis faciunt homines, quos seduxerunt, excruciandi & diuexandi. Ast verò solis & aëris obscuratio interiorem hominum, qui luce illorum vtuntur cęcitatem, aut prauam sanè eorumdem in rebus aduersis dispositionem insinuat. Siquidem lux illis, qui in grauioribus doloribus & cruciatibus versantur, obscuritas videtur. Quod autem intelligentes locustæ ad scorpiorum similitudinem feriunt, mortem animæ in prauis operibus inclusam ad finem se prodere indicat; quam etiam sustinebũt quotquot frontes diuino sigillo signatas non habent, neque viuificæ crucis luce per Spiritum sanctum vndequaque illustrati sunt; ita vt iuxta Domini verbum luceant coram hominibus, qui lumen illorum ad diuini nominis gloriam referant. Quinque porrò mensium spatium temporis, quo afflictio & cruciatus ille durabit, breuitatem exprimere arbitramur. Nisi enim Dominus abbreuiasset dies illos, scribit Marcus, non fuisset salua omnis caro: Aut alium quendam quinarium numerum propter quinque sensus, per quos peccatum in animam illabitur: Aut aliud tempus definitum soli Deo notum.

Dæmones inferno per Christum traditi, sub sæculi finem inde ad tempus liberabuntur.

Lux illis molesta, qui in grauioribus cruciatibus versantur.

Matth. 5.

Quid per quinque mensium spatium denotetur. Marc. 13.

Et in illis diebus quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Per hæc ingens suppliciorum magnitudo subindicatur: Solent namque qui magnis cruciatibus detinentur mortem inuocare & exoptare. Quod autem ad eos, qui in tormentis vitam degunt, vocata non accedat, illud ex occulto Dei iudicio prouenit: Iudicat enim is mortaliũ generi vtile ac salutare esse, peccatum, quod tormentorum parens & conciliator est, pœnarum quæ inferuntur amaritudine & grauitate exosum illi reddere.

Salutare esse generi humano peccata impunita non manere.

Et similitudines locustarum, similes equis paratis ad prædam: & super capita earum tanquam coronæ similes auro; & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum quasi leonum erant; & habebant loricas sicut loricas ferreas.

Per hæc omnia & ea præterea, quæ mox subijcientur, vt quidam putant, insinuatur, locustas de quibus hoc loco agitur, Angelos esse diuinę punitionis administros, per singula arma & ornamenta, quæ parabolicẽ hîc exponuntur, & metaphoricẽ illis tribuuntur, delineatos. Tribuuntur autem hæc tum vana & admirabilia illis, vt ipsi aiunt, ad designandam admirabilem qua pollent virtutem, siue sontes terrere, siue gehennæ supplicia promeritos punire; siue aliud quodcumque eiusmodi moliri libeat. Nobis autem vero similius fit per prædictas locustas malignos dæmones significari. Hi enim semper accincti sunt ad bellum nobis inferendum; gestántque in capitibus suis coronas auri speciem præ se ferentes, certos vtique victoriæ contra nos obtentæ indices; nos enim sumus qui toties illos coronamus, propositámque victoriam turpiter abijcimus, quoties voluptatis sensu superamur. Per mulierum porrò capillos, fœminarum blandimẽta, quibus ad sui amorem carnísque illecebras allectare solent. Per dentes autem leonum, lethale venenum, quod spargunt. Per loricas denique ferreas, cordis obfirmatam duritiem.

Per locustas Angelos pœnis præfectos accipi posse.

Per locustas vario armorũ genere instructas, vestitas dæmones accipi quã Angelos.

Toties dæmonem coronamus, quoties voluptatis sensui cedimus.

Quid per mulierũ capillos, leonum dẽtes, & locustarum ferreas lãceas significetur.

Et vox alarum earum, sicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum. Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Et habent super se regem Angelum abyssi; cui nomen Hebraicè Abbadon, Græcè autẽ Apollyon, Latinè habens nomen exterminatoris. Væ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.

Cur locustarũ vox assimuletur curribus militaribus.

Strepitum alarum intelligentium locustarum ob id militarium curruum strepitui assimulatum putamus, quod fastu sint elatæ, ingẽtiq; celeritate præditæ. Nam, vt Propheta alicubi innuit, ex alto nos illæ impugnant. Quòd autem earum caudas scorpijs similes asserit, illud infaustum peccatorum exitum ob oculos nobis ponit; qui vtique non est alius quàm certus animæ interitus. Peccatum enim cùm consummatum fuerit, generat mortem. Hoc idem quoque peccatum in caussa est, vt quinque mensium cruciatus in homines inuadat. Quinque porrò mensium spatio peccatum affligere dicitur, partim quidẽ propter quinque numero sensus, per quos ingreditur; partim verò propter temporis breuitatem, si affectionẽ illam cum futuri sæculi supplicijs sicut iam antè monuimus, cõparemus. Per hatum denique regem diabolum meritò accipimus, vt qui verè illos perdat, qui fidem ipsi habent. Contra quem proinde irreconciliabile bellum geramus, oportet; quò væ illa, quæ post hæc ventura comminatur, minus sentiamus.

Iacob. 1.

Cur peccatum quinque mensium spatio affligere dicatur.

De sexto Angelo, & quatuor Angelis qui iuxta Euphraten ligati tenebantur.

CAPVT XXVII.

ET sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei; quod est ante oculos Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum, & numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audiui numerum eorum.

SVNT qui hosce Angelos quatuor ex primatijs & illustrioribus esse putant; nempe Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & Vrielem, qui hactenus quidem diuinæ contemplationis iucunditati & vbertati alligati tenentur; tunc verò, nimirum sub diem iudicij, cum innumerabilium Angelorum multitudine ad impiorum condemnationẽ soluentur, ac tanquam Dei ministri tertiam mortalium partem internecioni dabũt. Ego verò hosce etiam non Angelos, sed pessimos dæmones esse existimo, quos iuxta diuinum mandatum è sublimi cœlorum altari (cuius exemplum in veteri tabernaculo extabat) eiectos, & per Christi in carnem aduentum ad certum locum ablegatos & alligatos vnus quispiam ex Angelorum numero liberos eo tempore dimittet, quò gentes conturbent & vexent, easdémque non tantùm aduersus Christianos, sed contra se inuicem quoque instigent; vt hac demum ratione tentationis igne probati fideles manifesti fiant, amplioríque mercede & splendidiori in cœlis mansione, & apotheca denique tanquam maturum purúmque triticum nobiliori digni habeantur. Paleæ autem & impij insignésque peccatores & obstinati ad vnum omnes iustè hîc puniti, clementiori condemnationis sententia in iudicio illo feriantur.

Nomina quatuor primariorum Angelorum.

Dæmones ante generale iudicium solutis, humanũ genus grauissimè infestabunt.

Si autem quatuor pluresve dæmones Euphrati verè alligati asserantur, nihil noui aut inusitati asseritur. Constat namque alios in abyssum sæpe amandatos: alios in porcos eiectos, alios aliò pro Dei voluntate ad tempus ablegatos fuisse, in omne postea æuum, vbi primum videlicet bellum, quod aduersus hominem gerūt, integrè absoluerint, apud inferos cruciandos. Credibile fit quoque Euphratis ob id mētionem fieri, quod Antichristus ex illis locis exoriturus credatur. De ingenti autem dæmonum multitudine non est dubitandum, cùm omnes Sancti aërem hunc dæmonibus refertum asserant.

Antichristus ex locis Euphrateis venturus creditur.

Et ita vidi equos in visione, & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas: & capita equorum erant tanquam capita leonū; & de ore eorum procedebat ignis, & fumus, & sulphur: Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent.

Quid equi significent.

Per equos hoc loco designari arbitramur homines veneri luxuique deditos, belluinámque vitam ducentes: Aut dæmones sanè, qui aliorū imperio veluti serui subiacent; quorum vectores sunt spiritus, qui principatum inter reliquos tenent. Dæmones namq; vt cœpto apud ipsos more non modò mutuas sibi inuicem operas præstant, verùm prauis quoq; hominibus famulari, iisdémq; vicissim tanquam organis ad aliorum cognatorum hominū fraudem & insidias vti solent. Cæterùm per igneas & hyacinthinas, & sulphureas loricas, aëreas sceleratorum spirituum naturas, igneásque eorumdem víres & operationes insinuari credimus. Per leonum capita autem lethale efferatúmque nocendi studium. Per ignem denique, qui cum fumo & sulphure ex ore illorū egressus, tertiam hominum partem non absq; comminatione interempturus asseritur, aut peccata quæ per letiferos dæmonum insultus, versutiásq; illorum suggestiones in animum ingrediuntur, cordísque fructus incenduntur; aut vastitatem & deprædationem illam, quæ per Barbarorū manus ciuitatibus inferentur; aut frequentes certè cædes sanguinísque effusiones, quæ iuxta diuinam interminationem tertiam hominum partem è medio tollent. Rectè autem illorum caudas serpentibus assimulat; siquidem omniū diabolicarum suggestionum scopus est, iufundere virulentum peccatum, quod est mors animæ.

Quid ignea & sulphurea loricæ, leonum capita, ignis & fumus, &c.

Per ignem qui nō absque fumo ex ore mysticorum equorum egreditur, variè accipi posse.

Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis; neque pœnitentiam egerunt, de operibus manuum suarum; vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea; quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

Hæc cum præcedentibus cohærent: Nam cùm paulò antè dixisset tres illas plagas tertiam hominum partem assumpsisse, & quædam interea interposuisset, hîc nunc subijcit cæteros homines, quibus parcitum erat, hoc est, quibus plagæ prædictæ illatæ non fuerant, pœnitentiam repudiasse; neq; ab idololatria, neque à cædibus, neque à scortationibus, neque à furtis, neque à veneficijs, quibus assueuerant, sese continuisse, adeòque easdem quas reliqui vel grauiores quoque calamitates & miserias propediem subituros esse. Significatur autem per hæc vniuersalem cladem ex diuina ira profectam, mundum olim oppressurum. Multus namque & varius error bacchatur inter illos, qui veritatem non cognouerunt; è quibus alij adorant simulachra; alij creaturam pro creatore obseruant; alij alio modo errant. Et quamuis competiantur, qui Deum se agnoscere non diffitentur, attamen factis illum negant: Cuiusmodi inter cæteros sunt, qui externa pietatis larua contenti, virtutem illius nihil curant. Alij auaritiæ dæmoni seruiunt, quibus diuinus Apostolus idololatriæ notam impingit, ait enim: Et auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus.

Qui aliquis plagis admoniti à peccatis nō resipiscūt, grauius postea ob suam duritiam & ingratitudinem plectuntur.

Coloss. 3.

Faxit Dominus, vt nos sinceram germanámque in Christum fidem viuis operibus ostendentes, terribilem illam Christi vocem: Amen, Amen dico vobis, nescio
A vos. Et alteram illam: Discedite à me omnes operarij iniquitatis, nunquam audiamus; Verùm beatam illam modisq; omnibus optabilem parentibus auribus hauriamus: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis à constitutione mūdi regnum. Gratia, & clementia, & misericordia illius, qui crucem sponte propter nos sustinuit, hoc est, Christi Dei & Domini nostri, cum quo, Patri vnà cum sancto viuificóq; Spiritu sit gloria nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Fides viuis operibus ostēdenda.

Math. 25. Luc. 13.

Math. 25.

De Angelo circundato iride, & nube, qui sæculi consummationem denunciabat.

CAPVT XXVIII.

SERMO DECIMVS.

B
ET vidi alium Angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius; & facies eius erat vt sol; & pedes eius tanquam colūna ignis.

Cap. 10.

HVNC aliquem ex sanctorū Angelorum numero extitisse, iudicium faciūt nubes, & iris, & solare lumen. Per hæc enim varius virtutum cultus, angelicæque substantiæ atque notitiæ splendor & lux indicantur. At verò columnæ igneæ vim illam denotant, qua Angeli eos perterrefacere & punire valent & solent, qui impia designant; præcipuè verò illos qui latrocinantur in terra, aut Piraticam exercent in mari. Eapropter huic dextrum pedem, vt paulò post audiemus, imposuit, illi verò sinistrum; nempe quò vtrobique præuaricantium
C pœnam exprimat.

Quid nubes, iris, solis splēdor, & pedes colūnæ igneæ similes.

Latrones & Piratæ pœna præ cæteris digni.

Et habebat in manu sua libellum apertum; & posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram: Et clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit, & cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

Libellus hic veluti paruus magnáque cum diminutione expressus, hominum insigniter nequam & sceleratorum nomina & acta cōtinere videtur: Cuiusmodi inter cæteros sunt, qui latrocinia in terra, aut Piraticā in mari exercent, aut quouis alio modo impietati student; quorum supplicium per hoc insinuat Angelus, quod inflammatos pedes simul super terram & mare extendit. Vox autem Angeli leonis fremitui assimulata, terroris quem incutere assolet magnitudinem, ingentémque angelicæ
D comminationis & punitionis acerbitatem, qua in impios fertur, significat. Cui rei luculentum testimonium perhibet Propheta Daniel, quippe qui neque comminantem, neque asperè increpantem, sed amicè blandientem Angeli vocem citra magnam molestiam animíque consternationē perferre non potuit. Per septem autem tonitrua, vel septem voces ex vno Angelo profectas intelligere possumus; vel septē alios sanctos Angelos, quæ futura erant, prædicentes. Quod si admittatur, statuendum ex consequenti erit, hosce septem secūdas à primo tulisse, vaticinandíque ansam ab ipso eodem sumpsisse; idque consentaneè ad ea, quæ B. Dionysius de Angelorum inter se ordine & illuminatione scribit.

Quid continuerit libellus quem Angelus fortis manu gestabat.

Cur vox Angelica assimuletur fremitui leonis.

Cap. 10.

Vnde septem tonitrua prodeant.

Et cum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, E *& audiui vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt, septem tonitrua, & noli ea scribere.*

Per hęc indicatur multa hoc tempore incerta esse, quę per experimētum certúmq; rerum euentum olim patefient. Monetur hic namque per cœlestem vocem Euangelista, vti tonitruū voces menti nunc tantùm imprimat, perfectam autem illarum comprehensionem plenámq; intelligentiam, nouissimis temporibus asseruet. Obsignatos namque & obseptos eiusmodi sermones esse, ipse etiam Propheta Daniel aliquando audiuit.

Multa hoc tempore mysteria incerta & operta quæ ipse rerū euentus olim patefaciet.

Cap. 12.

Et Angelus, quem vidi stantem super mare & super terram, leuauit manum suam dexteram ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea, quæ in illo sunt, & terram, & ea, quæ in ea sunt: & mare, & ea, quæ in eo sunt; Quia tempus non erit amplius.

Cùm

Deus per semetipsum iurat, Angeli per Deum.

Cùm Deus nullum se maiorem habeat, per quem iurare possit, per semetipsum iurare solitus est: Angeli autem (A) tanquam res creatæ per creatorem iurant, eáque quæ dicunt, propter nostram diffidentiam & incredulitatem, cœlestis numinis attestatione confirmant. Iurat hîc autem nullum posthac amplius tempus fore; atque hoc vel in futuro sæculo, in quo nullum extabit tempus, quod sole hoc sensili mẽsuretur, sed vita tantùm æterna, quæ temporarium numerum excedit; Aut tempus certè longum post sextam Angeli vocem non futurum; eò quòd iam tum ad exitum tendant, quæcumque antè prædicta erant, quare etiam subdit.

Post sextam Angeli vocem parum temporis reliquũ futurum.

Sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut Euangelizauit per seruos suos Prophetas.

Septima tuba canente, quid sit futurum.

Per hæc significari arbitror post absolutam sex sæculorum periodum, (B) in diebus septimi sæculi (quod tempus per septimam tubam exprimitur) ea omnia quæ per sanctos Prophetas dicta erant, & antè expleta non erant, tum demum, nempe ad sæculi finem, certò euentura; Harum autem rerum expletionem ob id Euangelium lætúmve nuncium appellat, quod æterna requies sanctis iam tum parata erit.

Vt Euangelista librum ex Angelo susceperit.

CAPVT XXIX.

AVDIVI *vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram.*

Quid liber quẽ Angelus, qui pedem super terram & mare fixerat, manu tenebat denotet.

ET hic rursum alia virtus Angelica ex eorum ordine, qui primatũ obtinent, (C) Euangelistæ apparet; eidémque, vt de manu Angeli librum, hoc est, certam earum rerum notitiam, quæ oraculo tradebantur, suscipiat, præcipit.

Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

Malorum cognitio recreat, experientia contristat.

Suauis sanè & iucunda futurorum cognitio accidet tibi; attamẽ amarum reddet ventrem, hoc est, cor tuum. (Hoc vnum enim spiritualium alimentorum capax est.) Sauciaberis namq; eorum commiseratione, quos iusto Dei iudicio grauia diuinitúsque illata flagella excipient.

Euãgelistam Ioãnem ignarum fuisse scelerum per experientiam.

Exponi aliter quoque hic locus potest; Etenim cùm Euangelista vir magnæ sanctitatis esset, improba facta (D) per experientiam non gustauerat; Verùm vbi librum, qui improborum & nequam hominum facta continebat, deuorauerat, edoctus est dulcedinem, quam peccatum initio offert, post opus patratum in amaritudinem, hoc est, in pœnam & cruciatum verti.

Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum; & erat in ore meo tanquam mel dulce; & cum deuorassem eum amaricatus est venter meus.

Peccatũ suaue esse gustui, sed difficile coctu.

Dulcis apparebat liber in exordio, propter læta quæ tractabat; molestus autem & laboriosus ad finem, propter plagas quas interminabatur. Quemadmodum peccatum quoque dulce est gustui, at amarum sortitur exitum; nec coctu quoque facile est. Cùm autem Sancti (E) sint misericordes, miserisque compati soleant, sicuti cum gaudentibus gaudent, ita cum plorantibus & flentibus flent quoque & plorant.

Rom. 12.

Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

Apocalypseos vaticinia necdum finem sortita.

Per hæc alterutrum insinuatur; nempe quæ per diuinam Apocalypsin ostensa sunt Euangelistæ, ea nondum finem sortita, neque statim quoque sortitura; sed oportere beatum illum virum partim quidem per Euangelium, quod scripsit; partim etiam per præsentem hunc librum vsque ad sæculi finem, quæ futura sunt Lectoribus annunciare: Aut sanctum certè Apostolum mortem necdum gustasse, sed sub sæculi consummationem venturum, vt imposturarum Antichristi imperium sistat atque coërceat.

Ioannes Euãgelista sub finem sæculi venturus.

Cap. 11.

Et datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum † est mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: Atrium autem quod est foris † templum, eijce foras, & ne metiaris illud, quia datum est gentibus; & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

† alias qui dicebat. † Rectius intra templum.

Quæ cernũtur in cœlo, spiritalia esse.

Per calamum hunc ostenditur, omnia quæ in cœlo cernuntur, etiamsi eiusmodi res sensu & ratione apud nos careant, vt sunt altare, thronus, & alia id genus complura, spiritalia esse. Nam quomodo calamus, qui Euangelistæ datus scribitur, dicere poterat: Surge, & metire templum Dei, vt contextus sonat, nisi mente & ratione fuisset præditus? ? Quod si quis dixerit ab vno eodémque Angelo & calamum accepisse, & vocem hanc surge, & templum hoc metire, audiuisse; Per calamum certam scientiæ mensuram, quæ accipientis qualitati consentanea erat, significari dicimus; cuiusmodi consequuntur illi, qui à Deo diuinísque Angelis propter sancta opera agnoscuntur. Nouit enim Dominus, qui sunt sui, iuxta Scripturæ eloquium. Aduerte autem non deesse, qui per Dei templum vetus Testamentum intelligant; Per aulam autem exteriorem, nouum propter innumeram illorum multitudinem qui salutem in eo adipiscuntur. Quadraginta autem duos menses temporis breuitatem, quo noui Testamenti mysteria à primo Christi aduentu vsque ad secundum obtinebunt, exprimere aiunt. Nos autem arbitramur Dei viuentis templum Ecclesiam appellari, in qua rationales hostiæ Deo offeruntur: Atrium autem exterius gentium & infidelium Iudæorum Synagogam; vtpote propter impietatem, qua obstricta tenetur, quæ ab Angelo mensuretur, indignam. Nouit enim Dominus, qui sunt sui, vt modò dicebatur. Iniquos autem & præuaricatores, is qui aliàs omnia nouit, ignorare dicitur; quia illorum facta non probat. Quod autem sancta ciuitas, siue nouam Ierusalem, siue Ecclesiam Catholicam per eam accipias, menses quadraginta duos à gentibus calcanda hoc loco asseritur, illud subindicat, nisi fallor, fideles probatósque viros, tres annos cum dimidio, quibus Antichristus sæuiet, magnam persecutionem perpessuros.

Quid calamus denotet.

Quid Dei templũ: quid atriũ exterius significet.

Antichristus quanto tempore sæuiet.

De Enoch & Elia.

CAPVT XXX.



ET *dabo duobus testibus meis; & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantia.*

Enoch & Elias sub finem sæculi quam diu concionaturi sint.

PER hos testes plerique Doctorum acceperunt Enoc & Eliam, qui sub sæculi finem à Deo accepturi sunt trium annorum cum semisse spatium; quantum nimirum ex mille ducentis sexaginta dierum numero conflatur, ad vaticinandum & prædicandum. Amiciũtur autem saccis, quo planum faciant mœrorem & luctum, quo propter eos sauciabuntur, qui tùm temporis in Antichristi errorem abducti comperientur. Apud Zachariam hi duo sub duarum oliuarum, totidémque candelabrorum schemate delineantur: ob id forsan quod bonorum Deóque placentium operum oleo, cognitionis lumini fomentum suggerent, veritatísque vehicula existent.

Enoch & Elias vestiantur saccis.

Cur Enoch & Elias comparẽtur oliuæ & candelabris.

Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore ipsorum, & deuorabit inimicos eorum; & si quis voluerit illos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint.

O immensam Dei benignitatem, qui vulneri inflicto efficacem statim medicinam, infusoq; veneno salutare mox antidotum adhibet. Cùm enim Antichristus in omnibus prodigijs signísque mendacibus veneficorum omnium princeps, omniúmque præstigiatorum cory-

Antichristum veneficorũ & præstigiatorũ omnium principem futurum.

phæus futurus sit; vtpotè vniuersa Dei fraude & energia perfectè imbutus; Deus Opt. Max. Sanctos illos verorum signorum atque miraculorum virtute armabit; quo veritatis ostensione mendacium, lucisque patefactione, tenebras redarguat; & seductos partim quidem erudito Doctoréque digno sermone; partim verò omni plagarum & calamitatum genere: vt sunt terræ siccitas, aëris intemperies, noxia elementorum transmutatio, & alia eiusmodi complura, ad veritatis lucem conuertant; ipsum autem impostorem Antichristum palàm reuincant, publicéq; confundant: Nihil interim incommodi neque ab illo, neque ab vllo alio, donec prophetiam & ministerium suum expleuerint, perpessuri.

Enoch & Elias deceptos ab Antichristo in viam concionibus reducent.

Et cum finiuerint testimoniū suū, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellū, & vincet eos, & occidet illos; & corpora eorum iacebūt in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.

Posteaquàm impostoris fraudem detexerint, inquit, eámque modis omnibus vitandam palàm ostenderint, bestia, nempe Antichristus, ex obscuris humidisq; terræ locis, in quibus diabolus versari solitus est, egressus, secundum diuinam permissionem interficiet illos, ipsorúmque corpora per plateas veteris & iam euersæ Ierosolymæ, in qua Christus quoque Dominus noster passus est, vltrò citróque iactata insepulta relinquet. In hac namque ciuitate ad imitationem Dauidis regni sedem, vt probabile sit constituet: In cuius quoque confinio Iesus Christus Deus & Dominus noster natus est secundum carnem; quo vel hac ratione fidem faciat se verum esse Christum, impleréque propheticum illud: Instaurabo tabernaculum Dauid collapsum, &c. Quod Iudæi errore decepti ad illius aduentum transferunt.

Enoch & Elias interficiuntur, & insepulti iacent.

Antichristus Ierosolymis solium Dauidis occupabit.

Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis & gentibus corpora ipsorum per tres dies & dimidium; & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illis, & iucundabuntur, & munera mittent inuicē. Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram.

Qui mendacibus Antichristi prodigijs præoccupati, nomē illius Deo exosum cordibus suis semel inscripserunt, inquit, siue illi ex Iudæis originem duxerint; siue ex gentium natione venerint, illi sancta illa corpora in monumentum inferre non sinent, Verùm quod à flagellis, quæ ad illorum salutem & conuersionem intulerant, liberatos se videant, lætum festúmque diem agent; haud cogitantes quem Dominus amat, eum & castigare quoque solere; flagellar enim omnem filium, quem suscipit: Camóque & freno illorum maxillas constringere, qui se ad idipsum adiungere cunctantur; quò vel necessitate coacti ad viam rectam, à qua seducti aberrarūt, aliquando reuertantur. Nos autem orare par est & dicere: Bonum est mihi Domine, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Neque intres in iudicium cum seruis tuis Domine. Iudicati enim abs te, qui clemens & benignus es, erudimur, ne cum hoc mundo condemnemur, sed per leuia quædam flagella admoniti, sempiternum cruciatum euadamus. Quoniam diues es in miserationibus, Christe Deus noster. Quem proinde decet omnis gratiarum actio, & gloria, & honor, & adoratio vnà cum Patre & viuifico sanctóque Spiritu nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Sectatores Antichristi de morte Eliæ & Enoch festum diem agent.

Hebr. 12. Psal. 31. Pœnis homines ad pœnitentiam adducuntur. Psal. 118. Psal. 84. Psal. 142. 1. Cor. 11.

Vt duo isti Dei Prophetæ ab Antichristo trucidati, denuò surrexerint.

CAPVT XXXI.

SERMO VNDECIMVS.



Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in eos: & steterunt super pedes suos; & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam ex cælo dicentem eis: Ascendite huc, & ascenderunt in cœlum in nube.

A Postea qvam, inquit, tot dies extincti iacuerunt, quot annos vaticinati fuerant, nimirum tres cum dimidio, denuò surrexerunt, dominicóque vehiculo nube videlicet subuecti, ad cœlum ascenderunt; timoris simul & stuporis caussa illis effecti, qui ante illos viderant.

Enoch & Elias ad Christi exemplum nube in cœlū subuehuntur.

Et viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.

Isthæc forsan sensili modo euenient; sublimiori autem sensu per terræ motum rerum mobilium atque fluxarum ad stabiliorem firmiorémque statum translatio designatur. Quod autem de decima ciuitatis parte eiusdémque ruina hîc dicitur, hoc ad impietatis casum referendum B videtur: quippe quæ nec admonitione, neque Sanctorum ad cœlum raptu, ad sanam mentem redire animum aliquando induxerit; cùm cæteri tamen, vt paulò post innuitur, huc redierint, septem denique millia occisa, eos significare arbitramur, qui in septima præsentis vitæ ætate obtorpescentes, ad octauam resurrectionis non anhelant: quos proinde mortem secundam, hoc est, æternum gehennæ supplicium subire necessum est; Aut septem millia illos fortè denotant, qui ex Iudæis Antichristo crediderant.

Terræ motus quid significet. Hebr. 12.

Quos significent septem millia, quæ terræ motus oppresserat.

Et reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli. Væ secundum abijt, & ecce Væ tertium veniet cito.

Infidelibus cæsis, Christique Martyribus gloria donatis, quotquot salute non indigni cōperti sunt, inquit, omnes Deum laudibus extulerunt & glorificarunt. Post C duo autem Væ, tertium venit per septimam tubam adumbratum.

Væ tertium per septimam tubam adumbratur.

De septima tuba, & Sanctis, qui Deum ob futurum iudicium celebrant.

CAPVT XXXII.



Et septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cælo, dicentes: Factū est regnum huius mundi Domini nostri & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum, Amen. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, Qui es, & D qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et iratæ sunt gentes.

Hic rursum docet sanctos Angelos & homines qui angelicam vitam ducunt, vna quasi voce atque consensu Deum laudare gratiámque eidem persoluere, vt qui regnum illud, quod iam inde ab initio in omnes tanquam Deus obtinuerat, nouissimis temporibus à Deo nostri caussa tanquam homo sucipere non recusauerit, perfidísque gentibus, quæ ipsi tanquam recenti nouáque & peregrina doctrina vtenti infestis animis repugnabant, post diuturnam patientiam iustam tandem aliquando iudicij condemnationísque pœnam inflixerit, quare etiam mox subiungit.

Homines & Angelos vnū Deo laudantium chorum absoluere.

E *Et aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis, & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram.*

Tempus mortuorum generalis resurrectionis tempus appellat, in quo vnicuique pro meritorum ratione aut præmia persoluentur, aut supplicia irrogabuntur. Per Prophetas autem, & Sanctos, & Deum timentes, tres, vt opinor, hominum ordines assignat. Vnum eorum qui centesimum fructum reddidere; alterum qui sexagesimum: tertium & postremum qui trigesimum, è quibus Apostoli potiorem citra controuersiam sortem adepti sunt, & sedes præterea iudiciarias. Pusillos autem & magnos minus magisque sanctos appellare putamus; aut paruos certè reiectaneos peccatores vocat, magnos autem iustos & sanctos.

Tempus mortuorum quid significet.

Apostolos inter sanctos primatum tenere.

De prioribus

De prioribus & nouißimis Ecclesiæ persecutionibus.

CAPVT XXXIII.

ET apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

Quid per cœlum patefactũ & arcã testamenti ostensã significetur. *Coll. 2.*

PER cœlum patefactum, & arcam testamenti in cœlo visam bonorum, quæ Sanctis istic præparata sunt, manifestatio significatur; ea autem omnia in Christo sunt reposita: In illo namque, iuxta Apostolum, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Tum autem bona hæc orbi patefient, quando terrificæ voces, & fulgura, & tonitrua in impios irruerint, gehennæque tormenta veluti densa quædam grando eosdem obruent. Per terræ motum autem, vt paulò ante expositum est, rerum præsentium mutatio innuitur.

Cap. 11.

En signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim.

Hanc mulierem nonnulli Dei genitricem virginémque matrem per omnia sanctissimam interpretati sunt; quam ea omnia, quæ ordine hinc consequuntur, prius perpessa autumant, quàm diuinus illius partus perfectè cognosceretur. At magnus Methodius ad Ecclesiam retulit, in Dominicæ natiuitatis mysterium parum ea conuenire ratus, quæ hoc loco de illo narrantur, maximè verò quod Dominus noster dudum ante patefactam libri huius prophetiam natus fuerit. At ipsamet Methodij verba in medium adferre lubet. Is ergo in tractatu, quem Symposium inscripsit, ex persona Procles virginis ita scribit.

Mulier amicta sole, quid ex Methodij sententia significet.

Mulier sole induta est Ecclesia. Quod autem nobis vestis est, hoc illi lux est. Pari modo quod nobis est aurum & preciosi lapides, hoc illi sunt stellæ & quidem cæteris præstãtiores & illustriores. Ascendit hæc autem super lunam, quia synagogam sub pedibus prostratam habet. Cæterùm per lunam eorum fidem metaphoricῶs designari putamus, qui per regenerationis lauacrum à corruptionis malo expiati sunt, siquidè humida & aquea natura ex luna præcipuè dependet. Hæc autem parturit & regenerat hominésque crassos & animales in cœlestes & spirituales transformare, ideoque & similitudini Christi conformare studet. Et paucis interiectis rursum: Non oportet arbitrari de Christo recens iam nato verba hîc fieri. Iam olim ante Ioannis Apocalypsin, in incarnati verbi Sacramentum completum erat; Ioannis autem Apocalypsis de rebus præsentibus, olimque futuris vaticinatur. Et post alia denuò: Non possumus proinde non confiteri Ecclesiam eam esse, quæ parturit & generat regenerationis fonte ablutos. Quare in Esaia spiritus dicit, priusquam parturiet effugit, vt pareret, & peperit masculum. Et quem effugit spiritalis Sion nisi draconem? quò nimirum generare possit populum masculum? Et tandem subdit: Ea propter in vnoquolibet spiritaliter nascitur Christus; Ecclesia autẽ parturit fasciisque inuoluit, donec Christus natus in nobis formetur; atque ita vnusquilibet Christi participatione Christus quodammodo efficitur.

Ioannis Apocalypsin de rebus præsentibus olimque futuris præcipuè vaticinari. *Cap. 66.* *Quid Christi participatione efficiamur.*

Et in vtero habens, & clamat parturiens, & cruciatur vt pariat.

Ecclesia vnumquemlibet, qui ex aqua & Spiritu sancto regenerantur, tantisper parturire dicitur, donec Christus in illis formetur, vt Apostolus loquitur. Comperiuntur enim abortiui nonnulli; cuiusmodi sunt qui à vera luce, qui Christus est; exciderunt; qui vna etiam cum vita infidelitatis mortem sustinent. Ecclesia itaque Christum iustitiæ solem induta, legalem noctè lucentis lunæ lucem vitámque mundanam, quæ instar lunæ mutabilis & inconstans existit, sub pedibus prostratã tenet, capitísque verticem Apostolicorum dogmatum virtutúmque corona redimitum habet. Idem auctor docet per lunam, quæ humidæ substãtiæ dominatur, Baptisma mare metaphoricῶs appellatum, designari, quod sanè Sacramentum, vt regeneratis est salutare, ita dæmonibus exitiale est prorsus.

Fidei naufragium passos abortiuos Ecclesiæ filios dici posse. *Luna metaphoricῶs, quid?*

Et visum est aliud signum in cœlo; & ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem.

Cœlum & rufus draco quid significent. *Diabolum ignea naturæ dici.*

Cœlum hoc loco aërem significare arbitramur, draconem autem rufum serpentem illum qui ob id conditus apud Iob scribitur, quò ab Angelis Dei deludatur. Vocat autem illum rufum, quòd cædi & sanguini deditus sit, aut quòd Angelorum natura habeatur ignea, etiamsi peccato contaminata sit. Per septem capita, septem nequiores illius virtutes spiritalibus viribus & operationibus aduersas intelligimus: Aut septem illos nequam spiritus, quos Christus in Euangelio in homine illo habitasse asseruit; qui cordis domicilium scopis mundatum habebat, hoc est à bonis cogitationibus & operibus vacuum. Aut septem nequitias, quas Salomon in corde inimici existere ostendit, qui per simulationem voce magna supplex illis fit, quos in sententiam suam callidè pertraxit. Decem porrò cornua, decem peccata decem legalibus præceptis contraria denotare putamus; Aut mundani regni diuisionem, quæ ipsi tanquam seditionibus gaudenti voluptatem parit non vulgarem. Septem autem diademata in totidem illius capitibus ob id dicuntur posita, quod homines diabolicas vires & suggestiones impigrè expugnantes, coronas inde deportent, vnde per labores atque seductores victoriam retulerant.

Matth. 12. *Luc. 11.* *Prou. 26.* *Draconis septem capita & decem cornua quid significent.*

De his beatus Methodius ad hunc modum scribit: Draco magnus, rufus, & septiceps, qui tertiam stellarum partem trahit, quique in insidijs, vt parturientis filium deuoret, consistit, diabolus est. Et paucis interiectis; Sed fallitur prædaque spe frustratur, regeneratis per Baptismum sursum in sublime raptis. Et paulò post rursum: Tertia autem stellarum pars dicuntur illi, qui in sanctæ Trinitatis numero circa vnum errant. Ad desertum, in quod Ecclesia commigrans nutritur, est locus à malis immunis omnisque corruptionis expers. Millia autem per centena multiplicata, numerum continent perfectum & plenum. De coronis porrò isthæc subiungit: Hæc autem in certamine aduersus diabolum præualens, septémque capita illius morti dedens septenis virtutum coronis potitur.

Quid intelligatur per tertiã stellarum partem quã draco cauda sua trahit deorsum secũdũ Methodium.

Et cauda illius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.

Per hæc alterutrum è duobus significari opinor; vel primum luciferi è cœlo casum, quo Angelos, qui per extremum inuidiæ motum vnà cum ipso à Deo defecerunt, deorsum traxit (primus enim omnium motus mentis erat elatio) aut post caput illius contritum caudæ eiusdem agitationem. Hæc enim homines animo instabiles, & cœlesti sensu & conuersatione deorsum ad terrena abripit. Nominantur hi autem metaphoricῶs stellæ, propter splendorem quem ex sancto Baptismate hauserunt. Ita namque Propheta Daniel de Antiocho, qui venturi olim Antichristi typum gerebat, vaticinatus est.

Draconis cauda, quid innuat. *Cur homines, quos draco decipit, appellentur stellæ.* *Antiochus Antichristi typus.*

Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret.

Continuò namque Apostata aduersus Ecclesiam in armis consistit, illos qui pro tempore in illa regenerantur, in escam suam vertere enixè contendens. Aut verius per Ecclesiam Christum ipsum persequitur tanquam illius caput; qui proinde quæ fidelium sunt propria, sibi vendicat. Quare ad Saulum aiebat: Saule, Saule, quid me persequeris?

Quæ Christus sibi vendicet. *Act. 9.*

Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.

Ecclesia per eos, qui Baptismo initiantur, citra intermissionem generat Christum; vtpote illis formandum vsque ad consummatam spiritalis ætatis plenitu-

Ecclesia per quos generet Christum. *Filius masculi, qui?*

dinem. Ecclesiæ aotem populus, is demum filius masculus rectè appellatur, qui carnis voluptatibus sensuúmq; illecebris non frangitur, neque deijcitur, sed animo infracto in officio persistit. Per quem nunc quidem Christus Deus Romanorum manibus, quasi ferrum robustis, gentes regit; recturus easdem post communem quoque mortuorum resurrectionem. Constituet enim iudicea fide validos, qui gentes, quæ propter infirmitatem & infidelitatem mysticum illud & nouum vinum oon capiunt, vt ferrum vasa fictilia & infirma solet, cooterent.

Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.

Filius masculus Ecclesiæ varijs modis è draconis faucibus abripi.

Rapiuntur hîc quoque ex grauioribus tentationibus interdum Sancti ne forte afflictionibus & difficultatibus, quæ vires illorum excedunt, absorbeantur. Rapientur & olim in occursum Domini, nubibus quasi vehiculis quibusdam in aërem subuecti. Cum Deo eius denique thronis, hoc est, summis Angelorum virtutibus felices semper victuri.

At mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo; vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

Sanctorũ desertum quod, Antichristo saeuiente.

Quando (inquit) diabolus, qui in Antichristo efficax erit, aciem per ipsum contra Ecclesiam direxit, tunc illius electi summáque eiusdem capita, ciuilibus tumultibus mundanísque voluptatibus contemptis, in desertum ab omni malitia alienum, vitæque consuetudinem omni virtutum genere lucentem sese recipient, iuxta magni Methodij sententiam; ibidémq; impugnantium dæmonum, malignorúmque hominum impetus atque insultus, subterfugient. Probabile fit quoque sensilem eremum eos conseruaturos, qui in montibus & speluncis & cauernis terræ, propter Apostatæ & Antichristi insidias confugient; quemadmodum primos quoque Martyres ad eiusmodi latibula sæpe se recepisse, mortémque ad tempus euasisse constat; ídque ad annos tres cum dimidio, per mille ducentos sexaginta dierum oumerum designatos; inter quos regnum obtinebit Apostasia; à qua magnus ille Agonotheta nos liberet, qui non permittit vllum omnino tentari, super id quod potest, idémque impertiatur nobis animum robustum, & ad aduersariorum insultus infractum; vt legitimè contra principes & potestates tenebrarum decertantes, iustitiæ corona exornemur, victoriæque brauium consequamur. Eum namque, qui per infirma mundi potentes aëris potestates in triumphum agere cõsueuit, decet victoria, & imperium cum Patre & viuifico Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Apostasia 1260. dies regnabit.

1. Cor. 10.

Deus per infirma mundi potentes aëris potestates debellat.

De Angelorum & dæmonum prælio, & satanæ casu.

CAPVT XXXIIII.

SERMO DVODECIMVS.

Cap. 12.



ET factum est prælium magnum in cælo; Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone; & draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.

Diabolus quoties & per quos debellatus.

ISTHÆC primo diaboli lapsui, quo ex Angelico ordine propter superbiam & inuidiam proscriptus est, accommodari possunt: & secundæ rursum eiusdem ruinæ, qua per Dominicam crucem fractus atque deiectus est; quando nimirum mundi huius princeps, iuxta Christi Domini oraculum, iudicatus, & à tyrannide, quã antè exercebat depulsus est. Enimuerò cùm diuini Angeli cum duce suo Michaële illius superbiam & arrogantiam ferre non possent; ipsum ex suo consortio & consuetudine, vt probabile fit, statim abiecerunt: Atque huc spectat, quod Propheta Ezechiel illum ex Cherubinis mediáque ignitorum lapidum, hoc est, Angelicorum ordinum statione eiectum asserit; ea nimirum de caussa, quòd iniquitates in illo compertæ essent. In Christi porrò aduentu Angeli illi, qui post absolutum ieiunium, intentámque à satana tentationem accedentes ministrabant ei, diabolum veluti vile abiectúmque mancipium non absque execratione denuò propulsarunt. Aduerte autem Patribus nonnullis visum esse, post aspectabilis mundi huius opificium diabolum propter superbiam & inuidiam è cœlo erectum, potestatem quam in aëream hanc regionem ante lapsum acceperat, post lapsum in partem adhuc retinuisse. Sanè Apostolus haud obscurè insinuat illud, dum luctam nobis non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus aëreas potestates esse scribit; Confirmat autem Papias B. Ioannis discipulus disertè hisce verbis: Alijs ex ipsis, nempe Angelis quãdam circa terræ administrationem potestatem & procurationem tribuit; ritéque munus iniunctum administrare iussit. Et paucis interpositis, subiungit: Accidit autem, vt ordinem sibi præfinitum absoluerent non vt decebat.

Iean. 12.

Cap. 28.

Ephes. 6.

An diabolo ante lapsum regimen sub lunarii cura demandata fuerit.

Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem: Et proiectus est in terram; & Angeli eius cum illo missi sunt.

Cur diabolus è cælo deturbatus sit.

2. Cor. 6.

Vnum idem diabolus & satanas.

Meritò hoc, neque enim vllum terrenum sensum afferre potest cœlum; neque vlla lumini cum tenebris est communicatio. Porrò autem quod nomen hoc satanas articulum hoc loco adiunctũ habet, id non arguit alium esse satanam, alium diabolum (etiamsi hyperbaton in contextu lateat) ostendit autem antiquum illum serpentem duo nomina sortiri. Alterum diaboli, quod virtutes virtutúmque studiosos & ipsum etiam Deum apud homines calumnietur; siquidem apud Adamum inuidiæ illum insimulare non dubitauit. Alterum verò satanæ, tanquam pertinax Christi Domini & seruorum eius aduersarius.

Genes. 3.

Diaboli casus metaphoricus.

Obseruandum est autem diaboli casum post Christi crucem non fuisse localem, vt fuit primus: Dicitur tamen post Christum passum cecidisse, quia pristinæ illius vires, post illud tempus sunt diminutæ, & quasi fractæ. Vt ipse B. Antonio cõfiteri non erubuit, illud Prophetæ in se impletum ostendens. Inimici gladij defecerunt in finē. Igitur ruina illius aliud nihil est, quàm malignorum conatuum illius infirmatio, posteaquam semel è cœlo dominióque, quod obtinebat, decidit. Aduerte rursum, apud B. Iustinum Philosophum & Martyrem legi, diabolum post Christi aduentum, latámque aduersus illum gehennæ ignis sententiam, maximè blasphemum euasisse; primóq; initio ea impudentia Deum non blasphemasse quamodo. Ea propter rectè de ipso proditum extare: Cor eius indurabitur vt lapis nempe propter durissimam illam planéque satanam in malitia obstinationem. Quod si sola suppliciorum expectatio diabolum sceleratiorē reddit, quomodo vel ipse, vel illius ministri gehennæ ignis ardore inflammati, diréque puniti, peccatorum sordes eluent? Hanc autem à peccatis per ignem expiationem non consecuti; quomodo secundum stultam quorũdam hæreticorum sententiam cruciatus illorum finem olim sortientur?

Diabolus post Christi aduentum magis quàm ante blasphemus.

Iob 41.

Diaboli cruciatus perpetuus?

Et audiui vocem magnam in cælo dicentē: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius. Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

Diabolus hominum accusator.

Per accusationem falsámque calumniam, quibus homines impetuntur, ipsum diabolum designat; siquidem hoc studium nominis eius ratio, vt antè dictum est, insinuat. Lætantur autem Angeli de illius eiectione, quia nulla est pars infideli cum fidelibus.

2. Cor. 6.

Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

Et Sancti, inquit, rametsi acriter apud omnes, qui fidem ipsi habent, ab illo accusentur multísque falsis calumnijs infestentur; vt de Iob constat, adhuc tamen perpessionibus

pessionibus pro Christo susceptis deuicerunt illum. Credibile fit autem, vt supernæ virtutes ad Dei exemplum de dæmonis ruina & casu gaudent; ita è diuerso de insidijs, quas illis struit, qui in rebus terrenis miserè tabescunt vicissim contristari. Væ autem illis denunciatur qui inhabitant terram & mare, hoc est, illis qui non conuersantur in cœlo, sed in terra animum defixum habent. Multi enim ex eorum numero, qui vitam in terra degunt, inimicum vincunt & in posterum victuri sunt, etiamsi hoc tempore magis incensus sit contra strenuè pugnantes, quàm antè propter supplicij, quod ipsi impendet, vicinitatem & temporis breuitatem. Quam ob rem necesse est omnino, vt ij, qui hîc terrena sapiunt, matisque præsentis vitæ fluctibus iactantur, pœnis, de quibus dictum est, affines fiant, adeóque infelices perpetuò habeantur.

Væ illis impendere qui terrenis adhærescunt.

Vt draco Ecclesiam persequi non desistat.

Cap. 12.

CAPVT XXXV.

E*T posteaquam vidit draco, quòd proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: Et data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.*

CVM, inquit, diabolus Christum post Baptisma susceptum impugnasset, victúsq; recessisset; & sanctos rursum Apostolos pari impetu adortus confusus abijsset (vidit enim illos per mortem vitam inuenisse) & se tandem, vt in terra serpentis more volutaretur, & in terra rebúsque terrenis pro cibo vteretur, condemnatum animaduertisset, tunc denuò Ecclesiam, quæ parit & peperit filium masculum, hoc est, populum virilem nihilque effœminatum præ se ferentem persequi incepit: Verùm ab initio in præsidium data est illi caritas erga Deum & proximum. Huic porrò addita est eius prouidentia adiutrix, qui propter nos in crucem actus est; & duo præterea Testamenta, quæ simul omnia designantur per alas Aquilæ; quo per has in sublime sublato, concedat in desertum, ibidémque omnis vegetæ solidæque virtutis nutriatur alimẽto; & id quidem semper, Antichristo verò sæuiente maximè. Hunc enim trieteride cum anni semisse grassaturum sæpius iam ante indicatum est. Quo etiam tempore multos ad sensilem eremum concessuros, inque montibus, & cauernis terræ, quo furiam illius euadant, sese abdituros valde probabile est.

Cur diabolus Ecclesiam acriùs impugnet.

Quid designẽt duæ alæ mulieri datæ.

Multos Antichristi tempore per fugã saluandos.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod miserat draco ex ore suo.

Cùm, ait, Ecclesia ad loca inuia & inaquosa propter impostoris insidias se recepisset, draco ex ore suo, nempe per oris sui mandatum, aquam instar fluminis à tergo illius eructauit, hoc est, ingentem impiorum virorum, aut malignorum dæmonum, aut infestatum tentationum multitudinem aduersus illam armauit, quo hac ratione eam si queat in seruitutem redigat. At terra, inquit, iuuit illam; Iuuit auté aut viæ longitudine, aut locorum squalore & siccitate improborum hominum impetus sistens, tentationúmque flumen eius rei caussa eiectum absorbens, Sanctorum denique submissione, qui verè rectéque dicere solent; Ego sum terra & cinis, omnes superbi diaboli laqueos eneruans: Nihil enim, vt diuino Antonio, ab Angelo indicatum est, diaboli vires, ita frangit sicuti humilitas.

Quid sit aqua illa quã draco ex ore suo cõtra mulierem eructat.

Diaboli vires humilitas frangit.

Et iratus est draco aduersus mulierem, & abijt, vt faceret prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.

Illustrioribus Ecclesiæ magistris, iisque qui terram résque terrenas despectui habebant, ad eremum veluti ad ærumnosum exitium translatis, ita vt horum compos

A fieri amplius non valeat, Draco vel Antichristus ipse contra eos aciem mox conuertet, inquit, qui Christo in terra hac militant. Hos enim veluti terreno puluere olei lubricitatem exasperante asperos, vitæque huius negotijs curísque immersos, adeóque captu faciles inueniens, pedibus suis substernere contendet. Ast non omnes sternet; nam multi ex illis quoque, eò quòd Christum sincero amore persecuti sunt, victoriam ex diabolo referent.

Quos diabolus facile capiat.

De bestia, quæ habebat cornua decem, & septem capita.

CAPVT XXXVI.

B E*T steti super arenam maris, & vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata. Et super capita eius nomina blasphemiæ.*

Cap. 13.

QVIDAM per hanc bestiam accipiunt virtutem quandam viribus & nequitia satana inferiorem, cæteris autem dæmonibus vtroque genere eminentiorem, per bestiam verò, quæ paulò post è terra emergit, Antichristum ipsum. At sanctus Methodius & Hippolytus, & alij veteres de ipso Antichristo præsentem locum interpretati sunt; vt qui ex turbulento plurimúmque vndoso vitæ huius mari egressurus sit. Per decem autem cornua totidem diadematis exornata, & septem capita familiaritatem illam denotari volunt, quæ inter ipsum & diabolum intercedet (nam hæc illi adfore iam antè quoque

C indicatum est) regníque terreni in decem partes sectionem; & regnum præterea septenatium mundi huius cursui conformatum, septem quidem dierum spatio dimensum, & in septem rursum successiones distributum; prout in sequentibus latiùs id explicabitur. Secundum quod mundi huius princeps Satanas appellatur, qui per Antichristum præpotenter operabitur. Nomina autem blasphema in capitibus, hoc est, in satellitibus & administris illius comperiuntur quàm plurima. Nam quotquot iam inde ab initio tyranni vsque ad Constantini Magni imperium exstiterunt, omnes Christum certatim blasphemarunt. Post Constantinum autem Iulianus, & Valens, & alij præterea nonnulli Imperatores denuò in Christum blasphemum os erexerunt.

Quid bestia è mari emergens.

Septem bestiæ capita & decem cornua totidẽ diadematis ornata quid?

Satanas per Antichristum potenter operabitur.

D *Et bestia quam vidi, similis erat pardo: & pedes eius sicut pedes vrsi; & os eius sicut os leonis.*

Per pardum Græcorum; per vrsum Persarum; per leonem Babyloniorum regnum denotatur, quæ omnia vnus obtinebit Antichristus, idémque Regis Romanorum titulo ornatus, in medium se efferet, atque vbi primum fictiles pedum digitos (per quos regni in decem partes diuisi infirmitas indicatur) animaduerterit, totum illorum principatum funditus euertet.

Quid significent pardus, vrsus & leo.

Antichristus Rom. imperiũ euertet.

Et dedit illi draco potentiam suam, & thronum suum, & potestatem magnam.

Spiritalis draco est satanas, qui suam in signis & mendacibus prodigijs potestatem impertietur Antichristo, idque ad hominum instabilium ruinam & interE necionem.

Diaboli potestas in signis mendacibus.

Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem; & plaga mortis eius curata est.

Caput quod hîc veluti iugulatum in medium proponitur alterutrum innuit, nimirum aut vnum aliquem è principibus ab Antichristo occisum, præstigijs eiusdem imposturísque actum, denuò excitatum apparuisse. Qua arte cùm Simon magus familiariter vteretur, ab Apostolorum coryphæo palàm est reprehensus. Aut certè Romanorum regum diuisione illa in decem partes internecionem quodammodo passum, ad monarchiæ formam (cuiusmodi Augusti Cæsaris ætate exstabat) ab Antichristo redactum, rursum conualuisse, & quasi in integrum restitutum denuò visum esse.

Quid sit bestia caput ablatum & restitutum.

Romanorum regnum diuisum, in monarchiam redigetur.

Et admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt

draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adorauerunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?

A

Diabolus per Antichristum mendacia signa.

Miracula quæ Antichristus præstigijs suis operabitur, ad diabolum, qui per ipsum & in ipso efficax erit, referri debent. Per ipsum enim draecn imposturas suas exercens publicè adorabitur: Per quem etiam mortuos exsuscitare, multáque alia admiratione plena facere abs se seductis videbitur.

Et datum est illi os loquens magna, & blasphemias: Et data est ei potestas facere mensibus quadraginta duobus. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.

Tabernaculum Dei, quod.

Triennij, inquit, spatio cum anni dimidio Deus sinet illum conuitijs verbisque blasphemis cœleste numen impetere sanctósque affligere. Tabernaculum autem Dei, est natura humana quam assumpsit, perpetuáque in assumpta carne eiusdem habitatio: Tum requies
B
quoque illius Sanctis; contra quæ omnia (sicuti aduersus sanctos Angelos quoque) homo ille peccati vertetur in blasphemiam.

Et datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes, qui inhabitabant terrã, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

Antichristus praecisos tantum expugnabit.

Contra omnem, inquit, tribum, & linguam, & populum maligna sua potestate abutetur. At contra illos tantùm victoriam obtinebit, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.

Si quis habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in
C
captiuitatem vadet. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, & fides Sanctorum.

Qui diabolo seruiunt cum eodem perpetua tormenta sustinebunt.

Vnusquisque, inquit, præmia factis suis digna recipiet. Qui igitur ad vexandum & affligendum proximum prompti expeditíque fuere, ij à diabolo captiui abducentur, eius iuxta magnum Iacobum, mancipia effecti, cui per praua opera seruierunt; satanæque gladio icti æternam mortem sustinebunt. Qui autem fidem sinceram infractámque in tentationibus rebúsque aduersis patientiam conseruabunt, illi de libro vitæ nunquam delebuntur. Quorum socios benignissimus Deus nos declaret, reputãtes præsentis temporis afflictiones,

Rom. 8.

quæ cum futura gloria, quæ Sanctis patefiet, comparentur, prorsus indignas esse; necnon per angustam viam impigrè gradientes, gloriam in futuro tandem sæculo
D
& requiem, locique amplitudinem inueniamus, & in

Angustam viam ingredientiũ quantũ pramium.

omnem cum Christo æternitatem regnemus: Quem vnà cum Patre decet omnis gratiarum actio, & adoratio, cum Spiritu sancto nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

De Pseudopropheta.

CAPVT XXXVII.

SERMO DECIMVSTERTIVS.

Cap. 13.

ET vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.
E

De bestia è terra ascendente opiniones.

SVNT qui per hanc bestiam Antichristum intelligãt; alijs magis placet quempiam e diabolorum numero esse. Per duo verò eius cornua, Antichristum & Pseudoprophetam significari; nãm Pseudoprophetam quempiam Antichristi aduentum præuenturum, multorum est opinio. Nos autem putamus per draconem, satanam: Per bestiam autem, quæ de mari ascendit, Antichristum: Per bestiam verò,

Pseudopropheta Antichristum præcedet Agni cornua duo cur habeat.

quæ hoc loco è terra ascendere scribitur, Pseudoprophetam denotari. Quæ sententia Irenæo quoque probatur. Dicitur porrò è terra ascendere, quia de terrena humique repente conuersatione in medium prodit; habetéque duo cornua Agni cornibus similia, ob id for-

Irenæi sententia de dracone Antichristo, &c.

tassis quod sub ouina pelle cædis studium occultúque
A
lupi ferociam celare studeat: tum etiam quod initio aliquam pietatis formam præ se feret; qua de re Irenæus ita ferè scribit. De satanæ satellite (quem Pseudoprophetam quoque vocat) loquebatur, ait, vt draco. Addit porrò signorum prodigiorúmque potestatem huic impertiuisse, quo viam per hæc Antichristo sterneret, aditúmque ad hominum perditionem eidem patefaceret. Cæterùm sanationem plagæ mortis, quam bestia acceperat, momentaneam regni ante diuisi visionem esse dicimus: aut temporariam tyrannidis satanæ, quam Christus sua cruce fregerat, per Antichristũ instaurationem. Aut fictitiam certè cuiuspiam resurrectionem. Dicitur

Cur terrestris bestia loqui dicatur vt draco.

tandem hæc bestia loqui vt draco; nam quæ diaboli omnis mali auctoris & incensoris sunt propria, ea ipsa quoque patrabit & loquetur.
B

Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius; & fecit terram, & inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.

Præstigia quibus Antichristi præcursor vtetur.

Quicquid, inquit, Pseudochristi præcursor ad hominum deceptionem facturus est, hoc totum per præstigias & incantationes facturus est; quo hac ratione Antichristum Deum esse persuadeat, vt qui testimonium habeat à viro, qui tanta miracula patrarit; eámque virtutem & gloriam ad exemplum Ioannis Baptistæ, qui fideles ad Christum adducebat, diuinitus citra controuersiam acceperit, siquidem mendacium ad hominum seductionem veritatem imitari contendit. Non est autem mirum aut nouum, si in oculis hominum errore
C
iam caeçatorum, ignem è cœlo descendere faciat impostor: Postea quam ex historia Iob compertum habe-

Dæmonis virtute ignem accendi posse in aere.

mus, ignem diaboli virtute incensum supernéque dilapsum iusti viri armentum, Deo id permittente, temporis quasi puncto totum absumpsisse.

Et seducit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.

Quos faciliùs seducturus sit Antichristus.

Seducit illos, inquit, qui cordis sensum in terra rebúsque terrenis perpetuò defixum habent. Quorum enim conuersatio in cœlis est, hos neque sensus, neque Antichristi præsentia decipit; vtpotè accuratè iamdudum ante de illius aduentu edoctos, validéque contra eiusdem fraudes munitos.

Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ
D
habet plagam gladij, & vixit. Et datum est illi vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ. Et faciet, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.

Dæmones per homines mortuos visque antias loqui.

Narrat Apollonius, & alij confirmant, dæmones incantationum & præstigiarum vi per imagines & statuas, per arbores rursum & aquas, pérque alia eiusmodi sæpenumero locutos: arbitror & per mortuorum cadauera loqui quoque posse. Nam & Simon Magus in B. Petri

Simonis magi præstigia ab Apostolo Petro deprehensa, publicéque refutata.

Apostolorum coryphæi multorúmque Romanorum præsentia mortuum hactenus exsuscitauit, quatenus sese mouere palam videretur, etsi interim Apostolus
E
imposturam, hoc est, virtutem, qua falsò eum excitauerat, aperuerit; & vim qua mortui verè resurgunt publicè declarauerit. Ad eum itaque modum probabile

Antichristi prodromus imaginem bestiæ facturus videtur, per quã diabolus loquatur.

fit, Antichristum quoque prodromum & administrum dæmonum vi impulsum, bestiæ imaginem facturum, arte & fraude diaboli loquendi facultatem illi communicaturum; adeóque daturum operam vt omnes trucidentur, quotquot eam adorare recusauerunt. Neque

Cur bestia characterem frontibus & dexteris seductorum imprimatur.

his contentum, lethiferi quoque nominis characterem omnium seductorum frontibus & dextris impressurum: His quidem, quò omnium dexterorum bonorúmque operum vim amputet; illis verò, quo abs se deceptos hoc symbolo commonefaciat, perfricta fronte in errore & tenebris persistendum esse. Verùm non facilè susci-

pient

Bestiæ potestas in contractibus.

picnt eiusmodi characterem, qui vultus frontésque diuino lumine signatas habent. Quin bestiæ quoque calculum ad omnes vbique contractus & negociationes extendet; ita vt nulli emere aut vendere liceat, qui eum recipere detrectet; quò ea saltem ratione fideles ob rerum ad vitæ vsum necessariarum penuriam, ad violentam mortem adigat.

De prefato Antichristi nomine.

CAPVT XXXVIII.

Cap. 13.

HIc *sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.*

ACCVRATAM calculi notitiam, vt reliqua itidem, quæ de Antichristo scripta extant, tempus & experientia viris prudentibus & sobrijs manifestabit. B

Multa de Antichristo tradita extare, quæ sola experientia patefiat.

Nam si in exquisita nominis huius cognitione magnum aliquod operæ precium situm esset, illi vtique, qui visionem impressit, vt veteres rectè admonent, Euangelistæ illud patefecisset. Verùm diuinæ gratiæ aliud, quam corruptoris perditique hominis nomen, diuino huic libro inserere visum fuit. Veruntamen per modum exercitationis multa secundum B. Hippolytum & alios confingi possunt nomina, quę numerum illum complectantur cùm propria tum etiam appellatiua, idque in omni propemodum lingua.

Numerus 666. in omni propè lingua, certis vocibus expressus.

Proprium exempli caussa, Græcis sit λαμπέτης. Latinè Benedictus, Persicè Sarmnæus. Similis in cæteris linguis efformatio fiat. Appellatiua verò, vt κακὸς ὁδηγὸς, dux improbus, ἀληθῶς βλαβερὸς, verè noxius, πάλαι βάσκανος, iam olim inuidus ἀμνὸς ἄδικος, Agnus iniquus, quibus ab illis præcipuè appellabitur Antichristus, qui errores illius assectantur; C siquidem is gloriam suam in flagitijs probro dignis constituet vel maximè.

Antichristus gloriam suam in flagitijs ponet.

De Agno & centum quadraginta quatuor millibus stantibus cum Agno in monte Sion.

CAPVT XXXIX.

Cap. 14.

ET *vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* D

AGNVM, qui hîc cernitur, Christum esse extra controuersiam est. Consistit autem supra montem Sion non veteris illius ciuitatis, sed nouæ viuentis Dei. Ipsa autem millia vberem multiformémque Apostolici seminis gratiam denotant; vt quæ per vnumquemlibet duodecies millesimum, hoc est, perfectum fidei fructum in ijs, qui salui fiunt, reddiderit. Aut certè millia hæc noui Testamenti virgines secundum vtrumque hominem significant; nam apud veteres virginitatis decus parùm admodum receptum erat. Quare hæc millia alia esse à prioribus illis, quę à duodecim tribubus Israël nominatim censebantur, putandum est; siquidem ijs virginitatis nomen non tribuebatur; Horum autem omnium frontes diuini vultus lumine signatæ conspiciuntur. E Per quod Angelis exterminatoribus veneradi ac formidabiles apparent.

Mons Sion duplex.
Centum quadraginta quatuor millia, quid significent.
Virginitas in veteri Testamento à paucis culta.

Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.

Vox aquarũ multarum & sonus citharizantiũ quid?

Vox multarum aquarum sonúsque tonitrui & citharizantium, hymnorum & laudum, quas Sancti fundunt, claritatem odæque, & carminis suauitatem & consonantiam significat; hæ namque, instar chordarum citharæ aptè compositarum, per vniuersam Ecclesiam, cœtúmque primogenitorum in cœlo descriptorum, latè circumsonant. Enimuerò quod est concinna fidium A consonantia, hoc Sanctorum est consensio, mutuáque inter se conspiratio ad quæ viam munit carnalis sensus mortificatio libidinúmque corporis compressio. Cæterum Musicam, de qua hîc sermo, nemo discere aut canere poterat præter eos, quos virginitatis cultus condecorabat. Quandoquidem cognitionis mensura, castæ conuersationis & integritatis mensuræ commensurabitur; quemadmodum secretorum manifestatio obtingere solet seruis, secũdum magnitudinem familiaritatis, quę illis cum Dominis intercedit; aut pro beneuolentię ratione, qua Domini erga illos affecti sunt.

Cognitionis mensura cui respondeat.

Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno & in ore eorum non est inuentum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Post viginti quatuor seniores, arbitramur hosce supra nominatos cæteris omnibus gloria præstare, tum propter virginitatem, tum etiam propter linguæ manuúmque innocentiam & puritatem; quippe qui post Christi in carnem aduentum, eum virtutum splendorem nacti sunt; vt digni habiti fuerint, qui eiusmodi carmen edocerentur, quod permultis nõ modò in mortali hac vita, verùm in futuro quoque sæculo incognitum manebit.

Post 24. seniores in cælo qui primatũ teneant.

Nam etsi cognitionis perfectio tum demum obtinebitur euacuata illa, iuxta Apostolum, quæ ex parte tantum est: Attamen vnicuique secundum vitæ hîc transactæ modum & rationem sanctorum mysteriorum reuelatio obueniet. Multæ enim apud Patrem sunt mansiones, & stella differt à stella in gloria; quemadmodum multa quoque suppliciorum sunt discrimina; à quibus nos vniuersorum Dominus liberet eorúmque numero propter ingenitam bonitatem suam nos adcenseat, qui salui fiunt. Neque ad multitudinem peccatorum nostrorum spectet, sed ad solitas suas miserationes, propter quas etiam è cœlo in terram descendit, nostráque caussa preciosum sanguinem suum largiter profudit; quo maculas sordésque nostras eluens, mundos nos Patri offerret; Cui, vtpotè vitæ nostræ duci nostræque salutis auctori, vnà cum Patre & Spiritu sancto sit gloria, honor, & imperium, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Sanctiores & perfectiores plura in cælo mysteria cognoscent.
Ioan. 14.
1. Cor. 15.
Vt multæ sunt in cælo mansiones, sic apud inferos diuersa pœnarum genera.

De Angelo iudicium propinquum denunciante.

CAPVT XL.

SERMO DECIMVSQVARTVS.

ET *vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum dicentem magna voce: Timete Deum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius, & adorate eum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & fontes aquarum.*

Cap. 14.

MEDIVM cœli vtrumque designat, nempe sublime præcelsúmque esse quod annunciatur; & Angelum rursum qui apparet, è sublimi cœlestique loco venire: nec alia de caussa missum adesse è supernis, quàm vt Christi exemplo homines humi repentes per suam intercessionem transmittat ad cœlos, totúmque Ecclesiæ corpus Christo capiti suo coniungat. Vocat autem Euangelium æternum, quod ab æterno à Deo præfinitum sit. Hoc porrò exigit vt Deum timeamus; Antichristum autem qui animam vnà cum corpore occidere non potest, nihil formidemus, quin potius animosè illi obsistamus; vtpotè propter iudicij propinquitatem, vicinámque pro meritorum ratione retributionem ad modicum tempus dominaturo.

Quid mediũ cæli per quod Angelus volat significet.
Euangelium æternum.
Per breue Antichristi dominium fore.

De Angelo, qui Babylonis ruinam annunciat.

CAPVT XLI.

Cap. 14.

ET alium Angelum secutus est dicens: Cecidit, cecidit, Babylon ciuitas illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

NOMINE ex re ipsa sumpto, mundi huius confusionem vitæque præsentis turbas Babylonem appellat, quam paulò post finem facturam prædicat. Per vinum porrò iræ fornicationis nō idololatricam furiam mentisque à Deo alienationem tantùm designat, sed quamuis quoque temulentiam animíque insaniam ex quouis peccato natam, propter quam iuxta Psalmistæ oraculum, omnes quotquot fornicantur à Deo exterminabuntur. Ruet autem hæc Babylon tum demum B perfectè, radicitúsque euelletur, quando iniquitatis operarijs in æternum ignem missis, Ierusalem illa, quæ sursum est, apertè ostendetur.

Babylon quā confusionem significet.

Vinum iræ significatione quid?

Babylonis ruina, quando?

De tertio Angelo qui fideles, ne Antichristum suscipiant, grauiter admonet.

CAPVT XLII.

Cap. 14.

ET tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius; & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua. & hic bibit de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni. C

SI QVIS, inquit, Antichristu ob feritatem in beluam verso manus dederit impiámque vitæ conuersationem quæ ad viuum illum exprimit, adierit, aut dicto vel facto Deum esse prædicauerit hoc enim per characterem, qui fronti & manui imprimitur, significatur) ipse vnà cum illo calicis diuinæ iræ particeps erit, hoc est, omnis commiseranonis expers: Dicitur autem hic calix merus propter iudicij æquitatem; at verò propter peccati sponte electi vltróque perpetrati multiplicitatem & diuersitatem, ex varijs cruciatibus pœnarúmq; generibus mixtus. Percommodè autem cruciatus iræ vinum appellatur; quippe quod ex impietatis vua conficitur, quod quidem inebriat omnes quotquot ex illo bibunt; nam per quæ quis peccauit, per ea puniri quoque solet.

Pœna eorum qui charactere bestiæ suscipiunt.

Ira diuina calix purus & mixtus.

Cur cruciatus appellatur iræ vinum.

D *Et fumum tormento eorum ascendit in sæcula sæculorum.*

Aut per fumum hunc intelligere oportet inflammatum halitum, quem in tormētis constitui ex imo pectore continuò non absque suspirijs emittunt; aut illum certè quem ignis, qui eos punit & incendit, qui in illum inciderunt, sursum emittit. Dicitur hîc autem fumus in sæcula sæculorum ascendere, quo hinc discamus, vt iustorum voluptas & gloria finem nescit; ita nec peccatorum quoque supplicia vllo vnquam tempore finem habitura.

Fumus tormentis, quid?

Nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

Futuri sæculi statum, in quo impios nullam requiem habituros prædicit, diem ac noctem vocat; non quasi E ibi exstet spatium, quod diuino solis motu mensuretur, sed quia ad præsentis temporis consuetudinem, quod per noctes & dies conficitur, numeratur: Aut per diem vitæ ratio quam Sancti tenent, denotatur; per noctem impiorum hominum cruciatus, quos præ cæteris apud inferos luent illi, qui per ea quę perpetrant, diaboli studium nefariáque eiusdē contra blasphemias Christum, quasi ad viuum exprimunt, quique per fumus & infame illud Antichristi nomen tanquam rem preciosam cordibus suis inscribunt.

Diei & noctis nomen, quid?

Qui grauius præ cæteris apud inferos torquebūtur.

Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.

Impij, ait, post hanc vitam in omne æuum torquebuntur; At Sancti verò, qui hîc patientiæ fortitudinem

Impiorum & sanctorū status post hanc vitam.

ostendunt, & tempore hoc quod citò præterit, diuina A præcepta fideliter custodiunt, & fidem quæ in Christum est, inuiolatam conseruant in æternum cum illo regnabunt.

Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriūtur à modo. Sanè dicit spiritus vt requiescant à laboribus; opera autem illorum sequuntur illos.

Soli beati qui in Domino moriuntur.

2. Cor. 4.

Vox de cœlo lapsa non omnes mortuos beatos prædicat, sed illos duntaxat qui in Domino vitæ finem faciunt: Cuiusmodi inter cæteros sunt, qui iam antè mundo mortui Christi Iesu mortificationem in corpore suo portabant; vnámque cum illo crucem circumferebant. Talium namque ex corpore exitus veram à laboribus requiem adfert. Quod autē ex operibus nascitur, illud immarcessibilium coronarum gloriosorúmque B præmiorum caussa existit. Quæ quidem coronæ & præmia multis partibus excedunt certamina & pugnæ labores, quos Christi Dei nostri milites contra virtutes & potestates, quæ sub aspectum non cadunt, desudant: Neque enim præsentis vitæ passiones condignæ sunt ad futuram gloriam, quæ in illis, iuxta Apostolum, reuelabitur, qui Deo placuerunt. Quam si nos ex animo desideramus, citra intermissionem Dominum precemur, hac vel alia simili oratione vtentes. Inclina Domine cor meum in testimonia tua; auerte ab omni vanitate oculos nostros; Neque intres in iudicium cum seruis tuis Domine, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens, quin potius opulentis tuis miserationibus nos visites & protegas, quoniam tuum, Pater & Fili & Spiritus sancte, & imperium, & regnum, & virtus, & gloria, C nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Opera bona immarcescibilem coronā parere.

Rom. 8.

Psal 118.

Psal. 142.

Vt is, qui super nubem sedebat, falce ea demetat, quæ oriuntur e terra.

CAPVT XLIII.

SERMO DECIMVS QVINTVS.



Tt vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo, coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

Cap. 14.

PER nubem, sensilem accipere licet; cuiusmodi fuit illa, quæ Christum ex oculis Apostolorum suscepit; aut D aliquam certè angelicam virtutem; sunt enim hæ suapte natura puræ & instar nubium sublimes. Notum est namque illud Psalmistæ: Ascendit super Cherubim, & volauit. Per eum igitur qui super nubem sedere, hominísque similitudinem præ se ferre visus est, Christum denotatum arbitramur. Corona autem capiti illius imposita Regem, rerúmque omnium tam aspectabilium, quàm inaspectabilium Dominum esse ostendit. Additur porrò coronam hanc fuisse auream, propterea quòd materia hæc apud nos illustris splendoris, eximiǽque valoris existat. Falx denique quam manu tenebat, consummationis est symbolum, nam ipse quoque Dominus sæculi consummationem per messem designat.

Per nubem in qua filius hominis sedet, duo significantur.

Angelorum cum nubibus affinitas.

Psal. 17.

Per falcem & messem sæculi consummationem denotari.

Et alium Angelum exiuit de templo, clamans voce magna ad E *sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem super terram, & demessuit eam.*

Vox isthæc Angeli & clamor periphrasticῶs communes Angelicarum virtutum preces communéque Sanctorum omnium desiderium significat. Omnes namque iustorum honorem & gloriam, peccatique & iniquorum excisionem videre gestiunt, quò fluxa tandem mortuíque obnoxia desinant, succedunt autem & sese produnt stabilia fixǽque consistentia. Cùm verò messem aruisse clamat, consummationis tempus præ foribus vigere indicat; quando nimirum frumentum maturum seménque pietatis in trigesimum, sexagesimum, & centesimum multiplicatum dignum censebitur, quod

Sancti Angeli cur sæculi consummationē desiderent.

Messis arida, quid?

tempestiuè in cœleste horreum inferatur.

Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cœlo habens & ipse falcem acutam. A

Christus magni consilij Angelus.

Etsi Christus Dominus magni paternique consilij Angelus nominatur, præsentis tamen loci Angelum vnum ex ministratorijs virtutibus esse, ex sequentibus demonstratur; siquidem ex templo, quod in cœlo exstat, egressus, falcéque acuta instructus, hominum insigniter impiorum vindemiam facit.

Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem: & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius.

Angeli elementis præsunt.

Ex hoc loco, vt ex alijs quoque nonnullis dicimus, Deum angelicas virtutes rebus abs se creatis administrandis præfecisse; Vnam quidem aquis, aliam autem igni, aliam denique alteri vniuersitatis parti. Hunc igitur Angelum, quod igni præpositus vim munúsque puniendi sortitus esset, vnum ex supremis exiuisse conijcimus. Quare clara quoque voce alteri illi, qui falcem acutam habebat, vt vineæ terræ botros vindemiet, imperat. Per botros autem impij illi & iniqui homines designantur, qui calicem iræ diuinæ implent, furorémque draconum & fel aspidum pro vino lætitiæ optimo colono proferre non dubitant. B

Per botros vineæ terræ impios insinuari.

Et misit Angelus falcem suam acutã in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum.

Quid sit lacus iræ Dei magnus. Matth. 7. Psal. 124.

Lacus iræ Dei non est alius, quàm locus supliciorum, qui diabolo & angelis eius præparatus est. Asseritur hic autem magnus propter illorum multitudinem, qui pœnas in illo pendunt, lata enim porta & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. C

Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

Vt impiorum ac iustorũ diuersi mores, sic domicilia quoque diuersa.

Extra iustorum ciuitatem lacus hic calcatur; neque enim par est vt virga peccatorum, ad sortem iustorum aliquando appropinquet. Nam vt vtrorúmque vita & mores fuere dispares, ita domicilio quoque & statione inter se communicare non debent. Per sanguinem autem, qui ex iudicio obnoxijs, dum in lacu calcantur, funditur, iustum incorruptúmque Dei iudicium significatur. Sanguis autem vuæ est vinum; vini autem puri calix plenus offertur propter diuinã iram, qua sæuiente, cruciatus qui pœnam promeritos excepturus est, vsque ad equorum hoc est, lasciuorum illorum hominum fræna pertinget; & meritò, vt qui nullum dum viuerent in carnis voluptatibus frænum agnouerint, neque vllum vnquam adhibere studuerint. Additur porrò ad mille sexcenta stadia dimanasse sanguinem, ad designandum consummatam hominum illorum nequitiam, pœnæque magnitudinem; siquidem millenarius numerus inter omnes est perfectissimus & consummatissimus. Sexcentesimo adhæc Noe anno, peccatum aqua obrutum nouimus. Fit autem mentio senarij, quia creaturam sex dierum spatio conditam improbis suis studijs contumelia affecerunt. Sex denique dierum numerus, in quibus mundus constitutus est, operationis est symbolum. D

Sanguis vuæ, quid?

Quid sit sanguinem pertingere vsque ad equorum frænos, & diffundi vsq; ad mille sexcenta stadia.

(Hæc Andreæ ex commentarijs in quodam exemplari inserta comperimus: Quæ autem sequuntur, vt cætera omnia sunt Andreæ.)

Pœnarũ locus & recto obstructo, vbi positus.

Vt suppliciorum locus extra cœlestis Ierusalem ciuitatem est positus, ita illi quoque qui eidem addicti sunt, Porrò autem quod sanguis illorum vsque ad equorum fræna ascendisse, seséque ad mille 600. stadia diffudisse hîc dicitur, istud ad insinuandam pœnarum prolixitatem & grauitatem, quæ per Angelos cruciatibus prælectos irroganda est pertinere videtur (siquidem hos equorum nomine Scriptura sacra alicubi designat; nec enim aliò spectat illud: Ascendes super equum tuum; & illud rursum: Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te.) Pertingit autem peccatorum qui cæduntur,

Equi quorum fræna sanguis peccatorũ attingit, qui?

eiulatus & sanguis, vsque ad equorum frænos, hoc est, vsque ad præcepti limitem, quem ea de re Deus præfiniuit. Frænum enim Sanctæ illæ virtutes, aliud non agnoscunt, quàm diuinum præceptum: Hoc vno namque diriguntur & impelluntur ad ea omnia exequenda, quæ in mandatis habent. Potest aliter quoque hic locus exponi: Nam cum iniqui præuaricatores instar equorum, qui præ cæteris animantibus lasciui, superbi, & furiosi sunt voluptatibus vsque ad fastidium incubuerint, digni sunt qui vsque ad frænos supplicijs vicissim immergantur. Quid enim iustius, quàm vt ij qui nullum in flagitijs modum tenuerunt, nulla pariter in pœnis relaxatione potiantur? Per mille autem & 600. stadia magnum illud chaos, quod inter iustos & peccatores interiectum est, designatur: Tum consummata eorum, de quibus hîc sermo est, nequitia summáque in operibus abominatio; decade quidem ex centenis perfectam malitiæ magnitudinem significante; hexade verò eorumdem centenorum accuratum déq; industria susceptum peccandi studium, fœdúmque creaturæ, quæ sex dierum spatio condita est, abusum sexcentesimo deniq; Noachi anno vniuersam terrã diluuij aquis prostratam iacuisse.

Frænum mysticorũ equorum.

Equi, lasciuorum & superborũ symbolum.

Meritò sine fine pœnas luunt, qui sine fine peccare voluerunt.

Quid per mille 600. stadia singulasque numeri huius partes significetur.

De septem Angelis, qui ante sæculi finem septem plagas hominibus inferunt, déque mari vitreo.

CAPVT XLIIII.

Cap. 15.

ET vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile: Angelos septem habentes plagas septem nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.

VBIQVE ferè septenarium numerum assumit Euangelista: docet autem hîc fore vt per septem Angelos totidémque plagas iniquitates, quæ intra septenarium dierum numerum in præsenti hoc sæculo temerè perpetrantur, comprimantur & coërceantur. Post has autem illatas, Sanctorum vitam & gloriam per mare vitreum designata, exordium facturum.

Numerus septenarius Euangelistæ familiaris. Mare vitreũ, quid?

Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginẽ eius, & characterẽ eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

Mare vitreum, eorum multitudinem qui salui fiunt, futuræque quietis puritatem, tum ipsorum quoque Sanctorum splendorem, significare arbitramur. Hi enim virtutum radijs ornati instar solis lucebunt. Quod autem mare illud ignem admixtum habere perhibetur, ad Apostolicum illud referri potest: Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit; etsi interim ignis ille eius naturæ existat, vt puris sinceræque fidei & vitæ hominibus nihil quicquam noceat; discruditur enim vis eius citra vllam confusionem in diuersas vires & operationes, secundum Prophetæ oraculum. Enimuerò quod in eo adurendi virtutem sortitum latet, hoc peccatoribus tribuitur quod verò illuminare natum est, hoc ad iustos, vti magnus Basilius interpretatur, transmittitur. Sunt quoque qui per ignem diuinam notitiam, aut viuifici spiritus gratiam significari volunt. In igne enim Moysi visus est Deus: In specie rursum ignitarum linguarum super Apostolos descendit Spiritus sanctus. Per citharas verò membrorum mortificationem, benéque compositam vitæ rationem, diuini Spiritus plectro per virtutum concentum ritè moderatam, insinuat. E

Cur mari vitreo ignis admisceatur. 1. Cor. 3.

Ignis qui vniuscuiusq; opus probat non eandem vim habet in iustos & impios.

Exod. 3. Act. 2.

Et cantant canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni dicentes: Magna & admirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Iustæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es. Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.

Quid citharæ significent.

Per Moysi canticum eam laudationem & cultum accipimus, quibus Deum prosequebantur, qui ante effusam Christi gratiam, in vetere lege iustificationis gratia

Quod inter Moysi & Agni canticũ intercedit hoc inter veteris & nouæ legis iustos.

potiebantur. Per Agni autem carmen indefessam illorum prædicationem & gratiarum actionem, qui post Christi aduentum sanctè integréque vixerunt. Hi enim de beneficijs & donis, quæ à Christo in genus nostrum dimanarunt, continuò gratias agunt. Maximè verò de eo, quod gentes per Apostolos ad sui agnitionem vocare dedignatus non fuerit.

Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo; & exierunt Angeli septem habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

Exod. 15. Hebr. 9. Act. 7. Tabernaculũ duplex. Angelorum vestitus, cur cãdidus, &c.

Tabernaculum, de quo hîc agitur, illud insinuat, quod est in cœlis; ad cuius similitudinẽ Moysi iniunxit Deus, vt aliud defigeret infernè. Ex illius autem tabernaculi templo egressurum prædicitur hoc loco Angelos lino mundo, vel, vt alia exemplaria legunt, puro lapide amictos. Tribuitur autem illis eiusmodi amictus, vel propter naturæ mũditiem, vel propter affinitatem quam cum Christo, qui est lapis angularis, sortiuntur, aut certè propter virtutum splendorem. Dicuntur tandem præcincti lumbos circa pectora zonis aureis, ad designãdam illorum potentiã, & castitatem, & nobilitatẽ; tum etiam vt hinc intelligatur, in obeundis iniunctis; ministerijs ita expeditos esse, vt impediri non facilè queant.

Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum.

Cap. 1. Cur Angeli phialas accipiant à quatuor animalibus.

Quod Angeli phialas aureas ira diuina plenas, ex quatuor animalibus, quorum apud Prophetam Ezechielem quoque fit mentio, accipiunt, hoc secundum magnum Dionysiũ significat, agibilium notitiam à primis ordine quodam ad alios & alios dimanare.

Et impletum est templum Dei fumo à maiestate Dei, & de virtute eius.

Ira diuinæ fumus quid?

Per diuinæ iræ fumum, qua cœleste templum impletur, terrorem illum stuporémque & pœnam, quæ ira eius inferre nata est, intelligimus. Quæ quidem vniuersalis iudicij tempore horribiliter contra eos desæuiet, qui ira illa digni comperientur; & ante illud aduersus eos, qui Antichristo paruerunt, operáque apostasiæ illius consentanea perpetrarunt. Atque isthæc sequentia clariùs exponunt.

Dei ira in sceleratos & Antichristi sectatores.

Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

Hanc sententiam ante ecclesiæ definitionem citra errorem tueri licuit, iam nõ licet, quia aliud nunc definitum est.

Hinc coniectura fit Sanctos cœlestis Ierusalem hæreditatem non priùs adepturos; neq; priùs rursum sacrum ministerium templo Dei obituros; neque priùs tandem perfecta quiete potituros, quã diuina indignatio contra impios concepta, inter iustos & iniustos secreuerit, air enim: Donec impleantur plagæ, per quas pœnam pro meritis peccati stipendia persoluuntur. Donec igitur impij condemnationis sentẽtia, in quam sua culpa inciderunt, feriantur, Sancti supernæ metropolis habitatione non donabuntur. Cæterùm ad plagas hasce septem quod spectat, quisquis illas ijs accommodauerit, qui sub sæculi finem in viuis inuenientur, is à scopo, vt arbitror, haud multùm aberrauerit. Nam cùm Deus sit benignus & clemens, quo supplicia illa, quæ in futuro sæculo sine fine inferentur, nonnihil diminuatur in præsenti vita pœnam promeritos per Enoch & Eliam Prophetas; per elementorum rursum intempetiem & clades atq; calamitates, quæ per bella contingunt; per ea olim denique omnia incommoda & mala, quę Antichristus infert, puniri & flagellari permittet, sicut subinde quoque permittit; siquidem hæc omnia eò spectant, vt mitigetur pœna sceleratis apud inferos cõstituta. At nos paternè à Domino castigati submissè precemur; Domine ne in furore tuo flagelles nos; neque enim est sanitas in carne nostra à facie iræ tuæ; vt stolas nostras peccatis contaminatas lacrymis pœnitentię eluentes, honestáque nuptiarum veste induti, in æternũ perpetuæ lætitiæ thalamum Christi Dei & Domini nostri ingrediamur. Quem decet omnis gloria & honor, & adoratio vnà cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Quò minus in altero sæculo puniat Deus, pro sua clementia in hoc præsenti punit. Deus varijs cladibus impios sæpe exercet.

Psal. 37.

Stolæ peccatis contaminatæ pœnitentiæ lacrymis abluendæ.

Vt prima phiala effusa, vlcera nata sint in desertoribus.

CAPVT XLV.

SERMO DECIMVS SEXTVS.

Et audiui vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abijt primus Angelus, & effudit phialam suam in terram & factum est vlcus sæuum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius. Cap. 16.

Phiala, & calix, quid?

Phiala hoc loco, quemadmodum calix quoque pro vi quadam cœlesti cruciatum inferre idonea, vsurpatur. Hæc igitur cùm per Angelum fuisset effusa, exortum est vlcus malignum in ijs qui adorauerant bestiam; illum vtique dolorem & cruciatum exprimens, qui in corde illorum infixus, instar latentis puris aut mersus scorpionis, animos desertorum assiduè pungit & rodit; dum nimirum varijs plagis diuinitus inmissis acriter cæsi & tantùm non enecti, nullam ab Antichristo quem Deum esse apud se constituerant, opem cõsequi se posse animaduertunt, sed & verisimile fit quoque externa vlcera eorũdem corpora grauiter excarnificatura; idque cum ob alia, tum maximè ad ostendendum vlcerosæ animæ illorum statum, vulneráque diabolicis impostoris Antichristi & erroris iaculis inflicta.

Vlcus desertoribus inflictum, quid? Sectatores Antichristi duplici vulnere sauciandi.

De plaga secunda, quæ ijs infertur, qui in mari vitam degunt.

CAPVT XLVI.

Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari. Cap. 16.

Non est magnum aut difficile diuinæ virtuti, vt Pseudochristi infirmitas, eorúmque quos ille seduxit facilitas & inconstantia plana fiat, per sanctos Prophetas Enoch & Eliam transmutare mare; ita vt mortui occisíve hominis speciem præ se ferat: Tum interitum ijs adferre, qui vitam in ea degunt. Nam istud olim per Moysem in Ægypto fecisse certò nouimus; Fecit hoc autem cùm ad redarguendam Pharaonis duritiam, tum etiam ad ostendendam suam ipsius virtutem atque potentiam; facturúsque idem est olim, cum ob alia tum maximè quò hac ratione fide stabiles nonnihil mortificentur; instabiles verò exterreantur, creaturam ob id contra se insurgere animo pertractantes, quod homini pestilenti & corruptori diuinum honorem detulerint. Fortè cædes quoque sub Antichristi aduentum propter bella & seditiones passim euenient per hæc denotantur. Nam & Gog & Magog contra se inuicem concionabuntur, & in quatuor orbis partibus præliabuntur. Quin Reges quoque qui Antichristi imperium detrectabunt cum toto exercitu in partes concidentur. Tot autem cædibus passim editis mare quidem illorum sanguine contaminabitur, qui nauali prælio interierunt; flumina verò eorum cruore miscebuntur, qui circa illa cæsi occubuerunt.

Aqua in alienã speciem transmutatio. Occisorum cruore maria & flumina tempore Antichristi inficienda.

Vt flumina per tertiam phialam in sanguine conuertantur.

CAPVT XLVII.

Et tertius Angelus effudit phialam in flumina, & in fontes aquarum; & facta sunt sanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine; Qui es, & qui eras, & sanctus, quia hæc iudicasti. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt. Cap. 16.

Et hinc

Angeli elementis præfecti. *Quibus sanguis propinatur.*

Et hinc rursum confirmatur, quod suprà dictum est, nempe Angelos elementis præesse. Enimuero ex eorum numero vnus prodit hoc loco, qui cum aquis præpositus esset Deum eo nomine laudat, quod iustam de præuaricatoribus pœnam vltionémque exegerit: vt qui sanguinem illis propinauerit, qui manus suas Sanctorum cruore polluerant. Ostenditur per hæc eadem quoque permultos tempore illo, quo Antichristus bacchabitur, passim occursuros, qui propter singularem in fide constantiam prophetiæ donum consequentur; qui ea etiam de caussa à diaboli satellitio trucidabuntur. Aut eos sanè qui diuinorum Prophetarum prædicationem auersabuntur; cædes autem, quas duri cordis duræque ceruicis Hebræi Christo & Prophetis attulerunt, veluti iustas approbant aut olim approbaturi sunt, ob mentis propositum inter illos ipsos homicidas censendos, huc enim spectat, quod Christus Dominus ad Iudæos dicebat: Væ vobis, ait, qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem vestri occiderunt illos; profecto testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum, &c.

Circa mundi finem prophetiæ donum nõ defuturum.

Et audiui alterum ex altari dicentem; Etiam Domine Deus omnipotens vera, & iusta iudicia tua.

Per altare quid designetur. *Rom. 12.* *Hebr. 2.*

Per altare interdum designatur Christus, quod in ipso & per ipsum ratione præditæ Deo Patri offerantur hostiæ, sacrificiáq; & victimæ viuæ, quales ipsi offerri vult Apostolus. Nonnunquam verò angelicæ virtutes, vt quę nostras preces nostrásque spiritales oblationes in sublime euehant Deóque offerant; siquidem hasce propter eos, qui hæreditatem salutis capiũt, in ministerium mitti, ex eodem Apostolo disertè discimus. Ex hoc igitur mystico altari vocem delatam, inquit, quæ omnia Dei iudicia iusta ad omnem mentem & orationem superantia prædicabat. Quia ergo ex sacris oraculis intelligimus, intelligentes illas spiritalésque virtutes de illorum salute gaudere festúmque diem agere, qui per pœnitentiam conuertuntur, contristari verò & mœrere de illorum perditione, qui rectam viam deserunt; ac gratias denique cœlesti numini agere de eorum punitione, qui diuina præcepta præuaricantur, quò vel partem contractorum debitorum per eiusmodi cruciatum in hac mortali vita persoluant, par est, vt nostra ad Deum conuersione & pœnitentia nonnullam illis lætitiam & exultationem conciliemus: Cogitantes vnum quemlibet nostrum diuinum Angelum comitari, qui veluti mẽs quædam nostræ menti arcano quodam modo sese adiungat, salutariáque consilia assiduè suggerat, & quæ facere debemus ostendat. Et quidem gaudere cũm consilijs, quæ suggerit, acquiescimus, ad Dei autem exemplum mœrere & contristari, cùm parere detrectamus; quemadmodum id ex salubribus animæque vtilibus narrationibus cognouimus. Fertur namque virum quendam qui multis peccatis erat contaminatus, cùm in Ecclesiam ingrederetur, Angelum mœstum placéque tristem à longè subsequi visum: Cùm autem ad pœnitentiam compunctus, illi, qui mysticam vult vitæ mutationem priorísque nequitiæ missionem ex animo promisisset, eáque mente è templo deuotò exiuisset, Angelum statim prodijsse, lætúmque & exultantem ante ipsum ambulasse; malignũ contra dæmonum confusum procul à tergo subsecutum qui tamen antè Deo gratam hominis conuersionem gestiebat. Faxit Deus Optimus Maximus, vt nostra conuersatio vitæque ratio sit eiusmodi, vt dæmonibus quidem confusionis deiectionísque caussa existat, Angelis autem lætitiæ occasionem offerat, quo vnà cum illis in voce exultationis & confessionis sono festum celebremus, Christóque Deo nostro de victoria aduersus malignos dæmones obtenta, gratias agamus. Cùm quo Patrem & Spiritum sanctum decet gloria nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Angeli quatenus de peccatorum pœnis gaudeant. *Angeli, quos comitentur.* *De Angelo custode & dæmone tentatore exemplum illustre.*

Vt per quartam phialam ardore crucientur homines.

CAPVT XLVIII.

SERMO DECIMVS SEPTIMVS.

Cap. 16.

ET quartus Angelus effudit phialam suam in solẽ; & datum est illi æstu affligere homines & igne, & æstuarant homines æstu magno & blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem super has; neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

Deus plagis peccatores admonet.

Fortassis sensili solis ardore homines tunc temporis incendentur; clemente Deo camo & freno maxillas eorum constringente, & tantum non vi quadam impellente, qui cunctantius ad illum accedunt, quò hac saltem ratione excitati, tandem aliquãdo ad pœnitentiam spectent: Etsi illi interim vtpote in profundum malorum delapsi non ad conuersionem respiciant, sed impotenti animo improbáque mente in blasphemiam sese efferãt. Fieri quoq; potest, vt per solem diei cursum adumbret, adeóque variarum tentationum ardore hunc eos adusturũ, subindicet, qui flagellis digni comperti fuerint; quatenus mutuum pœnarum & cruciatuum sensu admoniti, earum rerum parentem, nempe peccatum odio habere incipiant. Verùm infani homines, pro lapsuum & scelerum suorum agnitione & detestatione, linguam suam contra Deum exacuent, quemadmodum hac quoque ætate multos ostendere licet, qui nefanda illa mala, quæ ex Barbaris, qui in circuitu degunt, inferuntur, ægro & iniquo animo ferentes, diuinam bonitatem iniquitatis insimulare non verentur; quasi tot illas tantásque afflictiones nostræ huic generationi reseruare non debuerit.

Pœnarum & cruciatuum parens peccatum.

Vt per quintam plagam bestiæ regnum obscuratum sit.

CAPVT XLIX.

Cap. 16.

ET quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ; & factum est regnum eius tenebrosum; & commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus suis, & vulneribus suis; & non egerunt pœnitentiam de operibus suis.

Antichristi regnum, quare obscurum? *Linguarum commanducatio quid.* *Sectatorum Antichristi afflictio.*

Phiala super bestiæ sedem effusa eiusmodi iram super Antichristi regnum venturam indicat, quæ illud penitus obscuratura palamque omnibus ostensura sit, solis iustitiæ luce prorsus destitutum esse. Porrò autem linguarum commanducatio, eminentem doloris magnitudinem denotat. Hic autem ideò infertur, quò ab Apostata seducti, plagis diuinitus illatis admoniti confundantur, confusique impostorem & seductorem tandem aliquando illum esse agnoscant, quem Dei loco coluerant & obseruarant; eaque ratione ab errore desistant. Verùm ita comparati erunt miseri, vt hinc ad conuitia & verba in Deum blasphema potius sese conuertant, quàm ad pœnitentiam morúmque mutationem. Quod si flagellis tantùm cæsi in blasphemiam conuertentur, multò magis huc se conuertent illi, qui postea à grandine pondo ingentem obtinente, ferientur; verùm de hoc, vbi ad eum locum peruenerimus, Deo volente, latius.

In obsessis flagellantur & torquentur dæmones.

Quin improbi quoque, atriq; dæmones, per humana corpora, quibus tanquam organis vtuntur, à Sanctis flagellati conuitia verbáque blasphemijs plena in flagellantes detorquere solent. Eapropter considerandum hoc loco venit, ecquidnam de impijs, qui in gehenna ignis torquentur, nobis cogitandum & statuendum sit, num videlicet ab insita malitia ita desistant aliquando, vt mente & cogitatione verè illam auersentur; an hactenus solùm ab ea abstineant, quatenus praua consilia in opus non efferant; quemadmodum scelerati nonnulli qui in ergastulis & vinculis detinentur, adeò-

Damnati, nō voluntate, sed necessitate, ab improbitate abstinent.

que necessitate non voluntate ab aliorum offensione, soliti sque insidiis coërcentur. Ego sanè cùm æternum supplicium impijs decretum audio, decernentis sententiæ repugnare nec valeo nec debeo: Ast verò cùm summam illius benignitatem, & ad misericordiam propensionem iterum iterúmque expendo; certè apud me cōstituo pœnam pro meritis, neque æternum supplicium comminaturum, neque comminatum quoque illaturū, si condemnationis sententia obstrictos videret verè pœnitentes, nequitiámque quam spontanea electione cōplexi erant, (neque enim ob id plectuntur quòd necessitate aliqua ad illam compulsi essent, sed quòd spōte suscepissent) ex animo detestantes. Si enim Pharaonem, tametsi certò nosset flagellis vtcunque emollitum, postea rursum ad ingenium rediturum, Moysi precibus flexus tanquam venia dignum a flagellis absoluit; quantò magis illos, siquidem per ignem a sordibus instar aurei vasis (hoc enim in exemplum quidam in hac materia assumpserunt) expiatos excoctósque agnosceret? Verùm auri & animi non est par ratio: Auro enim tanquam rei inanimi scoria naturaliter adest: Animo autem cæterisque ratione præditis non natura, sed propria voluntate sordes adiunctæ sunt; aut verius ipsimet impij eas vltro sibi asciscunt. Propterea qui Dei bonitatem & prænotionem & potentiam, supplicij æternitatem impedituram asserunt, iustitiam, quæ vnicuique pro meritorum ratione præmia vel supplicia distribuere solet, tribus prædictis admisceant; & tunc, si tamen constare sibi volunt, ad diuinæ sententiæ euersionem nullatenus spectabunt. Quod si noluerint, vel terrenos Reges accusent; nam licet hi certò præuideant non omnes, qui lucta, vel pugno, vel cursu, vel equestri certamine certant, victoria potituros, sed ex qualibet classe vnum dūtaxat, omnibus tamen stadium ad certamen aperiunt. Quod autem decertaturis est arena vel stadium, illud omnibus hominibus in hanc vitam est introitus; siquidem nasci vel non nasci, in nostra potestate non est situm; verùm impigrè certare, dæmonésque malignos vincere, adeóque æternis bonis potiri, id in nobis est positum. At qui dæmonum insultibus succumbunt, illos dolor & mœror ingens non potest non comitari. Verùm pœnitentia & threni apud eos, qui sempiternis cruciatibus tam mācipati habentur, prorsus inutiles sunt. Nam apud inferos nulla est redemptio, nec vllus ibi Dominum, iuxta Psalmistam, confitetur, quippe cùm Spiritus sancti subsidium, quod in hac mortali vita adesse solet, condemnatis amplius non adsit. Diuidentur enim, vt ait Christus, à viuifico illo Spiritu, quem ipsi iniuria & contumelia affecerant, perpetuò auulsi. Atque ad hunc sensum Psalmographū spectasse arbitramur, cum ait, Quoniam non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Neque enim horum cum illorum vita misceri potest, non solùm quia operibus inter se non communicant, neque moribus, quibus quisque vtitur, consentiunt, verùm etiam quia iusti concinuè inconcussèque bono adhærent; neque illorum voluntas cuiusuis mali admixtione ad peccatum irritatur, neque carnis infirmitate frangitur; neque mutationis formidine lætitiam diminuente turbatur, sed immutabilem in Deo firmitatem sortitur. Et hæc hactenus oratione ad alia dilapsa nunc reliqua ordine persequamur.

An pœnitentia damnatibus & damnatis prodesse possit.

Moysi pro Pharaone intercessio.

Inter sordes auri & animi discrimen.

Dei bonitas pœnarum æternitatem non tollit.

Stadium in certaminibus, est hominum in vitam introitus.

Pœnitentia apud inferos quare inutilis?

Matt. 24.

Psalm. 124. Cur iusti amplius peccare nequeūt.

Vt per sextam phialam via Euphratis pandatur Regibus ab oriente venientibus.

CAPVT L.

ET sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccata est aqua eius, vt præpararetur via Regibus ab ortu solis.

Flumen Euphrates transitum vadosum præbiturum.

Flumen Euphrates diuino nutu ita fortassis vadosum euasurum, vt gentium Regibus ad mutuam cædem, aliorúmque hominum interitum commodum transitum præbeat. Quantum autem ex ijs, quæ infra ea de re in Apocalypsi traduntur, diuinando consequi possumus, arbitramur, illos Gog & Magog nominibus designatos, ex Scytharū regione moturos. Quin vero quoque consentaneum arbitramur Antichristum ex orientali Perside, ad quam tribus Dan, è qua ortum ille ducturus dicitur, ablegata est, vnà cum alijs Regibus & Principibus regium nomen adeptis Euphratem transmissurum, animæque vel corporis mortem hominibus illaturum: hanc quidem propter fidei constantiam, animique fortitudinem, illam verò propter ignauiam, animique mollitiem.

Regibus & gentium populis. Gog & Magog, ex Scythia venturi.

Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ, exire tres spiritus immundos in modum ranarum.

Draco & bestia ex terra ac mari ascendentes, quid?

Et hinc quoque ostenditur diabolum tanquam draconem, & Antichristum tanquam bestiam, & Pseudoprophetam tanquam alium quempiam ab illis diuersum per se seorsum commemorari. E quibus tribus tres immundi spiritus ranis similes exibant. Assimilantur autē ranis propter virulentum, obscœnum, & immundum illorum affectum; necnon ob serpentium malignorum virtutem ad cœnosas voluptates studium. Hi porrò diaboli, & Pseudochristi, & Pseudoprophetæ spiritus sola iussione, quæ per os significatur, fucata falsaque prodigia edent, hominibúsque ostendent; quemadmodum ex sequentibus cognoscere datur.

Per os mandatum vel iussum significatur.

Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges totius terræ; congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

In die magni iudicij multi se deceptos esse cognoscent.

Falsa hæc dæmonum signa, vt & opera quoque patrata, omnes quotquot fidem illis habuerint, contra magnum & manifestum Dei viuorum & mortuorum Iudicis diem in prælium armabūt, in quo sanè vniuersi Deo rebelles, cum sese superatos animaduerterint, suū casum lugebunt, nullóque fructu priores errores deplorabunt.

Ecce venio tanquam fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.

Vigilia & ornamenta Sanctorum.

Vigilare vestémque custodire aliud nihil esse videtur quàm bonis operibus impigrè insistere; ea enim Sanctorum sunt indumenta & ornamenta; quibus proinde qui orbatus est, nudus confusionéque & turpitudine plenus appareat, oportet. Ad nomen autem Armagedon quod attinet, illud intercisionem vel separationem denotat, & meritò; Ad eum namque locum gentes adductæ, & à diabolo in prælium concitatæ, penitus, vt probabile est excidentur: gaudet enim ille cæde humanóque sanguine. Quia verò ex hoc loco discimus turpe quiddam & infame haberi, virtutum indumento spoliatam esse; ex Euangelij autem parabola non citra ignominiam è nuptiali thalāmo abiectum fuisse illum, qui nuptiali veste carebat; ex Apostoli tandem dicto quod de incorruptione agit dandam esse operam ne nudi inueniamur, nempe à bonis operibus, indefessè Domino nostro supplicemus, vt hic animarum nostrarum stolas eluat; quò iuxta Psalmistæ sententiam, super niuem dealbemur; ne quando audiamus: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? ligatis manibus & pedibus abijciamur in tenebras exteriores. Verùm iuxta Salomonis doctrinam, omni tempore candida vestimēta habentes, lætásque, hoc est, commiseratione & studio sā conuersatione ornatas lampades palàm deferētes, cum casto inculpatóque sanctarum animarum sponso Christo Deo & Domino nostro in thalamum ingrediamur: cum quo & Spiritu sancto Patrem decet gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Quid Armagedon Latinè sonet.

Diabolus cæde ac sanguine humano gaudet.

Matt. 22.

2. Cor. 5.

Psal. 50.

Matt. 22.

Eccl. 9.

Vt per

Vt per septimam phialam grando & terræ motus in hominum perniciem excitatus sit.

Capvt LI.

Sermo decimvs octavvs.

Cap. 10.

*T septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, & exiuit vox magna de templo cæli à throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitruus, & terræ motus factus est magnus, qualis non fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus sic magnus.*

Angelica vox de cælo facta, fulgura tonitrua, & terræ motus, quid?

Per Angeli vocem, quæ de cælo facta asseritur, diuinum mandatum effectum sortitum indicatur. Cæterùm fulgura, & voces, & tonitrua stuporem & terrorem, qui ex ijs rebus quæ in vsitato modo tum fient exorietur, futurúmque Christi aduentum significant; quemadmodum eadem olim quoque Dei super montem Sina descensum indicabant. Denique terræ motus eorum quæ in rerum natura exstant, translationem, & in meliorem statum mutationem insinuant: quo sensu vocem hanc Apostolus quoque alicubi vsurpat, ait enim: Adhuc semel, & non solùm terram, verùm etiam cælum mouebo.

Heb. 12.

Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt.

Quo sensu Hierosolyma in tres partes dicatur secta.

Per ciuitatem magnam, non ciuium multitudine, aut ædium & domiciliorum amplitudine, sed religione & pietate antiquissimam & maximam Hierosolymorum vrbem designatam putamus; vt quæ per Christi mortem & passionem miré sit magnificata, & à gentium ciuitatibus distincta. Porrò eius in tres partes sectionem triplex hominum genus, quod in ea degit, adumbrare existimamus. Vnum Christianorum, alterum Iudæorum, tertium Samaritanorum. Aut vnum eorum, qui firmi constantésque in fide consistunt; alterum eorum, qui Baptisma susceptum fœdis operibus contaminauerunt; postremum illorum Iudæorum & Samaritanorum, qui Euangelij prædicatione repudiata, suæ voluntatis iudicium liberè citra vllum impedimentum sequi, & explere permissi sunt; sicut ad illa quoque loca, eámque in sortem concedere, quæ horum vtrique magis conuenire, censebantur. At nunc verò tam Iudæi quàm Samaritani piorum Principum timore perculsi, suæ perfidiæ consilia occultant; ac nobiscum sese facere simulant, siquidem sectam suam ex animo deserere non audent: Sicuti veris quoque Christianis veræque fidei professoribus & cultoribus, ij nonnunquam admiscentur, qui solo nomine sunt Christiani. Verum enim verò vbi primum tentationum incendium ipsos probare & redarguere cœperit, tunc statim sectio illa tripartita, nempe piorum, impiorum, & peccatorum conspicua erit, singuli namque ad similium morum turbam gregémque suæ sorti affinem concedent. Quod autem gentium ciuitates cadere dicuntur, significat regno Dei iam præsente (quod Sancti secundum Danielem occupabunt) cùm ipsas paganorum ciuitates, tum vitam quoque & conuersationem ethnicam interiturã.

Hierosolymã qui olim habitarint.

Veris Orthodoxisque cultoribus falsos interdum admisceri.

Paganorum ciuitates per terræmotum cadere, quid significet.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, vt daret illi calicem vini indignationis iræ eius.

Quomodo Babylõ magna in Dei memoriam venerit.

Et confusa illa Babylon, inquit, varijs vitæ huius curis diuulsa atque distracta, opibúsque ex iniquitate conflatis magnificata; necnon numerosa illa hominum multitudo diuinæ iræ calicem bibet. Etenim quæ propter diuturnam Dei patientiam in obliuionem venisse quodammodo videbatur, propter iustum iniustè calcatum, dictorúmque & factorum impietatem vindictam expetentem, denuo in memoriam rediit ante Deum.

Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.

Insulæ & mõtes, quid?

Insulas sanctas vocat Ecclesiarum per montes autem, sacræ literæ designant Ecclesiam Pastores & Doctores, cæterósque qui primatum inter illos tenent. Eiusmodi autem tempore, quo prædicta mala grassabuntur, fugam

A inituros Christus ipse Deus & Dominus noster præmonuit. Tum, inquit, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, nec erit; Siquidem alij propter peccata, quæ perpetrarunt, varijs incommodis & supplicijs afficientur; Alij ad virtutis probationem grauia perpessúque difficilia perferre compellentur: Neque enim illa tantùm mala & incommoda exercebunt eos, quæ antichristus in veri Christi odium inferet, verùm ea etiam, quę post fugam in montibus & speluncis, imò in ipsa etiam fuga sese offerent; quæ tamen omnia ad consetuãdam fidei & pietatis sinceritatem, ciuili politicæque vitæ anteferent.

Vnam omniũ Antichristi tempore persecutionem fore.

Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines,
B *& blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis; quia magna facta est plaga eius vehementer.*

Per grandinem cœlitus missam Dei iram significatam putamus; hæc enim è supernis venire solet. Quod hæc autem talẽti magnitudinem sortita fuerit, id perfectum illius ardorem denotat; & hic rursum summam peccati malitiam, eminentémque eiusdem grauitatem, huius namque rei symbolum talentum exstitit; quemadmodum Zachariæ quoque patefactũ aliquando fuit. Quod illi denique, qui icti læsique ab illa fuerant ad pœnitentiam non respexerint, sed ad blasphemiam sese conuerterint, istud excellentem cordis illorum duritiam saxeãque obstinationem. Quare etiam Pharaoni assimilari poterunt, aut illo quoque duriores obstinatiorésq; censeri; siquidem ille diuinis plagis admonitus quodam-
C modo emolliebatur, propriámque iniquitatem fatebatur; illi autem inter flagella dirè blasphemant.

Grando cælitus missa & talenti mensura.

Obstinati, qui Deum in calamitatibus blasphemant.

De vno è septem sanctorum Angelorum numero, qui beato Ioanni adulteræ ciuitatis euersionem ostendit, Déque septem meretricis capitibus, & decem eiusdem cornibus.

Capvt LII.

Cap. 17.

*T venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens mihi, Veni & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua*
D *fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitabant terrã de vino prostitutionis eius: Et abstulit me in spiritu in desertum: Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem.*

Hanc meretricem quidam veterem Romam designare putant, vt quæ super septem colles exædificata tradatur. Septem autem capita bestiæ, quæ illam sustẽtant, septem eminentioris impietatis Principes, nempe omnes à Cæsare Domitiano vsque ad Diocletianum. Hi enim omnes Dei Ecclesiam atrocissimè sunt persecuti. Nos autem ex iis coniecturam facientes, quæ hinc sequuntur, per hanc vel vniuersale orbis terræ regnum, in vnum quasi corpus conflatum, insinuatum existimamus; aut prænobilem ac præpotentem quampiam ciui-
E tatem, quæ vsque ad Antichristi aduentum principatum in terrarum orbe sit obtentura: siquidem antiqua Roma iam olim imperij maiestatem amisit; nisi quis forsan arbitretur pristinam dignitatem & maiestatẽ suo postea tempore denuò recuperaturam: Verùm hoc admisso, ciuitas illa magna, quæ hodie primatum obtinet, è medio facessat oportet. Nam Apocalypsis verba sunt. Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet imperium super Reges terræ. Verùm de hoc in sequentibus, si Deus permiserit, accuratius; nunc autem opportunum videtur indagare cuiusmodi sit desertum illud, in quod per spiritum se abductum profitetur ille, qui hęc videbat. Desertum proinde in rebus spiritalibus omnem ciuitatem, aut numerosam

Per meretricẽ magnã, quid intelligant veteres.

Ciuitas magna quid designet.

Romam antiqua maiesta. amisisse iam fecisse.

Quid desertũ spiritaliter denotet.

turbam, aut hominum multitudinem denotare putamus, quæ ob animæ temulentiam, aut turpem à Deo fornicationem, aut alia eiusmodi crimina apud Deum in noxa est.

Alio modo dici potest, Apostolum Ioannem spiritali mẽtis oculo plenam prædictæ meretricis desolationem obseruasse. Vidit autem eam muliebri schemate ornatam, propterea quòd sit effœminata & ad peccatum propensa, virilique robore destituta. Vidit eandem æquè super bestiam coccineam sedentem, ob id forsan, quòd propter nefaria opera super diabolum, qui cæde & sanguine gaudet, quiescere soleat. Per quæ etiam opera idoneam Apostatæ blasphemiarum contra Deum materiam subministrat. Immanitatis namque & feritatis mentísque cædem spirantis indicium est cum bestia ipsa, tum coccineus quoque eiusdem color. Porrò de septem capitibus, & decem cornibus paulò post, Deo bene propitio, per Angelum instruemur.

Quid visa mulieris ornatus, cultus & equitatus significent.

Coccinea bestia, cui meretrix mystica insidet quid?

Et mulier circundata erat purpura, coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis.

Circundata est purpura & coccino, quæ imperij sunt symbola, ad exprimendum dominatum, quem in omnes exercet: Idem quoque per lapidem pretiosum, & margaritas quibus exornatur, significatur.

Purpura & coccinus Imperij symbolum.

Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia.

Per poculum prauorum operum dum primum gustatur dulcedo capitur; per aurum autem præmij amplitudo, vel pœnæ quoque (vt quidam exponens illud Iob: Bibens derisionem instar aquæ; opinatur) magnitudo. Vel manu certè poculum tenet, vt planum fiat malitiam sectari, non vt inde satietur, sed vt perditionis illius studium & sitis manifestetur. Suas proinde abominationes, quas Deus subinde execratur, multiplicat, quibus turbam quoque peccatis deditam inebriat, earumque abominabilem peccati temulẽtiam profanámque a Deo scortationem, auidè veluti dulce poculum, haurire solet.

Poculum aureum, in meretricis manu.

Peccatores abominationum poculum auide hauriunt.

Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium Babylon magna, mater scortationum, & abominationum terræ.

Frontis inscriptio mystica.

Frontis inscriptio significat omni malitia & impudẽtia, omnique scelerum genere & animi confusione refertam esse. Vocatur autem mater fornicationum, quia omnis spiritalis fornicationis animæ magistra & caussa existit; vt quæ subiectis quoque dominio suo ciuitatibus, multas Deo execrabiles præuaricationes pepererit.

Babylon omnium fornicationum & abominationum mater.

Vt Angelus Mysterium, quod viderat, interpretatus sit.

CAPVT LIII.

Cap. 17.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Et miratus sum cum viderem illam admiratione magna. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Sacramentum ego dicam tibi mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

Nomina ea re vel euentu multis sæpè ciuitatibus imposita, ex diuersis scripturæ locis colligi potest; nã & Babylon antiqua inde nomen adepta est; & nobile quoddam scortum, Pharmacum apud veteres appellatum legitur. Et ad antiquam Ierusalem dicitur; Meretricis frons tibi facta est; & vetus Roma, in Canonica B. Petri, Babylonis vocabulo designatur. Verius tamen nomen illud in eam vrbem conuenit, quæ apud Persas imperium tenuit. Quare familiarius quoque & Babylon & meretrix quàm cæteræ nominatur. Quin quæuis omnino alia ciuitas, quæ sanguine & cædibus delectantur, eo nomine appellari potest. Ex his itaque vnam, quæcunq; tandem illa fuerit, cùm Euangelista Sanctorum sanguine coinquinatam vidisset, vehemẽter obstupuit. Verùm quę ad statum illius attinebant, ea ab Angelo mox hausit. Audit autem quæ & qualia eam propter nefaria scelera

Romam Babylonis nomine à Diuo Petro designatam. 1. Pet. 5. Babylon, in Perside.

Cuiusmodi fuerit Babylon, quæ D. Ioanni ostensa est, incertum esse.

perpeti oporteat, quæ mundani regni imperium vsque ad sæculi finem obtinebit; siue præuisam ab Apostolo illam accipias, quæ olim apud Persas regnauit & etiamnum regnat; siue veterem Romã antiquum ius & ditionem denuò adeptam: siue nouam Romam; siue orbis imperium ex varijs principatibus in vnum quasi corpus redactum; siquidem in qualibet earum ciuitatum diuersa peccata, diuersæque insontium cædes, & iniustæ sanguinum effusiones acciderunt; etsi interim alibi plures, alibi pauciores accidisse certum sit. Et quidem numerum Martyrum & sanguinis modum, qui à Neronis tempore in Romana vrbe & ditione effusus est vsque ad Diocletianum, Sanctorum rursum cruciatus & pœnas, quas pertulerunt in Perside, quis enumerare valeat? Quæ autem sub Apostata Iuliano & Arrianorum temporibus tentata sunt contra Orthodoxos in noua Roma & multis alijs locis, ea variæ historiæ, si quis eas legere voluerit, luculenter exponunt.

Quæ ciuitas designetur per Babylonem, cuius mentio fit in Apocal.

Martyrum sanguis in Vrbe & ditione Rom. fusus.

Bestiam quam vidisti fuit, & non est; & ascensura est de abysso, & in interitum ibit.

Hæc bestia est diabolus, qui nunquam non quærit, quem absorbeat. Hic per Christi crucem fractus, sub sæculi finem denuò reuersuros dicitur; siquidem per prodigia & erronea signa, quæ per Antichristum operabitur, Christi Seruatoris negationem quanta vi poterit procuraturus est: Propter hoc ergo ante salutarem crucem & mortem, & erat & potens erat; post illam autem superesse negatur, quia vi illa & potestate, qua ante pollebat, gentésque per idololatriam in suam seruitutem redigebat, cautus cernitur. Consummationis autem tempore secundum modum, quem indicauimus, ex abysso aut ex eo loco quem condemnatus fuerat (nam ne in abyssum abirent, sed in porcos inuadere permitterentur dæmones Christo supplicasse leguntur) denuò emerget. Aut certè ex præsenti vita, quæ propter peccati profunditatem, quæ in ea versatur, fluctúsque perturbationum, quibus variè iactatur & agitatur metaphoricῶs abyssus appellatur. Ex qua ipse etiam Antichristus, qui satanam ad bonorum interitum in se gestat, exsurget, ad æternam perditionem paulò post abiturus.

Per bestiam quæ fuit, & non est, diabolum insinuari.

Quæ Antichristi tempore diabolo vires.

Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

Abyssi nomẽ ad varia transferri.

Et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam quæ erat, & non est, & adest.

Admirabuntur bestiæ vel Antichristi præsentiam, falsáque eiusdem prodigia illi, inquit, qui in libro æternum viuentium non sunt inscripti, neque quæ Christus de illo prædixerat, solidè satis animo complexi erant. Reputabunt namque non absque admiratione apud se, quomodo pristinum dominatum & vim, quam amiserat, denuò recuperarit.

Qui bestiam & eius opera admirentur.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam.

Cùm, inquit, quæ hoc loco traduntur & exponuntur, sint spiritalia, vt salubriter capiantur, spiritali non mundana opus est sapientia.

Septem capita, septem montes sunt super quos mulier sedet; & Reges septem sunt.

Per septem capita totidémq; montes, septem loca designari putamus, quæ mundana potentia & excellentia cæteris præstabant; in quibus diuersis temporibus mundi huius regnum firmatum nouimus. Primum, exempli caussa, Assyriorum sit regnum, quod in Niniue exordiũ habuit. Secundum Medorum in Ecbatanis sub Principe Arbace. Hic enim, vt historiæ tradunt, Sardanapalo Rege perempto Assyriorum regno potitus est. Post hos in Babylone Chaldæorum imperium initium fecit; quibus Nabuchodonosor imperauit. His porrò deletis ac dissipatis, in Susis Persarum dominatus sub Cyro emersit. Isthoc rursum ab Alexandro Magno exstincto, Macedonum regnum successit. Post hos autem Romanorum robur in antiqua Roma emicuit, quod sensim vsque adeò creuit, vt sub Augusto Cæsare, post primos illius Reges & Consules, monarchiam obtinuerit; quæ

Septem montes, super quos mulier sedet.

Septem mundi regna & Monarchiæ.

Primum Christiani regni.

Princeps Cõstätinus Magnus.

Generũ enallage sacris literũ familiare.

quæ sub impijs Principibus diu multúmque detenta, tandem ad magnum Constantinum peruenit. Hic autẽ tyrannis omnibus iam deletis Christiani Regni ornamenta in nouam Romam transtulit.

Eadem sententia septem quoque Regibus accommodari potest generum enallage neutiquam obstante aut sententiæ identitati præiudicante. Nam etsi κεφαλαὶ capita, ad genus fœmineum spectant, ὄρη autem montes, ad neutrum, βασιλεῖς verò Reges ad masculeum, hoc tamen veritatem non infringit. Sæpenumero enim in Scripturis pro fœmininis collocantur masculina, & è diuerso. Notum est enim illud Theologi: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt. Et illud rursum Salomonis: Tria sunt, Hircus, & Gallus, & Rex concionans. Igitur per septem capita, septem ciuitates fœmininè denotantur: Per septem autem montes, septem eminentiora terræ loca non locali situ, sed præstantia & dignitate, neutraliter: Aut septem Reges, ad modum iam expositum, masculinè; cuiusmodi haberi possunt illi, qui locis vel sedibus regia dignitate ornatis primi præfuerunt; ita tamen vt Synechdochicῶs totum regnum illorum nomine designetur. Per Ninum itaque accipiatur primum regnum, nempe Assyriorum: Per Arbacem, Medorum: Per Nabuchodonosorem, Chaldæorum seu Babyloniorum: Per Cyrum, Persarum: Per Alexandrum Magnum, Macedonum vel Græcorum: Per Romulum vel Augustum Cæsarem, Romanorum; Per Constantinum denique Orientalium aut nouæ Romæ.

1. Ioan. 5.

Prou. 30.

Quid septem capita, totidemque montes designent.

Qui & quot exstiterint primi Monarchæ.

Et reges septem sunt, quinque ceciderunt, & vnus est, alius nondum venit: Et cùm venerit, oportet illum breue tempus manere.

B. Hyppoliti sententia de septem Regibus, & septem mundi ætatibus.

Beatus Hippolytus per hosce Reges sæcula accepit, è quibus quinque iam præterierunt: Sextum in quo Apostolus hæc vidit, adhuc decurrit: Septimum autem vt ille oppinatur, post elapsa sex annorum millia tandem se prodet; vbi autem sese prodiderit, parum durabit. Et hæc quidem ad eum modum ille. Forsan vt beati Irenæi sententia septem conditi sunt dies, & septem cœli & septem Angeli cæteris præstantiores; ita iam inde ab exordio vsque ad sæculi finem septem regna cæteris celebriora citra absurditatem statuere licebit, è quibus quinque iam tum conciderant: Sextum cùm Apocalypsis cernebatur, adhuc consistebat, & quidem in antiqua Roma: Septimum porrò per id tempus necdum aduenerat; siue per illud insinuaretur nouæ Romæ imperium; siue aliud quodcunque regnum. Sed neque absonum quoque fuerit, si orbis vniuersi principatum vsque ad Antichristi aduentum, vnam regnantem ciuitatem constituamus; postremam autem Antichristi tyrannidem, quæ modico tempore, si priores Monarchias spectemus, duratura est; siquidem aliæ ex illis super quingentos annos imperarunt; aliæ vltra mille. Sed & omnis quoque temporis mensura, si cum futura Sanctorum vita, quæ est æterna, comparetur, breuis est.

Cur secundũ B. Irenæum 7. regna cæteris illustriora statuãtur.

Septimum regnum, Antichristi tyrannidem denotat. Duratio omnis, cum æternitate comparata, breuis.

Et bestia quæ erat, & non est, & ipse octauus est: & de septem est, & in interitum vadit.

Quo sensu bestia vel Antichristus dicatur octauus, & vnus interim ex septẽ.

Hæc bestia est Antichristus octauus quidem, quia post septem regna ad mortalium perniciem, deceptionem, & terræ desolationem exortus: Vnus verò ex septem, quia ab vno ex illis prognatus. Neque enim tanquam extraneus quispiam, aut alius à prædictis exurget, sed tanquam Romanorum Rex ad illorum interitum & internecionem, qui fidem ipsi habebunt, in medium sese efferet. Postea verò, vbi nimirum ad breue tempus bacchatus fuerit, in gehennæ perditionem præceps ruet.

Et decem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam.

Decem hæc cornua seu Reges Daniël quoque vidit qui Antichristum præcedent, ex quibus tres mox radicitus eueller, reliquos autem scelestus ille imperio suo subijciet. Vnam autem horam breue temporis spatium vocat, aut vnam certè anni tempestatem, quæ trimestri solis motu absoluitur; post quam omnes Antichristo tanquam præcellentiori subiugabuntur.

A

Quot Reges Antichristo vltro se subijcient.

Vna hora quid designetur.

Hi vnum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quia Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum illo sunt, vocati, & electi, & fideles.

Merito hi cum Agno pugnant; nemo enim duobus dominis seruire potest. Eapropter qui improba conspiratione inter se coëunt, suámque operam Antichristo addicunt, non possunt verò Christo se non opponere. Verùm vincet illos, qui nostri caussa iugulatus & immolatus est Agnus Dei: Non enim ademptum est illi regnum & principatus, quem in omnes obtinebat, posteàquam factus est homo, nempe quo electos suos regni sui socios consortésque efficeret.

B

Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odio persequentur fornicariam & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam in igne concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi; & vt vnam faciant voluntatem. Et dent regnũ suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. Et mulier quam vidisti: est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.

Carnis assũptio non ademit Christo potestatem, quam antea in omnes habebat.

Cùm Angelus accuratè isthæc omnia exposuerit, superuacaneam censeo omnem aliam explanationem, interim mirum videri queat, cur diabolus mortalium hostis scelerúmque incensor & vltor, decem illa cornua sibi obnoxia, impellere & inflammare voluerit; non modo vt in omnis virtutis & honestatis auctorem Christum Deum nostrum palàm insurgerent, verùm etiam vti populosam illam ciuitatem, à diuinis præceptis ex fornicatam, ipsiusque voluntati & voluptati sedulo obsecundantem, in solitudinem redigere; eiusdémque sanguine instar carniuoræ belluæ sese explere; necnon ex vastitate & depopulatione eius, lætitiæ capere, & carnes humanas in frusta concisas, in escam & alimentum vertere animum inducerent. Denique quomodo is, qui dissidiis discordiísq; mirificè pascitur, inter decem illa apostatica cornua pacem cõcordiámque conciliare potuerit, aut etiam voluerit. Porrò autem cum subiungit, conspectam mulierem ciuitatem illam magnam esse, quæ super Reges terræ imperium obtinet, de impendentibus ciuitati illi ærumnis & crucibus verba fieri apertè insinuat, quæ per illud tempus rerum potietur. A quarum calamitatum, crucum, & ærumnarum experientia, clemens & benignus Deus nos liberet, cœlestísque Metropolis, hoc est, supernæ Ierusalem ciuibus nos accenseat. In qua sanè cœlesti Ierusalem, iuxta Apostoli doctrinam, ipse erit omnia in omnibus: quando nimirum euertet, & eneruabit omnem terrenum principatum, omnémque apostaticam potentiam & virtutem; necnon illos, qui fideliter & prudenter hic illi seruierunt ad mensam suam accumbere faciet totumque æternorum bonorum apparatum à constitutione mundi præparatum, quasi omnium minister in vsum & fruitionem ipsis apponet. Quarum rerum apparatu & fruitione nos quoque digni habeamur, per Christum Iesum animarum nostrarum assertorem; cum quo Patrem & Spiritum sanctum decet gloria, & imperium, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

C

Cur Diabolus decem Reges in vnam ciuitatem sibi in omnibus obsequentem concitare voluerit, an etiã potuerit.

D

In cœlesti Hierusalẽ Christum fore omnia in omnibus.

E

De alio Angelo Babylonis ruinam denunciante: deque cælesti voce, qua sanctis ciuitatem deserere & voluptatibus quibus antè fruebatur, missas facere iubentur.

CAPVT LIIII.

SERMO DECIMVS NONVS.

Cap. 18.

Ingens Sanctorũ & Angelorum splẽdor.

*E*T *post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam; & terra illuminata est à gloria eius.*

Ex hoc clarè ostenditur, quantus sanctarum virtutum sit splendor & lux; multis namque partibus illarum pulchritudo, venustas, & splendor stellarum iubar, & luminarium cœli splendorem & venustatem excedit.

Et exclamauit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna; & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi; & custodia omnis volucris immundæ & odibilis; quia de vino iræ scortationis eius biberunt omnes gentes.

Cap. 13. & 21.

Cur dæmones locis desertis gaudeant.

His cognata Chaldæorum quoque Metropoli Babyloni, quæ à Cyro Persarum Rege capta est, Deus per Esayam comminatur; siquidem ad designandam perfectam illius desolationem & vastitatem fore prædicit, vt feris immundisque spiritibus impleatur. Solent namque feræ belluæ, malignique dæmones deserta loca cõsectari; partim quidem, quod cœleste numen homines non absque singulari prouidentia à detrimento, quod inferre poterant, hac ratione liberare studeat; partim etiam quod suapte natura sunt misantropi, hominúmque osores. At quo modo scortationis suæ vino gentes potauit hæc Babylon? Sanè ad omnis præuaricationis & iniquitatis viam ducem se illis præbens, subditisque sibi ciuitatibus muneribus corrupta, principes & magistratus veritatis contemptores iustitiæque corruptores præficiens.

Praui magistratus ciuitates euertũt.

Et Reges terræ cum illa fornicati sunt; & mercatores terræ, de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.

Otij lasciuiæque parens, opum copia.

Propter opum iniquis artibus partarum abundantiam otio, inquit, & ignauia tabescens, & in ijs, quæ in necessarium egentium vsum verti debebant, supra decorum & modum lasciuiens, opportunam terræ mercatoribus quæstus materiam obtulit.

Et audiui aliam vocem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorũ eius, & de plagis eius non accipiatis; quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, et recordatus est Dominus iniquitatum eius.

Genes. 19.
Esai. 52.

Quod ad B. Loth in Sodomis agentem dicitur nempe; saluando salua animam tuam; & apud Esayam ad quosdam Israëlitas: Recedite, recedite, exite inde, immundum ne tetigeritis, id ipsum hoc loco Dei populo mandatur. Vitandus est namque illorum vsus & habitatio, qui nefarijs sceleribus Deum quotidie exasperant.

Vitandi qui sceleribus Deum exasperant.

Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera eius: In poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, et in delitiis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.

Qui Babylonis duplum inbentur reddere.

Isthæc vel ad illos pertinent, qui isthic insontes inculpatique videbant, & pessimè interim in ijs tractabantur, qui in illa ciuitate rerum potiebantur (vt pote propter tristium quæ pertulerant patientiam, hoc quoque inter cætera promeriti, vt cumulatè vicem illis redderent, à quibus iniuriam acceperant, pœnásque & cruciatus perpessi fuerant) Aut significant transitum à persona ad personam; nimirum ex illis, qui iniuria affecti erant, ad quasdam cœlestes virtutes pœnis irrogandis præfectas; quæ & diuina charitate inflammatæ iniurias Dei seruis illatas, non secus plectunt ac si ipsis illatæ forent. Duplum poculum misceri iubet, vel quod insigniter scelerati & peccatores & in hoc, & in futuro quoque seculo puniantur; vel quod corpus & anima, ex quibus opus præcedit communi supplicio olim afficietur: Aut quod peccatum nõ modò pœna externa plectatur, verùm sæpe quoque interiori, cuiusmodi est illa, quàm conscientiæ stimuli adferunt. Vtraque tamen significari Dei clementia multò minor est, quàm exactæ iustitiæ ratio exigebat.

Iniurias Dei seruis illatas in Deum redundare.

Quia in corde suo dixit, Sedeo Regina, et vidua non sum, & luctum non videbo.

Vox eorum qui in otio vitam transigunt.

Mos est ijs, qui in voluptate & gaudio vitam transigũt, nisi forsan diuinus timor ipsos coërceat atque cõtineat, dicere: Non mouebor in æternum; id quod hæc ipsa quoque mulier adultera sibi pollicetur, sed vanè.

A *Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, et fames & igne comburetur, quia fortis est Dominus Deus, qui iudicabit illam.*

Per vnum diem insinuat vel temporis breuitatem, vel malorum repentè irruentem magnitudinem. Simul námque ex gladio & fame luctus illi accedet; peste ad hæc antè tentata igne comburetur. Aut per vnum diem ipsam diei periodum, in qua mala isthæc eam obruent, designat; siquidem vbi inimici ciuitate potiti fuerint, sat est vel vna dies ad inferendum lethale detrimentũ omnibus ijs, qui deuicti succubuere, multiformésque mortis modos & rationes. Vt enim Deus homines, qui ipsi placent, vel temporis puncto seruare potest; ita insipientes quoque peccatísque contaminatos morte mulctare.

Quid per vnũ diem insinuetur.

Deum temporis pũcto beare & perdere posse.

B *Et flebunt illam, & plangẽt se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt; & in delitiis vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius, longè stantes propter timorem tormenti eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon; ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.*

Per Reges hoc loco Principes sublimioresque potestates & magistratus denotari putamus. Hoc enim sensu Psalmista vocem vsurpat, cùm de Ierusalem loquens, ita canit: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum. Et alio loco: Ecce Reges terræ congregati sunt. Hosee proinde tanquam præ cæteris à diuinis præceptis in illa scortatos, fleturos pronunciat, vt primùm illius depopulationem extremámque desolationem viderint, vel audiuerint. Et enim repentinam illam confertámque C rerum mutationem animo expendentes, obstupefacti non poterunt intra se non dicere: Heu, vt temporis quasi momento tanta illa maiestas tota simul concidit.

Regum nomine Principes ac magistratus significari.
Psalm. 2.
Psal. 46.
Reges ac principes præ cæteris Deo rebellare.

Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces illorum nemo emet amplius. Merces auri, & argenti, & lapidis preciosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci.

Superuacanea namque earum rerum emptio & vsus est ijs, qui iam per luxum & potentiæ abusum pereunt.

Rerum preciosarum vsus inutilis.

Et omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento & ferro, & marmore. Et cynamomum & amomum, & vnguenti, & thuris, et vini, & olei, et similæ, & tritici, & iumentorum, et ouium.

D In his omnibus subauditur præcedens clausula, nullus emit amplius. Considerandum porrò nobis hoc loco proponitur, eccuinam ciuitati istiusmodi rerum emptio sit vsitatior; & quibus rursum hominibus isthæc superuacaneorum possessio, ob immoderatum voluptatis studium, sit familiarior? Probabile fit sanè hunc locum non agere de prisca Babylone, aut de veteri aut noua Roma, aut de quauis alia peculiari ciuitate, sed de orbe vniuerso, eiusdémque inquilinis, qui varia in eo negotia tractant, nundinarúmque mundi huius finem cum luctu & fletu excipient.

Babylonis opes atque luxus quò spectent.

Et equorum, et rhedarum, et mancipiorum.

Et horum itidem vsus, inquit, erit superuacaneus. Per rhedas autem significantur vehicula, Rheda enim idem E sonat Romanis quod Grecis ὄχημα, hoc est, essedum aut vehiculum. A Rheda nascitur genitiuus pluralis ῥεδάρων rhedarum, & per syncopen ῥεδῶν.

Rheda, vox latina.

Et animarum hominum. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te; et omnia pinguia et præclara perierunt à te; et amplius illa iam nequaquam inuenies.

In posterum, ait, mortalium animas nõ amplius emes, neque liberos homines in seruitutem rediges; neque in pinguibus illis & splendidis, in quibus olim volutabaris, posthac volutabere, aut quicquam ex ijs ad vsum habebis.

Quid sit poma desiderij orbatum esse.

Mercatores horum, qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt, propter timorem tormentorum eius, flentes et lugentes, et dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco,

& cocco, deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis: quoniam vna hora destituta sunt tantæ diuitiæ.

Vægeminatæ clades Babylonis.

Ob oculos ponit insignem Babylonis huius cladem & afflictionem; per luctus & lamentationes calamitatis, quam perpessura illa, quæ antè ob regiam dignitatem maiestatem, elato collo incedebat, magnitudinem appositè delineans.

Et omnis gubernator, & omnes qui in lacum nauigant, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt, & clamauerunt, videntes fumum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ? Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari, de pretiis eius, quoniam vna hora desolata est.

Cur præsens vita mare interdum appellatur.

Etsi præsens vita mare per metaphoram appellatur; vt quæ fluctibus & tempestatibus sit plena; & quotquot in ipsa negotiantur, curis & sollicitudinibus, quas ipsa adfert, haud secus ferè iactentur atque pisces, qui in pelago natante, vndis procellisque iactari solent; attamen non est à vero alienum, ciuitatem, quæ isthæc incommoda perpessura hic traditur, quampiam ex earum numero esse, quæ vero mari adiacens, ea quæ mare sulcantes important, suscipere assueta erat: Quæ sua proinde solitudine & vastitate nautis & mercatoribus iustâ luctus materiam sit paritura. Idem, velint nolint, mundanæ huius Babylonis & confusionis negotiatores patientur; dum sub seculi finem oracula hæc consummabuntur. Lugebunt enim & lamentabuntur nullam admittentes consolationem, cùm à vitæ huius voluptatibus & delitiis sese vel inuitos abduci, stimulisque conscientiæ propter flagitia perpetrata citra intermissionẽ compungi, animaduerterint.

Sceleratorum & flagitiosorum ex hac vita migrantium affectus.

Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.

Cœlum quid designet.

Per cœlum, vel Angelos vel Sanctos accipe, qui suam in illo conuersationem habent; cum quibus Apostolis simul & Prophetis lætitia festúmque gaudium indicitur, ob id nimirum quod vindicta semel ab iis exigatur, à quibus magnam sæpe iniuriam acceperant; & magno rursum mœrore & contumelia propter diuinorum præceptorum præuaricationem affecti sæpenumero fuerant; quippe qui nullo ferè fructu, diuina animæque salutaria documenta, prædictæ ciuitatis habitatoribus occinuerant. Aut ob id sanèquod à confusa orbis terræ potentia, propter Deum eiúsque verbum, quod fideliter administrabant, trucidari, iustam vltionem tandem aliquando videant. Constat namque sanctos Prophetas à Iudæis, Apostolos autem à gentibus, quibus Euangelium præcipuè prædicauerant, occisos fuisse. Gaudent autem Sancti, dum impij & peccatores flagellantur, pœnásque promeritas pendunt, non quòd ex aliorum malis oblectationem capiant, sed quòd peccatum exscindi & coërceri summoperè desiderent; quò hac ratione serui illius mitiores pœnas in futuro seculo luant, propterea quòd in hoc præsenti aliqua iam ex parte videantur castigati.

Prophetæ à Iudæis, Apostoli à gentibus trucidati.

Cur & quo sensu Sancti de impiorum pœna gaudeant.

Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna: & vltra iam non inuenietur. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius; & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius; & vox molæ non audietur in te amplius; & lux lucernæ non lucebit in te amplius; & vox sponsi & sponsæ non audietur posthac in te, quia mercatores tui erant Principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est, & omnium qui interfecti sunt in terra.

Babylonis repentina euersio.

Quemadmodum molaris lapis magno impetu ad maris fundum fertur; ita, inquit, Babylonis huius interitus vsque adeò subitus, impetuosus, & absolutus erit, vt ne vestigium quidem post se reliquum faciat. Hoc enim per citharœdorum, & musicorum & reliquorum eiusmodi defectionem significatur. Caussam autem de-

fectionis huius non aliam reddit, quàm quod gentes
A omnes Musicæ suæ suauitate, suísque veneficiis & incantationibus seduxerit, sanguinísque Prophetarum & reliquorum Sanctorum receptaculum extiterit, per quę omnia videri queat, impiam illam Babylonem, quæ apud Persas extat, denotari: vt quæ multorum Sanctorum sanguinem diuersis temporibus effuderit, & vsque ad præsentem diem effundere non desinit, magiisque & incantationibus & cæteris superstitionibus studiosè semper dedita fuerit. Et quidem optari possit hanc eam ipsam esse, quæ superbiæ & insolentiæ aduersus Christum & seruos eius declaratæ pœnas, de quibus dictum est, luat. Verùm huic opinioni aduersari videtur, quod plerique veteres Ecclesiæ doctores hæc contra eam Babylonem prædicta tradant, quæ apud Romanos extat; cùm ob alia, tum verò maximè, quod in quarta bestia,
B nempe in Romano Imperio visa sint decem cornua, è quibus vnum inde enatum, tria mox radicitus euertit, cætera verò sibi subiungat. Tum rursum quòd Antichristus, vbi venerit, tanquam Rex Romanorum in medium proditurus sit, eo quidem colore & prætextu quasi illorum imperium velit instaurare & confouere, necnon aduersus hostes cum illis conspirare; cùm re ipsa tamen consummatam illius euersionem & vastitatem moliturus sit. Ea propter vt antè quoque dictum est, rectius per regnum hoc accipitur orbis Imperium, in vnum quasi corpus ex variis membris, quæ iam inde ab initio vsque modò extiterunt, conflatum, rerúmque potitum. Hoc enim illud est, quod reuera Apostolorum, & Prophetarum, & Martyrum sanguinem effu-
C dit; non vna aliqua singularis ciuitas. Qui igitur vrbem hanc magnam hoc sensu interpretatus fuerit, haud facilè ille à scopo aut decoro aberrauerit. Etenim vt vnus chorus, & vnus exercitus, & vna ciuitas dicitur, etiamsi multitudo, quæ vnumquodque istorum membrorum constituit, identidem mutetur, ita vnum etiam regnum dici potest, etiamsi in multa loca & tempora distinguatur & discindatur.

Musicorum defectio.

Per Babylonẽ etiam Romã designari.

Quem se Antichristus venditabit.

Per Babylonis regnum rectius accipi orbis Imperium, quàm vnã aliquam ciuitatem aut principatum.

DE SANCTORVM HYMNIS ET LAVDIbus, triplicique Alleluya, quod propter subuersam Babylonem cecinerunt Sancti.

CAPVT LV.

D POST hæc audiui quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia. Laus, & gloria, & virtus Deo nostro est. Quia vera & iusta iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt, Alleluia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen, Alleluia.

Cap. 19.

Vox Alleluia diuinam laudem, vox autem Amen verè, aut fiat, significat: Vtraque verò propter vnam Deitatem in tribus personis, patris nimirum, & Filij, & Spiritus sancti subsistentem trifariam, cùm ab angelicis virtutibus, tum ab hominibus quoque angelicæ purita-
E tis æmulis, ad Deum transmittitur. Laudant autem illi Deum, quod seruorum sanguinem dè manu Babylonis vindicauerit, eiusdémque habitatores per tẽporarium cruciatum beneficio affecerit; quippe qui iam aliquatenus puniti, moderatiorem in futuro sæculo pœnam daturi sunt, æternam tamen, peccandi facultate prorsus orbati. Quod autem accensæ ciuitatis fumus in sæcula sæculorum ascendit, illud tormenta eius nunquam finem habitura, neque vllo vnquam tempore in obliuionem ventura, innuit.

Voces Hebraæ, Amen, & Alleluia, cur tertio repetãtur.

Homines Angelicæ puritatis æmuli.

Cur Sancti de impiorum pœna gaudeant.

Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius; & qui timetis eum pusilli & magni.

Thronus Dei quid sit.

Thronus Dei sunt Cherubim & Seraphim, à quibus & magni, & in virtutibus præclaris & facinoribus par-

Puerorum infantium resurgentium statura.

ui, Deum laudare iubentur. Vnus quilibet tamen secundum propriæ virtutis modum & rationem. Existimo autem illos quoque, qui adhuc parui & imperfecti, hoc est, in puerili vel infantili ætate etiamnum constituti, vita nunc defunguntur, nouissimo illo die magnos resurrecturos, Deumque, qui magna operatur, cum cæteris beatis laudaturos.

Et audiui vocem quasi tubæ magnæ; & sicut vocem aquarum multarum; & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia; quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.

Vox aquarũ multarum & tonitruorum.

De aquis supra cœlum opinio.

Christum duplici nomine in res omnes regnum obtinere.

Per tubæ multarúmque aquarum & tonitruorum vocem omnium Angelorũ cœlestiúmque virtutum (quæ vtique numerum omnem excedunt, adeò vt non desint qui per aquas, quæ super cœlos sunt, cœlestes mentes designatas existiment) claritatem & in diuina laude concentum hoc loco insinuat: vnà autem cum iis vniuersus iustorum cœtus & Sanctorum plenitudo Deum creatorem glorificat & celebrat. Porrò Deus & Dominus noster Iesus Christus ob id regnasse perhibetur hic: Nam quibus antè dominabatur naturaliter, tanquam rerum opifex, horum post humanæ naturæ susceptionem factus est Rex quadã œconomica ratione & proprietate, hoc est, secundum potestatem in Regem & Iudicem conuenientem.

De mysticis Agni nuptiis, eiusdémque Agni cœna.

Capvt LVI.

Cap. 19.

Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, vxor eius præparauit se. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum, & dixit mihi, Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, & dicit mihi: Hæc verba Dei, vera sunt.

Agni nuptiæ.

Sponsæ mystica byssinum.

Nuptialis Christi cœna.

Futuri seculi bona multis nominibus expressa.

Per Agni nuptias Christi cum Ecclesia coniunctionem intellige, quas præ cæteris diuini Apostoli conciliarunt. Hi enim sunt per quos Spiritus sancti pignus datum est Ecclesiæ, quæ suo postea tempore plenum subitura est sponsi complexum, hoc est, facie ad faciem Deum visura est. Cæterum quod Ecclesia, de qua hic sermo, byssinum indutam asserit, id virtutum illius splendorem notitiæque subtilitatem, & contemplationis sublimitatem significat. Per hæc namque diuinæ iustificationes contexuntur. Christi autem cœna est læta eorum festiuitas qui salui fiunt, ordinatissimáque & concinnissima eorumdem lætitia & iucunditas. Qua proinde qui potientur, beati erunt, necnon cum casto mundarum animarum sponso in æternum thalamum ingredientur. Verax est mentiríque nescius, qui promisit. At verò cùm varia & magna futuri seculi sint bona, quæ omnem mentem & cogitationem multis partibus superant, illorum vsus & participatio variis multísque nominibus exprimitur. Quandoquidem propter incomparabilem gloriæ splendorísque magnitudinem, beatorum merces aliquando regni cœlestis nomine designatur. Nonnunquam verò, quod bonorum omnium copia, quæ nunquam deficiunt, affluat, & esculentorum spiritalium omnium apparatu abundet, paradisus vocatur. Quandoque autem sinus Abrahæ appellatur, ea fortassis de caussa, quod vita defuncti ibi sortiantur requiem. Interdum denique thalami & nuptiarum vocabulo insinuantur; idque, vt nobis videtur, non modò propter continuam lætitiam & oblectationem, verùm etiam propter sinceram & inexplicabilem Dei ad seruos suos coniunctionem; quæ tantùm excedit corporum copulam, quantum lumen tenebras & pretiosum vnguentum cuiusque cadaueris fœtorem & graueolentiam.

Cælestis beatitudo, cur Abrahæ sinus dicatur.

Dei cũ anima coniunctio infinitam animi voluptatem parit.

Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dicit mihi, Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu, est Spiritus prophetia.

Confessio Christi prophetiæ donum largitur.

Cur prophetia donum quibusdam obtingat.

Angelos humili mente & sensu præditos esse, dæmones autem superbire & insolescere.

Matth. 11.

Sanctorum habitatio lumine vultus Dei illustratur.

Ne me adores, inquit diuinus Angelus, quasi ex me quæ futura sunt prædixerim. Etenim confessio & testimonium Christi eius ponderis sunt, vt propheticum spiritum largiantur. Quin alio quoque sensu exponi hæc possunt; nempe prophetiam ob id obtingere, quo Christi testificatio firmetur, fidésque sanctorum attestatione corroboretur. Eapropter caue conseruum adores; sed si adorare lubet, eum adora, qui dominium in omnes obtinet. Atque hinc quoque humilem submissúmque sanctorum Angelorum sensum & mentem cognoscere licet: Clarè namque ex hoc loco constat diuinam gloriam, vt effrontes lasciuíque dæmones solent, neutiquam sibi arrogare: Verùm quicquid eiusmodi existit, id totum Domino deferre. Faxit Deus, vt nos quoque humilitatis exemplo inuicem prælucentes, diuinum sermonem impleamus, qui ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris; futurique sæculi quietem ac refrigerij locum adipiscamur; vbi omnis dolor & tristitia, & gemitus aufugit, omniúmque lætantium est habitatio lumine vultus Christi Dei nostri mirificè illustrata. Illum decet omnis honor, & gloria, & adoratio, cum Patre, & viuifico Spiritu, nunc, & semper, & in sęcula sęculorum, Amen.

Ut in Christum viderit Euangelista Angelicarum virtutum agminibus cinctum, albóque equo insidentem.

Capvt LVII.

Sermo Vigesimvs.

Cap. 19.

Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax. Et cum iustitia iudicat & pugnat. Oculi autem eius sunt flamma ignis: & in capite eius diademata multa.

Quid cœlum apertum & albus equus significet.

Ignis illuminandi & vrendi vis.

Christi diadema, quid?

Qvod cœlum apertum cernitur, hoc Iudicis aduentum præ foribus esse insinuat; quemadmodum apud nos quoque cortinarum contractio, terrenos Iudices mortis sententiam contra reos tulisse, significat. Albus porrò equus instantem Sanctorum gloriam & lætitiam denotat. Qui autem super illum ascendit, in omnibus dictis suis fidelem, & in omnibus rursum operibus suis veracem esse denotat. Is autem est Iesus Christus Filius Dej, qui flammeis igneísque oculis gentes iudicat, hoc est, sua prouida cura suáque vi contemplatiua, lucentem flammam ab igne ardenti secernens, iustis quidem id tribuit, quod illustrandi virtute pollet; non illud etiam quod sua natura adurit atque excruciat; peccatoribus autem obscuriores adurentésque illius partes applicat. Cæterum multa illa diademata, Christi Seruatoris in omnes, siue illi sint in cœlo, siue in terra, dominium & regnum insinuat. Tot enim ille, sortitur coronas quot Angelorum sunt ordines, quot rursum in terris sunt sceptra sanctorúmque hominum agmina. Aut hoc dicitur quia per patientiam, victoriam in omnibus quæ circa nos ordinat, contra peccatores obtinet, iuxta illud Prophetæ: Et vincas cum iudicaris.

Psalm. 50.

Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse.

Quid sit, Dei Filium sibi soli cognitum esse.

Christo multa nomina conuenieunt.

Nominis Christi ignoratio, essentiam illius incomprehensam esse denotat. Nam cum pro operum virtutúmque suarum ratione, multorum sit nominum (appellatur namque bonus, & pastor, & sol, & lumen vel lux, & vita, & iustitia, & sanctificatio, & redemptor: Similiter etiam secundum ea, quæ de illo negantur, aut ab illo remouētur: Vocatur enim incorruptus, immortalis, inaspectabilis, immutabilis, aliisque id genus compluribus) attamen secundùm essentiam & innominatus & inaccessus est; sibi autem soli cum Patre & Spiritu san-

Christus secundum essentiam nominatus & inaccessus.

ritu sancto secundum substantiam suam perfectè cognitu est.

Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei.

Christi vestimentum, immaculata illius caro.

Per vestimentum sanctissima & immaculata Christi caro hoc loco designatur; hæc enim in morte spontéque suscepta passione, sanguine illius tincta fuit. Ast hæc dixerit quispiam, quæ paulò antè exposita sunt, magis infirmant quàm confirmant: Nam quomodo nullum nomen habet omnibúsque ignotus est ille, qui hic Verbum nominatur? Verbi nomen hypostasi Filij tribuitur ad designandum impatibilem eius ex Patre generationem; siquidem nostrum quoque verbum ex mente nostra impatibiliter procedit: Aut ob id Verbum nominatur, quòd rerum omnium rationes in se contineat: Aut ob id certè quòd paternæ sapientiæ & virtutis internuncius & quasi interpres existat.

Cur Filius appellatur Verbum.

Verbum in mente impatibiliter gigni.

Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur illum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

Ornatus, quo cælestis exercitus induitur, quid?

Per hæc cælestium virtutum ordines denotantur; vt qui naturæ subtilitate & intelligentiæ sublimitate; & virtutum præterea splendore mirè sint illustrati, & accurata indiuulsaque cum Deo vnione admodum conspicui.

Et ex ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: Vt in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Anceps gladius impiorũ supplicium.

Gladius hoc loco significat supplicium, quod secundum iustum Dei iudicium certúmque eiusdem mandatum, quod ex ore illius procedit, impiis & peccatoribus infertur, iuxta quod virga frangi flectique nescia, ad multiplicis malitiæ eneruationem regentur & non absque ingenti supplicio confringentur; cuius quidem virgæ exsortes manebunt Sancti. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt Psalmista scriptum reliquit: Torcular autem vini furoris solus Dei Filius calcat; quia Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio tanquam homini; quod alioquin naturaliter tanquam Verbum iam inde ab initio habebat.

Psalm. 124.
Torcular vini furoris solum filiũ calcare.
Ioann. 5.

Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Quid significetur per Rex Regum, &c.

Hoc nomen indiuulsum diuinæ incarnationis vinculum innuit, secundum quam cùm Deus alioqui esset, carne passus est, homóque existens Rex Regum & Dominus Dominorum appellatus est: eorum nimirum qui animi passionibus dominantur, regnúmque & principatum aduersus peccatum illius ope & auxilio fulti, adepti sunt, adeóque vnà cum illo in futuro sæculo regnaturi sunt.

De Antichristo, cæterisque qui simul cum illo in gehennam abiiciuntur.

CAPVT LVIII.

Cap. 19.

ET vidi vnum Angelum stantem in sole; & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli.

Hunc vnum è nobilioribus Angelis extitisse arbitramur, qui propter pœnam instè peccatoribus irrogatam, peccatúmque exterminatum, cæteris lætitiam festúmque diem denunciat: volucres autem appellauit Angelos, quod sublimes & inter cœlum terrámque volitent, seséque ad nostram instructionem subinde demittant; quorum cibus, vt & Christi quoque, est diuinæ voluntatis expletio. Per medium autem cœlum feruntur, vt hominibus quoque, qui Angelicam vitam ducerent, reditum, ad patriam demonstrent, lætitiámque, de qua dictum est, communem esse ostẽdant; quorum tanquam sequestrium intercessio sursum illos subuehere nata est, qui infra constituti sunt, per quos etiam Sancti in occursum Domini rapientur.

Angeli auibus assimilati, sunt alati.

Venite, & congregamini ad cœnam magni Dei, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum.

Antecedens & quasi primaria Dei voluntas, quæ & placiti quoque appellatur; & cœna quam desiderat, vel maximè est, vt omnes homines salui fiant, & ad veritatis agnitionem veniant, conuersique ad Deum æternum viuant: Secundaria autem & quasi consequens est, velle eos punire, qui supplicij caussam sibiipsis vltro asciuerunt. Igitur paternam voluntatem Christus cibum suum vocat; eandem autem hoc loco cœnæ nomine designat. Mortalium porrò vnusquilibet id consequitur, quod per opera expetere visus est, regnum nimirum aut æternum supplicium. Cæterùm per escam carnium, carnarũ aliũ hominum interitus iudicatur; nominúmque principatum in terra obtinentium defectio. Meminit autem equorum, non quod ipsi olim sint exsuscitandi aut iudicandi, sed quoniam per illos denotantur homines instar petulantium equorum salaces; aut nequitia sanè non ita insignes, aut vtrique simul. Per ascensores autem illorum illi adũbrantur, qui præeminentis malitiæ extiterunt. Id quod hoc ipso quoque innuit, dum mox addit: liberorum & seruorũ, magnorum & paruorum. Per magnos enim & liberos illos insinuat, qui maiori peccato & contemptu peccauerunt: per seruos autem & paruos, qui minori, vel propter ætatem, aut propter infirmitatem, vel etiam propter animi iudicium.

Quæ primaria & secundaria Dei voluntas.

Quemlibet mortalium id consequi, quod per opera & studia expetere sua visus est.

Quo sensu Sanctis inuitentur ad mãducationem carniũ equorum.

Qui magni & parui, serui & liberi.

Et vidi bestiam & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.

Qui sub diabolo stipendia faciunt, illos multitudinis numero effert propter diuersas peccati formas, multiplicémque peccantium sententiam & voluntatem; cùm tamen Angelicarum virtutum, hominúmque Angelorum puritatem æmulantium, minimam partẽ exæquent. At eos qui Christum sequuntur, singulari numero exercitum vocat, propter singularem voluntatum consensionem, sententiæque Dei verbo gratæ coniunctionem.

Cur dæmonis exercitus multitudinis numero efferantur, Christi autem singulari.

Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa: per quæ seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.

Etsi isti duo cum Regibus & Principibus qui ipsis obsequuntur, Christo Seruatori obsistant, aciemque contra illum dirigant, ambo tamen nempe Pseudochristus & Pseudopropheta, qui per signa & portenta impostori Antichristo viam, vt reciperetur, muniuerant superati, à diuina ira comprehendentur.

Bestiam & Pseudo Prophetam à diuina ira comprehendi & in ignem coniici.

Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

Forsan hi duo communem mortem non oppetent; verùm in momento ictúue oculi extincti, mortéque secunda condemnati, ad ardentis ignis lacum abripientur; quemadmodum Apostolus de quibusdam loquitur, qui non sunt dormituri, sed temporis quasi puncto & oculi nictu immutandi. Interim hi ad iudicium venturi sunt; duo verò præsentes tanquam impij Deóque rebelles non in iudicium exurgent, sed in condemnationem. Quod si cui ob id aliud videatur, quòd Apostolus Antichristum diuini oris spiritu perimendum asserat, nonnullique ex Doctoribus tradant, quosdam, post Antichristum è medio sublatum, superstites à Daniele beatos prædicari: respondemus, hosce in corpore immortali & incorrupto viuentes, post euersam eneruatámque ipsorum à Christo potestatem in gehennæ ignem abiectum iri, quæ quidem gehenna illis, & mors, & interemptio erit, diuino Christi mandato perfecta.

Pseudo Prophetam & bestiam communi morte, quosdam sententia non esse morituros.

2. Thess. 2.

Quosdam viuos in gehennam abiectũ iri.

Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt de carnibus eorum.

Duæ sunt mortes; altera quæ consistit in separa-

Mors duplex, & in quo consistat.

tione animæ à corpore; altera quæ constat certa condemnatione & in ignem æternum ablegatione. Si illos igitur spectes qui militarunt Antichristo, dubium nullum est priorem, hoc est, carnis mortem Dei gladio eiusdémue mandato illatam præcedere. Quod si illud nō placet, ad illos ipsos quoque pertinere statuas, quod de secunda morte, quæ mittit in æternum gehennæ supplicium hic dicitur. erunt enim socij illorum, à quibus decepti fuerant. Quod autem aues omnes illorum carnibus saturantur, illud accipimus secundū eum sensum, quem antè reddidimus. Adhæc, vt Deus quosdam per Esaiam increpans, ait: Facti estis mihi in saturitatem, ita quæuis carnalis motio Sanctis est molesta, eorumdémque palato fastidiosa.

Deceptos cum impostoribus apud inferos coniungendos.

Vt Satanas per Christum crucifixum vsque ad sæculi finem sit ligatus: & de mille annis.

CAPVT LIX.

SERMO VIGESIMVS PRIMVS.

Cap. 20.

ET vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus satanas: Et ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hoc oportet illum solui modico tempore.

Diabolū per Christi crucē deiectum.

EXPONIT hoc loco diaboli deiectionem, quæ Dominicæ passionis vi facta est: Per hanc enim alius ipso fortior, nempe Christus Deus & Dominus noster illum, qui potens alioqui habebatur, ligauit nósque spolia illius de manibus eius eripuit, illo ad abyssum condemnato & amandato. Atque hoc ex eo planum fit, quod dæmones quidam deprecati sunt illum, ne se in abyssum amandaret. Quod autem vires illius sint ligatæ, id testatum nobis faciunt idololatriæ interitus, & abolitio, & templorum idololatricorum demolitio, sacrificiorum, quæ aris imponi solita erant, defectio, & diuinæ tandem voluntatis passim per terrarum orbē cognitio atque expletio. Quin magnus quoque Iustinus existimat, in primo demum Christi aduentu diabolum cognouisse, se in abyssum ignisque gehennam condemnatum esse. Per prædicta igitur, Christi contra diabolum sententiam, intelligi posse autumo. Angelum autem eiusmodi sententiæ ministrum asserit; Vt hinc palàm fiat, diabolum ne ministerialium quidem virtutum potentiam æquare, nedum Dei, adeóque frustra ac stultè planè contra omnium principatum insolescere. Per catenam porrò nostro sensui sese accommodans, virtutem nequitiam illius coërcentem designat. Mille autem annos non omnino præcisè, quasi tot tantum numero decursuri sint, intelligere conuenit. Neque enim cum Dauid ait: Verbi, quod præcepit in mille generationes, decies centenas pressè accipere debemus, sed numero multas. Ad eundem itaque modū per numerum millenarium, aut multum, aut certè perfectum hoc loco significatum putamus; siquidem multis opus fuit annis ad prædicandum vbique in vniuerso terrarum orbe Euangelium, & ad radicandum in ipso pietatis veræque religionis semen. Sunt iidem quoque anni perfectionis indices; quoniam in illis à puerili illo legis vsu & consuetudine liberati, in virum perfectum mensuráque ætatis & plenitudinis Christi vocati sumus. Mille igitur anni, vt credibile fit, complectūtur totum illud tempus, quod interfluit inter Christi incarnationem & Antichristi aduentum. Vtrum ergo anni illi accipi debeant, vt modò exposuimus, an verò inter decies centenos absolutè coërceri, an denique, vt quibusdam placuit, inter angustius spatium concludi, id soli Deo cognitū opinor; hic vnus enim nouit quovsque illius patientia, vitæque huius vsura nobis commoda & vtilis futura sit. Ast verò post spatium illud temporis elapsum, statim Antichristus vniuersum orbem conturbabit, auctoris omnis mali Belialis virtutem in se continens, virulentæque illius malitiæ fæces hominibus infundens, haud ignarus supplicij sibi parati vim ineuitabilem esse. A cuius operibus clementissimus Deus nos liberet, idémque à paratis ipsi & Angelis eius cruciatibus nos eripiat; atque æternorum bonorum participes declaret, quæ parata sunt illis, qui vsque ad sanguinis effusionem illi resistent: Quia ipsum decet misericordia erga illos, qui spem suam in eum reiectam habent; & ab omnibus angelicis virtutibus & sanctis hominibus gratiarum actio, & adoratio; vnà cum Patre & viuifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Varijs indicijs constare, dæmonis vires in Christi cruce fractas esse.

Minimos Angelorum quouis demone potentiores esse.

Quid catena qua demon ligatus est.

Per mille annos totū illud tempus accipi posse quod inter primum & secundum Christi aduētum intercedit.

Sub Antichristi aduentum diabolū ex abysso ad tempus emersurum.

De sedibus, quæ illis sunt paratæ, qui Christi confessionem illibatam conseruarunt.

CAPVT LX.

Cap. 20.

ET vidi sedes: & sederunt super eas, & iudicium datum est illis; & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius; nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annos.

Apostolorum cathedræ in hoc & altero sæculo.

Hic magistrales cathedræ datæ fuerunt sanctis Apostolis, per quos gentes fidei lumen acceperunt; ibi autem, nempe in futuro sæculo, iuxta diuinam promissionem, aliæ illis assignabuntur sedes in eorum iudicium & condemnationem, qui Euangelicam prædicationem repudiauerunt. Ibi, canit Dauid ascenderunt tribus Domini, testimonium Israël. Et postea: Quoniā illic sederunt sedes in iudicio. Qui reliquis quoque sanctis Martyribus, qui pro Christo mortem perpessi sunt, neque mysticæ bestiæ, quia diabolus est, characterem, hoc est, imaginem Apostasiæ illius susceperunt, iudicandi potestas data est; per quam dæmones, vt ob oculos videmus, iudicare non desinunt, vsque ad præsentis sæculi consummationem cum Christo glorificati; à piis rursum Regibus fidelibúsque Principibus adorati, & diuina denique virtute contra omnem corporum morbum, fraudémque & vim dæmonum conspicuè donati. Cæterùm quod diabolus, & Antichristus, & Pseudopropheta communicant non modò operibus, verùm etiam nominibus, illud ex eo manifestum, est quod vnus quilibet horum appelletur bestia, similique habitu ornatus cernatur. Nam & draco siue satanas septem capita & decem cornua, cum tot diadematis deferre visitur; & bestia quæ ex mari ascendit, nimirum Antichristus, simili schemate vestitus in medium prodire conspicitur: & Pseudopropheta tandem eandem cum vtroque mentem & vim ad seducendum & perdendum adferre deprehenditur. Ab horum autem consortio & fraude, qui se exemerunt & vindicarunt, cum Christo iuxta modum paulò antè expositum vsque ad secundum illius aduentum regnabunt; post illum autem, diuinis promissionibus abundantius potientur.

Psalm. 121.

Sancti Martyres iudices futuri, dæmonúmque condēnaturi.

Sanctarum reliquiarum vis in dæmones & omnis generis morbos.

Draconem, Antichristum & dæmonem operibus & nominibus inter se communicare.

Quæ sit prima resurrectio, quæ item mors secunda.

CAPVT LXI.

Cap. 20.

CÆteri verò mortuorum non vixerunt, donec consummarentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: In his mors secunda non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.

Vita & mors duplex.

Ex diuinis literis duas extare vitas, & duas itidem mortes didicimus: Prima vita est illa, quæ post præceptum

ptum ab Adamo violatum reliqua fuit, carnalis vtique & temporaria: Altera æterna est, quæ post diuiuorum A præceptorum obseruationem, Sanctis in altero sæculo promittitur. Mors similiter duplex est: Vna carnalis & temporaria: Altera sempiterna, quæ in peccatorum vindictam per gehennam ignis, aliáque id genus tormenta apud inferos post hanc vitam infertur. Hinc iam mortuorum discrimen colligitur. Alij enim sunt vitandi ad quos illud Esaiæ spectat: Qui autem mortui sunt, vitam non videant; Eiusmodi sunt qui per fœda opera cadauerum fœtorem præ se ferunt. Alij autem laude digni sunt. Eius generis sunt qui propter Christum opera carnis mortificantes, necnon cum eodem Christo sese crucifigentes mundo viuere desierunt. Mortui igitur deplorati, quales sunt qui per Baptisma cum Christo non sunt sepulti, neque cum eo resuscitati, sed in B peccatorum morte vsque ad vitæ finem perstiterunt, non viuent cum ipso donec finiantur mille anni, hoc est perfectus ille annorum numerus, qui à primo illius aduentu vsque ad secundum eumque gloriosum pertingit, sicuti supra indicatum est. Verùm vt ex terra tantum nati sunt & non ex spiritu; ita in terram denuò reuertentur. Neque enim aliud illorum mors est, quam futurorum suppliciorum initium. At qui primæ resurrectionis participes euaserunt, hoc est, qui ex lethalibus cogitationibus & operibus resurrexerũt, illi beati sunt. Nullam enim potestatem in illos habebit mors secunda, nempe infinitus inferorum cruciatus, sed sacrificabunt & regnabunt cum Christo mille annos, ad modũ ante explicatum, donec nimirum soluatur satanas, vt seducat gentes; non quod hi tum regno spoliabuntur, C sicut nec illi quoque tum temporis à pœnis absoluentur; sed quod tunc illud illustrius & firmius possidebũt; rebus fluxis & temporariis iam proscriptis, æternis autem & solidis præsentibus. Parum enim temporis à diaboli solutione vsq; ad sententiam, quæ contra ipsum feretur, eiusdémque in gehenna condemnationem, intercedet. Quare illud, Et erunt Sacerdotes Dei & Christi, ad tempora dudum ante transacta referendum est. Etenim quæ nunc per experientiam rerumque euentũ videntur Sanctorum miracula, meritorúmque præmia; quando Euangelistæ hæc patefiebant, adhuc futura erunt, vt dictum est antè. Cùm ergo duæ sint mortes, duæ quoque resurrectiones sint oportet. Prima mors est corporalis, in humanæ inobedientiæ pœnam irrogata. Secunda est gehenna, seu æternus apud inferos cruciatus. D Prima resurrectio est viuificatio ex operibus mortuis. Secunda est ex corporum corruptione in incorruptionem transmutatio.

Cap. 26. — *Laude digni qui propter Christum opera carnis mortificant.* — *Qui dicantur mortui deplorati.* — *Improborum mors futurorũ suppliciorum initium.* — *Resurrectio prima, quæ?* — *Satanam ad modicum tantum tempus soluendum.* — *Mors & resurrectio duplex.*

De Gog & Magog.

Capvt LXII.

Et cùm consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo; & exibit. Et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog: vt congreget eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.

Prædictvm mille annorum tempus quidam E nescio quomodo ad spatium, quod à Christi Baptismate vsque ad illius in cœlum ascensum fluxit, referunt, adeóque mille annos in trieteridem cum anni semisse contrahunt, postquam diabolum solutum asserunt. Alij verò post expletum sex millium annorum interuallum primam ex mortuis resurrectionem, solis Sanctis propriam futuram dixerunt; quò nimirum in hac crassa & caliginosa terra, in qua illustria fortitudinis & patientiæ specimina ediderant, mille annis gloria & honore potiantur, omníque voluptatum genere perfruantur; post hoc autem tempus elapsum vniuersalem omnium, hoc est non iustorum tantùm, verum etiam peccatorum resurrectionem fore. Sed Ecclesia neutrum horum recipit; nósque Christum ad Sadducæos dicentem, audimus; Iustos vitam in cœlo Angelis Dei similem acturos. Et Apostolum asserentem regnum Dei non esse cibum aut potum, per mille annos vniuersum Euangelicæ prædicationis tempus designatum putamus. Nam, vt antè scriptum est, nulla necessitas nos cogit vt ad mille annos absolutè illud tempus constringamus: neque enim illud, quod in canticis dicitur: Vnusquisque pro fructu suo mille argenteos apponet, rursum, Mille Salomoni & ducentiis, qui seruant fructum eius, numerum hunc absolutè designat, sed fructuum tantum multitudinem, fructificationísque vbertatem; quemadmodum hoc quoque loco per mille annos perfecta fidei fructificatio significatur. Postquam filius perditionis, homo ille iniquitatis veniat, vt iudicentur omnes qui veritati non crediderunt, sed iuxta Apostoli doctrinam, quam Christus confirmat, in iniquitate vitam traducere optimum duxerunt. Christi verba sunt: Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum suscipietis.

Mille annos, post quos exactos satanas soluendus legitur, variè accipi. — *Errant, qui putant Sanctos in terra hac, mille annos cũ Christo regnaturos.* — *Per mille annos rectius totum Euangelicæ prædicationis tempus accipi.* — *Ioann. 5.*

Tunc igitur, vt dictum est, satanas è carcere solutus seducet omnes gentes; & Gog præterea & Magog ad totius orbis vastitatem & desolationem concitabit in prælium. Sunt autem ex veteribus qui per Gog & Magog gẽtes quasdam Scythicas & Aquilonares insinuatas existimant (quæ alio nomine Huni appellentur) bellica virtute & militum numero quauis terrena potentia finitimóque regno potentiores. Quare sola quoque Dei manu & potestate coërceri dicuntur, ne toto terrarum orbe potiantur, suóque eundem imperio subiugẽt, idque vsque ad Antichristi satanæque aduentum. Cæterum quod nomen Gog, si Latinè ex Hebræo interpreteris, sonet colligentem vel collectionem; Magog autem eleuationem vel eleuatum, quidam per eiusmodi nomina ingentem hominum turbam hinc inde collectam, summámque mentis elationem significata arbitrantur. Aduertendum est præterea Ezechielem quoque vaticinatum, gentem, de qua hic sermo, magna cũ potentia nouissimis diebus venturam, ingentique bellica multitudine terram pressuram, ignéque & armis latè omnia vastaturam. Hoc tamen oraculum quidam ex interpretibus ad casum Assyriorum, qui tempore Ezechiæ Regis sub Sennacherib militabant, retulerunt, sed perperam; siquidem Assyriorum clades multo tempore antè æditam Ezechielis prophetiam accidit. Alij proinde transferunt ad gentium populorúmque interitũ, qui inuaserunt eos, qui ex Babylonica captiuitate reuersi, Hierusalem instaurare instituerant: Primo quidem Cyro Persarum Rege, post illum verò Dario Syriæ præfectis, opem eam in rem conferre mandantibus. Non desunt denique qui ad Antiochi vires, quas Macchabæi fregerunt & superarunt, istud vaticinium spectasse putant. At certum est Gog & Magog aduentum multò rectiùs quadrare in nouissima tempora. Primò enim nequaquam scriptum extat, Scythicas gentes contra Iudæos tunc temporis bellum collegisse, sed solùm populos, qui in circuitu habitabant; qui subitæ Iudæorum felicitati inuidebant. Deinde verò quod Scriptura de Gog asserat, ab antiquis diebus ad hoc præparatum & destinatum esse, vt nouissimis temporibus veniat, terrámque perturbet. Postremò autem quod in præsenti Apocalypsi, quæ de futuris vaticinatur, doceatur ad sæculi huius finem Gog & Magog in medium prodituros.

Gog & Magog vniuersam terram vastabunt. — *Quæ gentes per Gog & Magog designentur.* — *Gog & Magog significatio.* — *Ezechielis vaticinium de Gog & Magog.*

Et ascenderunt super latitudinem terræ: & circuierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris; vbi & bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

Quemadmodum agrestes feræ è cauernis ad prædam prorepunt; ita innumera hominum multitudo satanæ & dæmonum, qui cum illo faciunt, opera è suis locis in prælium excita, super terram se diffundet; quò San-

ctorum castra, Christi nimirum Ecclesiam, quæ in quatuor orbis partibus firmam sedem obtioet, depopulentur penitúsque euertant; ignari non vnum tantùm Angelum, sed permultos in circuitu timentium Dominũ castra metari, idque iussu & mandato Dei secundum Psalmistam. Neque his contenti, nouam quoque Hierusalem ciuitatem illam Deo dilectam, capere & subiugare contendent, ex qua lex diuina per Apostolos egressa, terrarum orbem percurrit. Vbi ipsum etiam Antichristum in templo sessurum à nonnullis traditur, siue in Iudaico, olim quidem diuino & admodum religioso; posteà verò, propter audax & nefarium illud Iudæorum contra Christum facinus, solo æquato; verùm ab ipso Antichristo secundum Deo rebellium Iudæorum expectationem, tum denuò instaurato; siue etiam in verò Dei templo, nempe in Ecclesia Catholica aliena vsurpans, & seipsum. Secundum diuini Apostoli oraculum, pro Deo venditans. At non in longum tempus illius regnum perstabit; ignis namque cœlitus dilapsus illum absumet; siue is sensilis futurus sit; cuiusmodi erat, qui tempore Eliæ duos illos quinquagenarios, militum duces absumpsit; siue gloriosus Christi aduentus, qui spiritu oris sui ipsum interfecturus scribitur; denique ignis prædictas gentes pari modo deuorabit, & ducem illorum diabolum vnà cum Antichristo & Pseudopropheta in stagnum ignis contradet; vbi in sæcula sæculorum torquebuntur, dirísque suppliciis excruciabuntur.

Per Sanctorũ castra Ecclesiam significatam.

Incertũ quale vel quod templum illud sit, in quo Antichristus tanquã Deus sessurus fertur.

2. Thess. 2.

Nos autem tentationum impetus orationis præsidio depellere à Christo Seruatore nostro edocti, agnita nostra infirmitate, iugiter ipsi preces & supplicationes offeramus; quo à prædictorum malorum periculo citra experientiam eruamur, neque Pseudoprophetæ aduentum vnquam videamus; neque gentium suprà nominatarum motum, neque lethiferum eorum discrimen, qui à salutari fide vi decedere compellunt, experiamur, sed bonæ conscientiæ testimonium pro viribus illæsum cõseruantes, necnon per bona opera incensam erga illum dilectionem ostendentes, qui pretioso sanguine suo nos mercatus est, æternorum bonorum fruitionem speremus; opulentis Christi miserationibus adhoc corroborati & confirmati, quæ vtinam per Seruatorem & Redẽptorem nostrum Christum consequamur. Cum quo Patrem vnà cum sancto & viuifico Spiritu decet gloria, & imperium, & honor, & adoratio, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Tentationum impetus oratione præsidio depelli.

DE SEDENTE SUPER THRONUM, ET COMmunis resurrectione.

CAPUT LXIII.

SERMO VIGESIMUS SECUNDUS.

Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum. a cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus eis.

PER candidum thronum, Christi resurrectio denotatur: tum quies illa quam Deus in Sanctis capit, qui virtutum ornamentis splendent. At verò cœli & terræ fuga, illorum transitionem, & in melius mutationem significat. In quibus proinde postea nullus amplius conuersionis aut mutationis locus inuenietur. Si enim nostri caussa, iuxta Apostoli doctrinam, creatura mutationi & corruptioni obnoxia facta est, nobis in libertatem gloriæ filiorum Dei mutatis & translatis, & ipsa itidem innouabitur, & in lætiorem formam transformabitur: In interitum autem non vertetur, neque, vti Irænęus, Antipater & alij sancti viri rectè tradiderũt, in solidum corrumpetur. Verba Irenæi ita sonant: Creaturæ substantia & quidditas neunquam interitura est, verus est namque & stabilis, qui illam formauit & condidit; sed species, & pars illa mundi, in qua transgressio accidit, & homo inueteratus est, transibit. Enimuerò cùm Deus humani lapsus præscius esset, voluit partem illam vniuersitatis, quæ humanis vsibus ad tempus seruiret, temporariam, & omnino eiusmodi esse, quæ in meliorem & stabiliorem statum mutari aliquando posset. Et magnus Patriarcha Methodius in sermone de resurrectione, de his ita disserit: Non placet quod nonnulli asserunt, nempe rerum vniuersitatem totam simul interituram, cœlúmque, & terram, & aërem amplius reliqua non futura. Inflammabitur sanè ad repurgationem vniuersus orbis, igne quasi diluuio quodam mundatus, attamen non transibit in omnimodum interitum, aut in omnino nihilum. Et infra rursum. Et Paulus quoque disertè testatur, dicens Exspectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei exspectat; vanitati enim creaturæ subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; & quæ sequuntur. Et antè hos Sanctos beatus Dauid quoque, cum Dominum laudare vellet, ita aiebat: Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Cui cognatum est illud Esaiæ: Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora; & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo. Hæc ille, & meritò, siquidem summa nunquam deficientis lætitiæ & voluptatis affluentia, præmiorúmque ex legitimis certaminibus ortum ducentium magnitudo, omnium laborum & molestiarum ante susceptorum, obliuionem facilè inducit. Et alio rursum loco idem: Sicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Rationi proinde illorum sententia consentanea est, qui creaturam, quæ nostri caussa facta est, mutationem quidem ad meliorem statum vnà nobiscum suscepturam asserunt, in nihilum autem nequaquam concessuram; sicut neque nos quoque post mortem in illud transibimus quod non est.

Magnus & candidus thronus.

Cœli & terræ fuga.

Terræ & elementorum forma.

Irenæi sententia de mundi innouatione.

Vniuersum interitum hunc mundũ igne quasi & diluuio quodã mundatum, Rom. 8.

Psalm. 103.

Cap. 65.

Creaturam electorũ gloriæ conformãdam.

Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni; & libri aperti sunt: Et alius liber apertus est, qui est vitæ: Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.

Mortuos vocat aut omnes omnino homines, tanquam qui corporis mortem sustinuerant; aut eos qui vitiis & peccatis nuncium miserant. Magni autem & parui illi nominantur (vt antè quoque indicauimus) qui ætate & statura pusilli adhuc erant: Aut ij certè qui minori contemptu mortis opera designarant, adeóque operum ratione minores pœnas daturi erant. Aut magnos appellat iustos, pusillos autem peccatores: Hi enim propter animæ vilitatem ex peccatis ortam, nullius reipsa sunt momenti. Libri autem aperti vniuscuiusque opera & cuiuslibet rursum conscientiam denotant. At vnus ille liber, vt ipse fatetur, est liber vitæ, in quo Sanctorum nomina scripta sunt.

Qui dicantur mortui in Apocal. qui item magni & pusilli.

Quid libri aperti & liber vitæ significent.

Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

Vnumquodque corpus ex illis, inquit, instaurabitur, & separabitur, in quæ dum resoluebatur abierat; siue illud in terram illatum, siue in mare abiectũ erat. Mors autem & infernus non sunt viua animalia, sicut à quibusdam describuntur, sed mors est separatio animæ a corpore. Infernus autem est locus obscurus nobísque incognitus; neque enim locus ille sub sensum venit, qui excipit animas mortuas hinc emigrantes. Mortuæ autem illæ dicuntur, quæ actiones mortiferas secum deferunt. At iustorum animæ, vt Sapiens ait, in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis.

Quid sit mors & infernus.

Quæ animæ dicantur mortuæ. Sap. 3.

Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda; & qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Mortem

Quid sit mortem & infernum in stagnum ignis conici. 1. Cor. 15.

Inferorum mancipia appellari infernum.

Mortem & infernum in stagnum ignis coniecta esse, vel illud significat quod scriptum est: nempe; Nouissimè verò inimica destruetur mors; aut nequam spiritus. Hi enim sunt, qui grauissimam deterrimámque peccati mortem conciliant; quorum etiam domicilium est infernus; ad quem amandant omnes quotquot hic sibi obsequentes habent, & à iudice ad ignem condemnantur. Vt enim ciuitas dicuntur qui illam inhabitant; ita mors quoque & infernus, qui horum incolæ, vel caussæ quoque sunt. Cùm enim omnia quæ Deus condidit sint valde bona, ignis ille ea tantùm absumere natus est, quæ talia non sunt. Scriptum enim exstat, Deus mortem non fecit. Per hanc igitur mortis & inferni in stagnum iniectionem, insinuatur apud eos, qui in libro vitæ scripti sunt, nullam amplius mortem, aut corruptionem regnum obtenturum, sed vitam tantùm & incorruptionem. Neque mireris, si omnes qui in libro illo scripti non sunt, in vnum ignis stagnum mittantur. Nam vt apud Deum & Patrem multæ saluãdorum sunt mansiones; ita ibi quoque diuersa erunt loca suppliciorum. Alia enim sunt acerbiora, alia mitiora, quibus illi tentabuntur in æternum, qui in libro viuentium scripti non sunt.

Ignis inferni in quæ agat.

Quo sensu mors & infernum in stagnum ignis mitti dicantur.

DE COELO NOVO, ET TERRÆ NOVÆ, supernáque Hierusalem.

CAPVT LXIIII.

Et vidi cælum nouum, & terram nouam: Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est.

Cap. 21.

Et hic quoque locus nullam creaturæ demolitionem, aut interitum significat, sed rerum tantùm, quæ exstant in meliorem statum transmutationem & innouationem; nam & ipsa etiam creatura, vt Apostolus loquitur, liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et diuinus Psalmista ait, Mutabis eos, & mutabuntur, & tanquam indumẽtum inuolues eos. Etenim rei obsoletæ vel inueteratæ innouatio, non significat substantiæ illius interitum vel essentiæ abolitionem, sed senij tantùm abscessionem, rugarúmque inductionem. Nam nos quoque de homine, qui mores in melius aut peius ex parte mutauit, dicere consueuimus: Alius ex alio factus est. Obseruandum est autem de cœlo quidem & terram hic asseri trãsiisse, hoc est, mutata esse, & ad nostri similitudinem quandam quodammodo mortem pertulisse. Subierunt namque prioris constitutionis in meliorem formam, mutationem & sortem; de mari autem non amplius existere. Quid enim opus est mari, cùm omnis apud homines cessabit nauigatio? Et ad regiones longè positas peregrinarum & aduectitiarum merciũ caussà profectio? Ad hæc cùm mare sublimiori quodam sensu significet quoque præsentem hanc mortalémque vitam fluctibus & perturbationibus plenam, in hac etiam notione nullus illius erit vsus aut locus; siquidem nihil turbationis aut formidinis in Sanctis tunc reliquum erit. Confirmat hanc opinionem magnus quoque Basilius, allegans illud Esaiæ: Qui dicit abysso; in desertum redigeris, & omnia flumina tua desiccabo.

Rom 8. Psalm 101.

Creaturam innouationem passuram non etiam abolitionem.

Quid sit mare post mundi innouationem amplius existere.

Cur non videatur mare penitus interiturum.

Cap. 44.

Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

Et hinc rursum ostenditur, nouitatis nomen transformationis in lætiorem statum notam esse, quam superna illa Hierusalem consequetur; quæ ex virtutibus corporis expertibus exorsa, vsque ad homines descendit; vnúmque est & appellatur corpus, eò quòd Christus Deus & Dominus noster commune vtrorúmque sit caput. Hæc autem ciuitas constituitur ex Sanctis, de quibus scriptum est; Lapides sancti voluuntur in terra, Christum angularem lapidem sortiti. Dicitur autem ciuitas quasi reginæ Triadis domicilium; habitat enim & ambulat in illa, iuxta promissionem suam. Vocatur rursum sponsa tanquam Domino cohærens, summáque & indiuulsa coniunctione illi vnita. Ornata denique, tanquam quæ præclaram intra se gloriam & pulchritudinem ex virtutum varietate natam, secundum Psalmistam contineat.

Homines & Angelos vnũ mysticum corpus constituere, eiusque caput Christum esse.

Cur cælestis Hierusalem dicatur ciuitas & Ecclesia sponsa & ornata. Psalm. 44.

Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Et habitabit cum eis, & ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Sanctus Euangelista è cœlo docetur, tabernaculum hoc verum esse; cuius typus ostensus fuerat Moysi; Vel quædam verius typi protyposis & simulachrum; cùm præsentis huius Ecclesiæ typus exstiterit. In hoc autem tabernaculo, quod hominum manibus factum non est, nullus erit fletus, nullæ lachrymæ, Nam qui æternum gaudium largitur, Sanctis omnibus lætitiam finis expertem impertietur.

Typum tabernaculi Moysi ostensum, veri tabernaculi protyposin exstitisse.

Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.

Hoc ipsum est, quod alibi scriptum exstat, nempe aufugit dolor, tristitia, & gemitus. Quod autem prima abiisse dicuntur, hoc cùm Sanctorum afflictionem, tum impiorum quoque insolentiam finem vtrique horum congruentem fecisse significat.

Afflictionis & malitiæ finis.

CVIVSMODI AB EO DICTA SINT, QVI sedebat in throno.

CAPVT LXV.

Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe; Quia hæc verba fidelissima sunt & vera. Et dixit mihi, Factum est. Ego sum α & ω, initium & finis.

Cap. 21.

Vera sunt hæc verba, vtpote ab ipsa veritate profecta, neque per figuras aut symbola, vt olim, sed per res ipsas cognita. Est autem idem Christus principium & finis, primus itidem & vltimus; hoc quidem propter assumptam humanitatem; illud verò propter increatam diuinitatem. Dicitur alia quoque ratione α & ω, quia nimirum à prima rerũ corporis expertium substantia, vsque ad vltimum hominem sua prouidentia attingit.

Christus duplici nomine principium & finis.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

Sitienti iustitiam viuifici spiritus gratiam se daturum pollicetur, quam in Euangelio quoque illis promittit, qui in ipsum credituri essent. Gratis autem & hanc & quæ hanc sequuntur largitur, quia præsentis temporis afflictiones non sunt dignæ, quæ cum futura gloria, quæ Sanctis obueniet, comparentur. Aut gratis, quia pecuniis parari nequit, sed bonis tantùm operibus, eiúsque clementia qui præbebit.

Sitienti iustitiam spiritum gratis donari.

Quo sensu vita æterna gratis donari perhibeatur.

Qui vicerit, possidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

Qui, inquit, victoriam aduersus hostes, qui sub aspectum non veniunt, obtinuerit, bona, de quibus hic sermo est, consequetur, Dei nimirum filius effectus, bonisque paternis atque delitiis tutò potitus.

Victoria aduersus dæmones præmia.

Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Deus salutem nostram auidè sitiens, ad illorum bonorum hæreditatem, quæ ipse nobis præparauit, partim quidem per læta & iucunda, partim rursum per tristia & acerba, ad officium faciendum subinde nos hortatur. Modò namque supernæ Hierusalem splendorem ob oculos nobis proponit: modò rursum, obscuram dolorísque plenam gehennæ ignis acerbitatem; in memoriam reducit; quo vel æternæ gloriæ desiderio, aut infinitæ confusionis metu, dum tempus finit operemur bonum. Cum repudiatis & execratis cæte-

Deus variis modis hominẽ ad salutem prouocat.

risque, qui ad secundam mortem condemnantur, timidos quoque, hoc est, in ferendis laboribus & molestiis effœminatos; necnon in lucta contra diabolum ignauos & quasi fractos recenset. Vtinam eum, qui sacrificio misericordiam anteponere consueuit, peccatorúmque conuersionem magis quàm illorum mortem desiderat, bonis operibus ita placemus propitiúmque reddamus, vt dona illa & beneficia, quæ non solùm per sermones exhortatorios, verùm etiam per opera & afflictiones nobis conciliare studuit, feliciter consequamur. Cùm enim sat illi esse potuisset ad bonum tantum nos exhortari, & à malo absterrere; & post hoc gloria aut pœna dignos, honorare aut punire; non fuit hisce contentus: Verùm pati quoque nostri caussa voluit; quò hac ratione neque voluntatis nostræ libertatem læderet; neque quicquam eorum quæ ad nostram medicinam & emendationem facerent, prætermisisse palàm appareret. Ne proinde in vanum Dei gratiam suscipiamus: Verùm per conuersionem bonorúmque operum exercitationem beneficia illius efficacia in nobis faciamus; quò promissorum bonorum thesauro tandem potiamur, in ipso Christo Deo nostro, cũ quo Patri & sancto viuificóque Spiritui sit gloria, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Qui intelliguntur per timidos, qui in gehennã mittuntur.
Deus misericordiam sacrificio potiorẽ ducit.
Christũ nihil eorum prætermisisse, quæ ad salutem hominũ quouis modo facerent.

De Angelo, qui sanctam ciuitatem illi ostendit, eiusdémque muros & portas dimetitur.

Capvt LXVI.

Sermo vigesimvs tertivs.

Cap. 21.

Et venit ad me vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi sponsam, vxorem Agni.

Per hæc planum fit Angelos non semper calamitates & plagas inferre, sed peritorum medicorum more interdum quidem loca affecta ferro incidere; nonnunquam verò mitia pharmaca vulneribus adhibere. Qui enim cladem promeritis plagam antè irrogauerat, nunc Ecclesiæ beatitudinem Theologo demonstrat. Scitè autem sponsam Agni vxorem appellat: Quando namque veluti Agnus occisus est Christus, tunc illam proprio sanguine sibi desponsauit. Quemadmodum enim Adamo dormiẽti adempta est costa, ex qua deinde mulier formata est; ita Christo per spontaneam mortem in cruce consopito; sanguine qui ex latere illius fundebatur, Ecclesia constituta, ipsique propter nos patienti consociata est.

Mos Angelorum in curandis hominibus ægris.
Quando Christus Ecclesiam sibi desponsauerit.

Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.

Cùm spiritu in montem se abductum affirmat, mente & intelligentia à rebus terrenis ad cœlestium rerum considerationem sese subuectum fuisse indicat. Per mõtem porrò magnum & altum sublimem mundique captu superiorem, Sanctorum vitam esse insinuare videtur: In illo autem monte vxor Agni, superna videlicet Hierusalem à Deo condecorabitur, ingentique gloria cumulabitur.

Quid sit spiritu in montẽ altum ascendere

Et lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis sicut crystallum.

Lumen Ecclesiæ est Christus. Hic autem per Iaspidem instar crystalli lucentem delineatur, tanquam perpetuò virens, cunctisque viuentibus vitam largiens, & incredibili munditia præstans. Per alia autem alio modo describitur; neque enim vnius generis exemplo tanta illa erga genus nostrum beneficiorum multitudo, & diuersitas commodè describi potest.

Lumen Ecclesiæ Christum esse.
Cur Christus Iaspidi & aliis præterea multis rebus assimiletur.

Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim: & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël.

Murus magnus & altus Ecclesiæ, est Christus. Hic enim propugnat, & custodit illos, qui versantur in sancta hac ciuitate. Duodecim autem illius portæ duodecim sunt Apostoli; per quos introitum simul & accessum ad Patrem nacti sumus. Ipsi verò peculiare subsidium & robur accipiunt, à duodecim præstantioribus propiúsque ad Deum accedentibus Angelis. (Propius autem illi ad Deum accedunt eidémque assistunt, qui maiori præditi sunt scientia & sanctimonia.) Si enim vnumquemlibet hominem fidelem Angelum, qui custodis fidíque pœdagogi munus obeat, sortitum credimus, quãtò iustiùs credere debemus primos Ecclesiæ fundatores, verbíque Euangelici proseminatores, ad Euangelij prędicationem eos ex Angelis habuisse adiutores, qui primas inter omnes obtinebant. Cæterùm nomina tribuũ spiritalis Israëlis, Apostolicis ingressibus inscripta dicuntur. Nam eadem in externi sensilique Pontificis epomide, olim quoque secundum tempus inscripta continebantur. Ad præsentem autem nominum inscriptionem quod spectat, illa præclarum curæ & sollicitudini, quam Apostoli circa fideles habuere, testimonium perhibent. Sed neque Apostolus Paulus quoque incassum omnium Ecclesiarum cura se tangi, suúmque cor, quò omnes, quos per Euangelium genuerat, capere posset, dilatari prædicabat.

Cur Christus Ecclesiæ murus.
Apostolos ciuitatis Hierusalem portas esse.
Angeli Deo viciniores.
Apostolos præstãtissimos Angelos sibi adiunctos habuisse.
Quid significent nomina duodecim tribuũ duodecim ciuitatis portis inscripta.

Ab Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres: & ab Austro portæ tres: & ab occasu portæ tres.

Quadripartita portarum figura, & triplex earumdem explicatio, sanctissimæ adorandæque Trinitatis agnitionem per quadripartitum orbem diffusam significat; quæ sanè agnitio per viuificam crucem obtigit nobis; siquidem portarum compositio & dispositio eiusmodi est, vt crucis speciem præ se ferat. Sunt enim digestæ ad formam duodecim boum, qui mare æneum à Salamone confectum sustentabant, tripartitúmque Apostolorum quaternionem, sanctæ Trinitatis præconem, designabant; & quatuor itidem Euangelistarum ad quatuor terræ fines emissionem. Per quod etiam spiritale sacri Baptismatis mare, quod mundum à peccatis expiat, per mysticum Salomonem constitutum & institutum, adumbrabatur.

Quadripartita portarum figura.
Mare æneum duodecim bobus sustentatum.

Et murus ciuitatis habebat fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim Apostolorum Agni.

Fundamenta muri, inquit, beati sunt Apostoli; super hos enim Christi Ecclesia fundata est. Quorum nomina in illis veluti in tabula quadam inscripta sunt, ad commodam eorum qui legunt, aut legere volunt, instructionem.

Apostolos Ecclesiæ fundamenta esse.

Et qui loquebantur mecum, habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius & murum.

Mensura aurea vtrumque & mensurantis (quem in hominis quoque specie cernebat) excellentiam & dignitatem; & mensuratæ rursum ciuitatis præstantiam significat; cuius murum Christum esse iam antè indicauimus. Mensuratur autem hæc ciuitas non ab hominibus, sed ab Angelis ad designandam singularem naturarum supermundanarum munditiam & sapientiam. Est præterea supernæ illius ciuitatis magnitudo & elegantia præ cæteris, vt verisimile fit, illis cognita. Per murum autem diuinæ munitionis atque protectionis septum, in quo Sancti tutè custodientur, accipi hoc loco posse arbitramur.

Aurea mensura.
Cur superna ciuitas mensuretur ab Angelis & non ab hominibus.

Et ciuitas in quadro posita est: & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo. Et mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & latitudo, & altitudo eius æqualia sunt.

Quadrata hæc ciuitas describitur ad designandum immotam illius firmitatem. Quod enim secundum profunditatem, & altitudinem, & longitudinem æquilaterum est, illud cubus à quibusdam appellatur. Figura autem cubica præ cæteris firma & stabilis habetur. At verò duodecim millia stadiorum, quot ciuitas, de qua hic agitur, habere asseritur, illius fortè magni-

Duodecim millia stadiorum cælestis Hierusalem. Psalm. 138.

magnitudinem denotant. Nam, vt Propheta Dauid vaticinatur, illius incolæ super arenam maris multiplicabuntur. Forrassis per duodecim Apostolorum numerum, per quos ipsa inhabitatur, & septenarium, qui ipse itidem mysticus est, facta quadam calculatione & resolutione quod quæritur inuenietur. Etenim prædicta duodecim stadiorum millia, mille septingenta & quatuordecim signa, quæ vulgo milliaria appellatur, conficiunt: E quibus mille interminabilis vitæ perfectionem insinuant: Septingenta autem perfectam requiem: Quatuordecim verò duplicem Sabbatismum, animæ nimirū & corporis quietem. Bis enim septem constituunt quatuordecim.

Duodecim millia stadiorum in millia. ria redacta conficere milliaria 1714. quæ mysticam habent significationem.

Et mensus est murum eius, centum quadraginta quatuor cubitorum; mensura hominis, quæ est Angeli.

Mensura profunditatis muri erat cubitutum mille quadraginta quatuor; duodenarius enim numerus in seipsum multiplicatus, qui Apostolicæ doctrinæ vbertatem ob oculos nobis ponit, hunc numerum absoluit.

Duodenarius numerus in se multiplicatus, Apostolicæ doctrinæ vbertatem significat.

Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide; ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.

Structura muri eius Iaspis, quæ beatam sempérque vernantem Sanctorum vitam demōstrat, vt sæpè iam antè dictum est. Aurum autem eius dicitur purum tanquā vitrum; ad significandum illorum splendorem conspicuámque claritatem, qui in ea habitant.

Murus ex Iaspide.

Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata.

Duodecim fundamenta, sunt duodecim lapides pretiosi; è quibus octo in summi Sacerdotis rationali olim inserti erant, quatuor autem mutati sunt; vt hinc appareat noui cum vetere Testamento consensio, simúlque illorum excellentia pateñat, qui in nouo illustres extiterunt. Apostoli igitur omni virtutum genere ornati, per lapides pretiosos denotantur.

Per duodecim pretiosos lapides, duodecim Apostolos denotari.

Fundamentum primum, Iaspis.

Per Iaspidem, qui ad Smaragdi similitudinem ad viriditatem, tendit, probabile fit D. Petrum Apostolorum coryphæum significari; vt qui Christi mortificationem in suo corpore vsque portarit; vegetámque & vernantem charitatem erga illum semper ostenderit; qui etiam per feruidam fidem ad loca pascua dux nobis exstitit.

Per Iaspidem D. Petrum designari, & cur istud?

Secundum, Sapphirus.

Quod hic lapis cœlesti corpori assimiletur, quare colorem quoque cæruleum, quem vulgo lazurum appellant, ex eo fieri aiunt, beatum Paulum significare arbitror, siquidem ad tertium cœlum aliquando raptus, animóq; in cœlum iugiter defixus, eo pertrahere studebat, quotquot ipsi patebant.

Sapphirus lapis diui Pauli symbolum.

Tertium, Calcedonius.

Hic lapis Sacerdotali rationali non inserebatur, sed carbunculus, cuius hoc loco nulla fit mentio. Spectandum est tamen ne fortè Theologus per Calcedonium carbunculum designauerit. Sunt enim eiusdem propemodum coloris. Carbunculus autem B. Andræas Apostolus vocari potest, vtpote spiritus igne luculenter accensus.

Calcedonius & Carbunculus B. Andreæ attributa.

Quartum, Smaragdus.

Per Smaragdum, qui viridem colorem sortitur, oleóque nutritur, necnon perspicuitatem & venustatem ex illo mutuatur, Ioannis Euangelistæ prædicationem insinuari arbitramur. Hic enim animi deiectionem ex peccato ortam, diuino oleo serenat, excellentíque Theologiæ gratia assiduum fidei vigorem nobis præstat.

Ioannis Euangelium per Smaragdum exprimi.

Quintum, Sardonix.

Per humani vnguis colorem, cum quadam perspicuitate & claritate exprimenrem, Iacobum denotari probabile credimus: Quandoquidem vnus hic ante omnes alios propter Christum corporis mortem sustinuit, quā vnguis suos colore delineat. Vnus hic etiam absque vllo doloris sensu abscindi solet.

Sardonix Iacobo Apostolo assimilatur.

Sextum, Sardius.

Per Sardium, qui fuluo pellucidóque colore ignē æmulari, & vim tumores & vulnera per ferrum inflicta sanādi sortitur, virtutis pulchritudinem Apostoli Philippi designari arbitror. Hæc enim diuini Spiritus igne incensa, spiritalia seductorum vulnera per diaboli insultus & fraudem illata, refocillat & curat.

Sardius in Apostolum Philippum conuenit.

Septimum, Chrysolithus.

Per Chrysolithum, qui rutilante splendore aurum refert, beatus fortè Bartholomæus adumbratur; siquidem diuina prædicatio, pretiosáque virtutum suppellex, hūc admodum mirificè illustrauit.

Chrysolithus D. Bartholomæi virtutes adumbrat.

Octauum, Berillus.

Per hunc maris aërísque colorem mutantē, & ad hyacinthinum accedentem, admirabilem Thomam significari verisimile fit; quippe qui longa per mare peregrinatione vsque ad Indos peruenit, eò ad procurandam illorum populorum salutem à Deo missus.

Beryllus ad D. Thomam relatus.

Nonum, Topazium.

Per Topazium, qui rubri est coloris, neque carbunculo absimilis, lactéumque liquorem, qui iis opitulari fertur, qui ex oculis laborant, emittit, beatus Matthæus significatus videtur: Nam is & diuino zelo egregiè fuit inflammatus, & sanguine propter Christum fuso dignus est habitus, qui per Euangelium eos, qui corde cæcutiebant, illuminaret modóque genitos fidei lacte potaret.

Per Topaziū B. Matthæum significari.

Decimum, Chrysoprassus.

Chrysoprassum, qui auri colorem auro ipso altius imbibit, beatum Thaddæum, qui Abgaro Regi Edessæ Christi regnum per aurum, eiusdem autem mortem per prassum designatam prædicauit, significari existimo.

B. Thaddæus per Chrysoprassum insinuatur.

Vndecimum, Hyacinthus.

Hyacinthum, qui cærulei aëreique coloris speciem per se gerit, ad Simonem tanquam charismatum & gratiarum Christi zelatorem, cœlestémque prudentiam haud vulgarem sortitum, haud incommodè retuleris.

Simonem zelotem Hyacynthus exprimit.

Duodecimum, Amethystus.

Per Amethystum, qui ignis formam spectantibus exhibet, Matthiam significari coniicio; vt qui in linguarū distributione cœlesti igne affatim sit afflatus; & ob inflammatum Deo, à quo electus erat, seruiendi & placēdi desiderium; idoneus censtus, qui in prolapsi Iudæ locum sufficeretur.

Amethystus Apostolum Matthiam adumbrat.

Hæc autem ex iis in medium attulimus, quæ sanctus Epiphanius de lapidibus istis disseruit, tribuúmque Israelis principibus accommodauit, idque ad illorum exercitationem qui in hæc quasi ænigmata suo fortè tempore incident. De veritate quidem nonnullam coniecturam facientes, accuratam autem earum rerum notitiam soli Deo, qui isthæc patefecit, relinquentes. Interim Apostoli sunt vera Ecclesiæ fundamenta lapidésque verè pretiosi. Et quidem huius, iste verò illius lapilli virtutem & proprietatem refert; omnes autem in communi, quicquid in singulis pulchrum & excellens existit, hoc totum sibi vendicant, etsi non eodem semper gradu. Eapropter ad vnum omnes rogatos cupio, ne sententias, quas hic apposuimus, quasi coactas reprehendant; neque enim virtutem, quam vni alicui Apostolo quasi propriam tribuimus, aliis adimimus, aut mutuam earum cohærentiam amputauimus, aut communiorem negamus. Verùm per disparitatem diuersitatem perfectam earum connexionem atque societatem indicare voluimus. Vt quæ instar catenæ sibi mutuo cohæreant, neque à se inuicem diuelli queant.

Epiphanij de duodecim lapidibus opinio probabilis tantum.

Apostoli lapides pretiosi & vera Ecclesiæ fundamenta.

Virtutes omnes inter se connexæ.

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.

Portæ duodecim sunt duodecim Christi discipuli; per hosce namque & hostium, & viam vitæ cognouimus, qui quidē duodecim sunt margaritæ ex vna pre-

Duodecim portas, totidemque margaritas

tuâ duodecim Apostolos esse.

tiosa margarita, nempe Christi splendorem lucémque adepti.

Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

Vna similitudine cœlestis regni iucunditatem exprimi nõ posse.

Cùm vna similitudine exacta, cœlestis illius ciuitatis venustas pleoáque bonorum eiusdem notitia tradi non possit, sed ad eam rem variis opus sit exemplis & similitudinibus, propterea ciuitatis illius plateas crystallo auróque mundo assimilat; quò hinc quidem eius præstantiam colorisque elegantiam colligamus; inde verò eiusdem mundiciem & claritatem; quæ duo apud nos in vnum simul conuenire haud facilè solent. Hæc autem omnia sanctus Euangelista vidit, quantum & quatenus potuit; siquidem exquisita supernæ ciuitatis cognitio excedit omnem auditum, omnémque mentis & sensus captum.

Et templum non vidi in illa; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est & Agnus.

Templum in superna Hierusalē quale?

Quorsum enim opus est illi externo & sensili templo, quæ Deum, in quo viuimus, mouemur, & sumus, habeat custodem & defensorem. Is enim Sanctorum templum & incola est; quia iuxta promissionem suam habitat & ambulat in illis; & Agnus Dei qui propter nos iugulatus est, cui etiam viuificus spiritus per essentiam cõiunctus est. Atque hoc per fluuium, cuius paulò post fit mentio, disertè significatur.

Et ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit illam, & lucerna eius est Agnus.

Cœlestis ciuitatis solē Christum esse.

Vbi enim mysticus iustitiæ sol lucet, ibi externis luminatibus opus non est. Ipse enim illius & gloria, & lucerna est, & gentes, quæ saluæ fiunt, in lumine illius ambulabunt, de quibus subiicit.

Et ambulabunt gentes quæ seruatæ fuerunt in lumine eius; & Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic.

Cur cœlestis Hierusalem portæ non claudantur.

Gentes quæ salute potiuntur, in lumine eius, vt dictũ est, ambulant; qui autem in terra constituti aduersus carnis motus animique perturbationes dominatum obtinent, ij bonorum operum gloriam & honorem in ipsam inferent. Quod autem ciuitatis illius portæ non claudantur, hoc, vel habitatorũ illius securitatem & immutabilitatē significat; aut certè Apostolicæ doctrinæ portas, ad hauriendam perfectiorem de rebus sublimioribus notitiam, ibi omnibus patere. Dies autem exstat ibi perennis, nox autem nulla omnino, hæc enim in peccatorum sortem deputata est.

Non in peccatorũ sortem deputata.

Et afferent gloriam & honorem gentium in illam: non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Qui intelligantur per gloriam gentium.

Splendor & gloria gentium, hoc est, illorum qui ex gentium populo conuersi, Christo placuerunt, in ciuitate illa Deo fructum depromerent, totúmque quod habent acceptum illi ferent. Omne autem commune & immundum illuc non ingredietur; Quia nulla est societas aut communicatio luci cum tenebris, aut Christo cũ Belial.

2. Cor. 6.

De fluuio mundo, qui è throno in mediam ciuitatis plateam procedere visus est.

Capvt LXVII.

Cap. 22.

Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni, in medio plateæ eius.

Mysticum Ecclesiæ fluuium Baptisma esse.

Baptismus peccatum non tantũ tegit, sed penitus expiat.

Per fluuium qui in mortali hac vita ex Ecclesia procedit, regenerationis lauacrum adumbratur. Hoc enim per Spiritum sanctum motum, omnes quotquot in eo abluuntur, omni niue ac crystallo puriores nitidioresque reddit. At verò fluuius Dei, qui supernam Hierusalem larga aquarũ copia irrigat, est Spiritus sanctus, qui ex Dei & Patris throno per Agnum procedit: & per medium supernarum virtutum, quæ diuinitatis sedes nominantur, dilapsus, sanctæ ciuitatis pla-
A teas, nempe multitudinem eius, quæ iuxta Psalmistam arenæ numerum excedit, vbertim recreat.

Fluuius Dei Spiritum sanctum est.

Et ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim; per menses singulos reddens fructum suum.

Cur Sancti vitæ ligna appellentur.

Quid per duodecim fructus intelligatur.

Hic, inquit, fluuius irrigat Sanctos iuxta se conditos, qui similitudine quadam ad lignum vitæ, quod Christus est, eiusdémque imitatione & participatione, ligna vitæ metaphoricῶs appellantur. Progerminat autem hoc vitæ lignum fructus duodecim, hoc est, perennem fructuum fœturam: Neque enim peccati hyems, quæ foliis vitæ ligna exuit, sæuiet ibi, quemadmodum hic sæuire solet: Verùm Sanctorum æuum, quod propter anni apud nos vsitati consuetudinem, ac duodecim Apostolorum prædicationem, duodecim mensium nomine re-
B ctè designatur, optimorum fructuum copia est refertissimum. Potest alio quoque modo totus hic locus exponi. Per fluuium igitur, vt dictum est, viuifici Spiritus charismata significantur; quæ per Patris & Filij thronũ, nempe per Cherubicorum spirituum ordines, in quibus Deus insidet, in ciuitatis plateas, hoc est, in numerosam illam Sanctorum multitudinem, exeunt; & ab his tanquam ex primis ad illos, qui secundario ea participant, sese diffundunt; idque secundum concinnam cœlestiũ ordinum & hierarchiarum dispositionem. Per lignum autem vitæ, Christum, in spiritu & per spiritum cognitum; significari, extra controuersiam est. In ipso namque est Spiritus, & in spiritu adoratur, & ipse est qui spiritum largitur; & per illum duodecim Apostolici chori fructus, assiduos diuinæ cognitionis fœtus proferentes,
C nobis donantur. Per quos vtique obtingit annus Domini acceptus, diésque retributionis, qui dudum antè à Propheta prædicatus nobis nunc tandem annunciatur.

Diuina charismata ordine quodam à summis ad infimos dimanare.

Verum vitæ lignum, Christum est.

Et folia ligni ad sanitatem gentium.

Ligni vitæ folia & fructus.

Per folia ligni vitæ, quod est Christus, designantur tenuiores & quasi superficiales diuinorum iudiciorum notitiæ; quemadmodum per fructus consummatior earumdem rerum cognitio; quæ in futuro tandem æuo parefiet. Eiusmodi igitur folia ad sanationem, hoc est, in ignorationis expiationem illarum gentium, quæ in virtutum actione minus valuerunt, cedent: Siquidem non eadem omnium, sed alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Et multæ rursum mansiones sunt apud
D Patrem, quarum aliæ maiori, aliæ minori splendore potiuntur, secundùm operum vniuscuiusque analogiam & qualitatem. Alio sensu per lignum vitæ, quod mensibus duodenis fructus duodecim adfert, chorum Apostolicum accipere licet, propter peculiarem societatem & communicationem quam habuit cum ligno veræ vitæ. Hoc enim posteaquam cum carne nostra semel cõmunicauit, suæ diuinitatis participes nos fecit. Horum autem fructus in centesimum excrescunt; folia verò alia reddũt sexagesimum, alia trigesimum, quæ sanitatem iis adferunt, qui ex gentibus in diuini luminis splendore, non ita multum excelluerunt; quam quidem sanitatem per illos susceperunt, qui centuplum fructificauerant. Quantum enim interest, inter folia & fructus, tan-
E tum inter eos qui tunc saluabuntur, intercessurum putandum est; Aliis quidem maiori, aliis verò minori gloria potientibus, sicuti antè obiter indicatum est. Quod autem lignum singulariter pro lignis scriptum est, hoc Sanctorum inter se vnionem & concordiam significat. Sed & numerorum heterosis sacris literis admodũ quoque familiaris est. Constat enim ligna multa, lignum vnum; & multos equos, equum vnum appellare, aliáque id genus singularia pronominibus pluralibus frequenter collocare solere.

Sanctorum omnium non eadem gloria.

Per verbi incarnationem humanum genus diuinitatis particeps effectum.

Numerorum heterosin familiarem esse diuinis literis.

Et omne maledictum non erit amplius.

Anathematis nomē bifariã vsurpari.

Cùm anathematis nomen bifariam vsurpetur; vno modo pro eo, quod soli Deo consecratum & dedicatum est; ad quod proinde promiscuæ multitudini non patet accessus. Alio modo pro eo, quod neq; Sanctis illis

virtu-

virtutibus, neque vlli alteri creaturæ contrectare fas est: Vtpote diabolo nuncupatum, necnon ab omni prorsus bono & honesto alienum, non est hic sermo de priori illo, sed de posteriori, quod graui quadam emphasi catathema vel maledictum hoc loco vocatur; re ipsa enim tale anathema cælesti numini non dedicatur, neque vt res votiuæ solent, Deo suspenditur; sed vt res diabolo subiecta, simúlque cum illo condemnationi obnoxia deponitur, & tanquam profanum quiddam pedibus calcatur. Eiusmodi autem catathema in ciuitate illa non erit.

Catathema & Anathema quid differant.

Sed sedes Dei & Agni in illa erunt; serui eius seruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus suis.

Qui, inquit, facti sunt thronus Dei per requiem, quam Dominus in illis capit, ij germani ciuitatis illius habitatores censebuntur; videbúntque ipsum non per ænigmata, sed facie ad faciem, quemadmodum visus est sanctis Apostolis in monte, vt magnus ait Dionysius, habebúntq; pro aurea lamina, quam summus Sacerdos olim ferebat, diuinum nomen non tam in frontibus descriptum, quàm in cordibus impressum. Indicat id autem firmam, liberam, & immutabilem dilectionem, qua in illum feruntur. Etenim inscriptio in fronte, honestæ cuiusdam libertatis argumentum & index est.

Deum in Sanctis veluti in sede quiescere.

Nomen Dei in Sanctorum frontibus.

Et nox vltra non erit ibi; & non egent lumine lucernæ, neque lumine solis; quoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

Si iusti, vt inquit Christus, fulgebunt vt sol; qua ratione lucernali aut solari lumine opus erit ijs, qui à Domino gloriæ & maiestatis illustrantur & reguntur? & in omne æuum regentur? Aut, vt rectius secundum Apostolum dicam, sine fine vna cum illo regnabunt?

Matth. 13.

Ingens splendor in regno Christi.

Quod Christus sit Deus Prophetarum, & Angelorum Dominus.

CAPVT LXVIII.

Cap. 22.

Et dixit mihi; Hæc verba fidelissima sunt & vera. Fidelia & vera sunt; vtpote ab ipsa veritate prolata. Hucusque Angeli visionem visorúmque interpretationem in medium proposuit; posthac autem, quasi ex propria persona differit. Ait autem:

Cur Dei verba fidelia & vera?

Et Dominus Deus Spirituum Prophetarum misit Angelum suum, vt ostendat seruis suis, quæ oportet fieri citò.

Si Christus est Deus Prophetarum, qui angelum suum mittit: vt per diuinum Ioannem, qui visionem hanc vidit, quasi per internuncium seruis suis, quæ olim futura sunt, ostendat; planum fit, cùm in libri huius exordio filium rerum harum manifestationem à Deo Patre accepisse asserit, orationem œconomiæ illius secundum carnem accommodasse; quadámque συγκαταβάσει & côdescensione vsum esse. Qui enim Prophetarum Deus est, Angelósque tanquam spiritus administratorios ad seruos suos, vt quæ futura sunt illis patefaciat, subinde mittit; certum est eum nihil quicquam latere, adeóque diem & horam consummationis sæculi non ignorare; ita vt isthæc nunc tâdem per Patrem eum discere oporteat; qui omnes sapientiæ & scientiæ thesauros tâquam Deus in se abditos habet. Cuius personam Euangelista assumens in medium nunc prodit, & dicit.

Christũ Prophetarum & Angelorum Deum esse.

Christum nihil à Patre discere secundum diuinam naturam, sed tantum secundum humanam.

Ecce venio velociter: Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius.

Solent namque Prophetæ diuina oracula tanquam ex propria persona sæpenumerò depromere. Illud autê; Ecce venio citò; aut præsentis temporis breuitatem côparatione futuri significat; aut certè vniuscuiúsque finê propè adesse, & simul quoque incertum esse insinuat: Siquidem translatio ex hac mortali vita suus cuique finis est. Quia ergo qua hora fur venturus sit exploratè non tenemus; oportet nos vigilare, lumbósque accinctos habere, & pia Deóque digna conuersatione lucernas ardentes, proximóque lucem præbentes, palàm ostendere. Quamobrê ne cessemus corde contrito Deum

Prophetas, Dei personâ sæpe assumere

Finis cuiusq; propinquus & incertus. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 12.

A deprecari, vt ab omnibus qui nos persequuntur nos liberet; nequando ab illis superati, Angeli, qui animas corporibus exutas suscipere solent, hinc nos abripiant imparatos, ita vt non sit qui redimat, neque qui saluum faciat; ne fortè humi repentium terrenarúmque rerum laqueis cuiusuis nostrum anima intricata, neque ab illis se auelli sustinens, frustra ad eas conuertatur; vtpote angelico impulsu & vi, diuinóque mandato celeriter hinc excedere, aliisq; illas relinquere coacta; ac tum demum præteriti temporis negligentiam inutiliter deplorare incipiat. Quin potius illud Dauidicum oraculum continuò meditemur, concinnéq; modulemur: Paratus sum, & non sum turbatus ad custodiendum omnia mandata tua; huiúsque obseruationis mercedem, gloriam à Deo

Angeli animas corporibus exutas suscipiunt.

Psalm. 118.

B accipiamus; auribus haurientes benedictam illam vocem: Euge serue bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, cum quo Patrem simul & sanctum Spiritum decet gloria, honor, & imperium, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Math. 25.

Luc. 19.

Quòd ea omnia, quæ Apostolus vidit, digna sint fide.

CAPVT LXIX.

SERMO VIGESIMVSQVARTVS.

Cap. 22.

C Et ego Ioannes qui vidi, & audiui hæc. Et postéaquâ audiuissem, & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora.

Et hæc quoque Apostolicæ animæ proprietatem arguunt. Etenim vt in Euangelio eiusmodi oratione vtitur: Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius; ita hic quoque quæ prædicta erant per se, & vidisse & audiuisse fatetur, eáque ratione visa confirmat. Ostendit quoq; Angeli, qui mysticam illam visionem impresserat, grauitatem & erga Deum pietatem; vt qui conserui adorationem non admiserit, sed piè prudentérq; communi Domino illam detulerit.

Eundem Euãgelij Ioannis & Apocalypsis auctorem esse.

Ioan. 1.

Summa Angelorum modestia.

D *Vt iussus sit, ne hanc Apocalypsin obsignaret, sed palam prædicaret.*

CAPVT LXX.

Cap. 22.

Et dixit mihi: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est.

Hactenus angelicas sententias & voces adduxit; hinc nunc ad Dominicam Christi personam transit: Iubet hæc autem ne prophetiæ huius verba obsignet; quippe cùm liber hic qui ab omnibus fidelibus legatur dignus sit; Nam per supplicia, quæ peccatoribus comminatur, & quietem, quæ Sanctis hic promittitur, lectoribus ad veram illam vitam viam ostendit.

Apocalypsis lectu dignissima.

E *Qui nocet, noceat adhuc; & qui sordidus est, sordescat adhuc & qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, vt reddam vnicuique secundum opera sua.*

Non adferuntur isthæc hoc loco quasi ad iniustitiam aut immunditiam aliquem incitare velit, absit; verùm vt ostendat se hominis voluntatem liberam & ab omni coactione immunem conseruare certò decreuisse. Sensus enim est: Vnusquisq; quod sibi placet, operetur; nullius equidem voluntati vim infero: Vnum hoc tantùm ostêdo, atq; denuncio: nempe vnumquemlibet exitum sortiturum suis studijs, suísque operibus consentaneum, quare etiam subdit: Venio enim citò, vt reddam vnicuique præmia factis suis digna.

Verborũ sensus, qui nocet, noceat adhuc &c.

Hominis voluntas libera.

Deus reddet vnicuique secundum opera sua.

Ego sum α & ω, principium & finis: primus & nouissimus.

Quomodo Deus est α & ω, principium & finis, &c.

Neque enim aliquid exstat meo principio vetustius, sed neque regni diuini diuinæque potestatis vllus omnino exstat terminus. Subinde autem Christus, vti antè quoque indicatum est, appellatur primus & nouissimus, illud quidem propter Deitatē, hoc verò propter assumptam humilitatis naturam.

** Aliâs, Beati qui faciunt præcepta eius.*

*Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, * vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.*

Quid sit habere potestatem in ligno vitæ & introeundi per portas.

Vera beatitate citra controuersiam digni tales: vtcunque tandem legas; Siquidem interminabili vita illa potiti, ius illis fasq; erit in ligno vitæ, nēpe in Christo Deo nostro conquiescere, suauitérq; in illius contemplatione sese oblectare; nulla maligna virtute, aut potestate vllum prorsus impedimentum adferente; sed per Apostolicas portas, hoc est, per Apostolorum doctrinam in ciuitatem supernam ingredientur; neque aliorsum per saltum irruent, quemadmodum mercenarij pastores solent, sed à vitæ ianitore per verum ostium introducentur.

Vt Ecclesia & Spiritus, qui in illa degit, gloriosum Christi aduentum expectant; certaque maledictioni subijciantur, qui librum hunc adulterant.

CAPVT LXXI.

Cap. 21.

Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Canes hoc loco appellantur, non solum effrontes, & infideles, cæterique mali operarij omnes, quos Apostolus deplorat, verùm ij etiam, qui post susceptum Baptisma ad proprium vomitū reuersi sunt. Quare neque hi quoque ad supernam illam ciuitatem admittentur: sed simul cum scortationibus, & homicidis, & idolis seruientibus, veluti profani & alieni inde repellentur.

Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis.

Christus nisi Deus esset, Angelos non mitteret.

Et hinc quoque diuina Christi potentia ostenditur; neque enim Angelum mitteret, nisi Deus esset. Mittitur autem vt cum certa adiuratione, & protestatione palàm denunciet Ecclesiis, quæ hic scripta sunt.

Christus radix & genus Dauid.

Ego sum radix & genus Dauid.

Radix Dauidis est Christus tanquam Deus; genus autem eiusdem secundum carnem: ex ipso namque originem duxit.

Et stella splendida & matutina.

Christus stella matutina.

Idem Christus lucida illa & matutina stella est; vt qui post triduanam mortem manè nobis exortus fuerit, nec non post præsentis vitæ noctem, in matutina communis resurrectionis hora Sanctis omnibus conspicuum sese exhibebit; diem qui nunquam habiturus est finem, certò adducturus.

Et Spiritus & sponsa dicunt: Veni, & qui audit, dicat: Veni.

Aduentum Christi qui expectent.

Ecclesia enim & Spiritus, qui in ipsa habitat, & Abba Pater in cordibus nostris clamat, vnigeniti Filij Dei aduentum inuocat & optat. Sed & cuncti quoque mortales, qui fideliter audiunt, & expendunt illud; Adueniat regnum tuum, quasi diuinitus edocti, eundem illum aduentum à Deo & Patre enixè contendunt.

Et qui sitit veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Ad vitæ poculum hauriendum magna opus est siti.

Siti namque ad vitæ poculum firmámque & stabilem boni comparati possessionem opus est; maximè verò cùm donum hoc ijs impenditur, qui etsi prorsus otiosi non fuerunt, attamen doni magnitudine neque digna, neque paria præstiterunt; solum autem pro auro & argento, externísque laboribus bonam mentem, incensúmque animi desiderium in medium attulerunt.

Contestor autem omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de ijs, quæ scripta sunt in libro isto.

Scripturas adulterare temerarium & periculosum.

Formidabilis in illos desæuiet execratio; qui diuinam Scripturam adulterare non dubitant. Nam illorum hæc temeritas est nimis audax & temeraria; imò verò tanta est, vt vel sola arrogantes & temerarios illos à futuri seculi bonis excludere valeat. Quod incommodum, ne nobis, qui hæc audimus, vsu quādoque veniat, non absque comminatione contestatur & exhortatur, ne quid apponamus aut adimamus. Verùm Scripturarum phrases & idiomata Attica orationis structura & compositione syllogismísque Dialecticis potiora, certiora, & ad fidem maius momentum adferre censeamus. Nam & in illis multa inuenire liceat, quæ regulæ & veritatis legi nō satis consentanea sunt, & tamen propter scriptorum auctoritatem dissimulatur, missáq; fiunt. Quantum autem interuallum inter eos, qui apud nos, & eos rursum, qui apud illos celebres exstiterunt, intercedat; id mente cōplecti vix valemus. Arbitror autem plus intercedere, quàm inter lucem & tenebras.

In Scripturis non eloquentia Attica, sed veritas & fides quærenda.

Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio citò. Amen. Veni Domine Iesu. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis, Amen.

Et ego, inquit, qui hæc ad te, qui es vita, dico venio; & tu itidem veni. Etsi alio quoque sensu hæc ex persona Christi dicta videri queant; Qui, inquit, hæc protestor citò veniam. Ex persona autem Apostoli dicitur, quod mox subiungitur, nempe illud: Veni Domine Iesu Christe: Desiderabilis enim est Sanctis Christi aduentus; quippe qui operum mercedem reddere soleat lōgè amplissimam. Et hæc de præsenti libro, qui & sanctus & diuinitus inspiratus est, viámque certam ad beatam requiē & finem ostendit ijs, qui diligenter illum legunt, cuius scopum vniuersum in compendium contractum paucis proponam, idque non inutiliter, vt spero.

Sanctis omnibus desiderabilis Christi aduentus.

Per septem igitur Ecclesias & tolerantia in aduersis, & modestia rursum in prosperis, & aliæ quædam virtutum species nobis commendantur. Colligitur hinc quoque vnum illud omnium, quod homini in terra obtingere potest, summum esse posse, nimirum puro mentis oculo diuinam in cœlis gloriam contemplari, non dico diuinam essentiam, sed Dei speciem symbolo quopiam externo adumbratam; siue illud sit pretiosorum lapidum varietas; siue multicoloris iridis imago, siue aliqua alia eiusmodi similitudo, peculiari Dei prouidentia ad hoc munus obeundum efformata. Discimus ex hoc etiam volumine, non modò sanctas illas corporísque expertes virtutes, sed homines quoque qui in corpore degentes Domino placuerunt, circa diuinæ maiestatis thronum familiariter versari. Ad hæc fulgura & tonitrua, Dominicæ præsentiæ iudicium facere. Librum præterea diuinorum iudiciorum septem spiritus sigillis obsignatum multò sublimiorem esse, quàm qui humana mēte valeat comprehendi, adeóque per alium, quàm per Agnū Dei, qui iugulatus est, solui nequiuisse. Hunc porrò Apocalypseōs diuinarúmque reuelationum librum ea præcipuè complecti, quæ à primo Christi aduentu vsque ad sæculi consummationem partim quidem iam euenerūt, partim verò euentura adhuc expectantur. Disseritur in hoc opere quoque de Martyrum fortitudine & constātia, de duplici infidelium supplicio, de Euangelici seminis vbertate, de ignauorum modicæque fidei hominum ruina, vltimáque eorumdem excisione de desiderio quo Sancti de secundo Christi aduentu flagrant, de cladium & calamitatum magnitudine, quæ Antichristi aduētum antecedent, de malis pariter & persecutionibus, quas idem vbi venerit aduersus Christianos incendet. Cognoscere hinc etiam licet, homines sanctimonia ornatos Deo vsque adeò cordi curæque esse, vt impiorum supplicium tantisper transferendum duxerit, donec per signaculum ab Angelis scelerum vindicibus impressum ab impijs secernerētur, ne si secus fieret, communi fortè cladi inuoluerentur. Septem præterea nouissimis temporibus

Quid per septem Ecclesias nobis cōmendetur.

Quid homini in terra maximè optandum.

Angeli & homines circa diuinæ maiestatis thronū.

Diuinorum iudiciorum liber soli Deo & Agno apertus.

Deus singularem iustorum curam habet.

Septem plagæ quo pertingant.

poribus plagas in eos, qui ætatem in terris degunt, crudeliter grassaturas, quo nimirum horum magnitudine admoniti, ad conuersionem spectemus; Deúmque, ne hasce aliquando experiamur, supplices deprecemur. Per Angelum portò qui æternitatis Euangelium tenebat, iisque qui in terra versabātur, prædicabat, Angelos omnes piè admodum clementérque erga genus nostrum affectos esse insinuatur. Quin de Enoch & Eliæ, qui sub sæculi finem venturi sunt, vt Pseudochristum & Pseudoprophetam redarguant, fortitudine animíque constantia accuratè hic quoque tractatur, tum de vltima Babylonis ruina & internecione, déque ciuitatum gētium euersione, tū de lætitia & animi exultatione, quā supernæ virtutes eā ob rem concipiunt, de diaboli casu, de sæua Antichristi furia & crudelitate, de Pseudoprophetæ fraude & impostura, de grauissima Ecclesiæ persecutione, de innumera saluādorum multitudine, de orbis vniuersi area & messe, de acerbarum vuarum vindemia, de purissima Sanctorum quiete vitreo mari assimilata, de septem phialis diuinæ iræ in eos effusis, qui terram, & mare, & flumina, & reliqua elementa inhabitant, déque crudeli afflictione & calamitate, quæ hinc propter hominum malitiam consequentur, de bestiæ throno per easdem phialas fœdè obscurato, de via per Euphratem diaboli satellitibus patefacta, miráque eorúmdem infirmitate, de admirabili rerum omnium confusione & transmutatione, quæ vbi primùm fornicaria illa & belluina ciuitas diabolíque sedes euersionem, quam promerita est, perpessa fuerit, terrarum orbem inuadet. Post hæc exponitur, vt cœlestes sopermundanæque virtutes Deum laudent, vt superna illa Ierusalem, quæ est Ecclesia, accuratissima vnione Christo coniungatur, vt iræ diuinæ torcular calcetur, vt Antichristo eiusdémque satellite & protospatario gehennæ contraditis, terrenísque voluptatibus & curis è medio sublatis, cùm Angeli tùm homines quoque, qui Angelicam vitam duxerant, mysticæ cœnæ participes declarentur. Vt diabolus antè ligatus ad tempus soluatur, ac deinde rursum exscindatur & in interitum abijciatur, vt Martyres cum Christo regnent, beatitudinémque etiam ante Antichristi aduentum obtineant, vt diabolus Gog & Magog in prælium concitet, citóque vna cum illis in interitum abeat, vt libri acta vniuscuiúsque continentes, & liber item vitæ aperiantur, aliíque secunda morte feriantur, alij contra superna Ierusalem Christique nuptijs digni censeantur. Ex hoc tandem libro planè diuino discere licet, quanta supernæ ciuitatis sit intercapedo & magnitudo, cuiusmodi eiusdem muri, & portæ, & fundamenta. Nam hæc omnia Angelus quanta fieri potuit diligentia delineauit: Qualis rursum diuini Spiritus fluuius ex Dei throno procedat, & per medias plateas sese diffundat. Denique rerum cœlestium decorem, gloriam, & venustatem esse tantam, vt nulla oratio pro dignitate eam explicare valeat. Ad quam proinde diuinus Theologus toto animo anhelans, nósque eò pertrahere satagens, ait: Veni, Domine Iesu, qui ea daturus es, quæ præparasti Sāctis. Quarum rerum conspectum & vsum, vtinam per ardens legis seruandæ desiderium, animíque lenitatem, & mansuetudinem, & cordis humilitatem & munditiam aliquando consequamur. Etenim ex animo mansuero cordéque humili & mundo, humilis constánsque & turbationis exors oratio nascitur, quæ mentem Deo, qui occultorum inspector est, exhibet ab omni terrena & materiali cogitatione nudam & immunem, & à diabolicis imposturis & insultibus liberam. Sanè impostor ille & hostis nihil æq; desiderat, atq; cordi nostro, cùm Deum interpellare familiaritérque cum eo versari contendit, adulterino modo sese insinuare atque ea corruptionis semina ipsi inserere, per quæ ab vnione cum Deo abstrabatur; ne videlicet in illius meditatione exardescat ignis quæ illius mulitiones, occultósque conatus absumat frangátque: Siquidem Deus noster ignis consumens est, animámque adeò quæ castè tranquilléque cum ipso versatur, etsi propter peccata frigida existit, calidam, ignísque illius, qui sordes absumere natus est, capacem reddit. Quemadmodum sol quoque, dum radijs suis vas vitreum aqua refertum vehementius ferit, per quandam efferuescentiam & refractionem ignem ex illo tametsi gelido elicit. Cùm igitur res ita habeat; & nos quoque non vt vas luteum, aut testaceum, aut eiusmodi, quòd diuini radij impressionem suscipere nequeat, sed tanquam Spiritus sancti templum, vitrúmque mundum & lucidum, iustitiæ soli, hoc est, Christo nos exhibeamus, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire, omnibúsque adeò effusè & inoffensè sui splendoris gratiam impertit & offert; etsi interim non ex æquo participetur ab omnibus, sed secundum mensuram puritatis interioris oculi. Faxit misericors Dominus, qui nostri caussa secundum carnem passus est, vt hunc mentis oculum mundum castúmque adipiscamur: Nempe Iesus Christus Deus noster, quem decet omnis gloria, & honor, & adoratio, vna cum Patre, & sancto, & viuifico Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Angeli quomodo erga humanum genus affecti.

Enoch & Eliæ animi magnitudo.

Ingens electorum multitudo.

Christi vnio cum superna Ierusalem.

Diabolum ad tempus solui, & iterum in interitum abijci.

Cœlestium gloria, nulla oratione explicari potest.

Media ad cœlestem gloriam obtinendam.

Cuiusmodi mentis statum efficax oratio deposcat.

Diabolum maximè contendere, ne mente cum Deo vniamur.

Quomodo anima alioqui frigida ex coniunctione cum Deo efficiatur calida.

1. Tim. 2.

Non omnes ex æquo participare lumē diuinum, & vnde hoc proueniat.

SACRÆ BIBLIOTHECÆ TOMI PRIMI, QVI VETERVM PATRVM IN SCRIPTVRAM SACRAM COMMENTARIOS COMPLECTITVR: FINIS.





